

REVERENDI PATRIS

NICOLAI MAZZOTTA


E SOCIETATE JESU

THEOLOGIA MORALIS,

Omnem rem Moralem abſolutiſſime complectens

Ad mentem præcipue R. P. CLAUDII LA-CROIX celeberrimi ejuſdem Societatis Theologi.





BONONIÆ, MDCCLV.

Proſtant

VENETIIS

APUD ANDREAM POLETTI.

SUB SIGNO PALLADIS IN ITALIA.

L E C T O R I
B E N E V O L O
P A U L U S S A S S O
E SOCIETATE JESU.
S.



PTIME de re litteraria mereri meo quidem judicio videntur, non ii modo, qui de suo aliquid in lucem proferunt, sed qui etiam aliorum scripta edenda curant, modo multum habeant in suo genere dignitatis; quorum proinde editione, non tam librorum numerus augeatur, quam Hominum ingenia ad litterarum studia adjuventur. Amabis itaque me, Lector humanissime, quod iis, quæ NICOLAUS MAZZOTTA *meæ Societatis de re morali universa graviter admodum, accurateque scripsit, publicam hanc lucem providerim. Quam ut ipse curam, operamque susciperem, effecere quamplures Viri doctissimi, qui ætate hac nostra, atque hac potissimum in Urbe utilissimam Theologiæ partem, quæ mores Hominum spectat, studiose profitentur. His enim parum visum fuit, hujus operis editionem votis omnibus concupiscere, nisi aperte etiam, instanterque flagitarent. Atque dum de scriptis his pervulgandis deliberarem, his prope verbis mecum expostulare sunt auditi, quibus C. Plinius Octavium suum in re non absimili libere admonuit, seu verius objurgavit,* Hominem, *inquiens,* te patientem appellem, vel verius durum, ac pœne crudelem, qui tam insignes libros tandiu teneas. Sine, per ora Hominum ferantur, iisdemque, quibus Romana lingua, spatiis pervagentur. Magna expectatio est, quam frustrari adhuc, ac differre non debes (*Epist. lib.* II.) *Quæ tanta expectatio respondet sane celebritati Hominis, ac singularis Doctrinæ opinioni, quæ de eximio Auctore jamdudum insedit Hominum animis: nec levi aliqua conjectura, sed longo usu, ac multiplici experimento confirmata. Docuit ille publice in hac Societatis nostræ Academia facultates multas, nullam tamen libentius, ac diutius, quam moralem Theologiam, & cum cæteras omnes in pretio, hanc non modo in pretio habuit, sed in amore etiam, ac deliciis. Præter illa vero, quæ ab exedris tradidit Auditoribus suis, perdifficiles his super rebus quæstiones enodavit, sive cum in cœtu dissereret, honestissimoque conventu, qui coram Eminentissimo Neapolitano Antistite statis, certisque diebus indicitur: sive, cum annos bene multos Venerabili Sacerdotum Sodalitio præesset, quod in Neapolitano Collegio a P. Francisco Pavone olim institutum, ad hanc usque diem ab ejus nomine appellatur. Ubi, cum præter alias doctrinæ, ac pietatis exercitationes crebræ sint de moralibus controversiis in utramque partem disceptationes, recens identidem Auctori nostro occasio facta est, reconditioris doctrinæ fontes, quam sibi privato studio comparaverat, in commune commodum derivandi.*

Hæc te in ipso hujus Operis aditu monui, ut illud nimirum ex Auctoris sui dignitate incipias æstimare. Cæterum, fore arbitror, ut ipsum cum legeris, pronuncies, quod olim a C. Plinio scriptum accepimus de Oratore disertissimo, cum, post auditam ejus famam, audiri ipse cœptus est: Magna Isæum fama præcesserat, major inventus est. *Aut enim fallor, aut nihil est, quod in hisce Institutionibus Theologia Moralis studiosi desiderent. Dicendi ratio aperta, ac pellucida: Methodus plane aurea: Prudens in opinionum delectu judicium: Res pro-*

pe immensa æquis comprehensa finibus, ut nec discendi facilitati prolixitas, nec doctrinæ integritati brevitas officiat. Cognitio legum, ac sanctionum tanta, quanta opus est, ut res moralis plane teneatur. Nulla omissa pars, tum peregrinæ, tum recentis eruditionis. Tractatus octo de more opus universum absolvunt. Verum Tractatui primo, qui De Legibus *inscribitur, duplex inseritur dissertatio: altera initio* De Conscientia: *altera in calce* De Privilegiis, *quam excipit erudita Appendix* De Jubilæo Anni Sancti. *Quo loco de Pœnitentia agitur, opportuna etiam appendix adnectitur de iis criminibus, quorum absolutio est in Diœcesi Neapolitana reservata. Ubicumque vero res fert, & occasio, recensentur alibi aliæ, breviterque illustrantur Propositiones, quas Alex. VII., Inn. XI., atque Alex. VIII. Summi Pontifices merito proscripsere. Nec desunt identidem aliqua Bullas Bened. XIV. feliciter regnantis spectantia, quæ, ut recens adjuncta, Asterisco * notantur. Demum, quo facilior usus sit, atque expeditior, claudet opus universum notabilium rerum index locupletissimus, & quam maxime fieri potuit, accuratus: præter alios indices materiam singulis capitibus subjectam notantes, quorum suus singulis Tractatibus præmittitur. Utere itaque, qui moralem hanc Theologiam legendam suscipis, Auctoris optimi doctrina, utere & Collectoris sedulitate. Enim vero, quidquid inde proficies, auctor ipse tibi sum, quo in majorem Dei Optimi Maximi gloriam referas, qui unus pulcherrimus est humanæ eruditionis, imo vero rerum omnium humanarum fructus. Vale.*



CLE-

CLEMENS COPPOLA

PRÆPOSITUS PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU

In Regno Neapolitano.

CUm librum, cui titulus *Theologia Moralis*, *omnem rem Moralem absolutissime complectens* a Patre Nicolao Mazzotta Societatis nostræ Sacerdote compositum, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint: facultate nobis a Patre nostro Francisco Retz Præposito Generali communicata, concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas, dedimus

Neapoli Idibus Februarii 1748.

Clemens Coppola.

Locus ✠ Sigilli.

SYL-

SYLLABUS

DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, ET CAPITUM

Quæ in I. Tractatu Theologico-Morali de Conscientia & de Legibus continentur.

DISPUTATIO I.

De Conscientia in genere. pag. 1

QUÆSTIO I.

De Conscientia recta. *ibid.*

CAPUT I. *Quid, & quotuplex sit dictamen Conscientiæ?* *ibid.*
II. *An ex dictamine Conscientiæ desumenda sit moralitas actus?* 2
III. *An præter dictamen Conscientiæ requiratur ad moralitatem actus, ut sit etiam voluntarius, & liber?* 5
IV. *An actus contra Conscientiam positus ex concupiscentia, vel ex metu sit culpabilis, & pœna dignus?* 7

QUÆSTIO II.

De Conscientia ob Ignorantiam erronea, vel perplexa. 8

CAPUT I. *An actio posita ex ignorantia sit peccaminosa?* *ibid.*
II. *An sit illicitum operari contra Conscientiam erroneam?* 10
III. *An sit licitum, vel etiam positive honestum, agere juxta Conscientiam erroneam?* 11
IV. *Quid sit agendum cum Conscientia perplexa?* 12

QUÆSTIO III.

De Conscientia dubia, & scrupulosa. *ibid.*

CAPUT I. *Quid, & quotuplex sit Conscientia dubia?* 13
II. *An licitum sit operari cum Conscientia dubia?* *ibid.*
III. *An in dubio melior sit Conditio Possidentis?* 14
IV. *An in dubio tutior pars sit eligenda?* 15
V. *An in dubio standum sit pro valore actus?* 16
VI. *Quid sit agendum cum Conscientia scrupulosa?* *ibid.*

QUÆSTIO IV.

De Conscientia Probabili. 17

CAPUT I. *Quid sit Opinio probabilis?* *ibid.*
II. *An liceat in praxi sequi Opinionem probabiliorem relicta tutiore minus probabili?* 18
III. *An liceat in praxi sequi Opinionem probabilem relicta tutiore æque probabili?* *ibid.*
IV. *An liceat in praxi sequi Opinionem minus probabilem relicta tutiore probabiliore?* 19

DISPUTATIO II.

De Legibus in Genere. 20

QUÆSTIO I.

De natura Legis. *ibid.*

CAPUT I. *Quid, & quotuplex sit Lex?* 21
II. *Quis possit ferre Leges?* 22
III. *Quæ sit forma, & interpretatio Legis?* 23
IV. *Quæ sit materia Legis?* 24
V. *An ad valorem Legis requiratur, ut sit justa, & utilis?* 25
VI. *An ad valorem Legis requiratur promulgatio?* 26

CAPUT VII. *An ad valorem Legis requiratur acceptatio?* pag. 26

QUÆSTIO II.

De effectibus Legis. 27

CAPUT I. *An omnis Lex obliget in Conscientia?* *ibid.*
II. *Qua intentione obediendum sit Legi?* 28
III. *Quo tempore obediendum sit Legi?* 29
IV. *An Lex obliget etiam ad non ponenda impedimenta ejus executioni?* 30
V. *Quinam sint effectus Legis irritantis?* 31
VI. *Quinam sint effectus Legis pœnalis?* 32

QUÆSTIO III.

De subjecto Legis. 33

CAPUT I. *An Legislator teneatur obedire suis Legibus?* *ibid.*
II. *Quibus Legibus teneantur Infideles, Pueri, Ebrii, & Amentes?* *ibid.*
III. *An Peregrini, Forenses, & Vagi teneantur Legibus loci, in quo sunt?* 34
IV. *An Subditi existentes extra Territorium teneantur Legibus sui Principis.* 35
V. *An Ecclesiastici teneantur servare Leges Civiles?* 36

QUÆSTIO IV.

De cessatione Legis. 37

CAPUT I. *An, & quomodo excuset impotentia ab observantia Legis?* *ibid.*
II. *An, & quomodo excuset Epikeja?* 38
III. *An, & quomodo cessante fine Legis cesset Lex?* *ibid.*
IV. *An, & quomodo cesset Lex per Abrogationem, seu Derogationem?* 39

DISPUTATIO III.

De Consuetudinibus. 40

QUÆSTIO I.

De Consuetudine præter Legem. *ibid.*

CAPUT I. *Quid sit Consuetudo obligatoria?* *ibid.*
II. *Quinam sint effectus Consuetudinis obligatoriæ?* 41

QUÆSTIO II.

De Consuetudine contra Legem. *ibid.*

CAPUT I. *Quæ sint conditiones Consuetudinis abrogatoriæ, seu derogatoriæ?* *ibid.*
II. *Qui sint effectus Consuetudinis abrogatoriæ, seu derogatoriæ?* 42

QUÆSTIO III.

De Consuetudine juxta Legem. *ibid.*

DISPUTATIO IV.

De Dispensationibus. 43

QUÆSTIO I.

De natura Dispensationis, & Potestatis dispensandi. *ibid.*

CAPUT I. *Quid sit Dispensatio, & Potestas dispensandi?* *ibid.*

C A-

S Y L L A B U S.

CAPUT II. *Quis habeat Potestatem dispensandi?* pag. 44
III. *Circa quos exerceri possit Potestas dispensandi?* 46
IV. *An ad dispensandum requiratur Causa?* 47

Q U Æ S T I O II.

De petitione Dispensationis. 48

CAPUT I. *Quæ veritas sit exprimenda, & quæ falsitas tacenda in petitione Dispensationis?* ibid.
II. *Quæ sit forma petitionis Dispensationis?* 49

Q U Æ S T I O III.

De Rescripto Dispensationis. 50

CAPUT I. *Quomodo exequendum sit rescriptum S. Pœnitentiariæ?* ibid.
II. *Quomodo exequendum sit rescriptum Datariæ?* 51

Q U Æ S T I O IV.

De Cessatione Dispensationis, & Potestatis dispensandi. ibid.

CAPUT I. *Quandonam cesset Dispensatio?* ibid.
II. *Quomodo cesset Facultas dispensandi?* 52

D I S P U T A T I O V.

De Privilegiis. 53

Q U Æ S T I O I.

De natura Privilegiorum. 54

CAPUT I. *Quid, & quotuplex sit Privilegium?* ibid.
II. *An omne privilegium sit late interpretandum?* ibid.
III. *A quo, & cui privilegia concedi possint?* 55

Q U Æ S T I O II.

De Cessatione Privilegii. ibid.

CAPUT I. *An, & quomodo cessare possit Privilegium per revocationem?* 56
II. *An, & quomodo cessare possit Privilegium per renunciationem?* 57
III. *Quot aliis modis cessare possit Privilegium?* 58

A P P E N D I X.

De Jubilæo Anni Sancti. ibid.

CAPUT I. *Quid sit Jubilæum Anni Sancti?* ibid.
II. *Quæ sint Facultates Confessariorum Romanorum tempore Jubilæi Anni Sancti?* ibid.
III. *Quæ opera exequenda sint pro lucrando Jubilæo Anni Sancti?* 59
IV. *Quæ Indulgentiæ, & Facultates suspendantur tempore Jubilæi Anni Sancti?* 60

S Y L L A B U S

DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, CAPITUM, ET §§.

Quæ in II. Tractatu Theologico-Morali de Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ continentur.

D I S P U T A T I O I.

De Præceptis primæ Tabulæ. 62

Q U Æ S T I O I.

De Præcepto Virtutum Theologicarum. ibid.

CAPUT I. *De Præcepto affirmativo Virtutum Theologicarum.* ibid.
§. I. *Generalia de Præcepto affirmativo Virtutum Theologicarum.* pag. 62
§. II. *De Præcepto affirmativo Fidei.* 63
§. III. *De Præcepto affirmativo Spei.* 65
§. IV. *De Præcepto affirmativo Charitatis Dei.* ibid.
CAPUT II. *De Præcepto negativo Fidei.* 66
§. I. *De Infidelitate in genere.* ibid.
§. II. *De Paganismo, & Judaismo.* 67
§. III. *De Hæresi, & Apostasia.* ibid.
§. IV. *De suspectis de Hæresi.* 69
CAPUT III. *De Præcepto negativo Spei.* 70
IV. *De Præcepto negativo Charitatis Dei.* ibid.

Q U Æ S T I O II.

De primo Præcepto Decalogi. 71

CAPUT I. *De Præcepto cultus Religionis Deo debitæ.* ibid.
§. I. *De Adoratione.* ibid.
§. II. *De Sacrificio.* 72
§. III. *De Oratione, Horisque Canonicis.* 73
CAPUT II. *De Præcepto negativo Superstitionis.* 77
§. I. *De Superstitione indebiti cultus.* ibid.
§. II. *De Idololatria.* 78
§. III. *De Magia, & Maleficio.* ibid.
§. IV. *De Divinatione.* 79
§. V. *De Vana Observantia.* 80
CAPUT III. *De Præcepto negativo Irreligiositatis.* 82
§. UNICUS. *De Sacrilegio.* ibid.

Q U Æ S T I O III.

De secundo Decalogi Præcepto. 83

CAPUT I. *De vana divini Nominis usurpatione.* ibid.
II. *De Blasphemia.* ibid.
§. I. *Quid sit blasphemia?* ibid.
§. II. *Quæ sint verba blasphema?* 84
§. III. *Reliqua resolvuntur de blasphemia.* 85
CAPUT III. *De Juramento.* 86
§. I. *Quid, & quotuplex sit Juramentum?* ibid.
§. II. *De Juramento assertorio.* 87
§. III. *De Juramento promissorio.* 89
§. IV. *De Juramento execratorio, & de adjuratione.* 92
CAPUT IV. *De Voto.* ibid.
§. I. *Quid, & quotuplex sit Votum?* ibid.
§. II. *De Materia Voti.* 94
§. III. *Quænam sit obligatio Voti?* 96
§. IV. *Quot modis cesset Votum?* 98

Q U Æ S T I O IV.

De tertio Decalogi Præcepto. 99

CAPUT I. *De operibus, quæ tum hoc Præcepto, tum ab Ecclesia die Festo prohibeantur.* ibid.
§. I. *De abstinentia ab operibus servilibus die Festo.* 100
§. II. *De operibus forensibus vetitis die Festo.* ibid.
CAPUT II. *De causis excusantibus ab observatione Festorum, ob quas opera prohibita liceant.* 101
III. *De operibus, quæ Festis præcipiantur.* 102
§. I. *De Missa die Festo audienda.* ibid.
§. II. *De causis excusantibus ab auditione Sacri.* 103
CAPUT IV. *De Jejunio Ecclesiastico.* 104
§. I. *Quinam cibi prohibeantur die Jejunii, & an etiam potus?* ibid.
§. II. *De unica comestione, ejusque tempore.* 105
§. III. *De Refectiuncula.* ibid.
§. IV. *De causis excusantibus a Jejunio.* 106

D I S P U T A T I O II.

De Præceptis secundæ Tabulæ. 107

Q U Æ S T I O I.

De Præcepto Charitatis Proximi. ibid.

CAPUT I. *De Præcepto Charitatis sui.* ibid.
II. *De Præcepto affirmativo Charitatis Proximi.* 108

§. I. De

S Y L L A B U S.

§. I. De interna Proximi dilectione. pag. 108
§. II. De signis externis Charitatis Proximo exhibendis. 109
§. III. De eleemosyna in extrema Proximi necessitate præstanda. 110
§. IV. De eleemosyna in gravi Proximi necessitate præstanda. 111
§. V. De eleemosyna in communi Proximorum necessitate præstanda. ibid.
§. VI. De eleemosyna spirituali per correctionem fraternam præstanda. 113
CAPUT III. De Præcepto negativo Charitatis Proximi. 115
§. I. De Odio, Invidia, & Voluntate mali Proximi. ibid.
§. II. De Discordia, Contentione, & Schismate. 116
§. III. De Scandalo. ibid.
§. IV. De cooperatione peccato alieno. 117

QUÆSTIO II.

De quarto Decalogi præcepto. 119

CAPUT I. De obligatione filiorum erga parentes, & contra. ibid.
II. De obligatione Conjugum ad invicem. 120
III. De obligatione Superiorum relate ad Subditos, & contra. 120

S Y L L A B U S

Disputationum, Quæstionum, Capitum, et §§.

Quæ in III. Tractatu Theologico-Morali de Contractibus continentur.

DISPUTATIO I.

QUÆSTIO UNICA.

De Contractibus in genere. 121

CAPUT I. Quid sit Contractus? ibid.
II. Quotuplex sit Contractus? 122
III. Quæ sint qualitates Contractus? 123
IV. Quæ sit materia contractus? 124
V. Quis possit contrahere? 125
VI. An error, & dolus obstent valori Contractus? 127
VII. An vis, & metus obstent valori Contractus? 128
VIII. An Contractus invalidi Juramento firmentur? 129

DISPUTATIO II.

De Contractibus gratuitis. 130

QUÆSTIO I.

De Promissione, & Donatione. ibid.

CAPUT I. Quid de Promissione? ibid.
§. I. De obligatione fidei in Promittente. ibid.
§. II. De acceptatione Promissarii. 131
CAPUT II. Quid de Donatione? 132
§. I. De Donatione inter vivos. ibid.
§. II. De Donatione causa mortis. 134

QUÆSTIO II.

De ultimis Voluntatibus. 135

CAPUT I. Quæ sint ultimæ voluntates, & quæ earum solemnitas? ibid.
II. Quid de Testatore? 136
III. Quid de Hærede? ibid.
IV. Quid de Legatario, & Exequutore testamentario? 138

QUÆSTIO III.

De Deposito, Commodato, & Precario. pag. 139

CAPUT I. Quid de Deposito? ibid.
II. Quid de Commodato, & Precario? 140

QUÆSTIO IV.

De Mutuo, & Usura. ibid.

CAPUT I. Quid de Mutuo? ibid.
II. Quid de Usura? 142
III. Ex quibus titulis exigi possit auctarium in mutuo? ibid.
§. I. De Lucro cessante. 143
§. II. De Damno emergente. ibid.
§. III. De Periculo amittendæ sortis. 144
CAPUT IV. An sint alii tituli exigendi auctarium in mutuo? 145

DISPUTATIO III.

De Contractibus onerosis. 146

QUÆSTIO I.

De Emptione, & Venditione. ibid.

CAPUT I. Quid de Pretio? ibid.
II. Quid de Merce? 148
III. Quid de reliquis spectantibus ad emptionem, & venditionem? 150

QUÆSTIO II.

De Censibus. 151

CAPUT I. Quid, & quotuplex sit Census? 152
II. Quid de Censu reali? ibid.
III. Quid de Censu personali? 154
IV. Quid de Censu temporali, & vitalitio? ibid.
V. Quæ pacta adjici possint Censui? 155

QUÆSTIO III.

De Cambiis. ibid.

CAPUT I. Quid de Cambio minuto? ibid.
II. Quid de cambio locali, seu per litteras? 156

QUÆSTIO IV.

De Societate. 157

CAPUT I. Quid, & quotuplex sit Societas? ibid.
II. Quid de rebus in Societate collatis? ibid.
III. Quid de damno, & expensis communibus? 158
IV. Quid de Contractu Trium? 159
V. Quot modis dissolvi possit Societas? ibid.

QUÆSTIO V.

De Ludo, Sponsione, & Sortibus. 160

CAPUT I. Quid de Ludo? ibid.
§. Unicus. Quænam sint Conditiones justi ludi? ibid.
CAPUT II. Quid de Sponsione? 161
III. Quid de Sortibus? 162

QUÆSTIO VI.

De Locato, & Conducto, Emphyteusi, Feudo, & Libello. ibid.

CAPUT I. Quid de Locato, & Conducto? ibid.
II. Quid de Emphyteusi? 164
III. Quid de Feudo? ibid.
IV. Quid de Libello? 165

QUÆ-

S Y L L A B U S.

QUÆSTIO VII.

De Pignore, Hypotheca, Assecuratione, Fidejussione, Compromisso, Transactione, & Compositione. pag. 165

CAPUT I. *Quid de Pignore, & Hypotheca?* ibid.
II. *Quid de Assecuratione?* 166
III. *Quid de Fidejussione, Compromisso, Transactione, & Compositione?* ibid.

DISPUTATIO IV.

De quasi Contractibus. 167

QUÆSTIO UNICA. ibid.

CAPUT I. *Quæ sint obligationes ex negotiis gestis?* ibid.
II. *Quæ sint obligationes ex mandato?* ibid.
III. *Quid sit officium Judicis?* 168
IV. *Quid sint Gabellæ?* 170

DISPUTATIO V.

De Simonia, & Beneficiis. 172

QUÆSTIO UNICA. ibid.

CAPUT I. *Quid de Simonia in genere?* ibid.
§. I. *Quid sit Simonia?* ibid.
§. II. *Quotuplex sit Simonia?* 173
CAPUT II. *De Beneficiis Ecclesiasticis.* 174
§. I. *Quid, & Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?* ibid.
§. II. *Quomodo acquiratur, & amittatur Beneficium?* 175
CAPUT III. *Quid de Simonia in materia Beneficiaria?* 177
IV. *Quid de pœnis Simoniacorum?* 178

S Y L L A B U S

DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, CAPITUM, ET §§.

Quæ in IV. Tractatu Theologico-Morali de Restitutione continentur.

DISPUTATIO I.

De Restitutione in genere. 180

QUÆSTIO I.

De Jure, & Injuria. ibid.

CAPUT I. *Quid, & Quotuplex sit jus, & injuria?* ibid.
II. *Quid, & Quotuplex sit dominium?* 181
III. *Quomodo acquiratur dominium?* 183

QUÆSTIO II.

De natura Restitutionis. 185

CAPUT I. *Quid sit Restitutio, & quæ sit ejus obligatio, & necessitas?* ibid.
II. *An Restitutio sit actus Justitiæ commutativæ?* 186
III. *An Restitutio esse possit actus alterius virtutis a Justitia commutativa distinctæ?* 187

QUÆSTIO III.

De Radicibus Restitutionis. 190

CAPUT I. *Ad quid teneatur possessor, seu destructor bonæ Fidei ratione rei acceptæ?* ibid.
II. *Ad quid teneatur Possessor, seu Damnificator malæ fidei ratione injustæ acceptionis?* 191
III. *Ex qua culpa injustæ damnificationis teneatur damnificator malæ fidei?* 193
IV. *Ex qua culpa teneatur quis restituere ratione contractus, aut quasi contractus?* pag. 194

R. P. Nicolai Mazzotta Theol. Mor.

QUÆSTIO IV.

De re restituenda. 196

CAPUT I. *An bona incerta sint restituenda?* ibid.
II. *An sint restituenda bona Adespota, seu quæ dominum non habent?* 197
III. *An restituenda sint bona communia, seu nullius particularis propria?* 198

QUÆSTIO V.

De Persona Restituente. ibid.

CAPUT I. *Ad quid teneatur Mandans, seu Jubens?* ibid.
II. *Ad quid teneatur Consulens?* 199
III. *Ad quid teneantur Consentiens, & Palpo?* 200
IV. *Ad quid teneatur Præbens recursum?* ibid.
V. *Ad quid teneatur Participans?* 201
VI. *Ad quid teneantur Mutus, non Obstans, non Manifestans?* ibid.
VII. *Quo ordine prædictæ personæ teneantur restituere damnum secutum?* 202
VIII. *An prædictæ personæ teneantur singula in solidum?* 203

QUÆSTIO VI.

De Persona, cui restituendum. 204

CAPUT I. *Cui Creditori facienda sit restitutio?* ibid.
II. *Quis ordo servandus sit inter plures Creditores?* 205
III. *An possit Creditor uti occulta compensatione?* 206

QUÆSTIO VII.

De circumstantiis Restitutionis. 208

CAPUT I. *Quando facienda sit Restitutio?* ibid.
II. *Ubi, & quibus expensis facienda sit Restitutio?* ibid.
III. *Quo modo facienda sit Restitutio?* 209

QUÆSTIO VIII.

De Causis excusantibus a Restitutione. 210

CAPUT I. *Quæ Causæ ex parte Debitoris excusare possint a Restitutione?* ibid.
§. I. *De debito dubio.* ibid.
§. II. *De impotentia.* 211
§. III. *De Necessitate Gravi, vel Communi.* 212
§. IV. *De Necessitate Extrema.* ibid.
§. V. *De Cessione Bonorum.* 213
§. VI. *De Ingressu in Religionem.* ibid.
CAPUT II. *Quæ causæ ex parte creditoris, vel aliorum, excusare possint a Restitutione?* 214
§. I. *De restitutione rei nocivæ.* ibid.
§. II. *De Remissione, Compositione, Transactione, & Assignatione debiti.* ibid.
§. III. *De Excommunicatione, vel Pœna capitali.* 215
§. IV. *De Compositione per Bullam.* ibid.
§. V. *De Consilio Confessarii.* 216
§. VI. *De Auctoritate Judicis.* ibid.
§. VII. *De Lege, & Præscriptione.* ibid.

DISPUTATIO II.

De Restitutione in Specie. ibid.

QUÆSTIO I.

De Restitutione bonorum fortunæ. ibid.

CAPUT I. *De Restitutione ex Furto.* ibid.
§. I. *Quæ sit Natura, & Species Furti?* ibid.
§. II. *De quantitate rei requisita ad Furtum mortale.* 217

§. III.

§. III. *De Furtis minutis.* pag. 218
§. IV. *De Furtis domesticorum.* 219
CAPUT II. *De Restitutione ex rebus Ecclesiasticis, vel Sacris.* 220
§. I. *De Restitutione fructuum Beneficii Ecclesiastici.* ibid.
§. II. *De Restitutione Distributionum Chori.* 224
§. III. *De Restitutione stipendiorum Missæ.* ibid.
§. IV. *De Restitutione rei Sacræ, vel Ecclesiasticæ simoniace, vel indebite alienatæ.* 226

QUÆSTIO II.

De Restitutione Famæ, & Honoris. 227

CAPUT I. *Qua Restitutio facienda sit ex detractione?* ibid.
§. I. *Quinam sit injustus detractor?* ibid.
§. II. *Ad quid teneatur detractor?* 231
CAPUT II. *Quæ restitutio facienda sit ex contumelia?* 232

QUÆSTIO III.

De Restitutione bonorum Corporis. 233

CAPUT I. *De Restitutione ex homicidio, vel mutilatione.* ibid.
§. I. *Quis sit injustus Homicida, seu Mutilator?* ibid.
§. II. *Ad quid teneatur injustus Homicida, vel Mutilator?* 236
CAPUT II. *De Restitutione ex Stupro, aut defloratione.* 237
III. *De Restitutione ex Adulterio.* 238
IV. *De Restitutione ex servitute.* ibid.

QUÆSTIO IV.

De Restitutione bonorum animi. 239

SYLLABUS

DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, CAPITUM, ET §§.

Quæ in V. Tractatu Theologico-Morali de Sacramentis continentur.

DISPUTATIO I.

De Sacramentis in Genere. 241

QUÆSTIO I.

De Quidditate & Efficacia Sacramentorum. ibid.

CAPUT I. *De Nomine, ac Definitione Sacramentorum.* ibid.
II. *De Necessitate, Numero, & Ordine Sacramentorum.* 242
III. *De Materia, & Forma Sacramentorum.* 243
IV. *De Causalitate, & Effectibus Sacramentorum.* 245

QUÆSTIO II.

De Causa Efficiente Sacramentorum. 246

CAPUT I. *Quænam sit Causa efficiens Sacramentorum?* ibid.
II. *De intentione requisita in Ministro ad validam, & licitam Sacramenti confectionem.* 247
III. *De cæteris requisitis ex parte Ministri ad validam, & licitam Sacramenti confectionem.* 249

QUÆSTIO III.

De Subjecto Sacramentorum. pag. 252

CAPUT I. *Quodnam sit Subjectum capax Sacramentorum, & quænam Intentio in eo requiratur?* ibid.
II. *Quæ dispositio requiratur in Subjecto Sacramentorum?* 253

DISPUTATIO II.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Baptismi. 254

CAPUT I. *De Quidditate, Virtute, Institutione, & necessitate Baptismi.* ibid.
II. *De Materia, & Forma Baptismi.* 255
§. I. *De Materia Baptismi.* ibid.
§. II. *De Forma Baptismi.* 256
CAPUT III. *De Ministro Baptismi.* 257
IV. *De Subjecto Baptismi.* 258

DISPUTATIO III.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Confirmationis. 259

CAPUT I. *De Materia, & Forma Confirmationis.* ibid.
II. *De Ministro Confirmationis.* 261
III. *De Subjecto Confirmationis.* 262

DISPUTATIO IV.

De Eucharistia. 263

QUÆSTIO I.

De Eucharistia, quatenus est Sacramentum. ibid.

CAPUT I. *De Nomine, Institutione, Quidditate, & Natura Eucharistiæ.* ibid.
II. *De Materia, & Forma Eucharistiæ.* 265
§. I. *Qualis debeat esse Panis in materia Eucharistiæ?* ibid.
§. II. *Quale debeat esse Vinum in materia Eucharistiæ?* 266
§. III. *Quæ Conditiones requirantur ad materiæ Consecrationem?* 267
§. IV. *Quænam sit Forma conficiens Eucharistiam?* 268
CAPUT III. *De Ministro Eucharistiæ.* 269
§. I. *Quinam sit Minister dispensans Eucharistiam?* ibid.
§. II. *Quid requiratur in Ministro ad licitam Eucharistiæ dispensationem?* ibid.
§. III. *Quinam teneatur ministrare Eucharistiam?* 270
CAPUT IV. *De Subjecto Sacramenti Eucharistiæ.* 271
§. I. *Quinam sint Eucharistiæ Susceptores?* ibid.
§. II. *Quænam requiratur in Suscipiente Eucharistiam dispositio ex parte Animæ?* 272
§. III. *Quæ requiratur in suscipiente Eucharistiam dispositio ex parte Corporis?* 273
CAPUT V. *De Obligatione suscipiendi Eucharistiam.* 275
§. I. *De obligatione sumendi Eucharistiam ex Præcepto Divino.* ibid.
§. II. *De obligatione sumendi Eucharistiam ex Præcepto Ecclesiastico.* 276

QUÆSTIO II.

De Eucharistia, quatenus est Sacrificium. 277

CAPUT I. *De Quidditate, & Natura Sacrificii Missæ.* ibid.
II. *De Participatione fructus Sacrificii.* 278
III. *De loco Sacrificii.* 280
§. I. *De Altari.* ibid.
§. II. *De Ecclesia, vel Oratorio publico.* ibid.
§. III. *De Oratorio privato.* 282
§. IV. *De loco profano.* 283
§. V. *De loco Obligationis.* ibid.

CA-

S Y L L A B U S.

CAPUT IV. *De tempore Sacrificii.* pag. 284
§. I. *Quo Die?* ibid.
§. II. *Qua Hora?* 285
§. III. *Quo die, sive designetur, sive non designetur, sive designetur quotidie?* 287
CAPUT V. *De cæteris Requisitis ad Sacrificium, & de Ritu in eo servando.* ibid.
§. I. *De cæteris Requisitis ad Sacrificium.* ibid.
§. II. *De Ritu servando in Sacrificio.* 288

D I S P U T A T I O V.

Q U Æ S T I O U N I C A.

De Sacramento Extremæ Unctionis. 290

CAPUT I. *De Materia, & Forma Extremæ Unctionis.* ibid.
II. *De Ministro Extremæ Unctionis.* 291
III. *De Subjecto Extremæ Unctionis.* ibid.
IV. *De Effectibus Extremæ Unctionis.* 292

D I S P U T A T I O VI.

Q U Æ S T I O U N I C A.

De Sacramento Ordinis. ibid.

CAPUT I. *De natura Sacramenti Ordinis.* 293
§. I. *Quæ sit Materia cujuscumque Ordinis?* ibid.
§. II. *Quæ sit Forma Ordinationis?* 294
§. III. *Quæ Intentio sit requisita ad Ordinationem?* ibid.
§. IV. *Quæ sint munera, & onera Ordinatorum?* 295
§. V. *Quæ sint pœnæ male Ordinati?* ibid.
§. VI. *Quæ sint pœnæ male Ordinantis?* 296
CAPUT II. *De Ministro Ordinum.* ibid.
§. I. *De Episcopo Domicilii.* ibid.
§. II. *De Episcopo Originis.* 297
§. III. *De Episcopo Beneficii.* ibid.
§. IV. *De Episcopo alieno.* 298
§. V. *De Litteris Dimissorialibus.* ibid.
§. VI. *De Litteris Testimonialibus.* 299
CAPUT III. *De Subjecto Ordinum.* 300
§. I. *Debet esse Mas, & Baptizatus.* ibid.
§. II. *Debet esse sine Irregularitate, Censura, & Peccato.* ibid.
CAPUT IV. *De Circumstantiis Ordinationis.* ibid.
§. I. *De Ætate Ordinandorum.* ibid.
§. II. *De Temporibus Ordinationum.* 301
§. III. *De Ordinatione extra tempora.* ibid.
§. IV. *De Interstitiis.* 302
§. V. *De loco, & reliquis Circumstantiis Ordinationis.* ibid.
CAPUT V. *De Titulo Ordinandorum.* 303
§. I. *De Titulo Beneficii.* ibid.
§. II. *De Titulo Patrimonii, seu Pensionis.* 304
§. III. *De Titulo Paupertatis Religiosæ.* 305
§. IV. *De pœnis Ordinationis absque titulo.* ibid.

S Y L L A B U S

DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, CAPITUM, ET §§.

Quæ in VI. Tractatu Theologico-Morali de Sacramento Pœnitentiæ continentur.

D I S P U T A T I O I.

De iis, quæ pertinent ad Pœnitentem. 306

Q U Æ S T I O I.

De Necessitate, & Præcepto Pœnitentiæ. ibid.

CAPUT I. *Quæ sit Necessitas Pœnitentiæ?* ibid.
II. *Quod sit Præceptum Pœnitentiæ?* 307
III. *Quod sit Præceptum Confessionis annuæ?* 308
IV. *Quod sit Præceptum confitendi ante Communionem?* 310
V. *Quod sit Præceptum Sacerdotibus confitendi Quamprimum?* 311

Q U Æ S T I O II.

De Examine Conscientiæ. pag. 311

CAPUT I. *Quod examen Conscientiæ sit sufficiens præsertim pro mortalibus?* ibid.
II. *Reliqua ad examen Conscientiæ spectantia expenduntur.* 312
§. I. *Quomodo discerni possit Mortale a Veniali?* ibid.
§. II. *Quomodo discerni possit peccatorum numerus?* ibid.
§. III. *Quomodo discerni possint peccata specie diversa?* ibid.
§. IV. *Quomodo discerni possint circumstantiæ mutantes speciem?* 313
§. V. *Quomodo discerni possint peccata contra singula Decalogi Præcepta?* 314

Q U Æ S T I O III.

De Cordis Contritione. 315

CAPUT I. *Quid de Dolore peccatorum?* ibid.
§. I. *Quinam Dolor requiratur ad pœnitentiæ valorem?* ibid.
§. II. *Quænam sint qualitates Doloris?* 316
§. III. *Quando Dolor sit eliciendus?* 317
CAPUT II. *Quid de Contritione Perfecta?* 318
§. I. *De motivo Contritionis.* ibid.
§. II. *De odio peccati super omnia.* 319
CAPUT III. *Quid de Attritione?* ibid.
§. I. *De motivis Attritionis.* ibid.
§. II. *De sola attritione absque contritione, aut amore formali Dei.* 320
CAPUT IV. *Quid de Proposito?* 321
§. I. *De Proposito quoad mortalia.* ibid.
§. II. *De Proposito quoad venialia.* 322

Q U Æ S T I O IV.

De Oris Confessione. ibid.

CAPUT I. *Quæ sint Qualitates bonæ Confessionis?* 323
II. *Quæ sit materia Confessionis sufficiens quidem, sed libera?* ibid.
III. *Quæ sit materia necessaria Confessionis?* 324
IV. *An peccatum mortale dubium sit materia necessaria Confessionis?* 325
V. *Quæ mortalia antecedentium Confessionum sint materia necessaria Confessionis præsentis?* 326
VI. *Quodnam peccatum sit mendacium in Confessione?* 327
VII. *Quando valeat Confessio formaliter tantum, & non materialiter integra?* 328
§. I. *Quid de impotentia morali?* ibid.
§. II. *Quid de impotentia physica?* 329

Q U Æ S T I O V.

De Operis Satisfactione. 330

CAPUT I. *Quid de impositione Pœnitentiæ?* ibid.
II. *Quid de acceptatione, & executione Pœnitentiæ?* 331
III. *Quid de Commutatione Pœnitentiæ?* 332
IV. *De Satisfactione per Indulgentias?* 333
§. I. *Quid, & Quotuplex sit Indulgentia, Quis, & Qua causa possit eas concedere?* ibid.
§. II. *Qui sint Indulgentiarum effectus, & Quæ dispositio requiratur in eas lucraturo?* 334

D I S P U T A T I O II.

De iis, quæ pertinent ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ. 335

Q U Æ S T I O I.

De Potestate Confessarii. ibid.

CAPUT I. *Quid de Potestate Ordinis?* ibid.
II. *Quid de Potestate Jurisdictionis?* 336

S Y L L A B U S.

§. I. *Quid de Jurisdictione ordinaria?* pag. 336
§. II. *Quid de Jurisdictione delegata?* 337
§. III. *Quid de errore communi cum titulo colorato?* 338
CAPUT III. *Quid de Approbatione?* 339
§. I. *Quid de Approbatis ad Confessiones Saecularium?* ibid.
§. II. *Quid de Approbato ad Confessiones Regulariam?* 340
§. III. *Quid de Approbatis ad Confessiones Monialium?* 341
§. IV. *Quid de Approbatis ad Confessiones Privilegiatorum?* ibid.

Q U Æ S T I O II.

De Officio Confessarii. ibid.

CAPUT I. *Quid de probitate Confessarii?* 342
II. *Quid de Scientia Confessarii?* ibid.
§. I. *Quid de Scientia Habituali?* ibid.
§. II. *Quid de Scientia Actuali?* ibid.
§. III. *Quid de interrogationibus Pœnitenti a Confessario faciendis.* 343
CAPUT III. *Quid de obligatione admittendi, & docendi pœnitentem?* 344
§. I. *Quid de Confessario admittente Pœnitentem ad Confessionem?* ibid.
§. II. *Quid de Confessario Pœnitentem docente?* ibid.
CAPUT IV. *Quid de obligatione monendi Pœnitentem ad denunciationem?* 345
V. *De reliquis obligationibus Confessarii monendi Pœnitentem, & praesertim quoad Ecclesiasticam sepulturam eligendam.* 347

Q U Æ S T I O III.

De Reservatione Casuum. 349

CAPUT I. *Quid sit Reservatio, quae peccata, & a quibus reservari possint?* ibid.
II. *Quinam incurrant reservationem, & quinam ab ea excusentur?* ibid.
III. *De absolutione a Reservatis.* 350
§. I. *Quis possit absolvere a casibus Papalibus extra articulum, vel periculum mortis?* 351
§. II. *Quis possit absolvere a casibus Episcopalibus extra articulum, vel periculum mortis?* 352
§. III. *Quis absolvere possit Pœnitentem Regularem a reservatis?* 353
§. IV. *Quomodo intelligenda sint concessiones absolvendi a reservatis?* 354

A P P E N D I X.

De Casibus Reservatis. 357

CAPUT I. *De Casibus Reservatis Papae.* ibid.
§. I. *De Casibus Bullae Cœnae.* ibid.
§. II. *De Casibus specialiter reservatis Pontifici extra urbem intra Italiam.* 362
§. III. *De reliquis Casibus Papalibus.* 365
CAPUT II. *De Casibus reservatis Episcopis.* 368
§. I. *De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus adnexa est Excommunicatio ipso facto.* ibid.
§. II. *De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus non est adnexa Excommunicatio.* 372
CAPUT III. *De Casibus specialiter reservatis in Ordinibus Religiosis.* 374

Q U Æ S T I O IV.

De Absolutione Sacramentali. 375

CAPUT I. *In quo consistat Absolutio Sacramentalis?* ibid.
II. *Quando, & Quomodo danda sit, vel iteranda Absolutio?* 377
III. *An aliquando neganda sit, vel differenda Absolutio?* 378.
§. I. *Quid de ignorante Mysteria Fidei?* ibid.
§. II. *Quid de habente occasionem proximam?* pag. 378.
§. III. *Quid de Recidivo?* 379

Q U Æ S T I O V.

De Sigillo Confessionis Sacramentalis. 380

CAPUT I. *Quid sit Sigillum Confessionis, & quae ejus Materia?* ibid.
II. *Quos, & ad quid obliget Sigillum?* 381
III. *An aliquando possit Confessarius uti notitia habita tantum in confessione?* 382

S Y L L A B U S

DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, CAPITUM, ET §§.

Quae in VII. Tractatu Theologico-Morali de Matrimonii Sacramento continentur.

D I S P U T A T I O I.

De impedimentis Matrimonii. 384

Q U Æ S T I O I.

De potestate statuendi Impedimenta Matrimonii. *ibid.*

CAPUT I. *Quis possit Impedimenta Matrimonii statuere?* ibid.
II. *An Leges Ecclesiasticae statuentes impedimenta matrimonii obligent omnes?* 385
III. *An ejusmodi Leges de impedimentis obligent in omni casu?* ibid.

Q U Æ S T I O II.

De impedimentis dirimentibus, necnon Matrimonium impedientibus. 386

CAPUT I. *De impedimento erroris?* ibid.
§. I. *Quid de errore Personae?* ibid.
§. II. *Quid de errore qualitatum?* 387
§. III. *Quae sint exceptiones circa errorem qualitatum?* ibid.
CAPUT II. *De impedimento conditionis?* 388
§. I. *Quando conditio servilis dirimat Matrimonium?* ibid.
§. II. *Quando conditio servilis non dirimat Matrimonium?* ibid.
CAPUT III. *De impedimento Voti.* 389
IV. *De impedimento Cognationis.* 390
§. I. *Quid de Cognatione naturali?* ibid.
§. II. *Quid de Cognatione spirituali?* 391
§. III. *Quid de Cognatione legali?* 392
CAPUT V. *De impedimento criminis.* ibid.
VI. *De impedimento disparitatis cultus.* 393
VII. *De impedimento vis, & metus.* 394
§. I. *Quomodo metus gravis dirimat Matrimonium?* ibid.
§. II. *Resolvuntur alia quaesita circa vim, & metum.* 395
CAPUT VIII. *De impedimento Ordinis.* 396
IX. *De impedimento Ligaminis.* ibid.
X. *De impedimento publicae Honestatis.* 397
§. I. *De publica honestate e Sponsalibus.* ibid.
§. II. *De publica honestate ex Matrimonio rato.* 398
CAPUT XI. *De impedimento Affinitatis.* ibid.
§. I. *De affinitate ex copula licita.* 399
§. II. *De affinitate ex copula illicita.* ibid.
CAPUT XII. *De Impedimento Impotentiae.* 400
§. I. *De Impotentia ex defectu aetatis.* ibid.
§. II. *De Impotentia perpetua.* ibid.
§. III. *De Impotentia dubia.* 401
CAPUT XIII. *De Impedimento Clandestinitatis.* 402
§. I. *An hoc impedimentum sit ubique, & in omni casu?* ibid.
§. II. *Quid de Parocho?* 403
§. III. *Quid de Parocho proprio?* ibid.
§. IV. *Quid de habente a Parocho licentiam?* 404
§. V. *Quid de Testibus, & de Assistentia?* 405
CAPUT XIV. *De Impedimento Raptus.* ibid.

§. I. *Quis*

S Y L L A B U S.

§. I. *Quis Raptus dirimat?* pag. 405
§. II. *Quæ sint pœna Raptus?* 406
CAPUT XV. *De Impedimentis tantum Impedientibus.* ibid.
§. I. *Quid de Tempore Sacro?* ibid.
§. II. *Quid de Tempore Vetito?* 407
§. III. *Quid de Sponfalibus?* ibid.
§. IV. *Quid de Voto?* ibid.
§. V. *Quid de Proclamationibus neglectis?* ibid.

Q U Æ S T I O III.

De Difpenfationibus Impedimentorum. 408

CAPUT I. *De Poteftate difpenfandi in Impedimentis.* ibid.
II. *De Caufis Difpenfandi.* 410
§. I. *Quæ fint Caufæ fufficientes?* ibid.
§. II. *Quid, fi non adfint Caufæ fufficientes?* 411
CAPUT III. *De Petitione Difpenfationum.* 412
§. I. *Quæ Veri taciturnitas fit vitanda?* ibid.
§. II. *Quid de expreffione Falfi?* 413

D I S P U T A T I O II.

De Sponfalibus. 414

Q U Æ S T I O I.

De Natura Sponfalium. ibid.

CAPUT I. *Quid fint Sponfalia?* ibid.
II. *Quæ fint requifita ad valorem Sponfalium?* ibid.
§. I. *Quid de Promiffione vera?* ibid.
§. II. *Quid de Promiffione libera?* 415
§. III. *Quid de Promiffione abfoluta?* 416
§. IV. *Quid de Promiffione determinata?* 417
§. V. *Quid de Promiffione manifeftata?* 418
§. VI. *Quid de Promiffione acceptata?* ibid.
§. VII. *Quid de Promiffione mutua?* 419
§. VIII. *Quid de Promiffione inter Habiles?* ibid.
CAPUT III. *Quid addi poffit Sponfalibus?* 420
§. I. *Quid de Arrhis, & Sponfalitia Largitate?* ibid.
§. II. *Quid de Pactis, & Pœnis?* 421

Q U Æ S T I O II.

De effectibus Sponfalium. ibid.

CAPUT I. *Ad quid obligentur Sponfi?* ibid.
II. *Quid liceat Sponfis?* 422

Q U Æ S T I O III.

De Diffolutione Sponfalium. 423

CAPUT I. *An diffolvantur per mutuum confenfum?* ibid.
II. *An diffolvantur per Religiosis ingreffum?* ibid.
III. *An diffolvantur per Sacros Ordines?* 424
IV. *An diffolvantur per Votum Simplex?* ibid.
V. *An diffolvantur per pofteriora fponfalia?* ibid.
VI. *An diffolvantur per fubfequens matrimonium cum alio?* 425
VII. *An diffolvantur per fornicationem cum alio?* ibid.
VIII. *An diffolvantur per fuperveniens Impedimentum?* ibid.
IX. *An diffolvantur per lapfum temporis?* 426
X. *An diffolvantur per notabilem rerum mutationem?* ibid.

D I S P U T A T I O III.

De Matrimonio fecundum fe. 427

Q U Æ S T I O I.

De Validitate Matrimonii. ibid.

CAPUT I. *De validitate Matrimonii, ut contractus eft.* ibid.

§. I. *De confenfu Matrimoniali abfoluto.* pag. 427
§. II. *De confenfu Matrimoniali conditionato?* ibid.
CAPUT II. *De validitate matrimonii, ut Sacramentum eft.* 428
§. I. *Quæ fit materia, & forma Sacramenti matrimonii?* ibid.
§. II. *Qui fit Minifter hujus Sacramenti, & qua ejus intentio?* 429
CAPUT III. *De validitate matrimonii inter Abfentes.* ibid.
§. I. *Quomodo valeat matrimonium in ratione contractus?* ibid.
§. II. *An, & quomodo valeat in ratione Sacramenti?* 430

Q U Æ S T I O II.

De Revalidacione matrimonii alias invalidi. ibid.

CAPUT I. *De obligatione revelandi Impedimentum.* ibid.
II. *De revalidatione matrimonii invalidi ob impedimentum dirimens.* 431
III. *De revalidatione Matrimonii invalidi ex defectu confenfus.* 432
IV. *An ad revalidandum Matrimonium invalidum requiratur iterum affiftentia Parochi, & Teftium?* ibid.

Q U Æ S T I O III.

De Indiffolubilitate Matrimonii. 433

CAPUT I. *De Indiffolubilitate matrimonii confummati.* ibid.
II. *De Indiffolubilitate matrimonii rati.* 434
III. *De Indiffolubilitate matrimonii legitimi.* ibid.

D I S P U T A T I O IV.

De Debito Conjugali. 435

Q U Æ S T I O I.

De Copula Conjugali licita. ibid.

CAPUT I. *Quomodo copula conjugalis evadat illicita ratione actus interni?* ibid.
§. I. *Quid ex mala Conjugum fide?* ibid.
§. II. *Quid ex prava Voluntatis difpofitione?* 436
CAPUT II. *Quomodo fit illicita ratione actus externi?* ibid.
§. I. *Quid extra copulam?* ibid.
§. II. *Quid in ipfa copula?* ibid.
CAPUT III. *Quomodo fit illicita ratione circumftantiarum?* 437

Q U Æ S T I O II.

De Copula Conjugali debita. ibid.

CAPUT I. *Quid de jure petendi debitum?* ibid.
II. *Quid de debito reddendo?* 438

Q U Æ S T I O III.

De reliquis Conjugum obligationibus. 439

CAPUT I. *Quid de Cohabitatione?* ibid.
II. *Quid de Alimentis?* ibid.
III. *Quid de mutua correctione?* 440

D I S P U T A T I O V.

De Divortio. ibid.

Q U Æ S T I O U N I C A.

De Caufis, & Effectibus Divortii. ibid.

CAPUT I. *Quæ fint caufæ Divortii?* ibid.
II. *Qui fint effectus Divortii?* ibid.

SYL-

S Y L L A B U S

DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, CAPITUM, ET §§.

Quæ in VIII. Tractatu Theologico-Morali de Censuris, & de Irregularitate continentur.

D I S P U T A T I O I.

De censuris in genere. pag. 442

Q U Æ S T I O I.

De natura, & Conditionibus Censuræ. *ibid.*

CAPUT I. *Quid sit Censura?* *ibid.*
II. *Quotuplex sit Censura?* *ibid.*
III. *Quis ferre possit Censuram?* 443
§. I. *Quid de Potestate ordinaria?* *ibid.*
§. II. *Quid de potestate delegata?* 444
CAPUT IV. *In quos ferri possit Censura?* *ibid.*
§. I. *Expendantur quinque primæ Conditiones.* *ibid.*
§. II. *Quid de Subditis absentibus a territorio?* 445
§. III. *Quid de Extraneis, & Vagis?* 446
§. IV. *Quid de Exemptis?* *ibid.*
CAPUT V. *Quam ob causam ferri possit Censura?* 447
§. I. *Ob peccatum mortale.* *ibid.*
§. II. *Ob peccatum exterius consummatum.* *ibid.*
§. III. *Ob peccatum specialiter ab Ecclesia prohibitum sub Censura.* 448
§. IV. *Ob peccatum commissum cum contumacia.* 449
CAPUT VI. *Quomodo ferri debeat Censura?* 450
§. I. *Quid de prævia monitione?* *ibid.*
§. II. *Quid de voluntate ferentis censuram?* *ibid.*
§. III. *Quid de Forma censuræ?* *ibid.*
CAPUT VII. *An, & quomodo fieri possit denunciatio Censuræ?* 451

Q U Æ S T I O II.

De Excusationibus a Censura. *ibid.*

CAPUT I. *An, & quomodo excuset injustitia Censuræ?* 452
II. *An, & quomodo excuset Appellatio?* *ibid.*
III. *An, & quomodo excuset Ignorantia?* 453
§. I. *Num ignorantia invincibilis excuset a Censuris?* *ibid.*
§. II. *Num excuset Ignorantia vincibilis?* 454
CAPUT IV. *An, & quomodo excuset Metus, & Impotentia?* *ibid.*
§. I. *Num excuset metus gravis?* *ibid.*
§. II. *Num excuset impotentia moralis?* 455
CAPUT V. *An, & Quomodo excuset consensus partis?* *ibid.*

Q U Æ S T I O III.

De Absolutione a Censuris. 456

CAPUT UNIC. *Quot modis, & quo ritu danda sit absolutio a Censuris?* *ibid.*

D I S P U T A T I O II.

De Excommunicatione. 457

Q U Æ S T I O I.

De Excommunicato vitando, necnon de Excommunicatione minori. *ibid.*

CAPUT I. *Quis dicatur Excommunicatus nominatim denunciatus, vel publicus Percussor Clerici?* *ibid.*
II. *An Excommunicatus vitandus in uno loco sit etiam alibi vitandus?* pag. 458
III. *Sub qua culpa, & pœna prohibita sit Fidelibus communicatio cum excommunicato vitando, aut non vitando?* *ibid.*
IV. *Quando liceat communicare cum excommunicato vitando?* 459
V. *Quæ sit causa, & quis effectus Excommunicationis minoris?* 461

Q U Æ S T I O II.

De Effectibus Excommunicationis majoris. 462

CAPUT I. *An, & quomodo privet Communicatione civili, & forensi?* *ibid.*
II. *An, & quomodo privet habilitate ad Beneficia Ecclesiastica, Dignitate, &c.* *ibid.*
III. *An, & quomodo privet usu Jurisdictionis, & Officii publici?* 463
IV. *An, & quomodo privet usu passivo, & activo Sacramentorum?* 464
V. *An, & quomodo privet assistentia Divinis Officiis?* 465
VI. *An, & quomodo privet publicis Suffragiis Ecclesiæ?* 466
VII. *An, & quomodo privet Ecclesiastica Sepultura?* *ibid.*
VIII. *Qui sint effectus remoti Excommunicationis majoris?* 467

D I S P U T A T I O III.

De Suspensione, Depositione, & Degradatione. *ibid.*

Q U Æ S T I O I.

De Natura Suspensionis, ejusque Proprietatibus. *ibid.*

CAPUT I. *Quid, & quotuplex sit Suspensio?* *ibid.*
II. *Quid sit Suspensio ab Officio?* 468
III. *Quæ sit suspensio a beneficio?* 469
IV. *Quæ sit culpa, & pœna violantium Suspensionem?* *ibid.*
V. *Qualiter Suspensio suspendi, vel tolli possit?* 470

Q U Æ S T I O II.

De Suspensionibus Juris communis. *ibid.*

CAPUT UNIC. *Quæ sint Suspensiones juris communis contra Clericos?* *ibid.*
§. I. *Quæ sint Suspensiones Clerici peccantis in Ordinatione?* *ibid.*
§. II. *Quæ sint Suspensiones Clerici peccantis in exercitio sui ordinis, vel muneris?* 472

Q U Æ S T I O III.

De Natura Depositionis, & Degradationis. 474

CAPUT I. *Quid sit simplex Depositio?* *ibid.*
II. *Quid, & Quotuplex sit Degradatio?* *ibid.*

DIS-

SYLLABUS.

DISPUTATIO IV.

QUÆSTIO UNICA.

De Interdicto. pag. 474

CAPUT I. De natura Interdicti, Ubi, quid, & quotuplex sit Interdictum? ibid.

§. I. Quid de Interdicto locali? 475

§. II. Quid de Interdicto Personali? ibid.

CAPUT II. Qui sint effectus Interdicti? 476

§. I. Quid de privatione Divinorum Officiorum? ibid.

§. II. Quid de Privatione aliquorum Sacramentorum? 477

§. III. Quid de privatione Ecclesiastica Sepulturæ? 478

CAPUT III. Quæ sit culpa, & pœna violantium Interdictum? 479

IV. Quis ferre, suspendere, aut relaxare possit Interdictum? 480

V. Quænam sint Interdicta juris communis? ibid.

VI. Quæ sit cessatio a Divinis? ibid.

DISPUTATIO V.

De Irregularitate. 481

QUÆSTIO I.

De Irregularitatibus ex Delicto. ibid.

CAPUT I. Quæ sit Irregularitas orta ex delicto Homicidii, vel Mutilationis? pag. 481

§. I. Quid de Homicidio voluntario? ibid.

§. II. Quid de Homicidio casuali? 482

§. III. Quid de Homicidio dubio? 485

§. IV. Quid de Mutilatione? ibid.

CAPUT II. Quæ sit Irregularitas ex delicto Hæresis? 486

III. Quæ sit Irregularitas ex delicto iterationis Baptismi? 487

IV. Quæ sit Irregularitas ex delicto abusus Ordinum? ibid.

V. Quæ sit Irregularitas ex delicto violationis Censuræ? 488

QUÆSTIO II.

De Irregularitatibus ex Defectu. ibid.

CAPUT I. Quæ sit Irregularitas ex defectu lenitatis? ibid.

II. Quæ sit Irregularitas ex defectu Sacramenti, seu ex Bigamia? 489

III. Quæ sit Irregularitas ex defectu Famæ, seu ex Infamia? 490

IV. Quæ sit Irregularitas ex defectu Natalium? 491

V. Quæ sit Irregularitas ex defectu corporis? 492

VI. Quæ sit Irregularitas ex defectu animi? 493


VII. Quæ sit Irregularitas ex defectu libertatis? 494

CAPUT ULT. Quæ sit Irregularitas ex defectu ætatis? 495



TRA.


IHS



TRACTATUS I.

Theologico-Moralis

DE CONSCIENTIA ET DE LEGIBUS.



EX est prima Regula morum; & Conscientia est veluti buccina illam nobis intime indicens. Hinc illa dicitur Regula extrinseca, & objectiva; hæc vero intrinseca, & formalis nostrorum actuum. De utraque pro merito acturus, in quinque disputationes præsentem Tractationem distribuo: I. erit De Conscientia in genere: II. De Legibus in genere: III. De Consuetudinibus: IV. De Dispensationibus: V. De Privilegiis.

DISPUTATIO I.

De Conscientia in Genere.

QUATUOR Quæstiones continet hæc Disputatio: I. est De Conscientia recta: II. De Conscientia erronea, & perplexa: III. De Conscientia dubia, & scrupulosa: IV. De Conscientia probabili.

QUÆSTIO I.

De Conscientia recta.

CONSCIENTIA quoad vim nominis est quasi *Cordis scientia*; & hæc potest esse triplex: Primo, cum judicamus aliquid nos fecisse, aut non fecisse: & sic dicitur Testimonium Conscientiæ; quod est tale, ut loco Proverbii sit, *Conscientia mille testes*. Secundo, cum judicamus aliquid nos bene, vel male fecisse: & sic dicitur quies, vel remorsus Conscientiæ. Tertio, cum judicamus aliquid faciendum, vel licite posse, aut non posse fieri; & sic dicitur Recta Ratio, Dictamen Conscientiæ, & absolute Conscientia, & de hac erit nobis sermo. Videndum ergo primo: Quid, & Quotuplex sit dictamen Conscientiæ? Secundo: An ex dictamine Conscientiæ desumatur Moralitas actus? Tertio: An ad moralitatem actus præter dictamen Conscientiæ requiratur Voluntarietas, & Libertas? Quarto: An actus ex concupiscentia, vel metu positus contra dictamen Conscientiæ, sit malus, & pœna dignus?

CAPUT I.

Quid, & Quotuplex sit dictamen Conscientiæ?

DICO: Dictamen Conscientiæ est Judicium practicum, quo judicamus aliquid esse agendum, vel omittendum, tanquam licitum, vel illicitum. Doctores communiter.

R. P. Nicolai Mazzotta Theol. Mor.

Ratio est; quia Conscientia per hoc judicium proponit nobis Legem vel præcipientem, vel prohibentem, vel permittentem nostras operationes: ergo dictamen rectæ Conscientiæ est Judicium practicum, quod immediate versatur circa licitum, & illicitum. Dixi *immediate*; quia Judicium, quo judicamus de validitate, vel invaliditate actus (v. g. validam esse absolutionem cum Jurisdictione probabili, invalidum esse Baptismum in lixivio, &c.) non est proprie dictamen Conscientiæ; quia non versatur immediate circa licitum, & illicitum, seu circa honestatem, & inhonestatem illius actus, sed sistit præcise in judicanda ejus validate, & invaliditate; ideoque est judicium mere speculativum; quare, ut reducatur in praxim, requiritur aliud Judicium, quo scilicet judicamus, licitum esse sic absolvere, illicitum sic baptizare; & hoc judicium, cum sit practicum, est proprie dictamen Conscientiæ.

Differt autem hoc dictamen a Synteresi in eo, quod Synteresis versatur solum circa prima Principia, v. g. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; Conscientia vero versatur circa Conclusiones inde deductas, v. g. *Furari est illicitum*. Illa ergo comparatur Sapientiæ: hæc Scientiæ practicæ, seu Prudentiæ, cum dictet, quid sit, vel non sit agendum, quod est praxis.

Duplex autem est dictamen Conscientiæ: remote practicum, & proxime practicum, seu practice practicum. Primum est Judicium, quo judicamus, aliquid secundum se spectatum esse licitum, vel illicitum, v. g. licitum esse tueri suum, illicitum detinere alienum: & hoc Judicium, cum præscindat a circumstantiis hic, & nunc occurrentibus, est tantum remote practicum, ideoque dicitur etiam universale, & fere speculativum. Secundum est Judicium, quo judicamus, aliquid spectatis omnibus circumstantiis hic, & nunc occurrentibus, esse absolute licitum, vel illicitum; ponendum, vel non ponendum: & hoc Judicium, utpote singulare, est proxime, ac practice practicum, seu absolute, & simpliciter practicum; estque ultimum dictamen Conscientiæ, de quo nobis erit præcipuus sermo.

Infers primo, Dictamen remote practicum, seu fere speculativum sæpe discordare ab ultimo dictamine Conscientiæ: ut si illud dictet, licitum secundum se esse tueri suum, illicitum detinere alienum; hoc vero dictet, illicitum hic, & nunc esse tueri suum contra extreme indigentem; licitum hic, & nunc esse detinere alienum in gravi necessitate; non esse hic, & nunc restituendum gladium Domino furioso, &c. Ex quibus etiam patet, non solum non sufficere prius judicium ad licite operandum, sed sæpe contra illud esse eundum; cum Regula morum sit ultimum dictamen Conscientiæ, quod sæpe est illi oppositum, nisi vero aliqua actio ita sit illicita, ut in nullis circumstantiis evadere possit licita, uti est

v. g. Mendacium; tunc enim Judicium de illa, etsi præscindat a circumstantiis, dici potest etiam practice practicum.

Infers secundo, Judicium mere speculativum, quo judicamus tantum de validitate, vel invaliditate actus, a fortiori sæpissime discordare a dictamine Conscientiæ, v. g. si illud judicet, validum esse Baptismum in aqua distillata; hoc vero dictet, esse secondum se illicitum ob periculum frustrationis, cui exponitur Sacramentum. Et rursus hoc dictamen, cum nondum adhuc sit ultimum (præscindit enim a circumstantiis) discordare etiam potest ab eo, quod dictet hic, & nunc esse licitum talem Baptismum, in casu scilicet extremæ necessitatis, quo desit omnis alia aqua; sic enim ultimum dictamen non solum dictat licere, sed debere baptizari, falsem sub conditione; cum periculum frustrationis ex Dei benignitate cedat periculo Animæ.

Quæres, An ultimum dictamen Conscientiæ debeat esse moraliter certum?

Respondeo affirmative cum D. Th. & Suar. asserente esse sententiam omnium Doctorum contra Vasq. Sanch. Sal. aliosque putantes, sufficere dictamen probabile de honestate, seu licentia actionis, quorum sententia, si bene explicetur, non loquitur de dictamine ultimo, ut mox patebit. Ratio communis est, quia essentialis subjectio Voluntatis creatæ Voluntati divinæ fert, ut non possit licite operari, nisi ex ejus licentia: ergo debet talis licentia certo præcognosci, ut Conscientia dictet, licitum esse hic, & nunc talem operationem ponere, vel non ponere. Probatur consequentia; si enim talis licentia sit dubia, vel etiam probabilis tantum, melior esse debet in tali dubio conditio Voluntatis divinæ, utpote certo possidentis suam potestatem dandi, & denegandi eam licentiam: ergo ultimum dictamen Conscientiæ dictans hic, & nunc licitum esse operari, vel non operari, debet esse certum de tali licentia.

Hinc qui operatur juxta ultimum dictamen Rationis, certo scit, se licite operari, hoc est, non peccare; quia ponit actum conformem Regulæ formali, quæ certo dictat, eam operationem esse licitam, seu non peccaminosam. Neque obstat, quod sæpe dubitemus de præteritis actionibus, num in iis interfuerit peccatum; nam sæpe non bene recordamur, num debitam diligentiam adhibuerimus pro formando ultimo dictamine Conscientiæ; quo sensu dicebat Job. c. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti:* at dum actu operamur secundum ultimum dictamen, certi sumus, quod ea operatio sit licita, seu non sit peccatum; Croix l. 1. n. 52. Qui n. 44. recte ait, errare eos, qui post actum inspiciunt libros; vel inquirunt, an quod fecerint, sit peccatum: hæc enim subsequens notitia non potest facere, ut actio præcedens fuerit, vel non fuerit peccatum; quod solum pendet a Conscientia, quam habebant, dum agerent, num scilicet putaverint, se peccare, necne.

Cæterum, quamvis possimus esse certi, quod nostra operatio secundum ultimum dictamen posita non sit peccatum; tamen nunquam possumus esse certi, quod ea sit positive honesta, & multo minus, quod sit positive bona, ut oportet ad salutem. Ratio est, quia ad positivam honestatem actionis requiritur non solum, ut ponatur actio, quæ judicatur licita, sed etiam ut ponatur ex motivo Virtutis, v. g. Eleemosynæ, ex motivo Charitatis, &c. quod difficile est scire, cum sæpe se offerant menti alia motiva humana, nec discernatur, ex quo Voluntas sit mota; multo minus scire possumus, an actus ille sit supernaturalis, & ut oportet ad salutem; quo sensu videtur loqui Apostolus 1. ad Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

Denique, quamvis ad non peccandum requiratur judicium certum de licentia actionis; tamen ad peccandum non requiritur judicium certum de probabilitate actionis, sed satis est, si non adsit judicium certum de ejus licentia; quia hoc ipso, quod operaris sine hoc judicio, peccas contra Jus Dei, quod est in possessione dandi, vel denegandi licentiam, juxta jam dicta. Cæterum, quando non adest judicium certum directum de licentia actionis, statim adest judicium certum reflexum de obligatione aliter operandi, vel abstinendi: ideoque contra hoc judicium operando, peccas, v. Croix n. 65.

CAPUT II.

An ex dictamine Conscientiæ desumenda sit moralitas actus?

MORALITAS actuum est eorum Bonitas, & Malitia, qua digni sunt laude, vel vituperio; ideoque ea competit solis actibus humanis, hoc est, actibus liberis Hominis habentis usum rationis: quales sunt actus interni Voluntatis per liberum arbitrium agentis, vel non agentis; & per Analogiam actus reliquarum Potentiarum, qui Voluntatis imperio subduntur.

Porro Bonitas, & Malitia moralis actuum humanorum sumi potest dupliciter, objective, & formaliter. Bonitas, & Malitia objectiva desumitur ex objecto volito honesto, vel inhonesto, juxta infra dicenda: hæc tamen præcise accepta est materialis tantum, nec per se solam refundit in actum bonitatem, & malitiam formalem; ut patet in actibus, quibus somniantes prosequimur aliquod bonum, vel turpe, qui proinde nec sunt laude, aut vituperio digni. Videndum igitur primo, in quo sita sit Bonitas, & Malitia formalis humanorum actuum; secundo, ex quo objecto desumenda sit eorum Bonitas, & Malitia objectiva.

Dico primo: Bonitas, & Malitia formalis humanorum actuum consistit in eorum conformitate, aut difformitate cum ultimo dictamine Conscientiæ, seu cum recta ratione. Ita D. Th. 1. 2. q. 18. a. 5. Azor. Pil. & alii.

Ratio est, quia quod conformatur Regulæ formali, dicitur rectum, seu bonum formaliter; quod ei difformatur, dicitur non rectum, seu peccaminosum, & malum. Atqui Regula formalis humanorum actuum est ultimum dictamen Conscientiæ, seu recta ratio: ergo &c.

Neque dicas primo, Legem Dei esse primariam Regulam; nam hæc non applicatur nisi per dictamen Conscientiæ, ideoque ex se remote tantum, & veluti exigitive est causa talis Bonitatis, & Malitiæ; imo quandoque actus est contra aliquam legem, & tamen est formaliter bonus, si nimirum proponatur per Conscientiam Invincibiliter erroneam, ut conformis legi putatæ; & similiter potest esse secundum se juxta legem, & tamen formaliter malus, juxta dicenda quæst. sequ.

Neque dicas secundo cum Suar. Vasq. Laym. & aliis, Bonitatem, & Malitiam formalem consistere in conformitate, & difformitate cum ipsa Natura rationali, eo quod illud dicitur moraliter bonum, vel malum, quod decet, vel dedecet Naturam rationalem; nam hæc sententia facile conciliatur cum nostra, distinguendo duplicem conformitatem, & difformitatem; alteram fundamentalem, quæ certe est ipsa Natura rationalis, quæ qua talis exigit actus rectæ rationi conformes; alteram formalem, & proximam, quæ est ipsa recta ratio, seu actuale Conscientiæ dictamen, quo judicamus, hoc decere, illud dedecere Naturam rationalem: quare tunc dicitur Voluntas bene moraliter operari, cum sequitur dictamen rationis ostendentis, objectum esse conveniens Naturæ rationali, & consequenter Legi æternæ Dei: & vice versa dicitur male operari, cum sequitur objectum, quod a recta ratione ostenditur his disconveniens.

Quæres primo, An sit possibile peccatum mere Philosophicum, hoc est, positum contra Conscientiam dictantem esse disconveniens Naturæ rationali, sed omnino ignorantem esse contra Legem Dei?

Respondeo negative; quia hoc ipso, quod cognoscitur aliquod esse disconveniens Naturæ rationali, cognoscitur tanquam indigna tractatio Personæ dignæ; atqui non potest cognosci ut indigna tractatio ipsius Personæ operantis præcise spectatæ secundum se, cum sic potius a sua dignitate sit operari, ut libet: ergo in tantum cognoscitur ut indigna tractatio Personæ operantis, seu ipsius Naturæ rationalis, in quantum cognoscitur, ut indigna tractatio Personæ Superioris prohibentis, qui est Deus Superior ad totam Naturam rationalem, quæ ei conformari debet. Igitur non potest tunc ignorari Deus, si cogitetur, aliquid esse dedecens Naturam rationalem. Hinc ab Alex. VIII. ann. 1690. damnata fuit hæc Propositio de peccato Philosophico: *Quod in eo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, sit grave peccatum, sed non sit offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Et ratio damnationis juxta nos est, quia hoc ipso, quod cognoscitur esse disconveniens Naturæ rationali, cognoscitur ut indigna tractatio Superioris prohibentis, adeoque Dei saltem sub conceptu confuso supremi Legislatoris, cujus legem Conscientia illa intime indicit, & consequenter omne peccatum est Theologicum.

Quæres secundo, Quodnam peccatum sit, agere contra Conscientiam confuse dictantem aliquod esse peccatum, ita ut non discernat sit, necne veniale, an mortale?

Respondeo ex D. Th. apud Croix n. 2. in praxi vix fieri, ut operans, qui cognoscit aliquod esse malum, omnino abstrahat a gravi, & levi; quia Conscientia semper ita se habet, ut vel multum horreat, & tunc saltem confuse, & exercite apprehendit malitiam gra-

vem;

vem; vel non ita horreat, sed quasi leve pertranseat, & sic apprehendit tantum malitiam levem. Sed ponamus casum esse possibilem. Azor. Bon. Sayr. Pal. & alii, dicunt semper fore mortale, quia amplectitur malitiam venialem, & mortalem, cum feratur modo indifferenti ad utramque: quod si cognosceret malitiam in materia determinata, Sanch. l. 1. Decal. cap. 11. n. 6. & alii, dicunt fore mortale, aut veniale, pro quantitate materiæ, v.g. si furetur rem levem, fore veniale, si gravem, fore mortale; quia cum se applicet determinate ad furtum, etsi non cogitet, an sit leve, vel grave, tamen vult malitiam, quæ hic, & nunc illi inest. Equidem probabilius cum Franc. Lug. de Consc. p. 1. c. 1. q. 7. dico, quod quamvis sit mortale operari cum Conscientia sic confuse dictante, si simul subsit Suspicio, dubitatio, &c. sit, necne mortale, cum sic exponas jam te periculo peccandi mortaliter: tamen si nulla subsit hujusmodi cogitatio, erit tantum veniale, quia neque cognoscitur periculum peccati mortalis, neque obligatio magis inquirendi, neque indifferentia, quam objectum habet ad malitiam mortalem, & venialem: ergo sic operans non est positive indifferens ad utramque malitiam, sed tantum ad malitiam, quæ non excedit venialem; præsumendus enim est saltem virtualiter, & implicite judicasse, malitiam esse levem, ut ait Laym. l. 1. t. 2. c. 4. n. 7. quæ ratio militat tum in materia indeterminata, tum determinata, v. Croix n. 3.

Dico secundo: Bonitas objectiva humanorum actuum desumitur solum ab objecto formali; malitia vero etiam ab objecto materiali, ita Franc. Lug. Medin. & alii cum D. Th. 1. 2. q. 12. a. 2. & 6. ratio est, quia actus moraliter bonus debet esse amor honestatis propter ipsam honestatem, qui enim erogat Eleemosynam, & non habet pro fine sublevationem Paupertatis, nec aliud motivum alterius Virtutis non ponit actum moraliter bonum, nec laudabilem, nec dignum præmio: ergo actus moraliter bonus sumit suam bonitatem objectivam unice a fine bono, quod est objectum formale. Contra vero malitia objectiva desumitur non solum ab objecto formali, sed etiam a materiali, qui enim Pauperi denegat debitam eleemosynam, etiamsi nullum pravum finem habeat, est Immisericors; & ratio ex D. Dionys. *De div. nom. cap.* 4. est, quia *Bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus*: ergo ad bonitatem objectivam actus requiritur bonitas objecti tum materialis, tum formalis, ad malitiam vero sufficit alterutrum.

Hinc qui erogat Eleemosynam Virgini pauperi, ut eam inducat ad copulam, non est Misericors, sed Deflorator, quia hoc habet pro objecto formali; qui autem erogat propter amorem Dei, simpliciter non dicitur exercere actum Misericordiæ, sed Charitatis, adeoque habet meritum non illius, sed hujus Virtutis, quia tum intentio finis, tum electio medii habent pro objecto formali complacere Deo. Contra vero, qui negat Eleemosynam Pauperi, ut illum inducat ad patrandum homicidium, est simul Immisericors ratione objecti materialis, & Homicida ratione objecti formalis; & qui vult furari propter adulterandum, est simul Fur, & Adulter, quamvis sit magis Adulter, cum objectum formale præstet materiali. v. Franc. Lug. de Consc. p. 2. c. 8. q. 2.

Hinc etiam sequitur, ut bonitas, & malitia objectiva actuum desumatur etiam a circumstantiis, si hæ sint volitæ, quia sic transeunt in naturam objecti, adeoque si dicant specialem conformitatem, aut difformitatem cum dictamine Conscientiæ, tribuunt actui humano speciem moralem: sic qui vult occidere Hominem in loco sacro, homicidium simul, & sacrilegium committit: qui vult iter agere ad ædificandum alios, ab hac circumstantia, tanquam ab objecto illa itineratio bonitatem desumit, &c. qui autem iter agit ad adulterandum, non tenetur confiteri illam itinerationem, sed tantum adulterium, quia illa de se non est mala, v. Vasq. 1. 2. d. 53. cap. 1. & 2.

Quæres primo, An sit possibilis actus humanus indifferens in individuo?

Respondeo cum D. Th. Suar. Bell. Fil. Laym. & innumeris aliis contra D. Bonav. Alens. Gabr. Scot. Vasq. & alios, probabilius negative; quia quamvis plures sint actus humani indifferentes secundum speciem, hoc est, qui secundum se, & præcise ab omnibus circumstantiis individuantibus, neque conformes, neque difformes sunt rectæ rationi, ut tollere festucam, petere campum, fricare manus, &c. tamen hi, & similes actus considerati in individuo, hoc est positi deliberate, & humano modo cum omnibus circumstantiis, si fiant ob solam delectationem sensibilem, sunt positive mali; contra rationem enim est figere suum finem in illa, quam non propter se, sed propter aliud indidit nobis Natura; ut constat, ex Prop. 8. & 9. damnatis ab Inn. XI. quarum prior sic habet: *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest Appetitus naturalis suis actibus frui.* Posterior autem hic est: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpa, & defectu veniali.* Quod si fiant saltem implicite propter commodum Naturæ, probabilius non sunt mali, etsi actu non ordinentur ad alium finem Virtutis; satis enim est, ut ordinentur virtualiter, & ex natura operis, nec adsit dispositio contraria Operantis, ut docent Nostri communiter contra Thomistas; an autem sic dici possint indifferentes, ita ut neque sint boni, probabilius dico cum Franc. Lug. l. 2. in fine, dicendos esse potius bonos: quamvis tam infimæ Bonitatis, ut via honestatem attingant alicujus Virtutis simpliciter dictæ; fiunt enim in Naturæ commodum, & levamen ad quod sunt ab ipsa ordinati.

Hinc si comedis, vel uteris Matrimonio ob solam voluptatem sensus, peccas saltem venialiter contra ordinem Naturæ, quæ in his voluptatem adnexuit, non ut finem, quo fruamur, sed ut medium, quo utamur, ex cit. prop. damn. Si autem utaris ea voluptate saltem implicite ad commodum Naturæ nutriendæ, ad procreationem, ad sedandam Concupiscentiam, non peccas, etiamsi actu non ordines ad finem Virtutis, quia talis ordo sic habetur virtualiter ex natura operis, nec adest dispositio contraria Operantis; & consequenter actus est etiam bonus ex jam dictis. Similiter prospicere campum, audire musicam, ludere, venari, &c cum a Natura ordinata sint præcile ad relaxandum animum, si ea ponas ob delectationem illam conservationi Vitæ consonam, non peccas, imo bene operaris, quia delectatione ista de se ordinabili ad vitæ conservationem uteris, non frueris, etiamsi explicite eam solum intendas; nam saltem implicite eam ad vitæ conservationem ordinas.

Noto tamen, quod quamvis non sit obligatio actu ordinandi singulas nostras actiones ad finem Virtutis, & ad Deum; nihilominus est aliqua obligatio ordinandi saltem virtualiter ad finem Virtutis, & habitualiter ad Deum, cui eas debemus titulo Supremi Domini, Creatoris, Conservatoris, Redemptoris, & Finis positive ultimi. Croix l. 5. n. 209. Dixi, *saltem virtualiter ad finem Virtutis*, quia intentio semel habita talis ordinationis debet perseverare saltem ut influat in nostras actiones, reddatque eas virtuosas, ut oportet; ideoque non sufficit habita semel in vita, sed sæpe repetenda. Dixi, *Et habitualiter ad Deum*; quia si sit virtualis ordinatio ad finem cujusvis Virtutis, est saltem habitualis, & interpretativa ad Deo complacendum. v. Croix n. 194. & 317.

Quæres secundo, Unde desumenda sit gravitas, vel levitas peccati?

Respondeo, Illud esse peccatum mortale, in quo concurrunt hæc tria: Gravitas materiæ, plena Advertentia, & plenus Consensus. Contra vero illud esse veniale, cui unum horum desit, quia non videtur decere Divinam Bonitatem æternis suppliciis punire Hominem peccantem in materia levi, vel cum semiplena tantum advertentia, vel cum imperfecto tantum consensu.

Materia dicitur gravis, non physice, sed secundum æstimationem moralem, quam scilicet Prudentes horrent, & apprehendunt ad eum modum, quo alias res graves. Hinc ratione materiæ alia dicuntur mortalia ex genere suo; alia ex toto genere. Mortalia ex genere suo sunt, quorum materia plerumque est gravis, potest tamen esse levis: ut sunt peccata contra Charitatem sui, vel Proximi, quæ pro quantitate materiæ magna, vel parva in æstimatione morali, sunt mortalia, vel venialia: idem est de Voto, & Juramento Promissorio rei magnæ, vel parvæ: idem de Religione, si scilicet multum, vel parvum fureris rei Sacræ, si mentiaris in materia necessaria, vel libera Confessionis, &c. Mortalia vero ex toto genere sunt, quorum materia, quamvis physice minoretur, nunquam tamen admittit parvitatem moralem, sed in æstimatione morali semper reputatur gravis: ut sunt peccata immediate, & directe contra Deum, puta, Hæresis, Blasphemia, Superstitio, Simonia Juris Divini, Irritatio Sacramentorum, Fractio Sigilli Sacramentalis, Jejunii naturalis ante Communionem, &c. Item peccata, quæ in gravissimum humani generis præjudicium cederent, si admitterent moraliter parvitatem materiæ, ut in re Venerea, in qua si vel minima voluptas illicita esse posset venialis, ex vehementia hujus passionis, & exigua aversione a veniali, sequeretur ingens corruptela Naturæ in gravissimum præjudicium humanæ generationis.

Econtra vero datur materia ex toto genere levis, ita

ut quantumvis physice crescat, nunquam pertingat ad gravitatem moralem: ut sunt Prodigalitas, Avaritia, Mendacium, Inobservantia promissionis mere gratuitæ, Suspicio absque judicio certo, Communicatio in civilibus cum Excommunicato vitando, &c. in quibus, utcumque materia evadat physice major, peccatur per se loquendo tantum venialiter; præciso tamen scandalo, contemptu, damno, periculo, vel Conscientia erronea juxta dicenda q. 2.

Denique si plurium venialium materiæ non uniantur ad constituendum aliquod unum, nunquam pertingunt ad culpam mortalem; ut sunt multa Mendacia, multa Verba otiosa, multa Venialia circa plures Missas, plura Jejunia, aut Horas Canonicas plurium dierum. At si venialium materiæ coalescant ad constituendum aliquod unum moraliter grave, peccatur tandem mortaliter: sic multa furtula facta eidem Personæ, vel Communitati uniuntur tandem ad constituendum damnum grave, ita ut in ultimo furtulo constitutivo talis damni peccetur graviter: idem est de multis comessiunculis eodem die Jejunii, de multis parvis confabulationibus in eadem Missa, de multis parvis omissionibus in Horis unius diei, &c. Hinc Propositum plurium venialium in hoc secundo casu est per se mortale ratione materiæ: secus vero in primo casu, in quo solum per accidens potest esse mortale, ob periculum, v. g. labendi in illud; ita Palaus.

Quomodo autem peccatum etiam in materia gravi evadere possit veniale ratione semiplenæ advertentiæ, vel imperfecti consensus, dicam commodius cap. seq. & quomodo ratione Conscientiæ erroneæ, dicam q. 2. a. 2.

Quæres tertio. Unde desumenda sit diversitas specifica peccatorum?

Respondeo. Illa peccata esse specie diversa, quæ vel opponuntur diversis specie Virtutibus, vel eidem Virtuti modo notabiliter diverso. Prior pars patet, quia sicut Virtutes diversæ specificant actus bonos, ita & malos oppositos in dicta specie reponunt: sic Furtum rei Sacræ habet duas malitias specie distinctas, quia opponitur Justitiæ, in quantum est violatio juris alieni, & opponitur Religioni, in quantum est violatio rei Deo consecratæ: similiter si idem Jejunium præcipiatur ab Ecclesia ex motivo Temperantiæ, a Superiore ex motivo Obedientiæ, a Confessario ex motivo integrandi Sacramentum Pœnitentiæ, & promissum sit Deo ex voto, si illud frangas uno actu committis quatuor peccata specie distincta contra quatuor virtutes specie diversas: e contra vero si frangas Jejunium in Vigilia S. Matthiæ incidente in quatuor Temporibus Quadragesimæ, unum peccatum committis, quia duo hæc præcepta Ecclesiæ sunt ex eodem motivo Temperantiæ, Sanch. l. 4. Decal. cap. 11. n. 25.

Secunda pars probatur, quia eidem Virtuti opponi possunt duo actus modo adeo notabiliter diverso, ut qui propensus est ad unum eorum, quantum est ex ejus malitia non sit propensus ad alterum; & hoc apud Becan. Bon. & alios communiter sufficit, ut sint duo peccata specie diversa: sic secundum D. Th. Avaritia, & Prodigalitas; quamvis oppositæ eidem Virtuti Liberalitatis, specie tamen inter se differunt: similiter Copula tentata, & Copula consummata; Pollutio tactibus propriis, vel alienis: Sodomia agentis, vel patientis &c. quamvis opponantur eidem Virtuti Castitatis differunt tamen specie, eo quod opponuntur modo adeo notabiliter diverso, ut qui propensus est ad unum eorum, non ideo sit propensus, imo horrere possit alterum. v. Croix de Pœnit. a n. 990.

Infers primo. Desiderium specie distingui juxta executionem externam, quia cum tendat Voluntas ad objectum, ut est in se, non potest ab ejus malitia, ejusque circumstantiis affective præscindere: hinc qui desiderat furari rem Sacram: peccat tum contra Justitiam, tum contra Religionem; qui concupiscit Mulierem alienam, peccat tum contra Castitatem, tum contra Matrimonium, idque verum est, etiamsi non desideret illam ut sacram, hanc ut alienam; sufficit enim si cognoscat has circumstantias, ut sint illi Voluntariæ, & tribuantur culpæ; Doctores communiter. Datur autem desiderium inefficax de malo Proximi, puta de ejus morte, quatenus hanc cupis, nolis tamen ipsemet inferre; & tunc si eam cupis ob aliquod emolumentum temporale, peccas graviter contra Charitatem, vel etiam contra Pietatem, vel etiam contra Religionem, si ille sit Proximus, vel Parens, vel Sacerdos; ut colligitur ex Prop. 13. & 14. damnatis ab Inn. XI. quarum prior est: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia Personæ: sed ob aliquod temporale emolumentum*: Posterior autem est: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas*. Quod si eam cupias, ne ille Deum offendat, ne inferat damnum Reipublicæ, aut Religioni, vel ut servetur ordo Justitiæ Divinæ, ne venialiter quidem peccas, ob bonum præponderans; D. Th. & alii communiter. Denique datur desiderium conditionatum objecti mali, puta, *Vellem, si non esset malum*; & tunc si objectum illud sit prohibitum jure tantum positivo, ut si die Jejunii desideres comedere carnes sub conditione, quod non esset Jejunium, non peccas nisi ad summum venialiter; idemque est, si objectum prohibitum jure naturali expoliari possit malitia, ut si Sacerdos desideret Matrimonium sub conditione, quod esset liber a Voto. Sanch. l. 1. Dec. c. 2. Cajet. & alii: secus vero si a malitia spoliari omnino non possit, ut si desideras blasphemare, si liceret; quia cum conditio sit impossibilis, convinceris absolute desiderare, licitam esse Blasphemiam, Sanch. Azor. & alii contra Vasq. Bon. & alios.

Infers secundo. Delectatio morosa, qua Voluntas deliberate delectatur de objecto turpi, absque desiderio executionis, si sit de objecto turpi qua tali, erit certe peccatum in ejus specie, puta delectatio morosa de copula cum aliena formaliter, qua aliena, est peccatum Adulterii; displicentia morosa de bono Proximi, ut bono illius, est peccatum Invidiæ, &c. quia actus specificatur ex suo motivo formali. Si vero sit de objecto turpi, sed non qua tali, tunc si illud sit prohibitum jure tantum positivo, non videtur peccatum saltem mortale; ut si quis die Jejunii delectetur de comestione carnium; quia cum non adsit desiderium executionis, præscinditur a circumstantia prohibitionis; idemque est si objectum prohibitum jure naturali spoliari possit sub aliqua circumstantia a malitia; ut si delecteris de occisione Proximi ex amore Justitiæ; si autem delecteris ob aliquod temporale emolumentum est mortale, ex Prop. 15. damnata ab Inn. XI. *Licitum est Filio gaudere de parricidio Patris a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas*. Delectatio autem morosa in re Venerea semper est mortalis, quia ob vehementem hac in re Concupiscentiam, facile inde commoventur spiritus venerei, qui sunt inchoatio quædam copulæ; quæ ratio militat non solum de tali delectatione positive quæsita, sed etiam deliberate non repressa; probabile tamen est non variare speciem pro varietate objecti: ita ut si sit de Copula cum aliena, quatenus Femina est, non quatenus aliena, non sit peccatum Adulterii, quia affective præscindit a circumstantia alienæ: Vasq. Bon. Pal.; plurimique contra Suar. Sanch. aliosque apud Merol. d. 2. cap. 4. Complacentia autem de pollutione jam secuta in somno, non quidem ob delectationem habitam in sensu, sed ob corporis levamen, non est peccaminosa; quia talis pollutio est evacuatio quædam naturalis, sicut sudor: nec est in damnum alterius; ideoque & complacere, imo & desiderare eam potes ob bonum finem. Vasq. Sanch. n. 19. Porro non sic est gaudere de Parricidio patrato in somno ob magnas divitias inde ex hæreditate consecutas, ex cit. Prop.

Quæres quarto. Unde desumenda sit multiplicitas numerica peccatorum?

Respondeo. Numerum peccatorum in eadem specie desumi vel ex Interruptione actuum, vel ex Fine, ad quem ordinantur. Interruptio fit primo per Retractationem; quoties enim revocas priorem Voluntatem peccaminosam, & iterum eam reassumis, de novo peccas; quia prior actus per retractationem fuit completus, & terminatus, & consequenter per novam omnino deliberationem distinctum numero peccatum committis: fit secundo per notabilem Distantiam inter unum, & alium actum, ita ut prudenter judicetur prior actus omnino desiisse, nec mansisse in aliquo suo effectu, seu virtute, qua influat in posteriorem actum; sic enim certe sunt duo peccata distincta; secus vero si prior maneat virtualiter influens in posteriorem: qui enim volens homicidium indormiat, & postea mane vigilans statim redeat ad volendum, censetur idem numero peccatum continuatum in virtute relicta; non sic vero, si non statim, sed ex nova occasione redeat. In dubio autem satis est explicare tempus in Confessione, dicendo v. g. *Per mensem Puellam turpiter concupivi*.

Ex Fine autem, ad quem ordinantur plures actus, evadunt hi unum numero peccatum, si & ipsi per se tendant ad eundem finem, & ex intentione Operantis ad eundem ordinentur: v. g. Titius verba turpia, oscula, tactus, &c. habuit cum aliena in ordine ad copulam inde secutam, ea omnia unum numero peccatum sunt, ideoque satisfacit confitendo: *Habui copulam cum aliena*. Contra vero si tantum intendit turpia verba, & deinde

ea

ex nova Voluntate osculetur absque ulteriori animo, & deinde tangat absque intentione copulæ, tum demum habeat copulam, sunt quatuor peccata in Confessione explicanda, quia in singulis animus sistit, & committit malitiam per se consummatam: Doctores communiter. Similiter si plures actus non per se ordinantur ad consummationem unius operis, sunt plura peccata, etsi ab Operante ordinentur ad eundem finem; sic si ex intentione habendi centum, centies furatus es eidem ducatum, centies peccasti; quia singuli actus per se non ordinantur ad invicem: idemque est secundum Bon. & alios communius contra Rodr. Gob. & alios, si tempore continuato absolvas in peccato centum Pœnitentes, centies peccas, quia conficis 100. Sacramenta; idemque secundum Vasq. Con. Pal. & alios contra Henr. Dian. aliosque, si in peccato ministres Communionem centum Hominibus, quia singulæ sunt completa ministratio Sacramenti.

An autem unus physice actus sit plura numero peccata, si tendat in objecta numero distincta, ut si uno ictu occidas tres Homines, dubitant Doctores. Negant Suar. Bon. Lug. & alii apud Disn. p. 1. r. 7. r. 17. quia non multiplicatur Concretum accidentale; nisi ad multiplicationem Subjecti, quod in casu est unus numero actus: sicuti ergo unum est numero peccatum, si uno actu fureris eidem tres ducatos, ita si uno ictu occidas tres Homines. Affirmant Azor. Vasq. Castrop. aliique plurimi cum Dian. p. 3. t. 4. r. 184. quia est læsio plurium Jurium; non sic de illo furto, cum singuli ducati ad eandem Personam spectantes, constent unum Jus: singulorum vero Occisorum Jus est omnino distinctum. Cæterum in praxi tutum est confiteri, *Uno ictu occidi plures*, quia sic intelligitur, quantum satis est, peccatum, quod in individuo commisisti, Lug. Tambur. Leand. & alii. Similiter si uno actu Detractionis graviter læsisti plures; si uno proposito intendas omittere Horas debitas toto anno, &c.

CAPUT III.

An præter dictamen Conscientiæ requiratur ad Moralitatem actus, ut sit etiam voluntarius, & liber?

VOLUNTARIUM dicitur de actu Voluntatis tendente in objectum, ac denominante illud volitum; definitur autem 3. Eth. 1. *Quod est a Principio intrinseco cognoscente singula*: duo ergo requirit: primo, ut procedat a Principio intrinseco; ideoque quod ab alio in te fit, non est tibi Voluntarium, & si fiat te invito, dicitur etiam tibi Violentum, & Coactum: secundo, ut procedat cum præcognitione singulorum, hoc est omnium, ex quibus tanquam ex objecto desumitur Moralitas actus; ideoque operationes vegetativæ non sunt tibi Voluntariæ, sed tantum Naturales, quia ex nulla præcognitione procedunt; & operationes sensitivæ Brutorum non sunt eis Voluntariæ, sed tantum Spontaneæ, quia non procedunt ex cognatione singulorum, in quibus est sectio, seu Moralitas actus. Igitur in solo Homine Spontaneum potest esse Voluntarium, & hoc aliud est directum, quod scilicet est in se tale, ut si quis occidat Hominem sciens esse Hominem: aliud est indirectum, quod scilicet est Voluntarium tantum in causa, ut si sciens te in Ebrietate facile alios occisurum, te inebries; Homicidium enim inde secutum est indirecte Voluntarium, de qua re fusius infra.

Liberum dicitur, quod est a *Principio intrinseco, quod positis omnibus requisitis ad agendum, physice potest agere, & non agere*. Itaque Liberum includit essentialiter Voluntarium, eique addit indifferentiam Arbitrii ad actum, & omissionem actus, quæ dicitur Libertas contradictionis, & exercitii; & sæpe etiam ad actum, & actum oppositum, quæ dicitur Libertas contrarietatis, & specificationis. Hæc indifferentia Arbitrii sita formaliter est in Voluntate; ejus tamen radix dicitur esse Judicium Rationis indifferens, hoc est advertens ad Bonitatem simul, & Malitiam objecti, puta ad ejus convenientiam Rationi, & disconvenientiam Sensui, vel e converso; ex hoc enim Judicio Voluntates habent in suo arbitratu se libere determinare ad amandum, vel non amandum, &c. Itaque ad actum liberum requiritur Advertentia, & Deliberatio: his expositis,

Dico primo, Ad Moralitatem actus, præter dictamen Conscientiæ, requiritur etiam, ut sit Voluntarius. Doctores communiter.

Ratio est, quia si actus non sit a Principio intrinseco, & cum præcognitione singulorum, ex quibus, tanquam ex objecto, desumitur Moralitas, non reddit subjectum laude, vel vituperio dignum, ut patet in actibus Brutorum, Somniantium, Amentium, &c. ergo præter dictamen Conscientiæ requiritur Voluntarietas ad Moralitatem actus. Et quidem ut actus sit bonus, & positive honestus, requiritur ex dictis non solum præcognitio Bonitatis objectivæ, sed etiam ut sit positus propter ipsam: ut autem sit malus, & peccaminosus, sufficit præcognitio Malitiæ objectivæ, etiamsi non sit positus propter ipsam; *Bonum enim*, ut diximus, *ex integra causa, malum ex singulis defectibus*; idemque etiam sufficit, sive sit Voluntarius directe, sive indirecte.

Quæres primo, An quodcumque peccatum, quod est Voluntarium in causa, sit Voluntarium tantum indirecte?

Respondeo, Ex Avil. Henr. Ss, & aliis communiter cum distinctione; si enim sit Voluntarium in causa remota, nec de se efficaci, sed veluti casu, & per accidens, ab ea secutum: tunc si prævideatur ejus periculum, non vero intendatur, erit Voluntarium tantum indirecte: v. g. si velis leviter tantum vulnerare, prævidens tamen periculum vulnerandi graviter, mors illa præter intentionem secuta, erit tibi Voluntaria tantum indirecte: similiter si projiciens aliquid e fenestra, dubites tamen, vel suspiceris fore, ut quis tunc transeat per viam, & is forte inde transiens occidatur, erit hoc Homicidium tibi indirecte tantum Voluntarium, &, ut dicitur, *Casuale*, non quidem simpliciter; sic enim nullum foret peccatum, secundum quid, quatenus præter intentionem; cum peccaveris tantum in hoc, quod dubitans non adhibueris debitam diligentiam ad illud præcavendum: similiter dic de Homicidio patrato in Ebrietate; si enim illud nullatenus prævideris, nullatenus es reus Homicidii; si vero prævideris ante Ebrietatem, vel aliquo pacto suspicatus fueris, est tibi Voluntarium indirecte, cum debueris præcavere in causa, non te inebriando; ubi etiam noto ex Sanch., te non peccare tunc, cum in Ebrietate occidis, cum hic actus non sit in seipso Voluntarius, nec Liber; sed peccare tunc, cum te inebrias, & quidem duplici peccato, Ebrietatis, & Homicidii, quamvis, ut incurras Irregularitatem, requiratur Homicidium in Ebrietate jam secutum.

At si aliquod sit Voluntarium in causa propinqua, & de se efficaci, & quidem præcognita ut tali, tunc erit Voluntarium directe, etsi expresse non intendatur: v. g. si lethaliter vulneres Titium, vel propines ei Venenum advertens esse mortiferum, Homicidium etiam post multos dies inde secutum, erit voluntarium directe, &, ut dicitur, absolute Voluntarium: quia etsi expresse non intenderis mortem, tamen est moraliter impossibile, ut, dum scienter ponis talem causam, non illam directe, & saltem implicite intendas. Doctores communiter contra aliquos apud Vasq. 1. 2. d. 24. c. 2. ideoque incurris Irregularitatem difficile dispensabilem, & in omnibus Privilegiis exceptam, utpote ex Homicidio simpliciter Voluntario.

Quæres secundo, An sit imputabile ad culpam, tanquam indirecte Voluntarium id, quod prævidetur provenire ex causa, quam per accidens vitare non teneris?

Respondeo, Casum hunc esse hujusmodi: Titius comedit temperate, prævidens tamen inde futuram spirituum genitalium commotionem: Berta cum decenti ornatu juxta suum statum it ad Templum, prævidens tamen se ab aliis turpiter concupiscendam, &c. quæritur an illa Commotio, an hæc Concupiscentia, sit illis voluntaria indirecte, & imputabilis ad culpam? Negativa sententia est communis, cum Sanch. l. 9. de Matr. d. 45. contra Vasq. loc. cit. c. 3. & alios, quia si causam non teneris vitare, neque teneris vitare effectum: ergo sicuti ad culpam non imputatur causa posita, ita neque effectus inde secutus, dummodo ex hujus intentione non ponatur ea causa; si enim Titius ea intentione comedat, ut sequatur Commotio; vel Berta ea intentione eat ad Templum, ut turpiter concupiscatur; tales effectus sunt eis Voluntarii moraliter, & imputabiles ad culpam, quia licet non teneantur ab iis abstinere, tenentur tamen abstinere ab iis faciendis, vel permittendis cum tali intentione. Quod autem dicitur l. 1. *de Usufr. Pen*; Qui vult causam, in qua prævidetur eventus futurus, vult pariter eundem effectum; intellige de causa, quam teneris vitare; de causa autem, quam non teneris vitare, solum sequitur, ut effectus dici possit Voluntarius physice, vel quasi physice; non autem moraliter, seu imputative ad culpam, ut bene notat Laym.

Hanc doctrinam extendit Sanch. primo ad omnes causas per accidens, quæ secundum se sunt licitæ; ut Equitatio, Auditio Confessionum, Usus Chirurgiæ, Fricatio pudendorum ex necessitate, &c. ex quibus prævidetur per accidens sequi pollutio. Extendit secundo ad causas per accidens, aliunde tantum illicitas; ut si quis calida comedat excedens in cibo, potu, &c. ex quibus prævidet secuturam pollutionem; hæc enim prævisa in his causis per accidens, & non intenta, non videtur lethalis.

lit. Extendit tertio etiam ad causam leviter prohibitam in eodem genere; ut si ex tactu levi manos, visu, verbis, lectione, venialiter turpibus, sequatur pollutio: modo in his omnibus desit intentio, juxta jam dicta, & insuper periculum consentiendi in effectum. v. Sanch. loc. cit. n. 16. 17. 18. & 19.

Demum eandem doctrinam extendit idem Sanch. l. 1. Decal. c. 16. n. 43. ad effectus, qui per accidens sequuntur ex Somno, aut Ebrietate; modo non sint in damnum tertii. v. g. si prævidens secuturam in somno pollutionem, is cubitu, vel situm occupas commodum ad indormiendum, ea tibi non imputatur culpæ, modo non intendas. Similiter si eam prævideas secuturam in Ebrietate, modo non prævideas eam secuturam ex tactibus inhonestis per se illam causantibus. Si autem prævideas in Somno, aut Ebrietate secuturam Fornicationem, aut Homicidium, imputantur culpæ, quia illa est in damnum Prolis, hoc in damnum Occisi; evitatur tamen hæc culpa, si præcaveris te ligando, &c. Si demum prævideas te in Ebrietate prolaturum Contumelias, Hæreses, Blasphemias, Perjuria, &c. Sanch. ibidem cum communi ait, Contumelias non fore peccata, quia accipiuntur ut facetiæ, neque adeo lædunt; secus vero dicit de reliquis, utpote quæ a Deo non accipiuntur, ut facetiæ; sed Franc. Lug. de Con. p. a. c. 1. ex Castro ait, imputari culpæ cujusdam Irreverentiæ Deo factæ, quod tamen non videtur fore mortale, præciso scandalo.

Quæres tertio, An effectus pravus prævisus in causa culpabiliter posita, sed secutus quando ea tolli non potest, sit Voluntarius, & in se culpabilis, ita ut sit in Confessione exprimendus?

Respondeo. Casum esse hujusmodi: Projecisti Breviarium prævidens non posse recitare Horas debitas; quæritur, an omissio Horarum sit novum peccatum aperiendum in Confessione? Distinguendum puto cum Sanch. l. 9. Matr. d. 45. n. 29. Castrop. Henr. Becan. Dian & aliis: si enim, antequam sequatur effectus, prava Voluntas sit per pœnitentiam retractata, nego; si vero non fuerit retractata, affirmo. Ratio est quia non ibi, sed hic, permanet Voluntarium, sive habitualiter, quatenus non fuit retractatum; sive etiam virtualiter, quatenus operatur per causam jam positam: hinc si post projectionem Breviarii statim doleas: non teneris confiteri omissiones Horarum debitarum diebus sequentibus; cum non sint peccata, sed meri effectus peccati: similiter si culpabiliter neglexeris discere, an hodie sit audienda Missa, & adveniente tempore velis, sed non possis eam audire, non peccas non audiendo, neque adeo teneris confiteri, nisi illam culpabilem negligentiam: similiter si propinasti venenum Titio, & antequam moriatur, confessus sis te propinasse; non teneris, morte deinde secuta, iterum confiteri Homicidium; quia hoc non est complementum peccati antecedentis, uti actus externus est complementum interni; sed merus effectus peccati jam completi, & retractati, Sanch. l. c. contra Sotum in 4. d. 18. q. 1. Hinc probabiliter neque incurris Excommunicationem reservatam, aliasve pœnas medicinales Homicidio adnexas; quia, dum hic effectus sequitur, non es habitualiter contumax; incurris tamen Irregularitatem, cum hæc non sit pœna mere medicinalis requirens contumaciam; sed Inhabilitas, & similiter incurris obligationem restitutionis damni secuti, cum ad hanc satis sit prava Voluntas ponens causam, etsi per Pœnitentiam interrupta, & effectus damnosus inde secutus; Sanch. l. c. & alii.

Contra vero si effectus provenerint, cum Voluntas nondum erat retractata, sunt confitendi; cum sint saltem complementa peccati externi, & participent malitiam per extrinsecam denominationem a causa præterita: Doctores cit. contra Vasq. & Azor. apud Franc. Lug. de Confe. p. 2. q. 3. n. 26. Neque dicas, ad peccatum requiri Libertatem actualem. Nam falsum est hoc de peccato per extrinsecam denominationem dicto, ad quod sufficit Libertas manens moraliter, & habitualiter non retractata, & quodammodo virtualiter, quatenus operatur per causam jam positam: sic Servus contra mandatum Domini Dormiens, vere dicitur peccare tali somno, quamvis post datam somno causam non sit in ejus potestate vigilare: similiter qui procurat pollutionem apponendo causam, ut sequatur, vere peccat in ipsa pollutione, etsi post appositam causam non possit amplius impediri pollutio, idem est de quavis prava Voluntate ponente causam per se effectus, si non sit retractata. v. Sanch. loc. c. & l. 1. decal. c. 16. n. 46. & Franc. Lug. loc. cit.

Quæres quarto, quomodo dicatur aliquid Voluntarium tacite, virtualiter, habitualiter, & interpretative?

Respondeo, tacite Voluntarium dici, quod ex Juris fictione, & præsumptione accipitur ut expressum; sic si te præsente efficiatur aliquod in tui commodum, & facile potens contradicere, non contradicas, illud censetur tibi Voluntarium, ex *Reg. 4. Jur. in 6. Qui tacet, affirmat*; hinc sufficit tacitus consensus pro Matrimonio; aliove Contractu, &c. idem est, si debeas, & commode possis aliquod damnum, puta Furtum impedire, & non impedias, ideoque si tenebaris ex Officio impedire, peccas contra Justitiam, & teneris ad restitutionem; si tenebaris ex Charitate, peccas contra hanc tantum Virtutem, neque adeo teneris restituere: contra vero si contradicere commode non possis, aut non debeas, illud non erit tibi Voluntarium, quia tunc: *Nec fateri, nec negare censeris, ex Reg. 44.*

Virtualiter Voluntarium dicitur, quod procedit ab Intentione formaliter jam habita, & insensibiliter manente in aliqua sui virtute, quæ insensibiliter etiam movet ad præsentem operationem: ut si Confessarius distractus absolvat ex vi Voluntatis, qua ad Confessionem audiendam accessit, hæc Absolutio est illi Voluntaria virtualiter; ideoque intentio virtualis sufficit ad ministranda quævis Sacramenta, ad celebrandos Contractus, ad merendum, & ad peccandum.

Habitualiter Voluntarium dicitur, quando Intentio olim habita, nec sit positive retractata; nec in virtute aliqua a se relicta physice subsistat, & hæc intentio habitualis non sufficit ad ministranda Sacramenta; sufficit tamen ad ea suscipienda, ita ut Amens, qui in usu Rationis voluit Christiane mori, possit in articulo Mortis Baptizari, Absolvi, ungi Extrema Unctione, imo & Communicari per Viaticum, si citra irreverentiam fieri possit. Nec sufficit ad hic, & nunc merendum, aut demerendum; si enim olim intentionem habuit Catholicus omnia operari propter Honestatem Virtutis, propter Amorem Dei, &c. vel Gentilis proposuit omnia operari in honorem Idoli, non ideo omnes illius actus erunt Virtuosi, neque omnes hujus erunt idolatrici, si sint Voluntarii tantum habitualiter; sufficit tamen contra Vasq. Habitualis Intentio ad applicanda opera: v. g. Missam Proximo; quia sic est quædam donatio, & ad hanc, uti etiam ad quemlibet Contractum, sufficit intentio Habitualis; ideoque etiam sufficit ad Sacramentum Matrimonii contracti per Procuratorem; etsi enim in hoc esse debeat intentio saltem virtualis, tamen in Principali sufficit Habitualis, nisi vero dicas cum aliis, intentionem Principalis per mandatum datum Procuratori, tanquam per Virtutem propriam, tunc operari.

Interpretative Voluntarium dicitur, quando intentio nunquam est habita, tamen Animus est ita dispositus, ut eam haberet, si de ea cogitaret. Et hæc intentio Interpretativa sufficit in Infantibus ad suscipiendum valide Baptismum, imo etiam ad Sacros Ordinis, ex cap. *un. de Cler. per saltum promoto*; Non vero in Adultis: quia in Infante Ordo Sacer fert solum favorem, non vero onera, nisi post usum rationis acceptet; hæc autem consequuntur necessario in Adultis: ideoque habere debent intentionem saltem Habitualiter ad Baptismum, & Ordines. Item ex Jure actus Voluntarius Tutoris interpretative censetur esse Pupilis, & Peccatum Adæ censetur esse Voluntarium nobis, non quidem Voluntate propria, sed aliena.

Dico secundo, Ad moralitatem actus, præter dictamen Conscientiæ, & Voluntarietatem, requiritur etiam ut sit liber, hoc est procedens a Principio indifferenti; ita Catholici omnes contra Luth. Calv. Baj. Jansen. Quesnel aliosque hujus temporis Hæreticos.

Ratio est, quia actus sine hujusmodi Libertate positi non sunt digni laude, aut vituperatione, præmio, aut pœna, ut patet in Dormientibus, & in Brutis, sponte quidem, sed non libere agentibus: unde etiam est, ut indigne feramus injurias illatas ab Homine; a Bruto vero illata damna inter injurias non computemus: Hinc ab Inn. X. Alex. VII. & Clem. XI. damnata est Prop. 3. Jans. *Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine Libertas a necessitate, sed sufficit Libertas a coactione:* Liber autem a coactione est, qui sponte, seu Voluntarie agit, ut Brutum; Liber a necessitate est, qui ita agit, ut possit non agere.

Neque dicant Bajani, sufficere in Natura lapsa Libertatem remotam, & in causa; quatenus Homo ex culpa originali in præsentem necessitatem lapsus, peccat male operando, ratione Libertatis; qua culpam originalem contraxit. Nam contra est: tunc enim peccatum est Voluntarium, & Liberum in causa, cum sequitur ex causa per propriam Voluntatem libere posita, nec dum retractata, & in qua illud sit aliquo pacto prævisum, ut satis constat ex dictis: secus vero si sequatur ex causa per alienam Voluntatem posita, quale est peccatum originale,

le, & multo minus ſi cauſa ſit retractata, tum ab ipſo Adamo, tum a nobis in Baptiſmo; & multo etiam minus ſi ſit ea a nobis nullatenus prævideri potuit actus futurus, quem hic, & nunc ponimus: ergo &c.

Quæres, Quinam actus ſint formaliter liberi, & quinam tantum denominative, ſeu completive?

Reſpondeo, Solos actus, & omiſſione Voluntatis poſt Judicium indifferens, eſſe proprie, & formaliter liberos, quia ſunt immediate, & per ſe in poteſtate Arbitrii. Actus vero reliquarum Potentiarum, qui ſubjacent Imperio Voluntatis, non ſunt liberi formaliter, utpote qui immediate procedunt a Potentiis neceſſariis, ut Viſio ab oculo, Motus a manu, &c.: dicuntur tamen liberi denominative, & completive, quatenus ab actibus internis Voluntatis imperantur, eoſque complent extrinſece in ratione actus humani. Hinc Bonitas, & Malitia, Meritum, & Demeritum formaliter conſiſtunt in actibus internis liberi Arbitrii, in quibus ſtat formaliter Libertas; actus autem externi ab illis imperati ſunt eorum complementa, eoſque conſtituunt in individuo actus humani; quare Voluntas, v. g. furandi, prout procedens in actum externum Furti, dicitur peccatum externum, ſeu opere conſummatum, & completum, & ideo in Confeſſione non ſatis eſt dicere Voluntatem furandi, ſed Furtum, quia confitendum eſt peccatum, prout eſt actus humanus completus in individuo: Doctores communiter.

CAPUT IV.

An actus contra Conſcientiam poſitus ex Concupiſcentia, vel ex Metu, ſit culpabilis, & pœna dignus?

CONCUPISCENTIAE nomine venit hic duplex Paſſio Appetitus ſenſitivi, quarum altera dicitur Concupiſcibilis, continens ſub ſe Amorem, Deſiderium, Odium, Triſtitiam, & Gaudium, quod dicitur etiam Delectatio, & Complacentia: altera vocatur Iraſcibilis, continet ſub ſe Spem, Iram, Audaciam, Deſperationem, & Metum. Porro Concupiſcentia, vel eſt antecedens omnem advertentiam ad Legem Dei prohibentem; vel eſt ad illam conſequens: illa dicitur motus primo primus; hæc vero, ſi ſemiplenam tantum advertentiam ſupponat, dicitur motus ſecundo primus; at ſi plenam advertentiam ſupponat, dicitur motus ſecundo ſecundus.

Metus ex Ulpiano eſt, *Mentis trepidatio ob periculum imminens, vel futurum*. Differt autem a vi, ſeu coactione abſoluta, qua actus redditur abſolute, & ſimpliciter involuntarius, ut cum quis per vim trahitur ad Templum Idoli; tum metus non reddit actum præſertim internum abſolute, & ſimpliciter involuntarium, cum nemo poſſit neceſſitari ad volendum: reddit tamen illum involuntarium ſecundum quid, quatenus inducit, ac veluti cogit Voluntatem ad volendum id, quod nollet, ſi talis metus abeſſet, ut cum projiciuntur merces in tempeſtate. Hinc Metus dicitur vis, & coactio conditionalis, & ſecundum quid; & poteſt eſſe tum ab intrinſeco, ſcilicet febre, tempeſtate, aliave cauſa naturali; tum ab extrinſeco, ſcilicet ab Homine, a quo etiam poteſt eſſe juſte, vel inique tibi incuſſus.

Porro Metus alius eſt levis, qui ſcilicet facile contemni poteſt, ut Metus amittendæ rei parvi momenti: alius eſt gravis, qui dicitur cadere in conſtantem Virum, hoc eſt, quo Vir etiam fortis, & conſtans rationabiliter timet malum grave ſibi, vel ſuis imminens, aut futurum: puta Mortem, Mutilationem, gravem Corporis Cruciatum, Servitutem, Carcerem diuturnum, Exilium, Excommunicationem, Amiſſionem honoris, Famæ, majoris partis Bonorum, aut Rei magnæ, & notabilis: idem dicunt Suar. & Sanch. l. 4. Matr. d. 5. n. 28. de amiſſione magni lucri; ſed contradicunt alii, cum univerſim non deterreatur modo Vir conſtans a ceſſatione lucri, ſicut ab admotione damni: ſimiliter neque Metus reverentialis, neque preces importunæ Superioris incutiunt de ſe Metum gravem, niſi forte Superior ille ſoleat tyrannice ſe gerere contra non ſibi acquiſcentes. Cæterum metus, ut ſit cadens in conſtantem Virum, non neceſſario debet eſſe gravis abſoluta, ſed ſatis eſt, ſi reſpective; idem enim Metus poteſt eſſe gravis, reſpectu unius infirmioris, puta Feminæ, non vero reſpectu Viri robuſtioris. v. Sanch. d. 3. & 7. his expoſitis:

Dico primo, Actus proveniens ex Concupiſcentia conſequenti eſt culpabilis, & quidem graviter in materia gravi, ſi ſit conſequens ad plenam advertentiam; leviter vero etiam in materia gravi, ſi ſit conſequens ad ſemiplenam tantum advertentiam, ſeu ſemiplenam deliberationem, & conſenſum: Doctores communiter.

Ratio eſt, quia Concupiſcentia conſequens, cum ſupponat advertentiam Rationis, & facultatem Arbitrii aliquo pacto expeditam, eſt Voluntaria, & Libera: ergo peccaminoſa, & quidem mortaliter, ſi adſit plena advertentia, plenuſque conſenſus; venialiter vero, ſi hæc nondum ſint plena. Itaque dum caſu videndo Inimicum, vel Mulierem, ſubito incogitanter excitantur motus iræ, deſiderii, &c. hi motus, cum ſint antecedentes, & primo primi, nullatenus ſunt culpabiles; idemque accidere poteſt, dum ſubita ira correptus, aliquem occidere, nec enim peccares, nec proinde Irregularitatem, aliamve pœnam, aut onus reſtitutionis contraheres. At ſi poſtmodum, accedente advertentia Rationis, Voluntas libere illam admittat, peccat graviter, vel leviter pro qualitate advertentiæ, & conſenſus.

Dicitur autem Advertentia ſemiplena, cum non ſatis vivo animo apprehenditur Malitia objecti, ſed cum quadam confuſione inſtar Semiſopiti, vel cum nimia diſtractione ad alia objecta, vel cum quadam ſtupiditate mentis, uti eſt in Rudibus. Et tunc motus Concupiſcentiæ, etiam circa objectum grave, ſunt tantum veniales ſubreptitii; ideoque vocantur ſecundo primi; quia cum non ſit plene cognita malitia gravis objecti, nec debitum magis advertendi, nondum poteſt eſſe peccatum grave: Doctores communiter apud Croix l. 5. n. 216. Sic in Pueris circa ſeptennium, in Semifatuis, Semiſopitis, ac Semiebriis, regulariter eſt ſemiplena tantum advertentia, ac deliberatio, adeoque imperfectus conſenſus, & conſequenter regulariter peccant tantum venialiter, etiam circa materiam gravem, & circa levem minus venialiter. v. Croix n. 221.

Contra dicitur Plena advertentia, cum quis ita advertit malitiam objecti, uti advertere ſolet, dum eſt perfecte a ſomno excitatus; & ad hanc ſequitur plena deliberatio, perfectuſque conſenſus. Cæterum non requiritur advertentia reflexa, qua ſcilicet advertat, ſe advertere; neque advertentia ad Malitiam formalem ſui actus; ſufficit enim advertentia ad Malitiam objecti: imo nec requiritur ut hæc advertentia ſit ſignata, & expreſſa, ſufficit enim ſi ſit experimentalis, & exercita: ſic Sacerdos v. g. deſiderans fornicari, peccat ſacrilege, etiamſi expreſſe tunc non advertat, ſe eſſe Sacerdotem, abſtractus ſcilicet, & illectus Concupiſcentia; quia quaſi experimentaliter, & exercite tunc ſcit ſe eſſe; & non alium, qui talia agit; ideoque tunc magis horret tale peccatum, quam ſi non eſſet Sacerdos; ergo habet advertentiam requiſitam ad Sacrilegium. Similiter plurimi Ruſtici, & Infideles fornicantes, peccant mortaliter, quamvis ignorent, quid ſit mortale, qui ejus effectus, in quo differat a veniali &c.; ſatis enim eſt, ſi Malitiam illam objectivam graviter horreant, & apprehendant ad eum modum, quo ſolent alias res graves, quando ad eas ſe reflectunt. v. Croix l. 5. n. 23. & 223. & Sanch. l. 1. Dec. c. 16. n. 11.

In dubio autem, an in Actione præterita adfuerit plena advertentia, plenuſque conſenſus; adhibenda eſt hæc Regula Juris; *In dubiis prudens præſumptio deſumitur ex communiter contingentibus*. Hinc qui eſt timoratæ Conſcientiæ, nec ſolet plane advertens conſentire, poteſt in tali dubio ex communiter ſibi contingentibus credere, ſe non peccaſſe mortaliter; Sanch. Sayr. Bon. & alii communiter apud Croix l. 1. n. 546. qui idem dicit de eo, qui antea fuerat ſerio converſus, cum ſic facile accidat, ut habitus antiquis naturaliter operentur, nec poſſit is aliis rebus intentus, animum advertere ad illum motum tam cito reprimendum. Contra vero qui non eſt timoratæ Conſcientiæ, ſed ſoles plene advertens conſentire, debet ex communiter ſibi contingentibus credere, in tali dubio ſe plene conſenſiſſe, niſi forte dubium ſit, an tunc fuerit ſemiſomnis, an perfecte vigilans, ſui compos, an ebrius, phræneticus, &c. quia in tali dubio eſt indicium vehemens non pleni conſenſus: ita cit. Doctores.

Denique qui aliquo pacto ſubinde reſtiterit concupiſcentiæ diuturnæ, licet non tam prompte, non tam diligenter, non tam efficaciter, &c. regulariter nondum plene ei conſenſit; quod maxime valet in iis, qui ſunt timoratæ Conſcientiæ; in aliis etiam, niſi ex negligentiæ afferant ex communiter contingentibus prudens periculum labendi in mortale. Ratio eſt, quia quæ cum pleno conſenſu fiunt, facile cognoſcuntur, ita facta fuiſſe, niſi forte mora temporis aliquam induxerit oblivionem; *Plenus enim conſenſus in mortale eſt tanta iniquitas, ut ignorari non poſſit, ſed in recenti facile cognoſcatur*. Alvar. & Granad. apud Oried. v. Sanch. l. 1. Dec. c. 1. n. 15. & 19.

Dico ſecundo, Actus contra Conſcientiam poſitus ex metu levi non excuſat a culpa; excuſatur vero regulari-

lariter, si sit positus ex metu gravi, nisi sit intrinsece malus, & in nullis circumstantiis cohonestabilis: ita Suar. Sanch. & alii, ex D. Th. 1. 2. q. 100 a. 8.

Ratio est, quia Metus levis facile contemni potest: ergo actus ex eo Metu contra Conscientiam positus, est omnino voluntarius, & liber, & communiter omnino culpabilis, juxta quantitatem materiæ. Contra vero quamvis actus ex metu gravi contra Conscientiam positus, sit simpliciter voluntarius, & secundum quid involuntarius; tamen si non sit intrinsece malus, sed in aliqua circumstantia cohonestabilis, ex benignitate Dei Legislatoris non præsumitur prohiberi cum tam gravi detrimento, & incommodo. v. Sanch. l. 1. Decal. c. 18.

Infers primo, Actionem ex metu gravi positam contra Legem naturalem affirmativam, non esse peccatum: sic qui non restituit rem Domino, qui non corrigit Fratrem, qui non impedit peccatum Proximi, &c. ob metum gravis damni, aut incommodi, sibi, vel suis imminens, non peccat; similiter nec peccat, qui ob metum gravis cruciatus, aut expensæ extraordinariæ, non sinit se curari, &c. quia Lex Naturalis affirmativa non obligat cum tanto onere: Doctores communiter. Lex vero Naturalis negativa, prohibens scilicet actionem, obligat etiam cum gravi incommodo, si actio sit intrinsece mala, nec in ullis circumstantiis cohonestabilis; si quis enim metu mortis inducatur ad occidendum Innocentem, ad fornicandum, ad furandum, ad mentiendum, ad blasphemandum, &c. peccat, & quidem graviter, quamvis minus intra lineam mortalis, quia hæ actiones sunt intrinsece malæ, & in nullis circumstantiis cohonestabiles: secus vero si actio non sit intrinsece mala, sed in aliqua circumstantia cohonestabilis; sic non peccet, qui ob metum mortis frangit Secretum Naturale, amputat sibi membrum, &c. similiter inquit Sanch. n. 12. contra Azor. & alios, licitum est vesci carnibus Humanis ad vitandum Mortis periculum, quamvis ob probabilitatem sententiæ oppositæ non teneatur, quia non videtur actio intrinsece mala, ita ut in nullo eventu extremæ necessitatis liceat: An autem ad hæc sufficiat metus cujuscumque alterius gravis damni, pendet ex singularum Legum notitia, quam dabimus in tract. de Contractibus; quo enim Lex strictius obligat, eo major necessitas mali gravioris requiritur.

Infers secundo, Actionem ex metu gravi positam contra legem Divinam positivam, neque esse peccatum, si non sit intrinsece mala ex Natura sua, & in aliquo eventu cohonestabilis; quia sic, cum Lex Divina pendeat a Dei libero Arbitrio, non præsumitur ex ejus benignitate, nos in tali discrimine obligare: D. T. & alii communiter contra Sot. Gabr. & alios: hinc Præceptum Divinum de integritate Confessionis, & mortalium Confessione Communioni præmittenda, non obligat cum periculo gravis damni: similiter nec tenetur Adultus cum Vitæ discrimine suscipere Baptismum, nec post mortale Sacramentum Pœnitentiæ, quando potest commode Contritionem elicere, Suar. Sanch. & alii communiter contra Azor. Contra vero tenemur etiam cum Vitæ periculo Infantem moribundum baptizare, quia Vita ejus spiritualis Jure Naturæ prævalet nostræ temporali, unde talis omissio contra Legem Divinam est intrinsece mala: similiter Præceptum Divinum de residentia Parochi obligat etiam tempore Pestis, quia concernit bonum publicum; ideoque illius absentia in nullo eventu est cohonestabilis: similiter in nullo eventu licet Præceptum quodcumque Divinum violare, si ad illud violandum Tyrannus cogat in ejus contemptum, quia tunc Lex Divina concurrit cum Naturali præcipiente in tali casu Vitæ jacturam: similiter urgente metu mortis non licet simulare Sacramentum, violare sigillum Confessionis, Consecrare in una tantum specie, conferre sano Extremam Unctionem, & similia; quia bonum commune Religionis, quod in his Præceptis attenditur, Juræ Naturæ præponi debet damno particulari: Cæterum licet Sacerdoti ob metum mortis ministrare Eucharistiam clam Peccatori occulto, conficere Sacramentum in materia dubia, quia hæ actiones non sunt intrinsece malæ, & in tali eventu sunt cohonestabiles, Bon. Suar. Dian. p. 3. t. 6. r. 48. Item licet ex metu gravi contrahere Matrimonium cum impedimento dirimente, quia non simulatur Sacramentum, cum non apponatur materia, & forma legitima, juxta dicenda de Matrimonio.

Infers tertio, Actionem ex quocumque metu gravi positam contra legem Humanam, sive Civilem, sive Ecclesiasticam, regulariter non esse peccaminosam, nec pœna dignam; Doctores citati contra Cajet. & alios, ratio est; quia Jurisdictio humana, vel non potest se sola obligare cum tanto discrimine, vel ex lenvi, qua utitur, providentia, de facto non obligat: hinc si sub pœna Excommunicationis prohibeatur collocutio cum Monialibus, qui ex metu gravi colloquitur, nec culpam, nec Excommunicationem incurrit: si sub pœna Excommunicationis prohibeatur collocutio cum iis de obscœnis, qui ex metu gravi colloquitur de obscœnis, peccat quidem contra Legem Naturalem, sed non contra Ecclesiasticam, quæ tunc desinit obligare; ideoque Excommunicationem non incurrit: si voveris non occidere Clericum, & ob metum mortis illum occidas, nec contra Votum, nec contra Legem Ecclesiasticam peccas; quia utraque est Lex Humana, quam ipse voveus, & Ecclesia tibi imponit; ideoque nec Excommunicationem, nec Sacrilegium contrahis, etsi pecces contra Legem Naturalem. Contra vero si observantia Legis Humanæ conferat ad bonum publicum, obligat etiam cum discrimine Vitæ, ut accidit, quando præcipitur Militi, ne discedat a statione. Similiter *cap. Sacris, de his, quæ vi*, decernitur, Communicantem cum Excommunicato non excusari metu mortis, quando scilicet talis Communicatio cedit in contemptum Censuræ; secus vero si non ita cedat, Sal. Bon. & alii; similiter ex *cap. Satius* 32. q. 4. præstat fame perire, quam vescit Idolothytis, si scilicet adsit scandalum, vel species Idololatriæ; secus vero si non adsit: similiter non licet celebrare ob metum Mortis sine vestibus Sacris, quando id præcipitur in contemptum Religionis; secus vero præciso hoc contemptu, Vasq. Suar. & alii contra Cajet. An autem, & quando valeant contractus ex metu initi, dicendum est in Tract. de Contractibus.

QUÆSTIO I.

De Conscientia ob Ignorantiam erronea, & perplexa.

CONSCIENTIA erronea, vel perplexa, oritur ex Ignorantia. Itaque videndum primo, An actio ex Ignorantia posita sit peccaminosa? Secundo, An sit illicitum operari contra Conscientiam erroneam? Tertio, An sit licitum operari juxta Conscientiam erroneam? Quarto, Quid sit agendum cum Conscientia perplexa?

CAPUT I.

An actio posita ex Ignorantia sit peccaminosa?

IGNORANTIA est scientiæ alicujus Objecti carentia in Subjecto capaci. Hinc triplex est ex parte Objecti ignorati, nempe Juris, Facti, & Pœnæ: ex parte autem Subjecti est duplex, nempe Invincibilis, & Vincibilis; & utraque hæc potest esse vel Causans, vel Concomitans actum. Explico omnia.

Primo, Ex parte Objecti: *Ignorantia Juris* dicitur, quando quis ignorat adesse Legem, vel ad aliquem casum se extendere: ut si ignores adesse Legem Ecclesiasticam contra Percussorem Clerici, vel ignores, hanc Legem se extendere etiam ad Clericum Conjugatum. *Ignorantia Facti* dicitur, quando quis ignorat, non Legem, sed Factum, ut si sciens dictam Legem, ignores tamen eum, quem percutis, esse Clericum. *Ignorantia Pœnæ* dicitur, quando quis ignorat, nec Legem, nec Factum, sed tantum Pœnam ea Lege impositam: ut si sciens dictam Legem, & quem percutis esse Clericum, ignores tamen, talem percussionem ab ea Lege prohiberi sub Excommunicatione.

Secundo, Ex parte Subjecti: *Ignorantia Invincibilis* dicitur, quæ a Subjecto vinci non potest; ut si ita ignores dictam Legem, vel Factum, vel Pœnam, ut de his nunquam audieris, cogitaveris, dubitaveris, aut aliter in mentem venerit; ideoque vocatur hæc Ignorantia etiam *Antecedens*, *Involuntaria*, *Inculpabilis*, *Probabilis*, & *Justa*; quia antecedit omnem cognitionem, & potestatem Arbitrii. *Ignorantia Vincibilis* dicitur, quæ a Subjecto vinci potest, ac debet; ut si ignorando audieris, dubitaveris, suspicatus fueris, &c. quod forte sit dicta Lex, vel Factum, vel Pœna, ideoque habebas debitum inquirendi Veritatem, si primo potens non requisieris, vocatur hæc Ignorantia etiam *Consequens*, *Voluntaria*, *Culpabilis*, *Improbabilis*, & *Injusta*. Cæterum non est talis præcise per hoc, quod ex officio, aut ratione status tenebaris scire, ut bene notat Sanch. l. 1. Decal. cap. 16. n. 24 contra Zumel. & alios, quia si neque advertas ad hoc debitum, ignorantia est tibi invincibilis. Neque obstat, quod dicitur cap. *Si culpa de Injur. Ignorantiam non excusare, quando quis debuit scire*;

aut

aut quod dicitur *l. Quia in te ff. de Reb. Cred. Paria scire, & debere scire*; aut quod dicitur *Instit. de Leg. Aquil. Imperitiam in re ad proprium Officium pertinente non excusare*. Nam hæc omnia intelliguntur de debito cognito, saltem in dubio, vel de præsumptione Fori externi; Sanch. n. 26.

Porro Ignorantia Vincibilis subdividitur in *Affectatam*, *Crassam*, seu *Supinam*, & generico nomine dictam *Vincibilem*. Prima est directe Voluntaria, ut cum quis ignorans Legem, data opera non vult eam scire, ut liberius agat; atque hæc, cum procedat ex culpa latissima, æquivalet Scientiæ, estque omnium gravissime culpabilis. Secunda est Voluntaria tantum indirecte, ut cum quis ignorans Legem, est tamen adeo piger, ut, instar crassi supine in lecto jacentis, nullam, vel valde modicam diligentiam adhibeat pro Veritate acquirenda, atque hæc, cum procedat ex culpa tantum lata, est inferior priore. Tertia est, ad quam superandam adhibes quidem diligentiam, sed non quantam debes, ideoque est omnium infima; An autem aliquando possit esse mortaliter culpabilis, quin pertingat ad crassam, dubitant Doctores: affirmant Sanch. n. 7. Val. Bon. & alii, quia non quævis negligentia, sed summa esse debet, quæ Ignorantiam crassam contineat: negant Suar. Azor. Vasq. & alii communius, quia vix discerni potest, quæ negligentia constituat Ignorantiam mortalem, & non crassam; cum utraque petat negligentiam graviter culpabilem; ergo in praxi quoad Forum internum Ignorantia generice dicta vincibilis, dicenda est venialiter tantum culpabilis, quousque non pertingat ad crassam; hæc sententia videtur probabilior: prior autem deservire interdum potest ad vitandas pœnas Juris, ut concludit Franc. Lug. de Consc. p. 2. c. 4. n. 7.

Tertio, *Ignorantia causans actum* dicitur, sine qua non poneretur actus: *Ignorantia concomitans* dicitur, sine qua etiam poneretur actus: v. g. si jacias sagittam in scopum, ignorans, ibi adesse tuum Patrem, vel tuum Inimicum, Ignorantia prioris dicitur causa actus, quia si scivisses, ibi adesse Patrem, certe non jecisses: ignorantiæ posterioris dicitur comitans, quia si scivisses, ibi adesse tuum Inimicum, es in tali dispositione animi, ut adhuc jecisses; quare ejus Ignorantia non fuit causa, sed tantum comes actus. Utraque ignorantia, ut patet, potest esse tum invincibilis, si scilicet nihil prorsus tunc de Patre, vel Inimico cogitaveris; tum vincibilis, si scilicet tunc aliquo pacto de his cogitans, debitam diligentiam non adhibueris. Ad discernendum autem, quando Ignorantia fuit causa, quando comitans, datur hoc indicium 3. Eth. 1. si enim adveniente postea scientia, statim displiceat actus positus, signum est, Ignorantiam fuisse causam; si statim placeat, signum est, fuisse comitem actus.

Dico primo, Ignorantia vincibilis Transgressorem Legis non excusat a peccato. Doctores communiter.

Ratio est, quia sic est Voluntaria, & *Quod sequitur ex Voluntario, est Voluntarium*, ex communi proloquio: ergo actio contra Legem ex tali ignorantia posita, est formaliter peccaminosa, utpote contra debitum adhibendæ debitæ diligentiæ, & culpabiliter non adhibitæ. Idque verum est, sive talis Ignorantia sit Juris, sive Facti, sive sit causa actus, sive concomitans actum. Et quidem in materia gravi actus semper est mortalis, si ignorantia sit crassa, & supina, & a fortiori si affectata; additque Sanch. l. 1. Decal. c. 17. n. 15. & 23. ex Nav. contra Adrian. & alios, ejusdem speciei esse peccatum cum hac Ignorantia, & cum Scientia commissum; quia species peccati non pendet ex Scientia, vel Ignorantia, sed ex Voluntatis intentione, solumque habetur major gravitas, si adsit Ignorantia affectata; nisi vero talis Ignorantia exponat periculo admittendi alia peccata, ut si volens fornicari, affectes ignorare, quænam sit illa Femina; sic enim exponis te periculo Incestus, Adulterii, Sacrilegii, &c. ideoque peccas contra omnes has species.

Si autem Ignorantia sit generico tantum nomine vincibilis, itaut non pertingat ad crassam, Suar. Val. & alii apud Sanch. n. 17. universaliter putant, non peccari, nisi venialiter, etiam in materia gravi; quia talis Ignorantia habetur, quando adhibita est aliqua diligentia, sed non sufficiens; adeoque actio tunc posita ex tali ignorantia non est, nisi imperfecte, & venialiter voluntaria; unde infert Nav. esse veniale Perjurium, quando aliqua diligentia adhibita est, sed non sufficiens, ad videndum, an sit falsum, quod juratur, modo negligentia acquirendæ veritatis non fuerit crassa, & supina, vel affectata.

Quæres primo, Quænam diligentia adhibenda sit pro tollenda ignorantia vincibili?

Respondeo. Non requiri summam, qua scilicet major simpliciter fieri non possit, quia quod summum est, & majus dicto, censetur moraliter impossibile, Sanch. n. 34. & alii: requiritur ergo illa, quam Prudentes adhibent proportionatam Præcepto, Officio, qualitati Personæ, &c. quia sic est humano modo possibilis, adeoque debita. Hinc in Ignorantia Vincibili Juris, Indoctus debet consulere Viros doctos simul, & probos; Doctus debet consulere libros: addunt Suar. Vasq. & alii, aliquibus sufficere, si consulant aliquem, aliquibus non sufficere; sic Vetulæ, aut Rustico, sat est, si consulant Parochum, & tamen sæpe vix sat est id Viro urbano: addit Sanch. majorem diligentiam requiri pro acquirenda notitia Juris Naturalis, utpote nobis intrinseci, quam Juris positivi utpote nobis extrinseci: summam denique requiri pro notitia Fidei, vel pro Mediis simpliciter necessariis ad salutem; tunc enim debes orare, petere a Deo lumen, agere pœnitentias, &c. ea est enim talis negotii natura, ut diligentia humano modo non reputetur sufficiens, v. Sanch. c. 16. n. 39. in Ignorantia vero Facti semper sufficit diligentia humano modo moraliter possibilis juxta qualitatem rei, & personæ, quod Prudentis judicio est relinquendum, inquit Sanch. cit.

Si autem post adhibitam debitam diligentiam notitia Juris, vel Facti non sit acquisita, tunc ignorantia illa evadit invincibilis, quia humano modo vinci non potest, adeoque nec debet. An autem actus ex ea tunc positus sit culpabilis, videbitur fusius infra, & præcipue q. sequ.

Quæres secundo, An ignorantia vincibilis transgressorem Legis excuset saltem a Pœna?

Respondeo. Certe non excusare a Pœna Jure Naturali, ac Divino debita peccato, puta Inferno, Purgatorio, &c. quia talis pœna connaturaliter sequitur culpam Theologicam. Quoad pœnas vero Humano Jure impositas, puta Excommunicationem, aliasve Censuras, Irregularitatem ex delicto, &c. excusat quidem ignorantia generice dicta culpabilis, non tamen crassa, & supina, & multo minus affectata, ex cap. *ut si Animarum de Constit. in 6.* Si autem hujusmodi pœnæ latæ sint contra eos, qui *Scienter*, *temere*, *audacter*, *ausu temerario*, aut *contumaciter*, aliquid fecerint; tunc probabilius excusat etiam Ignorantia crassa, & supina, non vero affectata, quæ potius auget, quam minuit culpam, & æquiparatur Scientiæ, juxta dicenda de Censuris.

Dico secundo, Ignorantia Invincibilis transgressorem legis excusat a culpa, & pœna. Doctores communiter contra aliquot mox citandos.

Ratio est, quia cum sit omnino involuntaria, sequitur, ut actus ex ea positus sit etiam involuntarius, cum nullo pacto cognita sit ejus malitia objectiva: ergo nec culpabilis est, nec pœna dignus. Id verum est primo juxta omnes, si adsit ignorantia invincibilis Facti; nisi vero ea sit ignorantia concomitans, ita ut animus sit ita actu dispositus, secus vero, si tantum habitualiter, ut adhuc poneres actum, si scires; quia sic peccas peccato, saltem interno, actualis dispositionis pravæ, Sanch. n. 24. Verum secundo est juxta fere omnes de Ignorantia invincibili Juris humani, quam possibilem esse, testatur quotidiana experientia; cum multis sæpe in diem innotescant Leges Ecclesiasticæ, de quibus antea numquam audierant, nec cogitaverant, adeoque actus contra eas tunc positi non erant formaliter culpabiles. Neque obstat *Reg. illa Juris in 6. Ignorantia Facti, non Juris, excusat*; nam intelligitur tantum quoad Forum externum, quod non præsumit Legis Principis ignorantiam, utpote quæ solemniter promulgari solet. Verum tertio est de Præceptis Divinis positivis; cum multis inter Fideles nondum innotuit Præceptum confitendi numerum mortalium, circumstantias mutantes speciem, &c. & quam multis inter Infideles nondum innotuit Incarnatio, Resurrectio, Trinitas, &c. unde si tales damnantur, hoc non est ob hujusmodi Infidelitatem, quæ dicitur mere negativa, sed ob alia eorum peccata, ut constat ex Prop. 68. Baii damnata ab Inn. XI. *Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*.

Verum est quarto de Ignorantia Juris Naturalis; quamvis enim non sit possibilis Ignorantia invincibilis primorum Principiorum, v. g. quod Malum sit fugiendum, Bonum amplectendum: Quod tibi non vis, alteri ne feceris, &c. cum hæc sint cuique habenti usum rationis perspicue impressa; tamen possibilis est relate ad plures Veritates naturales ex illis principiis mediate saltem, nec adeo clare deductas; puta quod Non liceat in gravi necessitate auferre alienum; Occidere Judicem, a quo certo imminet iniqua sententia, &c. quæ nonnisi per declarationem Apostolicam innotuerunt: Et multæ aliæ adhuc

sunt

sunt, de quibus Doctores etiam nunc controvertunt; ideoque Romæ 8. Aug. 1685. damnata fuit tanquam temeraria hæc Prop. Doctorum Lovaniens. *Nullam admittimus Ignorantiam Invincibilem Juris Naturæ in ullo Homine, dum hic, & nunc contra Jus Naturæ agit.* Quod autem hæc Ignorantia excuset etiam a peccato, constat contra Jansenistas ex eorundem Prop. 2. damnata ab Alex. VIII. *Tametsi detur Ignorantia Invincibilis Juris Naturæ, hæc in statu Naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

Neque dicas primo, Hujusmodi Ignorantiam esse culpabilem, utpote natam ex culpa originali, & *Ignorantia nata ex culpa non excusat*, juxta D. Th. lect. 7. in c. 1. ad Rom. Nam quamvis sit ea culpa originali, tamen non est nobis voluntaria, cum non sit ea culpa contracta Voluntate propria, nec ex culpa nondum retractata, nec ex culpa, in qua illa sit aliquo pacto a nobis prævisa; juxta dicta c. 3. concl. 2. Neque replices, hujusmodi Ignorantiam esse culpabilem ex defectu precum, cum Deus facienti, quod in se est, non deneget gratiam, hoc est lumen ad cognoscendas veritates Juris saltem Naturalis; nam, si nunquam de his quis cogitavit, non tenetur pro his petere lumen, ut patet; & quamvis teneatur petere generaliter lumen, & facere, quod in se est; tamen non tenetur Deus dare eorum cognitionem, sed solum lumen ad cognoscendas Veritates necessarias necessitate medii ad Salutem, quæ sine illorum cognitione obtineri potest. v. Croix l. 1. n. 16. & sequ.

Ex dictis infers primo, Quod sicut actus excusatur totaliter a peccato, si tota ejus malitia objectiva invincibiliter ignoretur; ita excusatur partialiter, si pars tantum invincibiliter sit ignorata: v. g. si invincibiliter ignores Perjurium; in Mendacio levi esse graviter peccaminosum, peccas tantum venialiter: sic si invincibiliter ignores, Bertam esse tuam Consanguineam, vel Affinem, reus es tantum fornicationis, non incestus: si percutiendo Hominem, invincibiliter ignores, esse Clericum, peccas contra Jus Naturale, non contra Legem Ecclesiasticam, ideoque non subjaces Excommunicationi, quia actus quoad hanc partem est involuntarius; quod verum est sive talis Ignorantia sit causa, sive comes illius actus; nam Voluntas illa adhuc ponendi actum, si scires, esse Clericum, si est tantum habitualis, non est actu peccatum; si Actualis, vel Virtualis, est peccatum tantum internum, nec actu influens in opus externum, nisi vero sit Voluntas percutiendi, quicumque ibi sit, sive Homo, sive Clericus, &c. cum sub hac generali Voluntate contineatur Voluntas absoluta illorum effectuum, ut limitat Sanch. l. 1. Dec. c. 16. n. 24. quamvis probabiliter hanc limitationem neget Less. de Just. c. 7. n. 25. eo quod sub tali Voluntate generali percussio Clerici sit tantum volita, non tamen Voluntaria.

Infers secundo, Ignorantiam invincibilem culpæ excusare etiam a pœna illi imposita; quia hæc non debetur, nisi culpæ formali, non vero peccato tantum materiali. Hinc si jacias sagittam in scopum invincibiliter ignorans, ibi adesse Hominem, nec irregularitatem, nec onus restitutionis incurris; si scias adesse Hominem, sed invincibiliter ignores, esse Clericum, vel Legem Ecclesiasticam prohibentem, non incurris Excommunicationem: similiter si Vir cognoscat Sororem Uxoris suæ, invincibiliter ignorans, esse talem, nec est reus incestus, nec incurrit casum reservatum in hac Diœcesi Neapolitana, & similia. Nota tamen Ignorantiam Invincibilem Juris non excusare ab impedimentis Matrimonii, neque ab Irregularitatibus ex defectu, quia hæ non sunt pœnæ, sed meræ Inhabilitates Canonicæ, ad quas non requiritur scientia. v. Sanch. l. 9. Matr. d. 32. n. 47.

Quæres primo, An actus positus ex Ignorantia invincibili solius pœnæ excuset a tali pœna?

Respondeo, Pœnam peccati esse duplicem: altera enim est ordinaria, & veluti connaturalis, & consentanea peccato, qualis est Gehennæ æternitas pro mortali, Purgatorium pro veniali: altera est extraordinaria, & superaddita a Legislatore Humano, qualis est Censura, Mulcta pecuniaria, Pœna capitalis, Exilium, &c. Certum autem est, nullam dari posse Ignorantiam, quæ excuset a priori pœna, si scias te peccare; quia cum ea pœna sit peccatu connaturalis, hoc ipso, quod scienter peccas, scis pariter eam tibi deberi, quamvis in particulari eam ignores; nam tacite saltem, & in confuso in illam consentis, quod maxime valet in peccatis Infidelium, Rusticorum, &c. At loquendo de pœnia Legis Humanæ, probabile est, eas non incurri, si invincibiliter ignoretur; quia sunt multæ Leges Humanæ obligantes etiam in Conscientia, quæ tamen nullas pœnas injungunt, ut est Præceptum Jejunii, audiendi Missam die Festo, &c.: ergo qui invincibiliter ignorat pœnas impositas aliis Legibus Humanis, quamvis contra has scienter peccet, tamen illas non incurrit, quamvis enim contumax sit his Legibus, qua præcipientibus, non tamen qua injungentibus pœnas, cum possent sine his præcipere.

Hinc si sciens Legem Ecclesiasticam prohibentem specialiter percussionem Clerici, invincibiliter ignoras prohibere sub Excommunicatione, probabiliter hanc non incurris; & idem dic de reliquis Censuris, Reservationibus, Irregularitatibus ex delicto; quia quamvis sis contumax Legi Ecclesiasticæ prohibenti, non tamen formaliter, ut prohibenti sub his pœnis. v. Dian. p. 10. t. 4. r. 95. & p. 6. t. 6. r. 42. citantem alios contra nonnullos: similiter si Vir cognoscat Sororem suæ Uxoris, invincibiliter ignorans pœnam impositam non petendi debitum, probabiliter hanc non incurrit, Sanch. l. 9. Matr. d. 32. n. 47. contra Perez. Si autem quis sciat incurri Excommunicationem, sed invincibiliter ignoret eam esse reservatam, probabilius talem reservationem incurrit, quia reservatio Excommunicationis est ei connaturalis, cujusmodi non est reservatio peccati; cum Censura pertineat ad Forum externum, peccatum ad forum internum, & consequenter illa tolli debeat ab Imponente, nisi concedatur alii facultas: hoc vero a quovis Confessario, nisi auferatur ei facultas, juxta dicenda de Censuris; ubi etiam diximus omnes effectus Censuræ incurri, quamvis ignorentur, modo sciatur incurri Censuram.

Quæres secundo, An sciens actum externum esse peccatum, invincibiliter tamen ignorans actum internum esse tale, excusetur a peccato interno?

Respondeo, Casum esse hujusmodi: Si quis sciat quidem Fornicationem, vel Furtum externo opere consummatum prohiberi: invincibiliter tamen ignoret desideria fornicandi, vel furandi, dum opere non explentur, prohiberi. Dico, hujusmodi desideria in illo non esse peccata, quia non peccatur, quando Conscientia prudenter dictat, id, quod agit, non esse peccatum, Sanch. l. 2. Decal. c. 16. n. 17. Bon. de Pecc. p. 2. q. 8. p. 3. n. 26. & alii. Cæterum, si sic desiderando ponit actum externum, peccat etiam peccato interno, quia omnis malitia moralis operis externi formaliter sumitur ab actu interno imperante. v. Franc. Lug. de Consc. p. 2. c. 4. q. 6.

Quæres tertio, An quæ dicta sunt de Ignorantia invincibili, procedant etiam de actuali Inadvertentia, seu Oblivione?

Respondeo affirmative cum Sanch. l. 1. Decal. c. 16. n. 9. quia actualis Inadvertentia, seu Oblivio, si sit omnimoda, & invincibilis, æquiparatur Ignorantiæ invincibili, hoc uno discrimine, quod illa sit Ignorantia actualis, hæc habitualis: ergo pariter reddit actum involuntarium, adeoque nec culpabilem, nec pœna dignum. Hinc si quis voverit non mœchari sub pœna Jejunii, si deinde nihil advertens, vel omnino immemor Voti, mœchatur, excusatur a culpa Sacrilegii, & a pœna Jejunii, Sanch. l. 4. Decal. c. 22. n. 18.; si autem memor Voti, sed omnino immemor pœnæ, esto Sacrilegium committat, tamen eam pœnam probabiliter non incurrit. Notanter dixi, hujusmodi Oblivionem, seu Inadvertentiam debere esse totalem; quia secus non æquivaleret Ignorantiæ invincibili. Signum autem ejus est, si deinde reflectens supra actum jam positum, clare discernas, te tunc nullatenus ad Legem, vel ad Factum, vel ad Pœnam advertisse: secus vero si discernas, te aliquo pacto saltem confuse, exercite, & quasi experimentaliter advertisse; quia ad peccandum satis est advertentia quasi experimentalis, & exercita, juxta dicta c. 4. conclus. 1.

CAPUT II.

An sit illicitum operari contra Conscientiam erroneam?

ERROR dicitur Ignorantia pravæ dispositionis, cum scilicet quis non solum habet carentiam scientiæ Veritatis, sed positive judicat falsum, ut verum: itaque Conscientia erronea est, cum quis putat esse licitum, quod est illicitum, vel etiam faciendum; atque hæc Conscientia potest esse vincibiliter, vel invincibiliter erronea, prout procedit ex Ignorantia vincibili, vel invincibili Veritatis.

Dico primo, Illicitum est operari contra Conscientiam invincibiliter erroneam dictantem, aliquod esse præceptum, quamvis reipsa præceptum non sit, vel etiam

sit

sit contrarium alteri Divino Præcepto. Doctores communiter apud Sanch. l. 1. Decal. c. 11.

Ratio est, quia Lex Naturæ cuique dictat, Malum esse vitandum: ergo dum quis per errorem invincibiliter putat, aliquod esse malum, tenetur illud vitare: ergo si non vitet, peccat, etiamsi illud in se non sit malum, vel etiamsi bonum, vel etiam præceptum; Voluntas enim non obligatur ad obedientiam Præceptorum, nisi quatenus Intellectus eam proponit per dictamen Conscientiæ; ideoque ad Rom. 14. dicitur: *Quod non est ex fide*, hoc est contra Conscientiam, *peccatum est*, ut explicant communiter Doctores hunc Apostoli textum. Hinc peccas, si non eleves Crucem stramineam, quam per errorem putas debere elevari; si spuas in Ecclesia putans, peccatum esse ibi spuere; si non audias Missam tali Feria putans, esse Festum; si non mentiaris putans, te debere mentiri pro salvanda vita Proximi; si non fureris putans, esse furandum ad dandam Eleemosynam, &c.; & similiter peccat lethaliter, si facias contra Conscientiam erronee dictantem, esse mortale, quod in se est veniale, vel nullum peccatum, vel etiam opus bonum, aut etiam præceptum.

Neque dicas, Obligationem unice oriri a Lege Divina, & Conscientiam erroneam non proponere veram Legem, sed putatam; ideoque actum contra eam positum non esse verum peccatum, sed ad summum putatum.

Nam contra est, quia Conscientia erronea in casu proponit hanc Legem Divinam Naturalem jubentem malum, cognitum ut tale, esse fugiendum; sequendam esse Conscientiam invincibiliter putantem, hoc, vel illud non licere, &c. ergo quamvis nulla sit Lex particularis, quæ per Conscientiam erroneam putatur esse, tamen qui contra hanc operatur, peccat contra veram Legem Naturalem universaliter jubentem, servandam esse quamcumque Legem particularem invincibiliter putatam adesse. Hinc qui non audit Missam tali Feria, putans esse Festum, peccat contra Præceptum Ecclesiasticum audiendi Missam, quia peccat contra Legem Naturalem jubentem, servandam esse Legem Ecclesiasticam putatam adesse.

Hinc infers cum Sanch. l. 1. Decal. c. 11. & aliis communiter contra Adrian. & alios, Peccatum commissum contra Conscientiam erroneam esse ejusdem speciei, ac commissum contra Conscientiam rectam, seu veram, v. g. qui Missam non audit, quando per errorem putat, esse Festum, & qui non audit die Festo; quia utrobique peccat contra dictamen Conscientiæ, proponens Ecclesiasticum Præceptum; & tota Malitia peccati consistit in eo, quod fiat contra dictamen Conscientiæ moraliter rectæ. Unde etiam infers cum eodem Sanch. contra Nav. & Val. apud Merol. peccatum contra talem Conscientiam erroneam bene explicari in Confessione dicendo: *Semel non audivi Missam præceptam*, quamvis non declares, te peccasse contra Conscientiam erroneam. At si iter faciens die Festo putes, esse peccatum, debes declarare hunc errorem, quia aliter non potes manifestare tuum peccatum, ut patet; Franc. Lug. de Consc. p. 1. q. 8.

Cæterum, quamvis eadem sit species peccati, puta Sacrilegii, Adulterii, Simoniæ, &c. sive committatur contra Conscientiam veram, sive contra erroneam, & consequenter eadem sit pœna a Deo infligenda: tamen non eadem erit pœna Humana, sive Civilis, sive Ecclesiastica, quia Lex Humana non imponit pœnam, nisi in Transgressores suæ Legis vere existentis. Hinc si habeas rem cum Femina, quam per errorem putas Conjugatam, Consanguineam, Affinem, aut Voto ligatam, peccas quidem peccato Adulterii, Incestus, aut Sacrilegii, & ut talis a Deo es puniendus; at non incurris pœnas humanas latas contra Adulteros, &c. Similiter si occidas Bannitum putans, non esse talem, peccas peccato Homicidii, sed non incurris Irregularitatem ex delicto, nec teneris quidquam restituere; incurris tamen Irregularitatem ex defectu lenitatis, tanquam Minister Justitiæ publicæ, a qua non excusat Ignorantia, juxta dicenda in de Censuris. v. Dian. p. 3. t. 4. r. 162. & Bon. de Pecc. d. 2. q. 4. p. 6.

Quæres, An sit peccatum operari contra Conscientiam invincibiliter erroneam habitualem, actu non existentem?

Respondeo, Casum esse hujusmodi: Errasti heri putans, esse peccatum spuere in Ecclesia, hodie oblitus erroris spuis in illa, Quæritur an peccas? Affirmant Medin. Sanch. Villal. & alii, quia illud dictamen non est revocatum, & consequenter censetur manere moraliter; sed rectius distinguendum: si enim judicium illud erroneum maneat Virtualiter in aliquo suo effectu, puta, si actu ea Conscientia aliquo pacto reclamet per aliquam saltem dubitationem, vel si culpabiliter non advertas, certe peccas spuendo: secus vero si dictamen illud maneat tantum habitualiter, quia sic nullatenus influit in operationem præsentem; aliter sequeretur, quod Infidelis, qui semel existimavit ad operum Bonitatem opus esse, ut ad suum Idolum referantur, peccaret deinde in omnibus suis operibus ex objecto bonis, quæ illius judicii immemor faceret; quod est absurdissimum; Sanch. l. 1. Decal. c. 11. n. 7.

Dico secundo, Si Conscientia sit vincibiliter erronea, evadis peccati reus, sive contra eam agas, sive juxta illam; Sanch. l. 1. Decal. c. 11. n. 12. ex D. Th. & aliis communiter.

Ratio est, quia talis Conscientia oritur ex Ignorantia vincibili Veritatis: ergo deponi debet per debitam diligentiam, antequam quidquam agas, juxta dicta cap. 1. Ergo semper peccas contra hoc debitum; sive contra, sive juxta eam agas; utrovis enim modo exponis te periculo peccandi. Sic si Conscientia per errorem vincibilem dictet esse mentiendum pro salvanda Vita Proximi, non præmissa debita diligentia pro invenienda Veritate, peccas contra septimum Præceptum, Mentiendo, & peccas contra dictam Conscientiam, non Mentiendo. Unde infert Vasq. apud Croix l. 1. n. 43. quod qui habet talem Conscientiam, nec tenetur eam sequi, nec contra eam agere, sed tenetur non agere, eamque interim deponere.

Si vero neglexisti errorem depellere, & nunc pœnitens negligentiæ quæras Monitorem, & non invenias, nec aliter eam depellere possis; equidem error, qui fuit principio vincibilis, redditur est invincibilis, & procedit Doctrina tradenda c. 4. v. Sanch. ibid.

Quæres primo, An sit majus peccatum, sequi Conscientiam vincibiliter errantem, quam illam non sequi?

Respondeo cum Sanch. n. 15. Bon. & aliis, pro materiæ gravitate, vel levitate discernendum esse, quodnam sit majus peccatum: v. g. dum per vincibilem errorem putas, esse tibi mentiendum pro salvanda Vita Proximi: si non mentiaris, peccas contra Misericordiam in re gravi; si mentiaris, peccas venialiter Mendacio officioso, quod est peccatum veniale. At si per errorem vincibilem putares, tibi pejerandum pro salvanda Vita Proximi, majus peccatum erit, sequendo talem Conscientiam; sicut etiam si putares esse Furandum, ut des Eleemosynam, majus peccatum esset furari, quam non furari.

Hinc si tua Conscientia erronea sit contraria Præcepto Superioris; tunc si error sit adhuc invincibilis, plus obligat Conscientia, quam Præceptum; quia ab hoc excusaris ratione Conscientiæ certo obligantis ad oppositum. Si vero error sit vincibilis, pro qualitate materiæ metienda est quantitas obligationis, & peccati: si enim facere contra Conscientiam proponatur solum, ut veniale; Superior autem obliget sub mortali, majus peccatum erit huic non parere; secus vero e converso. Si autem materia sit æqualis, major videtur obligatio Conscientiæ, quia hæc est proxima Regula Humanorum actuum, qua mediante, quæcumque Præcepta obtinent vim obligandi; Sanch. l. 1. Decal. c. 11. n. 16. contra Bon. & Sayr. v. Franc. Lug. de Consc. p. 1. q. 5.

Hæc valent, quando Conscientia erronea non deponitur; si enim ea sit vincibilis, deponi potest, ac debet, cum præsumi debeat pro Præcepto Superioris; ex quo Castrop. apud eundem Lug. putat, raro etiam contingere, Conscientiam invincibiliter errare in eo casu, ac per consequens deponendam esse, parendumque Superiori. An autem Conscientia invincibiliter erronea deponi possit pro libito, dubitant Doctores: Affirmant Cajet. Nav. & alii; negant Sanch. Vasq. Castrop. & alii; equidem cum Lug. q. 6. distinguo: si enim sine fundamento rationis, aut auctoritate sufficienti concepta sit, potest sine causa, vel ratione deponi, quia sicuti voluntarie posita est, ita voluntarie potest tolli: secus vero si cum fundamento rationis, vel auctoritatis concepta sit; tunc enim temere, & culpabiliter deponeretur sine auctoritate, vel ratione sufficienti ad eam deponendam.

CAPUT III.

An sit licitum, vel etiam positive honestum agere juxta Conscientiam erroneam?

DIco primo: Licitum est agere juxta Conscientiam invincibiliter erroneam. Ita communissime Doctores Catholici, contra Luth. Jans. Synnich. & aliquos Doctores Lovan.

Ratio

Ratio est, quia, ut operatio sit peccaminosa, debet esse aliquo pacto Voluntaria, nec potest esse talis, si procedat ex Ignorantia invincibili Malitiæ objectivæ, juxta jam dicta: ergo si procedat ex errore invincibili Juris, vel Facti, non est formaliter, etsi materialiter mala. Hinc non peccat, qui mentitur, invincibiliter putans, esse licitum Mendacium jocosum: qui se polluit, invincibiliter putans, id non esse illicitum: qui accelerat Mortem agentis Animam, putans, eum sic alleviari a cruciatu; &c.

Dices, Conscientia erronea opponitur Divinæ Legi prohibenti, v. g. Mendacium in omni casu, utpote intrinsece malum; ideoque D. Thom. quodlib. 8. a. 13. ait, *Quod agitur contra Legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod sit secundum Conscientiam:* ergo non est licitum agere juxta Conscientiam invincibiliter erroneam dictantem, v. g. licitum esse mentiri.

Respondeo, Distinguendo antecedens. Opponitur Divinæ Legi Secundariæ, nego; Primariæ, subdistinguo: opponitur materialiter, conc., formaliter, nego antecedens, & consequentiam. Divina Lex Primaria prohibet Mendacium cognitum ut malum, in omni casu, utpote intrinsece tale; sed huic Legi Conscientia invincibiliter erronea non opponitur formaliter, quamvis opponatur materialiter; non enim cognoscitur ei opponi, nec Mendacium esse ab ea prohibitum, aut intrinsece malum. Divina Lex Secundaria est, quæ per accidens, hoc est, supposito tali errore, permittit Mendacium, quatenus vult, nos sequi Conscientiam invincibiliter ita putantem. D. Th. loc. cit. loquitur de Conscientia vincibiliter erronea, & de assensu temere præstito in re dubia, quæ certe non excusant a peccatu, juxta dicta cap. antecedenti, quo sensu dicebat etiam D. August. apud D. Isidorum: *Eo insanabilius peccabam, quo magis peccare nesciebam*. At Conscientia invincibiliter erronea, si minus excusat a peccato materiali, excusat tamen a formali; ideoque actio est formaliter licita.

Dico secundo, Actus positos juxta Conscientiam invincibiliter erroneam potest esse etiam positive bonus, & honestus: Doctores communiter apud Tirill. contra Elizald. Camarg. & alios.

Ratio est, quia ad Bonitatem positivam moralem actus satis est, si reputetur licitus, & eliciatur ex motivo Virtutis; nam non specificatur ab objectis, ut sunt in se, sed prout ab Intellectu proponuntur: ergo si per errorem invincibilem proponatur Mendacium jocosum, ut licitum, vel etiam ut præceptum ad salvandam Vitam Proximi, potest cum laude elici ex motivo Charitatis, Misericordiæ, &c. & consequenter erit positive Bonum, & Meritorium; sic etiam, inquit D. Aug., Puer honorans aliquem, quem per errorem putat esse suum Patrem, est in hoc laude dignus per actum moraliter bonum.

Objicies Primo, Actus secundum Conscientiam erroneam non est secundum Conscientiam rectam: ergo nequit esse rectus, & positive bonus. Secundo, Secundum Deum, non mentiri est rectum, & bonum; si ergo secundum Deum etiam mentiri esset rectum, & bonum, Deus esset sibimet contrarius. Tertio, Nulla falsa Religione Deus recte colitur: ergo nec coli potest opere malo, quamvis reputetur bonum.

Respondeo, Ad primum distinguo antecedens: non est secundum Conscientiam rectam physice, conc., ethice, nego antecedens, & consequentiam. Conscientia invincibiliter erronea, etsi non sit physice recta, est tamen recta ethice, cum sit vere recta Regula formalis, quam hic, & nunc habere potest, ac debet, qui invincibiliter errat; est enim ei certa Regula, cui proinde se conformando bene moraliter agit. Ad secundum, Utrumque secundum Deum potest esse rectum, & bonum; sed non mentiri est per se tale, spectata Lege Primaria: mentiri vero est per accidens tale, spectata Lege Secundaria; non ergo Deus est sibimet oppositus: prohibet enim per se loquendo Mendacium; per accidens vero, & supposito errore illud permittit, vel etiam præcipit. Ad tertium, Etsi nequeat esse Supernaturalis Actus Fidei, quo creditur Religio falsa invincibiliter putata vera; cum sit actus Intellectus falsus, tamen est moraliter bonus, utpote imperatus a Voluntate obligata ad illud; ut si Rustico proponeretur a Parocho Incarnatio Spiritus Sancti, bene moraliter crederet, ut deberet: ergo pariter potest esse actus positive bonus Virtutis Moralis, positus secundum Conscientiam invincibiliter erroneam; imo cum talis actus pertineat tantum ad Voluntatem, cujus objectum non est Veritas, sed Rectitudo, seu Bonitas objectiva, potest esse etiam Supernaturalis; quia vere haberet Bonitatem objectivam, etsi procederet ex Conscientia erronea; quo sensu ait Vasq. actum erroris aliquando esse gratiam per Christum.

CAPUT IV.

Quid sit agendum cum Conscientia perplexa?

CONSCIENTIA perplexa est, quando per errorem putat quis, se peccaturum, sive agat, sive non agat: ut si die Festo habens curam Infirmi gravis, per errorem putes te peccare non audiendo Missam, & etiam peccare relinquendo Infirmum: vel si Excommunicatus, aut Interdictus putes te peccare audiendo Missam, & peccare non audiendo, & similia.

Qua in re, Certum est primo, quod si error sit vincibilis, debeas adhibere media legendo, consulendo, petendo lumen, &c. ad tollendam perplexitatem, antequam tempus operis exequendi adveniat; quia quivis tenetur adhibere media ad vitandum id, quod putat esse peccatum. Certum est secundo, quod si perplexitatem tollere nequeas, eligere debes id, quod minus malum tibi apparet; quia ex duobus malis minus est eligendum, quando alterutrum necesse est eligere; ideoque formare debes hoc Judicium practicum: Non est mihi imputandum, si in necessitate alterutrius, quod minus malum apparet, elegero. Sic si per errorem invincibiliter judicas esse mentiendum pro Vita Proximi, & simul peccatum esse mentiri, minus tamen grave, quam non salvare Proximum: debes mentiri, & peccas non mentiendo, quantum est hujus excessus supra illud.

At si es ita perplexus, ut nec discernere possis, quæ pars magis obliget, seu cujus violatio sit gravior, nec ab alio id discere valeas, nullatenus peccas quamcumque partem elegeris; ratio est, quia non est tibi liberum, sed physice necessarium alterutram eligere; atqui nec potes discernere, utrum eorum sit majus malum: ergo nec physice, nec moraliter es liber; atqui sine Libertate nullum potest esse peccatum: ergo nullatenus peccas, quamcumque partem elegeris.

Quamvis enim talis Conscientia ita perplexa per errorem dictet utrumque esse peccatum, tamen dictamen reflexum, quod est ultimum, tunc dirigit dicendo: *Quidquid agam, non pecco*. Quod dictamen, etsi forte tunc non innotescat ob perturbationem animi, &c. tamen reipsa abesse non potest, cum exercite, & quasi experimentaliter ex ea necessitate consurgat, ut recte notat Platel., v. Croix a n. 81. Bon. de Pecc. d. 2. q. 4. p. 6. Sanch. l. 1. Decal. c. 11. n. 14. contra aliquos. Addit tamen Merin. apud eund. talem casum esse impossibilem, & ad Dei Providentiam pertinere, vel Hominem tunc illuminare; vel hypothesim non permittere; quod probabile est ex Sanch. n. 13.

Cæterum simili ratione reputat Ovied. apud Croix n. 83. quod ad meritum non sufficiat Libertas inter actus omnino æquales, v. g. Eleemosynæ huic, vel illi extreme indigentibus; quia, cum sit necessitas dandi alterutri, non poterit tibi imputari ad laudem, neque adeo ad meritum, quod huic præ illo des, cum non sit major Bonitas in uno, quam in alio actu; secus vero dicendum, si actus sint inæquales, & eligatur melior; meritum enim esset quoad excessum.

Quæres, An peccet, qui simpliciter nequit, v. g. audire Missam die Festo, putat tamen, se peccare non audiendo?

Respondeo negative; quia non habet Libertatem ad audiendum. Si tamen esset ita actualiter dispositus, ut nollet audire, etiamsi non esset impeditus, peccaret, non quidem non audiendo; ad hoc enim non est Liber; sed per Voluntatem illam, quæ est libera, & mala. Si vero quis absolute quidem posset eam audire, sed ob justam excusationem, puta ob febrim levem, non tenetur ire ad Ecclesiam, & nihilominus judicaret se peccare non eundo, probabilius est, quod non eundo peccaret ex Conscientia erronea; quia simpliciter esset in ejus potestate Missam audire, & judicaret, se teneri audire: ergo non audiendo ageret contra Conscientiam, & consequenter peccaret, Dicast. apud Croix n. 14.

QUÆSTIO III.

De Conscientia dubia, & scrupulosa.

VIDENDUM. I. Quid, & Quotuplex sit Conscientia dubia? II. An licitum sit operari cum Conscientia dubia? III. An in Dubio melior sit Conditio Possidentis? IV. An in Dubio tutior pars sit eligenda? V. An in Dubio standum sit pro valore actus? VI. Quid sit agendum cum Conscientia scrupulosa?

CA-

C A P U T I.

Quid, & Quotuplex ſit Conſcientia dubia?

DUBIUM eſt, *Suſpenſio Intellectus inter duo Contradictoria ſibi propoſita, quorum neutri aſſentitur, neutri diſſentit, ſed hæret omnino anceps*. Quia tamen Intellectus, dum ſic hæret anceps, ſolet reflexe judicare, ſe eſſe in tali dubio, ſeu ſuſpenſione omnis Judicii directi circa rem propoſitam, ideo illud Judicium reflexum appellari optime poteſt Conſcientia dubia, non quidem formaliter, ſed objective: quatenus certo judicat, ſe eſſe in tali dubio. Hinc dividitur Conſcientia dubia in Negativam, & Poſitivam, in Speculativam, & Practicam, in Dubiam dubietate Juris, & dubietate Facti.

Quæres primo, Quæ ſit Conſcientia dubia Negative, & quæ dubia Poſitive?

Reſpondeo, Conſcientiam Dubiam Negative eſſe, cum dubium oritur ex defectu motivi ſufficientis, eo quod Intellectus non habet rationem ſufficientem pro hac, vel illa parte; ideoque dicitur Dubius Negative. Ubi tamen nota cum Elizal. Gonzal. & aliis apud Croix l. 1. n. 73. quod ſi nullum omnino occurrat motivum pro alterutra parte, ut dum quæritur; An Aſtra ſint paria? tunc non habetur proprie Dubium Negativum, ſed potius Neſcientia; quia, proprie dubitans, interrogatus, cur dubitet, debet aliquam ſaltem cauſam dare poſſe præter ſuam neſcientiam. Rurſus non ſufficit, habere pro cauſa dubii ſolam poſſibilitatem, ut ſi dubites, an occideris aliquem, quia erat poſſibile, quia hoc Dubium eſt metaphyſicum, & imprudens; ut ergo Dubium ſit morale, ac prudens requiritur, ut fundetur in aliqua ratione, ſeu motivo, de ſe tamen non ſufficiente ad aſſenſum, vel diſſenſum; ſic enim præter ſimplicem apprehenſionem utriuſque partis oppoſitæ, habetur quædam Intellectus diſpoſitio, qua ita fertur in rem propoſitam, ut reflexe ſaltem virtualiter judicet, ſe eſſe negative incertum, in quo ſtat Conſcientia Dubia Negative, & de hac in præſenti Quæſtione loquimur.

Conſcientia Dubia Poſitive eſt, cum Intellectus habet quidem motivum ſufficiens ad aſſenſum, vel diſſenſum, non tamen certum, aut evidens, ſed mere probabile; ideoque vel ſuſpendit aſſenſum, vel ita adhæret uni parti, ut formidet de altera; ſic enim habetur Dubium Poſitivum, vel Opinio; & conſequenter vel Conſcientia Dubia Poſitive, vel Conſcientia Probabilis; de quibus agam qu. ſequ.

Quæres ſecundo, Quæ ſit Conſcientia Speculative, & quæ Practice Dubia?

Reſpondeo, Conſcientiam Speculative Dubiam eſſe, cum Intellectus dubitat, præſcindendo ab operatione exercenda; ut ſi dubites, an hodie ſit dies Feſtus, an res, quam poſſides, ſit aliena, an bellum ſit juſtum, &c. Item cum Intellectus dubitat generatim de operatione exercenda, ſed præſcindit a circumſtantiis hic, & nunc occurrentibus; ut ſi dubites, an liceat die Feſto talem laborem exercere, an liceat retinere rem, quam poſſides, dubitans eſſe alienam, &c. quæ Dubia, quamvis pertineant ad praxim, tamen, cum præſcindant a circumſtantiis, dicuntur communiter Conſcientia Dubia Speculative.

Conſcientia Practice Dubia eſt, cum Intellectus dubitat, ſit necne licita operatio in his circumſtantiis, & in praxi hic & nunc exercenda; ut ſi dubites, an hoc die Feſto poſſis hic & nunc talem laborem exercere; an poſſis hic & nunc talem rem alienam retinere, &c. & hoc Dubium dicitur Practice practicum.

Nota hic, quod Dubium Speculativum neceſſario infert Dubium Practice practicum, niſi deponatur ex aliqua ratione, vel circumſtantia particulari; quia Conſcientia Speculativa ponit per ſe loquendo Fundamentum Practicæ: ſic ſi Speculative dubites, an aliquis Contractus ſit Uſurarius, teneris pariter Practice dubitare, niſi ſpecialis ratio cogat variare Judicium Practicum, aut deponere Dubium: ſimiliter ſi dubitas, an Baptiſmus fuerit validus, debes pariter dubitare, an poſſis illum reiterare, etſi particularis ratio ſubſit deponendi Practice Dubium Speculativum. Qualis autem ſit ſufficiens ejuſmodi ratio, fuſius dicetur infra.

Quæres tertio, Quæ ſit Conſcientia Dubia dubietate Juris, & quæ dubietate Facti?

Reſpondeo, Priorem eſſe, cum dubitatur, an Lex aliqua exiſtat, an ſit ſufficienter promulgata, an obliget aliquos, an ſe extendat ad aliquem caſum, an ceſſaverit, &c. Atque hoc Dubium aliud eſt Speculativum, cum ſcilicet dubitatur, an aliqua actio ſit legitima, adeoque valida, puta an talis Contractus ſit Jure validus, an valeat Baptiſmus in Nomine Chriſti, &c. Aliud eſt Practicum, cum ſcilicet dubitatur, an aliqua actio, puta an talis Contractus, an collatio Baptiſmi in Nomine Chriſti ſit licita?

Poſterior Conſcientia eſt, cum dubitatur de aliquo Facto: v. g. an ſit Clericus, quem percutis: an 21. annos completos habeas; item an voveris cum plena advertentia: an tempore delicti excelleris Pubertatem, &c. Ubi nota primo, quod ſi dubium ſit de aliquo Facto hic & nunc ponendo, tunc Conſcientia dubitans dicenda eſt Practica, quia eſt de actione hic & nunc exercenda; ſi vero dubium ſit de aliquo Facto jam præterito, tunc Conſcientia dicenda eſt potius Speculativa, quia per eam non quæritur, an aliqua actio liceat, ſed an poſita ſit. Nota ſecundo, quod ex Dubio Facti ſæpe naſcitur dubium Juris, v. g. dubitans, an Votum emiſeris, ſtatim dubitas, an illo tenearis.

C A P U T II.

An licitum ſit operari cum Conſcientia Dubia?

DICO primo, illicitum eſt operari cum Conſcientia Practice Dubia, ſive Dubium ſit Juris, ſive Facti: Doctores communiter cum Sanch. l. 1. c. 10.

Ratio eſt, quia qui operatur cum Conſcientia Practice Dubia, quod talis operatio ſit peccatum, manifeſte exponit ſe periculo peccandi: ergo peccat, juxta illud Eccleſiaſtici 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*; hoc eſt perit, ſeu peccat; cum amor ille ſit actuale peccatum, ut explicant Doctores communiter. Hinc qui Practice dubitat, an operando peccet, debet partem tutiorem eligere; nam in hoc caſu Regula illa Juris, *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, non eſt Conſilium, ſed Præceptum: eodem enim Præcepto, quo tenemur implere Legem, tenemur pariter nihil facere practice dubitando, an ſit contra eam Legem: ergo ad evitandum peccatum debemus partem eligere tutiorem. Illa autem dicitur pars tutior in præſenti, quæ nihil mali repræſentat, ac proinde ſimpliciter eſt tuta, cum oppoſita tuta non ſit: v. g. ſi Practice dubitas, an hic & nunc tenearis jejunare, teneris, dum jam Dubium non deponis; nam alias actus fieret cum Conſcientia Practice Dubia. v. Sanch. l. 2. Matr. d. 41. n. 9.

Quæres primo, Quale peccatum ſit, operari cum Conſcientia Practice Dubia?

Reſpondeo, Eſſe ejuſdem ſpeciei, ac peccatum, de quo dubitatur: v. g. qui dubitat, an operatio, quam ponit, ſit Adulterium, Sacrilegium, &c. peccat peccato Adulterii, Sacrilegii, &c. Qui dubitans, an Verbum otioſum ſit veniale, illud profert; peccat venialiter: mortaliter vero, ſi dubitet, an ſit mortale. Ratio eſt, quia operans cum tali dubio ideo peccat, quia exponit ſe periculo peccandi; atqui exponit ſe periculo ejus peccati, de quo dubitat: ergo ea ſpecie peccati peccat. Hinc qui dubitans, an ſit Præceptum Jejunii, plures hodie comedat, bene explicat peccatum ſuum in Confeſſione dicendo, *Fregi Jejunii Præceptum*. v. Sanch. l. 1. c. 16.

Quæres ſecundo, An qui peccat ex Conſcientia Practice Dubia, duplex peccatum committat, alterum contra Præceptum, de quo dubitat, alterum contra debitum deponendi Dubii?

Reſpondeo, Unum tantum peccatum committere; quia eodem Præcepto, quo quis tenetur diligentiam adhibere, & evitare peccatum, tenetur pariter evitare periculum talis peccati, & conſequenter vitare Dubium ponens nos in tali periculo: ergo, qui non adhibet diligentiam pro deponendo eo Dubio, cum quo operatur, contra idem omnino Præceptum peccat, & conſequenter unum tantum peccatum committit; Malder. Jan. & alii apud Dian. p. 3. t. 4. r. 141.

Excipe tamen ea, quæ aliunde, etiam præciſa præſenti operatione, ſcire tenemur: ut ſunt Myſteria Fidei, Præcepta Decalogi, & ea, quæ ad proprium Officium rite obeundum quilibet ſcire debet; Qui enim de his dubitat, vel advertit, ſe eſſe ignorantem, debet ea ſibi comparare, etiamſi hic & nunc non immineat periculum cum Dubio operandi; quare omiſſio diligentiæ in his eſt ſpeciale peccatum.

Dico ſecundo, Illicitum eſt, per ſe loquendo, operari cum Conſcientia Speculative Dubia, antequam Dubium Speculativum Practice deponatur: Doctores communiter. Ratio eſt, quia ex Dubio Speculativo, per ſe loquendo, oritur Dubium Practicum: qui enim Speculative dubitat, an v. g. aliquis actus ſit Fornicarius, debet Practice dubitare, an hic & nunc ſit licitus. Atqui ope-

rans cum Dubio Practico peccat: ergo dubitans Speculative, per se loquendo, peccat operando, & non sequendo partem tutiorem; nisi vero illud Dubium Practice deponat; Dixi, *per se loquendo*: Nam ex dictis q. 1. c. 1. potest aliquando per accidens Conscientia Practica discordare a Speculativa; ideoque, etiam perseverante Dubio Speculativo, licitum erit operari juxta dictamen Practicum, quia hoc, non illud, est proxima, & formalis Regula morum; sic qui dubitat, an absolutio Moribundi absque signis certis Pœnitentiæ sit valida, potest, imo tenetur illum absolvere saltem sub conditione, quia Dubium Speculativum cedit in praxi Conscientiæ Practice dictanti, hic & nunc subveniendum extreme indigenti etiam cum periculo nullitatis Sacramenti.

Quæres, Ad quid teneatur, qui habet Conscientiam Speculative Dubiam, & non vult eligere partem tutiorem?

Respondeo, Ante omnia teneri ad diligentiam moraliter debitam pro deponendo tali Dubio, prout exigit Materia, Tempus, Locus, & qualitas Personæ, juxta dicta q. 2. c. 1. de Ignorantia Vincibili; quia secus imputatur ei temeritas, & culpa, quæ contingit, aut contingere potest, dum se exponit tali periculo: Diligentia autem moraliter debita est, si in dubio consulat Viros doctos, & probos; vel si per se adhibeat sufficiens studium; vel demum si noverit, se esse in possessione.

Itaque si dubites, an hodie sit dies Festus, nec velis audire Missam, debes prius interrogare Virum doctum simul, & probum, vel ex Kalendario addiscere; secus peccas non audiendo: si autem die Dominico interfuisti Missæ solemni, in qua Parochus solet indicere Festa, & Jejunia infra Hebdomadam, nec tamen quidam indixit, non teneris ad aliam diligentiam, neque adeo peccas non audiendo Missam, si forte hodie dubites; quia sufficienti ratione deponis dubium ob adhibitam diligentiam, moraliter adhiberi solitam, Sanch. l. 1. Decal. c. 11. n. 37. Ubi idem ait de eo, qui non interfuit, sed petiit ab eis, qui interfuere, & testati sunt, Parochum nil indixisse.

At si non interfuit, nec alios potest nunc interrogare, nec per se addiscere, puta quia est in sylvis longe distans ab aliis; tunc etsi peccaverit jam non interessendo, si potuit, & advertit; tamen nunc non peccat, si dubitat v. g. esse Præceptum Jejunii, & non jejunet; quia Dubium est invincibile, quod deponi Practice potest ex eo principio, quod in Dubio melior sit Conditio Possidentis, de quo cap. sequ. v. Sanch. n. 45.

C A P U T III.

An in Dubio melior sit Conditio Possidentis?

EX Reg. 65. in 6. habetur: *In pari causa melior est Conditio Possidentis*; & Reg. 128. *In pari causa Possessor potior haberi debet*; & Reg. 11. *Cum sunt partium Jura obscura, Reo potius favendum est, quam Actori*; possidens autem est Reus, alter est Actor. Ex quibus desumptum est axioma, *In dubio melior est Conditio Possidentis*; de quo videndum est primo, an valeat universim in materia Justitiæ? secundo, an etiam in materia aliarum Virtutum?

Dico primo, In Dubio in materia Justitiæ post adhibitam moralem diligentiam melior est Conditio bona fide Possidentis: Doctores communiter cum Sanch. l. 1. Decal. c. 10. n. 9. contra Adrianum putantem in Dubiis, etiam Justitiæ, tutiorem partem eligendam: & contra Sot. Aragon. Cordub. putantes, rem dubiam esse dividendam.

Ratio communis est, quia Possessio bona fide inchoata, est sufficiens titulus deponendi Practice Conscientiam Dubiam, & honestandi retentionem rei, de qua Possessor dubitat, an sit aliena, etsi enim in tali Dubio possessioni superveniente sit æquale Jus utriusque partis quoad proprietatem, non tamen quoad possessionem, cujus legitime jam inchoatæ Jus certum habet Possessor: ergo non potest hic absque Injustitia spoliari re bona fide possessa, donec constet esse alterius; & consequenter insurgente Dubio, an res sit alterius, si facta sufficienti diligentia non potest vinci Dubium, potest rem licite retinere.

Hinc qui cœpit bona fide possidere, v. g. Librum titulo emptionis, donationis; &c. Si deinde dubitet, an sit furtivus, tenetur quidem ex Justitia debitam diligentiam adhibere ad Veritatem assequendam, alioquin exponeretur periculo retinendi sibi rem alienam, & viam præcluderet suum cuique reddendi, adeoque retineret cum Conscientia Practice Dubia; potest autem, dum Veritas inquiritur, rem servare; nam alias frustra Dominus quæreretur; non tamen potest alienare, nec consumere, etsi possit uti non consumendo, nec notabiliter deteriorando, cum animo solvendi vero Domino pretium illius usus, Sanch. l. 2. Matr. d. 41. n. 12. At si post adhibitam moralem diligentiam Veritas deprehendi nequeat, quamvis adhuc maneas speculative Dubius, imo etiamsi magis inclines in alteram partem, ut addit Vasq. tamen potes esse Practice certus, licere tibi retinere, alienare, consumere, &c. quia jure certo Possessionis (quæ per Dubium superveniens non interrumpitur) vincis alterum, de quo dubitas, an res sit sua; Less. de Just. l. 2. c. 6. d. 3. Secus vero, si cœpisti mala, vel dubia Fide librum possidere, puta si tibi emisti dubitans, an fuerit furtivus; cum enim sic peccaveris usurpando tibi rem, quam non magis putabat ad te, quam ad alium pertinere; nunquam deponere poteris Practice hoc Dubium, etiamsi omnem diligentiam deinde adhibueris; quare non invento Domino, debes rem illam dare Pauperibus, vel Loco Pio, juxta fusius dicenda de Restit.

Similiter ex dictis infertur, Judicem in Dubio pari proprietatis inter Partes debere adjudicare rem Possidenti bona Fide, nec posse illum cogere ad rem dividendam; quia Jus possessionis prævalet ex *Reg. cit.* si vero nullus possideat rem, de qua litigatur, debet inter partes dividere juxta proportionem Dubii; quod si res sit individua, puta Equus, Ledesm. putat, Judicem applicare posse alterutri, cui voluerit; sed rectius Sanch n. 16. ait, sortibus applicari debere, vel uni res, alteri dimidium pretii ex eorum consensu; nisi vero res sit Beneficium Ecclesiasticum, ad quod partes non habent Jus strictum, ideoque alterutri pro arbitrio Episcopi conferendum.

Dico secundo, In Dubio in Materia aliarum Virtutum post adhibitam debitam diligentiam melior etiam est Conditio Possidentis. Ita Suar. Fil. Castrop. Bonac. Lug. Laym. Nav. & alii communius cum Sanch. l. 2. de Matr. d. 41. n. 32. contra Azor. Vasq. Turr. Sayr. Sal. & alios in hoc rigidissimos, item contra Armyll. Sylv. Abb. & alios id concedentes tantum in Foro externo; item contra Garzi. id concedentem tantum in Præceptis affirmativis, apud Croix n. 502.

Ratio communis sententiæ est, quia Possessio est titulus universalis, & communis omnibus Virtutibus; nam juxta communem usum loquendi dicitur Voluntas possidere suam Libertatem, donec Lege, vel Voto obligetur: ergo semper est licitum deponere Practice Dubium Speculativum, quoties præsupponitur Possessio Libertatis, si Dubium post præmissam debitam diligentiam vinci non potest. Neque dicas, Dubium superveniens deturbare Libertatem a sua possessione; nam sicut in Materia Justitiæ non deturbatur Possessor a sua possessione per Dubium superveniens, eo quod erat certa, ita in materia aliarum Virtutum non deturbatur Libertas a sua possessione per Dubium superveniens obligationis: ergo sicut ibi insurgit tantum obligatio diligentiæ adhibendæ, qua adhibita, si perseveret Dubium, deponi Practice potest; ita etiam hic, &c. Confirmatur, quia in Materia Justitiæ non dicitur prævalere Possessio rei, sed Possessio Libertatis circa illam rem; si enim quis possideat legitime pecuniam, & dubitet, an satisfecerit debito certo, non dicitur habere ullum Jus ad non satisfaciendum debito, eo quod pecuniam possideat, sed debet illi satisfacere, eo quod deturbata est Possessio Libertatis circa talem pecuniam ab obligatione certa satisfaciendi; ergo universim tunc dicitur possidere Libertas, quando ante dubium subortum certa erat moralis Libertas.

Infers primo, Quoties dubitatur, an Lex aliqua sive Naturalis, sive Divina positiva, sive Humana, vel Præceptum, aut Consuetudo legitime introducta existat, si facta diligenti inquisitione ad Veritatem indagandam, adhuc Dubium perseveret, posse deponi Practice illud Dubium, & agi, quod libet, quia tunc Possessio stat pro Libertate, cum quilibet sit suarum operationum Dominus, & libere in illis procedere possit, quoties non est ligatus. Neque dicas, in tali dubio esse in possessione Divinam Libertatem, utpote certo possidentem suam potestatem dandi, vel negandi licentiam, juxta dicta q. 1. c. 1.; nam hoc tantum fert, ut suborto tali dubio, teneamur adhibere diligentiam humano modo debitam ad investigandam Veritatem; at si postea adhuc perseveret Dubium, cum sit jam humano modo invincibile, certo moraliter præsumitur de Divina Benignitate, nolle nos ligare etiam in Lege Naturali; quæ etsi secundum se prior sit nostra Libertate, non

tamen

tamen prout actu obligans, si invincibiliter ignoretur, vel invincibiliter de ea dubitetur.

Infers secundo, Idem dicendum, si suborto Dubio de existentia Legis, vel Præcepti, nullam prorsus adhibere possis moralem diligentiam: v. g. si existens in sylvis dubites de Præcepto Jejunii hodierni, & nequeas hodie quemquam consulere, non teneris jejunare; quia ob Dubium invincibile certo præsumere potes de Divina Benignitate, nolle te hodie ad Jejunium ligare. Non tamen hinc inferas, posse hodie consumere, vel alienare rem in Dubio, an sit aliena, quod moraliter hodie vinci nequeat, possit vero diligentia adhiberi cras; nam in tali casu solum præsumitur de Voluntate Domini, quod possis hodie ea uti usu non consumptivo, cum possis, adeoque debeas servare eam in crastinum; at in casu nostro obligatio Jejunii si esset, esset affixa huic diei; ideoque si nequeas hodie diligentiam adhibere pro deponendo Dubio, id fit prorsus invincibile, ideoque simpliciter non obligat.

Quæres, Quænam sit regula ad dignoscendum, pro qua parte stet in Dubiis Possessio?

Respondeo, Ex Sanch. l. 1. Decal. c. 10. n. 13. Bonac. Fil. Pal. & aliis, Possessionem in Dubio pro illo esse, pro quo stat Juris præsumptio, seu qui onus probandi in alterum transfert, ipse vero tantum quasi se defendit; quod valere debet etiam in foro interno, in quo res sit eodem modo Dubia, ac in externo, ut est in casu. Hinc si Dubium sit, an transierit dies Jovis, & facta diligentia adhuc maneat Dubium, potes comedere carnes, quia pro eo dia est præsumptio; adeoque pro Libertate contra Præceptum diei Veneris, quod probare debet, se jam adesse; contra vero si Dubium sit, an transierit dies Saturni, hic dies est in possessione, ideoque pro eo præsumitur in Dubio, an sit elapsa media Nox, & consequenter non potes licite carnes comedere. Similiter si dubites, an compleveris ann. 21. non teneris ad Jejunium, teneris vero si dubites, an expleveris ann. 60. Sic si dubites, an facultas jam obtenta expirarit, potes absolvere: secus, si dubites, an eam obtinueris. Similiter in Dubio invincibili Juris, si dubites, an Lex existat, non teneris eam servare, quia Possessio stat pro Libertate, & Lex probare debet suam existentiam; idemque est, si dubites, an Votum emiseris, quæ est Lex privata, ideoque nec teneris implere; idemque secundum Sanch. si certus de Legis existentia, invincibiliter dubites, an talem casum comprehendat, quia perinde est, ac dubitare de existentia Legis pro tali casu. Si autem dubites, an Lex sit promulgata, an sit acceptata, an usu recepta, an derogata, an dispensata, pro ea stat præsumptio, & tibi incumbit onus probandi oppositum; adeoque quousque non probes, teneris in dubio eam servare; excipit tamen Castrop. & Dian. p. 1. t. 10. r. 3 si Dubium sit circa promulgationem, quia sic non possidet Lex in quantum obligans, nec promulgatio præsumitur: cum non detur in Legislatore promulgandi obligatio; contra vero acceptatio præsumitur, cum detur in Subditis obligatio acceptandi. In dubio autem impotentiæ servandi Legem, dicam disp. 2. cum de Epich.

Denique in Dubio, an res Præcepta sit illicita, vel excedat potestatem Præcipientis; communior sententia cum Sanch. l. 6. Decal. c. 3. contra Vasq. Sal. Adrian. docet, teneri Subditum obedire, ex cap. *Quid culpatur* 23. q. 1. ubi ex Aug. dicitur, Regi indicenti bellum teneri Subditos obedire, etsi dubitent de injustitia belli; & ratio ex dictis est, quia in dubio melior est Conditio Superioris, qui nequit spoliari hac Possessione, quousque non constet Præceptum esse illicitum, aut excedens ejus potestatem; nisi vero ex Obedientia timeatur etiam grave damnum proprium, aut alienum, ut limitant Sanch. Sayr. & alii; quia Præcepta Humana non obligant cum gravi incommodo: ergo a fortiori si sint Dubia; ideoque infert Less. c. 31. n. 17. probabiliter non teneri, fateri tuum delictum, vel alterius, si dubites, an Superior juridice interroget. Si autem tum Subditus, tum Superior, dubitent, an res præcepta sit illicita, tunc si Superior non præmiserat debitam Veritatis investigationem, non tenetur Subditus, imo nec potest obedire, quia in tali casu certum est, Superiorem non posse præcipere, adeoque Subditus operatur cum Dubio Practico; secus vero dicendum, si diligentiam præmiserit, etiamsi deinde in utroque maneat Dubium, quia tunc deponi potest, ac debet Practice; Castrop. & alii.

Hinc si uterque Conjux dubitet de Valore Matrimonii, Bona Fide jam contracti, neuter potest debitum petere, aut reddere, quousque debita diligentia præmittatur; potest vero post eam diligentiam, etsi maneat Speculative Dubium, Sanch. l. 2. Matr. d. 41. Si autem alter Conjux dubitet, non potest petere, potest tamen reddere alteri non dubitanti, utpote possidenti bona Fide, ex quo Dubium Speculativum de redditione Fornicaria licite deponitur Practice: imo si ipse bona Fide contraxit, & deinde suborto Dubio debitam diligentiam adhibuit, probabiliter potest etiam petere cum Dubio adhuc perseverante ob eandem rationem; Sanch. ibidem. Neque obstat cap. *Dominus de secundis Nuptiis*, dicens, non posse petere, quia debet intelligi de eo, qui mala Fide, vel dubia contraxit.

CAPUT IV.

An in dubio tutior pars sit eligenda?

HOc axioma habetur in cap. *Ad Audientiam*, & in cap. *Significasti*, *de Homicid.* ubi statuitur, Irregularem certo esse eum, qui dubitat, an ipse fuerit causa Homicidii jam secuti; & datur hæc ratio cap. *Ad Audientiam*: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*; & cap. *Significasti*: *Cum cessare sit tutius, quam temere celebrare pro eo, quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur*; item in cap. *Illud de Cler. Excom. Ministr.* statuitur, Clericum, qui ex sola fama novit, se esse Excommunicatum, si ante absolutionem celebravit, esse deponendum, & datur hæc etiam ratio; *Quia in dubio via est tutior eligenda.* Hinc Glos. Host. Vasq. Azor. Sayr. & alii apud Sanch. l. 1. Decal. c. 10. n. 10. docent, in sola materia Justitiæ verum esse axioma capitis antecedentis, quod in dubio melior sit Conditio Possidentis; in materia vero aliarum Virtutum tutiorem partem esse in dubio eligendam; ideoque vocantur Tutioristæ.

Dico: Hoc axioma, *In dubio tutior pars est eligenda*, est tantum de Consilio, excepta Irregularitate in dubio, an fueris causa Homicidii jam secuti; quod est Dubium Facti: excepto etiam casu, in quo est aliunde obligatio obtinendi in re finem intentum. Ita Suar. Sanch. l. 1. Dec. c. 10. n. 15. aliique cum Croix n. 476.

Ratio est, quia sicut in Materia Justitiæ est tantum de Consilio sequi partem tutiorem, reddendo scilicet alteri rem in dubio, an sit illius; ita in materia aliarum Virtutum esse debet tantum de Consilio sequi tutiorem, obediendo scilicet Legi in dubio, an existat; cum utrobique ex dictis tuto adhuc agas ex altero axiomate, quod *In Dubio melior sit Conditio Possidentis*: ergo sicuti ibi retineri licite potest res possessa in Dubio, an sit aliena, præmissa ut supra debita diligentia; ita in dubio existentiæ Legis, præmissa eadem diligentia, potest licite omitti observantia, etsi sit Tutior.

Quod autem Pontifex in *Text. cit. de Homic.* statuerit Irregularitatem in dubio Facti de Homicidio, ex eo, quod in Dubio Tutior pars sit eligenda, non id fecit, quia potuit esse hoc axioma de Præcepto; sed quia reputavit esse Rationi magis consentaneum, ut juxta illud in eo casu particulari Legem statueret; quod satis est ad illam Legem sanciendam, non vero ad obligationem inducendam extra casus expressos. Patet hoc clare ex cap. *Dominus*, *de secundis Nuptiis*, ubi deciditur, quod Conjux dubitans de Vita prioris Conjugis, adeoque de nullitate secundi Matrimonii, possit, imo teneatur reddere alteri bona Fide petenti debitum. Tutius autem esset non reddere ob periculum Fornicationis, quæ cum sit Jure Naturali antecedenter ad omnem possessionem humanam alterius prohibita, redditur licita in casu præcise ob Possessionem Libertatis in reddente sub Dubio talis Juris, & hac Libertate supposita redditur deinde debita alteri bona Fide possidenti. Similiter cap. *Laudabilem de Frigidis*, conceditur tempus triennii, ut dubitans de Valore Matrimonii per Naturam frigidam, possit cohabitando experiri, an possit coire; quod certe permitti non posset, si universaliter esset de Præcepto, Tutior pars eligenda, cum Tutius sit abstinere, ne forte sit Fornicatio.

Infers primo, Qui præmissa debita diligentia dubitat, an incurrerit Excommunicationem, aliamve Censuram, vel etiam Irregularitatem (modo non sit ex Homicidio) licite posse se gerere, ut liberum ab his pœnis; adeoque posse celebrare, communicare, &c. præciso scandalo; At si in his dubiis, non præmissa debita diligentia, celebravit, communicavit, &c. peccavit quidem, sed nullius Censuræ, aut Irregularitatis factus est reus, modo negligentia non fuerit crassa, & supina, v. Sanch. n. 46. addens n. 56. hæc vera esse, sive dubium sit Juris, sive dubium sit Facti. Neque obstat cap. *Illud de*

Cler. Exc. Minist., in quo ex dictis declaratur Excommunicatus Clericus, qui ex fama tantum novit se Excommunicatum; nam ille non habebat Dubium, sed Ignorantiam crassam suæ Excommunicationis, & ideo Text. ait, teneri sequi partem tutiorem, Sanch. n. 63.

Infers secundo, Hoc axioma, *In dubio tutior pars est eligenda*, esse tantum de Præcepto Ecclesiastico in Irregularitate orta ex Dubio facti Homicidii, puta si dubites, an abortus fuerit, necne animatus, an occisus ex tuo, vel alieno vulnere perierit, &c. Ex Jure vero Naturali esse de Præcepto in Dubio Practico, si scilicet nondum diligentiam moraliter debitam adhibueris pro deponendo dubio, tunc enim eligere debes partem tutiorem, ne subeas periculum peccandi, juxta dicta c. 2. item in dubio, in quo aliunde est obligatio obtinendi finem intentum, ut in illis, quæ sunt de necessitate medii ad Salutem, ut sunt Fides, Baptismus, Pœnitentia, &c., quia si in iis etiam invincibiliter erretur, non acquiritur Salus; item in conficiendis Sacramentis, in quibus sequenda est pars tutior, ne exponantur periculo frustrationis, juxta dicenda q. sequ. vel in Medicis, Advocatis, Judicibus, aliisque similibus, qui per Contractum, aut quasi Contractum se obligarunt ad procurandam alicui Salutem, Victoriam Causæ, &c. juxta ibidem dicenda: vel demum si quis ad hoc se Voto obligasset, aut mandato expresso Superioris, ut sequatur tutiora, ut per se patet. Croix n. 477.

In reliquis ergo quibuscumque materiis licitum est post præmissam debitam diligentiam, etsi adhuc dubium perseveret, sequi in praxi partem minus tutam; cum formaliter sit tuta, etsi materialiter forte foret in se illicita.

C A P U T V.

An in dubio standum sit pro valore actus?

HOc dubium non versatur immediate circa licitum, & illicitum, sed circa validum, & invalidum; ideoque per se loquendo est speculativum, quamvis ex eo statim oriatur Dubium Practicum. Videndum primo, an hoc axioma sit verum de dubio circa actum præteritum? Secundo, an de dubio circa actum futurum?

Dico primo, Si dubium sit, an actus simpliciter sit positus, axioma est falsum; si dubium sit, an actus certo jam positus, fuerit validus, regulariter axioma est verum: Doctores communiter.

Ratio primæ partis est; quia in dubio non præsumitur factum, sed probari debet, ex *Reg. Juris l. In bello ff. de Captivis, & l. 2. de Probat.* quæ pariter valet in Foro Conscientiæ: ergo si tecum dubites, an simpliciter posueris aliquam actionem, præsumere potes, eam non posuisse; hinc si dubites negative, an olim posueris actum, qui secundum se est peccatum, præsumere potes, te esse Innocentem, juxta hanc aliam Regulam: *Nemo præsumitur malus, sed probandus*; & consequenter potes practice deponere Dubium, itaut non tenearis peccatum illud, de quo dubitas, confiteri; quia in tali dubio, quod præmissa debita diligentia, ut semper suppono, deponi nequit, possidet tua Libertas, seu Immunitas a peccato. Contra vero si certus, te olim peccatum commisisse, dubites negative, an confessus illud fueris, teneris confiteri; quia in tali dubio possides obligatio Confessionis, ut patet.

Ratio secundæ partis est, quia tunc certus es de actu principali simpliciter posito, & dubitas tantum de ejus adjunctis, quæ tamen regulariter præsumuntur adfuisse, nisi probetur oppositum: ergo in tali dubio regulariter standum pro valore actus: sic si certus de actu externo rite peracto, puta de Confessione, Testamento, Matrimonio, aliove Contractu, dubitas tamen, an adfuerint actus interni requisiti, & sufficientes, censere debes, eos adfuisse, nisi accedat præsumptio in oppositum. Similiter si dubium sit de aliquo tantum accessorio, quod de Jure faciendum erat, aut ordinarie ita fieri solet, aut si factum esse sit favorabile facienti, præsumitur, illud accessorium adfuisse: ut si scias, te jam vovisse, & dubites de intentione; si scias, te Matrimonium rite contraxisse, & dubites de consensu, &c. debes stare pro validitate Voti, Matrimonii, &c. modo certus etiam sis, Votum illud emisisse post septennium, Matrimonium contraxisse post Pubertatem, quia sic præsumptio stat pro Usu rationis, & ætate legitime requisita. Si vero dubium sit, an tunc fueris septennis, vel Pubes, præsumptio stat pro ea ætate inepta ad vovendum, vel nubendum; & consequenter poteris te censere liberum a Voto, vel Matrimonio.

C A P U T VI.

Quid sit agendum cum Conscientia Scrupulosa?

COnsciéntia Scrupulosa dicitur, quæ frequenter scrupulis angitur sive in eadem, sive in diversis materiis; non vero quæ semel, vel raro: aliter omnes deberent dici Scrupulosi, cum nemo sit, qui aliquando aliquo scrupulo non laboret. Indicia ergo Conscientiæ Scrupulosæ sunt, si sæpe alios interroget in rebus manifestis; si passim hæreat cum suspensione Judicii; si frequenter contra Sapientum, imo etiam suipsius judicium dictans, nullum in aliqua actione esse, vel fuisse peccatum, adhuc timet, ne forte peccet, aut peccaverit; & similia apud Fill. Laym. Boss. Croix de Consc. n. 515.

Est autem Scrupulus, *Inanis apprehensio, & hinc ortus timor, & anxietas, alicubi esse peccatum, ubi non est*; Nav. Azor. & alii. Quare per se non tollit motivum prudens, quod ibi non sit peccatum, tamen adeo animum perturbat, ut non sinat illi acquiescere, sed potius reddat animum hinc inde suspensum, & vacillantem, apprehendendo obligationem in Conscientia, ubi non est.

Quæres primo, An Scrupuloso licitum sit agere contra suam Conscientiam Scrupulosam?

Respondeo affirmative cum Sanch. Laym. Vasq. Bon. & aliis, contra Rodr. Lug. & alios paucos; Quia cum Conscientia Scrupulosa stare potest Judicium practice practicum, quod liceat talem operationem ponere; aliter non esset Scrupulus, sed Dubium: ergo etiam non deposito Scrupulo, potest licite contra illum poni operatio a Scrupuloso. Judicium autem practice practicum, quod liceat ea operatio, haberi potest saltem per principia extrinseca nixa auctoritati Doctorum, vel Confessarii, vel Viri prudentis, quibus potest ille tuto acquiescere, & reflexe judicare, se certo non peccare. Ex quo etiam sequitur, aliquando teneri etiam contra Conscientiam Scrupulosam operari, si scilicet ex scrupulorum anxietate grave damnum Valetudinis quis pateretur, vel se inutilem redderet ad suum munus; vel a Sacramentis, aliisve actionibus necessariis retraheretur, &c. Sanch. l. 1. Dec. c. 10. n. 80.

Neque dictis obstat cap. *Inquisitionis, de Sent. Excom.* ubi Conjugi habenti Scrupulum de validitate Matrimonii respondetur, *Conscientia levis, & temerariæ Credulitatis explosa licite potest non solum reddere, sed etiam petere*; adeoque prius deponendum esse scrupulum. Nam Glos. ibi notat, Conscientiam illam fuisse dubiam, aut erroneam, non vero scrupulosam. Idem habetur in cap. *Per tua, de Simon*; ubi non permittitur Sacerdoti celebrare, nisi deponat errorem ortum ex *Conscientia nimis Scrupulosa*; non enim prohibetur celebrare contra Conscientiam Scrupulosam, sed contra errorem inde exortum; agere enim contra Conscientiam erroneam nondum depositam, peccatum est juxta dicta q. 2.. Hinc, ut Scrupuli non veniant in errorem tollentem Judicium Pract cum licentiæ, debemus illi initio contraire, ut bene monet Franc. Lug. de Consc. c. 4. q. 1.

Quæres secundo, Quæ sint signa Conscientiæ Scrupulosæ?

Respondeo, Esse fere quatuor. Primo, Pertinacia proprii Judicii, qui Doctorum, ac præsertim Confessarii consiliis non acquiescit, unde varios consulit, & fatigat, ac tandem nullius stat Judicio. Secundo, ex levi apparentia frequens Judiciorum mutatio; unde oritur in agendo inconstantia, v. g. in legendis Horis Canonicis decies mutabit judicium de lecto, vel non lecto aliquo versiculo; unde etiam oritur, perturbate agere, & in externis actionibus versari, gesticulare, &c. Tertio habere reflexiones extravagantes infinitarum circumstantiarum; unde oritur, timere in omnibus peccatum, & contra Sapientum, & proprium sæpe Judicium esse inquietum; ut si alias expertus sis te similia apprehendisse sine fundamento; quod est etiam signum Scrupuli particularis. Quarto demum si Confessarius judicet, te esse Scrupulosum, potes, imo & debes, te credere talem; quia debes vanas tuas apprehensiones, propriumque Judicium, nisi sit certum, & evidens, ejus Judicio submittere: Doctores communiter.

Quæres tertio, Quænam sint remedia Conscientiæ Scrupulosæ?

Respondeo, Esse fere sex: Primo, Acquiescere Judicio Superioris, vel Confessarii, vel alterius Viri docti, & pii,

& pii, non recurrendo ad eum in singulis actionibus; sed accipiendo ab eo generalia principia, a quibus nullo modo recedat, etsi enim contingeret, Confessarium errare, ipse tamen non peccabit; nam faciet, quod in se est. Secundo, Bonorum Vitam, & Consuetudinem tanquam Regulam intueri; itaut quód illi absque formidine peccati agunt, possit tuto sequi, dicendo, *Video hos, & illos, de quorum probitate dubitare non audeo, tale quid bona Fide agere: ergo ego possum similiter*. Tertio, assuefacere se ad sequendas sententias mitiores, etiamsi minus tutas, modo sint solide probabiles, quas scire potest ex libris, aut dicto Confessarii, aliusve Viri docti. Quarto, cum primum animo Scrupulus exoritur, statim repellere, nec cogitatione fovere; quamobrem expedit etiam Scrupulosum aliis negotiis jugiter occupari, ne Scrupulis vacandi tempus suppetat. Quinto, removere causas Scrupulorum; si enim nascantur ex nimia maceratione Corporis, hæc minuatur; si ex Melancholia, moderate recreetur; si ex Superbia, humilietur; si ex Pertinacia Judicii, hoc frangat, &c. Sexto demum, ad Deum propriis, & alienis precibus cum Humilitate, Fiducia, & Constantia recurrere; vitare peccata manifesta, &c. præsertim si sit Scrupulosus in una tantum materia, in aliis laxus. v. Franc. Lug. de Consc. c. 4. q. 2.

Quæres quarto, Quænam sint Privilegia Conscientiæ Scrupulosæ?

Respondeo, Esse fere duo: Primo non teneri in agendo adhibere examen, & diligentiam, nisi valde mediocrem; itaut, dum angit Scrupulus, nec suppetit Consilium, possit libere agere, quod vult; nisi certum, & evidens sit, esse peccatum. Secundo nec teneri repetere præteritas Confessiones, nisi certo sciat, aliquid esse mortale, & se rite confessum non esse; non est autem certus, quamdiu dubitat; unde suadet Laym. ut Scrupulosus nunquam confiteatur Dubia, & Scrupulos; & Vasq. non teneri confiteri, nisi quæ jurare possit esse mortalia, & nunquam esse confessum. Ratio utriusque Privilegii est, quia in Scrupuloso ex nimio timore peccandi turbatur ratio, ut non possit recte rem examinare; unde esto aliqua confessus non fuerit, non tenetur cum tanto damno, & periculo anxietatis perpetuæ procurare integritatem Confessionis, cum ab ea minores etiam difficultates sæpe excusent. Sanch. l. 1. c. 10. n. 82. & deinceps.

QUÆSTIO IV.

De Conscientia Probabilis?

CONSCIENTIA Probabilis est, quæ ex probabili opinione dictat, actionem esse licitam. Videndum I. Quid sit Opinio Probabilis? II. An liceat sequi in praxi Opinionem Probabiliorem, relicta Tutiore minus Probabili? III. An Opinionem Probabilem, relicta Tutiore æque Probabili? IV. An minus Probabilem, relicta Tutiore magis Probabili?

CAPUT I.

Quid sit Opinio Probabili.

PROBABILE est, quod nititur motivo non quidem certo, sed tamen gravi, solido, magnique momenti, itaut movere possit Virum prudentem ad assensum. Hoc motivum potest esse duplex: vel scilicet intrinsecum ex natura ipsius rei: vel extrinsecum ex auctoritate Doctorum; ut autem sit grave, debet accipi non solum solitarie, sed etiam comparative ad motiva opposita, itaut spectatis omnibus Intellectus bene dispositus experiatur, vi quadam inclinari, & quodammodo rapi ad assensum, quamvis non necessitetur ab illo: si ergo non assentiatur de facto, dicere tamen debet per Judicium reflexum, id esse Probabile: si assentiatur immediate, & directe, hic Assensus est prudens, licet cum aliqua formidine de opposito; atque hæc est Opinio Probabilis.

Quæres primo, Quæ sit Opinio tenuiter Probabilis?

Respondeo, Esse illam, quæ nititur Motivo ita tenui, ut Virum Prudentem movere nequeat neque ad Assensum directum, neque ad Assensum reflexum. Talis est primo Opinio, de cujus Probabilitate dubitatur. Secundo Opinio, quæ probabiliter tantum est Probabilis. Tertio Opinio, quæ nititur motivo gravi tantum solitarie, & non comparative ad motiva opposita. Quarto demum Opinio, quæ sit alicujus Doctoris præsertim moderni contra communem Doctorum; ut constat ex Prop. 27. damnata ab Alex. VII. *Si Liber sit alicujus Junioris, & Moderni debet Opinio censeri Probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica, tanquam improbabilem*: Et ratio damnationis est; quia si sit contra communem Doctorum, auctoritas unius, vel etiam aliquorum, est valde tenuis comparative; nisi vero ie sit omni exceptione major, & rem ex professo tractet; sic enim est gravis ejus auctoritas etiam comparative. v. Tamb. l. 1. Decal. c. 3. §. 3.

Illicitum autem est operari secundum Opinionem tenuiter Probabilem contra Legem, nisi forte sinus in casu extremæ necessitatis; quia tunc ipsa necessitas addit pondus tenuitati. Hinc ab Inn. XI. damnatur Prop. 3. *Generatim dum Probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a Probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*; Et ratio damnationis est; quia assensus Opinioni tenuiter Probabili est imprudens, ideoque imprudenter deducitur in praxim contra Legem, nisi excuset urgens necessitas. Unde infera, Opinionem tenuiter Probabilem dici cum addito ita diminuente, ut non possit simpliciter dici Opinio Probabilis, cum sit potius imprudens, & temeraria; de qua proinde hic non loquimur.

Quæres secundo, An Opinio Probabilis suscipiat magis, & minus intra fines solidæ Probabilitatis?

Respondeo affirmative, Quia Opinio eo magis crescere potest in sua solida Probabilitate, quo minus habet formidinis in oppositum. Hinc datur Opinio Probabilis, Probabilior, & Probabilissima. Probabilissima est, quæ attingit ultimum gradum Probabilitatis ex Motivis tum intrinsecis, tum extrinsecis, itaut ejus opposita non possit esse simpliciter Probabilis, sed tenuiter tantum Probabilis; unde ipsa est fere moraliter certa, ut est v. g. Opinio de licite adhibenda Attritione in Sacramento Pœnitentiæ. Probabilior est, quæ nititur Motivis validioribus, quam Opinio opposita, quæ proinde manet etiam solide Probabilis, sed minus, quam illa: v. g. Opinio, quod in Dubio de existentia Legis, liceat, post adhibitam debitam diligentiam agere, quod libet, est Probabilior Opinione id negante. Demum Opinio Probabilis est, cujus opposita est æque fere probabilis: v. g. An liceat pingere die Festo? Sunt enim Opiniones oppositæ Doctorum hinc inde fere æque Probabiles.

Quæres tertio, Quæ sit in Opinione Probabili para tuta, seu tutior, & quæ minus tuta?

Respondeo, Partem tutam, se tutiorem dici, quæ nullatenus est exposita periculo peccandi ne materialiter quidem; v. g. quæ dictat, Contritionem esse adhibendam in Sacramento Pœnitentiæ; hinc minus tuta dicitur, quæ est exposita periculo peccandi materialiter, v. g. quæ dictat, Attritionem licite adhiberi in Sacramento Pœnitentiæ. Ex quo patet, Partem tutam, seu tutiorem posse habere minorem Probabilitatem, quam habeat minus tuta, imo posse esse simpliciter improbabilem: contra vero Partem minus tutam posse esse Probabiliorem Parte tutiore; imo posse esse Probabilissimam, & fere moraliter Certam, ut in allato exemplo; Para enim dictans, licite adhiberi Attritionem in Sacramento Pœnitentiæ est Probabilissima, & fere moraliter Certa: quod maxime notandum, ut apte explicetur Prop. 1. damnata ab Innoc. XI. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis, sequi Opinionem Probabilem de Valore Sacramenti, relicta Tutiore*. Hinc enim non sequitur, quod sit illicitum sequi Opinionem Probabilissimam relicta tutiore opposita in quacumque materia etiam conferendi Sacramenta, quia Opinio Probabilissima est fere moraliter Certa; dixi *fere*, quia Supremum infimi attingit infimum Supremi.

Hinc ab Alex. VIII. damnatur Prop. 3. *Non licet sequi Opinionem vel inter Probabiles Probabilissimam*: quam Propositionem Synnich. & alii Tutioristæ, & Rigoristæ ex Jans. in medium protulerunt, qua via ad Salutem præcluditur ob moralem impossibilitatem exequendi semper, quod est Tutissimum. Et ratio damnationis est; quia Opinio Probabilissima est, quæ nititur validissimo Fundamento, & habet pro se Suffragium plurimorum Sapientum: ergo quamvis opposita favens Legi sit tutior, tamen Probabilissima favens Libertati est etiam tuta sicut Sententia moraliter certa favans Libertati, adhuc est tuta, quamvis opposita favens Legi sit tutior; levis enim formido in Probabilissima in humanis actibus est contemnenda. Hinc Ecc. 6. dicitur: *In multitudine Presbyterorum prudentium sta: & Sapientiæ illorum ex corde conjungere*.

CAPUT II.

An liceat in praxi sequi Opinionem Probabiliorem relicta Tutiore minus Probabili?

DICITUR Opinio Probabilior opposita, cum hanc non quomodocumque, sed notabiliter excedit in pondere rationum; si enim tenuis sit excessus, censenda est æque probabilis, de qua cap. 3. Sensus ergo Quæstionis est, an peccet, qui operatur juxta Opinionem notabiliter Probabiliorem, quod licite operetur, in conflictu Opinionis minus Probabilis, quod illicite operetur? v. g. an peccet, qui die Festo scribit lucri gratia, sequendo Opinionem Probabiliorem, & communem, quod sit licitum, contra minus Probabilem aliquorum dicentium, esse illicitum.

Dico: Non peccat, qui in praxi sequitur Opinionem Probabiliorem faventem suæ Libertati relicta tutiore minus probabili, quæ favet Legi: Doctores communiter, contra Cajet. Armil. Palud. apud Franc. Lug. de Consc. c. 3. q. 2., & contra rigidissimos Tutioristas Fromond. Synich. Vendroch. Elizal. & alios paucos.

Ratio est: quia ex dictis non peccat, qui operatur juxta Opinionem Probabilissimam contra Tutiorem faventem Legi: ergo neque qui operatur juxta probabiliorem, &c. Probatur consequentia, Ly *Probabilissima* in Propositione damnata non debet sonare, quod ea sit ita Probabilis, ut nihil Probabilitatis remaneat oppositæ, aliter diceretur moraliter certa; neque sonare tantum debet, ut ea attingat summum gradum Probabilitatis, aliter in praxi foret inutilis facultas eam sequendi, cum de nulla Opinione facile affirmari possit, quod sit in summo gradu Probabilitatis: ergo in existimatione morali sonat Opinionem notabiliter Probabiliorem, & consequenter non peccat, qui juxta hanc operatur; & ratio a priori est, quia sic prudenter judicat, & consequenter prudenter, ac licite juxta eam operatur.

Objicies: Primo, Ad licite operandum requiritur dictamen Conscientiæ certum, quod licite operetur: ergo non sufficit Opinio, etsi Probabilior, cum non sit certa. Secundo, Opinio, etsi Probabilior, quod non sit Lex prohibens, non excludit omnino formidinem, quod forte sit talis Lex, adeoque periculum eam violandi: ergo si non sequaris Partem tutiorem, exponit te periculo peccandi, & consequenter peccas.

Respondeo, Hæc omnia probare etiam, quod peccat, qui in praxi sequitur Opinionem Probabilissimam faventem Libertati, relinquendo Partem Tutiorem. Itaque ad primum distinguo consequens: non sufficit se sola, concedo: cum ultimo dictamine Conscientiæ, nego. Dum adest Opinio Probabilior de licentia actionis, tunc insurgit ultimum Conscientiæ dictamen certum, & reflexum supra illam, dicens: Quod judico esse probabilius licitum, hoc certum est mihi licere; sed judico, hanc actionem (puta pingere die Festo) esse probabilius licitam: ergo certum est, hanc mihi licere; major est certa, quia est bona Regula Prudentiæ; major etiam est certa, quia non probabiliter, sed certe scio eam Partem esse Probabiliorem: consequentia est ultimum dictamen practice practicum. Ad secundum distinguo consequens, exponis te periculo peccandi formaliter, nego; periculo peccandi materialiter, subdistinguo, exponis te imprudenter, iterum nego; prudenter, conc. ideoque non peccas: sequendo enim in praxi Probabiliorem faventem Libertati prudenter agis; ideoque evitas non solum peccatum, & transgressionem formalem, sed etiam temerariam aggressionem violationis materialis; ideoque si forte sit Lex prohibens, nihil tibi imputabitur in culpam.

CAPUT III.

An liceat in praxi sequi Opinionem Probabilem, relicta Tutiore æque Probabili?

DICUNTUR Opiniones oppositæ æque Probabiles, cum paribus fere rationibus, & auctoritatibus Doctorum inter se pugnant; etiamsi una alteram videatur aliquo pacto excedere, dummodo non excedat notabiliter; loquimur autem de Opinionibus immediate cadentibus supra licitum, & illicitum, v. g. an licitum sit, an illicitum Judici, damnare reum juxta allegata, & probata, quem tamen privatum scit esse Innocentem? Quia in re sunt opiniones contrariæ æque fere Probabiles. Similiter licitum sit, an illicitum pingere die Festo? Habere duas Præbendas? &c.

Dico: Non peccat, qui in praxi sequitur Opinionem Probabilem de licentia actionis, relicta Tutiore æque Probabili; Doctores communissime contra Sylvest. Conrad. Cordub., & contra rigidissimos Tutioristas Philaler. Gonzal. & alios.

Ratio est; quia, qui operatur secundum Opinionem, solide Probabilem de licentia actionis, prudenter operatur; quia operatur ex gravi Motivo intrinseco, imo ex graviori Motivo extrinseco, scilicet ex auctoritate communiori Doctorum dicentium, licere: ergo non peccat relicta Tutiore æque Probabili. Confirmatur: Qui operatur secundum Opinionem Probabiliorem de licentia actionis, etiam per Adversarios licite operatur; sed longe probabilius est, saltem ex auctoritate extrinseca, licitum esse sequi in praxi Opinionem Probabilem relicta Tutiore æque Probabili; nam pro hac sententia sunt 200. Doctores apud Terill. ex omni ætate, statu, & conditione: pro opposita vero perpauci: ergo qui secundum nostram Sententiam operatur, licite operatur. Confirmatur iterum ex praxi Ecclesiæ, & Pontificum, qui ex Probabili Opinione dispensant in Votis solemnibus, contra Opinionem tutiorem D. Th. negantis, id licere: item dispensant in Matrimonio rato, non obstante Tutiore D. Bonav. Scot. & aliorum etiam negantium, id licere: item cap. *Laudabilem de Frig. & Malef.* permittitur, ut Impotentes possint ad triennium experiri usum copulæ, ubi tamen in dubio de valore Matrimonii, tutius esset abstinere.

Objicies primo, Non potest quis licite agere, nisi in Conscientia judicet se licite agere juxta dicta q. 1. c. 1., sed quando Opiniones de licito, & illicito sunt æque Probabiles, non potest quis judicare se licite agere; cum non possit Intellectus alterutri assentiri, sed maneat suspensus necesse est, Motivis oppositis se invicem elidentibus: ergo non licite operatur, nisi sequendo Tutiorem, in qua certum est, non esse peccatum.

Respondeo, Distinguo minorem: Non potest judicare, se licite agere Judicio directo, transeat, Judicio reflexo, nego minorem, & consequentiam. Cum se offerunt Opiniones, æque Probabiles, potest Intellectus ex Imperio Voluntatis alterutri directe assentiri, ut docent communiter Philosophi contra aliquos; sed dato, quod non possit, certum tamen est, posse ex Principiis reflexis formare sibi ultimum dictamen Conscientiæ dicendo: Certum est, esse Probabile; imo probabilius licite operari relicta Parte Tutiore: ergo certum est, me prudenter operari. Neque dicas, non posse formari hoc dictamen, cum adsit periculum transgrediendi Legem forte prohibentem; nam talis Lex si forte existat, non obligat, cum non sit sufficienter intimata, stante Opinione æque Probabili, quod ipsa non sit, & consequenter non est periculum peccandi formaliter sive ea Lex sit positiva, sive naturalis.

Objicies secundo, Opiniones æque Probabiles invicem oppositæ non sunt Probabiles; quia earum Motiva se invicem elidunt, hoc est amittunt in eo conflictu vim movendi Intellectum ad prudentem Assensum: sic si unus testis Fide dignus dicat, Petrum esse in Foro, & alter Fide etiam dignus dicat, non esse in Foro, neutrum est Probabile, cum Testes se invicem elidant: ergo manet res dubia; & in dubiis tutior Pars est eligenda.

Respondeo, Nego antecedens. Tunc solum Motiva opposita se invicem elidunt, cum sunt similia, ut sunt duo dicti Testes de Visu; Testi enim de Visu præcise creditur ob auctoritatem dicentis, qui scilicet nec fallitur, nec fallit, & in casu certo scio, deesse alterutri hanc auctoritatem, & consequenter neutri possum prudenter credere. Secus vero dicendum, si Motiva opposita sint iis dissimilia, hoc est si unum habeat vim specie diversam ab altero, & cui directe non opponitur alterum: ut si in casu non sint Testes de visu, sed unus dicat, se prudenter putare, Petrum esse in Foro, & alter dicat, se prudenter putare, non esse in Foro, quia sic fundant se in diversis rationibus bona Fide agnitis, ut probabilibus; & sic possum ego alterutri credere, vel saltem reflexe dicere, utrumque esse probabile: atque ita res se habet in præsenti: si enim Doctores graves dicant, esse licitum pingere die Festo, & Doctores graves dicant, esse illicitum, utrique probabiliter id dicunt ex motivis diversis; & consequenter ego possum prioribus prudenter adhærere vel Assensu directo, vel saltem reflexo, ex modo dictis; & consequenter res non manet dubia negative, sed positive, itaut liceat alterutram partem sequi.

Objicies tertio, Probabilitates æquivalenter oppositæ, si versentur circa Factum, pariunt solum Dubium negativum; ideoque tutior Pars est sequenda: sic si duo testentur, Maritum in bello obiisse, & duo alii, esse superstitem,

tem, non poteſt Uxor tranſire ad ſecundas nuptias ex cap. *Inquiſit. de Sent. Exc.* Si duo Fide digni teſtentur, Teſtatorem reliquiſſe tibi hæreditatem, duo alii æque Fide digni teſtentur, reliquiſſe Cajo, non poteris illam tibi uſurpare: Si duo dicant, in ſcopo adeſſe Hominem, & duo negent, non potes jaculari: &c. Ergo pariter ſi probabilitates æquales verſentur circa Jus, ſeu exiſtentiam Legis, erit Dubium mere negativum; ideoque tutior Pars erit eligenda.

Reſpondeo, Antecedens concedi a Garz. Sanci. & aliis, negari vero a Fagund. Bonac. Villal. & aliis apud Boſſ. de Conſc. n. 228. Equidem diſtinguo antecedens, ſi adſit certa Poſſeſſio alterius, conc. ſi hæc non adſit, nego antecedens, & conſequentiam: ſic ſi ſint duo Horologia cæteroqui recta, & unum ſignet elapſam mediam noctem Sabbathi, alterum nondum elapſam, faciunt duas Opiniones Probabiles circa Factum; & cum non ſit certa Poſſeſſio Sabbathi, nec Dominicæ, cum hoc ſit Dubium, ſequitur, ut non ſit negativum, ſed poſitivum; ideoque poſſis adhærere alteri Horologio, & comedere licite carnes; ut docent Sanch. Bon. & alii.

Similiter in primo caſu Arguentis, quamvis non poſſit Uxor tranſire ad ſecundas Nuptias; cum ſtet in certa Poſſeſſione prius Matrimonium; tamen ſi bona Fide tranſierit, & poſtea inſurgit Judicium utrinque Probabile de Vita prioris Conjugis, poteſt licite reddere, & petere debitum, quia tunc contra prius poſſidet ſecundum Matrimonium bona Fide contractum; Azor. Nav. & alii. In ſecundo caſu Arguentis, quamvis Garz. & alii dicant, hæreditatem illam dividendam eſſe cum Cajo; tamen communior ſententia docet, poſſe integram tibi uſurpare, utpote nondum poſſeſſam a Cajo; neque ſic eris Poſſeſſor dubiæ, ſed bonæ Fidei, poſito, quod probabiliter credas eſſe tuam, etſi Judex teneatur illam utrique dividere, eo quod in Foro externo Judex judicare debeat juxta meritum cauſæ, v. Boſ. n. 854. In tertio caſu ideo non potes jaculari; quia quivis alius eſt in certa Poſſeſſione Vitæ, a qua proinde deturbari nequit ob meram probabilitatem, quod ibi Homo non ſit.

Ex dictis inſers, Quod ſi æquales ſint utrinque rationes probabiles circa Factum; tum ſolum eſt Dubium negativum, cum adeſt certa Poſſeſſio alterius; at ſi hæc non adſit, Dubium eſt poſitivum; ideoque relinqui poteſt Pars tutior; ſi autem æquales utrinque probabilitates ſint circa Jus, & exiſtentiam Legis prohibentis, nunquam eſt obligatio ſequendi in praxi Partem tutiorem; quia ſic immediate verſantur circa licitum, & illicitum, & ideo Probabilitas favens Libertati contra Legem eſt ſufficiens ad formandam rectam Conſcientiam ex Principiis reflexis, juxta jam dicta. Si autem Opiniones utrinque Probabiles ſint circa valorem rei, an ſcilicet validum ſit Sacramentum in tali materia, an Pharmacum ſit utile, vel perniciosum, &c. tunc ſequenda eſt Pars tutior; quia cum valor rei ſit in re ipſa, non in Conſcientia, certum eſt, eſſe illicitum, exponere rem illam periculo nullitatis, vel damni, &c. Suar. & alii communiter.

C A P U T IV.

An liceat in praxi ſequi Opinionem minus Probabilem relicta tutiore Probabiliore?

NON loquimur hic de Opinione tenuiter Probabili favente Libertati, quam certum eſt, non poſſe deduci in praxi, juxta jam dicta; ſed loquimur de Opinione ſolide Probabili minus tamen, quam Oppoſita, tutior.

Dico: Non peccat, qui operatur juxta Opinionem minus Probabilem de licentia actionis relicta Probabiliore tutiore. Ita Doctores communiſſime pluſquam 200. apud Terill. Gob. & Croix l. 1. de Conſc. n. 268. contra paucos antiquiores, & rigidiſſimos Probabilioriſtas Eliz. Gonzal. Coutenſon. Philal. Baron. Synnich. Montalt. Fagnan. Concitol. Munieſ. & Camarg.

Ratio primi eſt, Quia qui prudenter operatur non peccat; ſed qui operatur ſecundum Opinionem minus Probabilem de Licentia Actionis prudenter operatur: ergo non peccat: minor ſic oſtenditur: Opinio minus Probabilis adhuc eſt ſolide probabilis in conflictu probabilioris, itaut Vir prudens, etſi nequeat directe ei aſſentiri, debet tamen evidenter judicare illam eſſe probabilem, & niti motivo firmo, & gravi etiam in conflictu probabilioris; aliter hæc eſſet moraliter certa, & tolleret omnem Probabilitatem illius, quæ conſequenter evaderet temeraria; quod nemo niſi temerarius dixerit; quis enim Theologus ſuſtinens ſuam Opinionem, ut Probabiliorem, aſſerat eſſe moraliter certam, & oppoſitam eſſe temerariam? Hoc poſito ſic arguo: Vir prudens in conflictu probabilioris certo aſſerit, alteram minus probabilem adhuc eſſe ſolide probabilem: ergo indiviſim aſſerit, hanc in tali conflictu poſſe prudenter deduci in praxi: & conſequenter ſi ipſemet eam deducat in praxim, prudenter operatur.

Ratio ſecundi eſt, Quia qui operatur ſecundum Opinionem Probabiliorem de Licentia Actionis, etiam per Adverſarios non peccat; ſed qui operatur ſecundum Opinionem minus Probabilem de Licentia Actionis, revera operatur ſecundum Probabiliorem de ea Licentia: ergo non peccat: minor ſic oſtenditur; Longe Probabilius eſt ex motivis tum extrinſecis, cum intrinſecis, poſſe nos operari ſecundum Opinionem minus Probabilem de Licentia Actionis; nam pro hac ſententia ſtat auctoritas innumerabilium graviſſimorum Doctorum omnis ætatis, ſtatus, & doctrinæ, & pauci ſunt pro ſententia oppoſita, ut videre eſt apud Croix l. cit., ex quo etiam infertur, probabilius non dari Legem, quæ prohibeat ſequi Opinionem Probabilem, & obliget ſemper ad Probabiliorem; ſi enim Lex iſta daretur, eſſet Lex Naturæ, & quidem generaliſſima; adeoque non deberet latere tot, tantoſque Doctores; adeoque ſi poſt longum, & ſincerum eorum examen non eſt inventa, manifeſtum ſignum eſt, quod non exiſtat. Hinc D. Aug. *De Quant. Anim. c. 7. Utiliſſimum maxime multitudini excellentiſſimæ auctoritatis cedere, & ſecundum hoc agere Vitam.* Nec Doctores contrarii ſunt numero, auctoritate, aut rationibus, quas afferunt, intrinſecis, Doctoribus benigne ſententiæ comparandi.

Ratio tertii eſt, Quia ſi eſſet obligatio ſequendi Probabiliora, ſequerentur incommoda intolerabilia. Primo, Quiſque ante operationem teneretur inquirere, quænam Opinio ſit Probabilior, quod etiam Doctis eſt moraliter impoſſibile. Secundo, Teneretur reſcindere Contractus ex probabiliori opinione initos, ſi poſtea appareat probabilius oppoſitum; iterumque audita nova ratione in oppoſitum, & redintegrare, & ſic in infinitum. Adde moralem impoſſibilitatem cognoſcendi, quæ ſunt probabiliora, Scrupuloſque innumeros ex eo, quod merito dubitare poſſumus, an ſit revera probabilius, quod nobis ita videtur, præſertim ſi ſit minus tutum; nec facilis plerumque eſt via tale dubium deponendi; cum, quod aliis Doctoribus videtur probabilius, aliis videtur minus probabile, & talia hujuſmodi abſurda. v. Croix l. 1. de Conſc. n. 293.

Objicies primo, Major probabilitas elidit minorem oppoſitam, itaut nequeat Intellectus huic aſſentiri in conflictu illius: ſic nullus Doctor ſuſtinet Opinionem, quam reputat minus Probabilem oppoſita: ergo ſi Voluntas ſequitur in praxi Opinionem minus Probabilem de Licentia Actionis imprudenter operatur, & peccat; nam ſequitur id, quod magis apparet malum, idque facit, quod probabilius judicat, non eſſe faciendum, nec vult ſequi, quantum poteſt, Veritatem, nec vitat, quantum poteſt, periculum peccandi, negligitque facere Voluntatem Dei prohibitivam, probabilius judicatam exiſtere, & conſequenter procedit contra Conſcientiam.

Reſpondeo, Diſtinguo antecedens: elidit minorem oppoſitam, quoad Aſſenſum directum, tranſeat; quoad Aſſenſum reflexum, nego antecedens: Aſſenſus directus ex dictis eſt, quando Intellectus ex motivo illo minus gravi opinatur Actionem licere, & an poſſit Intellectus ſic opinari in tali conflictu, eſt Quæſtio Philoſophica non faciens ad rem: Aſſenſus reflexus eſt, cum Intellectus judicat, Opinionem illam adhuc eſſe ſolide Probabilem, quod Judicium eſt evidens; nam Opinio oppoſita, etſi Probabilior, non eſt tamen Probabiliſſima, & multo minus Certa moraliter, ut patet ex prima noſtra ratione: ſic quivis Doctor ſuſtinens ſuam Opinionem, ut Probabiliorem, tenetur dicere, oppoſitam adhuc eſſe ſolide Probabilem, etſi minus, quam ſit ſua. Hinc nego conſequentiam; Voluntas enim prudenter operatur ſequendo in praxi Opinionem minus Probabilem de Licentia Actionis, quia ſe conformat ultimo dictamini Conſcientiæ formato ex illo Judicio reflexo tum ex eo, quod probabilius eſt, poſſe ſequi in praxi Opinionem minus Probabilem de Licentia Actionis, tum demum ex eo, quod ſic ſe conformat ſententiæ innumerabilium gravium Doctorum dicentium licere, ex quorum auctoritate poteſt ſibi ultimum dictamen reflexum formare, quamvis ipſe privatim reputet Opinione directa, probabilius non licere. Ideoque non facit id, quod magis apparet malum ultimo dictamini Conſcientiæ; neque quod probabilius judicat, non eſſe faciendum Judicio reflexo: & ſic, vult ſequi, quantum poteſt, Veritatem Practicam li-

liberantem a peccato formali, vitatque, quantum potest, periculum peccandi formaliter, neque est negligens in facienda Voluntate Dei, cum certo sciat, adesse tunc Voluntatem Dei permissivam suæ actionis.

Objicies secundo, Servus dicitur negligens, & pœna dignus, si aligit partem minus probabilem relicta probabiliori circa Voluntatem Domini sui: hinc etiam *Roboam 4. Regum*, reprehenditur, quod secutus sit *Consilium Juvenum relicto Consilio Seniorum*. Similiter in nullo negotio Humano dicitur quis prudenter operari, qui sequitur Consilium minus Probabile, aut Medium minus efficax ad Finem. Hinc peccat Medicus dando Pharmacum minus efficax relicto efficaciori: Judex adjudicando uni parti minus probabili relicta Probabiliore alterius: Sacerdos conficiens Sacramentum ex Opinione Probabili relicta Tutiora; &c. ergo universim illicitum est sequi Opinionem minus Probabilem relicta probabiliori tutiore.

Respondeo, Concesso toto antecedenti distinguo consequens: Illicitum est sequi Opinionem minus Probabilem cadentem immediate supra licitum, & illicitum, nego; non cadentem immediate, conc. Loquimur nos semper de Opinionibus versantibus immediate supra licitum, & illicitum, & sic dicimus prudenter agere eum, qui sequitur minus probabilem faventem suæ Libertati; quia sequitur ultimum dictamen Conscientiæ reflexum, quo simpliciter obtinetur vera Licentia, utut ea actio sit in se materialiter illicita. Hinc lata disparitas in negotiis Humanis, in quibus consecutio finis intenti est aliquid in re, itaut si in re non existat, nihil consequamur; & ideo tunc solum prudenter agimus, cum quod probabilius, & efficacius est, ad eum finem eligimus: itaque Servus ille illicite operatur, quia ejus Dominus vult rem, ut est in se: item Roboam imprudens fuit in negotio Regni: sic Medicus illa peccat, quia probabilitas versatur circa valorem Pharmaci relate ad Salutem ægroti, quod est aliquid in re: & similiter peccat Sacerdos ille; cum enim major Probabilitas sit circa valorem, quod est aliquid in re, certum est, esse illicitum, eam deducere in praxim, ideoque talis Opinio dicitur tantum speculative Probabilis; practica vero improbabilis, nisi excuset extrema necessitas, juxta dicta q. 1. a. 1. At in negotiis Animæ, dum agitur præcise de Licentia Actionis, tunc finis non est aliud, nisi conformitas actionis cum ultimo dictamine Conscientiæ; si ergo hoc dictat, actionem esse licitam, vere est licita formaliter, etsi materialiter non sit talis; & ideo nec imprudentiæ, nec peccati arguendus est, qui sic operatur.

Objicies tertio, In Dubio etiam Positivo melior est conditio Possidentis: & a fortiori si Possessor habeat pro se rationem probabiliorem: ergo cum Deus certo possideat Dominium nostrarum actionum, & potestatem eas prohibendi, si probabilius est, eas prohibere, illicite illas ponimus ex Opinione minus Probabili, quod non prohibeat.

Respondeo, Hoc argumento probari, nec posse deduci in praxim Opinionem Probabiliorem de Licentia Actionis; sicuti nec potest spoliari Possessor ab habente Opinionem Probabiliorem, quod res sit sua. Itaque distinguo consequens; illicite illas ponimus, &c. si non possit prudenter judicari, dari Legem Dei permissivam, conc. si hoc possit judicari, nego: in casu prudenter possumus judicare, Deum actiones tales permittere, & non restringere Libertatem nostram: nam prudenter judicamus, Deum nolle eas prohibere: sicuti si prudenter judico, te velle, rem tuam esse meam, possum licite eam accipere ob Voluntatem tuam permissivam. Cæterum, etsi in casu sit Lex Dei antecedens, & primaria prohibens illas actiones; tamen ea non est sufficienter publicata, seu intimata, cum probabile adhuc sit oppositum: Lex autem etiam Naturalis non obligat, nisi sit sufficienter publicata, seu intimata, hoc est cognita: ergo cum in casu non sit talis, ea non obligat; porro adest Lex Dei Secundaria permittens, uti diximus de Dubio invincibili q. 3.

Infers primo, Eum, qui probabilius putat non licere v.g. pingere die Festo, posse etiam propria Opinione, tanquam Probabiliori retenta, pingere juxta Opinionem contrariam Probabilem; quia formare potest ultimum Conscientiæ dictamen ex opposita sententia, quam etiam probabilem putat, saltem per principia extrinseca; Sanch. l. 1. Decal. c. 9. n. 6. unde potest etiam Indoctus licite sequi Opinionem, quam reputat Probabilem, eo quod docetur a Probis, & Peritis, quamvis ipse reputet illam non esse magis probabilem, & tutam; Henric. Vasq. Sayr. & alii apud Lug. de Consc. c. 3. q. 3. similiter potes licite consulere alios Doctores, donec invenias respondentem tibi ad tuum libitum, dummodo rectam habeas intentionem quærendi Opinionem solide Probabilem, quæ tibi faveat; Sanch. n. 24. An autem possis etiam in articulo Mortis sequi Opinionem minus Probabilem faventem Libertati? Negant Sanch. l. 2. Decal. a. 1. n. 6., quia in eo articulo agitur Salus Animæ, ideoque debes sequi Tutiorem, & Probabiliorem. At contradicit Jo: Sanch. quia Conscientia eodem modo ligatur extra, & in articulo Mortis, qui non inducit novam Regulam operationum moralium. v. Franc. Lug. p. 1. c. 3. q. 5.

Infers secundo, Doctorem, qui ab alio consulitur, posse respondere juxta aliorum sententiam, quam probabilem reputat, etsi ipse probabilius reputet oppositum, dummodo non interrogetur, quæ sit sua sententia; quia sicut potest ipsemet eam deducere in praxim, ita & alia suadere; Sanch. l. 1. a. 9. n. 19. An autem expediat hic & nunc sic respondere? Ad Prudentiam spectat, inquit Suar. Si autem ipse reputet, aliorum Doctorum Opinionem esse falsam, Sanch. ibidem negat posse, juxta illam Consilium præbere; addit tamen Laym. apud Lug. loc. cit. posse dicere, sententiam illam a quibusdam Doctoribus gravibus, tanquam probabilem, doceri, quam ipsi subinde liceat amplecti.

Infers tertio, Confessarium posse absolvere Pœnitentem, qui contra ipsiusmet sententiam sequatur Opinionem Probabilem etiam deobligantem a Restitutione, &c. quia talis pœnitens est sufficienter dispositus, nec Confessarius judicat in Foro externo inter partes, sed inter Pœnitentem, & Deum: Sanch. l. 1. Decal. c. 9. n. 28. & alii communiter. An autem debeat illum absolvere? Distinguendum est: si enim Opiniones versantur circa ea, quæ pertinent ad Confessarium, puta circa suam Jurisdictionem, Approbationem, &c. tunc, etsi possit, non tenetur Confessarius absolvere, quia non facit ei injuriam, cum non repellat eum, tanquam indignum; sed quia sibi reputat deesse Jurisdictionem necessariam, Basil. Castro apud Lug. q. 14. At si varietas Opinionum sit circa rem, quæ pertinet ad Pœnitentem, puta, an teneatur restituere, &c. tunc tenetur Confessarius eum absolvere, quia cœpto jam Judicio ferre debet sententiam Pœnitenti jam disposito, Doctores communiter: & quidem si Confessio fuerit mortalium, tenetur sub gravi Confessarius absolvere, quia aliter gravem illi inferret injuriam, Sanch. n. 29. contra Vasq. qui dicit, Confessarium delegatum teneri tantum sub levi: Si de Venialibus, dicit Sanch. non esse gravem injuriam; sed Castro ait, esse gravem, cum privet gratia Sacramenti.

Infers ultimo, Advocatum posse suscipere causam, etsi eam videat minus probabilem, & oppositam probabiliorem; quia gerit vices Clientis, qui rationibus etiam minus probabilibus tueri potest Jus suum: Doctores communiter. Contra vero Judex tenetur illi rem adjudicare, qui probabiliores rationes habet, quia Judex judicare debet pro pondere causæ instar Bilancis; quod si æquales sint probationes, & alter possideat, huic favere debet; quia hic habet insuper Possessionem, ex *Reg. Jur. in 6.*; si vero in pari causa neuter possideat, res est utrique dividenda, nisi sit Beneficium Ecclesiasticum, quod potest alterutri, ut libet conferri, ex dicenda de Restit. v. Sanch. l. 1. Decal. c. 4. n. 45. At si ipse existimet rationes unius probabiliores, potest sequi Opinionem aliorum gravium Virorum tenentium oppositum, ut docent Med. Sal. Arag. Castrop. & alii, contra Adrian. & alios apud Franc. Lug. q. 8. nisi vero Judex sit arbiter electus sub conditione, ut juxta Judicium suum judicet. Denique in causa criminali potest judicare secundum rationes etiam minus probabiles favorabiles Reo; quia sic ei commendatur ex Legibus benignitas.

DISPUTATIO II.

De Legibus in Genere.

QUATUOR Quæstiones continent hæc præsens Disputatio: I. est De Natura Legis: II. De Effectibus Legis: III. De Subjecto Legis: IV. De Cessatione Legis.

QUÆSTIO I.

De Natura Legis.

AD indagandam Naturam Legis, videndum I. Quid, & Quotuplex sit Lex? II. Quis possit ferre Legem? III.

III. Quæ sit Forma, & Interpretatio Legis? IV. Quæ sit Materia, & Finis Legis? V. An ad valorem Legis requiratur, ut sit Justa, & Utilis? VI. An ad valorem Legis requiratur Promulgatio? VII. An ad valorem Legis requiratur Acceptatio?

CAPUT I.

Quid, & Quotuplex sit Lex?

Lex est *Ordinatio rationis ad bonum Commune a legitimo Superiore in perpetuum promulgata*. D Th. 1. 2. q. 91. a. 4. Explico definitionem. Dicitur primo, *Ordinatio rationis*, hoc est directio, seu Regula, qua Subditi recta ratione diriguntur. Dicitur secundo, *Ad bonum Commune*, hoc est ad bonum Communitatis, qui debet esse Finis essentialis Legis, sine quo non habetur Lex: nomine autem Communitatis venire potest quævis Communitas, si cuilibet evenire possit, ut sit ex illa: sic enim Leges conditæ in bonum tantum Pupillorum, Minorum, Ecclesiarum, &c. spectant ad bonum Commune; imo Lex ipsa Vectigalium, quæ videtur potius gravare, respicit etiam bonum Communitatis, quia nihil utilius ei, quam esse defensam, ad cujus finem tributa imponuntur; similiter Lex pœnalis damnosa est delinquenti, utilis vero Communitati; & Lex Præscriptionis aliquibus est gravis, utilis vero Reipublicæ, cum pacem in ea constituat, vitando lites. Dicitur tertio, *a legitimo Superiore*, hoc est ab habente Supremam Potestatem in Communitatem, juxta dicenda cap. seq. Dicitur quarto, *In perpetuum*, cum enim Lex feratur Communitati, & nomine ipsius, & Communitas non moriatur, sed velit sui curam esse perpetuam; ideo Lex essentialiter exigit esse perpetuam; unde etiam vocatur Statutum, Constitutio, Canon, & Jus. Dicitur denique *Promulgata*, hoc est signo aliquo externo Communitati manifestata; requiritur ergo in Legislatore primo Judicium, quo ordinet, seu recte disponat Legem; secundo Voluntas, qua velit per eam obligare: tertio Promulgatio, qua actu obliget: uno ex his deficiente, non habetur Lex.

Quæres primo, In quo differant Lex, & Præceptum?

Respondeo, Differre; quia Lex essentialiter respicit Communitatem, & est in bonum Communitatis; unde est, ut feratur tantum a Principe, sit etiam perpetua, & affigatur Territorio Legislatoris, extra quod non obligat, nisi vero Legislator Territorium non habeat, ut est Superior Religionis, cujus Lex obligat Subditos, ubique existant. Contra vero Præceptum Jure communi, & ex natura sua est temporale, & expirat morte Præcipientis, vel amotione ab officio; potest etiam respicere particulares Personas, potest etiam ferri a Persona privata ad privatam, puta a Domino ad Servum; potest etiam ferri in bonum privatum Domini, vel Servi, vel cujuscumque alterius, & non affigitur Territorio, sed inhæret ossibus Subditi, quem proinde obligat quocumque abeuntem. Dixi *Jure communi, & ex natura sua &c.*; Nam ex potestate Principis Supremi, qui habet potestatem dispensandi in Jure Communi, potest ferri Præceptum etiam perpetuum, ut sunt Præcepta Bullæ Cœnæ, quæ non expirant per mortem Papæ; & Præcepta, Ordinationesque Superiorum Societatis Jesu, quæ sunt etiam perpetua ex speciali dispositione Constit. Congr. 7. Can. 10. Item potest Superior per Præceptum generale obligare totam Communitatem; quod tamen Præceptum, nisi Supremus Princeps exprimat oppositum, natura sua expirat, mortuo, vel amoto Præcipiente; ideoque Censura lata ab homine per generale mandatum expirat morte Mandantis ex l. 26. *ff. Mandati*. Ex quibus demum infertur, quod omnis Lex dici possit etiam Præceptum, non vero e converso omne Præceptum dici possit etiam Lex.

Quæres secundo, Quotuplex sit Lex, seu Præceptum?

Respondeo, Divisiones Legis esse plures, vel scilicet ex parte Legislatoris, vel ex parte Finis, vel ex parte Materiæ, vel demum ex parte Formæ.

I. Ex parte Legislatoris; quamvis omnis Lex, & Præceptum originaliter sit a Deo Supremo omnium Legislatore; tamen non omnis est immediate ab ipso. Hinc dividitur primo, & principaliter Lex in Naturalem, & Positivam: Lex Naturalis est Lex Divina necessaria, quæ Naturali Lumine promulgata est, & nota; ut sunt Præcepta Decalogi: Lex positiva est, quæ a Libera Voluntate Legislatoris imponitur; & hæc subdividitur in Positivam Divinam, & Humanam: Lex Positiva Divina est, quam per seipsum immediate Deus libere imposuit; qualis erat Lex vetus Mosaica, quæ nunc cessavit, & Lex nova de Sacramentis, &c. Lex Humana est, quæ immediate ab Homine prout habente a Deo Potestatem imponitur; & hæc etiam subdividitur in Jus Ecclesiasticum, Civile, & Gentium: Jus Ecclesiasticum est, quod a Superiore Ecclesiastico injungitur; ut sunt Canones, Constitutiones, Bullæ, Decreta, Statuta Pontificis, Concilii, Episcopi, Synodi, &c. Jus Civile est, quod a Principe, vel Magistratu Seculari, statuitur; ut sunt Leges Cæsareæ, &c. atque ejusmodi Leges, si sint alicujus tantum loci, dicuntur Municipales, seu locales: Jus Gentium est Lex, quæ libero omnium, aut fere omnium Nationum consensu est recepta; ut Divisio bonorum, Commercia, Hospitia, Bella, Fœdera, &c.

II. Ex parte Finis, dividitur Lex in Favorabilem, & Odiosam; non quod Odiosa ferat tantum onus, Favorabilis tantum favorem; quia utrumque esset contra Naturam Legis, quæ onus aliquid ferre debet, & respicere bonum Commune; sed quia Lex Favorabilis primario intendit favere alicui; sic Lex Ecclesiastica contra Percussorem Clerici est favorabilis, utpote primario intendens favere statui Clericali; sic Lex taxans pretium rebus, utpote primario intendens vitare fraudes. Contra vero Lex dicitur Odiosa, quæ primario intendit onus, seu pœnam alicujus; ut est Lex vectigalium, aut imponens pœnam Transgressoribus; utraque autem intentio primaria colligi debet ex Verbis Legis, præsertim ex ejus procemio, cum in eo apponatur causa finalis; item ex circumstantiis loci, temporis, rerum, & personarum; uno verbo, res est Judicio Prudentium, qui omnia attente considerent, in particularibus casibus decidenda. Quod, si spectatis omnibus dubium sit, an dispositio Legis sit Favorabilis, an Odiosa, censenda erit favorabilis; quia de Principe favor potius, quam gravamen est præsumendus. Quomodo autem intelligenda sit Reg. 16. *Jur. in 6. Odia sunt restringenda, favores ampliandi*, videbimus c. 3.

III. Ex parte Materiæ, dividitur Lex, seu Præceptum in affirmativum, & negativum: affirmativum est, quod aliquid agendum præcipit, ut Præceptum colendi Deum, honorandi Parentes, audiendi Missam; &c.: negativum est, quod prohibet aliquid agendum, ut Præceptum non furandi, non mœchandi, non laborandi die Festo, &c. Hinc etiam dantur Præcepta, quæ simul sunt affirmativa, & negativa; sic Præceptum Jejunii, qua parte prohibet carnes, est negativum; qua parte præcipit unicam comestionem, est affirmativum. Hoc autem est discrimen inter Præceptum negativum, & affirmativum; quod negativum obligat semper, & ad semper, idest in omni, & pro omni tempore; affirmativum vero non semper, vel non ad semper, sed suo tempore: sic Præceptum non Furandi semper, & pro omni tempore obligat; Præceptum vero restituendi, etsi semper obliget, at non ad semper, sed cum commode poteris. Rursus ex parte Materiæ dividitur Lex in Jus Commune, qualis est Lex Pontificia obligans omnes Baptizatos: in Jus Locale, qualis est Lex Episcopalis obligans suam tantum Diœcesim; & Jus Municipale obligans tantum tale Municipium, seu Civitatem.

IV. Ex parte Formæ, dividitur Lex in Prohibentem, & Prohibentem simul, & Irritantem: hæc est, quæ aliquem actum, v. g. aliquem Contractum, nedum prohibet, sed etiam irritat; itaut, si fiat, sit invalidus, ac nullus; aliquando vero actum, etsi non irritet de facto, dicit tamen esse irritandum: illa vero est, quæ prohibet quidem actum, v. g. aliquem Contractum, itaut, si fiat, peccetur: non tamen irritat, itaut, si fiat, sit validus, nec dicit esse irritandum. Rursus dividitur Lex in Præceptivam, quæ obligat ad culpam; in mere pœnalem, quæ obligat tantum ad pœnam; & in mixtam, quæ ad culpam simul, & pœnam obligat; de quibus fusius q. 2. Denique dividitur in Dispositivam, quæ ex Dominio alto transfert rem unius in alterum; ut est Lex Præscriptionis; in Præsumptivam, quæ statuit aliquid ex Præsumptione communiter contingentium: in Coactivam, quæ eadem est, ac Pœnalis, seu Mixta: & in Directivam, quæ, vel est eadem, ac Præceptiva, vel est mera Regula ad nihil obligans; adeoque non est in rigore Lex, sicuti nec Exhortatio, nec Consilium.

CA-

CAPUT II.

Quis possit ferre Legem?

PRAETER Deum, qui immediate est auctor Legis Naturalis, & Positivæ Divinæ, certum est, dari in Hominibus Potestatem ferendi Leges Humanas; tum Civiles ordinatas ad bonum Temporale Reipublicæ; tum Ecclesiasticas ordinatas ad bonum Spirituale Animarum; etsi enim hanc Potestatem nemo habet a Natura, quæ omnes Homines fecit liberos; habet tamen quis Potestatem Ecclesiasticam a Deo communicatam, juxta infra dicenda; & habet quis Potestatem Civilem communicatam ab ipsa Communitate, seu Republica, ex l. 1. *ff. de Constit. Principis*, etsi non possit deinde Respublica illum ea spoliare, cum maneat semper Subdita; sicuti, qui se tradit in Servum alicui, non potest deinde eum spoliare tali Dominio. His expositis,

Quæres Primo, Quis possit ferre Leges Civiles?

Respondeo, Posse eos tantum, qui habent Supremam Potestatem publicæ Jurisdictionis; ut sunt Imperator, Rex, Regina, si Jure successionis ad eam spectet Regnum, & reliqui Principes absoluti, Magistratusque Supremi: Reliqui vero, ut Proreges, &c. nonnisi ex illorum auctoritate, & commissione. An autem Jus Cæsareum obliget etiam Regna non subjecta Imperio? Probabilius negant Vasq. & alii, contra Gomez, & alios; quia etsi ibi etiam allegetur: non tamen ut Lex, sed ut dictamen rationi consentaneum: in Provinciis tamen temporaliter Subditis Pontifici sancitum est cap. 1. *de Novi Oper. Nunciat.* ut in casibus, in quibus nihil disponit Lex Pontificia, servetur Jus Cæsareum; quod etiam servandum est in tota Ecclesia in causis Spiritualibus decidendis.

Quæres secundo, Quis possit ferre Leges Ecclesiasticas pro tota Ecclesia?

Respondeo, Solum Summum Pontificem habere hanc Potestatem, quam non habet a Communitate Fidelium; sed supposita eorum electione, & acceptatione in Pontificem, eam habet immediate a Christo Domino, qui Petro, ejusque Successoribus, dixit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*. Hinc Bell. & alii communissime, contra Doctores Parisiens. docent, Pontificem esse supra Concilium generale; cum possit in ejus Legibus dispensare, easque abrogare, & consequenter illud nec habere Potestatem ferendi Leges Ecclesiasticas, nisi hæ a Pontifice confirmentur, ut docet D. Th. Opusc. 9. c. 4. Similiter Pontifex in ferendis Legibus non pendet a Consilio Cardinalium, quamvis prudenter non soleat eas ferre sine eorum consensu. Imo Sede Apostolica vacante, nec Concilium generale antea congregatum, nec Collegium Cardinalium, possunt condere Leges perpetuo valituras; sed tantum præcipere, quæ gubernationi Ecclesiæ pro eo tempore consonum visum fuerit; ex Clem. *Ne Romani, de Elect.*

An autem possit Pontifex ferre Leges Civiles obligantes loca alieno Principi Subdita? Dico non posse directe, posse tamen indirecte, inquantum scilicet id expediens sit ad Dei cultum & Salutem Animarum: v. g. cum opus est de Temporalibus in ordine ad Spiritualia aliquid statuere, quia secus non esset bene provisum Reipublicæ Christianæ: hinc sæpe Jus Canonicum corrigit Jus Civile, & cap. *Fin. de Præscr.* abrogat Legem civilem permittentem Præscriptionem cum mala fide.

Quæres tertio, An Declarationes S. Congregationis, Regulæ Cancellariæ, & Decisiones Rotæ Romanæ, habeant vim Legis?

Respondeo, Declarationes S. Congregationis tunc solum habere vim Legis, cum habent quatuor conditiones: Primo, ut sint a Papa approbatæ, & ex ejus mandato promulgatæ: Secundo, ut a Præfecto Congregationis sint sigillo munitæ, rite subscriptæ, & communicatæ: Tertio, ut pure declarent, & non se extendant ultra significationem Verborum: Quarto, ut sint promulgatæ, & publicæ notæ. Contra vero, si factæ sint a sola Congregatione, Papa specialiter non consulto, nec ex ejus Mandato; quamvis magnæ sint auctoritatis doctrinalis; tamen probabilius non habent vim Legis; multo minus, si non sint autentice subscriptæ, vel non munitæ Sigillo, vel non rite communicatæ: v. Croix l. 1. de Leg. n. 574. Regulæ Cancellariæ, secundum Less. *in Auctar. v. Beneficium*, sunt tantum pro directione Curiæ Romanæ, nec obligant alibi, cum non sint promulgatæ; ex quo Dian. & alii inferunt, quod si Episcopus intra 20. dies ante mortem donavit aliquid inter Vivos, Donatarius possit retinere, si nulla adfuerit fraus; quamvis ex Reg. Cancellariæ deberet restituere in Foro externo ob præsumptionem fraudis; sed Gomez. Azor. & alii, melius dicunt, & praxis probat, eas Regulas tenere ubique: v. Croix n. 575. Decisiones Rotæ, secundum Lezan. & alios apud Gob. sunt minoris auctoritatis, præsertim quia aliquando prodeunt contrariæ invicem; ideoque nullam habent vim Legis obligantis: v. Croix n. 576.

Quæres quarto, Quis possit ferre Leges Ecclesiasticas pro Diœcesi?

Respondeo, Posse Episcopum, & qui Episcopalem, vel quasi Episcopalem Potestatem habent, Doctores communiter. Hanc tamen Potestatem ex Bell. Suar. & aliis contra Vasq. & alios, probabilius habet Episcopus immediate a Papa in sui ordinatione, adeoque mediate tantum a Christo Domino; quia a Papa coarctari etiam potest, & de Facto coarctata est in definiendis Articulis Fidei, in Canonizationibus Sanctorum: item nec potest Episcopus abrogare Legem sui Antecessoris, si confirmata fuit a Pontifice: item non potest statuere Festum in Diœcesi sine consensu Cleri, & Populi, & ex cap. ultim. *de Feriis*; nec potest alienare res Ecclesiasticas sine consensu Capituli, ex cap. *Vestra, de Location.*; alias ergo Leges Ecclesiasticas potest Episcopus ferre se solo; & in casu urgentis necessitatis, in quo non possit consuli Pontifex, potest dispensare etiam in Jure Pontificio, puta in Impedimentis Matrimonii, &c. Doctores communiter. Capitulum autem, absque consensu Episcopi, probabilius potest ferre Leges, & Statuta obligantia ipsos Capitulares in iis, quæ pertinent ad rectam Gubernationem illius Ecclesiæ, exceptis rebus gravioribus, puta Alienatione alicujus fundi Ecclesiastici, in quo necessarius est Consensus Episcopi, & aliquando etiam Papæ ex cap. *Cum accessissent, de Constit.* imo Sede Episcopali vacante, probabilius potest Capitulum ferre Leges totam Diœcesim obligantes, etsi non possit Leges Episcopi mortui abrogare, nec Præbendas conferre; cum id sit specialiter ei prohibitum, ex cap. *Ne Sede vacante*; Bon. Suar. Laym. & alii apud Meroll. d. 4. c. 4. Idem dicunt Abb. Sal. Sylv. contra Suar. & Bon. de Collegiata; nec obstat paritas Collegii Cardinalium, quia ibi habetur specialis prohibitio Clem. cit. *Ne Romani, de Elect.*

Synodus Diœcesana sub Episcopo, Provincialis sub Archiepiscopo, Nationalis sub Primate, possunt etiam Leges Ecclesiasticas ferre, quæ, si approbantur a Pontifice pro tota Ecclesia, obligant omnes Fideles: Decreta autem Conciliorum particularium, quæ habentur in Gratiano, non habent vim Legum, nisi sint approbata a Pontifice, Bon. & alii. Cæterum Primates non possunt ferre Leges obligantes totam Nationem, nec Archiepiscopi totam Provinciam extra dictas Synodos, & absque consensu Episcoporum, ex cap. *Nullus* 1. q. 3. In tempore tamen Visitationum possunt ferre Præcepta Subditis Suffraganeorum, ut notat Bonac. & in casu appellationis possint eos judicare, excommunicare, absolvere, ut addit Barbosa. Denique Legatus Papæ, quousque est Legatus, potest per se ferre Leges Ecclesiasticas in Provincias suæ Legationis, quæ etiam post Legationem perseverent, donec revocentur, ex cap. ult. *De Offic. Leg.*

Quæres quinto, Quis possit ferre Leges Regularium?

Respondeo, In quavis Religione dari a Pontifice, vel uni Generali, vel etiam Provinciali, aut non sine Capitulo, potestatem ferendi Leges, & Constitutiones, pro quo spectanda sunt Jura cujusque Religionis. Cæterum non possunt præcipere Subditis, nisi quæ in Regula continentur, vel ad ejus observantiam accommodata sunt; quia isti Votum Obedientiæ emiserunt relate ad Regulam: hinc si Regula universim non obliget ad peccatum, non potest Superior velle, quod omnes Regulæ ad peccatum obligent; si tamen aliquo modo aliquid conferat ad Regulam, potest præcipi; ut de facto præcepta fuit Monialibus Clausura, Cap. un. *de Statu Regular.*, & Trid. sess. 25. c. 5.

Abbatissis non est concessa potestas ferendi Leges Spirituales, ut communiter docent Doctores contra aliquos apud Sal. ex cap. *Nova, de Pœnit. & Remiss.*, ideoque nec possunt præcipere in Virtute S. Obedientiæ. Ex Voto tamen Obedientiæ Abbatissis emisso a Monialibus, & ex potestate domestice dominativa (quæ similis est potestati Matrisfamilias), possunt imponere præcepta tantum temporalia, seu ordinata ad bonum temporale, & ad tranquillam domus gubernationem, puta ne Moniales litteras scribant, ne ad hortum descendant, ne cum externis loquantur, &c. itaut horum Præceptorum transgressio sit mortalis, sive plurimum, venialis, si, patum, ad communem pacem, & bonum exemplum conducant; Sanch. l. 6. Dec. c. 5. n. 17.

CA-

CAPUT III.

Quæ sit Forma, & Interpretatio Legis.

FORMA Legis sunt Verba, quibus ea fertur; ideoque videndum, Quæ verba significent Legem? Quis possit interpretari verba Legis? Quomodo interpretanda sit Lex? Quomodo intelligatur Reg. *Jur; Odia sunt restringenda: Favores ampliandi?* Demum, an Lex extendatur ad casum non comprehensum in ejus Verbis?

Quæres primo, quæ Verba significent Legem, seu præceptum?

Respondeo cum Sanch. l. 6. c. 4. n. 33. hæc tantum, & similia verba. *Præcipio, Jubeo, Injungo, Edico, Impero, Prohibeo, Interdico, Veto, Teneantur omnes.* Si autem dicat, *Volumus, Decernimus, Statuimus, Stabilimus, Sancimus, Monemus, Innovamus*, hæc verba se solis sunt indifferentia ad significandum Consilium, & Exhortationem, aut Legem, & Præceptum, & ideo, nisi aliud addatur, semper standum pro Libertate, & universim in dubio, an verba Præceptum contineant, an Consilium, reputanda sunt pro Consilio, ex *Reg. 50. Jur. in 6. In obscuris minimum est sequendum.* At si dictis verbis addatur: *In virtute Sanctæ Obedientiæ*, aut *Spiritus Sancti*, aut *sub obtestatione Divini Judicii, sub indignatione Apostolorum, sub interminatione gehennæ*, clare Legem significant. Hæc Verba imperativi modi, *Fac, Abstine, Cavete, Caveant, Abstineant, Nemo audeat*, Cajet. & alii dicunt, importare obligationem gravem; Nav. Sayr. Sa, & alii, tantum levem: sed rectius Sanch. docet, standum Consuetudini locorum; itaut ibi tantum importent Legem, ubi solita sint observari, ut obligatoria; quod si de hac Consuetudine non constet, attendenda est Materia; quæ si fuerit gravis, obligatio erit gravis. Denique hæc Verba, *Mando, Debent, &c.* communiter important Legem, seu Præceptum; At secundum aliquos apud Croix l. 1. n. 657. aliquando important tantum decentiam, & melius esse. Verbum vero, *Oportet*, secundum Suar. & Sanch. importat debitum honestatis, & convenientiæ, sed secundum alios importat aliquando etiam debitum stricti Juris: v. Croix ibidem. An vero Superior, quando utitur verbis præceptivis, semper velit obligare in Conscientia, & sub gravi, dicemus infra.

Quæres secundo, Quis possit interpretari Legem?

Respondeo, Triplicem dari posse Interpretationem Legis, Authenticam, Usualem, & Doctrinalem. Authentica fit auctoritate illius, qui potest Legem condere, habetque vim Legis, si promulgetur. Cæterum si ille extra Legem dicat, se aliter intelligere, quam ipsa verba Legis sonant, non tenemur stare ejus interpretationis nisi talem interpretationem velit, tamquam novam Legem esse, quia Lex non constituitur per Voluntatem Legislatoris, nisi hæc per verba in significatione propria exprimatur. Usualis habetur ab Usu, & Consuetudine, quæ dicitur, esse optima Legum Interpres, cap. *Cum dilectus de Consuetudine*; & hæc habetur aliquando etiam pro Lege, juxta dicenda d. 3. Doctrinalis demum est, quæ habetur a Viro prudenti, & perito; ideoque suam habet probabilitatem, quod in ea omnes Doctores consentiant, habet vim Legis, quia alia Interpretatio contra communem sensum Doctorum via potest esse probabilis: licitum autem est Doctoribus Legem interpretari, ut constat ex usu, & praxi; Neque obstat, quod dicitur cap. *Sicut* 11. q. 1. *Illius esse, Leges interpretari, cujus est condere*; Nam loquitur de interpretatione authentica; Neque obstat Bulla Pii IV. sub pœna Excommunicationis prohibens, ne ullum interpretationis genus edatur super Tridentini decretis; Nam intelligitur de interpretatione ex professo, vel quasi authentica, aut frivola, non vero mere doctrinali, Suar. Salm. Bon. & alii.

Quæres tertio, quæ sint Regulæ servandæ in interpretandis Legibus?

Respondeo, Esse fere quatuor. Prima, Quando Consuetudo Legem declarat, illi standum; quia est optima Legum Interpres, *l. Si, ff. de Leg.* Secundo, ut nova Lex interpretanda sit juxta antiquam, etsi antiqua sit abrogata, ex *l. Nihil ff. de Conjungendis*. Tertia, Ut nova Lex non intelligatur abrogare priorem, nisi sit omnino contraria, quia Correctio Legis vitanda est, quantum fieri potest, ex *l. Præcipimus*, cap. *de Appel.* hinc si prior Lex sit specialis pro aliquo tantum casu, & Lex posterior sit universalis, dicendum hanc intelligendam esse juxta limitationem prioris, nisi expressis verbis illi contradicat: imo si in posteriori habeatur clausula, *Non obstante alia Lege*, non per hoc intelligetur derogare priori, nisi illi esset contraria; ideoque per Legem generalem non censentur abrogatæ Consuetudines, & Constitutiones speciales Provinciarum, nisi præsumatur Legislator has scire, & habeat Potestatem eas abrogandi, & præsumatur ita velle, Sal. & alii communiter cap 1. *de Constitutionibus in 6.* Quarta demum, Ut observetur maxime finis Legis, & proprietas Verborum, si tamen ex verbis Legis in sensu proprio acceptis sequitur aliquod absurdum; tunc debent accipi in sensu minus proprio, & ideo Jurisperiti docent, Correctionem Legis veteris esse vitandam, etiamsi verba posterioris Legis oporteat minus proprie interpretari; dummodo tamen servetur verborum proprietas saltem Civilis, de qua mox sermo erit.

Quæres quarto, Quomodo intelligatur *Reg. 16. Jur. in 6. Odia restringi, & favores conveniat ampliari?*

Respondeo notando, Proprietatem verborum Legis posse esse duplicem; Altera enim est naturalis, qua scilicet verba ex primæva institutione, & communi modo loquendo aliquid significant, sic Verbum *Mors* significat mortem naturalem, seu veram separationem Animæ a Corpore: altera est Civilis, qua scilicet eadem Verba in Jure aliud quid simile significare possunt, & sic Professio Religiosa dicitur etiam Mors, non secundum proprietatem naturalem, sed civilem. Dico nunc, Legem Favorabilem extendi, seu ampliari ad proprietatem suorum verborum, tum naturalem, tum civilem; Legem vero Odiosam restringi tantum ad proprietatem naturalem, quia odia sunt restringenda: favores autem ampliandi.

Hinc in dispositionibus Legis Favorabilis (non vero Hominis privati) nomine Filii veniunt etiam Adoptivi, imo etiam Nepotes; sicut Christus dicitur Filius Abrahæ, & nomine Legitimi venit etiam Legitimatus; & nomine Religiosi venit etiam Novitius; & nomine Masculino, venit etiam Femininum. Hæc tamen intellige, nisi specialis aliqua ratio cogat in sensu strictiori Legem Favorabilem accipere, sicut enim in generali Concessione non veniunt ea, quæ non esset quis in specie verosimiliter concessurus: ita in generali prohibitione, seu præcepto non veniunt ea, quæ Legislator verosimiliter non esset in specie prohibiturus, sed præcepturus; Suar. l. 6. *de Leg.* c. 5. & alii communiter. Contra vero in Legibus odiosis restringi debet verborum sensus ad solam proprietatem naturalem. Hinc si Lex, v.g. statuit pœnam aliquam contra Homicidam, cum sit odiosa, pœnam illam non incurres, nisi Homicidium sit opere consummatum: & similiter Lex liberans a pœna Titium percussorem Clerici inventi turpiter agentis cum sua Filia, Uxore, Matre, aut Sorore, ad has tantum restringitur in proprietate verborum naturali; quia est odiosa statui Clericali. Imo aliquando etiam citra hanc proprietatem, ut notat Merol. d. 4. c. 9. n. 19. & c. 6 n. 15. Nam Lex odiosa loquens de Monachis, & Monialibus, non solum non comprehendit Novitios, sed nec Abbatem, nec Abbatissam, quamvis revera sint tales: & loquens de Clericis secundum speciem, & nisi specialis causa, aut Consuetudo obstet, non comprehendit Canonicos, aut Sacerdotes, imo probabiliter ex eodem Merol. nec Clericos conjugatos; similiter nomine Filii venit solus Filius legitimus.

Ex dictis infers primo, In dubio de significatione verborum Legis, si aliunde mens Legislatoris dignosci nequeat, in odiosis strictius, in favorabilibus latius intelligenda. Dixi, *si aliunde, &c.* Nam si verba plures habent sensus proprios, nec constet, quem sensum Legislator intenderit, facienda est interpretatio juxta sensum, qui magis convenit rei, de qua agitur, & si uterque æque conveniat, adeundus est Legislator; quod si is adiri commode nequeat, tunc valet, quod diximus.

Infers secundo Bartol. particulas istas, *Seu, sive*, insertas verbis Legis in materia favorabili sumi pro particula copulativa *Et*, in odiosa pro particula disjunctiva *Vel*. Sed rectius Azor. Bon. & alii docent, tunc accipi copulative, quando apponuntur post aliquem terminum universalem, & pluraliter dictum, aut si indefinite apponantur, ut si dicas: *Lego tibi vina, quæ habeo sive Domi, sive Rure;* At si apponantur post aliquem terminum particularem, stant disjunctive, ut si dicas, *Lego tibi vestem meam, seu Librum*, hoc est vestem, vel librum, addit Suar. l. 6. *de Leg.* c. 6. n. 13. ipsam particulam *Vel*, aliquando sumi etiam pro particula *Et*, si ea, inter quæ ponitur, sint inter se ita connexa, ut non possint separari.

Quæres quinto, An Lex extendi possit ad Casum sub suis Verbis non comprehensum ob paritatem, vel identitatem Rationis?

Re-

Respondeo, Si in Lege expressus sit unus tantum casus causa exempli, certe comprehendi alios similes casus non expressos; quia sic Lex est generalis sive favorabilis, sive odiosa; sic si Lex imponat pœnam contra Furantes 100. aureos, comprehendit etiam Furantes rem ejusdem valoris; quia Lex est generalis, & 100. aurei ponuntur causa exempli. Si vero ponitur unus casus non exempli causa, Merol & complures utriusque Juris Doctores docent, in Favorabilibus fieri extensionem ad alium casum similem non expressum, presertim si in Lege sit expressa ratio communis; & in odiosis fieri etiam extensionem quoad obligationem, etsi non quoad pœnam. Sed Bon. Pal. & alii probabilius docent, neque in odiosis, neque in favorabilibus fieri extensionem a casu ad casum, ob paritatem, vel identitatem rationis; quia ratio Legis non est Lex: ergo quamvis militet etiam pro alio casu non comprehenso sub lata forme verborum Legis, hæc illum non comprehendit; potuit enim Legislator unum casum comprehendere, & non alium, quamvis eadem ratio pro utroque militet; cum non semper expediat, omnia prohibere, aut præcipere, etsi in illis eadem sit ratio. Neque dicas, quod Voluntas Legislatoris cognoscitur ex ratione Legis, quæ proinde dicitur Anima Legis; Nam si verba secundum omnem suam proprietatem unum tantum casum comprehendunt, dicendum, quod Legislator voluit unum tantum casum ex ea ratione per Legem prohibere, aut præcipere.

Hinc in Favorabilibus, si verba non possint extendi secundum proprietatem saltem civilem ad alium casum, dicendum, non comprehendi; quia *Quod ex verbis non provenit, neque ex mente creditur provenire*, *ex l. Non aliter*, *ff. de Leg.* Et multo minus in odiosis, seu pœnalibus dari potest extensio de casu ad casum, & quidem non solum quoad pœnam, sed neque quoad obligationem: Similiter neque in Legibus correctoriis aliarum Legum, vel exorbitantibus a Jure communi, ob aliquem favorem alicui factum, v. Sanch. l. 10. Matr. d. c. 4. n. 3.

Excipe tamen, nisi alias Legislator argueretur Injustitiæ, vel Imprudentiæ; tunc enim Lex sive Favorabilis, sive Odiosa extendenda est ad casum non comprehensum ob identitatem rationis. Ut primo, *In Correlativis*; quod enim est dispositum in uno Correlativo, censetur dispositum etiam in alio, si eadem ratio militat pro utroque; sic quia ob absentiam Sponsi sine licentia Sponsæ potest hæc dissolvere sponsalia, ex cap. *De illis*, *de Sponsal.*; ita pariter potest Sponsus ea dissolvere ob absentiam Sponsæ sine ejus licentia: item si potest Uxor communicare cum Marito Excommunicato vitando, ex cap. *Quoniam multos* 2. q. 3. potest e converso Maritus cum Uxore Excommunicata vitanda, Suar. Sanch. & alii contra Hostiens. & alios apud Merol. Si autem reservetur Sodomia, probabiliter non comprehenditur Patiens; quia etsi sit correlativus, tamen non est proprie Sodomita, sed potius Mollis ex Cajet. aliisque contra communiorem. v. Dian. tom. 1. tr. 5. r. 60.

Secundo, *In Æquiparatis*: v. g. quia in Jure Electio, Postulatio, Provisio, & Præsentatio ad Beneficium æquiparantur; ideo, quod in Lege disponitur de uno ex æquiparatis, censetur dispositum etiam de aliis ob connexionem eorum, Glos. in cap. *Si postquam*, *de Elect.*

Tertio, *In Connexis* sive ex Jure, sive ex Consuetudine: v. g. quod disponitur de Vicario Episcopi, censetur dispositum de Vicario Capituli Sede vacante, & quod disponitur de Diaconatu, censetur etiam dispositum de Subdiaconatu.

Quarto, si Lex frequentioris usus causa aliquid decernit, casum minus frequentem non excludit, sed comprehendit; Sanch. l. 3. Matr. d. 20. n. 3. & ideo Lex Pii V. prohibens Monialibus egressum, nisi causa Incendii, Lepræ, & Epidemiæ, extenditur etiam communiter contra multos apud Merol. c. 4. n. 140. ad invasionem hostium, ad ruinam domus, ad inundationem; quia frequentioris casus causa illos tantum expressit.

C A P U T IV.

Quæ sit Materia Legis?

MATERIA Legis est id, quod Lex præcipit, vel prohibet, quodque cadit sub potestatem Legislatoris ordinabile ad bonum commune; & tales sunt Actiones humanæ Subditorum. Hinc actus quarumcumque Virtutum possunt esse Materia Legum Humanarum, quia referri possunt ad bonum Commune, quamvis non possint Lege Humana præcipi omnes simul, uti nec actus earum difficillimus, puta ingressus in Religionem; uti nec potest prohibere, v. g. sub gravi pœna Excommunicationis, aut Reservationis omnia omnino Vitia, secundum Suar. Sa, & alios contra Bon. quamvis enim Lex Naturalis prohibeat omnia Vitia, tamen, cum sit immediate a Deo conditore, dat vires ad exequendum quidquid a Deo præcipitur; secus vero Lex Humana.

Quæres primo, An possit Lex Humana præcipere, vel prohibere actus de se indifferentes, nimirum nec bonos, nec malos ex genere suo?

Respondeo, notando, Legem Canonicam respicere primo, & per se Virtutem, & Honestatem, tanquam Media, quibus Subditi dirigantur ad Finem Supernaturalem: Legem Civilem respicere eandem Virtutem, & Honestatem, tanquam media conducentia ad pacem in Populo conservandam, & ideo materia Legis Canonicæ dicitur Spiritualis, materia Legis Civilis dicitur Temporalis; hinc si quando ab utraque Lege prohibeantur, v. g. Usuræ, Perjuria, Incestus, Sodomia, Matrimonia Clandestina, &c. Lex Canonica prohibet, quatenus impediunt finem Supernaturalem; Lex Civilis prohibet, quatenus impediunt pacem, & rectam gubernationem. Dico nunc cum D. Th. q. 92. a. 2. & aliis communiter, posse ab utraque Lege præcipi, vel prohiberi, actiones etiam indifferentes, si sint utiles, vel noxiæ bono Spirituali, vel Temporali; quia sic sunt ordinabiles ad debitum finem; sic prohibetur, v. g. egredi domo noctu, gestare arma, colloqui cum Monialibus, nutrire comam, &c. quia ex fine Legislatoris actus de se indifferens recipit suam honestatem, vel inhonestatem, & fit materia Legis. Contra vero, si actus aliquis indifferens nullatenus conferat ad bonum Commune, certe non erit materia Legis, unde nec potest Lege Humana præcipi, vel prohiberi.

Quæres secundo, An Lex Humana possit præcipere, vel prohibere actus internos?

Respondeo cum D. Th. 1. 2. q. 91. ar. 4. & aliis, non posse directe, & per se, seu si nullatenus conjuncti sint cum actibus externis; posse vero indirecte, si scilicet sint requisiti, & conjuncti cum actibus externis. Ratio primæ partis est, quia actus mere interni de se nec conservant, nec perturbant Rempubl. civilem, nec cadere possunt sub Judicium humanum: ergo neque Lex Civilis, neque Ecclesiastica præcipere, aut vetare possunt actus internos directe, & per se, seu nullatenus conjunctos cum externis: atque id certum apud omnes est de Lege Civili; de Ecclesiastica contradicunt Med. Cord. & alii; sed ratio D. Th. est valida; ideoque cap. *Sicut tuos*, *de Simon.* dicitur: *Nobis datum est de manifestis tantum judicare*: ergo etiam Leges ferre; cum non possit has ferre de eo, quod nequeat judicare, & punire.

Neque obstat, quod Ecclesia dispensat in Votis mere internis, & Confessarius absolvit etiam peccata mere interna; Nam, cum hæc potestas sit expediens ad bonum Fidelium, dicendum est, a Deo Ecclesiæ collatam; & ideo etiam probabiliter potest Ecclesia (quamvis non soleat) reservare etiam peccata mere interna, & a Confessario imponi potest pro Pœnitentia etiam Oratio mentalis, cum hoc etiam expediat ad salutem Animæ, ut docent Sal. & alii contra alios. At non expedit, ut possit prohibere, aut præcipere actus mere internos, neque adeo Excommunicationem, aliamve pœnam pro iis ferre, quia de iis judicare nequit, & ideo dicendum, hanc potestatem non esse ei concessam a Christo Domino. Addunt alii, Potestatem Ecclesiasticam solum dispensare in Votis internis, & absolvere peccata interna, dum ei aliquo signo externo manifestantur; sed quamvis id verum sit de absolutione peccati, non tamen de dispensatione Voti, cum possit dispensare, dicendo; *Dispenso*, *si quod habeas Votum internum*.

Ratio secundæ partis est, quia si actus interni sunt necessarii, ac per se requisiti ad actus externos, tunc expedit ad bonum Fidelium, ut si hi præcipiantur, vel prohibeantur, indirecte præcipiantur, vel prohibeantur & illi: sic quia ad Orationem vocalem, ad Horas Canonicas, &c. essentialiter requiritur debita attentio, & intentio recitandi, sine quibus non esset Oratio; ideo Ecclesia præcipiens Beneficiariis recitationem Horarum, præcipit indirecte attentionem, & intentionem debitam, sine quibus proinde Beneficiarius transgrederetur Præceptum Ecclesiasticum: similiter Ecclesia præcipiens Confessionem annuam, & Communionem Paschalem, præcipit indirecte in ea dolorem internum, in hac dispositionem internam; quia sine his neutra subsisteret, prout instituta a Christo Domino, & quæ ab Ecclesia præcipitur: similiter qui audit Missam die Festo sine intentione audiendi, non satisfacit, adeoque peccat contra Præceptum Ecclesiæ, quæ præcipiens Missam præcipit

omne

mne id, quod per se requiritur ad illam rite audiendam.

Idem proportionaliter dic de Lege Civili; quia enim ad ineundos Contractus requiritur essentialiter intentio contrahendi, ideo Lex Civilis præcipiens, vel prohibens talem Contractum, præcipit, vel prohibet indirecte intentionem internam, in quantum est forma, seu quatenus per se requisita ad actum externum contrahendi. Et ratio a priori est, quia tales actus externi, si essent destituti internis, obessent Reipublicæ, ut sunt Contractus ficti, &c.

Cæterum, si actus internus non sit per se requisitus ad actum externum physicum, vel moralem ponendum, non potest ne indirecte quidem subjacere Legi Humanæ, sive Civili, sive Ecclesiasticæ; quia in tali casu directe subjaceret Legi, Suar. l. 4. *de Leg.* c. 12. Hinc Ecclesia non potest præcipere, quod in tali v. g. Oratione, Eleemosyna, &c. habeant hanc, vel illam intentionem; sed solum quod orent, dent Eleemosynam, &c. ideoque, si quis daret talem Eleemosynam cum intentione quidem sublevandi miseriam pauperis, sed ob vanam gloriam, non peccaret contra Legem Ecclesiasticam. Potest tamen Ecclesia concedere Indulgentias sub conditione, *si orent pro tali necessitate;* quia hæc est donatio, ad cujus valorem potest apponi a Donatore quævis conditio etiam interna: similiter quando Ecclesia in recipiente Beneficium Curatum requirit intentionem suscipiendi intra annum Sacerdotium, non fert Legem de actu interno; sed solum requirit illam intentionem, ut conditionem, ad conferendum Beneficium.

In pœnis autem semper requiritur actus externus secundum se malus. sic dum c. 1. *de Hæreticis* præcipitur Inquisitoribus sub pœna Excommunicationis, ne exequantur Officium suum ex odio, aut spe lucri, tunc punitur actus externus, qui de se sit malus sub conditione tamen, quod procedat ex odio, aut spe lucri; si autem actus externus non sit secundum se malus, quamvis ex odio, aut spe lucri positus, non incurritur Excommunicatio, Vasq. Sal. d. 9. s. 1. n. 8. Similiter dic de Excommunicatione lata contra Benedictinos se transferentes ad Curiam Regis sine licentia Superioris animo illum accusandi, nam hic animus est conditio, ut incurratur Excommunicatio a ponente illum actum externum de se malum, eundi scilicet sine licentia, Pal. & alii. Similiter Ecclesia punit Uxoricidium cum intentione alterius Matrimonii, addendo pœnam impedimenti.

CAPUT V.

An ad Valorem Legis requiratur, ut sit Justa, & Utilis.

CERTUM est, ad Valorem Legis essentialiter requiri, ut sit Justa, & Utilis; quia esse debet recta rationis ordinatio ad bonum Commune: si ergo Lex sit injusta, vel inutilis, nulla est, adeoque nullatenus obligat, præciso scandalo, juxta mox dicenda.

Quæres primo, Quot modis potest Lex esse injusta?

Respondeo, Sex modis: I. Si excedat potestatem Legislatoris: II. Si repugnet Legi Naturæ, aut Præcepto positivo Divino: III. Si opponatur bono communi: IV. Si imponat Subditis onus improportionatum causæ, puta Tributum ultra necessitatem, vel onus gravans Subditos inæqualiter, non servata debita proportione: V. Si sit inutilis bono communi; præcise enim per hoc, quod non sit utilis, est injusta, cum sine causa privet Subditos sua Libertate: VI. demum, si fundetur in falsa præsumptione contra rei Veritatem, quæ tantum innotescat illi, contra quem Lex fertur, tunc enim dicitur injusta materialiter.

Quæres secundo, An Lex, vel Præceptum obliget in dubio de potestate Superioris?

Respondeo, Si dubium sit, an ille sit legitimus Superior, v. g. an sit legitime electus; tunc si sit jam in possessione sui officii, si scilicet acceperit claves, sigillum, aut alia signa officii, obligat; quia jam est possessio pro Superioratu; si vero nullam officii possessionem acceperit, non obligat, quia nulla est certa possessio pro jure præcipiendi; de hoc enim dubitatur, proindeque nondum est Libertas Subditi de sua possessione dejecta, Croix l. 1. *de Leg.* n. 593.

Si vero dubium sit, an Superior, qui certo est talis, potestatem habeat imperandi talem actionem, obligat; quia jam est possessio pro absoluta ejus potestate imperandi omne id, quod certo non constet esse supra suam potestatem, Sanch. l. 6. Dec. c. 3. n. 7. & alii communiter contra Dian. p. 9. t. 9. r. 45. Ovied. & alios putantes, ut probabile, oppositum.

Quæres tertio, An Lex, vel Præceptum obliget in dubio, an sit de re illicita?

Respondeo, Si tum Superior, tum Subditus, dubitent an ea res sit illicita (hoc est an sit contra Legem Naturalem, vel positivam Divinam, vel opposita bono Communi), peccat tum ipse Superior præcipiens, tum Subditus ei obediens, quia uterque operatur cum Conscientia practice dubia. At si Superior non dubitet, sed probabiliter saltem judicet, rem quam præcipit, esse licitam; tunc tenetur Subditus obedire, etsi ipse dubitet, vel probabiliter etiam judicet, eam rem esse illicitam; quia cum possit in hoc casu licite obedire, sequitur, quod teneatur: cum potestas præcipiendi sit in possessione apud Superiorem, utpote habentem Jus imperandi, quod ipse judicat saltem probabiliter licitum, Croix l. 1. *de Leg.* n. 439. v. quæ diximus d. 1. q. 3. c. 2

Quæres quarto, An Lex obliget in dubio, an sit injusta quoad onus impositum?

Respondeo affirmative, quia in tali dubio stat in Superiore certa possessio præcipiendi. Nisi vero constet, ipsummet Superiorem esse in tali dubio; tunc enim, etsi peccet Superior imperans cum Conscientia practice dubia de tali injustitia: tamen Subditus non peccat obediendo, solvendo scilicet Tributum improportionatum causæ, &c. ut patet; potest vero non obedire, præciso scandalo, quia constat, Superiorem sic præcipiendo non esse justum; dixi, *præciso scandalo*, quia Lex etiam injusta, quæ sine peccato servari potest, servari debet, quando aliter adest scandalum; tale enim debitum oritur ex Lege Naturali Charitatis, qua cuique mandavit Deus de Proximo suo: Doctores communiter.

Quæres quinto, An sit justa Lex, quæ fertur in bonum unius Communitatis, si illa redundet in damnum alterius Communitatis?

Respondeo cum Suar. l. 1. *de Leg.* c. 7. Si illæ duæ Communitates sint partes ejusdem Regni, puta duæ Provinciæ hujus Regni; tunc justa est Lex uni Provinciæ utilis, & alteri noxia, si omnibus pensatis prævalet bonum commune Regni, quia sic partium Bonum, & Malum censetur quid privatum respectu totius corporis Politici, ad quod Leges per se feruntur. At si duæ Communitates non sunt partes ejusdem Regni, sed per accidens sunt sub eodem Principe, v. g. Mediolanum, & Hungaria, quæ diversis titulis sub ejusdem ditione sunt; tunc Lex esset injusta, quia non comparantur ut bona privata ad commune.

Quæres sexto, An Lex, quæ quando fuit lata erat inutilis, incipiat per se valere, & obligare, si successu temporis evadat utilis?

Respondeo probabilius negative, cum Sanch. l. 4. Dec. c. 7. n. 19. contra Vasq. Bon. & alios; quia *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, *ex Reg.* 18. *Jur. in* 6. Similiter si Lex feratur a non habente potestatem, non evadet deinde valida, si postea is potestatem acquirat. Hinc infertur contra Nav. quod si quis ex nulla causa honesta existente voveat v. g. nunquam se ingressurum domum Titii; si postea adsit ibi occasio peccandi, Votum, quod fuit ab initio irritum, utpote de re indifferenti, non evadit postea validum, & obligatorium.

Quæres septimo, An Lex fundata in præsumptione falsa, sit valida?

Respondeo, Si Lex fundetur in præsumptione culpæ, relate ad illum, qui culpam non admisit, non est valida; cum sit materialiter saltem injusta; ideoque, præciso scandalo, is non tenetur ad illam; sic secundum Rebell. apud Croix *de Restit.* n. 174. est Lex statuens, ut quis reficiat alteri damnum causatum a suo animali, l. 1. *ff. si quadruped*; unde infertur, non teneri de tali damno, si absque sua culpa suum animal illud causavit; sed alii cum Mol. apud eundem melius dicunt, Humanas Leges non fundari in præsumptione culpæ, sed habere pro fine, reddere Homines cautiores, & conservare communem pacem; ideoque etiam si sine tua culpa tuum animal damnum intulit, teneris hoc reficere alteri; nonnisi tamen post Sententiam Judicis, qua posita Lex illa ob bonum pacis juste transfert Dominium rei tuæ in alterum, cum sic sit etiam dispositiva, justa dicenda *de Restit.* q. 3. c. 3. At si tuum animal nullatenus damnum intulit, & tamen juridice probetur intulisse, tunc nullatenus teneris de eo damno, ne post sententiam quidem Judices procedentis secundum allegata, & probata; quia tunc fundatur in præsumptione falsa, & præsumptio cedit

in foro Conscientiæ Veritati; ideoque; præciso scandalo, poteris non solvere; & si solvens, poteris occulte compensare, & alter tenetur restituere; quia tunc neque adest culpa juridica, in qua fundatur Lex.

CAPUT VI.

An ad Valorem Legis requiratur Promulgatio.

PROMULGATIO Legis est ejus denunciatio, seu publicatio, facta, vel voce Præconis, vel per hoc, quod affigatur in loco publico, vel alio signo, juxta locorum Consuetudinem. Certum autem est, ad cujusvis Legis validitatem requiri essentialiter talem promulgationem, ut constat ex ipsius Legis definitione: neque oppositum dicitur Cap. 1. *de Postulat. Prælat.* quod ad Legem requiritur, *Ut solemniter edatur, aut publice promulgetur*; Nam particula *Aut*, idem sonat, ac *Seu*. Hinc Lex Naturalis dicitur promulgata Hominibus per hoc, quod Deus eam inseruit eorum mentibus naturali lumine cognoscendam. Cæteræ autem Leges, præsertim Humanæ, indigent alia externa Promulgatione; non quidem scripto (exceptis declarationibus authenticis S. Congr. juxta dicta c. 2.), cum sufficiat, si fiat sola voce; quia satis est manifestatio Voluntatis Legislatoris facta Communitati, quam vult obligare, quomodocumque fiat; ideoque 10 Eth. 9. dicitur *Scriptæne sint Leges, an non scriptæ, interesse nihil videtur*; Neque obstat quod Lex dicatur Jus scriptum, Consuetudo Jus non scriptum; nam Lex dicitur talis eo quod soleat frequenter scribi, non vero quod nulla sit, nisi scribatur; ut dicitur de sententia Judicis cap. fin. *de Sen. & re judic.* quod tamen de Lege non procedit.

Quæres primo, Ubinam facienda sit Promulgatio Legis Pontificiæ?

Respondeo, per se loquendo, satis esse, si fiat Romæ, ut obliget omnes Fideles, totumque Orbem Ecclesiæ subjectum, ut docent communiter Doctores apud Croia l. 1. n. 579. contra Angel. Mol. Becan. Laym. & alios, & ratio est, quia Alex. VII. in Prop. 8. 9. 37. & 38. damnatis, refert se ad Decreta non promulgata in singulis Provinciis. Neque id videtur durum; nam non obligant in actu secundo, nisi scientes Promulgationem jam Romæ factam; si ergo existens Neapoli illam ignores, non peccas non obediendo; nisi vero ignorantia sit crassa, & supina; juxta dicta d. 1. q. 2. c. 1. at si illam rescias, quomodocumque humano modo, & etiam privatim scias, teneris obedire; si autem scias per Revelationem, probabiliter non teneris, ut docet Cajet. contra Suar. & alios multos.

Dixi *per se loquendo*; Nam ex benignitate Papæ, Lex utut Romæ promulgata de facto non statim obligat in quocumque loco distante, sed requiritur, ut ejus notitia ordinario modo ad Communitatem illius Provinciæ perveniat, ut notant Doctores cum Suar. l. 3. de Leg. c. 17. Si ergo, antequam innotescat Communitati, privatim scias Promulgationem Romæ factam, non obligaris; imo Leges irritantes Contractus non habent de facto vim, nisi promulgentur in singulis Provinciis ex cap. *Si ea Adjutorium* d. 10. & cap. 1. *De novi operis nunciat.*

In dubio autem, an Lex sit promulgata, post adhibitam debitam diligentiam, prudenter præsumitur, quod non; quia in tali dubio possidet Subditi Libertas: nisi vero Lex sit aliquando usu recepta, cum sic prudenter præsumatur Promulgatio ex communiter Contingentibus. v. Croia l. 1. *de Leg.* n. 590.

Quæres secundo, Ubinam facienda sit Promulgatio Legis Cæsareæ, aut Regiæ?

Respondeo, Faciendam esse in singulis Provinciis, ex Authen. *Ut nova Constit.* & ex usu recepto. Hinc Subditi hujus Provinciæ non obligantur, etsi sciant, talem Legem in aliis Provinciis, vel Regnis esse promulgatam, nisi etiam hic promulgetur, hoc est in Capitali talis Provinciæ. Potest tamen Imperator, vel Rex, ex plenitudine absoluta velle, ut una Publicatio satis sit pro omnibus suis Provinciis obligandis.

Quæres tertio, Ubinam facienda sit Promulgatio Legis latæ a Magistratu Civitatis, aliove Principe inferiore?

Respondeo, Satis esse, si fiat in ipsa Civitate, vel Curia, juxta Consuetudinem locorum, quin opus sit, ut fiat in singulis Oppidis. Idem dic de Legibus Episcopi, ejusque Synodi, satis enim est, si promulgentur in Civitate Ecclesiæ Cathedralis ex communi sententia, & usu recepto.

Quæres quarto, An Lex Humana, statim ac est promulgata, obliget?

Respondeo, Legem Imperatoriam non obligare, nisi post duos menses a Promulgatione, ex Auth. cit. Inferunt hinc aliqui cum Mol. Bec. Laym. apud Croia l. 1. n. 579. idem dicendum de Lege Pontificia; quia ubi Jus Canonicum nihil disponit, servandum est Jus Cæsareum, si non repugnat bonis moribus ex cap. 1. *de Novi operis nunciat.*: sed communis sententia docet oppositum, ut patet ex Bul. Cœn. quam cum velit Pontifex obligare omnes statim ac publicatur, manifeste ostendit, se nolle acceptare dictam Authenticam. Idem dic de Legibus Regis, & aliorum Principum, qui Imperatori non sunt subjecti, Suar. Vasq. Sal. & alii contra Val. Rein. Nav. Sa. & alios.

Noto tamen, Pontificem posse aliter disponere tum circa Promulgationem suarum Legum, tum circa tempus obligandi; Nam in Trid. *sess. 24 de Refor. c.* 1. circa Legem irritantem Matrimonium Clandestinum disposuit, eam non habere vim obligandi, nisi post 30. dies a Promulgatione facta in Parochia. Et Pius IV Bull. an. 1564. super tempora obligationis Tridentini, trium mensium spatium assignavit post Promulgationem ad obligandum. Et cap. *Cum singulæ de Præb. in 6.* præscribitur, ut qui habet duas Ecclesias, unam dimittat intra Mensem, postquam hæc Constitutio ad ejus aures pervenerit; & sic de aliis.

CAPUT VII.

An ad Valorem Legis requiratur Acceptatio?

LEx dicitur acceptata, seu usu recepta, quando major pars Populi illam observet; vel si non occidat casus eam observandi, tamen illam approbat verbo, aut scripto, aut saltem illam non rejicit, aut improbat. Contra vero dicitur Lex non acceptata, seu non usu recepta, quando major pars Populi prosequitur facere, ut consueverat ante Legem, sive sciat promulgatam jam esse, sive nesciat.

Certum est primo, Legem Naturalem, aut Divinam positivam ad sui valorem non indigere tali acceptatione, sicut nec abrogari posse desuetudine, ullave consuetudine contraria. Loquimur ergo tantum de Legibus Humanis, in quibus certum etiam est, Subditos peccare, si absque justa causa jam promulgatas non acceptant, ex Prop. 28. damnata ab Alex. VII. *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem a Principe promulgatam*, Et ratio damnationis est, quia sine causa resistit potestati a Deo ordinatæ; postquam vero Lex non est acceptata, non peccant, qui eam non observant, juxta infra dicenda.

Quæres primo, An possit Legislator humanus velle obligare Subditos, etiamsi Legem a se promulgatam non acceptent?

Respondeo, Tres esse hac in re Sententias: Prima cum Nav. universaliter negat; quia sic Lex non esset in bonum commune, cum magnam excitaret in Populo perturbationem: Secunda affirmat de Legislatore Ecclesiastico, negat de Laico; quia hic accipit potestatem a Communitate, ille a Christo Domino: Tertia cum Suar. & aliis communissime affirmat universaliter de quovis Legislatore; quia alioquin esset major potestas in Populo, quam in Superiore; cum hic posset impediri ab illo, & non e converso. Neque obstat primo, quod sequeretur perturbatio ex non acceptatione Populi; cum major perturbatio sequeretur, si posset Populus ad arbitrium non acceptare. Neque obstat secundo, quod dicitur *l. De quibus, ff. de Leg.* Leges nulla alia de causa nos obligare, nisi quod judicio Populi sunt receptæ; nam sensus est, quod cessent obligare, si in desuetudinem abeant, quo sensu etiam dicitur 2. Polit. 6. Legem nullam vim habere, nisi ex more; & eodem sensu Gratian. cap. *In istis* d. 4. ait, *Leges instituì, dum promulgantur, firmari autem, cum moribus utentium approbantur*; firmantur enim firmitate, non juris, sed facti, seu consuetudinis.

Quæres secundo, An de facto Lex Humana non obliget sine acceptatione?

Respondeo affirmative cum communi sententia; Quia ex benignitate Legislatoris Humani sive Secularis, sive Ecclesiastici præsumitur (nisi oppositum exprimatur) Leges suas de facto condere sub hac tacita conditione, *Si acceptentur*; ne scilicet videantur nimis onerosi suis Subditis. Hinc Leges Trid. *de Refor.* non obligant de facto, ubi non fuerunt acceptatæ, etsi primi peccaverint, si sine rationabili causa non acceptarunt; ideoque Matrimonium Clandestinum ibi est validum: at Leges Tridentini, & aliæ Pontificiæ concernentes materiam Fidei obligant, etiamsi non acceptentur, quia omnes tenemur credere, quod est definitum de Fide; uti etiam obligat quævis Lex etiam non acceptata, si exprese acceptationem non requirat, vel si abroget aliquid, tanquam pravum, & scandalo-

dalosum, aut damnet Consuetudinem aliquam, tanquam irrationabilem, & iniquam; sic enim Jus Naturale pergit semper assistere tali Legi: Croia l. 1. *de Leg.* n. 636. qui n. 637. addit, quod Generalis Soc. Jes. rescribens ad Provinciam Venetam an. 1517. 9. Aug. rejecit ut falsam hanc Propositionem: *Bulla cœnæ non obligat, ubi non est recepta.*

Quæres tertio, Quid veniat nomine Majoris partis Populi, seu Communitatis non acceptantis Legem?

Respondeo, Non venire Communitatem universalem complectentem plures Communitates, sed venire quamlibet Communitatem particularem: v. g. si Imperator ferat Legem aliquam pro omnibus suis Provinciis, ut obliget singulas Provincias, debet a majori parte singularum acceptari; & non satis est, si a pluribus aliis Provinciis acceptetur, ut obliget etiam hanc nondum acceptantem; & e converso, si a majori parte hujus Provinciæ, non vero alterius, acceptetur, hanc obligat, non alteram. Hinc ut Lex v. g. Trid. *de Refor.* obliget in Hispania, & non in Gallia, satis est, si recepta sit in majori parte Hispaniæ, & non Galliæ; & in Hispania obligat, etiamsi per reliquas Orbis partes non esset acceptata.

Quomodo autem Communitas particularis determinanda sit, stabiliendum est Judicio Prudentium: si enim Lex aliqua æque respiciat v. g. omnes Religiones, tunc si majori parte Religionum non observetur, non tenentur aliæ eam servare, nisi jam acceptaverint: similiter si Lex aliqua sit æque utilis, & conveniens omnibus Regnis, tunc si Major pars Regnorum illam non acceptet, non tenetur alia Regna acceptare; quia non tenetur minor pars sola portare pondus Legis, quando non est major ratio, cur hæc potius, quam reliquæ obligentur: at si sit particularis utilitas, necessitas, vel probabilitas, ut observetur ab una potius Communitate particulari, quam ab aliis, tenetur eam particularis Communitas acceptare, etiam aliis non acceptantibus; At si major pars ejus acceptaverint, tenentur omnes, & singulæ ejusdem Personæ.

Quod dictum est de partibus Communitatis, dic proportionaliter de partibus Legis; si enim Lex habet plures partes, & secundum unam partem ea acceptetur, & non secundum alteram, secundum illam, & non secundum istam, obligabit: sic notat Nav. *Extravag.* Paul. II. *Ambitiosæ, de non alienandis reb. Eccl.* in aliquibus Diœcesibus Hispaniæ obligare solum secundum nullitatem Contractus in ea prohibiti, non vero secundum pœnam Excommunicationis, quia secundum priorem tantum partem est ibi acceptata.

Quæres quarto, An aliquando sit licitum appellare a Lege, vel supplicare contra illam?

Respondeo, Quando adest rationabilis causa, licitum esse appellare a Legislatore ad Superiorem, puta ab Episcopo ad Papam; vel, si sit Supremus, supplicare ipsummet, ut Legem tollat, moderetur, &c. quia prudenter præsumitur, quod nescierit, vel non consideraverit difficultates, incommoda, mores, &c. hujus, vel illius particularis Provinciæ, itaut executio rationabiliter suspendatur, & acceptatio usque ad aliam informationem differri possit, & debeat; Doctores communiter cum Suar. l. 4. *de Leg.* c. 16. n. 7.: hinc durante tali appellatione, vel supplicatione, Bon. Sal. Rodr. & alii apud Moyam contra Suar. docent, obligationem suspendi, quia ita habet usus & praxis, neque adeo puniuntur Subditi, si interim non observent, sicque præsumitur de benignitate Principis. At si verosimile sit, Superiorem non ignorasse dictas difficultates, communissime cum eodem Suar. docent, Legem esse acceptandam, quamvis arduam, & multo magis si non cogitetur de Appellatione, aut Supplicatione; maxime, si ideo taceatur, quia creditur, quod Legislator non sit approbaturus rationes opponendas. Denique si Superior audita Appellatione, vel Supplicatione taceat, hoc ipso censetur revocare Legem, nisi aliunde colligeretur, quod taciturnitas esset per modum repulsæ, aut indignationis, tunc enim potius firmaretur Lex. v. Croia l. 1. n. 639.

Quæres quinto, An Lex ab initio non acceptata, si deinde acceptetur, incipiat tunc obligare, & contra?

Respondeo affirmative cum communi; quia per non acceptationem non fuit extincta Lex, sicuti extinguitur per revocationem; sed fuit quodammodo suspensa: ergo si deinde acceptetur, incipit tunc obligare. Idem dicendum e converso, si Lex ab initio acceptata, deinde non acceptetur, sed incipiat non observari a majori parte populi, non amplius obligat, quia suspenditur, ut fusius dicemus q. 3. At quid, si Lex sit alioqui invalida, firmaturne per hoc, quod a Subditis acceptetur? Dico firmari, si præcipiat aliquid contra eorum Jus, & ipsi libere acceptent, quia sic videntur cedere Juri suo. Si secus, nego; ut si Princeps Laicus præciperet auditionem Missæ. v. Croia l. 1. n. 641.

Quæres sexto, An Lex obliget in dubio, an sit acceptata?

Respondeo, Tres esse hac in re Sententias: Prima cum Sanch. Bon. & aliis universaliter affirmat, quia cum constet de Lege jam promulgata, pro ea stat possessio: Secunda cum Azor. Sal. Dicast. & aliis, universaliter negat, quia quando dubitatur de acceptatione, dubitatur, an Lex unquam obligaverit; adeoque non Lex, sed Libertas Subditi possidet: Tertia cum Croia l. 1. n. 591. melius distinguit, & negat, si Lex sit talis, ut ad ejus obligationem Legislator requirat acceptationem populi, ut sæpe fit in Legibus Civilibus; affirmat vero, si non indigeat acceptatione, ut non indigent Leges Ecclesiasticæ, quæ ante acceptationem habent totam vim obligandi.

QUÆSTIO II.

De effectibus Legis.

Effectus Legis sunt Obligare, Irritare, & Punire. Itaque videndum I. An omnis Lex obliget in Conscientia? II. Qua intentione obediendum sit Legi? III. Quo tempore obediendum sit Legi? IV. An Lex obliget ad non ponenda impedimenta pro ejus observantia? V. An, & quomodo Lex aliqua sit irritans? VI. An, & quomodo Lex obliget ad pœnam?

CAPUT I.

An omnis Lex obliget in Conscientia?

Legem obligare in Conscientia idem est, ac obligare sub peccato coram Deo, seu, ut dicitur, ad culpam; ut autem ita obliget, duo requirit in Legislatore, Potestatem scilicet, & Voluntatem ita obligandi. Certum est primo, talem Potestatem esse non solum in Legislatore Divino, sed etiam Humano sive Ecclesiastico, sive Civili, ex illo Apostoli ad Rom. 13. *Qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Certum est secundo, eam Voluntatem sic obligandi esse de facto in Legislatore Divino, adeoque omnem Legem tum Naturalem, tum Positivam Divinam obligare in Conscientia; an autem de facto adsit etiam in Legislatore Humano, videndum ex sequentibus.

Dico primo: Omnis Lex Ecclesiastica, si sit præceptiva, obligat in Conscientia; Doctores communiter. Ratio est, quia cum Potestas Ecclesiastica ferendi Leges sit Spiritualis, hoc est per se ordinata ad Finem Spiritualem, debet velle obligare semper ad culpam spiritualem, quæ scilicet sit in foro Conscientiæ, & afficiat Animam: ergo obligat in Conscientia. Idque verum est non solum, si sit mere Præceptiva, ut sunt Præcepta Ecclesiastica v. g. audiendi Missam die Festo, non comedendi carnes diebus vetitis, Jejunandi &c. sed etiam si sit Mixta, hoc est Præceptiva simul, & Pœnalis, ut Lex prohibens aliquid sub pœna Censuræ, Irregularitatis, Privationis Officii, Vocisque activæ, & passivæ, &c. Dixi, *Si sit præceptiva*; Nam Rubricæ, seu Ritus Ecclesiastici, si sint mere directivi (ut sunt, lavare manus ante Missam, dicere Orationes inter induendum Sacras Vestes, &c.) probabiliter non obligant, saltem sub gravi; quamvis probabilius contra Tamb. obligent sub levi, si sine causa omittantur, cum videatur aliqua deordinatio ab usu communi, illa sine causa omittere. Contra vero celebrare non jejunium, vel sine vestibus Sacris, est per se mortale, quia Ritus isti sunt præceptivi, ac veræ Leges obligantes per se sub gravi, itaut primum nec admittat parvitatem materiæ; admittat autem secundum.

Quæres, Unde dignosci possit, quod Lex Ecclesiastica præcipiat aliquid sub gravi, vel sub levi?

Respondeo, Ex quadruplici fere capite: I. Ex communi sensu Doctorum, vel Usu, & Consuetudine Fidelium; quo pacto Præceptum Jejunii, audiendi Missam, &c. obligant sub gravi. II. Ex verbis ipsius Legis, quæ sæpe exprimunt obligationem gravem; ut si dicant, *Sub indignatione Apostolorum Petri, & Pauli*, &c. Aliquando vero non exprimunt obligationem gravem, ut est prohibitio Inn. XI. ne simplices Sacerdotes audiant Confessiones Venialium; tantum enim ait Episcopis, *ne id permittant.* III. Ex circumstantiis, & ex fine Legis, qui si sit magni momenti, & materia multum conducat ad illum, materia

erit gravis; si hæc parum conducat, vel ille sit parvi momenti, materia erit levis: sic collocutio diuturna cum Monialibus absque licentia est mortalis, ratione finis Legis id prohibentis, utpote gravis, & ad quem multum illa conducit; at collocutio per quadrantem non videtur multum conducere ad talem finem, ideoque censetur levis: similiter communicatio in civilibus cum Excommunicato vitando, utut diuturna, est peccatum veniale præciso scandalo, & contemptu, quia finis talis Legis non censetur esse magni momenti; secus vero si sit communicatio in Divinis: similiter si Lex ob frequentes rixas prohibuerit, noctu gestari arma, si per horam gestans noctu arma obambules, est grave, quia per horam facile occurrere potest occasio rixæ; secus vero si breviori tempore, ubi non sit occasio rixæ: similiter si Lex prohibuerit efferri frumentum e Civitate ob caritatem annonæ, qui semel efferat, leviter peccat, nisi sequatur grave damnum Communitatis, Gran. Dian. & alii: similiter si Monialis egrediatur e Clausura, vel alius ingrediatur, ad duos tantum pedes, & statim redeat, est leve secundum Dian. & alios, quia non agitur notabiliter contra finem Legis ob cavenda pericula Monialium. Cæterum materia absolute levis, quæ scilicet neque ex fine Legislatoris potest fieri gravis, ut Mendacium jocosum, nequit prohiberi, aut voveri, aut pro Pœnitentia imponi, sub gravi, quia est de se incapax obligationis gravis; Esus autem pomi in Adamo ob finem, quo Deus voluit recognosci, ut supremus Dominus, fuit gravis; in dubio autem talis finis, standum pro Superiore. Contra vero materia absolute gravis, puta Jejunium, potest prohiberi, voveri, aut pro Pœnitentia imponi, sub levi quia poterat simpliciter non prohiberi, &c. Pal. & alii contra Vasq. IV. denique ex pœna gravi, vel levi, argui potest Lex, seu Præceptum sub gravi, vel sub levi: sic omnis Lex Ecclesiastica prohibens sub Excommunicatione majori latæ sententiæ, quæ est pœna Spiritualis gravissima, obligat sub gravi secundum omnes, sub levi vero, si sub Excommunicatione minori, nisi sit Communicatio in Divinis, ex dicendis de Cens. Lex autem obligans sub pœna Suspensionis, vel Interdicti latæ sententiæ, obligat sub gravi, ut communiter docent cum Suar. contra Cajet. Nav. & alios, qui intelligendi sunt santum de suspensione, & Interdicto ab aliquo tantum actu, & ad breve tempus, in quo sensu sunt pœnæ leves. Similiter Irregularitas ex delicto semper est pœna gravis; Idemque est de Privatione Officii, Vocisque activæ, & passivæ, ut docent communiter apud Dian. p. t. s. 50. r. 22. ideoque S. Cong. apud eundem declaravit, Decretum Sixti V. obligans Regulares, ne accedant ad Monasteria Monialium sub his pœnis, obligare sub gravi. An vero Lex obliget sub gravi, si imponat pœnam gravem, puta Excommunicationem majorem non latæ sententiæ, sed ferendæ, est dubium, communis sententia affirmat; sed Nav. Cajet. Val. & alii apud Dian. p. t. t. 10. r. 21. putant, obligare tantum sub levi, quia antequam excommunicetur talis Transgressor, debet moneri, unde tunc incipit peccare mortaliter, quando post monitionem non vult cessare; quam sententiam probabilem putat Salon. adeoque peccare tantum venialiter Clericum, qui præciso scandalo nutrit comam, quia cap. *Si quis, de Vit. & honest. Cler.* tantum dicitur, quod sit excommunicandus.

Dico secundo: Lex Civilis, si sit pure pœnalis, non obligat in Conscientia, etiamsi pœna imposita sit gravissima. Ita Nav. Covar. Regin. Pal & alii apud Merol. c. 5. d. 27. contra Suar. Azor. Sal. Less. & alios apud Dian. p. t. t. 50. r. 17. Ratio est, quia Lex pure pœnalis ex dictis est quæ non utitur verbis præceptivis, sed solum imponit pœnam Transgressoribus, ut si dicat, *Qui arma portaverit subeat pœnam capitis*. Sed in hac videtur Legislator velle obligare tantum ad pœnam, non vero ad culpam Theologicam: ergo. &c. Neque dicas, eam pœnam esse injustam, si non adsit culpa; nam adesset culpa civilis, seu politica, quatenus in foro externo esset dignus Transgressor tali pœna, etsi in foro Conscientiæ non peccasset coram Deo: Noto tamen, quod quamvis Lex pure pœnalis ratione sui non obliget ad culpam, potest tamen aliunde adesse hæc obligatio, ut si Lex Principis dicat, *Qui e vivario meo capit piscem, subeat mortem*; qui piscem capit, peccat peccato Furti, & si temere exposuit se periculo talis pœnæ, peccat contra Charitatem sui, Ita Croix l. 1. n. 608.

Dico tertio, Probabile etiam est, quod Lex Civilis mixta non obliget in Conscientia, nisi clare exprimat, se velle in Conscientia obligare. Ita Nav. Vill. & alii apud Dian. p. t. t. 50. r. 22. quod etiam probabile dicit Fill. Ratio est; quia cum Lex Civilis habeat pro fine solum Civilem Felicitatem, possitque eam consequi per obligationem ad culpam tantum civilem, & in foro externo, non videtur, quod velit de facto obligare ad culpam Theologicam, & in foro Conscientiæ, nisi id clare exprimat: non sunt enim imponenda onera Subditis sine manifesta necessitate, & non videtur necessitas obligandi in Conscientia, quando sufficienter obtineri potest Pax civilis, coercendo pœnis Transgressores.

Hinc si Lex Civilis dicat, *Præcipimus, ne quis arma ferat sub pœna capitis*, vel si dicat, *Nemo extrahat frumentum sub pœna mille aureorum*; quamvis hæ Leges sint Mixtæ, tamen, cum non clare exprimant culpam Theologicam, probabile secundum Dianam est, loqui tantum de culpa politica, nisi vero tales Leges spectent bonos mores, aut vitiorum extirpationem; tunc enim probabilius obligant in Conscientia secundum Sanch. v. Merol. c. 3. n. 304. An autem Transgressor talium Legum teneatur in Conscientia solvere ejusmodi pœnas, & an ante sententiam Judicis, videbimus cap. 5.

CAPUT II.

Qua intentione obediendum sit Legi?

VIDENDUM I. An requiratur intentio ponendi ipsum opus injunctum? II. An requiratur insuper intentio satisfaciendi per tale opus ipsi Legi, seu Præcepto?

Dico primo: Ad satisfaciendum Legi, seu Præcepto affirmativo requiritur intentio ponendi ipsum opus injunctum: Doctores communiter; ratio est, quia Leges, seu Præcepta Hominibus imposita debent humano modo impleri; atqui non implentur humano modo sine intentione ponendi ipsum opus, quod præcipitur: ergo, &c. Confirmatur, quia sicuti ad violationem Præcepti requiritur actus liber, seu omissio libera actus Præcepti, ita ad satisfaciendum Præcepto affirmativo requiritur actus liber seu intentio ponendi ipsam rem præceptam.

Hinc Beneficiarius non satisfacit obligationi, si legat Horas Canonicas animo solum addiscendi, quia non habet intentionem ponendi opus præceptum, quod est Oratio Vocalis. Similiter, qui est in Ecclesia animo contemplandi, non autem animo assistendi Missæ, si interim dicatur ad præsentiam ejus Missa, non satisfacit Præcepto, quia non habet intentionem audiendi, seu assistendi Missæ: Doctores communiter apud Dian. p. 3. t. 6. r. 77. Similiter Ebrius, aut Dormiens, etsi in ebrietate, aut somno recitet Horas Canonicas, aut assistat Missæ, non satisfacit Præcepto, quia non ponit rem præceptam modo humano, seu actu voluntario, & libero: idemque est de eo, qui omnino invitus trahitur ad adstandum Missæ. At si metu gravi compulsus assistat Missæ, satisfacit Præcepto, quia metus, etsi minuat, non tollit voluntarium simpliciter; quod si ita ex timore assistat, ut aliter non assisteret, satisfacit in effectu, & quoad Ecclesiam, quamvis non in affectu, & quoad Deum, cum peccet peccato interno.

Quæres, Utrum ad satisfaciendum Legi; seu Præcepto negativo, requiratur omissio etiam Voluntaria, & Libera?

Respondeo negative; quia ut impleatur humano modo Præceptum negativum, satis est, si non habeas actum liberum seu intentionem ponendi rem prohibitam: ergo satis est omissio etiam non libera. Quare adhuc ebrius, aut dormiens satisfacis præcepto non occidendi, non furandi, &c. Qui autem per vim restituit, non tenetur iterum restituere; non quia implevit Præceptum restituendi, utpote affirmativum, sed quia sublata est ejus materia, quæ erat Inæqualitas; & ideo nec is incurreret Excommunicationem latam in non restituentes; censetur enim lata solum contra retinentes rem alienam, Suar. Sanch. & alii ex Bon.

At quid dicendum de eo, qui obligatus jejunare semel in hac Hebdomada, tota die Lunæ dormierit sine ulla prorsus intentione tunc jejunandi, vel si omnino invitus cibis privatus fuit, satisfacitne obligationi? Alii cum Fagun. negant; ideoque putant teneri alia die jejunare, quia hoc Præceptum est affirmativum, & consequenter Jejunium debet poni humano modo, itaut velis jejunare, ac ponere opus injunctum. Alii cum Merol. d. 4. c. 3. n. 35. affirmant, quia Præceptum Jejunii est negativum, ut scilicet abstineamus a pluribus comestionibus; ideoque satis est ad ejus impletionem omissio illarum etiam non libera; porro prior opinio videtur probabilior.

Dico

Dico secondo: Ad satisfaciendum Legi, seu Præcepto non requiritur, ut ponatur opus injunctum ex intentione obediendi, seu satisfaciendi ipsi Præcepto: Doctores communiter contra Reginal. Ratio est, quia Lex, seu Præceptum, quamvis obliget ad obediendum, tamen non obligat ad Obedientiam formalem, seu ad faciendum opus ex motivo Obedientiæ, sed tantum ad Obedientiam materialem, seu ad ponendum ipsum opus: ergo per hoc tantum humano modo positum satisfit Præcepto, etsi non adsit intentio satisfaciendi. Hinc qui Præcepti immemor, vel ignorans esse die Festum, audit Missam, implet Præceptum, nec adeo tenetur aliam Missam deinde reciens audire. Idem dic de Voto, quod est quædam privata Lex. Idem Bon. & alii communius dicunt de Pœnitentia injuncta a Confessario; quia hoc ipso, quod illam ponis, applicas saltem virtualiter illam pro pœnis debitis; sed in hoc contradicit Vasq. quia, cum sit pars integralis Sacramenti, debet aliquo modo referri ad illud.

Objicies Primo, Qui dat in Eleemosynam. 100. Titio, immemor, se debere illi totidem ex Justitia, non satisfacit tali debito: ergo pariter si debeat ex Præcepto Ecclesiastico, vel ex Voto, vel ex Pœnitentia injuncta. Secundo, Qui tenetur jejunare ex pluribus titulis, scilicet ex Præcepto Ecclesiæ, Voto, & Pœnitentia injuncta, quibus non potest eodem Jejunio satisfieri, si ponat Jejunium absque intentione satisfaciendi alicui titulo, nulli satisfacit: ergo requiritur talis intentio.

Respond. ad primum, Antecedens negari a pluribus apud Bon. *de Restit.* quia hic talis habet Voluntatem interpretativam, qua prius velit satisfacere debito, quam facere Eleemosynam, ex dicendis de Restitutione. Sed omisso antecedente, disparitas ex Sanch. & Bon. est quia obligatio ex Justitia pendet a Voluntate Contrahentium; unde si debiti memor adhuc vellet donare 100. non extingueret debitum, quia non vellet extinguere; at obligatio Legis pendet a Voluntate Legislatoris, Voventis, Confessarii, &c. quæ tantum vult Substantiam operis. Ad secundum nego antecedens; satisfacit enim obligationi graviori, qualis in casu est obligatio Præcepti Ecclesiastici: si autem omnes obligationes essent æquales, satisfaceret primæ, nisi opus esset divisibile, cum sic satisfaceret omnibus pro rata.

Ex dictis infers, neque ad satisfaciendum Legi, vel Precepto requiri, ut opus injunctum ponatur ex intentione finis Legislatoris; unde est commune Proloquium, *Finis Legis non cadit sub Legem*. Hinc, quamvis Superior præcipiat, v. g. Jejunium ex motivo Temperantiæ, aut Religionis, vel alterius Virtutis, satisfacis, præcise si jejunes, quamvis non ex illo motivo; idemque est, si voveris Jejunium in honorem alicujus Sancti, & jejunes non ex eodem motivo; quia satis est, si ponas opus injunctum; unde etiam est, quod etiamsi ex nullo motivo Virtutis illud ponas, adhuc satisfacis, itaut non tenearis iterum ad illud, quamvis nihil apud Deum merearis; cum non sit actus Virtuosus, juxta dicta d. 1. q. 1. c. 2.

Contra vero si non obedias Legi, seu Præcepto Superioris, peccas formaliter contra ipsam Virtutem, quæ fuit Finis Legislatoris; quia, quamvis finis Legis non cadat sub Legem, tamen hæc specificatur a fine, quem habet Superior in præcipiendo, ut docent communiter cum Lug. *de Pœn.* d. 16. n. 255. contra Leandr. dummodo hic finis innotescat Subditis, & velit Superior, opus præceptum esse ejus materiam: & ipsum opus ad eam Virtutem aliquo modo conducat. Hinc quia Ecclesia prohibet permutationem Beneficiorum propria auctoritate factam ex motivo Religionis, qui sic permutat, est Sacrilegus, & quia ex eodem motivo præcipit ascendenti ad Ordines Sacros, ut voveat Castitatem, qui ascendens noluit hanc vovere, si committat actus Venereos, est Sacrilegus, &c. similiter, si Superior prohibeat, ne prospicias a fenestra ob periculum Castitatis, & tu prospicias, sciens, nullum tibi esse tale periculum, quamvis non posses dici Luxuriosus, tamen peccares contra Castitatem, peccato quidem diverso a peccatis Luxuriæ, sed opposito Castitati per accidens, & ratione Præcepti, quamvis cum aspectus iste absque ullo periculo sit de se materia levis, peccatum illud esset tantum veniale. v. Croix l. 1. n. 629.

Quæres primo, An satisfaciat Legi, qui ponit opus præceptum cum positiva intentione non satisfaciendi Legi?

Respondeo affirmative cum Sanch. Les. Pal. & aliis contra Azor. Rodr. Ledes. Nav. Hurt. & alios. Ratio est, quia talis intentio est reipsa inefficax, cum de facto ponat quidquid per Legem præcipitur: ergo satisfacit. Hinc si die Festo v. g. audias Missam cum debita attentione, positive intendendo non satisfacere per eam Præcepto, jam satisfacis, itaut, quamvis tenearis deinde mutare eam Voluntatem; non tamen tenearis aliam Missam audire. Neque obstat 1. Reg. illa *l. Non minus, ff. Si certum, Quod actus non operatur ultra intentionem Agentis*; Nam loquitur, cum effectus pendet a Voluntate operantis, ut in Contractibus; non vero cum pendet a Voluntate Legislatoris, cui satisfit præcise si ponatur opus injunctum. Neque obstat secundo, quod si Missam v. g. debeas Titio ex stipendio, & celebres pro eo, positive nolens celebrare ex stipendio, sed gratis, non extinguis debitum; Nam Obligatio ex Justitia ex dictis non extinguitur per donationem liberalem, nisi forte immemor sis debiti; at obligatio obedientiæ Præcepto extinguitur per positionem operis præcepti. Cæterum, qui ex Præcepto Ecclesiæ, ex Pœnitentia injuncta, & ex Voto, tenetur ad tria Jejunia distincta, si semel jejunet, positive nolens satisfacere ulli harum obligationum, satisfacit graviori, scilicet Præcepto Ecclesiæ, uti etiam si positive velit satisfacere omnibus simul; si autem obligationes illæ essent æquales, satisfaceret primæ in tempore, nisi forte opus foret divisibile, tunc enim satisfaceret omnibus pro rata; at sit determinate velit satisfacere uni, ei tantum satisfacit, quæcumque ea sit, uti sentiunt communiter Doctores, ex *l. Cum pluribus, ff. de Solution.*

Quæres secundo, An satisfaciat Legi, seu Præcepto, qui ponit opus injunctum cum prava intentione?

Respondeo affirmative, cum Sanch. l. 1. Dec. c. 14. & aliis, quia licet peccet, v. g. audiendo Missam præceptam cum debita quidem attentione, sed ob vanam gloriam, vel ut turpiter aspiciatur a Femina, &c. tamen talis auditio Missæ de se, & præcisa spectata est opus bonum, & est id, quod præcipitur, etsi ob finem illum extrinsecum sit mala: ergo vere per illam impletur Præceptum, itaut non sit obligatio iterum audiendi Missam; Vitium enim extrinsecum actui non obstat, quominus res præcepta sit impletiva Præcepti, idemque est de impletione Voti, & Pœnitentiæ injunctæ, &c. Neque dicas, Intentionem Legislatoris, Voventis, & Confessarii esse obligandi ad opus bonum; nam id verum est de opere secundum se bono materialiter, non vero de opere bono formaliter, adeoque neque de fine extrinseco illud vitiante: & sic intelligitur *l. Non dubium cap. de Leg. Is in Lege delinquit, qui Legis verba amplectens, contra Legis nititur Voluntatem, & Intentionem*; loquitur enim de Intentione Legis intrinseca, quæ fertur ad opus; non de extrinseca, quæ fertur ad finem.

Ex dictis infers, satisfieri Præcepto, Voto, aut Pœnitentiæ injonctæ per opus positum in peccato mortali; quia satis est, si ipsum opus sit secundum se materialiter bonum, puta Jejunium, Eleemosyna, &c. excepta vero Confessione, & Communione, quæ si fiant scienter in peccato, sunt per se intrinsece sacrilega, adeoque opera secundum se mala.

C A P U T III.

Quo tempore obediendum sit Legi?

Lex Cæsarea ex dictis q. 1. hujus disputationis cap. 6. incipit obligare post bimestre a sufficienti publicatione, Lex vero Regia, aut Ecclesiastica statim ac est sufficienter promulgata. Loquimur ergo hic de Lege, postquam incipit obligare. Itaque

Quæres primo, Quandonam obediendum sit Legi, seu Præcepto, si nullum determinet tempus?

Respondeo, Obediendum esse pro præsenti, seu primo quoque tempore, quo commode impleri potest, ex l. 41. *ff. Dev.* 5. & Reg. 14. *ff. de Reg. Jur. Quoties in obligationibus dies non ponitur, præsenti die debetur*: ergo obediendum est statim post promulgationem, si Lex sit Ecclesiastica; statim post duos menses a promulgatione, si Lex sit Cæsarea. Hujus autem ratio ulterior est, quia aliter posset quis semper usque ad mortem differre, & sic eludere Legem, seu Præceptum. Hinc Restitutio facienda est statim ac certo noveris, rem esse alienam, si commode potes, juxta dicenda in de Restitut. Pœnitentia gravis injuncta a Confessario non præfigente tempus, si differatur post sex menses, peccatur mortaliter, justa dicenda in de Pœnit. Idem dic de Voto non præfigente tempus.

Quæres secundo, An transacto tempore, quod præfixit Lex, seu præceptum, transeat etiam obligatio?

Respondeo cum distinctione, & affirmo, Si Lex, seu Præceptum præfixit tempus ad finiendam obligationem;

Nego vero, si præfixit, non ad finiendam, sed ad urgendam obligationem. Utrumque hoc colligi potest præsertim ex fine Legis, seu Præcepti: quia enim finis Legis obligantis Beneficiarium, vel Constitutum in Sacris, ad recitandas Horas Canonicas est, ut devotam habeat applicationem per diem, sequitur, ut hic dies sit præfixus ad finiendam talem obligationem; ideoque si hoc die omiserit Horas, etiam culpabiliter, non tenetur cras bis eas recitare. Idem est de obligatione audiendi Missam die Festo, vel Jejunandi in Pervigiliis ex Præcepto Ecclesiæ; affiguntur enim tales obligationes diei, quo transacto, & ipsæ transeunt. Contra vero, quia finis Confessarii in injungenda Pœnitentia est, ut integretur Sacramentum, si præfixit ab eo tempore eam non impleas, teneris altera die implere, quia tempus præfixum est non ad finiendam, sed potius ad urgendam, seu non amplius differendam Pœnitentiam: idem dicemus in de Pœnit. de obligatione confitendi semel in anno, & communicandi in Pascha ex Præcepto Ecclesiastico. De Voto autem videnda est mens Voventis; si enim quis vovit jejunare singulis Pervigiliis B. V. præfixit tempus ad finiendam obligationem; ideoque non tenetur supplere aliis diebus jejunia tunc omissa; secus vero, si vovit tunc jejunare ad puniendum sua peccata, &c.

Quæres tertio, An possit eodem tempore, eodemque actu pluribus obligationibus satisfieri?

Respondeo negative, Si obligationes sint ex Justitia, ut si debeas Titio 100. ex Legato, & 100. ex damno illato; quia non ponis æqualitatem intentam a Justitia, nisi ei solvas bis 100. Si vero obligationes sint ex aliis Virtutibus, seu Præceptis diversis, ut si die Sabbati voveas jejunium, & eo die incidat Pervigilium, certe eodem Jejunio utrique obligationi satisfacis; similiter, si debeas Titio 100. ex Justitia, & voveas ea solvere, quia ex intentione voventis pendet, obligare se ad idem, quod debebat ex Justitia: secus vero dicendum, si voveas ei dare 100. titulo Donationis, sciens tuam obligationem ex Justitia; quia sic voves 100. distincta. In dubio autem, an obligatio superveniens cadat supra eundem actum ex alia Virtute debitum, an vero expostulet actum distinctum, dicendum, postulare actum distinctum; nisi ex circumstantiis constet, Legislatorem contentum esse eodem actu, quia Interpretatio fieri debet ex communiter contingentibus.

Hinc si tu voveas, & Confessarius injungat hoc die Festo auditionem Missæ, teneris hodie bis Missam audire, quia in dubio præsumendum est, Mentem Voventis, vel Confessarii esse de imponenda Missa distincta ab ea, quæ debetur ex Præcepto Ecclesiæ: si autem voveas, vel Confessarius injungat auditionem Missæ singulis diebus per mensem, satisfacis diebus Festis illius mensis, audiendo unam tantum Missam, quia non præsumitur aliter in operibus diuturnis, nisi explicetur. Similiter ex Suar. apud Merol. si voveas recitare quotidie Rosarium, & idem imponatur a Confessario, satisfacit utrique oneri recitando semel quotidie. Demum si voveas, vel Confessarius injungat Eleemosynam, non satisfacis huic obligationi, si des Pauperibus, quod aliunde debes ex ablatione incertorum; imo neque, inquit Sanch. si dares Fratribus, aut Parentibus taliter indigentibus, ut aliunde tenearis eis subvenire, quia hæc est solutio debiti legalis: nec illi sunt Pauperes, cum habeant Jus postulandi a te alimenta. An autem satisfacias, dando Eleemosynam extreme indigenti? Negant Suar. & Sayr. apud Pal. quia nemo censetur vovere, quod aliunde est debitum: sed Azor. Sanch. Henr. Pal. & alii probabilius affirmant, quia ex Præcepto Misericordiæ non debetur absolute Eleemosyna extreme indigenti; sed ex suppositione, quod non possit alia via tolli indigentia; si ergo ei des Eleemosynam ex Voto, vel ex Pœnitentia, non teneris ei ex Præcepto Misericordiæ subvenire, cum sit jam sublata indigentia.

Quæres quarto, An possit eodem tempore, sed pluribus actibus, satisfieri pluribus obligationibus?

Respondeo affirmative, Dummodo actus fieri possint, prout a suis Præceptis exiguntur: sic si voveas orare quotidie per semihoram, poteris eodem tempore implere Votum, & simul audire Missam præceptam ab Ecclesia; ni forte voveris orare tempore distincto ab auditione Missæ. Ratio est, quia auditio Missæ, prout præcipitur ab Ecclesia, non est incompossibilis cum Oratione; & ideo communiter cum Suar. Sanch. Bon. Henr. Nav. Azor. & aliis, contra Sylv. Angel. Rosel. apud Pal. dicunt, quod possis recitare Horas debitas, etiam tempore Missæ præceptæ; quia attentio debita horis recitandis non impedit attentionem debitam auditioni Missæ; attentio enim ad Deum utrique operi convenit, & sufficiens est. Præterquamquod experientia constat, quod recitans horas possit testificari de iis, quæ in Missa peraguntur, atque adeo stare posse præsentiam moralem debitam Missæ cum attentione debita recitationi Horarum. Contra vero si tempore Missæ confitearis, vel audias Confessiones, vel instruas Populum, non satisfacis Præcepto Missæ, quia deest illi debita attentio.

Quæres quinto, Quando Lex, seu Præceptum præcipit aliquid pro certo tractu temporis, quomodo illud tempus intelligi debeat?

Respondeo cum communissima Doctorum sententia apud Croix l. 1. n. 585. intelligendum esse a momento ad momentum, v. g. Jejunium, Recitatio Horarum, a momento mediæ noctis ad momentum alterius mediæ noctis, contra Caram. & Pasqual. in hoc singulariter dicentes, intelligi circiter quadrantem, vel etiam semihoram ante, & post mediam noctem; quorum sententiam merito Croix ibid. dicit improbabilem, cum sit contra omnium fere Judicium; omnium enim Judicium, excepto forte solo Caram. & Pasqual. est, quod si quis paulo post mediam noctem comedit, non maneat jejunus pro Communione. Addo tamen cum communi, hæc momenta non accipi mathematice, cum sic non sint nobis cognoscibilia; sed accipi Ecclesiastice, ex Voluntate scilicet, & Consuetudine Ecclesiæ designantis ea per Horologia communiter bene regulata: itaque ubi est unicum hujusmodi Horologium, illi standum est; ubi autem sunt plura, stari potest singulis, quæ sunt veluti Auctor bonus faciens probabilitatem; ideoque si in uno significata sit media nox, & nondum in altero, teneris complere Horas Canonicas hujus diei, utpote possidentis, & poteris adhuc comedere, & cras communicare, utpote in possessione tuæ Libertatis: si vero nullum adsit Horologium, aliæ conjecturæ probabiles pro, & contra habent vim Horologiorum, alioqui manet dubium, in quo utendum regulis datis d. 1. q. 3. v. Croix l. 1. n. 586. Similiter quoad Festa Mobilia, &c. ubi est receptum novum Kalendarium correctum a Gregor. XIII. secundum illud est procedendum; ubi vero servatur Kalendarium vetus, Ecclesia permittit, ut Fideles se illi accommodent. Croix n. 16.

C A P U T IV.

An Lex obliget etiam ad non ponenda impedimenta ejus executioni.

EST commune Axioma, *Qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media*; ex quo infertur, quod omnis Lex, seu Præceptum obligans ad aliquam actionem, debet etiam obligare tum ad tollenda, tum ad non ponenda ejus impedimenta; aliter enim facile eludi posset Lex, seu Præceptum; sed non omnis Lex ad id æqualiter obligat; Lex enim Naturalis, ac Divina positiva obligat strictius, quam Humana; & inter Humanas rigidius obligat Præceptum Confessionis annuæ, & Communionis Paschalis, quam audiendi Missam, & hoc rigidius, quam Præceptum Jejunii; & sic de reliquis, quorum inæqualitas dignoscenda est ex ipsa materia præcepta, sensu communi Fidelium, & prudenti Doctorum Judicio. His notatis.

Dico primo: Omnis Lex, seu Præceptum obligat ad non ponendum impedimentum proximum ejus executioni: Doctores communiter. Ratio est, quia dictum axioma in omni Lege etiam humana debet verificare saltem de impedimento proximo. Dicitur autem proximum impedimentum, quod vel per se, vel ratione temporis proximi est tale: sic projectio Breviarii necessarii est per se impedimentum proximum recitationi Officii; ideoque peccat Beneficiarius, vel Constitutus in Sacris quocumque tempore ante obligationem Officii illud projiciat, vel absque justa causa vendat, etsi non intendat directe, se sic eximere ab obligatione recitandi; modo id prævideat: Doctores communiter; ratione vero temporis impedimentum proximum est, lassari ludo pilæ, venatione voluntaria, &c. ipso die Jejunii præcepti, vel paucis horis ante (cum tempus proximum ad eundem diem censeatur pertinere) si prævideas, te inde non posse eo die jejunare; quia eo die jam urget Præceptum, adeoque obligat ad non ponenda impedimenta tam proxima. Ita Doctores contra Sanch.

Idem dic de Præcepto audiendi Missam; si enim in cœna Sabbati paucis horis ante mediam noctem, vel mane Dominicæ cibum nocivum sumas, te inebries, iter

aggre-

aggrediaris, venatum eas, &c. prævidens, te fore inde impotentem ad Missam, peccasti jam contra hoc Præceptum. Imo quamvis non peccet Artifex dives laborando die Jejunii, sicque se impotentem reddendo ad illud; tamen peccat sic se impediendo ad auditionem Missæ præceptæ, quia hoc Præceptum rigidius obligat, quam Præceptum Jejunii. Similiter Excommunicatus, quamvis non peccet contra Præceptum Missæ, si non procuret absolutionem, ut possit eam audire; tamen peccat contra Præceptum Communionis Paschalis, si non procuret, ut possit communicare in Pascha; quia hoc Præceptum, utpote secundum substantiam Divinum, rigidius obligat; Suar. & alii contra Henr. v. Croix l. 1. a n. 794. ubi plores hujusmodi casus fusius resolvit.

Dico secundo: Omnis Lex, seu Præceptum obligat ad non ponendum impedimentum remotum, ex intentione declinandi ejus obligationem; at non omnis Lex obligat ad illud non ponendum, præcisa tali intentione. Doctores communiter apud Croix l. 1. a n. 784.

Ratio primæ partis est; quia omnis Lex, etiam humana prohibere debet, ne quid fiat in ejus fraudem, seu directe, ut eludatur ab eo, qui in actu primo manet obligatus: ergo peccat, qui ponit impedimentum etiam remotum ex intentione declinandi ejus obligationem in actu secundo: v. g. Qui multis diebus ante, navigationem arripiat, ex intentione non audiendi Missam die Festo, quando erit impotens audire. Neque obstat paritas ejus, qui licite discedit a loco, ubi viget Præceptum, v. g. Jejunii, in locum, ubi illud non viget, animo non jejunandi; Nam hic talis eundo ad locum, ubi illud Præceptum non urget, eximitur omnino ab ejus obligatione etiam in actu primo, & ideo non peccat; sicuti nec peccat, qui petit dispensationem a Superiore, ne jejunet: At in casu nostro manet ille in actu primo obligatus Præcepto Missæ, Jejunii, &c. & ideo fraudulenter agit ponendo impedimentum etiam remotum ex intentione, ne maneat obligatus in actu secundo: Doctores communiter contra Sancium.

Ratio secundæ partis est; quia non omnis Lex obligat cum summo rigore, sed alia facilius, alia difficilius patitur apponi impedimentum remotum suæ executioni. Hinc si sine dicta intentione fraudandi Legem, iter pedestre, vel venationem voluntarie arripias, prævidens, te fore impotentem post aliquot dies ad Sacrum audiendum, ad Recitandas Horas, ad Jejunandum, &c. non peccas contra hæc Præcepta; Suar. Bon. & alii; imo nec peccare, ait Gob. & Moy. qui die Sabbati iter aggreditur, prævidens, se cras non posse audire Sacrum, nec qui ad venationem exit, modo non fiat ex dicta intentione, nec tempore proximo ad mediam noctem. Addit Bon. quod si impotentia illa forte causetur per actionem ex se malam, v. g. per ebrietatem, cibum noxium, &c. non peccat contra Legem Humanam, v. g. Missæ, Jejunii, &c. contra quam ponitur impedimentum, modo absit intentio directa, & tempus non sit proximum. v. Croix l. 1. n. 793.

At Lex naturalis obligat, ne ponatur impedimentum etiam aliquot diebus, antequam incipiat ea obligare; quia multo rigidior est. Hinc peccat qui die Lunæ ludo, vel potu perdit pecuniam prævidens, se die Veneris fore impotentem solvere id, quod tunc solvere debebit. Item peccat Cappellanus contra Justitiam, si hodie se inebriet, aut infirmitatem causet, aut vestes Sacras negligat accipere de loco vicino, aut iter arripit, prævidens, se cras non posse celebrare. Si autem sit infirmus, aut carcere inclusus, non tenetur per obligationem illam procurare liberationem ab infirmitate, vel carcere, nisi forte facile posset obtinere; tenetur tamen ex dictis procurare absolutionem ab Excommunicatione, quia hæc est per se proximum impedimentum Sacrificii, Tamb. & alii apud Croix n. 790.

Denique qui prævidet se postea non posse satisfacere Præcepto Confessionis annuæ, Communionis Paschalis, tenetur prævenire, quia illud incipit obligare ab initio anni, hoc a die Palmarum; & residuum temporis datur ad urgendam obligationem, seu non differendam ulterius. Item secundum Suar. peccant Æditui, Sutores, Pistores, &c. qui die Sabbati, cum possint, non procurant munditiem Templi, Vestes, Panem, &c. die Dominica necessarium; quia usus, & persuasio communis habet, debere præveniri, ne per servilia illa violetur dies Festus. Item Officiales, Famuli, &c. peccant contra Justitiam, si infirmitatem in se causent ante tempus urgens sui Officii, Sanch. contra Tamb. uti pariter peccant, si non addiscant, quæ necessaria sunt ad Officii rectam administrationem.

Ex hactenus dictis constat, in hac quæstione non posse dari generalem Regulam, sed attendendam esse Mentem Legislatorum, Materiam præceptam, & Finem Legis, & præsertim Usum Proborum, Judiciumque Prudentium.

CAPUT I.

Quinam sit effectus Legis irritantis?

LEx irritans est, quæ non solum prohibet actum, sed etiam reddit illum de facto irritum, ac si positus non sit, vel saltem irritandum per Sententiam Judicis. Sic Jure naturali irritus est Contractus absque animo se obligandi; & Jure positivo irrita de facto est Professio Religiosa ante ann. 16. ætatis: irritandus vero per Sententiam Judicis Contractus, in quo intervenit deceptio supra medietatem justi pretii, ex l. 2. cap. *de Rescind. Vendit.*

Quæres primo, An eo ipso, quod Lex prohibet actum; censeatur illum irritare?

Respondeo cum communi sententia negative, contra Sylv. Abb. & complures Jurisconsultos, quia prohibere, & irritare sunt omnino diversa; illud enim importat solum obligare, ne fiat, adeoque reddere actum duntaxat illicitum; irritare vero importat reddere actum etiam invalidum, & nullum, ac si positus non fuisset; quare Lex prohibens non censetur irritare actum prohibitum, nisi expressis verbis, aliisve circumstantiis censeatur velle illum irritare. Neque obstat, quod dicitur *l. Non dubium* cap. *de Leg.* & Reg. 64. *Jur. in 6. Quæ contra Jus fiunt, debent pro infectis haberi*; Nam intelligitur secundum Sanch. de iis tantum, quæ dant formam actui; & secundum Molin. significant tantum, quod Contractus prohibitus sit irritandus, dummodo irritari possit: nam Matrimonium contractum cum simplici Voto Castitatis, nec irritum est, nec irritandum, etsi sit prohibitum. Addit Pal. quod, etiamsi dicatur in Lege cit. quod Contractus prohibitus sit ipso jure irritus, adhuc, quia hæc irritatio est pœnalis, potest expectari Sententia declaratoria criminis. Tunc autem Lex irritans est pœnalis, quando id facit in pœnam delicti, ut est Lex irritans Matrimonium ob crimen Uxoricidii, Beneficium ob Simoniam, &c. si vero non in pœnam delicti, sed ob bonum commune, non est pœnalis; ut Lex irritans Matrimonium Clandestinum, Professionem ante 16. annum, Contractum Pupilli, &c.

Quæres secundo, Unde discerni possit, num Lex irritet actum ipso facto, an velit esse irritandum?

Respondeo, irritare ipso facto, cum expresse dicit, *Sit irritum ipso jure, ipso facto, eo ipso, ex tunc, &c.* vel si dicat, *Nullius sit momenti, valoris, aut efficaciæ, pro infecto habeatur, inutiliter agat, frustra fiat*; aut si in translatione Dominii dicat, *Non faciat suam, non possit in Conscientia recipere, vel retinere.* Quod si dicat, *Careat omni robore, omni Jure, firmitatem non habeat*: tunc si hæc verba cadant supra actum, reddunt ipso facto irritum: si vero cadant supra Personam, de qua v. g. dicat, *privetur omni jure, amittat omne jus, &c.* significant, actum esse irritandum, quia universim actus dicendus est validus, quoties clare non constat, esse irritum.

At quid, si verba Legis dicant, *Non potest hoc fieri?* Dico cum Pal. si Materia Legis pendeat ab ipso Principe, & Lege, ut est administratio Bonorum communium, Electio, Officium Tutoris, &c. quando in his dicitur, *Quod aliter fieri non possit*, omnes Doctores dicunt, quod tollatur potestas ad actum, & sic actus erit nullus; quia, ut sit validus, requiritur potestas, quæ ab ipsa Lege detur. At sic materia Legis pendeat a Voluntate Subditi, ut Donatio rei propriæ, Alienatio proprii Patrimonii, &c. tum sit Lex dicat, quod *Non possit aliter alienari, &c.* alienatio videtur tantum illicita, nisi aliunde appareat, quod Lex velit hanc propriam potestatem tollere, apponendo conditiones pro forma substantiali; ut irritæ sunt Donationes inter Conjuges, Contractus Minoris, &c. omissis conditionibus a *Jure* præscriptis.

Quæres tertio, Quæ sit forma substantialis, ex cujus defectu actus dicitur irritus, seu nequit subsistere?

Respondeo, Esse illam solemnitatem, seu conditionem præscriptam a Lege cum clausula irritante, ut si dicatur, ad Professionem requiri annum Novitiatus, *Aliter erit nulla, invalida, irrita, &c.* Quando autem in Lege præscribitur solemnitas, seu conditio aliqua, absque tali clausula, tunc, si talis conditio aliunde ex Jure communi erat apponenda, censetur Legislator tantum velle monere de obliga-

obligatione, quam habet de jure communi; ideoque, quando in Jubilæo datur facultas absolvendi a Censuris, auditis Confessionibus, satisfacta prius parte, &c. probabiliter valida est absolutio prætermissis his conditionibus, sicuti quando datur mandatum alicui, ut suo nomine contrahat Matrimonium præmissis denuociationibus, si Mandatarius has non præmittat, etiam valide contrahit; si vero ea conditio, seu solemnitas præscripta a Lege non sit aliunde debita, regulariter loquendo, pertinet ad formam substantialem, præsertim si sit servanda in ipsa effectione actus; ut est præsentia Parochi requisita in Matrimonio. In dubio autem, num forma sit substantialis, an accidentalis, dicenda est accidentalis; quia favendum est valori actus, Pal. p. 9. n. 9.

Dixi *regulariter loquendo*; Nam hic sunt etiam aliquæ exceptiones: Primo, Si supponitur in Subdito potestas, & præscribitur a Legislatore forma, talis forma solet esse accidentalis; & sic solemnitates, quæ præscribuntur ab Ecclesia in conficiendis Sacramentis, in ferenda Excommunicatione, sunt accidentales, quia supponunt potestatem a Christo Domino collatam; Contra vero forma præscripta in alienatione bonorum Ecclesiæ est substantialis, quia Ecclesia dat potestatem ea alienandi sub tali forma: similiter si Episcopus tibi habenti jam potestatem audiendi Confessiones prohibeat, ne audias Confessiones Mulierum, illicita quidem, sed valide eas absolvis, quia potestas præsupponitur; contra vero si, quando datur Jurisdictio, datur solum ad audiendas Confessiones Virorum, invalide Feminas absolveres. Secundo, Quando Lex mandat, aliquid fieri certo loco, ac tempore, tunc actus contra id factus est illicitus, sed probabiliter validus, quia talis circumstantia apposita videtur spectare ad Formam accidentalem, nisi alia adsit clausula irritans; unde si detur alicui facultas audiendi Confessiones post auroram in Ecclesia, Confessio alio tempore, & loco facta, erit quidem illicita, sed probabiliter valida, Suar. l. 3. *de Leg.* c. 28.

Quæres quarto, An actus factus sine substantiali solemnitate sit in aliquo casu validus?

Respondeo negative, Quia sine forma substantiali actus non subsistit. Hinc Lex præscribens formam substantialem Contractui, illum irritat, etiamsi fiat ab ignorantibus Legem, quia, si deficiat forma substantialis, sive ea sciatur, sive ignoretur, deficit Compositum; ideoque etiam est irrita collatio Beneficii Ecclesiastici facta alicui ignoranti per actum aliorum Simoniacum: item alienatio bonorum Ecclesiæ, non servata per ignorantiam debita forma, &c. Secundo, Irritum est Matrimonium Clandestinum, etiamsi fiat per metum cadentem in constantem Virum, quia metus gravis, etsi excuset a Lege Humana prohibente, vel præcipiente, non tamen impedit effectum Legis irritantis. Tertio, Irritum pariter est Matrimonium Clandestinum, etiamsi fiat ex urgentissima causa sive Temporali, sive Spirituali, ut communiter docent cum Sanch. l. 3. Matr. d. 17. contra Vrg. & Graff. Neque dicas, Leges Humanas non obligare cum tanto rigore, sed admittere Epikejam, seu privatam Interpretationem; Nam id est verum de Lege prohibente, aut præcipiente, non autem irritante, vel quando præscribit formam substantialem actui.

Excipe tamen, si Lex irritans lata sit in favorem alicujus, & irritatio talis actus cedat in damnum illius, ex Reg. illa *Jur. in 6. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*; ideoque dicendum, talem irritationem esse veluti conditionalem, nisi scilicet cedat in damnum ejus, in cujus favorem est facta: hinc alienatio facta a Minore sine consensu Curatoris, si cedat in utilitatem Minoris est valida, ex Felin. & similiter Contractus factus a Religioso sine licentia Prælati, si cedat in utilitatem Religionis, ex Nav. Idem dic ex Puteo, & Riccio contra Vincent. de alienatione bonorum Ecclesiæ, non servata forma præscripta, si cedat in emolumentum notabile Ecclesiæ.

Excipiunt etiam multi, si Lex irritans fundetur in præsumptione, & in tali facto præsumptio sit falsa; unde inferunt cum Less. c. 3. d. 3. quod Testamentum sine solemnitate requisita factum, & non causa Pietatis (nam si fiat causa Pietatis, non requiritur solemnitas Juris Civilis, ex cap. *Relatum de Testam.*) sit validum, adeoque obliget in Conscientia, quia Lex irritans tale Testamentum fundatur in præsumptione fraudum, quæ in casu non interveniunt, ut supponitur. Sed communis sententia cum Bon. & aliis docet oppositum; quia Matrimonium Clandestinum est in utroque foro irritum, quamvis Lex illud irritans fundetur in præsumptione fraudum: & similiter Lex irritans Professionem ante annum 16. habet effectum suum, etiam in casu, quo præsumptio Legis sit falsa; & ratio est, quia causa istarum Legum non est fraus, seu dolus, qui in singulis casibus interveniat, sed periculum illorum, quod adesse communiter certum est; quæ ratio semper subsistit, etiamsi in aliquo casu fraus, vel dolus non interveniat.

Ex quibus infers cum communiori contra Nav. omnes Leges irritantes ipso facto aliquem actum, nisi sint pœnales; statim sortiri effectum suum ante sententiam Judicis. Si autem sint pœnales, requirunt sententiam declaratoriam, nisi sint circa Contractum Matrimonialem; Lex enim irritans Matrimonium ejus, qui mortem intulit Conjugi animo ducendi Concubinam, etsi sit pœnalis, statim, & ante omnem sententiam sortitur effectum suum: ita Doctores communiter.

CAPUT VI.

Quinam sint effectus Legis pœnalis?

LEx pœnalis sive sit pura, sive mixta injungit pœnam vel latæ sententiæ, vel ferendæ. Itaque

Quæres primo, An, quando Lex pœnalis injungit pœnam latæ sententiæ, teneatur ejus Transgressor talem pœnam subire ante sententiam Judicis?

Respondeo cum distinctione, & affirmo, si talis pœna nullam Subditi actionem requirat, sed sistat in sola passione; nego vero, si pœna requirat aliquam Subditi actionem ad eam subeundam. Prioris generis sunt omnes Censuræ, & Irregularitates latæ sententiæ, quæ cum consistant in sola passione, per ipsam Legem suis transgressoribus executioni mandantur: & ratio ulterior est, quia ita fert usus, & consuetudo, ut pœnæ istæ ante sententiam Judicis, etiam declaratoriam criminis, ipso facto incurrantur, si in Lege statuantur *ipso facto* incurrendæ: eadem est ratio de Lege ipso facto irritante, & inhabilitante. Beneficiarii etiam omittentes culpabiliter Officium incurrant ipso facto onus Restitutionis fructuum; verum tale onus non est pœna, sed oritur, quia non faciunt fructus suos.

Posterioris generis sunt, Pœna mortis, Carceris, Exilii, Flagellationis, Privationis rei propriæ, &c. quæ per actionem tertiæ Personæ, vel ipsius delinquentis infligi solent; atque has non tenetur reus subire ante sententiam declaratoriam criminis, quamvis in Lege dicatur, quod ipso facto incurrantur; intelligitur enim, quod ipso facto incurrantur post talem sententiam. Sic cap. *Cum secundum, de Hæret. in 6.* dicitur, quod ab Hæreticis incurratur ipso facto pœna Confiscationis bonorum, & tamen ibidem additur, requiri sententiam declaratoriam criminis. Imo Sanch. l. 2. Dec. c. 22. cum Mol. & aliis addit, quod post talem sententiam neque teneatur reus offerre se, sed tantum non resistere Exactori talium pœnarum: imo licere prohiberi, quin damnatus v. g. ad mortem possit subtrahere se fuga, etiam impetu facto, dummodo id fiat sine gravi injuria Ministrorum Justitiæ: quia si dum habet aditum fugiendi, non posset fugere, esset, ac si sponte deberet subire pœnam. Cæterum ex hoc, quod teneatur non resistere pœnæ, tenetur eas actiones ipse ponere, quæ non possunt ab alio poni, ut pergere ad supplicium, ascendere scalas, &c. quia si hæc non faceret, ostenderet repugnantiam cum scandalo aliorum. Similiter tenetur bibere venenum propinatum a Ministro Justitiæ; non tamen tenetur per se illud sibi propinare.

Quæres secundo, An pœna privationis Officii, Vocisque activæ, & passivæ incurratur ante Sententiam declaratoriam criminis, si in Lege dicatur; *Quod incurratur ipso facto?*

Respondeo, communiter Doctores affirmare apud Dian. p. 1. tr. 10. r. 14. quia hæc pœna videtur consistere in sola passione: sicut apud omnes incurritur ipso facto, & ante sententiam declaratoriam privatio facultatis petendi debitum a Conjuge incestuoso, & ab eo, qui post Votum simplex Castitatis contrahit Matrimonium, & similiter incurritur impedimentum dirimens propter Adulterium, quod quis, fide data de futuro Matrimonio, cum aliqua commisit: similiter & a Simoniacis incurritur pœna inhabilitatis ad Beneficia, &c. sed Sot. Mor. Gran. Malder. & alii apud Dian. r. 23. ex Usu, & Consuetudine docent, Privationem vocis activæ, & passivæ nunquam incurri ante sententiam declaratoriam criminis. Addit Sanch. l. 6. Dec. c. 17. n. 39. contra Less. Rodr. & alios, quod quamvis *in motu proprio* Pii V. dicatur, quod Religiosi admittentes Feminas intra sua claustra incurrant *Ipso facto, Et sine alia declaratione*, pœnam privationis suorum Officiorum, & inhabilitatis

ad

ad illa: tamen hæc etiam pena, ut incurretur, requirit sententiam declaratoriam, non quidem penæ, sed criminis, ut multi apud eundem Sanch. interpretantur: idemque est de pena privationis Officiorum imposita iisdem verbis in Extravag. *Ambitiosæ*, contra Rectores Ecclesiarum alienantes bona suorum Beneficiorum. Ratio est, quia hujusmodi penæ requirunt actionem humanam, ut fert Consuetudo; & quia nimis rigida esset Lex, si obligaret Hominem, ut sponte deponat Officium suum. Neque dicas cum Merol. quod esset superfluum addere illa verba, *Ipso facto*, & *sine alia declaratione*; Nam ex Usu, & Consuetudine, Ly *Ipso facto*, sonat, non requiri sententiam condemnatoriam, Ly *Sine alia declaratione*, sonat, non requiri sententiam declaratoriam penæ, quæ proinde statim ac habetur sententia declaratoria criminis, non tamen ante, incurritur.

Quæres tertio, An Lex pœnalis obliget Judicem ad infligendam reo pœnam præscriptam, quin possit illam minuere, vel augere?

Respondeo, Principem Supremum utique posse arbitrari, quia ille sua Lege non coarctatur; quare satis est, ut Legi Naturali obediat de non puniendo ultra condignum, aut nimis leviter, delictum grave, quando id non expedit ad bonum commune. At Judex Subditus Legislatori tenetur, pœnam in Lege taxatam imponere, quamvis pars læsa injuriam remittat, quia tenetur Legem Superioris servare; quare peccaret contra Justitiam Legalem, si pœnam a Lege taxatam non imponeret. Cæterum aliquando potest eam minuere per Epikejam, quando scilicet adsunt rationabiles causæ, quibus præsumitur Princeps annuere: similiter, quando res aliquo modo est dubia, aut etiam, quando pena est arbitraria.

QUÆSTIO III.

De Subjecto Legis.

SUBJECTUM Legis est tantum is, qui est Subditus, & capax rationis. Videndum I. An Legislator teneatur obedire suis Legibus: II. Quibus Legibus teneantur Infideles, Pueri, Ebrii, & Amentes? III. An Peregrini, Forenses, & Vagi teneantur Legibus loci, in quo sunt? IV. An Subditi existentes extra Territorium teneantur Legibus sui Principis? V, An Ecclesiastici teneantur servare Leges Civiles?

CAPUT I.

An Legislator teneatur obedire suis Legibus?

CERTUM est, non teneri quoad vim coactivam, quia nemo cogi potest a seipso, nisi per Contractum, aut Votum; in quo etiam casu, non a se ipso, sed ab alio, cui se obstrinxit, proxime obligatur; scilicet a Deo, cui vovit, & a Contrahente, cui se obstrinxit. Similiter nec tenetur Legibus sui Antecessoris quoad vim coactivam, quia succedit in eadem auctoritate. Hinc Pontifex, si suadente Diabolo, percutiat Clericum, non incurrit Excommunicationem: si non recitet Officium, non privatur fructibus Beneficiorum, &c. quia tales penæ ab ipso, vel suis Antecessoribus sunt statutæ. Similiter nec Episcopus incurrit, v. g. Excommunicationem, si ludat aleis contra Legem a se latam sub pena Excommunicationis: si autem communicet cum eo, qui contraxit Excommunicationem a se latam, & denunciatam, incurrit Excommunicationem minorem, quia facit contra Jus commune Pontificium, quo sub tali pœna prohibetur, ne quis communicet cum Excommunicato vitando. Similiter qui v. g. habuit a Pontifice potestatem ferendi Legem sub pena Excommunicationis in omnes fures, & hanc tulit, si deinde ipse furetur, non incurrit Excommunicationem, quia se habet in tali casu, ut Legislator: nec videtur, quod Pontifex velit, ut ille sibi etiam hanc penam imponat; nec in mandato generali venit id, quod expresse mandari non potest, nempe ut quis seipsum excommunicet. Bon. & alii communiter.

Quæres primo, An Legislator teneatur suis Legibus saltem quoad vim directivam, itaut peccet, si illas transgrediatur?

Respondeo cum distinctione, Si materia Legis non sit communis etiam ipsi, seu non sit suo statui accommodata, nullatenus peccat, v. g si Lege prohibeatur, ne quis noctu arma ferat, aut ne magni sumptus fiant in vestibus, famulatu, &c. hæc enim materia non est accommodata statui Principis. At si materia Legis sit ipsi etiam communis, suoque statui accommodata, v. g. abstinere a carnibus die Veneris, audire Missam die Festo, &c. communior, & probabilior sententiam cum Bon. contra Cardinalem Sfondratum docet, Legislatorem, si suam Legem transgreditur, per se loquendo peccare tantum venialiter; quia non peccat contra ipsam suam Legem, cum hæc dirigatur ad solos Subditos, sed tantum contra Legem Naturalem, quæ dictat, eum debere se conformare Communitati, tanquam Caput Corpori, ut sic melius obtineatur finis Legum, & communis observantia: talis vero deordinatio, per se loquendo, videtur tantum levis, si Legislator aliquando non se ita conformet Communitati. Dixi, *per se loquendo*; Nam potest aliunde esse mortale, vel scilicet ratione Scandali, vel ratione Injustitiæ, vel si sequeretur perturbatio, aut aliud grave inconveniens in Communitate. Sic si Pontifex v. g. vellet ducere Uxorem, peccaret graviter ratione Scandali: similiter si Princeps, dum emit, non servat taxam pretii per suam Legem factam in emptionibus; peccat graviter contra Justitiam; tum quia, dum emit, se habet ut Persona privata; tum quia hoc fert natura Contractus, ut æque obliget utrumque Contrahentem; tum demum quia non emeret pretio justo, quod scilicet est commune: nisi vero ex justa causa dispensaret in hac Lege tum secum, tum cum Subdito vicissim contrahente. Doctores communiter.

Quæ dicta sunt de Legislatore, dic pariter de ejus Uxore, v. g. Regina; licet enim ejus Legibus Subdita sit, tamen eximitur ea speciali Privilegio. *L. Princeps, ff. de Leg.*

Quæres secundo, An Princeps Supremus teneatur Legibus Municipalibus Oppidorum?

Respondeo negative; nisi vero tales Leges sint ab ipso confirmatæ, quia tunc tenetur saltem vi directiva eas servare; ex quibus etiam infertur, Legatum Pontificis, dum est in aliquo Episcopatu, non teneri Legibus particularibus illius, quia non sunt latæ a suo Superiore, sed Inferiore.

Quæres tertio, An Capitulum, Senatus, vel Magistratus obligetur propriis Legibus?

Respondeo, Si habet supra se alium Superiorem, cujus nomine Leges illas ferat, certe iis obligari, etiam quoad vim coactivam, quia tum divisim Singuli, tum Congregatio ipsa collective accepta subest potestati Superioris. Si autem non habeat Superiorem, sed nomine suo ferat Leges, singuli seorsim obligantur quoad vim coactivam: Capitulum tamen collective sumptum non obligatur, nisi quoad vim directivam, ad instar Supremi Legislatoris; Notat tamen Lug. in *Resp. moral. l. 6. d. 20.* quod, si Capitulum antecedens præscribat formam, qua debeat legitime congregari, Capitulum subsequens non potest dispensari, aut revocare illam Legem, nisi secundum illam sit legitime congregatum, quia sine illa nondum est legitimum Capitulum, neque adeo habet potestatem condendi, vel revocandi Leges.

CAPUT II.

Quibus Legibus teneantur Infideles, Pueri, Ebrii, & Amentes?

DICO primo: Infideles tenentur tantum Præceptis Divinis, & Legibus suorum Principum, quibus subduntur in temporalibus: Doctores communiter. Ratio est, quia tantum sunt Subditi Deo, & sui Principi temporali. Hinc peccant, non obediendo Præceptis Decalogi, non amplectendo Religionem Christianam, non suscipiendo Baptismum; & quia susceptio Eucharistiæ præcipitur omnibus Jure Divino, probabilius etiam peccant contra hoc Præceptum, dum morientes non suscipiunt Baptismum requisitum ad illam. Contra vero non peccant comedendo carnes die Veneris, &c. quia non subduntur potestati Ecclesiæ. Unde etiam sequitur, quod nec peccent Fideles, qui illis tunc carnes ministrant, cum non cooperentur ad transgressionem Legis Ecclesiasticæ. Similiter nec peccat Dominus fidelis, qui Servo infideli injungit laborem diebus Festis, ut docet Dian. p. 5. t. 14. r. 7. contra Fernand. putantem, non sanctificari Festum humano more a Fideli præcipiente Infideli, ut laboret.

Dico secundo: Pueri ante usum rationis, & perpetuo Amentes, qui communiter Pueris comparantur, nullis Legibus tenentur: Doctores communiter. Ratio est, quia Lex est vinculum rationale, quod, ut obliget, debet applicari Subdito per dictamen rationis, quod est Conscientia. Hinc Pueris, & perpetuo Amentibus, qui nunquam habue-

habuerunt usum rationis, non potest dari extrema Unctio, quia hæc debet supponere reliquias peccatorum tollendas; imo nec potest iis in articulo mortis ministrari Eucharistia, quia non præcipitur his Jure Divino; & aliunde est periculum indecentiæ. Contra vero Amentes, qui aliquado habuerunt usum rationis, Ebrii, & Dormientes, Legibus his obligantur, quamvis per accidens hic & nunc excusentur. Demum Semifatui, qui in aliqua materia nunquam habuerunt usum rationis, non obligantur Legibus spectantibus ad illam materiam; at obligantur aliis Legibus, ad quas habent, vel habuerunt aliquando usum rationis, ob eandem rationem.

Quæres primo, An licite possimus inducere ejusmodi Pueros, aut Amentes ad ponendas actiones prohibitas?

Respondeo cum distinctione, Si actiones, quas ii ponerent, essent contra Legem Naturalem, non posse nos inducere illos v. g. ad Blasphemandum, ad Fornicandum, &c. Tum quia id per se importat in inducente affectum ad hæc vitia, nec caret scandalo: non secus ac si induceretur Psittacus ad Blasphemandum; tum etiam quia tam Pueri, quam perpetuo Amentes obligantur in actu primo Legibus Naturalibus, utpote necessario inditis a Natura, & tantum excusantur ratione status: ergo peccat, qui eos inducit ad Blasphemandum, &c. sicuti etiam peccat, qui die Veneris dat carnes Ebrio, qui obligatur hac Lege, & tantum excusatur a transgressione ob ebrietatem; non possumus autem nos cooperari cum illis ad transgressionem materialem Legum, quibus illi obligantur, etsi hic & nunc excusentur. v. Pal. & Sanch. l. 1. Dec. c. 50.

At si actiones, ad quas inducerentur, essent contra Leges Humanas, non solum Pueris, sed omnibus etiam Amentibus, & Semifatuis, ex consuetudine introducta, teste Aorio, ne in deteriorem statum decidant, ministrari possunt carnes tempore vetito, ut docent peritissimi Medici apud Sanch. Item nec Amentes nec Ebrii cogendi sunt ad audiendam Missam die Festo, imo possunt impediri, ne audiant, quia non possunt assistere humano modo, & decenter; qui autem sunt Semifatui, nisi in iis, quæ ad Missam pertinent, desipiant, tenentur Missam audire cum id possint humano modo.

Dubium solum est, An possint perpetuo Amentibus injungi opera servilia die Festo? Affirmant Laym. Dian. p. 5. t. 14. r. 7. & alii, tum quia probabilis est sententia, quod perpetuo Amentes, ne in actu quidem primo obligentur Legibus Humanis; idcoque injungi eis possint opera servilia: sicut etiam Infidelibus; tum etiam quia, dato quod obligentur in actu primo juxta sententiam Sanch. utpote per accidens tantum carentibus usu rationis, ad instar Ebrii; tamen opera servilia prohibentur tantum iis, qui humano modo, & universaliter possunt tale Præceptum implere; non secus, ac præcipitur assistentia Missæ: sicut ergo Amentes, & Ebrii non sunt cogendi ad Missam, ita possunt eis opera servilia injungi. Negant vero Fernand. Merol. & alii, quia laborarent ut instrumentum Mandantis, & Mandans ipse censeretur laborare. Utraque sententia est probabilis apud Tamb. l. 4. c. 3.

Quæres secundo, An Pueri, & Amentes possint admitti intra Monasteria Monialium, cum Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. prohibeat, ne ullus admittatur, *cujusvis sit ætatis*?

Respondeo cum communi sententia apud Sanch. l. 6. c. 56. contra Ugol. & Comitol. Pueros, quantum est ex vi Tridentini, admitti posse in Monasteria Monialium, & Puellas intra Clausuram Religiosorum, quia Trid. intelligitur de ætate, quæ sit capax obligationis Præcepti, ut constat ex *motu proprio* Greg. XIII. & ex fine ipsius Trid., ne scilicet pax Monialium perturbetur, & ne ad peccandum incitentur. Cæterum in Synod. Neap. an. 1694. sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ prohibetur, ne Infantes in Monasteria Monialium introducantur, etiamsi non extrahantur a rota, sed in ipsa permaneant ex parte Clausuræ. Amentes autem nullatenus introduci possunt; tum quia ad peccatum incitare possunt; tum quia juxta probabilem sententiam Sanch. illi etiam, ut Ebrii, Legibus Humanis obligantur, quamvis ratione amentiæ, aut ebrietatis a culpa excusentur; unde, qui eos admitteret in Monasterio Monialium, probabilius incurreret in Excommunicationem latam a Greg. XIII. contra Merol. d. 4. c. 9. d. 6.

Quæres tertio, quandonam Pueri incipiant obligari Legibus?

Respondeo, teneri Legibus tum Naturalibus, tum Divinis positivis, statim ac ad usum rationis perveniunt; Doctores communiter. Quoad Leges vero Ecclesiasticas, D. Ant. Cord. & Victor. putant requiri, ut sint proximi pubertati, idest annorum 10. si sint Mares; ann. 9. si sint Feminæ, quod forte verum est pro foro externo, quia secundum Jura nemo præsumitur esse doli capax, nisi sit proximus pubertati: Sot. & Sa putant requiri ann. 12. sed communior sententia docet, teneri statim, ac perveniunt ad usum rationis, quod circa septennium solet contingere; adeoque post septennium teneri ad Missam audiendam, ad abstinendum a cibis vetitis; imo etiam ad Confessionem annuam, quia cap. *Omnis utriusque sexus*, hæc aperte præcipit, *Postquam ad annos discretionis pervenerint*; non tamen ad Communionem, quia ex contextu habetur, diversimode requiri annos discretionis ad Communionem, non solum scilicet, ut sciant discernere bonum a malo, sed etiam Sacrum a profano, &c. quod solet circa annum 10. contingere; si tamen contingat articulus mortis ante ann. 10. potest ministrari eis Eucharistia post sufficientem instructionem; nam ratione necessitatis non est exigenda tunc tanta devotio: & sic etiam post Eucharistiam tradenda est Extrema Unctio, quæ ex communiori sententia ministrari etiam potest Puero, statim ac est doli capax, etiamsi ad Eucharistiam non sit aptus. Notat tamen Sancius apud Pal. quod si constaret, aliquem Puerum ante septennium esse doli capacem, non ideo obligaretur tunc Legibus Humanis, quia hæ attendunt, quod communiter contingit, ex *l. Nam ad ea*, *ff. de Leg.* Denique post septennium, in dubio, an advenerit jam usus rationis, tenentur audire Missam, abstinere a cibis vetitis, quia cum soleat eo tempore advenire, præsumitur, quod advenerit.

Quæres quarto, Quandonam Pueri incipiant subjacere Pœnis Ecclesiasticis?

Respondeo, Tres esse hac in re sententias. Prima universaliter negat, eos incurrere ullas pœnas humanas ante pubertatem, ita S. Fagun. & alii, præsertim Tamb. In meth. Comm. c. 4. §. 2. ex c. 1. & 2. *De delictis Puerorum*. Secunda sententia docet, pueros ante pubertatem non incurrere pœnas latas ab Homine, incurrere vero latas a Jure; ita Azor. Vasq. & Sanch. l. 1. Dec. c. 52. sic explicantes textum citatum, addendo cap. *Super eo*, & cap. *Pueris*, & cap. *Quamvis*, de *Sent. Excomm.* Tertia sententia docet, Pueros ante pubertatem incurrere Excommunicationem latam contra percussores Clericorum, ex cap. *Pueris*, *de Sent. Excom.* ubi dicitur, absolvi posse ab Episcopo; item Excommunicationem latam contra ingredientes Monasteria Monialium, ex Trid. *sess.* 25. *c.* 5. ubi dicitur, *Cujusvis sint ætatis*; alias probabiliter non incurrere, v. g. non incurrere Irregularitatem, si aliquem occidant, Excommunicationem latam ab Episcopo, si non communicent in Pascha, & probabiliter nec Reservationem casuum; atque hæc sententia videtur probabilior ex tex. cit. Addo tamen, quod in Interdicto generali locali, non possunt sepeliri in loco Sacro, imo nec Infantes, nec Amentes, quia locus ipse est interdictus: item in tali Interdicto comprehenduntur Pueri impuberes quoad Præceptum impositum, non tamen quoad pœnas impositas transgredientibus, ut notat Suar. Pueri vero ante septennium non comprehenduntur, neque quoad Præceptum, unde possunt licite admitti ad Divina Officia, idemque dicitur de Amentibus, & Ebriis, utpote usu rationis destitutis.

CAPUT III.

An Peregrini, Forenses, & Vagi teneantur Legibus loci, in quo sunt?

PEREGRINI proprie dicuntur, qui alibi domicilium habentes per aliquem locum transeunt. Forenses vero, seu Advenæ dicuntur, qui domicilium alibi habentes in alieno Oppido habitant. Vagi demum dicuntur, qui nullibi certam sedem, seu domicilium habent: imo quamvis habuerint alicubi domicilium, si tamen inde exierunt animo non redeundi; dicuntur Vagi, quousque in aliquo loco domicilium figant. Quicumque autem istorum venerit, v. g. Neapolim animo permanendi perpetuo, dicitur acquirere hic domicilium a prima die suæ permanentiæ, nec requiritur decennii habitatio, nisi ad probandum in Foro externo talem animum, nec deperdit hoc domicilium, si deinde mutet animum, nisi mutet etiam habitationem. Si autem venerit Neapolim animo manendi tantum pro majori parte anni (ut sunt Studentes, Mercatores, Locantes ope-

operam suam ad longum tempus, Litigantes in Curia, &c.) dicuntur acquirere hic quasi domicilium, ratione ejus possunt hic etiam conveniri: subjacent huic Parocho quoad Sacramenta (præter Ordinem), & quad sepulturam, nisi aliqui eam eligant.

Certum est, quod si fingant hic v. g. Neapoli domicilium, a primo die teneantur Legibus tum Civilibus, tum Ecclesiasticis hujus loci, quia a primo die habentur, ut Cives, & Incolæ. Idem dic ex communi sententia contra aliquos apud Sanch. l. 3. Matr. d. 18. de iis, qui figunt hic quasi domicilium; sicut enim subduntur Parochiæ, ita & Legibus hujus loci. Si autem quis in duobus simul locis domicilium, aut quasi domicilium habeat, quia scilicet hyeme habitat hic Neapoli, & æstate Nolæ, tenebitur Legibus alterutrius loci, in quo tunc presens fuerit. Difficultas ergo solum hic est de Peregrinis, Forensibus, & Vagis hic per transitum commorantibus.

Dico primo: Forenses, & Peregrini, per se loquendo, probabilius non tenentur servare Leges Municipales loci, per quem transeunt, seu in quo morantur solum ad breve tempus, & sine animo residendi perpetuo, aut pro majori parte anni: ita Sanch. l. 3. d. 18. Less. c. 2. d. 7. Azor. Bon., & alii contra Suar. Sal. Merol. Pal., & alios apud Dian. p. t. s. 50. r. 55. existimantes probabilius oppositum, præsertim si per aliquot dies ibi maneant. Ratio autem nostra est, quia brevis mora non est sufficiens ad tribuendam Advenæ subjectionem, & Superiori Jurisdictionem in illum: sic ex defectu subjectionis requisitæ is non acquirit Parœciam in loco transitus, seu obligationem suscipiendi ibi Sacramenta: nec Episcopus potest cum illo dispensare in Votis, ut communiter docent contra de Leon. l. 5. c. 13. sicut etiam Viator non sortitur forum loci, per quem transit, ex *l. Hæres, ff. de Judiciis*, hoc est, non potest conveniri, & puniri, etsi ex communi sententia frui possint ejus privilegiis, & gratiis, cum hæc concedi possins etiam non Subditis, neque per se loquendo obligatur Legibus loci, quibus obligantur Cives, qui ibi stabiliter existunt. Dixi, *per se loquendo*; Nam aliunde tenentur aliquando Advenæ servare Leges loci, in quo sunt transeuntes. Primo, Si eædem Leges sint in loco suæ Patriæ, ut communissime docent Doctores apud Sanch. contra Sancium, cujus sententia reputatur absurda; & ratio est, quia hic est Usus, & Consuetudo quasi communi Jure Gentium introducta, & æquitas sic videtur postulare; ideoque si Nolanus committat Nolæ casum ibi reservatum, non potest hic absolvi a simplici Confessario Neapolitano, si hic etiam sit reservatus, ex Bulla Clem. X. Secundo, Si transgressio Legum loci specialiter cadat in damnum ipsinsmet loci, quales sunt Leges, quæ sine scandalo violari non possunt, vel prohibentes extractionem mercium, vel ne Peregrini ultra tot dies ibi commoreutur, &c. quia ipsum Jus Naturæ dictat, a nemine impediendum Bonum, vel inferendum damnum Communitati. Tertio, si sint Leges pertinentes ad Contractus, ex *l. Fundus, ff. de Evict.* quare tenentur vendere merces pretio ibi taxato, solvere Gabellas; & si condant ibi Testamentum, tenentur adhibere solemnitates ibi statutas; aliter est nullum: & similiter omnes lites Peregrini judicari ibi debent juxta ritum illius Regionis, & a Judice illius loci, ubi litigiosa res est, Glos. in cap. *de Foro Compet.* excepto solo Contractu Dotis, in quo respici debet locus, ubi Vir habet domicilium, ex *l. Exigere, ff. de Judiciis*; quamvis Pal. putet, hoc textu tantum dici, quod res repetenda sit, ubi Vir habet domicilium.

Itaque extra Leges Contractuum, vel quarum transgressio cedit in damnum ejus loci, vel quæ etiam obligant in Patria sua, Peregrini, & Forenses non obligantur servare Leges Municipales loci, in quo sunt per transitum: puta si ibi celebretur aliquis dies Festus, aut indictum sit Jejunium, neque ligabuntur Censuris impositis contra Violatores illarum, ex cap. *A nobis, de Sent. Exc.* sive Censuræ illæ latæ sint per statuta Synodalia, sive generaliter ab Homine, Sal. d. 14. s. 4. n. 44. Probabilius tamen incurrunt Reservationem casuum illius loci, itaut nequeaat ibi absolvi a quovis Confessario, quia non præsumitur ille Episcopus dare suis facultatem, ut eos absolvant. Cæterum si ibi delinquant, possuut citari, & puniri; & si contumaces fuerint, excommunicari, quia ratione delicti evadunt, quoad hoc Subditi: Doctores communiter. Neque obstat dictis illud commune Proverbium apud Glos. in cap. *Illa*, d. 12. *Cum fueris Romæ, Romano vivito more; Cum fueris alibi, vivito sicut ibi*; Nam hoc vel est merum Consilium, vel intelligitur de iis, qui alibi sunt animo permanendi per longum tempus; vel quando imminet scandalum, aut damnum Reipublicæ, si non serventur ejus Leges, puta si quis vellet sine licentia loqui cum scandalo cum Moniali, eo quod sit Peregrinus; ideoque puniri etiam potest ab Episcopo, qui etiam punit aliquando, quemadmodum praxis ostendit. Ex dictis Suar. Bon. aliique communiter contra Lucesm. inferunt, quod Sacerdos Græcus transiens per Ecclesiam Latinam possit juxta morem loci, per quem transit, consecrare in azymis, dummodo in illo loco Latinorum non reperiatur Templum concessum Græcis: Idemque dicunt de Sacerdote Latino transeunte per Græciam; an autem possit hic Neapoli celebrare in fermentato in Templo concesso Græcis? Negat Suar. apud Sanch. l. 3. de Matr. d. 18. n. d, licet affirment alii, modo ille sit locus exemptus. porro hac in re usus est consulendus, ut bene monet Salas.

Dico secundo: Vagi tenentur Legibus Municipalibus illius loci, ubi actu degunt: Doctores communiter contra Les. Sayr. Laym. & Sanc.

Ratio est, quia cum nullum peculiare domicilium habeans, illud ex Jure sortiuntur ibi, ubi hic & nunc sunt, & ideo possunt ibi contrahere Matrimonium, & tenentur ibi recipere Sacramenta necessaria, & potest cum eis Episcopus dispensare in Votis: ergo tenentur etiam Legibus illius loci: secus enim essent omnino liberi ab omnibus Legibus Episcopalibus, & Municipalibus; quod lices non sit absurdum in Peregrinis, quia brevi tempore absunt a proprio domicilio, est tamen absurdum in Vagis, qui diu vagari possunt; unde etiam infertur, quod puniri possit Vagus a Judice loci, in quo capitur, etsi delictum alibi commiserit; & si repetatur a Judice delicti, non tenetur Judex illius loci eum tradere, nisi ambo Judices sint sub eodem Principe, Pal. & alii.

CAPUT IV.

An Subditi existentes extra Territorium teneantur Legibus sui Principis?

LOQUIMUR de Subdito v. g. Neapolitano, qui scilicet habet hic domicilium, sed peregrinante, seu ad breve tempus existente, v. g. Nolæ, cum animo redeundi Neapolim.

Dico: Subditi, si peregrinentur extra territorium, non tenentur servare Leges suæ Patriæ, unde discesserunt, & quo brevi sunt redituri: Doctores communiter contra Palud. Sylv. & alios apud Dian. p. t. t. 10. r. 14. Ratio est; quia ex cap. *Ut Animarum, de Const. in 6.* dicitur, *Statuto Episcopi Subditi ejus extra eius Diœcesim existentes minime ligari noscuntur, eam extra territorium jus dicenti non paretur impune*. Item Legislator in ferendo Legem respicit bonum publicum suæ ditionis, & ideo extra illam Leges ejus non obligant Subditos suos. Neque obstat, quod Subditus extra territorium existens adhuc manet Subditus, quousque non mutet domicilium; Nam manet Subditus tantum habitualiter, ut loquitur Suar. non actualiter, ideoque Legibus sui territorii actu non obligatur.

Hine Neapolitanus peregrinans extra suam Diœcesim, patiens casum Neapoli reservatum cum Excommunicatione, nec Excommunicationem, nec Reservationem incurrit, nisi forte etiam ibi adsit eadem Reservatio, & Excommunicatio; quia, ex dictis cap. ant. Peregrinus tenetur servare Leges, quando sunt eædem in Patria, & in loco transitus: idque ex Usu Communi, & Consuetudine obligatoria, ut docent Doctores contra Januar. Sic Neapolitanus transiens per Castellam primo die Sabbati comedere potest extremitates, & interiora animalium, & transiens Mediolano, potest die Cinerum vesci cibis Paschalibus, prout ibi moris est. Quamvis vice versa Mediolanensis transiens Neapoli teneatur hic primis quatuor diebus Quadragesimæ jejunare, quia tenetur Legibus Juris communis præcipientis a die Cinerum Quadragesimam, ubi hoc jus est in usu. Doctores communiter contra Azor. Ledes. & Sanch. l. 3. Matr. d. 18. n. 7. qui c. 12. hanc sententiam rettactavis, ex quo etiam fit, ut qui discedit a loco, ubi non est receptum novum Kalendarium, nondum expleto tempore Paschali, & perveniat ad locum, ubi est receptum, expleto tempore Paschali, tenetur eo anno ad Communionem, quia Præceptum Communionis in Pascha obligas ex Jure communi semel in anno: Doctores communiter. Idem probabilius dicendum contra aliquos, de pervigilio D. Bartholomæi, quod Beneventi est die 23. alibi die 24. Augusti.

Quæres primo, An possit quis sine ulla necessitate desci-

discedere a Patria, ubi est Lex municipalis Festi, aut Jejunii, ad hunc tantum finem, ut vitet hanc obligationem?

Respondeo affirmative cum Suar. Sanch. Bon. & aliis communiter, contra Ledes. Sayr. Reb. apud Dian. p. 1. t. 10. r. 14. quia utitur jure suo, subtrahendo se simpliciter ab obligatione, ad differentiam ejus, qui poneret impedimentum ad executionem Legis jam eum obligantis, juxta dicta q. 2. Hinc si eo tantum animo discederet, videtur, quod non peccaret, quia non potest dici fraudem committere, qui utitur jure suo, ex Reg. *Nullus, ff. de Reg. Jur.* ex quo etiam multi Doctores cum Suar. Basil. & aliis docent, quod habens casus in propria Diœcesi reservatos, & nolens suo Pœnitentiario confiteri, possit peregrinari ea intentione, ut possit absolvi, ubi casus ille non est reservatus; quamvis Clem. X. prohibeat Regularibus (& eadem debet esse ratio de Confessariis Secularibus) ne hos absolvant, si in fraudem reservationis id faciant, hoc est, ut explicat Platel. n. 999. si id faciant ad declinandum proprii Episcopi Judicium.

Quæres secundo, An Neapolitanus teneatur die S. Augustini (quo die hic est Festum Municipale) audire Missam, antequam exeat e Civitate?

Respondeo, Quod si tali die unum tantum fiat Sacrum, & antequam exeat, illud celebretur, certe tenetur illud audire, quia tenetur Præcepto habens opportunitatem implendi illud. Si autem plures supersunt Missæ celebrandæ usque ad meridiem, Suar. & Basil. apud Pal. dicunt, teneri audire Missam, antequam exeat e Civitate; quia Præceptum affirmativum obligat ad implendum illud statim ac fieri potest, si non poterit deinde alia via illud implere; sed Sal. & Sanch. l. 3. Mat. d. 18. probabiliter docent oppositum, quia, qui egreditur e Civitate, exemptus simpliciter est ab obligatione, neque hoc Præceptum obligat non egredi a Civitate, neque obligat audire primam Missam, si velis deinde esse simpliciter exemptus, uti neque si prævideas dispensationem tibi concedendam. Non sic autem, quando prævideas futurum impedimentum, quia, cum preseveret obligatio, sequitur, quod si illud prævideatur, debeas prævenire adimpletionem Præcepti.

Quæres tertio, An Neapolitanus die Jejunii Municipalis discessurus e Civitate possit mane sumere jentaculum?

Respondeo, Certum esse, quod non possit carnes sumere, quia Præceptum negativum abstinendi a carnibus obligat pro singulis momentis. Itaque difficultas solum est, an possit pluries comedere antequam discedat? Affirmant Sal. Sanch. Suar. Less. quia Jejunium consistit in unica comestione per totum diem: ergo si vespere hic non obligabitur ad unicam comestionem, nec mane obligatur semel comedere per totum diem; sicuti, qui die Jejunii est laboraturus, potest prius pluries comedere, cum satis sit certitudo moralis, quod sit laboraturus, ut a primo mane excusetur a Præcepto. Sed hæc sententia videtur rejicienda Pal. Basil., & aliis, quia sicut nemo deobligatur mane a Jejunio ob certitudinem moralem dispensationis vespere futuræ, ita neque ob exemptionem futuram: contra vero, qui est laboraturus, excusatur a primo mane ob necessitatem laborandi urgentem, sicuti qui tota Hebdomada laborat, excusatur etiam a Jejunio die Festo, non solum ob defatigationem præteritam, sed etiam ob necessitatem laborandi die sequenti. Ex dictis etiam infertur, quod qui ex Oppido, in quo non jejunatur, discedat, perventurus vespere ad Patriam, in qua jejunatur, si antequam eo perveniat unam comestionem fecerit, tenebitur probabilius vespere jejunare, juxta sententiam Pal. & Sanch contra Less. & Sanch. l. 1. Dec. c. 12. n. 3. Secus vero, si antequam eo perveniat, comederit pluries.

Quæres quarto, An quæ dicta sunt de Subdito existente extra Territorium, dici etiam possint de Subdito existente in locis exemptis intra Territorium?

Respondeo affirmative cum Suar. Bon. Azor. & aliis communiter; nam ideo dicuntur loca exempta, quia eximuntur ab Jurisdictione Ordinarii, & proinde se habent, ac si essent extra Diœcesim. Hujusmodi est v. g. tum Ecclesia, tum locus Baroli qui subditus Episcopo Nazareth, & in similibus Parochiis exemptis; ibi enim potest licite laborari die Festo ex Præcepto Ordinarii, nec incurritur casus ab eo reservatus per statutum, &c. At talia non sunt Monasteria Regularium, ut docent communiter cum Suar. Sal. Pal. & aliis contra Dian. p. 10. t. 14. r. 7. quia Monasteria non sunt exempta ratione ipsius loci, sed solum ratione Religiosorum, & licet Ordinarius non possit ibi erigere Tribunal, tamen hoc non est extendendum ad casus non expressos; tum quia hoc est odiosum Episcopis, & facile Subditi possent ejus statuta frustrare, si neque ab illo, neque a Superiore Regulari puniri possent.

Quæres quinto, An quæ dicta sunt de Legibus non obligantibus Subditum extra Territorium, dici etiam possunt de Præceptis?

Respondeo, Si Præceptum sit particulare, posse v. g. Episcopum illud imponere Subdito existenti extra Territorium ob bonum privatum illius: sic potest Clerico præcipere, & quidem sub Censura, ne extra Diœcesim Sacrum faciat, ut semel in Hebdomada jejunet, &c. quia hoc non est dicere Jus, seu Legem ferre extra Territorium. Addunt Suar. Bon. Pal. & alii, communem esse sententiam, posse Episcopum ferre Præceptum, etiam generale in Subditos, v. g. ne furentur, sub pœna Excommunicationis, etiam extra Territorium existentes, quia Præceptum personale non affigitur loco, sed immediate Personæ; non sic vero, si Præceptum esset locale, v. g. ut Civitas Neapolitana tali die jejunet.

Quæres sexto, An Superior possit punire Subditum existentem extra Territorium?

Respondeo, Si tum Subditus, tum ejus delictum sit extra Territorium, non posse, quia ex cap. *Ut animarum, de Const. in 6. Extra territorium jus dicenti non paretur impune*; ideoque puniri debet a Superiore loci delicti, per quod delinquens fit ei Subditus. Secus vero dicendum contra Basil. & Gabriel. si delictum commissum sit aliquo modo intra Territorium: v. g. si Beneficiarius in aliena Diœcesi existens, non resideat in loco sui Beneficii, incurrit Censuram latam ab Episcopo loci contra non residentes, quia delictum, seu omissio residentiæ est intra Territorium: similiter si Fur extra Territorium existens committat furtum, quin satisfaciat intra mensem, vel se sistat Judici, incurrit Excommunicationem latam contra Furantes, nisi intra mensem satisfaciant, vel se sistant, quia committit delictum in Territorio per hoc, quod non se præsentet Judici Territorii, Azor. Sylv. Sal. & alii; Superior enim est Judex etiam in ordine ad delicta commissa extra Territorium, quamvis non possit extra illud suam Jurisdictionem exercere: ideoque potest etiam puniri, si Subditus delinquens extra, redeat ad Territorium: sicut ratione Contractus alibi initi, & rei alibi sitæ potest Judex Territorii Jus, & justitiam alicui dicere, dum existit intra Territorium, ex cap. *Dilecti Filii*.

Denique quando Lex fertur ad præcavendum speciale damnum grave Territorii, Subditus extra Territorium delinquens incurrit pœnam in Lege latam, quia aliquo modo delictum dicitur esse intra, quatenus damnum infert Territorio; ut si prohibeatur extractio mercium a Civitate, venditio armorum Inimicis, aut venditio rei sitæ intra Territorium, nisi juxta formam in eo præscriptam: & ratio est, quia quamvis Superior non possit exercere extra Territorium Jurisdictionem contentiosam, ne perturbentur Tribunalia, tamen potest imponere Legem, quæ a Subditis observari debeat sub pœna a Lege statuta, si aliquo modo delictum dicatur esse intra Territorium, quia sic est exercere Jurisdictionem voluntariam, quæ scilicet ex sola Voluntate Superioris exercetur sine strepitu ullo Judicii; unde Pal. contra communem sententiam etiam infert, posse pariter condi Legem, quæ etiam Subditos extra Territorium existentes comprehendat, si detur gravis causa id requirens.

CAPUT V.

An Ecclesiastici teneantur servare Leges Civiles?

ECCLESIASTICI sunt omnes Clerici a prima Tonsura, tum Religiosi omnes utriusque sexus, eorumque Novitii: certumque est, eos nullatenus teneri Legibus Civilibus Immunitatem Ecclesiasticam lædentis, hoc est exemptionem a Foro Civili, & a solvendis tributis, ex Trid. *sess.* 24. *c.* 20. Quæstio ergo est de aliis Legibus Civilibus, rectæ gubernationi Civitatis convenientibus, v. g. ne noctu arma deferantur, ne extrahantur merces &c. idemque est de Legibus taxantibus pretia mercium, præscribentibus formam Contractui, &c.

Dico primo: Ecclesiastici tenentur quoad vim directivam servare Leges Civiles nullatenus lædentes Immunitatem Ecclesiasticam: Doctores communiter cum Suar. Tol. Vasq. & aliis, contra Nav. Graff. apud Merol. d. 4. c. 3. d. 45. Ratio est, tum quia decens est, ut Ecclesiastici præbeant aliis exemplum, tum quia id expedit rectæ gubernationi Reipublicæ, cujus sunt partes; tum demum

-nium, quia tales Leges approbantur cap. *Si in adjutorium*, d. 10. ubi dicitur, servandas esse Leges Civiles in iis, quæ non sunt contra Canones, nec præjudicant Clericis. Unde inferunt Suar. Merol. & alii communius, contra Laym. & alios, apud Dian. p. 1. t. 10. r. 12. eadem prorsus obligatione teneri Clericos, ac Laicos, proveniente ab ipsis Legibus, & non quomodo tenetur Legislator, qui solum tenetur Lege Naturali eas servare, juxta dicta c. 1. ideoque Clericos transgressores peccare graviter in materia gravi (etsi id neget Bonac.) nam graviter puniuntur a Superiore Ecclesiastico, tanquam transgressores Legum, quas Sacri Canones approbant, & veluti canonizant ad hunc effectum, ut notat Decius, & alii Canonistæ.

Dico secundo: Ecclesiastici non tenentur Legibus Civilibus quoad vim coactivam; Doctores communiter contra Loteam apud Dian. loc. cit: Ratio est, quia Jure Canonico sunt exempti a pœnis per Legem Civiles statutis, ut constat ex cap. *Clerici*, & cap. *Qualiter de Judiciis*, quæ non solum probant de punitione, quæ causæ cognitionem requirit, sed etiam de pœna, quæ ipsi delicto est adnexa. Hinc quamvis potestas præcipiendi conjuncta sit cum potestate puniendi, non tamen hinc sequitur, quod si possunt Principes Laici suis Legibus Civilibus præcipere Clericis, possint etiam eorum transgressores punire; Nam primo non ipsi Principes suis Legibus, sed Sacri Canones ex dictis præcipiunt Clericis, ut eas observent: Secundo separantur illæ duæ potestates per accidens, ratione scilicet Privilegii a Christo Domino, & a Summo Pontifice Clericis concessi, ut nonnisi a Superiore Ecclesiastico puniantur.

Objices: Ex consuetudine satis usitata Clericus, si noctu ferat arma, his spoliatur a Laico, nec ei restituuntur: similiter si Clericus venetur in nemoribus reservatis, aut si ejus animalia faciant damnum, cogitur solvere pœnas, & nisi solvat, ex ejus bonis pignora capiuntur ipso renuente: item quando tenentur Clerici vel ex jure, vel ex permissione Pontificis ad reparationem pontium, viarum, &c. si non contribuant, apprehenduntur eorum bona, & fructus etiam Beneficiorum: ergo obligantur etiam quoad vim coactivam Legibus Civilibus.

Respondeo, Hæc, & similia nullatenus licere Laicis in Clericos absque speciali permissione Pontificis. Et quamvis Rebuf. dicat, hanc permissionem invaluisse ex Consuetudine apud Gallos, & aliquos alios Principes juxta Privilegia sua a Sede Apostolica concessa, tamen Navar. Vasq. Sal. Pal. & alii relinquunt Summo Pontifici judicandum, an talis Consuetudo, & permissio per Bull. Cœn. quotannis revocetur, & abrogetur. Possunt quidem aliquando tolli a Clericis arma, non in pœnam, sed ne damnum aliquod hic & nunc sequatur; tunc autem debent Superiori Ecclesiastico tradi. Possunt etiam accipi pignora a Clericis, qui tenentur ad reparationem viarum, &c. contribuere, non quidem in pœnam, sed in contributionem debitam. Cæterum quamvis possint hæc exigi a nolentibus dare, hi tamen puniri nullatenus possunt.

Quæres, An Religiosi, sicut tenentur servare prædictas Leges Civiles, non secus ac Clerici, ita teneantur etiam servare Leges Synodales ab Episcopis latas Clericis, ut conformiter cum iis se gerant?

Respondeo negative cum Suar. Gran. Sal. & aliis, contra Vasq. Sanch. Rodr. & alios apud Dian. p. 1. t. 10. r. 113. quia ex cap. 1. *De Privil. in 6.* & ex Trident. loc. cit. Religiosi eximuntur omnino a Jurisdictione Episcoporum, & solum præcipitur, quod Episcopis obediant in Festorum observatione, in Interdicto, & Cessatione a Divinis. Nec tenentur ex Lege Naturali uniformiter se gerere cum aliis Ecclesiasticis, nisi quatenus aliter adesset scandalum.

QUÆSTIO IV.

De Cessatione Legis.

CESSARE potest Lex vel in actu primo, itaut simpliciter non obliget, vel solum in actu secundo, itaut excuseris ab ejus obligatione. In actu primo cessat per Abrogationem, aut Derogationem, per Desuetudinem, aut Consuetudinem contrariam, & per Cessationem finis ipsius. In actu secundo cessare potest per Excusationem ratione Ignorantiæ, Dubii, Opinionis probabilis, Metus, aut Impotentiæ: tum ob Epikejam, Dispensationem, aut Privilegium. De Ignorantia, Dubio, Opinione probabili, Vi, & Metu dictum est jam d. 1. q. 1. 2. & 4. De Consuetudine, Dispensatione, & Privilegio dicam Disput. sequentibus. Videndum ergo hic I. An, & Quomodo Impotentia excuset ab Observantia Legis? II. An, & Quomodo excuset Epikeja? III. An, & Quomodo cessante fine Legis cesset Lex? IV. Quomodo cesset Lex per Abrogationem, aut Derogationem?

CAPUT I.

An, & Quomodo Impotentia excuset ab Observantia Legis?

IMPOTENTIA est moralis impossibilitas, hoc est difficultas adeo gravis, ut quamvis physice, & simpliciter possis observare Legem, tamen spectata conditione, & infirmitate humanæ Naturæ videaris non posse.

Quæres primo, An Lex aliqua obliget ad aliquid moraliter impossibile?

Respondeo affirmative, quia sunt aliquæ Leges, quarum transgressio in quocumque casu cedit in damnum honoris Divini, vel Religionis, vel Communitatis; ideoque observandæ sunt, etiam cum periculo Vitæ privatæ: sic Lege Naturæ tenemur subire mortem potius, quam fornicari, simulare Sacramentum, aut leviter etiam mentiri, quamvis subire mortem sit moraliter impossibile; nam fornicari, mentiri, &c. sunt ita intrinsece mala, ut in omni casu sint dehonorativa Dei, juxta dicta d. 1. q. 1. c. 4. Similiter Lege Divina positiva tenemur profiteri etiam extrinsece Fidem cum periculo cujusvis cruciatus, quia prævalet bonum Religionis. Similiter etiam Lege Humana Principis tenentur Milites ad periculosas vigilias, & ad periculosam aggressionem, quia bonum Reipublicæ prævalet Vitæ privatæ; idemque est, si adsit alia justissima causa.

Quæres secundo, An extra hos casus Impotentia moralis excuset ab observantia aliarum Legum?

Respondeo affirmative, quia extra tales circumstantias nullus Legislator sive Humanus, sive etiam Divinus obligat ad aliquod moraliter impossibile; ideoque si grave immineat incommodum, excusaris ab earum observantia ob Impotentiam moralem. Ut autem discernatur, quando incommodum sit grave, quando leve, videndum, an Lex rigidius, vel minus rigide obliget, juxta dicta q. 3. c. 3.; sic enim, quod est grave respectu unius Legis, nondum est grave respectu alterius.

Quæres tertio, An impotens implere totum Præceptum teneatur implere partem, quam potest?

Respondeo cum Bon. d. 2. de Præcept. q. 8. p. 1. n. 4. Quod qui non potest totum Præceptum implere teneatur ad partem, quam potest, si ea sit notabilis, & censeatur intenta a Superiore; secus vero si non sit notabilis, vel non censeatur a Superiore intenta. Ratio desumitur ex illo Axiomate: *Qui non potest totum, quod debet, solvat quod potest*, dummodo pars, quam potest, non sit levis, ad quam non censeatur Superior velle obligare, cum Lex non obliget ultra intentionem Legislatoris. Atque hæc responsio militat universaliter, non solum quando Præceptum est de re divisibili, quæ scilicet communiter solet dividi, ut Præceptum de septem Horis Canonicis, sed probabilius etiam contra Sanch. lib. 6. Dec. cap. 19. quando Præceptum est de re indivisibili, quæ scilicet communiter non solet dividi, ut Præceptum audiendi Missam, recitandæ unius Horæ Canonicæ, &c.

Hinc non solum tenetur audire partem Missæ posteriorem, scilicet a Consecratione, qui non potest audire priorem, sed etiam ex Bon. contra Sanch. & Suar. qui potest tantum audire Missam a principio usque ad Consecrationem, probabilius tenetur illam audire, quia est pars notabilis, & videtur per se intenta a Superiore. Sic qui ratione necessitatis laboravit die Festo usque ad Vesperam, tenetur reliquo diei spatio abstinere ab operibus servilibus, & qui non potest septem Psalmos Pœnitentiales, aut tertiam partem Rosarii recitare, tenetur ad partem, quam potest, etiamsi sit minor medietate, dummodo sit notabilis; cum sic censeatur etiam per se intenta a Superiore. Contra vero, qui non potest jejunare, nisi usque ad Vesperam, non tenetur simpliciter jejunare, quia, quamvis pars diei, usque ad Vesperam sit notabilis, tamen non censetur per se intenta a Superiore, cum de se intendatur solum unica comestio per integrum diem. In Jejunio autem Quadragesimali, si quis non potest per ejus partem jejunare, distinguendum est cum Sanch. nam si pars illa, in qua non potest, sit certa, vel scilicet ratione defectus cibi, vel ratione morbi actualis, tenetur ad jejunandum aliis diebus, in quibus potest, etiamsi una sit hebdomada, imo unus sit dies, quia est per se intentus a Superiore: si vero pars illa sit in-

certa, ut contingit in Convalescentibus, & Personis malæ Valetudinis, tunc qui non potest majorem partem, vel saltem æqualem jejunare, nullo die tenetur, quia sic non censetur Superior velle dare occasionem Scrupulis, & Perplexitatibus; nam esset nimis onerosum inquirere partem determinatam, quæ possit sine notabili incommodo impleri.

Qui non potest totum Officium recitare, tenetur ad eas Horas, quas potest, ex Prop. 54. damnata ab Inn. XI. quæ sic habet: *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*; nam quælibet Hora est per se intenta a Superiore; imo qui v. g. caret Breviario ubi sunt lectiones, videtur obligatus recitare Psalmos Matutini etiam novem lectionum, si eos sciat memoriter, quia ea est pars notabilis, & censetur per se intenta a Legislatore, non minus, quam Psalmi Feriæ.

Denique qui vovit Peregrinationem, v. g. Romam, si non possit Romam ingredi, non tenetur ad iter Romam versus, quia licet totum iter sit pars notabilis, non tamen censetur ea pars per se intenta a Vovente; iter enim censetur voveri ratione termini. Contra vero, qui vovit ire discalceatum, aut pedestrem, nec possit sic ire, tenetur ire cum calceis, aut equo, &c. & similiter qui vovit Jejunium in pane, & aqua tenetur ad Jejunium ordinarium, si aliter non possit Votum implere.

CAPUT II.

An, & Quomodo excuset Epikeja.

EPIKEJA, seu Æquitas, ex 1. Eth. 10. est *Legis Emendatio*, seu *benigna Legis Interpretatio*; Cum enim Lex loquatur universaliter, nec possit descendere ad omnes casus particulares, & aliquando accidere possit casus, in quo ratione circumstantiarum ea sit iniqua, vel rigida plusquam par est, ideo datur locus Epikejæ, quæ corrigat, vel benigne interpretetur Legem, ut nolentem tunc obligare.

Cajet. tamen putat, quod Epikeja solum habet locum, quando servare Legem est peccatum, seu quando finis Legis cessat contrarie, puta, si restituendus sit gladius Domino furioso, qui eo abusurus sit in sui, vel aliorum perniciem, in quo casu certe Epikeja emendat Legem universalem restitutionis, & dictat, gladium non esse restituendum, utpote peccatum. Sed communis sententia cum Suar. l. 6. *de Leg.* c. 7. docet, Epikejam etiam posse habere locum, etiamsi nullum sit peccatum in observatione Legis, dummodo rationabiliter censeatur Legislator noluisse Lege sua universali talem casum comprehendere, ne videatur rigidus plusquam par est; ideoque D. Th. 2. 2. q. 120. a. 1. & 2. ait, munus Epikejæ esse, prætermissis verbis Legis, intentionem Legislatoris sequi, moderando, & interpretando Legem eo modo, quo ipse Legislator in talibus circumstantiis rogatus, esset moderaturus, & interpretaturus Legem suam: sic, si prohibeatur sub pœna Excommunicationis extractio librorum ex Urbe sine licentia, idque ad eum finem dumtaxat, ne inter illos reperiatur aliquis prohibitus, & mihi certum sit, librum, quem extraho, non esse prohibitum, & simul sit valde onerosum expectare, quousque licentia obtineatur, possum ratione Epikejæ illum extrahere, benigne interpretando mentem Legislatoris, quod noluerit, quamvis potuisset, hunc casum comprehendere: an autem etiam excusetur talis extractio, si possit sine incommodo obtineri licentia, & non petatur, dicam cap. sequ. ubi videndum, an cessante fine Legis negative, cesset Lex?

Quæres primo, An ad utendum Epikeja requiratur certitudo, an vero sufficiat probabilitas excusationis, seu Voluntatis benignæ Legislatoris?

Respondeo, Sufficere probabilitatem, quia unusquisque potest licite operari secundum opinionem probabilem, etiam relicta probabiliore tutiore, juxta dicta d. t. q. 4. c. 4. Neque dicas, in tali casu esse in possessione ipsam Legem, quæ comprehendit verbis universalibus casum illum particularem, & neminem posse spoliari re possessa ob opinionem probabilem, quod sit aliena. Nam contra est, quia, quamvis verba Legis illum casum comprehendant, tamen satis est opinio probabilis, quod Legislator nolit pro tali casu te obligare, ut non tenearis obedire, verba enim Legis sine intentione Legislatoris non obligant; sic etiam, quamvis non possis spoliare te possidentem ob opinionem probabilem, quod sit tua, tamen potes ob opinionem probabilem, quod ipse velit, ut sit tua. Hinc, si aliqui Doctores probabiliter doceant, nolle Ecclesiam obligare ad conficienda pedibus triamilliaria pro Missa audienda, poteris uti Epikeja, & licite Missam non audire, quamvis plures alii Doctores sustineant oppositum. Addit tamen Suar. num. 9. cum Cajet. contra nonnullos Canonistas apud Merol. quod quando potest comode consuli Superior, non sic utendum judicio probabili de ejus Voluntate eximendi e sua Lege hunc casum, quia inordinatum est uti conjecturis, ubi potest certo constare de Voluntate Legislatoris.

Quæres secundo, An in dubio, num voluerit Legislator aliquem casum sua Lege generali comprehendere, teneatur Subditus Legem servare?

Respondeo, Certum esse, quod in tali dubio teneatur, consulere Superiorem, si potest: si non potest, aliqui cum Sylv. Cord. Henr. apud Merol. putant, dari locum Epikejæ, quibus consentit Sal. & Tamb. l. 1. c. 3. §. 7. v. Epikeja, si gravis, & onerosa sit Legis adimpletio, quia benignitas Legislatoris non fert, quod Subditus obligetur cum tanto onere in casu dubio. Communis tamen sententia cum Pal. docet, Legem servandam esse, quia possessio stat pro Lege certe comprehendente suis verbis talem casum, & dubium est, an Legislator noluerit, aut non potuerit ad talem casum obligare. Neque obstat, quod Lex dubia non obliget; nam id verum est, quando datur dubium de tota Lege, vel an comprehendat verbis suis talem casum; non vero quando certum est, quod comprehendat, dubium est, an Legislator voluerit in tali casu obligare. Cæterum, si adimpletio Legis sit admodum onerosa, potest dari locus Epikejæ, si prudenter censeatur, quod nolit cum magno incommodo Legislator in casu dubio obligare.

CAPUT III.

An, & Quomodo, cessante Fine Legis, cesset Lex?

NOTO primo, Cessare posse Finem Legis vel adæquate, vel inadæquate: v. g. si lata sit Lex prohibens delationem armorum tum propter scandalum, tum propter rixas vitandas, cessante omni periculo tum scandali, tum rixarum, cessat finis adæquatus Legis; cessante vero scandalo tantum, vel tantum periculo rixarum, cessat finis tantum inadæquatus Legis. Item finis sive adæquatus, sive inadæquatus cessare potest, vel tantum respectu casus particularis personæ, vel totius etiam Communitatis.

Noto secundo, Finem Legis sive adæquatum, sive inadæquatum cessare posse, vel tantum negative, vel etiam contrarie: cessat tantum negative, quando ratio Legis hic & nunc non militat, quamvis eam servare non sit peccatum; ut si prohibeatur commercium cum Saracenis ob perversionis periculum, & certo scias, nullum hic & nunc adesse tale periculum; sic enim, cum adhuc possis sine peccato abstinere a tali commercio, dicitur finis Legis cessare tantum negative. Cessat vero contrarie, quando observantia ipsa Legis evadit hic & nunc peccaminosa, vel saltem intolerabilis, & multum incommoda, unde ratione Epikejæ censeatur talis casus exceptus: sic cessat contrarie finis Legis restitutionis gladii, si Dominus sit furiosus, cum tunc sit peccaminosa restitutio: similiter, si tempore Belli prohibeatur, ne portæ Civitatis aperiantur, & interim multi Milites pereant admitti, ne interficiantur ab Hostibus, finis Legis in tali casu cessat contrarie ob grave incommodum Militum, supposito, quod non immineat urbis periculum.

Certum est primo, Non cessare Legem, si cesset ejus finis tantum inadæquatus, nisi vero cesset contrarie, itaut peccatum sit eam observare. Certum est secundo, Cessare Legem, si cesset ejus finis adæquatus respectu ad totam Communitatem, quia cessante causa adæquata, cessat effectus, ex cap. *Cum cessante, de Appell.*; Doctores communiter contra Solum. Sola ergo quæstio est, An cesset Legis obligatio, cessante negative fine adæquato in casu particulari, seu respectu particularis Personæ: v. g. si prohibita sit gestatio armorum præcise ad vitandum scandalum, & rixas, & respectu Titii nullum sit periculum scandali, ac rixarum, utrum Titius peccet arma deferendo?

Communior sententia cum Suar. Vasq. Sanch. Mol. Bon. & plurimis aliis apud Dian. p. 1. t. 10. r. 28 docet, non cessare Legis obligationem, adeoque peccare Titium deferendo arma. Ratio communis est primo, quia Lex non respicit casus particulares, sed ea, quæ communiter contingunt, ex *l. Ea, quæ raro, ff de Leg. Jur.* v. g. prohibetur delatio armorum ad vitandas rixas, quæ communiter possunt contingere; atqui, quamvis hic

& nunc

& nunc non subsit periculum rixæ, adhuc communiter contingere possunt rixæ: ergo adhuc ratio Legis, & consequenter Lex ipsa subsistit, & obligat. Secondo, Quia nunquam cessare potest finis adæquatus Legis in casu particulari; nam finis Legis est etiam, ut partes conformentur toti, quando sine incommodo, & peccato servari potest Lex; hic enim finis est honestissimus, idque expedit bono publico, ne passim Leges violentur. Tertio, Ex absurdis, sequeretur enim posse licite contrahi Matrimonium absque denunciationibus, quando Sponsi certo scirent nullum subesse Impedimentum, possent a Viro docto, & pio legi libri Hæreticorum absque licentia, si absit periculum imbibendi Hæresim, posset Vir probus ingredi Monasteria Monialium ad eas instruendas in Spiritu, si absit omne periculum, &c. Demum posset aliquando licita esse Fornicatio, si absit periculum malæ educationis Prolis, qui est finis Legis Naturalis illam prohibentis.

Oppositam sententiam docent aliqui cum Ab. Sylv. Comitol. Nav. Megal. Cajet. Henr. Ledesm. Sa. Gran. & aliis apud eundem Dian. cit. Ratio ipsorum est primo, Quia ratio Legis est Anima Legis: ergo sicut corpus sine Anima non potest aliud movere, ita Lex sine ratione Legis non potest Subditum obligare. Secondo, Quia, si finis adæquatus Legis cesset respectu Communitatis pro uno tempore, non pro alio, licet Lex non cesset simpliciter, cessat tamen pro eo tempore: ergo proportionaliter dicendum, si cesset pro uno particulari. Tertio, Quia Lex Correctionis Fraternæ juxta omnes non obligat, quando nulla est spes emendationis, nam cessat finis adæquatus talis Legis in tali casu: ergo a pari. Quarto, Cum Lex aliqua ita viget pro potiore parte Regni, ut pro notabili parte ejusdem Regni non vigeat, relate ad hanc partem cessat obligatio: ergo etiam in casu. Hinc ad primam rationem prioris sententiæ respondent, verum quidem esse, quod finis Legis prohibentis arma sit vitatio periculi rixarum, quæ communiter contingunt, at si hic & nunc cesset tale periculum, cessat relate ad hunc casum Legis ratio: sicut finis Correctionis Fraternæ est emendatio delictorum, quæ communiter contingunt, seu ut vitetur persistentia in illis, quæ persistentia communiter contingit præcisa Correctione Fraterna; & tamen nisi sit spes emendationis, cessat hic & nunc ejus Legis obligatio. Ad secundum dicunt, Legem, & Legislatorem non habere finem illum universaliorem, & extrinsecum, quod Pars conformetur Toti, quando cessat adæquate finis immediatus Legis in casu particulari; nam hoc non videtur utile, sed damnosum Communitati, quod singulos obliget in casu, quo cesset finis Legis absque ulla utilitate. Ad tertiam ex absurdis, dicunt, in dictis casibus non semper cessare vel adæquatum finem, vel scandalum, quomodo enim cessaret scandalum, si sine denunciatione contraheretur Matrimonium, si absque licentia Vir probus ingrederetur Monasteria Monialium: in fornicatione autem nunquam cessaret finis adæquate; cum ea sit naturaliter prohibita, etiam quia aliter quilibet neglecto contractu Matrimoniali, facile eam exerceret contra finem Naturæ rationalis ad cœlestia capessenda creatæ; & similiter finis prohibitionis librorum hæreticorum solet etiam esse (quamvis non semper secundum Caramuel) ad punitionem, seu odium Auctoris, & ad securitatem aliorum, in quorum manus liber potest pervenire; & ne quis se decipiat, putans invincibiliter se securum; ideoque dicendum cum communiori contra nonnullos paucos, nulli Viro probo licere, eos legere absque licentia.

Hæ sunt rationes pro utraque sententia; prior tamen utpote communior, est tenenda, ideoque ad illud, quod ratio Legis sit Anima Legis, dicendum, quod in casu nostro remanet Anima Legis, hoc est finis universalior, quod partes debeant conformari Toti, qui finis cessare quidem potest pro uno tantum tempore respectu Communitatis; sed nunquam cessare potest respectu particularis Personæ. Ad illud de Correctione Fraterna, respondet Covar. eam Legem Naturalem esse latam in bonum privatum singulorum, & ideo si alicui non est utilis, relate ad illum simpliciter cessat: addit Merol, eam Legem esse affirmativam, ideoque non obligare semper, & ad semper; at Lex Humana fertur in bonum Communitatis, & Lex negativa obligat in omnibus circumstantiis, in quibus servari possit sine peccato, nisi aliud suadeat Epikeja. Ad ultimum, pars illa notabilis est etiam Communitas, unde si ei sit inutilis Lex, eam non obligat; obligat vero Personam privatam, quia essentialiter Lex respicit Communitatem.

R. P. Nicolai Mazzotta Theol. Mor.

CAPUT IV.

An, & Quomodo Lex cesset per Abrogationem, aut Derogationem?

Abrogatio Legis est sublatio illius secundum totum; Derogatio vero est sublatio Legis secundum partem. Certum est autem, quamcumque Legem Humanam posse valide (imo etiam licite justa interveniente causa) abrogari ab eo, qui illam tulit, aut a Successore, aut a Superiore, vel priorem Legem simpliciter tollendo, vel loco illius aliam Legem ferendo. An autem ad Abrogationem, seu Derogationem Legis requiratur publicatio, seu promulgatio? Affirmant Vasq. Azor. & Sal. quia sicut Lex non obligat, nisi promulgetur; ita nec desinit obligare per abrogationem, nisi hæc etiam promulgetur; sed communius negant alii cum Cord. Merol. & Pal. quia plus requiritur ad obligandum, quam ad deobligandum; ideoque satis est, quod Legislator dicat, nolle se amplius obligare, cum obligatio pendeat ex ejus voluntate; nisi vero novam legem inducat, quæ certe requirit novam promulgationem.

Quæres primo, Quandonam lex posterior censeatur priorem legem abrogare?

Respondeo, Quod, si lex posterior non sit priori contraria, certe illam non abrogat; imo, si possimus eam ita interpretari, ut non sit contraria, sic interpretanda est, quia legum correctio, cum sit odiosa, & damnosa Reipublicæ, vitanda est, quod fieri potest, ex *l. ult. Cod. de Appellat.* Non autem sunt accipienda verba legis posterioris in sensu improprio ad vitandam legis prioris correctionem, ut docent Suar. Sal. & alii contra Sanch. l. 1. *Matr.* d. 17. quia sic nihil esset firmum in legibus; unde solum improprianda sunt verba ad vitandam legis injustitiam, vel ad summum inutilitatem. At, si lex posterior sit priori aperte, vel directe contraria, illam abrogat, quamvis non faciat illius mentionem, nec habeat clausulam derogantem, seu abrogantem, quia voluntas posterior vincit, & revocat priorem oppositam: si autem in aliqua tantum parte sit contraria, tunc secundum illam tantum partem derogat legi priori. Notant tamen Azor. Bon. & alii contra Menoch. quod, si prior lex firmata fuerit juramento de non abrogando illam, nisi illius fiat expressa mentio, non abrogatur per posteriorem, nisi fiat expressa mentio de illa, quia præsumitur in Principe ignorantia legis prioris etiamsi inserta ea sit in jure communi: idemque dicunt Val. Suar. Pal. etiamsi prior lex non sit firmata dicto juramento, ea tamen sit extra jus commune, ex. cap. 1. *de Constit. in 6.* Imo, si talis lex inserta sit in jure communi, sit tamen specialis pro aliquo loco, vel in speciali aliqua materia, lex posterior generalis illi contraria, illam non abrogat, sed potius ex illa limitari debet lex posterior universalis, quia, cum utraque lex possit sic subsistere, dicendum, ita Principem voluisse, cum non fecerit mentionem prioris, cujus præsumitur habuisse notitiam; quod verum est, inquit Sanch. l. 2. *Matr.* d. 24. n. 6. etiamsi in lege posteriori generali addatur clausula, *Non obstante ulla lege priori contraria*; quia non censetur contraria lex prior specialis, quando utraque potest subsistere limitando posteriorem legem universalem. Contra vero, si lex prior sit generalis, & posterior illi contraria sit specialis, hæc illi derogat; quia alias esset inutilis, nec supponitur Princeps ignorare jus commune, ex eod. cap. 1. *de Const. in 6.*

Quæres secundo, An lex condita, v. g. ab Episcopo, & confirmata a Papa, possit abrogari ab eodem Episcopo, aut ejus successore, inconsulto Pontifice?

Respondeo, Quatuor esse hac in re sententias. Prima cum Barb. & Sanch. l. 8. *Matr.* d. 17. n. 30. negat, quia talis lex videtur esse Papæ, a quo confirmata est. Secunda cum Sylv. Rodr. & eodem Sanch. l. 3. *Dec.* c. 15. n. 6. affirmat, quia revera est lex Episcopi, & confirmatio, ut supponitur, facta est in ejus favorem, cui potest ipse renunciare, etiamsi, ut addit Sanch. in confirmatione apposita sit clausula, quod, quidquid in contrarium factum fuerit, irritum sit, quia potest Episcopus etiam huic clausulæ factæ in sui favorem, utpote accessoriæ, renunciare. Tertia cum Merol. c. 9. n. 17. distinguit; & negat, si confirmatio facta sit a Superiore ex certa scientia, quia, qui aliquid ex certa scientia confirmat, suum illud facere videtur ex cap. *Si Apostolica, de Præb. in 6.* sicut excommunicatio lata ab Episcopo, & confirmata a Papa ex certa scientia non potest ab Episcopo absolvi; affirmat vero, si confirmatio fuerit simplex, & in forma communi. Quarta

ta demum cum Suar. l. *6. de Leg.* c. 26. n. 66. Bon. & aliis communius, & probabilius sic distinguit: si confirmatio sit accidentalis, seu addatur mere ob quandam auctoritatem, & specialem splendorem, tunc potest revocari ab Episcopo sua lex: secus vero, si confirmatio sit essentialis, quatenus sine ea lex Episcopi non obligaret, vel si Pontifex sua confirmatione velit addere robur, faciendo illam suam. Hoc tamen debet constare; si enim non constet, præsumendum est primum.

Quæres tertio, An Legislator inferior possit condere legem contrariam legi Superioris, aut hanc abrogare pro territorio?

Respondeo, Duas esse hac in re sententias, Prima aliquorum apud Pal. qui, quamvis id negent de Legislatore Ecclesiastico, cum omnes Prælati inferiores habeant potestatem condendi leges immediate a Papa, & hic a Christo Domino: tamen affirmant de Legislatore Civili, quia Princeps supremus accepit potestatem condendi leges a communitate, quæ potuit sub ea conditione hanc potestatem transferre, ut, quoties expediens visum fuerit bono publico, abrogari ab inferiore leges communes, id possit efficere inferior. Secunda est Suar. l. *6. de Leg.* c. 26. Pal. & aliorum communiter docentium, nullum inferiorem posse legem Superioris abrogare, nisi expresse ab eo data sit illi talis facultas, quia Reges ipsi non acceperunt facultatem condendi leges a Communitate ipsi Communitati subordinatam: diximus proinde, quod possit Rex cogere Communitatem ad suam legem acceptandam, aliter non Princeps, sed Populus esset Superior. Cæterum inferiores habent ab ipsis Superioribus potestatem dispensandi in eorum legibus, ut Episcopi habent a Papa, justa dicenda disp. 4., cum id expediat bono communi, & dispensatio, cum fiat ad unum, vel ad alterum casum, non ita vulnerat legem, sicut vulneraret abrogatio, vel derogatio. Quare, si aliquando lex communis non expedit bono Provinciæ, petenda est a Superiore abrogatio, & interim lex servanda est, nisi manifeste constet, vel saltem probabile sit, non potuisse, vel noluisse Superiorem pro tali occasione obligare, ut dictum est de epikeja.

DISPUTATIO III.

De Consuetudinibus.

CONSUETUDO est effectus usus, seu facti frequentis, ideoque dicitur consuetudo juris orta ex consuetudine facti, & potest esse triplex, vel scilicet præter legem, vel contra legem, vel juxta legem; ideoque tres quæstiones continet præsens Disputatio: *I.* est De Consuetudine præter legem: II. De consuetudine contra legem: III. De Consuetudine juxta legem.

QUÆSTIO I.

De Consuetudine præter Legem.

CONSUETUDO præter legem dicitur ea, quæ neque est contra, neque juxta aliquam legem; ideoque vi sua tantum habet obligare. Videndum ergo I. Quid sit consuetudo obligatoria? II. Quinam sint ejus effectus?

CAPUT I.

Quid sit Consuetudo Obligatoria?

EST *Jus rationabile legitimo tempore præscriptum, moribusque perfectæ Communitatis volentis se obligare, & consensu Principis inductum.* Ita Doctores communiter ex cap. *de Constit. in 6.* Ex qua definitione colligitur, sex conditiones requiri, ut consuetudo aliqua obliget. I. Ut sit rationabilis. II. Ut sit introducta a Communitate. III. Ut sit introducta per actus frequentes. IV. Us sit introducta animo se obligandi. V. Ut sit introducta diuturno tempore. VI. demum, ut adsit consensus Principis. De quibus seorsim est hic agendum. Itaque

Quæres primo, Quæ dicatur consuetudo rationabilis?

Respondeo, Esse illam, quæ est conformis rationi, atque adeo de re honesta, & utili communitati, quia aliter non esset habenda pro lege obligante, sed esset potius corruptela. In dubio autem, an consuetudo aliqua sit rationabilis, & expediens bono communi, præsumendum est, ita esse, quia semper in favorem consuetudinis introductæ firmandum est: Suar. l. *7. de Leg.* c. 6. n. 15.

Quæres secundo, An requiritur, ut sit introducta a Communitate?

Respondeo affirmative. Quia consuetudo obligatoria dicitur lex non scripta, differtque a lege scripta per hoc, quod hæc habeat initium a voluntate Legislatoris, illa vero a voluntate Communitatis. Hinc nulla persona privata, imo neque Princeps ipse, qui cæteroqui habet potestatem ferendi legem, potest suis moribus consuetudinem introducere. Similiter nec satis est ad eam introducendam Communitas imperfecta, ut est Familia, sed requiritur Communitas perfecta, hoc est ea, cui imponi possit lex, quia sia ejus consuetudo ex consensu Principis evadit lex: hinc Clerus hujus Civitatis introducere possit consuetudinem obligantem solos Clericos, quæ proinde dicitur Canonica: & Populus introducere potest consuetudinem obligantem solos laicos, quæ proinde dicitur civilis: si autem introducatur a Clericis & Laicis simul, obligat utrosque, & dicitur etiam civilis; quia sic Clerici reputantur, quasi Cives, & pariter Reipublicæ civilis. Similiter Communitas Monialium potest introducere consuetudinem obligatoriam ipsarum: Communitas Mercatorum introducere potest consuetudinem obligatoriam quasi Municipalem, &c. Suar. Bon. Pal. aliique communiter.

Quæres tertio, An requiratur multiplicitas, & frequentia actuum?

Respondeo affirmative, Quia debent actus poni ab ipsa Communitate, adeoque requiritur, ut multi uniformiter operentur; Non est tamen necesse, ut omnes, sed requiritur, ut major pars illius Communitatis sic operetur, quia sic tota illa Communitatas censetur in talem consuetudinem consentire. Requiritur insuper, ut major pars Communitatis frequenter sic operetur: quare non sufficit, si semel, aut bis, quia ex *l. Item, ff. de Jurejur. Quod semel, aut bis fit, non dicitur fieri frequenter.* Ea ergo frequentia necessaria est, ut ostendat usum jam introductum, populique in hoc consensum, quod aliquando pluribus, aliquando paucioribus vicibus manifestari potest. Quare ad inducendam v. g. consuetudinem obligantem, ut aliquis dies celebretur tanquam festivus, requiritur saltem decem vices, nempe ut major pars Communitatis decem annis illum diem coluerit, ut festum: & sic proportionaliter in aliis materiis, quod prudentium judicio est relinquendum.

Quæres quarto, An requiratne, ut dicti actus positi sint a Communitate ex intentione se obligandi?

Respondeo affirmative, Quia, sicuti ad legem ferendam requiritur in Legislatore voluntas obligandi Subditos; ita ad inducendam consuetudinem obligatoriam requiritur in majori saltem parte Communitatis voluntas se per eam obligandi. Hinc sequitur primo, quod tales actus debeant esse voluntarii, & liberi; si enim per vim, aut metum gravem ponantur, non censetur Communitas velle se per eos obligare. Secundo, Ut ponantur scienter, & non ex ignorantia, aut errore circa substantiam consuetudinis, cum nihil sit magis voluntario contrarium, quam ignorantia, & error; ideoque, si Populus falso credat latam esse aliquam legem, eamque diu observet, non ideo inducet unquam consuetudinem vi sua obligantem, quia tales actus non sunt positi ex intentione inducendi novam obligationem, sed ex errore servandi legem putatam. Similiter, si major pars Communitatis ponentis tales actus constet ex pueris, amentibus, furiosis, &c. non inducitur consuetudo obligans, quia obstat eorum ignorantia, &c.

Quæres quinto, Quanta temporis diuturnitas requiratur, ut consuetudo tandem obliget?

Respondeo cum Suar. l. 7. *de Leg.* c. 8. Bon. & aliis, regulariter requiri decennium; quia ex *l. 1. cod. Quæ sit longa Consuetudo* requiritur longum tempus; & ex *l. Super longi temporis, ff. de Præscript.* longum tempus censetur decennium: ergo nonnisi post decennium consuetudo evadit legitime præscripta, ita ut obliget. Requiritur etiam, ut tale decennium non sit interruptum; si enim usus intra tale tempus interrumpatur, jam non durat decennium: censetur autem interrumpi, si major pars communitatis contra agat, etiamsi id semel fiat, vel si contradicat Princeps.

Quæres demum, An requiratur consensus Principis?

Respondeo affirmative, quia Communitas non habet potestatem se obligandi, sed eam transtulit in Principem: ergo nonnisi ex ejus consensu se obligat per consuetudinem. Noto tamen cum D. Th. Sanch. Bon. & aliis contra

tra Vasq. Ledes. & elios, non requiri essentialitec consensum Principis personalem, sed satis esse genericum, seu juridicium, qui scilicet est in jure eapressus, utcumque Princeps ignoret, induci hanc, vel illem consuetudinem, quia *l. De quibus, ff. de Leg.* & cap. ult. *de Consuet.* statuitur, ut quævis coosuetudo rationabilis habeat vim legis, modo sit legitimo tempore præscripta.

C A P U T II.

Quinam sint effectus Consuetudinis Obligatoriæ?

CERTUM est ejus effectum esse obligare, sive ad culpam, sive ad pœnam, sive ad utrumque simul, & quidem sub gravi, vel sub levi, quod totum pendet ex animo, quo se obligavit communitas, eam introducendo. Ut discernatur autem talis animus, aliquæ sunt conjecturæ apud Suar. l. 7. c. 55. n. 13. Primo, Si consuetudo sit rei gravis, & difficilis, signum est, introductam esse animo se obligandi, & quidem sub gravi, quia non facile habetur uniformitas populi in actibus difficilibus sine ulla obligatione. Secundo, Si Populus scandalizetur a non observantibus consuetudinem, & viri timorati communiter male de iis sentiant. Tertio, Si illos Prælati, & Superiores puniant. Quarto, Si talis consuetudo multum conferat bono communi. Quinto demum, Si sit firma persuasio communis, & communis Doctorum sensus, de tali, vel tali, obligatione: ubi etiam nota, quod, quamvis olim non fuerit animus se obligandi, si tamen nunc sit firma communis persuasio obligationis, obligatio certo subsistit: sicuti certe teneris honorare aliquem, quem persuasum habes, esse tuum patrem, etsi ille forte revera non sit, & ratio a priori est, quia ad certam obligationem sufficit persuasio quædam moralis, etsi illa forte sit falsa. Contra vero in dubio præsumenda est consuetudo introducta esse non ea obligatione, sed ex devotione, liberalitate, &c. quia nemo præsumitur velle sibi onus imponere, nisi id constet: & similiter in dubio, an consuetudo obliget sub mortali, an sub veniali, censeodum sub veniali, &c.

Infers primo, Esse obligatorias in conscientie, & quidem sub gravi, Consuetudines jejunandi Vigilia Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, Omnium Sanctorum, S. Laurentii, & Quatuor Temporum, ex consensu communi Fidelium, & Doctorum. Putant tamen aliqui, consuetudines immemorabiles in Ecclesia retentas, institutas esse auctoritate Apostolorum, juxta illud D. Aug. cap. 24. contra Donatistas. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*: talis est consuetudo Ecclesiæ Latinæ consecrandi in Azymo, proferendi in Consecratione, & in Baptismo verba consueta, de quibus non repetitur præceptum scriptum: sicut etiam consuetudo admiscendi aquam cum vino in consecratione Calicis, de qua habetur obligatio ante omnem Canonem, teste Suar. Sicuti etiam ante Tridentinum consuetudo confitendi mortalia ante Communionem obligabat, uti & consuetudo, quod laici Communionem accipiant a Sacerdotibus, & hi a seipsis.

Infers secundo, Consuetudinem abstinendi ab ovis, ec lacticiniis in Quadragesima esse obligatoriam sub gravi, ex Prop. 32. damnata ab Alex. VII. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget*; &, quamvis in hac propositione non damnetur exprese, quod non obliget sub gravi, tamen id evidenter constat ex firme persuasione Fidelium, & unanimi Doctorum consensu: ea quo etiam constat, consuetudinem hanc obligare etiam in Dominicis Quadragesimæ, quidquid sit, an fuerit olim introducta animo se obligandi, &c. Vide Sanch. l. 1. *Consil.* c. 1. d. 19.

Infers tertio, Consuetudinem abstinendi ab ovis, & lacticiniis in aliis jejuniis extra Quadragesimam non esse obligatoriam pro tota Ecclesie. Nam communis sententia apud Sanch. d. 20. contra Covar. & Gom. docet, id non prohiberi jure communi scripto: & secundum eundem Sanch. d. 20. Consuetudo in Hispania est dubia; ideoque non est obligatoria. Cæterum, si alicubi talis consuetudo sit immemorabilis, & communiter timorati eam, ut obligatoriam servant, ex communi persuasione, quod sit obligatoria, procul dubio ea ibi debet esse talis, etsi ignoretur, an fuerit introducta a populo animo se obligandi, juxta dicta cap. antecedenti; ideoque Dian. in *Summ.* v. *Jejunium* ait, eam in Sicilia vivere sub mortali receptam etiam apud Regulares; at, si alibi non habet tales characteres, ibi non obligat.

Infers quarto cum eodem Dian. p. 5. t. 14. r. 3. Sanch. & alis, Religiosos non obligari ad servandas consuetudines Municipales secularium, imo nec Clericorum, nisi forte eas acceperint etiam, ut obligatories, quia, cum sint diversi eorum status, diversæ sunt pariter consuetudines, abstinentiæ, &c. Similiter multi docent, Clericos non teneri servere Consuetudines obligatorias laicorum; quamvis id negent Suar. & Pal. apud eund. Dian., eo quod Clerici non eximantur ab jurisdictione Episcopi, a quo tales consuetudines vim habent, ut sint obligatoriæ.

Q U Æ S T I O II.

De Consuetudine contra Legem.

CONSUETUDO contra legem dicitur illa, quæ vel legem scriptam, vel consuetudinem aliam præcedentem tollit sive in totum, sive in partem: si in totum, dicitur Abrogatoria: si in partem, derogatoria. Videndum ergo hic I. Quæ sint conditiones Consuetudinis Abrogatoriæ, seu Derogatoriæ? II. Qui sint ejus effectus?

C A P U T I.

Quæ sint Conditiones Consuetudinis Abrogatoriæ, seu Derogatoriæ?

SUNT fere eædem, ac conditiones requisitæ ad consuetudinem obligatoriam, de quibus dictum est q. 1. c. 1. Illud speciale habet consuetudo abrogatoria, quod non possit abrogare legem, vel consuetudinem præcedentem, nisi sit ei positive contraria, hoc est per positivam ejus violationem, & non per meram ejus desuetudinem, seu non usum; nam, si casus legis nunquam acciderit, adeoque lex nunquam violata fuerit, non ideo est abrogata.

Hinc quando Jurisperiti dicunt, per desuetudinem abrogari legem, intelligendi sunt de desuetudine violative legis, seu de præciso ejus non usu, eo quod nunquam casus legis acciderit, v.g. in *l. Quæritur, ff. de Statu Hominum*, statuitur, Hermaphroditum magis ejus generis æstimandum, quod in eo prævalet; jam vero, si per 100. annos non accidat casus, quod reperiantur Hermaphroditi, non idcirco censetur derogatum tali legi: contra vero censetur derogatum, si decem annis reperiantur duo, vel tres casus, in quibus sciente Principe contrarium decernatur. Similiter lex v.g. de aliqua supplicatione solemni quotannis non abrogatur, si per decem annos impedita fuerit incursione hostili; abrogatur vero, si libere per decem annos omissa fuerit, quia hic, non ibi habetur desuetudo violativa legis, seu consuetudo contraria.

Requiritur secundo, Ut talis consuetudo sit rationabilis; ubi etiam nota, non requiri, ut sit rationabilis ab initio sui, quia, cum tunc lex opposita vigeat, consuetudo illi contraria non potest esse rationabilis: sufficit ergo, si decursu temporis ita mutentur res, ut censeatur expediens, & utilis bono communi, quare rationabilis evadit, si multo tempore perseveret; quia tunc expediens censetur, legem abrogari, ne ulterius culpa progrediatur, & communitas ad observantiam rei difficilis adstringatur, & in hoc sensu dici potest talis consuetudo bono communi expediens; unde etiam infertur, non peccare posteros tenentes consuetudinem abrogatoriam a majoribus introductam; utpote legitime præscriptam; quamvis illi, qui eam contra legem introduxerunt, peccaverint toto eo tempore, quo consuetudo nondum inoleuit: Sanch. l. 7. *Matr.* d. 4. n. 14. Suar. Bon. & alii.

Requiritur tertio diuturnitas temporis, & quidem ut abroget legem civilem sufficit decennium non interruptum, juxta dicta loc. cit. Ut abroget legem Ecclesiasticam, Azor. Mol. Lop. & alii requirunt 40. annos, uti dicitur de præscriptione rerum Ecclesiasticarum; sed probabilius sufficiet etiam decennium, ut docet Suar. l. 7. c. 8. Bon. & alii. Neque obstat paritas præscriptionis, quia consuetudo etiam abrogatoria non præscribit contra Legislatorem, sed potius ex ejus tacito consensu legem abrogat; nisi vero introducentes talem consuetudinem ab eo puniantur, quia tunc interrumpitur ex dictis decennium.

Requiritur quarto aliqua frequentia actuum contra legem,

gem., & quidem, si hi ponantur inscio Legislatore, requiritur, ut pluries v. g. decies occurrente casu intra decennium contra legem agatur, nisi vero hi actus ponantur in judicio: tunc enim pauciores sufficiunt, cum majorem vim habeant. At, si actus ponantur sciente, & sponte non contradicente Legislature, Bartol. & Rodr. apud Sal. d. 15. s. 6. putant, sufficere duos, vel tres actus communitatis legi contrarios; at, licet sic sufficiat ad non acceptandam legem, si initio ponantur, non tamen ad abrogandam.

Requiritur quinto, Ut tales actus positi sint a majori saltem parte Communitatis, ut sint positi a scientibus legem, itaut, si Communitas ignoret legem, & contra illam operetur etiam longo tempore, nunquam dici possit lex illa abrogata; non tamen requiritur, ut tales actus sint boni, aut indifferentes, quia, cum ponantur scienter contra legem, fere semper sunt mali; possunt tamen aliquando esse non mali, cum scilicet excusantur ob magnam difficultatem observandi legem: Sal. s. 5.

Requiritur sexto Consensus Legislatoris; qui tamen probabiliter sufficit etiam, si sit genericus, & juridicus, juxta dicta loc. cit. Neque hinc sequitur, quod consuetudo hæreticorum abrogavit leges Ecclesiasticas jejuniorum, &c. apud ipsos; ideoque non peccare non servando jejunia, &c. Nam relate ad hæreticos non habetur consensus ille generalis Pontificius approbativus suarum consuetudinum; cum non præsumatur Ecclesia in illas consentire; sunt enim ei rebelles, nec ullum hac in re favorem, ac benignitatem merentur. Cæterum, si Legislator in sua lege, vel aliter exprimat, se nolle approbare consuetudinem in contrarium, tunc certe hæc illam non abrogabit, cum desit consensus Principis, juxta mox dicenda.

CAPUT II.

Qui sint effectus consuetudinis Abrogatoriæ, seu Derogatoriæ?

CERTUM est, quod nulla consuetudo, quantumcumque immemorabilis, abrogare possit, vel minimum derogare legi naturali, utpote necessariæ; neque legi divinæ positivæ, quia Divinus Legislator, cum perfectissime noverit quid expediat bono suarum creaturarum, non censetur consentire in abrogationem suæ legis: item consuetudo abrogans jus gentium est moraliter impossibilis, cum illud sit valde consonum inclinationi naturali, adeoque fere immutabile. Solum ergo consuetudo abrogare potest legem humanam sive civilem, sive Ecclesiasticam: & ratio est, quia quivis Legislator humanus censetur consentire in abrogationem suæ legis, utpote qui ex repugnantia Communitatis ad ei obediendum, potest melius discernere, quid bono Communitatis expediat, & sic re melius cognita mutare legem suam. Atque hæc doctrina communiter intelligitur non solum de lege præcipiente, sed etiam de lege pœnali, ex cap. ult. *de Consuet.*, & ex *l. Sed et*, *ff. de Legibus*.

Quæres primo, An consuetudo abrogare possit solum pœnam legis humanæ, relicta obligatione ad culpam, & e converso?

Respondeo affirmative; Ratio primæ partis est, quia, quamvis transgressioni legis humanæ debeatur pœna, non tamen hæc pœna determinata, cum potuerit alia imponi, vel relinqui arbitrio Judicis imponenda: ergo optime potest consuetudo pœnam abrogare in lege positam, manente legis obligatione; sic in Extravag. 1. *de Reb. Eccl. non alien.*, & in *Clem. Ambitiosæ*, *eod. tit.*, & alibi, variæ pœnæ sunt impositæ, quæ jam usu cessarunt, manente legis obligatione. Ratio secundæ partis est, quia dari possunt leges pure pœnales, quæ solum ad pœnam obligent, & non ad culpam theologicam: ergo etiam consuetudine hoc ipsum introduci potest: excipe, nisi pœna talis conditionis sit, ut per se supponat culpam, ut sunt censuræ, quæ nonnisi contumacibus imponuntur: Suar. l. 7. c. 19. n. 12.

Quæres secundo, An consuetudo abrogare possit legem irritantem actus contractus, &c.?

Respondeo affirmative; Quia, si per novam legem id fieri potest, non est, cur non possit per novam consuetudinem, quæ succedit loco legis. Hinc Sanch. l. 7. *Matr.* d. 5. p. 11. & 14., & alii inferunt, posse per consuetudinem abrogari aliquod impedimentum dirimens matrimonium; sicuti potest per consuetudinem novum impedimentum induci: neque obstat, quod cap. *Super his*, *de Consanguin.*, & *Affinit.*, dicatur, *Inter gradus prohibitos ne contrahatur matrimonium, non obstante consuetudine, quæ dicenda est corruptela*; Nam loquitur de consuetudine non legitime præscripta; non vero de consuetudine rationabili, & legitime præscripta, quæ esse potest, etiamsi a privilegio reprobata fuerit, ex mox dicendis.

Quæres tertio, An possit consuetudo abrogare legem prohibentem consuetudinem contrariam, dicendo v. g. *Non obstante consuetudine in contrarium?*

Respondeo affirmative cum Pal., Bon., & aliis communiter contra Mol., Sal., & alios; dummodo res ita mutetur, ut prudenter censeatur, quod Legislator consentiat tali abrogationi per consuetudinem jam inductam, & ratio est, quia, sicut in generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie non esset verosimiliter concessurus, ex *Reg.* 81. *Jur. in 6*, ita neque in generali prohibitione veniunt ea, quæ quis in specie non esset verosimiliter prohibiturus. Hinc, si lege reprobatur consuetudo contraria, præcise ob periculum alicujus damni, si cesset tale periculum, poterit talis lex per consuetudinem oppositam abrogari, quia cessat causa, ob quam consuetudo contraria reprobata sit, tanquam corruptela. Contra vero, si reprobetur consuetudo contraria ob intrinsecam ejus malitiam: sic lex de non trahendis Clericis ad forum Laicale non potest contraria consuetudine unquam abrogari, quia per talem legem reprobatur consuetudo contraria, quæ nunquam evadere potest rationabilis, & Reipublicæ conveniens. An autem Clausula illa universalis *Non obstante consuetudine contraria* improbet tantum consuetudinem præteritam, an etiam futuram? Dubium est apud Doctores. Azor., & alii putant, quod improbat solum præteritam; Sanch. tamen l. 1. *Matr.* d. 4., Pal., & alii probabiliter dicunt, improbare etiam futuram, quia, quamvis improbare consuetudinem sit odiosum, tamen est legi, & Legislatori favorabile, & ideo extendenda sunt etiam ad consuetudinem futuram, & quamvis potuisset clarioribus verbis Legislator id exprimere, & aliquando etiam expresserit, tamen satis probabile est, ita sentire etiam, quando non ita exprimit; sic, dum c. *Cum inter*, *de Consuet.* irritatur consuetudo non servandi interdictum generale, communiter intelligitur etiam de consuetudine futura. Cæterum, quando lex verbis generalibus improbat omnem consuetudinem contrariam, non intelligitur de consuetudine immemorabili, nisi aperte dicatur, *Etiam immemorabili*, quia, ut notat Bon., Consuetudo immemorabilis sæpe traxit originem ex privilegiis, & ideo non debet in generali nomine consuetudinis reprobari. Item lex generalis non abrogat consuetudines particulares contrarias, nisi faciat earum mentionem, aut in genere reprobet omnem consuetudinem contrariam, quia secus censetur, quod Legislator non habeat earum notitiam, adeoque non velit eas reprobare, ex cap. 1. *de Constit. in 6.* Contra vero lex particularis abrogat consuetudinem præteritam probabiliter contrariam, etiamsi non faciat ejus mentionem; quia Legislator saltem non supremus (nam de supremo probabile est oppositum apud Suar., Bon., & alios) condens legem particularem non præsumitur ignorare consuetudinem particularem contrariam.

Quæres quarto, An & Quomodo abrogari possit ipsa consuetudo?

Respondeo, Abrogari posse, vel per novam legem expressam, vel per novam consuetudinem contrariam. Per legem non abrogatur, nisi clare, & ex diametro ei opponatur; imo, si verba legis possint restringi ad hoc, ut non censeatur abrogata consuetudo, restringenda sunt, cum juris correctio, quoad fieri potest, vitanda sit, ex *l. Præcipimus*, cap. *de Appellat.* Per novam consuetudinem contrariam neque abrogatur vetus consuetudo præscripta, nisi etiam clare ei opponatur, & sit legitime præscripta, scilicet post ejus decennium, ut dictum est.

QUÆSTIO III.

De Consuetudine juxta Legem.

CONSUETUDO juxta legem est, quæ legem interpretatur; si enim consuetudo vim habet introducendi legem, & abrogandi illam, a fortiori habere debet vim interpretandi legem jam latam: hinc cap. *Cum dilectus*, *de Consuet.* dicitur, *Consuetudo optima legum interpres*.

De interpretatione legis dictum est d. 2. q. 1. c. 3. Illud unum hic remanet adnotandum, quod consuetudo, si nondum sit legitime præscripta, non est interpres legis, nisi mere doctrinaliter, ac probabiliter: sicut Doctores

solent

solent legem interpretari, altiori tamen ratione, eo quod plures in unum conveniant. At, si talis consuetudo sit legitime præscripta juxta conditiones consuetudinis supra relatas, tunc ejus interpretatio dicitur authentica, & ab omnibus servari debet, utpote quæ vim legis habet.

DISPUTATIO IV.

De Dispensationibus.

QUATUOR Quæstiones continet hæc præsens Disputatio: I. est De Natura Dispensationis, & Potestatis dispensandi: II. De Petitione Dispensationis: III. De Rescripto Dispensationis: IV. De Cessatione Dispensationis, & Potestatis dispensandi.

QUÆSTIO I.

De Natura Dispensationis, & Potestatis dispensandi.

VIDENDUM I. Quid sit Dispensatio, & Potestas dispensandi? II. Quis habeat Potestatem dispensandi? III. Circa quos exerceri possit Potestas dispensandi? IV. An ad dispensandum requiratur causa?

CAPUT I.

Quid sit Dispensatio, & Potestas dispensandi?

DISPENSATIO ex cap. *Dispens.* 1. qu. 3. dicitur *Juris relaxatio*, hoc est exemptio alicujus a Legis obligatione; quare Dispensatio est contra Legem, &, ut loquitur D. August. cap. *Ipsa pietas* 23. q. 4. est *Valnus Legis*. Differt ergo primo a Permissione, quia hæc proprie non eximit ab obligatione Legis, sed tantum dissimulat ejus executionem: sic Deus permittit peccata, non tamen in illis dispensat. Differt secundo a Licentia, quia hæc non est contra, sed potius juxta Legem, cum ponat conditionem a Lege requisitam, ne scilicet fiat aliquid sine licentia. Differt tertio a Privilegio, quia hoc nec semper est contra legem, nec ad unum tantum actum; Dispensatio vero semper est contra legem, & pro uno tantum actu. Differt quarto ab absolutione, quia hæc implet potius legem, cum lex ipsa jubeat, ut rite dispositus absolvatur: nunquam vero, ut dispensetur; & ideo dicitur quis absolvi a censuris, dispensari vero in irregularitate.

Quæres primo, An dispensatio sit stricte interpretanda?

Respondeo affirmative, quia exorbitat a jure communi, & est odiosa legi, quam vulnerat. Neque obstat, quod dispensatio sit Principis beneficium, quod ex *l. Beneficium, de Constit. Princ.* latissime est interpretandum; nam id verum est, quando beneficium Principis est præter, non autem quando est contra jus commune, uti est dispensatio: ideoque Sanch. Sal. & alii communiter contra Heor. Nav. Rodr. ap. Merol. d. 4. c. 4. & 6. docent, verba dispensationis non solum non posse ampliari ultra proprietatem naturalem, sed debere aliquando strictius sumi, quia *Reg. 16. Jur. in 6.* non dicit, odia non esse amplianda, sed esse restringenda, adeoque etiam citra proprietatem naturalem.

Hinc dispensatus ad beneficia intelligitur solum ad beneficia simplicia, & probabiliter etiam ad pensiones, utpote aliquid minus, ut addit Tamb. contra Sanch. non aut ad beneficia curata, ad dignitates, ad beneficia electiva, nec ad Canonicatus Cathedralis: & similiter dispensatus ad beneficia secularia non intelligitur ad regularia, etiamsi ipse fiat regularis; & dispensatus in uno genere determinato v. g. ad dignitates, non intelligitur ad beneficia curata, quia dignitas per se non includit curam animarum, unde etiam dispensatus ad Ecclesiam Parochialem non intelligitur ad Parochialem Collegiatam, quæ habet qualitatem Collegii supra Parochiam: & dispensatus generatim ad dignitates non intelligitur ad Episcopatum, quia hoc est culmen dignitatis: Azor. Barb. & alii contra Merol. Addit tamen Tamb. contra Sanch. l. 8. *Matr.* d. 1. quod dispensatus ad beneficium majus probabiliter intelligitur etiam ad minus: sicuti dispensatus ad Diaconatum, intelligitur etiam ad Subdiaconatum, ex Sayr. & aliis communiter.

Dispensatus ad Clericatum intelligitur tantum de prima Tonsura, ut docent Merol. quamvis Sanch. probabiliter putet, intelligi etiam de Ordinibus Minoribus. Dispensatus ad Ordines, ex vi Juris intelligitur tantum ad Ordines Minores, quia reliqui appellari solent cum addito *Ordines Sacri*; ex stylo tamen Curiæ Romanæ intelligi etiam solet de Ordinibus Sacris, quia Pontifex nunquam solet dispensare, nisi ad omnes Ordines, teste Suar. Dispensatus autem ad Sacros Ordines, non intelligitur dispensatus ad Beneficium Curatum, aut ad Dignitatem, quia sine his conferri potest Ordo; intelligitur tamen dispensatus ad Beneficium simplex, quia Ordo Sacer ex Jure conferri debet titulo Beneficii, & solum ex dispositione Episcopi confertur titulo Patrimonii, ex Trid. *sess.* 21. *c.* 2.

Quæres secundo, An Dispensatio aliquando sit late interpretanda?

Respondeo affirmative, & quidem in sex casibus. Primo, si motu proprio a Principe concedatur, quia tunc est magis voluntaria, quam si ad instantiam partis concedatur; ideoque dicitur tunc beneficium Principis omni ambitione carens, ex cap. *Si motu proprio, de Præb. in* 6. addit Merol. cum communi, quod, quamvis ab impetrante petita sit, si tamen Princeps dicat, se motu proprio illam concedere, adhuc late est interpretanda, quia Princeps illis verbis significat, se non ulla petitione, sed proprio motu ductum eam concessisse.

Secundo, Si sit in corpore Juris clausa, quia tunc præsumitur motu proprio concessa, & habet vim Legis, ideoque latam patitur interpretationem, nisi vero præjudicium inferat tertio, ut bene notant communiter; nam etiam Privilegia in corpore Juris inserta, ex ea parte, qua tertio præjudicant, stricte interpretanda sunt.

Tertio, Si concedatur Communitati, v. g. Religioni; tunc enim ample interpretanda est, tanquam favorabilis Religioni, etiamsi deroget Juri communi, quia, quando conceditur Communitati in perpetuum, æquiparatur Legi insertæ in corpore Juris, seu Constitutioni perpetuæ, & est Privilegium potius, quam Dispensatio; Merol. d. 4. c. 6. ex Suar. Ex quo infert Sanch. l. 8. Matr. d. 1.; Dispensationem concessam Beneficiato de percipiendis fructibus in absentia ratione studii Theologiæ, extendi etiam ad studium Juris Canonici, & probabiliter ad alia studia, modo pro iis eadem ratio militet.

Quarto, Si concedatur a Principe tanquam debita, seu ob necessitatem occurrentem, quia tunc est favor debitus causæ; ideoque dilatandus. Unde dispensationes, quæ fiunt ex necessitate, vel ex utilitate Ecclesiæ, utpote ex Juris debito manantes, amplandæ sunt.

Quinto, Si dispensatio sit in Statuto, seu Consuetudine particulari contraria Juri communi, est amplianda, quia reducitur ad Jus commune, quod est favorabile. Infert hinc Merol. d. 2. c. 6. n. 28. cum aliis, ampliandas esse Dispensationes Matrimoniales in Impedimentis, &c. quia per illas redimus ad Jus Naturæ concedentis amplissimam Libertatem in Matrimoniis. Sed hinc sequeretur, omnem Dispensationem esse ampliandam, cum semper reducat ad Jus Naturæ, quæ fecit Homines liberos. Cæterum Jus Naturæ non præcipit, sed solum permittit Matrimonia. v. Tamb. *De Dispens. Impedim.*

Sexto, Si Dispensatio evaderet illusoria, nisi ampliaretur. Unde infert Mol. cum aliis contra Covar. quod Dispensatio a Pontifice data Episcopis ad testandum, quamvis extendi non debeat ad causas profanas, extenditur tamen ad pluries testandum; quia secus esset contra Testamenti naturam, quod de se est revocabile usque ad mortem. Similiter dispensatus ad plura Beneficia, censetur etiam dispensatus, ne in utroque residere debeat: Dispensatus ad Beneficium Parochiale ante ann. 23. censetur etiam dispensatus, ne intra annum recipiat Sacerdotium. Contra vero dispensatus ad non residendum, non censetur hoc ipso dispensatus ad percipiendos fructus Beneficii debitos Residentiæ, quia hæc duo sunt separabilia. Subdiaconus, vel Monachus dispensatus ad Matrimonium, secundum Sanch. l. 8. Matr. d. 8. contra Azor. censetur etiam dispensatus a recitatione Officii, quia status Matrimonii videtur incompossibilis cum obligatione Officii. Dispensatus ad ova in Quadragesima, secundum Sanch. d. 1. Laym. & alios contra Azor. Bon. & alios, censetur etiam dispensatus ad Lacticinia, quia in Jure hæc æquiparantur, & unica, atque individua est eorum prohibitio.

Quæres tertio, An Potestas dispensandi late sit interpretanda?

Respondeo, Potestatem dispensandi esse duplicem; altera

tera est Ordinaria, quæ scilicet alicui competit ex proprio munere, ut Papæ, Episcopo, aliisque Prælatis respectu suorum Subditorum: altera est Delegata, quæ scilicet alicui non competit ex proprio munere, sed ex delegatione, seu commissione alterius. Dico nunc, Potestatem dispensandi ordinariam late esse interpretandam, quia favorabile est in Republica, ut adsit talis Potestas: idemque est de Potestate dispensandi delegata generaliter pro Personis indeterminatis, ut si delegetur Confessario Potestas dispensandi v. g. in tali Voto quoscumque Pœnitentes, &c. quia sic se habet per modum gratiæ collatæ Confessario, & ideo in dubio latam habet interpretationem: at si conferatur in gratiam Personæ determinatæ, cum qua dispensandum est, tunc habet rationem potius Dispensationis inchoatæ, & ideo est restringenda; idemque est, si vergat in præjudicium tertii, quia non præsumitur, quod Princeps velit alteri præjudicium inferre: Sanch. d. 2. Suar. l. *6. de Leg.* c. 10.

Quæres quarto, Quomodo inter se differant Potestas dispensandi, irritandi, & declarandi exemptum a Lege?

Respondeo, Differre in hoc, quod Potestas dispensandi est Jurisdictionalis, quæ scilicet competit Superiori, qua tali, vel alteri ex illius delegatione: Potestas irritandi est tantum denominativa, quæ scilicet competit Domino, Patris, Marito, &c. Potestas declarandi est tantum interpretativa Voluntatis Legislatoris, quæ scilicet competit Medico, &c. hinc in eadem obligatione Jejunii Superior potest dispensare cum Subdito, Maritus potest etiam irritare relate ad Uxorem, & Medicus potest declarare, aliquem v. g. non esse obligatum: itaque hæc tria eundem quidem effectum habent eximendi ab obligatione, sed differunt in hoc, quod procedant a Facultatibus diversis, itaut Superior dicatur dispensare, Maritus irritare, Medicus declarare, aliquem esse exemptum.

Quæres quinto, In quo differant Potestates dispensandi, & commutandi, & an, qui potest primum, possit & alterum?

Respondeo, differre in hoc, quod illa potest tollere simpliciter obligationem Legis; hæc vero potest commutare unam obligationem in aliam, & quidem certum est, quod Legislator habeat utramque Potestatem. Dubium ergo solum est, An Delegatus habens Potestatem dispensandi in Lege Superioris, habeat hoc ipso Potestatem etiam commutandi, in quo etiam videtur certum, non habere, si sit Delegatus ad dispensandum in casu particulari cum Persona determinata, v. g. ex Rescripto Datariæ, aut Pœnitentiariæ; quia sic tenetur dispensare, cum Persona illa acquisierit jus ad Dispensationem, quæ proinde non potest in aliud onus commutari, nisi expresse hoc etiam committatur; unde etiam fit, quod si in tali casu dubium sit, an causa dispensandi sit sufficiens, nihil omnino possit Delegatus, quia talis Potestas ex dictis stricte est interpretanda. Si autem sit quis Delegatus ad dispensandum cum Personis indeterminatis, uti ex dictis est Episcopus in aliqua Lege Pontificia, Confessarius Regularis in aliquo Voto, Juramento, &c. duplex est sententia. Prima cum Suar. l. *6. de Leg.* c. 18. Azor. & aliis docet, posse etiam commutare, quia cui licet, quod plus est, licet, quod minus est, ex *Reg. Jur. in 6.* atqui plus est dispensare, quam commutare: ergo, &c. hinc inferunt, posse Episcopum imponere v. g. recitationem Coronæ illi, cum quo dispensat in Lege Jejunii, observatione Festi, &c. similiter Judices Ecclesiastici, dum dispensant in Irregularitate, vel alio Impedimento Canonico in casibus sibi generaliter permissis, sæpe imponunt aliquam mulctam pecuniariam per modum cujusdam commutationis: similiter utuntur commutatione loco Dispensationis, quando dubitatur, an causa dispensandi sit sufficiens, & ratio ulterior ex dictis est, quia Potestas dispensandi cum Personis indeterminatis est amplianda.

Secunda sententia cum Sanch. l. 8. Matr. d. 14. & aliis communius negat, facultatem datam ad dispensandum in Lege Superioris includere per se facultatem ad commutandum, nisi exprimatur, quia per commutationem non solum tollitur una obligatio, sed imponitur alia, veluti per novam Legem, quod nonnisi Legislatori competit, qui solus potest suam Legem mutare in aliam, ex cap. *Licet de Feriis:* ergo major est Facultas commutandi, quam dispensandi in Lege, & consequenter hæc non includit illam. Dixi *In Lege*; Nam contra se res habet in Voto; cum enim Votum sit Lex a Vovente sibi imposita, & ab ipso pendeat acceptatio alterius oneris, sequitur, ut plus sit dispensare in Voto, quam commutare; & ideo qui potest dispensare in Voto, potest etiam imponere in ea Dispensatione aliquod onus, atque adeo Votum commutare; qui autem potest illud commutare, non hoc ipso potest dispensare.

Quæres, Quot modis exerceri possit Potestas dispensandi?

Respondeo dupliciter, vel scilicet tacite dispensando, vel expresse Verbo, aut Rescripto. Tacite concedi potest Dispensatio a quocumque habente Potestatem, etsi delegatam dispensandi per quodvis signum externum, modo adsit etiam Voluntas interna, Sanch. l. 8. Matr. d. 4. n. 16., sic si Prælatus præcipiat, vel concedat tibi actum, qui sine dispensatione, a te exerceri non potest, censetur tacite tecum dispensare, modo sciens id faciat: similiter, si videns, te disponi ad exercendum illum actum, & de facto operari, non impediat, cum facile possit, cum sic habeatur ratihabitio de præsenti; Sanch. l. 3. Matr. d. 35. n. 20. & alii, contra Glos. & alios: secus vero dicendum de ratihabitione de futuro, quia Voluntas futura, seu quæ esset, non est absolute Voluntas; ideoque non sufficit ad Dispensationem Legis, utpote stricte interpretandam, etsi sufficiat ad licentiam Legis, utpote late interpretandam: Pal. hic p. 13.

Expresse concedi potest Dispensatio quibusvis verbis eam significantibus, & quamvis non sit necessaria Scriptura, tamen regulariter ita fit, scilicet per Rescriptum, de quo agam q. 4. Unde etiam infertur, dispensari posse etiam eum absente, imo etiam eo ignorante, aut etiam nolente. Infertur rursum, Quod, ut valeat Dispensatio tibi absenti concessa absque tuo mandato, oportet, ut a te deinde acceptetur; quia gratia trahit secum imbibitam conditionem, si tibi placita, & grata existat, ex cap. *Per modum, de Concess. Præb.* Infertur demum, Validam esse Dispensationem expressam, ejusque executionem, etsi sit gravi metu extorta, quia metus non tollit Voluntarium simpliciter, & nemo præsumitur, aliter verba proferre, quam habet in animo, ex cap. *Humanæ* 22. q. 5.; unde dicemus in Tract. de Contr. etiam donationes metu gravi extortas esse validas, sicut & gestas per metum; exceptis aliquibus casibus jure positivo irritis, ut sunt Contractus Matrimoniales, & Absolutiones a Censuris, quod non est extendendum ad Dispensationes, utpote omnino diversas.

CAPUT II.

Quis habet Potestatem dispensandi?

CERTUM est, Legislatorem posse dispensare in sua Lege positiva, cum ab ejus Voluntate pendeat obligatio; & eadem ratio est de ejus Successoribus, & a fortiori de ejus Superiore pleno jure.

Quæres primo, An Deus dispensare possit in sua Lege?

Respondeo, Posse dispensare in sua Lege positiva, puta in Lege Baptismi, Pœnitentiæ, &c. At non posse directe dispensare in sua Lege Naturali, quia hæc est essentialiter immutabilis, & Deus nequit mutare essentias rerum: Doctores communiter contra Sanch. l. 8. Matr. d. 6. Dixi, *Non posse directe;* hoc est eximere aliquem a Lege Naturali in circumstantiis, in quibus ea obligat: cæterum potest dispensare indirecte, mutando scilicet materiam Legis Naturalis, & ponendo circumstantias, in quibus ea non obliget: sic cum dixit Oseæ, ut acciperet Mulierem fornicariam, non dispensavit directe, ut fornicaretur, hoc est, ut accederet ad non suam, sed tradidit ei dominium in illam; adeoque fecit suam: similiter dum dixit Israelitis, ut auferrent vasa Ægyptiorum, non dispensavit, ut furarentur, hoc est, ut auferrent res invito Domino, sed tantum indirecte, ipso supremo rerum Domino non invito: idem dic de Dispensatione cum Abraham de occidendo Filio, cum Hebræis in Polygamia, &c. si autem Lex Naturalis in omnibus circumstantiis obliget, ut Lex non mentiendi, non blasphemandi, non colendi falsos Deos, &c. in hac certe Deus dispensare nequit ne indirecte quidem, ut patet.

Quæres secundo, In qua Lege dispensare possit Papa?

Respondeo cum D. Th. & aliis communissime contra Abb. Fel. & alios apud Sil. d. 24. s. 1. In nullo Jure Divino sive naturali, sive positivo posse Pontificem dispensare, nisi ubi specialiter constet, ipsum Deum ei id concessisse. Ratio est, quia Inferior non potest in Lege Superioris dispensare, nisi ex ejus concessione. Hinc nullo pacto potest Pontifex dispensare, ut frangatur sigillum Confessionis Sacramentalis, ut Laicus in extrema necessitate Moribundum absolvat Sacramentaliter,

ut

ut Matrimonium consummatum dissolvatur, nec in Polygamia, nec in Impedimentis Juræ Naturæ Matrimonium certe dirimentibus, quæcumque urgeat necessitas; melius enim est, inquit Sanch. Leges illas integre servari, quam occurrere alicui raro casui, in quo expediret dispensare. Neque dicas cum aliquibus apud eundem, Inn. VIII. concessisse Saxonibus, ob summam Vini penuriam, sacrificare tantum in pane, ut refert Volaterran. Nam id negant Suar. l. 10. c. 8. Vasq. & alii, cum de tali facto non constet authentice; addit tamen Suar. posse Pontificem id permittere, non dispensando, sed declarando doctrinaliter, Jus Divinum non se extendere ad talem casum: similiter indirecte potest Pontifex dispensare in Votis, in Juramentis, in Sanctificatione Festorum, in Residentia, interpretando scilicet Dei Voluntatem cedere jure suo, quia expediens fuit, hanc potestatem a Deo committi in his, ex communi sensu Ecclesiæ: similiter dispensare potest in iis, quæ non sunt certo de Jure Divino, ut in Matrimonio rato, in Voto solemni Castitatis.

Directe autem dispensare potest Pontifex in omni Jure Pontificio etiam Conciliorum Generalium, imo etiam in Legibus Apostolicis Humanis, ut in Jejunio Quadragesimæ, in Observatione diei Dominicæ, in Bigamia, quia in Jurisdictione non est inferior Divo Petro, & aliis Apostolis, & a fortiori dispensare potest in quibusvis Legibus Prælatorum sibi Subditorum.

Hæc autem Pontificis Potestas dispensandi exercetur Romæ dupliciter: vel scilicet per seipsum in Dataria, seu Cancellaria publice, & pro utroque Foro, vel per suum summum Pœnitentiarium in S. Pœnitentiaria secreto, & fere pro Foro tantum Conscientiæ. Quare, quæ dispensatio obtineri nequit a S. Pœnitentiaria, petenda est a Dataria.

Quæres tertio, In quo dispensari possit S. Pœnitentiaria?

Respondeo, Dispensare posse, Primo, In omnibus Votis simplicibus (exceptis Votis Societatis Jesu post biennium Novitiatus emissis) etiamsi privato juramento firmatis, & in quibuscumque Juramentis, modo non fiat in præjudicium tertii; & in obligatione ad recitationem Divini Officii, commutando in alias preces, vel orationes; & in Dotibus piis distribuendis Virginibus tantum, pro Puellis, quæ ut Virgines habentur, licet non sint; & in rebus male ablatis, vel retentis, quando Domini sunt incerti, & res est occulta, pro aliqua parte retinenda Furi pauperi.

Secundo, Dispensare potest in quacumque Irregularitate occulta, nisi, quando agitur de Episcopatu, ea sit ex Homicidio voluntario, alioque gravissimo excessu: item dispensare potest cum male promotis occultis, sive per saltum, sive extra tempora, sive sine dimissoriis, modo periculum sit gravis scandali, sive cum promotis per simoniam occultam: item dispensare potest etiam Beneficia obtentis cum Censura occulta, aut cum Simonia occulta, ignoranter tamen contracta. Cum Regularibus autem dispensare potest in Irregularitate, Inhabilitate, privatione Vocis activæ, & passivæ, etiam in casibus publicis pro utroque foro (non tamen quoad Generalatum): item cum Bannitis, aliisque reis etiam publicis ad ingrediendum in Religionem, & post professionem, ad Sacros Ordines.

Tertio, Dispensare potest in Impedimentis Matrimonii occultis, excepta Consanguinitate, Affinitate ex copula licita, & Cognatione Spirituali pro Matrimoniis contrahendis: & pro contractis, excepto primo, & secundo gradu Consanguinitatis, vel Affinitatis ex copula licita, & excepto secundo tantum gradu, nisi per decennium duraverit occultus. Si autem Matrimonium fuit nulliter contractum per Dispensationem Datariæ subreptitiam ob falsam narrationem copulæ, dispensare potest in tertio, & in quarto gradu. etiam publicis. & si ob taciturnitatem copulæ, quæ adhuc sit occulta, vel intentionis malitiosæ in ipsa copula habitæ ad facilius habendam Dispensationem, dispensare potest etiam in primo, & secundo gradu, facta tamen compositione 50. ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendi, nisi prior Dispensatio facta fuisset in forma Pauperum. Potest demum in ejusmodi Dispensationibus legitimare in foro tantum Conscientiæ Prolem, modo non sit in adulterio suscepta.

Quoad Potestatem absolvendi, absolvere potest quoscumque a quibuscumque casibus etiam publicis, & Censuris, aliisque pœnis occasione illorum latis, & quidem Regulares absolvere potest in utroque Foro; Seculares in foro tantum Conscientiæ: in utroque autem foro, si excommunicati sint, aut suspensi per sententiam generalem, aut per specialem ab eo, cujus Jurisdictio expiraverit, vel ad Sedem Apostolicam transmissa fuerit: non potest tamen absolvere a casibus Bullæ Cœnæ, neque a violatione Immunitatis, aut Libertatis Ecclesiasticæ, nisi sint occulti; neque ab Hæresi, nisi sit omnino occulta; neque a publica violatione Clausuræ Monialium ob malum finem, nisi in casibus, in quibus Ordinarii supplicare solent Sacram Congregationem, nec sint jam ad hanc deducti. Nominatim denunciatos, si Romam veniant, absolvere potest tantum ad effectum lucrandi ibi Indulgentiam cum reincidentia, & nisi sint denunciati, vel notorii in Curia Romana. At non potest absolvere eos, qui, etiamsi occulti, per Astrologiam judiciariam, aut alias per se, vel per alios, super vita, aut morte Papæ viventis inquisierint; neque eos, qui, etsi Cardinales, etsi etiam occulti vivente Papa ambierint, sponsiones fecerint, aut tractaverint de futura electione, aut exclusione.

Hæc omnia habentur in novissima Constitutione Inn. XI. *Romanus* 1692. 19. Sept. ubi etiam additur, quod Sede Apostolica vacante possit quidem S. Pœnitentiaria facere, & expedire, quæ ad forum Conscientiæ pertinent; in reliquis cessar, ut a quibusvis Dispensationibus Matrimonialibus, & aliis Dispensationibus, Absolutionibus, & Declarationibus, necnon quibusvis aliis expeditionibus quomodolibet respicientibus forum fori mixtim, vel separatim. Ubi etiam dicitur, quod possit Summus Pœnitentiarius has facultates dispensandi committere aliis, & quod commissio non expiret, etsi nondum sit præsentata, & res integra sit, quomodocumque Pœnitentiarius desinat existere. Additur demum Sede Apostolica vacante cessare in S. Pœnitentiaria Facultatem dispensandi, quamvis maneat Potestas absolvendi in foro Conscientiæ, &c.

Quæres quarto, In quo dispensare possit Episcopus?

Respondeo, Posse dispensare non solum in suis Legibus, vel Antecessoris, sed etiam in Legibus Synodi Diœcesanæ, utpote quæ ab ipsomet, vel suo Antecessore sunt latæ, cum Parochi sint ea Synodo tantum Consiliarii, non Legislatores, ut docent communiter contra Medin. ad differentiam Archiepiscopi, qui non potest dispensare in Lege Synodi Provincialis in qua sunt inferiores. Addit Sanch. l. 8. Matr. d. 17. contra Azor. Laym. & alios, posse Episcopum in suis Legibus valide dispensare, etiamsi juraverit, se non dispensaturum, quia Juramentum redderet illicitam, non invalidam dispensationem; tunc ergo solum nequit, cum suæ Leges confirmatæ sunt a Pontifice confirmatione essentiali, juxta dicta d. 2. q. 5. c. 2. vel cum transeunt in contractum, quia Lege Naturali tenetur stare contractui.

Item ex Consuetudine, & tacita Concessione Papæ dispensare potest Episcopus (uti etiam Archiepiscopus pro sua Diœcesi) in Legibus Synodi Provincialis, dummodo non sint reservatæ Eadem ratione dispensare potest in Festis, & Jejuniis Ecclesiasticis non solum pro Personis Particularibus, sed etiam pro tota Diœcesi: & in Juramentis absque damno tertii: & in Votis simplicibus, exceptis quinque, scilicet Castitati perpetuæ, Religionis, & trium Peregrinationum, Romam, Compostellam, & Hierusalem, ex Extrav. Sixti V. *Etsi, de Pœnit. & Remiss.* Item potest, saltem ex Consuetudine, dispensare ad petendum debitum cum Conjugato, qui post Matrimonium contraxit Cognatione Spiritualem, aut Affinitatem cum Conjuge ob Incestum: excipit Fill. t. 10. p. 2. c. 10. n. 306. Incestum commissum (consummato Matrimonio) cum Consanguinea Uxoris in iis, qui non sunt Juvenes. Addit Pal. posse Episcopum etiam dispensare cum eo, qui post Votum Castitatis, vel Religionis contraxit Matrimonium, ad petendum debitum, & Laym. addit etiam cum Conjugibus, qui mutuo consensu voverunt Castitatem. v. Croix l. 6. p. 3. num. 841.

Ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. potest Episcopus dispensare in Denunciationibus matrimonialibus tum ante, tum post Matrimonium: item in Impedimentis dirimentibus Matrimonium, si sint occulta, & commode non possit recurri ad Pontificem, & periculum sit in mora: Doctores communiter cum Sanch. l. 2. Matr. d. 40. contra Sot. docent, posse Episcopum dispensare in foro Conscientiæ, si contractum sit jam Matrimonium in facie Ecclesiæ ex præsumpta, ac tacita Voluntate Papæ, addantque, ex eadem ratione posse pariter Episcopum dispensare etiam, antequam contrahatur Matrimonium, quando est urgentissima necessitas contrahendi, & periculum sit in mora: item in dubio, an casus indigeat Dispensatione Pontificis, poterit Episcopus dispensare, etiamsi dubium sit negativum, ut addit Sanch. l. 4.

Dec.

Dec. c. 40. n. 26. contra Bon. Ratio, quia Potestas dispensandi late est ex dictis interpretanda.

Ex Trid etiam *sess. 24. c. 6.* Potest Episcopus dispensare in omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus excepta ea, quæ oritur ex Homicidio voluntario; quam tamen Tridentini exceptionem non pauci Doctores apud Moyam non intelligunt de Homicidio voluntario omnino occulto, sed tantum vulgo occulto. In Irregularitatibus autem provenientibus ex defectu nequit Episcopus dispensare, etiamsi defectus sit occultus, excepta Bigamia similitudinaria, ex cap. 1. *Qui Cler. vel Voce*, & Infamia orta ex crimine, quod sit minus Adulterio, ut in Ordine suscepto ministres, ex cap. *Si Cler. de Judiciis*; & Illegitimitate relate ad primam Tonsuram, Ordines minores, & consequenter ad Beneficium simplex, ex cap. 1. *de Fil. Presb.* & ex defectu demum Corporis, in quo revera Episcopus non dispensat, sed tantum declarat talem, vel talem defectum non inducere Irregularitatem.

In reliquis ergo Legibus Pontificiis nequit dispensare Episcopus, nisi vero res sit levis, vel Lex non obliget sub gravi, vel nimis onerosum sit ad Sedem Apostolicam recurrere, vel urgeat gravissima necessitas, aut utilitas Subdito contingat, itaut periculum sit in mora: ita communiter Doctores contra Sot. Vict. & alios putantes, posse simpliciter Inferiorem in quavis Lege Superioris dispensare, si expresse non sit ei prohibitum; sicuti potest absolvere ab omnibus Casibus, & Censuris etiam Papalibus, si expresse non reserventur. Sed disparitas est clara, quia Absolutio non est contra Jus, uti est Dispensatio, & ordinatur ad bonum Animæ posita emendatione, & ideo expedit facilius concedi.

Quæres quinto, In quo dispensare possint alii Prælati, & Superiores, & Confessarii?

Respondeo primo, Vicarium Capitularem, Sede Episcopali vacante, posse dispensare in omnibus, in quibus potest Episcopus, quia succedit ei in Jurisdictione; secus vero dicendum de Vicario Generali Episcopi; cum Dispensatio sit actus Jurisdictionis voluntariæ, & Vicariatus per se tantum ferat Jurisdictionem necessariam: Merol. d. 7. de Jurisdictione Vicarii: Sanch. l. 2. Matr. d. 41. & alii contra Laym. Lug. l. 1. Resp. Mor. d. 46. & alios: potest tamen Episcopus ei delegare suam Potestatem etiam generalem: Sanch. d. 40.

Secundo, Nuntius Apostolicus, seu Legatus etiam a Latere per se loquendo tantum potest in sua Provincia circa Dispensationes, quantum Episcopus in sua Diœcesi, nisi ei commissa sit a Pontifice Facultas extraordinaria, quæ alia in aliis esse solet, & quidem amplissima; ideo videndus erit tenor suæ Facultatis: Sanch. d. 9. n. 25.

Tertio, Parochus per se loquendo nullam habet Facultatem dispensandi, nisi ei specialiter delegetur. Ideoque non potest dispensare in denunciationibus Matrimonii, nisi forte periculum sit in mora, nec possit adiri Episcopus, vel injuste nolit is annuere, ut notat Perez. de Matr. Cæterum ex Consuetudine, & tacita Concessione Papæ habet, ut possit cum suis ovibus dispensare in Jejunio Ecclesiastico, & alicubi etiam ad laborandum die Festo.

Quarto, Superior Regularis dispensare potest cum suis Subditis, ut potest Episcopus cum suis, quia est eorum Ordinarius; imo ex speciali Privilegio in perpetuum concesso, dispensare potest etiam in Irregularitate ex Homicidio voluntario, & ex defectu Lenitatis, Bigamiæ, Natalium, & Corporis, juxta dicenda in de Irregularitate.

Quinto, Confessarii Mendicantes, & qui cum his communicant in Privilegiis, dispensare possunt in foro Conscientiæ cum Conjugibus ad petendum debitum, si forte sit impeditum, non quidem per Cognationem Spiritualem, sed per Votum Castitatis, vel per Incestum in primo, aut secundo gradu; monendo tamen, quod post Matrimonium reviviscet Votum, & Incestus ille erit impedimentum dirimens secundas nuptias cum Consanguineis alterius Incestuosi usque ad secundum gradum. Possunt etiam commutare vota simplicia Pœnitentium (exceptis quinque supradictis) & quidem in aliud onus notabiliter minus; imo ex Privilegio bullato Eug. IV. concesso Benedictinis Italiæ, possunt etiam in dictis Votis dispensare, seu vice Dei declarare, non placere Deo, ut in his, vel illis circumstantiis Votum servetur: atque utraque hæc Potestas extenditur etiam ad Vota Jurata, & ad Juramenta, quæ non cadunt in præjudicium tertii. v. Pelliz. t. 8. c. 3. fol. 522.

CAPUT III.

Circa quos exerceri possit Potestas dispensandi?

CERTUM est, qui Potestatem habet dispensandi, posse eam exercere cum suis Subditis. Videndum primo, An possit secummet dispensare? Secundo, An Superior loci dispensare possit cum Forensibus, & Vagis? Tertio, An Episcopus cum Religiosis? Quarto, An Archiepiscopus, cum Subditis Suffraganeis?

Quæres primo, An possit Prælatus secummet dispensare in iis casibus, in quibus potest cum suis Subditis?

Respondeo, Certum esse Legislatorem non indigere dispensatione proprie dicta relate ad suas Leges, quia iis non obligatur directe, sed tantum Jure naturali, quo scilicet Caput debet conformari Corpori, juxta dicta d. 2. q. 2. Certum est etiam, Prælatum relate ad Leges sui Superioris, in quibus potest dispensare cum aliis, posse secum dispensare, vel mediate committendo scilicet alicui, ut secum dispenset, vel indirecte dispensando universim cum suo Populo, sicque uti sua Dispensatione, ut pars Populi, sicut etiam dicitur Pontifex lucrari Indulgentias universim concessas. Itaque dubium solum est, an possit Prælatus secummet dispensare directe, v. g. in Votis, in Jejuniis, & in Legibus Superioris, sicuti potest cum Subdito? Negant Azor. Suar. & alii multi apud Merol. sed communius alii cum eodem Suar. Sanch. l. 8. Matr. d. 3. affirmant, quia, quamvis Jurisdictio coactiva, vel absolutiva requirat distinctionem Personarum, ideoque nemo possit secum dispensare in pœna, quam incurrit, nec se absolvere, nec sibi Indulgentias conferre; Jurisdictio tamen exemptiva; seu declarativa exemptionis ab obligatione Legis non requirit hanc distinctionem, & ideo potest secum dispensare in Lege.

Infert hinc Sanch. l. 8. Matr. d. 3. quod si Prælatus inferior contraxit Irregularitatem, aut aliam Inhabilitatem ipso jure, possit illas a se immediate, & directe tollere, si possit etiam relate ad Subditos, quia sic habent rationem Legis, in qua potest secummet dispensare, sicut cum Subditis: contra vero si contractæ sint per modum sententiæ Superioris, cum nemo possit a sententia seipsum liberare.

Quæres secundo, An possit Superior loci dispensare cum Vagis, Forensibus, & Peregrinis, sicuti cum Subditis?

Respondeo, Posse utique dispensare cum Vagis, sicut cum Subditis, quia Vagi subduntur in omnibus Superiori loci, in quo actu sunt, juxta dicta d. 2. q. 2. Solum ergo dubium est de Forensibus, & Peregrinis, an scilicet possit cum his Episcopus loci dispensare in Votis, Juramentis, Irregularitatibus, &c. sicuti cum Subditis? Affirmat Basil. Ponc. quia sicut tenentur, ut ipse putat, Legibus loci, in quo sunt per transitum, tanquam Subditi, ita & gaudere debent Privilegiis Subditorum; Negant Sylv. Tamb. & Suar. l. 6. de Vot. c. 11. putantes ad hujusmodi Dispensationes requiri necessario domicilium in eo loco, itaut nec sufficiat quasi domicilium, quia S. Congr. apud Merol. n. 138. declaravit, Forensem, qui in aliquo loco gerit Officium Prætoris, Medici, vel Officialis posse ab Ordinario loci absolvi Sacramentaliter, non tamen dispensari; sed Sanch. l. 3. Matr. d. 23. Henr. & Suar. l. 3. de dieb. Fest. c. 14. docent requiri, & sufficere quasi domicilium, quia hoc requiritur, & sufficit ad sortiendum ibi forum externum, ex cap. *Ex parte*, *de For. Compet.*: ergo etiam forum in rebus Spiritualibus, ut possit dispensari. Atque hæc sententia est communior, & probabilior: secunda sententia sequenda esset, si authentice constaret de declaratione illa facta consulto, & approbante Greg. XIII.: prima sententia communiter rejicitur, ut parum probabilis, nisi necessitas aliud postulet, ob quam videmus, quod passim Episcopi tempore Quadragesimæ indifferenter dispensent cum omnibus etiam Peregrinis, ut vescantur cibis Paschalibus, & diebus Festis exercere possint opera servilia; præsumitur enim in his casibus, quod velit Pontifex, Episcopum, uti etiam Parochum, posse etiam cum Peregrinis dispensare; uti etiam Confessarios Regulares in casibus, in quibus possunt.

Quæres tertio, An possit Archiepiscopus dispensare cum Episcopis suffraganeis, & cum Subditis suffraganeorum?

Respondeo, Posse cum Episcopis suffraganeis, quia habet in illos Jurisdictionem Ordinariam, ex cap. *Suffraganeis*, *de Elect.* & potest illis præcipere, &, si negligentes sint, ad Officium compellere, ex cap. *Solicitudinem*, *de Appell.* si ergo tales Episcopi subduntur in odiosis, a fortio-

tiori favorabilibus; Sanch. l. 4. Dec. c. 38. Contra vero non potest Archiepiscopus dispensare cum Subditis suffraganeorum, nisi in casibus a Jure expressis, qui sunt tres: Primus, Si ad illum causa devolvatur per appellationem: Secundus, Si per implorationem, eo quod nolit Episcopus dispensare: Tertius, In actuali Visitatione illius Diœcesis, ex Henr. & Avil. quamvis in hoc tertio casu negat Sanch. l. 4. Dec. c. 38. cum communi, quia tunc solum conceditur Archiepiscopo, ut possit eos Sacramentaliter absolvere, ex cap. fin. *de Censib. in* 2.

Quæres quarto, An possint Episcopi dispensare cum Regularibus exemptis suæ Diœcesis, sicut cum suis Subditis?

Respondeo, Certe non posse sine Superiorum Regularium licentia, cum hac licentia negant etiam Suar. Ledes. & alii; sed probabilius affirmant Henr. Sanch. l. 4. Dec. c. 39. & ipse Suar. *de Censur.* d. 41. s. 2. & *de Pœnit.* d. 30. s. 2. quia Beneficium exemptionis datur Religiosis, ut quietius serviant Deo, & non perturbentur ab Episcopis; atqui id obtinent posita tali licentia: ergo tunc censetur tota Religio per Epikejam, utpote in favorabilibus, consentire: Hinc patet disparitas, cur non possit Superior Regularis, vel Episcopus, consentire, ut Religiosus, vel Clericus trahatur ad Forum Laicale; hoc enim resultaret potius in odium, in quod non censetur status Clericalis, vel tota Religio consentire. Addunt Sanch. & Mol. posse etiam Episcopum dispensare cum Religioso, quando Superior Regularis injuste negaret ei Dispensationem, vel quando esset absens, aut Excommunicatus, quia per Epikejam ita præsumendum de Voluntate Pontificis, & Religionis, ne scilicet cogatur Religiosus vagari, & accedere ad Sedem Apostolicam; nisi vero Religiosus possint commode dispensari a suo Provinciali, seu Generali, quia tunc haberi potest remedium intra Religionem. Quod dictum est de Subdito Religioso, dic pariter de ipso Prælato Regulari, si indigeat Dispensatione, cum possit ipse uti licentiis, quas potest Subdito concedere.

Quæres quinto, An qui Potestatem habet dispensandi, dispensare possit cum Subdito absente?

Respondeo affirmative, quia Dispensatio non pertinet ad forum Pœnitentiæ, sed est actus Jurisdictionis, quæ manet etiam circa absentem; unde potest Episcopus dispensare cum Subdito existente extra Diœcesim, uti etiam potest, quamvis ipse Episcopus extra Diœcesim existat, cum sit actus Jurisdictionis Voluntariæ, Croix l. 6. p. 3. n. 824.

C A P U T IV.

An ad dispensandum requiratur Causa?

CERTUM est, ad dispensandum requiri aliquam Causam, quia nemo eximi debet a communi observantia Legis sine aliqua causa: hinc si aliquando peratur a Pontifice Dispensatio in gradibus prohibitis nulla assignata causa, tunc pro causa concessionis succedit copiosa Eleemosyna donata a Dispensato, in sumptus publicos eroganda. Causa autem sufficiens ad Dispensationem non debet esse tanta, quanta requiritur ad excusationem; nam sine Dispensatione quilibet excusatur ab obligatione Legis, quando causa est per se certo sufficiens ad excusandum; sic qui febri laborat, non indiget, ut dispensetur a Jejunio: at aliquando causa, quæ non est ad excusandum, est sufficiens ad dispensandum, cum ad hoc non requiratur causa tam rigorosa, quam ad illud. Sic Labor improbus, qui fieret ab aliquo quibusdam diebus anni, potest esse sufficiens causa, ut toto anno dispensetur a Pontifice in Jejuniis, in Horis Canonicis, quamvis eadem causa solum satis esset ad excusandum illum pro tempore impotentiæ, non reliquo anni tempore.

Quæres primo, An Legislator valide possit dispensare in propria Lege sine causa?

Respondeo affirmative cum communi contra aliquos apud Merol. n. 237. quia ab ejus Voluntate unice pendet obligatio: idemque est de ejus Successore in eadem Dignitate, & de ejus Superiore pleno jure. Addunt tamen Doctores communiter contra Angel. Armill. Sylv. & alios apud Merol. n. 381. quod quamvis valida, illicite tamen daretur hæc Dispensatio, quia fieret contra Jus naturale dictans, partem debere conformari toti, nisi justa causa excuset; ideoque prohibetur, cap. *Omnis de Constit.* & peccaret ergo tum ipse Legislator dispensans, tanquam Acceptator Personarum, tum qui peteret talem Dispensationem, cooperando scilicet ejus peccato. Cæterum hoc peccatum Sanch. l. 8. Matr. d. 18. & alii communius contra Suar. dicunt, esse tantum veniale, si absit scandalum, & damnum notabile aliorum; sicut enim præciso scandalo, &c. peccat tantum venialiter ipse Legislator, si sine causa nolit suam Legem observare, ita si sine causa dispenset cum alio.

An autem sic Dispensatus peccet deinde utendo tali Dispensatione, est dubium. Ledes. apud Merol. n. 297. dicit, peccare moraliter: Sanch. & alii communius dicunt, peccare tantum venialiter: Suar. & alii probabilius putant, ne venialiter quidem peccare, quia nulla est disformatio, quod valide Dispensatus non se conformet cum aliis in Legis observatione. Cæterum si talis Dispensatio fuerit subreptitia, eo quod assignata sit causa falsa, vel obreptitia, eo quod non sit aperta circumstantia necessario requisita, tunc peccaret mortaliter, qui uteretur tali Dispensatione, quia esset invalida; cum enim præsumendum sit, Legislatorem nolle dispensare illicite, sequitur, eum nolle de facto ullam suam Dispensationem esse validam sine vera, ac sufficienti causa.

Quæres secundo, An Prælatus inferior possit valide dispensare in Lege Superioris sine justa causa?

Respondeo negative cum communi, quia non censetur Superior concedere inferiori Potestatem, nisi ad dispensandum rationabiliter: sicut ergo Oeconomus alienans bona Domini contra ipsius Voluntatem, non transfert dominium, ita Inferior si sine causa dispenset in Lege Superioris, invalide dispensat, quia veluti dissipat bona Domini contra ejus Voluntatem. Hinc Pontifex invalide dispensaret sine causa in Jure Naturali, aut Divino, puta in Voto, Juramento, Residentia, &c. Invalide Episcopus, aut Archiepiscopus dispensaret sine causa in Lege Concilii Provincialis, & a fortiori in Lege Pontificis, aut Naturali, aut Divina; unde, nisi excuset parvitas materiæ, graviter peccat tam concedens, quam petens talem Dispensationem, quam etiam ea utens, ut communiter docent Doctores. Scio, aliquos cum Sa putare, quod si Legislator det alicui plenam Potestatem dispensandi in sua Lege, ut dare solet Pontifex Legato, seu Nuncio Apostolico, tunc is valide dispensaret sine causa in Lege Superioris; sed communiter rejicitur apud Sanch. l. 8. Matr. d. 17. quia non est credibile, hanc facultatem concedi, cum non possit licite exerceri, juxta jam dicta.

Quæres tertio, Quænam censeatur causa sufficiens ad dispensandum?

Respondeo, id Prudentium Judicio esse determinandum. Primo, Spectata qualitate Personæ, ex qua sæpe oritur sufficiens causa Dispensationis, quia ad bonum Ecclesiæ spectat, gratas habere Personas excellentes, ex Trid. *sess.* 24. c. 5. Secundo, Spectata necessitate, & utilitate Dispensationis, Pietate, & præsertim bono publico; cum enim Dispensatio sit actus auctoritatis publicæ, cedere debet in bonum publicum: sic si ob Inopiam, & Paupertatem dispensetur cum aliquo in Impedimento Consanguinitatis, vel ob periculum incontinentiæ in Voto Castitatis, vel si ad vitandum majus malum dispensetur in aliqua Lege, hæc omnia mediate saltem cedunt in bonum publicum. Tertio demum, Spectata gravitate Legis, in qua fit Dispensatio: hinc communiter gravior requiritur causa ad dispensandum in Lege, quam in Voto, si sint circa eandem materiam, quia Votum obligat ex Voluntate propria, Lex vero ex Voluntate Superioris, & ideo qui tenetur v. g. die Veneris jejunare ex Voto, & die Saturni ex Præcepto Ecclesiastico, & alterutrum tantum Jejunium potest ponere, debet jejunare die Saturni, & omittere Jejunium ex Voto: Sanch. l. 1. Dec. c. 18. contra Nav. quæ autem in particulari sint causæ proportionatæ pro diversis Dispensationibus in diversis Legibus, dicuntur in singulis materiis. Illud hic notandum ex Croix *de Matr.* n. 902. quod, quando una causa non videtur sufficere, congeri possunt plures, quia *Quæ non possunt singula, collecta juvant*, ex l. *Instrum. cod. de Probat.* Rursus notandum ex Suar. l. 6. c. 18. Sanch. & aliis contra Armill. & alios, etiam stante justa causa, & sufficienti, non teneri Superiorem dispensare, quia sicuti Legislator non tenetur Legem ferre data justa causa; ita nec tenetur dispensationem concedere, aliter ea non esset gratia, ut dicitur cap. *Didici* 1. q. 7. Excipe primo, quando præcipitur, ut data justa causa dispensetur, ut cap. *Domino Sancto d.* 50. sicut etiam a S. Pœnitentiaria præcipitur discreto Confessario, ut dispenset, si preces Veritate nitantur. Secundo, Si Subditus graviter ea indigeat ad vitandum grave damnum. Tertio, Si sit necessaria ad vitandum scandalum, vel ad commune bonum. Quarto, Si Confessarius acceptaverit electionem factam a Pœnitente, ut ab eo dispensetur, quia ratione acceptatæ electionis tenetur ex Justitia: Pal. & alii.

Quæres

Quæres quarto, An valida sit Dispensatio facta in Lege Superioris, non præcognita causa a Dispensante, quæ tamen revera aderat?

Respondeo cum Sanch. l. 8. Matr. d. 17. & aliis contra Azor. & Nav. esse validam in foro Conscientiæ, quia sicut valet Lex imposita absque cognitione causæ, si revera adsit causa boni communis, ita valet hujusmodi Dispensatio. Neque obstat Trid. *sess.* 24. c. 18. prohibens, ne dispensetur sine causa cognita, & Dispensationem factam non cognita causa censeri subreptitiam; Nam hinc solum infertur, eam esse illicitam, non vero esse invalidam in foro Conscientiæ, si revera adsit causa sufficiens; ideoque Tridentinum tantum dicit, censeri subreptitiam, pro foro scilicet externo, non dicit, eam ita esse. Imo aliquando licite etiam dispensatur non præmisso examine causæ, quando scilicet ea constat ipsi Dispensanti, vel est notoria, quia in notoriis non exigitur ordo Juris, ex cap. *Manifesta* 2. q. 1. addit Sanch. n. 6. neque peccare Dispensantem in Lege Superioris, non examinando sufficientiam causæ, quando ei committitur, ut dispenset cum Personis determinatis, nulla mentione facta cognitionis causæ; quia tunc ille est mere Executor, & præsumere debet, quod committens Dispensationem examinaverit causam; sed Pal. & Merol. merito id negant, quia, quamvis non fiat mentio cognitionis causæ, non per hoc licite omittitur, quia Jure ipso naturali monetur Dispensans ad examinandam causam, unde non debet a Delegante moneri.

Quæres quinto, An contra valida sit Dispensatio facta in Lege Superioris, quando Dispensans bona fide judicavit, causam esse sufficientem, cum revera non sit talis?

Respondeo, Si mala fide petita sit talis Dispensatio, certe esse invalidam, quamvis bona fide sit concessa, quia est subreptitia. At si bona fide sit petita, & concessa, Nav. Bon. & alii dicunt, etiam esse invalidam, quia in Dispensatione semper intelligitur clausula illa, *Si causa subsistat*; ideoque dicunt, non esse tutum in Conscientia, qui tali Dispensatione utitur sciens, causam non fuisse sufficientem, etsi bona fide Dispensationem petierit: sed Sanch. l. 8. Matr. d. 17. & alii communius dicunt, esse validam; quia recte gubernatio Ecclesiæ postulat, ut obvietur scrupulis, nec oportet passim infringere, quod bona fide petitum, & gestum est a suis Prælatis: sicuti etiam valide res Domini ab Oeconomo bona fide dispensantur, & possunt ab his retineri, etsi deinde constet, causam non fuisse sufficientem. Idem a fortiori dicit Sanch. si non constet, sed tantum dubitetur, an causa fuerit sufficiens, quia non est Subditi, facta Prælatorum discutere: & aliunde si Prælatus sit certus adesse aliquam causam, & dubitet, an ea sit sufficiens, potest dispensare, quia Potestas dispensandi est late interpretanda, nisi sit ad Personam determinatam, juxta dicta c. 1.

Quæres sexto, Quando existere debet causa sufficiens, ut incipiat valere Dispensatio?

Respondeo, Debere existere tunc, cum datur Dispensatio, quia tunc verificari debet, ex causa justa dispensari. Hinc si Titius petat a Pontifice Dispensationem, v. g. in Irregularitate, ut possit ad Ordines promoveri ob inopiam Parentum, & interim hi ad pinguiorem fortunam devenerint, antequam Pontifex committat Ordinario, vel antequam hic commissionem exequatur, irrita erit talis Dispensatio, si forte Titius eam obtineat. Contra, inquit Sanch. l. 8. Matr. d. 30. si tempore petitionis non existebat talis causa, existit vero, dum Ordinarius exequendo Commissionem dispensat, valida est Dispensatio, quia sufficit, ut nunc preces Veritate nitantur; ideoque etiam est valida, si nec etiam quando Pontifex commisit Ordinario, ut dispensaret, talis causa non existebat, dummodo existat, dum Ordinarius actu dispensat; nisi vero Pontifex non in forma commissoria, sed gratiosa per semetipsum dispensando commisit tantum Ordinario, ut notificaret Titio; quia sic verificari debet causa tunc, cum Pontifex rescribit, ut recte notant Tamb. Pal. & alii: an autem Dispensatio semel valida cesset deinde cessante causa, videbimus infra.

Hinc si falso allegetur pro causa dispensandi in Consanguinitate copula secuta, & hæc sequatur antequam Pontifex, vel Ordinarius juxta modo dicta dispenset, valet Dispensatio, dummodo copula secuta sit ex fragilitate, quia sic tantum habet verificare causam tempore debito; secus vero si secuta sit ex malitia, & confidentia Dispensationis, quia sic præsumitur nolle Pontificem dispensare, ne daret ansam peccandi: Tamb. & alii.

QUÆSTIO II.

De Petitione Dispensationis.

VIDENDUM I. Quæ Veritas sit exprimenda, & quæ Falsitas tacenda in Petitione Dispensationis? II. Quæ sit Forma talis Petitionis?

CAPUT I.

Quæ Veritas sit exprimenda, & quæ Falsitas sit tacenda in Petitione Dispensationis?

DIco primo: Exprimenda est Veritas, quæ Jure, vel Consuetudine exprimi debet. Ita Suar. l. 6. de Vot. c. 127. Sanch, Pal. & alii.

Ratio est, quia quoties Jus, vel Consuetudo præscribit aliquid in Petitione exprimi, intelligitur illud postulari pro forma Dispensationis, alias hæc erit subreptitia, atque adeo irrita, & nulla: idque verum est, sive taceatur talis Veritas per dolum, sive per ignorantiam etiam invincibilem, quia semper stat, quod deficiat forma actus. Contra vero, si taceatur Veritas, quæ Jure, vel Consuetudine, aut stylo Curiæ non præscribitur exprimi, Dispensatio erit valida.

Quæres primo, An in Petitione exprimi Jure, vel Consuetudine debeat prior Dispensatio forte obtenta in eadem materia?

Respondeo, Sententiam affirmativam doceri communiter cum Glos. in cap. 2. *de Fil. Presb. in 6.* sed Pal. *de Dispens.* p. 16. §. 4. citans Suar. & alios probabiliter negat id universaliter, & tantum concedit in tribus casibus: Primo, Si secunda Dispensatio cedat in majus præjudicium tertii: sic si Dispensatus solvere decimas ex agro, nec faciens hujus mentionem, obtineas aliam Dispensationem non solvendi ex vinea, hæc erit subreptitia, quia in præjudicium Ecclesiæ, cui Pontifex non adeo derogasset, si scivisset: eadem ratione tacens Beneficium, quod possides, invalide obtines alterum. Secundo, Si causa non sit sufficiens pro utraque Dispensatione: sic si Dispensatus ad percipiendos fructus Beneficii absque Residentia per quinquennium, nec faciens hujus mentionem obtineas ex eadem causa novam Dispensationem ad aliud quinquennium, erit subreptitia, quia æquivalenter habetur Dispensatio decennalis, cui ea causa non erat sufficiens, cum habeatur etiam majus præjudicium Ecclesiæ: similiter si Dispensatus in Uxoricidio nubas, & postea non faciens ejus mentionem obtineas aliam Dispensationem in novo Uxoricidio, erit subreptitia, quia hoc secundum est Jure Ordinario indispensabile, ac proinde requirens causam majorem: eadem ratione putat Suar. Dispensatum in Voto Castitatis ad nubendum, si post mortem Conjugis iterum dispensetur ad secundas Nuptias, non facta mentione prioris Dispensationis, invalide dispensari ad secundas; sed id merito negat Pal. quia si primo dispensatum fuit ob periculum incontinentiæ, cum hoc perseveret in secunda, augetur potius causa dispensandi. Tertio, Si desit Voluntas Concedentis pro utraque Dispensatione: ut si non usus prima Dispensatione habita pro ducenda Consanguinea vivente, hoc tacens, petas alteram pro ducenda alia Consanguinea, Sanch. ait, primam annullari; Pal. autem, aliique melius secundam, quia primæ non est renunciatum in manu Pontificis, & hic non vult utramque simul.

Quare extra tres dictos casus putat Pal. non esse necessariam mentionem prioris Dispensationis, ut valide obtineatur secunda; ideoque valere secundam sine mentione primæ, si secunda impetrata fuit ad tollendum scrupulum, aut dubium primæ; vel si prima fuit invalida, aut ea non sis usus, vel si Dispensatus in incestu, iterum dispenseris in novo incestu cum eadem, vel si Dispensatus in Irregularitate ad Ordines minores, iterum dispenseris ad Ordines Sacros, non faciendo mentionem prioris. Pal. loc. cit.

Quæres secundo, An in Petitione exprimi jure debeant omnia Impedimenta, quæ habes relate ad eundem effectum, ad quem petis Dispensationem?

Respondeo affirmative, Loquendo de Impedimentis Matrimonii, v. g. si volens Consanguineam ducere, adstrictus etiam Voto Castitatis, & Affinitatis, non poteris per partes horum Impedimentorum Dispensationem impetrare, itaut prius dispensetur in Consanguinitate, secundo in Affinitate, tertio in Voto; sed debes in Petitione, omnium mentionem facere; ita Sanch. l. 8. Matr. d. 23. n. 2. & alii innumeri Doctores contra Nav. & alios; Ratio potissima apud Pal. est Praxis, & Consue-

suetudo. Notant tamen Doctores, quod si quod istorum Impedimentorum nequeat sine infamia publicari, possunt cætera exprimi in Petitione apud Datariam, & illud apud Pœnitentiariam, in qua tamen fiat etiam mentio illorum. Notant rursus, quod si aliquod illorum possit tolli alia via, scilicet Votum per irritationem, Sponsalia cum alia per ejus remissionem, &c. tunc non sunt necessario exprimendæ in Petitione Dispensationes a reliquis. Notant demum, quod si aliquod istorum petas, ut dispensetur, non ad effectum Matrimonii, puta Votum Religionis causa valetudinis, poteris in hoc seorsim dispensari. v. Pal. a n. 12.

Contra vero extra effectum Matrimonii probabile est secundum Pal. Suar. & alios, non esse Jure, aut Consuetudine necessarium, ut omnia in eadem Petitione exprimantur: sicuti ergo pluribus Excommunicationibus ligatus impetrare potes absolutionem ab una, tacitis aliis, juxta Glos. communiter receptam; ita, inquit Suar. l. 6. c. 24. pluribus Irregularitatibus inhabilitatus, impetrare potes Dispensationem in una, tacitis aliis: idemque est de aliis pœnis. Neque obstat, quod si Pontifex sciret omnes simul Irregularitates, difficilius dispensaret; nam id neque obstat in Excommunicationibus. Similiter si habeas Votum Castitatis, & Votum Religionis, potes petere Dispensationem in secundo, tacito primo, inquit Suar. negat vero e converso; non negat tamen Pal. n. 12.

Quæres tertio, An in Petitione exprimi debeat Impedimentum in Specie atoma.

Responden affirmative, Loquendo præsertim de Petitione Dispensationis ad Matrimonium; ex Jure enim, & Consuetudine censetur hæc subreptitia, si non exprimatur Impedimentum in Specie atoma: puta Affinitas ex copula licita, vel illicita, Gradus, eorumque inæqualitas, Copula malitiose habita ad finem obtinendi Dispensationem, Matrimonium scienter contractum cum Impedimento, vel neglectis denunciationibus, &c.

In Petitione Dispensationis ab Irregularitate Suar. docet, exprimendum, an eam contraxeris ex occasione Clerici, vel Laici: sed probabiliter negat Pal. quia ad Irregularitatem est omnino extrinsecum, quod occisus sit Clericus; non enim ob Sacrilegium ea incurritur, sed præcise ob Homicidium, neque ex consuetudine, aut stylo Curiæ constat oppositum: Sanch. l. 8. Matr. d. 21. n. 22. Addit demum Pal. ex Sanch. d. 14. n. 7. probabile esse, si plures occidisti Homines, unam tantum Irregularitatem contraxisse, si tenuisti in Baptismo plures filios Bertæ, unam tantum Cognationem Spiritualem cum ea contraxisse: si ter, vel quater nupsisti, unam tantum Bigamiam subjisse; ideoque non esse necessarium exprimere tales numeros in Petitione Dispensationis ab Irregularitate, Cognatione Spirituali, Bigamia, &c. similiter est in copula sæpius repetita cum Consanguinea.

Dico secundo: Tacenda est falsitas, quæ Jure, vel Consuetudine taceri debet: Ita Doctores citati.

Ratio est eadem, quia Jus, vel Consuetudo præscribens non exprimendum aliquid falsum in Petitione Dispensationis, excludit ab hac vitium substantiale; aliter hæc erit obreptitia, atque adeo irrita, ac nulla, sive per dolum, sive per errorem etiam invincibilem obrepserit falsitas.

Quæres primo, An falsa causa Dispensandi allegata in Petitione vitiet substantialiter Dispensationem?

Respondeo affirmative, quia Dispensatio semper expostulat causam veram, juxta dicta q. 1. c. 4. Noto tamen, hoc dici tantum de causa motiva, non vero de causa mere impulsiva: sic si falso dicatur, quod Titius petens Dispensationem in Voto Castitatis sit Vir doctus, pius, 30. annorum, &c. valet Dispensatio, si causa motiva subsistat, quod scilicet nequeat se continere, &c. quia ab hac causa de jure movetur Superior ad dispensandum; illæ vero tantum impellunt, etiamsi iis non expressis non annueret: sic qui dolet de peccatis ex metu naufragii, non doleret sine tali metu, & tamen causa motiva dolendi non est talis metus, sed offensa Dei: similiter qui dat Eleemosynam Pauperi fingenti Pietatem, transfert dominium, si ille vere sit Pauper, etiamsi non daret, si fictionem sciret.

In dubio autem, an causa falso adducta fuerit finalis, an impulsiva, præsumenda est mere impulsiva: atque adeo valida erit Dispensatio ex præsumptione Juris, quia in dubio standum pro valore actus, Sanch. l. 4. Dec. c. 44. Bon. & alii contra Mol. aliosque: neque obstat, quod impedimentum sit certum, & Dispensatio incerta, &c. Nam etiam Potestas dispensandi est certa, & datur actu Dispensatio: ergo non est reputanda invalida ex tali dubio.

Quæres secundo, An vitietur Dispensatio, si plures in Petitione allegentur causæ motivæ, quarum aliqua sit falsa?

Respondeo cum distinctione, Si ex falsa, & vera causa integratur una tantum causa sufficiens ex Jure, vel Consuetudine, aut stylo Curiæ, nulla simpliciter est Dispensatio; quia corruit fundamentum, cui Dispensatoris Voluntas innititur: Suar. l. 6. de Vot. c. 27. At si cum falsa adsit etiam causa vera, quæ se sola de jure sufficeret, valet Dispensatio, quia adest jam fundamentum sufficiens, Sanch. l. 8. Matr. d. 21. n. 32. sic si petas Dispensationem a Consanguinitate in quarto gradu ob copulam, & copulæ diffamationem; si adest diffamatio, quamvis revera non adfuerit copula, valet Dispensatio, quia sola diffamatio est ex Jure, & Consuetudine, styloque Curiæ causa sufficiens; nisi vero, ut limitat Cordub. apud Dian. t. 65. Pontifex alias tibi negaverit Dispensationem ob solam diffamationem, quia sic ex priori repulsa colligitur, nunc ad veram copulam attendisse. Similiter si petas dispensationem in duplici Lege, vel a duplici impedimento, scilicet Voto, & Affinitate, & pro uno alleges causam veram, pro altero falsam, valet Dispensatio quoad partem causæ veræ, dummodo petieris Dispensationes illas ad fines distinctos, vel si ad eundem finem, bona tamen fide; nam si petieris mala fide, & ad eundem finem, *Nullum commodum consequeris, & in pœnam careas impetratis*, ex cap. *Super literis*, & cap. *Sedes*, *de Rescriptis*; quamvis, cum id sit pœnale, intelligi probabiliter possit post sententiam Judicis: Sanch. Pal. &c.

Quæres tertio, An nulla sit Dispensatio, si falsitas in Petitione sit circa Materiam, vel circa Personam?

Respondeo affirmative, quia circa illam Materiam, ac Personam conceditur Dispensatio, quam respicit Voluntas Dispensatoris in ipsa Petitione. Hinc, si pro Voto Religionis, quod habes, petas Dispensationem in Voto Castitatis, quod non habes, dispensatio est nulla: similiter si loco Affinitatis scribas Consanguinitatem, &c. Doctores communiter: excipe, nisi materia exposita omnino includat aliam, ut si petas Dispensationem tertii gradus pro quarto, vel Dispensationem Voti dandi 100. cum tantum voveris dare 50. vel scribas affinitatem ex Matrimonio consummato, cum tantum sic publica honestas ex Matrimonio rato, quia Dispensans in includente, dispensat in incluso: Pignat. t. 4. consult. 15. similiter valet Dispensatio si parvitas sit materiæ circa Veritatem tacitam, vel falsitatem expressam, ut si verus valor beneficii in modico mutetur, quia modicum vitium non vitiat sanum: Dian. p. 5. t. 5. r. 32. Circa errorem Personæ, Sanch. l. 8. Matr. d. 21. n. 38. putat, valere tibi Dispensationem, etiamsi in Petitione per errorem Procuratoris allegata sit alia Persona, quia sicut in Absolutione, ita in Dispensatione, error circa Personam non pertinet ad substantiam; sed probabilius negat Pal. quia Dispensans tantum concedit ei, qui sibi proponitur: neque obstat paritas Absolutionis, quia in hac determinatur Persona per præsentiam, quæcumque ea sit.

CAPUT II.

Quæ sit Forma Petitionis Dispensationis?

PETITIO Dispensationis frequentissime facienda est Romæ, vel in Dataria, vel in Pœnitentiaria, juxta dicta q. 1. c. 2. de his ergo hic pressius agendum. Itaque

Primo, Ad Sacram Pœnitentiariam scribi potest a quocumque, & in quocumque idiomate, modo materia ad illam spectet; nec opus est exprimere propria nomina petentium, sed fingi possunt, dicendo *Titius*, *Berta*, *&c.* Nec opus est exprimere locum originis illorum, sed peti potest, ut Rescriptum dirigatur, v. g. *Capuam ad Tiberium Bonengo*, denique in Petitione exprimitur breviter casus, in quo petitur dispensatio ad talem, vel talem finem, cum debitis circumstantiis, causis, aliisque, quæ ex dictis Jure sunt exprimenda. Itaque foris superscriptio directa sit hoc titulo.

Eminentiss. & Reverendiss. Dom. Dom.
Cardinali Majori Pœnitentiario.

Romam.

Intus vero inscribitur Petitio in hunc ferme modum.

Eminentiss. & Reverendiss. Domine.

Titius contraxit juxta formam Tridentini in facie Ecclesiæ Matrimonium cum Berta, cujus Matrem antea co-

cognoverat (insciu s, vel conscius talis Impedimenti) *quod occultum est. Quare cum absque scandalo separari non possint, humillime supplicat pro remedio. Dignetur E. V. rescribere ad Tiberium Bonengo, Capuam.*

Similiter si petas Dispensationem in Voto Castitatis inscribas: *Sempronius emisit Votum Castitatis, & manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat; supplicat sibi Votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium, &c.* Et sic proportionaliter in aliis Petitionibus.

Quod si velis, ut dirigatur Rescriptum ad aliquod oppidum Capuæ, petas dirigi Capuam per N. exprimendo vulgariter nomen Oppidi. Si nullus sit ibi Doctor Jur. Can. vel si nolis tuam Conscientiam ei aperire, aut alteri jam aperueris, hoc idem debes in fine Petitionis significare, quia tunc dirigetur Rescriptum ad Parochum Oppidi, vel ad Confessarium a te expressum, qui poterit illud aperire, & exequi; ut habetur in Instructione S. Pœnitentiariæ apud Arsdekin.

Denique si tardaverit Rescriptum, replica Petitionem, ne forte prior sit deperdita. Quod si mavis scribere alicui ex Pœnitentiariis, scias, quod hi sunt ex Ordine S. Dominici, S. Francisci de Observantia, & Societatis Jesu. Expedit etiam, ut Romæ sit aliquis, qui hanc Dispensationem sollicitet; nam multitudo rerum moram causat, & aliquando etiam oblivionem parit.

Secundo, Ad Datariam mittitur publica Petitio; ideoque scribi omnino debet ad aliquem Romæ existentem, qui eam præsentet, & urgeat Rescriptum, & remittat. Item in Petitione manifestari debent propria nomina Petentium Dispensationem; tum etiam cujus sint Diœcesis; &, si Ecclesia, cujus sunt Parochiani, sit exempta, addi debet, *Nullius Diœcesis*: Si vero in Petitione Dispensationis Matrimonialis Sponsi sint Diœcesis diversæ, ex stylo Curiæ apponi debet Diœcesis utriusque, quia Rescriptum dirigi solet ad Ordinarium Sponsæ, qui alias non resciretur: Sanch. d. 35. Itaque absque ulla superscriptione externa, sic inscribi potest intus Petitio v. g. Matrimonialis.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum N. N. & N. N. Diœcesis N. N. & N. N. quod dicti Oratores habuerunt copulam publice diffamatam, & ideo cupiunt Matrimonio copulari; sed quia adest inter eos Impedimentum Consanguinitatis in tertio, & quarto gradu, & desiderium suum hac in parte absque Sedis Apostolicæ dispensatione adimplere non possunt, humillime supplicant S. V. quatenus cum eisdem super dicto Impedimento Consanguinitatis in tertio, & quarto gradu dispensare dignetur.

In expeditione Rescripti Datariæ solvendæ sunt ab Oratoribus mulctæ pecuniariæ, &c. ideoque expedit per Nunciaturam sollicitare talem expeditionem, quia hujus Literæ certius diriguntur, efficacius proponuntur, & Rescriptum obtinetur minore sumptu.

Denique si petitur Datariæ Dispensatio, ut dicitur, *in forma Pauperum*, debet inseri in Petitione attestatio Paupertatis, ad quam juxta Instructionem nuper Typis editam, requiritur primo, Testimonium Parochi utriusque Sponsi prævio Juramento non solum ab ipso subscriptum, & sigillatum, sed etiam a Notario publico, & Curiæ Ecclesiasticæ inserviente recognitum ex attestatione jurata duorum Testium. Secundo, Ut Ordinarius addat suum testimonium, asserens sibi constare, Sponsos esse *Pauperes, & miserabiles &c.* ex attestatione proprii Parochi amborum, & ex dispositione duorum Testium fide dignorum coram se examinatorum cum juramento, servata forma Instructionis, &c. quod Testimonium subscribi debet, non solum ab ipso Ordinario, sed etiam a Notario. Noto tamen ex Sanch. l. 8. Matr. d. 21. n. 33. quod si revera sint Pauperes, falsis tamen testibus probetur, quia scilicet absque notitia juraverunt, Dispensatio valet, quia verificatur conditio a Dispensante requisita.

Rescriptum dicitur etiam Breve, & Literæ expeditionis: & est duplex, nimirum Rescriptum Justitiæ, quod dat Jurisdictionem ad lites, & Rescriptum Gratiæ, quod continet gratiam: v. g. Præsentationem, Collationem Beneficii, Privilegium, Facultatem dispensandi, Dispensationem, &c. Illud est discrimen inter hæc Rescripta, quod Rescriptum Justitiæ, si obtentum sit per subreptionem, aut obreptionem, non est irritum, sed irritandum ope exceptionis; Rescriptum vero gratiæ sic obtentum, est ipso jure irritum, & ratio discriminis ex Pal. est, quia Rescriptum gratiæ tribuit Jus; Rescriptum autem Justitiæ non tribuit jus, sed tantum Judicem: unde majoris præjudicii est illud, si sit subreptitium, & ideo facilius vitiatur.

QUÆSTIO III.

De Rescripto Dispensationis?

RESCRIPTUM Dispensationis dicitur etiam Breve, Literæ expeditionis, Rescriptum gratiæ: quamvis autem concedi possit in forma gratiosa (ut cum continet ipsam Dispensationem immediate factam a Papa) regulariter tamen conceditur in forma Commissoria, itaut committantur, seu delegentur alteri facultates dispensandi, qui proinde dicitur Commissarius, Delegatus, & Executor. Videndum I. Quomodo exequendum sit Rescriptum S. Pœnitentiariæ? II. Quomodo Rescriptum Datariæ?

CAPUT I.

Quomodo exequendum sit Rescriptum S. Pœnitentiariæ?

S. PŒNITENTIARIA dirigit suum Rescriptum ad ipsum Oratorem, qui petit Dispensationem: is autem non potest illud aperire, sed eligere debet Personam idoneam, quæ aperiat, legat, & cum eo dispenset juxta formam ibi contentam. Superscriptio Rescripti (nisi aliter ab Oratore ipso S. Pœnitentiaria moneatur, juxta dicta q. antecedenti c. 3.) est hæc.

Discreto Viro Confessario Magistro in Theologia,
Vel *Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem specialiter eligendo.*

Debet igitur eligi Confessarius approbatus ab Ordinario loci, qui si sit approbatus tantum pro Viris, non potest exequi relate ad Mulieres; nisi forte in Dispensatione Matrimonii, in qua Dispensans cum Sponso dispensat etiam cum Sponsa, ut ait Sanch. l. 8. Matr. d. 54. & alii contra Cordub. de Just. & alios. Debet insuper esse Magister, &c. hoc est insignitus Laurea Doctoris, &c. ex Privil. autem Greg. XIII. 3. Apr. 1582. possunt etiam eligi Sacerdotes Societatis Jesu approbati ab Ordinario loci de licentia sui Generalis, in quo Privilegio communicant alii Mendicantes.

Reliqui ergo, qui tale Rescriptum aperiunt, peccant graviter, & Dispensatio per illos expedita est nulla: potest tamen tunc etiam adiri alius, ut supra, idoneus, qui illud valide exequatur: imo si hic prius nolit exequi, & postea mutato consilio exequatur, valet, quia ejus opinio, vel error non debet obstare Supplicanti. Neque obstat, quod Delegatus data semel sententia nil amplius possit, *l. Judex, ff. de Leg.* nam hoc verum est de foro externo; at Dispensatio S. Pœnitentiariæ sequitur forum internum, in quo mutari potest Judex, Consilium, &c. ideoque defuncto etiam electo, antequam exequatur, poterit alius eligi, Sanch. d. 27. Tamb. & alii contra Lor. Ipse autem electus non potest subdelegare alium, quia est Delegatus ad casum particularem: Doctores communiter. Itaque Electus præsente Oratore aperire debet Rescriptum, quærere ab eo, an vera sint, quæ ibi afferuntur, & an præstare velit, quæ ibidem injunguntur. Ad hæc autem exactius exequenda, explanandæ sunt aliquæ clausulæ Rescripti.

Primo, *Ut Dispensandum diligenter examinet*, ipsum scilicet interrogando præsertim de causa Dispensationis, an sit vera; & cum simus in foro Conscientiæ, ei in hac parte adhibenda est fides. Cæterum, si in Petitione allata sit pro causa, v. g. Periculum gravis Scandali, & in Rescripto additum etiam sit periculum Vitæ, non est opus, nisi ut prior causa allegata sit vera, quia Pontifex annuens Petitioni motus fuit ex causa ibi allegata, & ex stylo Curiæ, vel errore Rescribentis addita est etiam alia causa, Sanch. & alii. Imo id verum est, etiamsi in Rescripto omissa sit vera causa sufficiens in tua Petitione allegata, & posita alia a te non allegata, quia & mens Pontificis fuit dispensare ob illam, & Mandatarius non excedit intentionem Mandantis: secus vero esset, si a te allegata sit falsa, & in Rescripto alia causa sit, quæ sit vera, quia Pontifex de facto annuit illi, non isti: Doctores communiter.

Ex dictis infers, quod si in Petitione postuletur Dispensatio v. g. in Voto Castitatis, & in Rescripto dicatur in Voto Religionis, valet Dispensatio, quia rejpsa Pontifex voluit dispensare in priori Voto, & qui rescripsit egit secundum intentionem Mandantis, licet per errorem aliud expressit: quæ ratio militat pro quocumque errore Rescripti, sive in nominibus Personarum, sive in ipsis rebus, dummodo non sit erratum in Petitione. Gob. tr. 2. n. 639.

Noto demum, quod si Delegatus omitteret dictum exa-

examen, invalide dispensaret, quia deesset conditio requisita ad valorem actus, nisi vero res sit publice notoria, vel aliunde constaret ipsi Confessario, Sanch. l. 8. Matr. d. 34. n. 26.

Secundo, *Ut eum absolvat a reservationibus, & censuris, quas propter præmissa incurrerit, ad effectum concedendæ gratiæ*. Itaque ex vi talis Rescripti non potest absolvi ab aliis reservationibus, & censuris omnino disparatis, quia dicit *Propter præmissa*; Croix contra Krimer. Neque potest ullo pacto absolvi, si nolit, vel nequeat secum dispensari, quia absolutio conceditur ad effectum concedendæ gratiæ. Si autem differri debeat dispensatio, potest etiam nunc absolvi in ordine ad illam; uti etiam, si interim labatur in novas Reservationes, aut Censuras similes prioribus: quia quamvis dicatur, ut hac vice tantum absolvas, tamen id durare debet usque ad effectum gratiæ concedendæ, Gob. & alii.

An autem talis absolutio prærequiratur tanquam conditio ad valorem Dispensationis, est dubium. Probabiliter negat Sanch. l. 8. Matr. d. 34. n. 29. Pal. & alii, quia in Rescripto dicitur tantum, ut Dispensatio detur in foro Conscientiæ, hoc est secreto, & extrajudicialiter; ideoque ajunt, posse dari absolutionem post Dispensationem, vel etiam omitti. Secus vero dicendum, si dicat *In actu Confessionis*, vel *In foro Pœnitentiæ*; & quidem hodie Confessio ita requiritur, tanquam conditio: Croix de Matr. n. 956.

Quoad pœnitentiam, dicitur quandoque, ut injungatur *gravis*, & quidem si ea determinata sit in Rescripto, non potest minui, aut mutari; si non sit determinata, potest imponi levis, si Pœnitens antea confessus proportionatam pœnitentiam habuerit, vel lucratus sit Indulgentias, aut si accedat cum magna compunctione: Krim. Gob. v. Croix n. 962.

Tertio, *Ut Impedimentum in ratione Impedimenti sit occultum*, hoc est, ut non sit cognitum a majori parte viciniæ, in qua sint ad minus decem Personæ, Sanch. l. 2. Matr. d. 37. n. 11. & l. 8. d. 34. n. 55. itaque adhuc dicitur occultum, si sciatur a quatuor Personis. Si autem deductum sit ad forum contentiosum, hoc est, per citationem, &, ut vult Barbosa, per litis contestationem, jam est publicum Jure; nisi vero in illo foro fueris jam absolutus, vel, ut addit Sanch. l. 2. Dec. c. 11. n. 25. fueris jam punitus.

Quarto, *Ut alter Conjux Impedimentum ignorans, fiat certior de Nullitate Matrimonii*. Hoc tamen putat Sanch. l. 8. Matr. d. 34. n. 61. non apponi pro conditione ad Dispensationem, sed pro instructione Confessarii, qui si prævideat, id fieri non posse sine gravi damno, potest omittere.

Quinto, *Ut legitimet Prolem*, pro foro scilicet interno: pro hoc ergo succedere potest Parentibus, & ascendere ad Sacros Ordines, & ad Beneficia; ita tamen, ut si impedimentum deinde manifestetur, Beneficium, ut omnino vacans, possit ei impetrari. Cæterum si ex parte unius Conjugis erat bona fides, Proles in utroque foro est legitima.

Sexto, Si dicatur, *Dummodo copula non intercesserit*, debet Pœnitens interrogatus ingenue fateri, & sic peti nova Dispensatio exprimendo copulam prius omissam. Si autem eam falso neget, Dispensatio est nulla, quia data est sub conditione nullius copulæ; manifestare ergo eam debet in foro Conscientiæ, si vult validam Dispensationem.

Septimo, *Ut Rescriptum dilaceretur a Confessario, nec tradatur Oratori, &, si ei traditum fuerit, nihil ei suffragetur*. Hæc conditio non est de substantia Dispensationis, cum eam subsequatur; peccas tamen eam omittens, & si aliquod accipias pro Dispensatione, etiamsi titulo compensationis, incurris Excommunicationem latæ sententiæ, v. Sanch. l. 8. *Matr.* d. 34. n. 42. Forma dispensandi post absolutionem est hæc, vel similis, *Et eadem auctoritate dispenso tecum super, &c.*

CAPUT II.

Quomodo exequendum sit rescriptum Datariæ?

COMMITTITUR hoc rescriptum Officiali Diœcesano: quo nomine venit non solum Episcopus, sed etiam ejus Vicarius Generalis, modo sint Ordinarii supplicantium. Quod si contrahentes sint diversæ Diœcesis, sufficit si Ordinario unius rescriptum præsentetur: Sanch. l. 8. *Matr.* d. 35. n. 5. Si autem dicat *Episcopo*, vel *Vicario*, alterutro electo a supplicante, non potest alter se ingerere, Sperel. *decis.* 97. si tantum dicat *Vicario*, absolute non potest Episcopus: Pignat. t. 3. *consult.* 342. si tantum dicat *Episcopo*, absolute non potest Vicarius: & ratio est, quia non sunt idem Tribunal in iis, quæ a Pontifice specialiter delegantur: Mascard. *concl.* 994. Hinc Delegatus non potest committere alii ipsum actum dispensandi, qui dicitur nudum ministerium, Doctores communiter. Hinc Sede Episcopali vacante committitur Episcopo viciniori, qui scilicet habet sedem minus ab ea distantem. Cæterum, quamvis magis a Neapoli distet Puteolana, quam Acerrana, tamen vacante Neapolitana, est quasi in possessione Puteolana, ut ei committantur rescripta: Corrad. *in Praxi* l. 7. c. 4. n. 25.

Prima Clausula hujus rescripti est, *Ut capiat informationem in foro externo, an vera sint exposita*. Hanc potest Delegatus committere aliis etiam laicis, modo ipse postea dispenset; quia non præsumitur Pontifex velle derogare consuetudini Tribunalium: Sanch. l. 8. d. 27. n. 43. si autem sit notoria, vel aliunde constet Delegato, sufficit cognitio extrajudicialis, nec est necessarium testium juramentum, & potest fieri etiam extra Diœcesim: Sanch. d. 35. n. 15. Itaque, si res sit in se falsa, quamvis sit testibus juratis probata, nulla est dispensatio: si sit in se vera, quamvis falsis testibus probata, valet; quia verificatur, quod preces veritate nitantur. Hinc, si Delegatus extra sigillum confessionis sciat, rem esse falsam, quamvis testes asserant, esse veram, non potest pergere, quia executio ejus conscientiæ demandatur: similiter, si prævideat ex dispensatione periculum publici scandali, aut alterius gravis damni, non potest pergere, quia committitur ejus judicio.

Secunda clausula, *Dummodo copula non intercesserit*; quamvis non soleat in hoc rescripto apponi; si tamen apponatur, & copula sit occulta, reus non tenetur eam fateri, quia, cum agatur in foro externo, intelligitur clausula de copula publice nota: Sanch. Ponc. & alii contra nonnullos.

Tertia, *Ut capta informatione Delegatus dispenset pro foro externo*; quare nequit hunc actum committere alteri, juxta jam dicta, & semel functus munere suo per sententiam definitivam sive bonam, sive malam, nequit amplius eam corrigere, quia cessat ejus jurisdictio, ex *l. Judex de re Judicata*; ideoque ad Pontificem narrato errore est recurrendum: Sanch. d. 27.

Quarta, *Ut nihil accipiatur muneris, aut præmii etiam sponte oblati sub pœna excommunicationis latæ sententiæ*: hinc nihil accipi potest pro studio, aut informatione capienda, quia hic est labor intrinsecus; potest tamen pro expensis itineris ob talem causam; item esculentum, & poculentum sponte oblatum, modo sit paucis diebus consumptibile, ex cap. *Statutum, de Rescr. in 6.* item aliquod post expeditam dispensationem, dummodo tali spe illectus illam non expedierit: Perez. & alii. Notariis autem in examine testium licitum est accipere quartam partem ducati, ut declaravit S. Congr. apud Corrad.

QUÆSTIO IV.

De Cessatione Dispensationis, & Potestatis dispensandi.

VIDENDUM I. Quandonam cesset Dispensatio? II. Quandonam cesset Potestas dispensandi?

CAPUT I.

Quandonam cesset Dispensatio?

VIDENDUM, an cesset per non acceptationem, per renunciationem, per revocationem, per cessationem causæ, per transitum extra territorium concedentis, per mortem concedentis.

Quæres primo, An cesset dispensatio per non acceptationem?

Respondeo negative, quia, quamvis acceptatio requiratur, ut complementum donationis gratiæ, tamen, etiamsi principio non acceptetur, potest postea quocumque tempore elapso acceptari, quia, donec non sit revocata a concedente, semper persistit: Doctores communiter. Acceptari autem potest dispensatio etiam per Procuratorem: quare, si ab hoc certior fias, eam Romæ in forma gratiosa, vel alibi a Delegato esse jam expeditam, aut triduo v. g. certo expediendam, poteris ex tunc, aut post triduum ea uti v. g. ob urgentem necessitatem contrahere Matrimonium, etiamsi Rescriptum nondum ad te pervenerit: Sanch. l. 8. *Matr.* d. 36. Navar. Sot. & alii contra Suar., Vasq., & alios. Contra

vero, si illa expedira sit jam Romæ, & tu nondum certioratus sis a Procuratore; vel si ab eo scias, esse jam commissam Ordinario, & ab hoc nondum sit expedita; quia ibi habetur mala fides, hic vero nondum habetur dispensatio.

Quæres secundo, An cesset dispensatio per renunciationem?

Respondeo affirmative, sive eam renuncies ante acceptationem, sive post illam, quia quilibet potest renunciare gratiam sibi concessam in favorem propriæ personæ. Requiruntur tamen duo, & quod renunciatio sit exterius significata, & quod sit acceptata a legitimo Superiore, qui non est ipse Delegatus, sed principalis Delegans; quousque ergo hic non acceptet, durat dispensatio, quia sicut donatio completur acceptatione, ita & revocatio: Tamb. *de Matr.* c. 14. §. 2.

Hinc non cessat dispensatio ex tacita renunciatione, seu ex non usu, etiamsi plurium annorum; unde infert Perez. quod si obtenta Dispensatione ducendi Bertam, mutatoque deinde consilio duxeris Luciam, poteris post ejus mortem ex vi illius dispensationis ducere Bertam, nisi vero per novam dispensationem, tacita priori, duxeris Luciam, juxta dicta q. 2. Hinc etiam infert Merol. n. 483. contra Sanch. quod, qui renunciavit dispensationi, aut Commutationi Voti, possit retractata renunciatione uti dispensatione, aut commutatione jam obtenta, antequam ea renunciatio acceptetur ab eo, qui Dei nomine dispensavit, aut commutavit, quia ea renunciatio non fuit renovatio voti, sed solum propositum non utendi ea dispensatione, aut commutatione, nisi aliud constet de intentione renunciantis.

Quæres tertio, An cesset per revocationem?

Respondeo affirmative, idque verum est, etiamsi sit acceptata; ratio est, quia dispensatio concessa est per modum gratiæ, nec consistit in translatione dominii alicujus rei, sed tantum in licentia operandi aliquid contra jus commune: ergo semper pendet a voluntate concedentis, qui sicuti potest iterare legem a se sublatam, ita & revocare dispensationem, quod est virtualiter iterare legem. Hinc etiam sine causa posset valide revocari a Legislatore, illicite tamen ratione saltem levitatis, & inconstantiæ: a Delegato vero invalide revocaretur sine causa, quia in ejus potestate non continetur facultas revocandi, ut libet: Perez. l. 8. d. 38.

Cæterum dispensatio concessa per datariam, cum sit per modum contractus onerosi, soluta compensatione, non potest ne a Pontifice quidem valide revocari sine justa causa; cum causa vero valide revocatur, sed reddenda est compensatio jam soluta: Sanch. l. 8. *Matr.* d. 33. Denique dispensatio in voto revocari nullatenus potest, quia cum vinculum voti non pendeat a voluntate Superioris humani, nec potest ab eo induci: Suar. Bon. & alii.

Quæres quarto, An cesset per cessationem causæ?

Respondeo affirmative cum Sanch. Bon. & aliis communius contra Suar. l. 35. *de Leg.* c. 30. & alios. Ratio est, quia, sicuti cessante causa finali legis cessat obligatio legis, ita cessante causa finali dispensationis, cessare debet dispensatio; adeoque, sicut valor legis, ita & dispensationis pendere debet in fieri, & conservari a sua causa finali. Hinc dispensatus ad vescendum carnibus ob debilitatem, si perfecte convalescat, etiamsi miraculose, nequit vesci carnibus: quod non solum debet esse verum, si dispensatio habeat tractum successivum, puta pro toto tempore Quadragesimæ, in quo casu concedit ipse Suar. esse mortale, si is comedat carnes, & Merol. improbabilem dicit sententiam Sal. & Granad. putantium esse tantum veniale; sed etiam debet esse verum, si dispensatio habeat effectum momentaneum, ut si quis dispensetur ad edendas carnes pro unico die ob infirmitatem dubiam, & mane miraculose convalescat, cum cesset adæquate causa finalis: Laym. d. 4. c. 32.

Neque dicas primo, Obligationem legis per dispensationem extingui, ideoque non posse deinde per cessationem causæ reviviscere, cum cessatio causæ non sit de se productiva obligationis; nam dispensatio est mera exemptio ab obligatione legis secundum se obligantis; cum ergo talis exemptio pendeat in fieri, & conservari a causa finali, hac cessante cessat, & reviviscit obligatio relate ad talem personam. Unde infers contra Suar. dispensatum ad anticipandum v. g. Matutinum ob nimiam occupationem alicujus muneris, si tale munus relinquat, non posse uti tali dispensatione, & dispensatum ad secundum beneficium ob incongruam sustentationem primi, si hoc interim crescat, & congrue sufficiat, non posse accipere secundum, posse vero retinere, si jam acceperat, cum jam valida fuerit collatio.

Similiter, si dispensetur cum femina in voto castitatis ob periculum incontinentiæ, ideoque nupserit, non potest post viduitatem, si cessaverit tale periculum, iterum nubere: potest vero, si periculum non cessaverit, dummodo dispensatio data sit absolute, & sine limitatione ad primas nuptias; sic enim dispensatio concessa non finitur per primum usum, nisi causa cessaverit: quo sensu intelligitur *L. Boves*, *ff. de Verb. sign.* Sermonem simpliciter prolatum intelligi solum de prima vice, si nimirum cesset ejus causa pro altera vice: secus, si non cesset.

Quæres quinto, An cesset dispensatio per transitum in alterum territorium?

Respondeo cum distinctione: Si dispensatio, seu licentia concessa sit in iis, quæ sunt prohibita jure speciali territorii, cessat extra territorium: v. g. si habeas ab Episcopo licentiam faciendi Sacrum, ministrandi Sacramenta in sua Diœcesi, non poteris ea uti extra Diœcesim, quia privata jurisdictio non extenditur extra suum territorium. At si dispensatio concessa sit in iis, quæ sunt prohibita jure communi, probabilius est ex Suar. lib. 6. *de Leg.* c. 36. Sanch. l. 8. *Matr.* d. 31. & aliis, quod possit talis dispensatio prodesse etiam extra territorium concedentis, quia per dispensationem sublata fuit simpliciter obligatio: ergo ubique potest dispensatio prodesse: quare Sacerdos dispensatus a suo Episcopo in irregularitate occulta, potest ubique celebrare; & ab eodem dispensatus maritus ad petendum debitum, potest etiam extra territorium petere. Similiter Legatus Papæ, quamvis non possit dispensare cum non Subditis, si tamen cum aliquo Subdito dispenset ad plura beneficia, poterit talis Subditus ea obtinere etiam extra territorium legationis, quia talis habilitas ad plura beneficia incedit cum ipsa persona.

Notat tamen Suar. quod, si Episcopus dispenset contra jus commune per generalem dispensationem pro aliquo loco ex speciali necessitate, v. g. ut comedant lacticinia in Quadragesima ob distantiam a mari, non poterunt incolæ talis loci extra illum locum uti tali dispensatione, quia cessat causa dispensandi extra talem locum, nec dispensatio incedit cum persona, sed veluti loco adhæret. Contra vero, si dispensatio sit personalis, ut usua videtur interpretari.

Notant item Suar. Sal. Bon. & alii, probabile etiam esse, quod, si dispensatio personalis data sit ex legitima causa, v. g. pro omnibus jejuniis, Dispensatus excusetur etiam a jejuniis præceptis a Prælato alterius loci, quia non est verisimile, quod iste velit obligare personam ex legitima causa dispensatam ad omnia alia jejunia; nisi forte nolit, quod utatur ea dispensatione sine sua ratihabitione, & notitia ad vitandum scandalum.

Quæres sexto, An cesset dispensatio morte concedentis?

Respondeo negative, quia est gratia facta, & gratia jam facta non expirat morte concedentis: Doctores communiter ex cap. *Si cui*, *de Præb. in 6.* Hinc, si Pontifex in forma gratiosa dispenset alicui in voto, irregularitate, juramento, &c. & antequam rescriptum perveniat ad oratorem, Pontifex moriatur, non expirat dispensatio, utpote gratia jam facta, & multo minus, si acceptata jam fuerit: Idemque est de licentiis concessis, v. g. laborandi diebus Festis, celebrandi in Oratorio privato, suscipiendi Ordines a quocumque, vel tali Episcopo, eligendi quemcumque, vel talem Confessarium, expendendi, negotiandi, &c. quæ certo non expirant morte, vel amotione ab officio concedentis, sed durant, donec a successore non revocentur: idem est de Bullis Jubilæi, aliisque rescriptis, in quibus continetur gratia facta.

CAPUT II.

Quomodo cesset Facultas dispensandi?

CERTUM est primo, Facultatem dispensandi, quam ex jure communi, seu consuetudine habent Episcopi in aliquibus legibus Pontificiis, & naturalibus juxta dicta q. 1. c. 2. non cessare morte Pontificis, quia habent illam perpetuo adnexam Officio Episcopali, ideoque quasi ordinariam: idemque est de Legato Apostolico, Commissario Cruciatæ, quorum Officium non cessat morte Pontificis: Merol. & alii. Contra vero mortuo Episcopo cessat omnis facultas ejus Vicarii, quia cessat ipso facto ejus Officium: Sanch. l. 3. *Matr.* d. 29. n. 15.

Certum est secundo, facultatem delegatam dispensandi,

di, absolvendi, &c., si sit indeterminata, non cessare morte delegantis, quia est gratia facta ipsi Delegato, & gratia facta non expirat morte concedentis. Dicitur autem facultas indeterminata, quæ non est ad personam determinatam, ut est v. g. facultas, quam ex privilegio habent Confessarii regulares dispensandi, vel commutandi vota quorumcumque pœnitentium; vel, si sit determinata quoad personam, tamen est indeterminata quoad vices, ut si cui commissa sit facultas dispensandi cum Titio toties, quoties opus fuerit. Similiter morte Episcopi non cessat facultas absolvendi, quam ab eo habent Confessarii relate ad pœnitentes indeterminatos, vel relate ad eundem pro vicibus indeterminatis. Et similiter morte Papæ, quamvis cessent in Summo Pœnitentiario facultates dispensandi juxta dicta q. 1. c. 2. tamen non cessant facultates absolvendi, & expediendi ea, quæ pertinent ad forum Conscientiæ.

Certum est tertio, Facultates, Licentias, Gratias, Privilegia, &c. extingui morte concedentis, si concedantur cum hac clausula *Quamdiu vixero*, vel *ad beneplacitum meum*, aut *donec voluero*; quia voluntas humana perit morte personæ, ex cap. *Gratiosa, de Rescript. in 6.* Similiter cessant morte concedentis, si dicatur *Pro uno anno ad meum beneplacitum*, & ille moriatur intra annum: Suar. l. 8. *de Leg.* c. 31., idemque etiam secundum Perez, si dicatur *Ad annum, & beneplacitum meum*; addit tamen, non cessare ejus morte intra annum, sed tantum elapso anno, si dicatur *Ex beneplacito ad annum*; quia Ly *beneplacitum* ponitur sic, ut proprium gratiæ factæ per annum. Contra vero nullatenus cessat morte concedentis, si dicatur *Ad Beneplacitum Sedis*, quia Sedes est perpetua, adeoque perpetua est gratia, donec a successore revocetur. Idemque est, si dicatur *Ad Beneplacitum Sedis, & Personæ*, quia præcedit Ly *Sedis*. Idemque est, si dicatur *Donec revocavero*, quia revocatio debet fieri per actum positivum, qui non habetur per meram mortem concedentis, aut amotionem ab Officio: Perez *de Matr.*, & alii.

Dubium superest de Facultate dispensandi delegata omnino determinate, hoc est cum determinata persona, & pro hac tantum vice, qualis committi solet in rescriptis commissoriis Datariæ, aut Pœnitentiariæ. Qua in re noto, ejusmodi commissionem, aliam dici Realem, aliam Personalem: Realis est, quando committitur alicui, non habito respectu ad ejus personam, sed principaliter ad ejus officium, ut si dicatur *Episcopo, Vicario, Officiali Diœcesano, &c.* imo, etiamsi addatur deinde nomen ejus proprium *Tibi Episcopo N. N. committimus, &c.* quia etiam videtur attendi principaliter ad Officium: Personalis dicitur, quando committitur alicui, habito principaliter respectu ad ejus personam; ut si dicatur *Tibi N. N. committimus, &c.* vel *Tibi N. N. Episcopo committimus, &c.* quia nomen proprium præpositum officio indicat eligi propriam personam: Pignatel. & alii. De utraque ergo videndum primo, an cesset morte Delegati? Secundo, an cesset morte Delegantis?

Dico primo: Si commissio sit personalis, cessat omnino morte Delegati; secus vero, si sit realis: Doctores Communiter. Ratio est; quia, si sit personalis, durat præcise durante persona: hinc, si dispensatio exequenda committatur N. N. Vicario, non potest eo mortuo executioni mandari a novo Vicario, neque a quovis alio etiam Episcopo, quia durat durante præcise persona; unde etiam est, quod, etiamsi ille amoveatur ab officio Vicarii, adhuc possit eam exequi, etiamsi creetur Episcopus ejusdem loci, quia adhuc manet persona electa. Contra vero in commissione Reali, ut communiter solet esse; si enim committatur v. g. Vicario N. N., eo mortuo, vel amoto ab officio, poterit executioni mandari a novo Vicario generali, quia, quamvis Vicarius non dicatur proprie habere successorem, tamen consuetudo habet, ut hoc fiat in hujusmodi delegationibus: Lauren. q. 197. Dixi *A novo Vicario Generali*; non enim potest executioni mandari a Vicario Capitulari, quia hic non est proprie Vicarius Episcopi, sed Capituli, a quo habet officium: Lauren. q. 562. contra Sanch. nisi vero dicatur *Officiali Diœcesano*, vel *Vicario Neapolitano*, ut notant Tancr. Tamb. & alii.

Notant tamen Corr. Barb. Sperel. & alii, quod, si commissio realis facta sit Episcopo, non potest executioni mandari ab ejus successore, quia ex stylo Curiæ constat, quod, quando Pontifex scit, Sedem Episcopalem vacare, etiamsi litteræ ante sint expeditæ, statim committat Episcopo viciniori. Notant secundo Tamb. & Gob. n. 688. quod, si Episcopus vicinior non expedierit dictam commissionem ante electionem novi Episcopi illius Sedis vacantis, non possit postea expedire, quia semper Pontifex supponitur velle servare dispositiones Trid. *sess.* 22. *c.* 5. volentis, id fieri a proprio Episcopo; sed in hoc probabiliter contradicunt alii, quia commissio illa data est absolute, & non restricta ad tempus, quo pergeret vacare ea Sedes.

Dico secundo: Commissio sive realis, sive personalis, non cessat in Delegato per mortem Delegantis, si res non sit integra: Doctores communiter.

Ratio assertionis est, quia in rescriptis gratiæ res dicitur integra usque ad primum actum judicialem delegati post præsentationem rescripti, uti si is cœperit examinare, jusserit fieri informationem, aut clam vocaverit supplicantem, post talem actum res non dicitur integra: Sanch. l. 8. *Matr.* d. 26. n. 20. Felin. & alii: similiter, si in eodem rescripto committantur plures simul dispensationes inter se connexæ; per primum actum judicialem circa unam, res desinit esse integra etiam quoad reliquas, ex *l. fin. De duobus rei*; secus vero, si illæ non sint inter se connexæ, nisi vero ille actus sit communis omnibus; Sanch. n. 29. Hinc, si res non sit integra, non cessat facultas delegata morte Delegantis, quia per actum illum judicialem firmata est jam in Delegato jurisdictio: ita Doctores.

At, si res adhuc sit integra, putant aliqui cessare facultatem delegatam alicui in ordine ad causandum effectum in persona determinata, quia nondum est gratia facta huic personæ, sed facienda, & ex cap. *Si cui, de Præb. in 6.*, gratia, si sit facienda, cessat morte Delegantis: Sanch. tamen l. 8. *Matr.* d. 28. n. 87. negat, cessare facultatem dispensandi per rescriptum Datariæ commissam, quia per tales commissiones obligatur delegatus exequi gratiam, & consequenter persona dispensanda acquirit jus ad illam, adeoque dicenda est gratia facta: ergo non cessat morte delegantis. Neque dicas, potestatem jurisdictionis delegatam expirare morte concedentis, ex cap. *Relatum, de Officio Delegati*; nam ibi sermo est de potestate jurisdictionis delegatæ contentiosæ, quæ computantur inter rescripta Justitiæ, non vero de rescriptis gratiæ.

Infers hinc, facultatem datam alicui, ut possit sibi Confessarium eligere, ut absolvatur a reservatis, & a per talem Confessarium, non expirare morte concedentis, etsi res sit integra, quia est gratia jam illi facta, utpote ei concessa: Doctores communiter contra Sylv Tabien. & Angel. apud Merol. n. 409. Similiter literæ dimissoriæ ad Ordines suscipiendos, facultas alicui a Rege concessa instituendi majoratum, &c. non expirant morte concedentis, etsi res sit integra, quia sunt gratiæ factæ.

Inferunt e converso Sanch. Suar. & alii, facultatem concessam alicui Sacerdoti, ut absolvat Titium a casu reservato, expirare morte concedentis re integra, quia per talem facultatem Sacerdos ille non obligatur absolvere, adeoque Titius non acquisivit jus ad absolutionem, & consequenter non est gratia illi facta, sed per liberam voluntatem Confessarii facienda. Sed Lug. Tambur. Sa, Per. & alii probabiliter dicunt, nullam facultatem commissam alicui in ordine ad causandum effectum in alio, expirare morte concedentis, etiamsi res sit integra, nisi aliter decisum sit in jure; & ratio ipsorum est, quia concedens per talem commissionem censetur velle favere illi tertio; ergo hæc eadem facultas data Commissario censenda est gratia facta illi tertio: Jus autem Canonicum solum excipit materiam ambitiosam, seu beneficialem, statuens, facultatem alicui concessam de providenda certa persona beneficio vacaturo expirare morte concedentis, ex cit. cap. *Si cui, de Præb. in 6.*, & rursus excipit materiam contentiosam, seu rescripta Justitiæ, ex cap. *Relatum, de Resc. in 6.* ad quod reducuntur leges civiles, quæ statuunt: mandatum expirare morte mandantis.

DISPUTATIO V.

De Privilegiis.

AD leges etiam pertinent privilegia. Duas igitur Quæstiones continet præsens disputatio: I. Est de natura Privilegiorum. II. De cessatione privilegii. Quibus in calce addemus Appendicem de Jubilæo Anni Sancti.

QUÆSTIO I.

De natura Privilegiorum.

VIDENDUM I. Quid, & Quotuplex sit privilegium? II. An omne privilegium sit late interpretandum? III. A quo, & cui privilegia concedi possint?

CAPUT I.

Quid, & Quotuplex sit Privilegium.

PRIVILEGIUM ex cap. *Abbate de V. S.* est *Lex privata concedens beneficium*: Non quod vere sit Lex, nisi in quantum obligat alios, ne impediant privatum ab usu sui privilegii, seu beneficii, ac favoris diuturni sive contra, sive præter legem concessi. Hinc privilegium differt a gratia, & licentia, quæ dantur ad unum tantum, vel paucos actus. Differt etiam a dispensatione, quia hæc respicit legem, a qua eximit; quod non est necessarium privilegio.

Quæres primo, Quotuplex sit privilegium?

Respondeo, Dividi primo in Personale, & Reale. Personale est, quod conceditur uni, vel pluribus personis ex tota Communitate seorsim spectatis. Reale est, quod conceditur Loco, Officio, Dignitati, Statui, Familiæ, aut particulari Communitati sub alia universali contentæ; ideoque adhuc dicendum est lex privata, quatenus Communitas illa particularis respectu universalis censetur esse quid privatum.

Secundo, Dividitur in perpetuum, & temporale. Illud est semper reale, quia in omne tempus etiam ad posteros, & successores indefinite extenditur, nisi revocetur. Hoc vero potest esse, vel reale, vel personale, si nimirum conceditur loco ad tempus definitum, aut personæ ad ipsius vitam.

Tertio, Dividitur in commune, & singulare. Primum est, quod immediate respicit, ac intendit bonum Communitatis, ut est privilegium Canonis, & Fori, statui Clericali concessum, cui proinde Clericus renunciare non potest. Secundum vero est, quod immediate respicit bonum personæ, cui proinde renunciare libere potest.

Quarto, Dividitur in favorabile, & odiosum. Favorabile est, quod ita confert beneficium alicui, ut nemini afferat incommodum, ut si concedatur Titio privilegium comedendi carnes diebus vetitis; odiosum, quod ita confert alicui beneficium, ut sit in damnum tertii, ut est immunitas a solvendis decimis, quæ certe exactori est damnosa.

Quinto, Dividitur in privilegium ad instantiam partis, & ex motu proprio. Primum est, quod conceditur non ex alio motivo adæquate movente, quam propter instantiam, & petitione ipsius privilegiati, aut ejus patroni, aut ejus vicem gerentis. Secundum est, quod ex alio motivo adæquate movente conceditur, quod motivum satis est, si exprimatur illis verbis *Motu proprio*; etiamsi ibidem exprimatur instantia partis; hac enim expressione solum tunc indicatur, quod concedatur ex motu proprio, sicuti petitum est, non vero quia petitum est: vel, etiamsi concedatur, quia petitum, tamen adhuc concessum fuisset non petitum.

Sexto, Dividitur in privilegium ad instar, & privilegium per communicationem. Primum est, quod conceditur uni ad formam, & similitudinem privilegii, quod concedebatur alteri, sive alter illud acceptaverit, sive non, itaut, etiam mutata illius forma, sive aucta, sive imminuta, sive renunciata, sive revocata, non hoc ipso idem contingat oportet privilegio ad instar concesso. Ubi noto, privilegia, uni mendicantium Ordini concessa intelligi concessa aliis non solum ad instar illorum, sed principaliter ex Bulla Pii V. *In favor. Soc. Jes.* 16. *Aug.* 1567. *ap.* Viv. *in Append.* §. 1. n. 2. Secundum est, quo conceditur alteri participatio ejusdem privilegii, quod uni jam concessum, aut deinceps concedendum est, ita tamen, ut hoc revocato, aut mutato, hoc ipso censeatur revocatum, aut mutatum privilegium per communicationem: ubi etiam noto, quod, quando uni v. g. Religioni conceditur communicatio privilegiorum alterius, intelligi debet, dummodo ea privilegia non adversentur proprio instituto, vel per specialem clausulam non sint excepta.

Septimo, Dividitur in gratuitum, & remunerativum. Primum est, quod conceditur independenter a præcedentibus meritis. Secundum est, quod conceditur dependenter, & in illorum remunerationem. Rursus dividitur in absolutum, seu purum, quod est independens ab omni conditione, conventione, aut pacto: & in conditionatum, seu conventionale, quod conceditur sub certa conditione, conventione, aut pacto, in quo etiam manet ratio privilegii, seu beneficii, cum sit exemptio quædam a jure communi, qua alii carent.

Octavo, Dividitur in scriptum, & non scriptum. Primum est, quod est sigillo Superioris concedentis obsignatum, nisi fuerit corpori juris communis insertum, vel ex suo originali manu Notarii publici transcriptum, aut sigillo personæ in dignitate constitutæ firmatum, ex Bulla Jul. II. apud Castrop., & alios; & ejusmodi sunt privilegia bullata. Secundum est, quod concessum est tantum oretenus, seu, ut dicitur, *Vivæ vocis oraculo*, vel acquisitum est decennali consuetudine legitime præscripta ex tacito Principis consensu.

CAPUT II.

An omne Privilegium sit late interpretandum?

SUPPONO ex dictis, duplex esse genus privilegiorum. Primum est, quod ita confert alicui beneficium, ut nemini noceat, ideoque vocatur absolute favorabile. Secundum est, quod infert tertio damnum, aut incommodum, ideoque dicitur odiosum; & tale est, quando derogat juri alicujus tertii, vel juri communi. His notatis.

Dico primo: Privilegium, quod in nullius præjudicium cedit, late interpretandum: Doctores communiter, ex cap. *Olim*, *de V. S.*

Ratio est, quia sic est purum beneficium Principis, quod latam admittit interpretationem, *l. Beneficium*, *ff. de Constit.* item favor, & gratia semper amplianda est, *l. Hoc modo*, *ff. de Condit. & demonstr.* Cæterum hæc lata interpretatio non extenditur ultra significationem verborum naturalem, & civilem, juxta dicta d. 2. q. 5. c. 3., quare ex communi proloquio, *Privilegium tantum valet, quantum verba sonant*: hinc sub Privilegiis Religiosorum comprehenduntur etiam Religiosæ, & Novitii; dummodo sexus masculinus per alias voces non determinetur, & feminæ non sint illorum privilegiorum incapaces. Extensio autem privilegii ad alias personas, vel ad alios casus non comprehensos in verbis, fieri potest tantum in connexis jure, aut consuetudine; sic sub nomine mariti venit etiam uxor in iis privilegiis, quorum ea est capax, puta privilegium nobilium concessum marito extenditur etiam ad uxorem & liberos, l. 1. cap. *de Dignit.* Privilegium concessum viro nobili ad audiendum Missam tempore interdicti, extenditur etiam ad famulos eum comitantes; & similiter privilegium ad aliquem usum extenditur ad connexa, sive tanquam media, sive ut accessoria, sive ut species cum genere.

Dico secundo: Privilegium derogans juri communi, ordinarie est stricte interpretandum: Doctores communiter ex cap. *Sane*, & cap. *Porro*, *de Privil.*

Ratio est, quia, qua parte privilegium derogat juri communi, includit dispensationem, quæ stricta est interpretanda, utpote vulnus legis; juxta dicta d. 4. Hinc, si illegitimo concedatur privilegium ad Ordines, intelligendum tantum de Ordinibus minoribus, quia, quoad minus fieri possit, debet lædere jus commune contra illegitimos: idem est, si illegitimo, vel alias irregulari detur facultas ad beneficium; intelligitur enim de beneficio simplici, juxta dicta d. 3. Idem est, si privilegium deroget statuto, vel consuetudini speciali, dummodo statutum, vel consuetudo non adversentur juri communi: Suar. Bon. & alii; ideoque privilegiatus ab oneribus suæ Civitatis, intelligi debet de oneribus extraordinariis, & non de ordinariis: Sylv. Suar. l. 8. *de Leg.* c. 28. n. 16.

Quæres, An hæc conclusio habeat aliquas exceptiones?

Respondeo, Habere tres exceptiones. Prima est, si privilegium cedit in favorem Religionis, aut causæ piæ, tunc enim, etsi aliquo modo deroget juri communi, late est interpretandum, quia pro Religione facit summum jus, *l. Sunt personæ*, *ff. de Relig.*, *& Sumpt. Fun.* Hinc, quamvis privilegium concessum filiis familias contra jus commune stricte sit interpretandum pro solis legitimis; tamen, si cedat in favorem Religionis, vel causæ piæ, extenditur etiam ad legitimatos: Suar. Bett. Pal. & alii. Secunda est, Si privilegium sit incertum in jure communi; sic enim est potius ei conforme, cum illud constituat: Suar. Bon. & alii; hinc privilegia realia in perpetuum late sunt interpretanda, quia ob eorum perpetuitatem censentur, ac si forent juri communi-

-muni inserta; Sanch. l. 8. *Matr.* d. t. n. 8. Tertia est, si privilegium sit ex proprio motu, vel ex certa scientia concessum, quia sic est proprium beneficium Principis; ideoque docet ejus honorem, ac liberalitatem lata interpretatio: Sanch. n. 5. & alii.

Dico tertio: Privilegium derogans juri privato tertii, est stricte interpretandum. Ita Sanch. n. 6. Suar. Bon. & alii plurimi ex *l. t. ff. Ne quid*, & cap. *Certific. de Rescript.*

Ratio est, Quia non præsumitur Princeps velle juri tertii derogare, nisi id expresserit: ergo tale privilegium est restringendum ad proprietatem tantum naturalem verborum. Hinc privilegium concessum ad lites est restringendum, quia præbet occasionem vexandi alios, ac frequenter minuit inferiorum judicum potestatem. Idem est de privilegio ambitioso, quale reputatur ad plura beneficia obtinenda; semper enim hoc derogat juri communi, vel alterius tertii; ex qua etiam ratione privilegium concessum ad beneficia vacantia conferenda, non intelligitur de beneficiis providendis ab Episcopo, nisi id exprimatur: Sanch. l. 9. *Matr.* d. s. n. 3.

Ut ergo privilegium deroget juri comuni, vel tertii, ordinarie requiritur clausula expresse illius derogatoria; præsertim, si jus commune privilegiis resistat, derogando, seu revocando illa: Suar. l. 8. c. 14. num. 4. & 5. Felin. Pal. & alii. Idem est, si privilegium sit contrarium juri tertii, vel consuetudini, aut statuto speciali; non enim ei derogat, si non contineat clausulam expresse derogatoriam illius, quia nunquam præsumitur Princeps velle derogare juribus specialibus, nisi illorum faciat mentionem, eo quod ignorare illa non præsumitur, ex c. 1. *de Constit. in 6.* Suar. n. 8. Si autem jus commune privilegiis expresse non resistat, tunc probabile est ex Pal. Suar. & aliis, quod privilegium concessum contra illud adhuc ei deroget, etiamsi non contineat clausulam expresse ejus derogatoriam, quia Princeps non præsumitur ignorare jus commune: ergo præsumitur, velle ei derogare per tale privilegium; secus enim præsumeretur nihil velle concedere: hinc privilegium datum Minoribus celebrandi in Altare portatili absque clausula derogatoria juris communis requirentis licentiam Episcopi, vim habet absque illa: Glos. *in c. t. cit.* Similiter, si tibi concedatur privilegium adversus privilegium in corpore juris insertum, valet: Suar. num. 8.

Ex dictis infers, Te posse uti tuo privilegio adversus privilegium alterius, nisi per hoc sit specialiter tuo derogatum: v. g. exemptus es a decimis solvendis, & alius habet privilegium exigendi decimas a quocumque in tuo territorio existente, tu non teneris solvere: similiter habes privilegium, ne ob debita mittaris in carcerem; alius vero habet privilegium comprehendendi quemlibet suum debitorem, adhuc poteris uti tuo privilegio; ratio est, quia, cum tuum privilegium sit speciale, & aliud sit generale, speciale prævalet; generi enim derogatur per speciem, ex *Reg. 34. Jur.*; in generali enim subintelliguntur excepti Privilegiati specialiter, nisi in eo his expresse derogetur: Pal. & alii communiter. At si sint duo privilegia sibi contraria, itaut in concordiam duci non possint, tunc prævalet antiquius, vel quod est altiori Prælato concessum: Suar. l. 8. c. 23. n. 5. & 6. ideoque, inquit Rodr. si Monasterium jam ædificatum privilegio gaudeat, ne aliud intra certas cannas ædificetur, & alteri sit concessum intra cannas illas ædificare, non videtur, hoc prævalere illi, nisi expresse ei deroget.

CAPUT III.

A quo, & cui Privilegia concedi possint?

DIco primo: Solum concedi possunt a Legislatore, vel ejus Superiore, aut Successore: Suar. l. 8. c. 8. Bon. & alii communiter.

Ratio est, quia, si privilegium sit dispensativum Legis, sequitur, quod nemo alius possit propria auctoritate illud concedere. Si vero sit concessivum facultatis extra Jus commune, aut speciale, qui hoc concedit, debet simul posse ferre Legem obligantem alios, ne impediant Privilegiatum ab usu sui privilegii: ergo soli, qui habent potestatem Legislativam, possunt privilegia concedere.

Dico secundo: Si privilegium sit dispensativum, solum Subditis, qui Lege arctantur, concedi potest. Si sit facultatis concessivum, concedi potest etiam non Subditis: Doctores communiter.

Ratio est, quia priori privilegio soli Subditi indigent, ut a Lege eximantur; posterius vero privilegium non arctat Privilegiatum ad ejus usum: ergo sicut non Subditus capax est cujusvis donationis, ita & talis privilegii: addo tamen, quod, cum tale privilegium involvat respectu aliorum, qui Privilegiati non sunt, rationem Legis obligantis, ne Privilegiatum ab ejus usu impediant; ideo, dum conceditur non Subdito, debet esse de materia Concedenti subjecta, & circa quam Subditos cogere potest: ita Doctores citati.

Quæres primo, An in Concessione privilegii requiratur aliqua causa?

Respondeo, Si sermo sit de concessione valida, non requiri causam; requiri vero, ut concessio sit licita. Ratio primæ partis est, quia si privilegium sit purum beneficium, est de bonis Concedenti subjectis, & quorum ipse est Dominus, ideoque valide ab eo conceditur, etiam sine causa. Si privilegium sit dispensativum suæ Legis, sicut potest etiam sine causa Legem totam valide abrogare, ita & limitare ejus obligationem, eximendo aliquos: Sanch. l. 8. Matr. d. 1. & alii communiter. Ratio secundæ partis est, quia si privilegium sit dispensativum, fieret contra justitiam distributivam, si concederetur alicui sine causa; si sit purum beneficium, esset prodigalitas, & acceptio personarum, & occasionem daret invidiæ, & perturbationis reliquis non privilegiatis: Suar. l. 8. c. 21. n. 2. & alii communiter.

Hinc cum non sit præsumendum, quod Legislator velit privilegium dare sine causa (non enim præsumendum est, velle peccare) sequitur, ut de facto invalidum etiam sit privilegium, si causa, ob quam fuit concessum, vera non est, sed falso allegata; nisi vero privilegiatus bona fide processit, vel Princeps motu proprio privilegium concessit, ut limitant Sal. Pal. & alii.

Quæres secundo, An Privilegiatus uti possit suo privilegio in quolibet loco, etiam extra Territorium Concedentis?

Respondeo affirmative, Dummodo privilegium concessum sit absolute, & sine ulla limitatione, & finis concessionis non sit pro loco determinato, nec usus talis Privilegii sit alibi probibitus Jure communi, aut speciali aliqua consuetudine, aut statuto: ratio est, quia positis his conditionibus non conceditur revera privilegium pro omni loco, sed tollitur impedimentum, quod suam inhabilitatem impediebat: sic si dispenseris a tuo Episcopo in Irregularitate ad usum Ordinum, ubi libet poteris eos exercere, &c. Contra vero Hispanus Privilegiatus per Bullam Cruciatæ ad lacticinia tempore Quadragesimæ, non potest extra Hispaniam ea comedere, quia finis concessionis fuit temperare rigorem Jejunii ob Subsidium, & Eleemosynam ab Hispanis datam. Vide, quæ diximus d. 2. q. 3. & d. 4.

Quæres tertio, An Privilegiatus teneatur uti suo privilegio.

Respondeo negative per se loquendo, ex cap. *Si de Terra, de Privil.* quia, quod in favorem alicujus factum est, non debet in gravamen ejus retorqueri, ex *Reg. 16. Jur. in 6.* Dixi, *per se loquendo*; nam Clericus tenetur uti privilegio Canonis, & Fori, si casus occurrerit, quia privilegium hoc non est concessum sibi, sed statui Clericali, & cum ipse statum Clericalem a se abdicare non possit, ideo non potest cedere tali privilegio. Similiter si privilegium habeas audiendi Missam tempore Interdicti, illam audire teneris diebus Festis; quia talis obligatio, ut vides, non provenit ex privilegio, sed ex præcepto Ecclesiæ, quod prællo obligat non impedito.

QUÆSTIO II.

De Cessatione Privilegii.

VIDENDUM I. An, & quomodo cessare possit privilegium per revocationem? II. An, & quomodo per Renunciationem? III. An, & quomodo aliis modis?

CAPUT I.

An, & quomodo cessare possit Privilegium per Revocationem?

SUPPONO ex dictis, Aliud esse privilegium Remunerativum, quod scilicet datur in præmium, seu remunerationem servitiorum, quæ a Privilegiato sunt Principi exhi-

exhibita; cui etiam simile est privilegium Onerosum, seu Lucrativum, quod scilicet datur ob aliquod onus, seu lucrum a Privilegiato exhibitum. Aliud esse privilegium gratuitum, quod scilicet ex Voluntate omnino libera Principis conceditur, sive illud transferat in Privilegiatum aliquod dominium, puta Jus decimandi, exigendi aliquod tributum, &c.; sive det tantum exemptionem a Lege communi, aut aliquem usum præter Legem., His suppositis.

Dico primo: Si privilegium sit gratuitum, & det tantum exemptionem a Lege, aut usum aliquem præter Legem, potest a Concedente, ejusque Successore valide revocari, etiam absque causa: Suar. l. 8. *de Leg.* c. 37. n. 10. Sanch. Fel. Bon. & alii communiter.

Ratio est, quia potest ipse Concedens, ejusque Successor, Subditum ita exemptum a Lege iterum Legi subjicere, veluti renovans præceptum, quod relate ad illum sustulit, & similiter revocare valide potest facultatem gratuito concessam ad aliquem usum præter Legem. Peccaret tamen saltem venialiter, si sine causa revocaret, quia sine causa mutare Voluntatem, levitatis est, & inconstantiæ, & contra naturam beneficii Principis, quod decet, esse mansurum, ex *Reg. Decet.*, *de Reg. Jur. in 6.*

Dico secundo: Si privilegium sit gratuitum, sed dominium transferat in Privilegiatum, non potest a Concedente, ejusve Successore valide revocari absque causa. Suar. n. 7. Bon. Sanch. & alii.

Ratio est, quia Donatio acceptata a Donatario non potest ad libitum Donantis revocari; secus enim absque causa posset quis privari rebus suis: ergo, si tibi datum sit privilegium exigendi aliquod tributum, non potest a Concedente pro suo libito tolli, quia possides illud, tanquam bonum proprium per translationem dominii, nisi vero concessum sit precario, seu quousque Concedenti placuerit: Pal. & alii.

Quæres, Quæ sit causa legitima ad revocandum tale privilegium?

Respondeo, Si tale privilegium concessum sit non Subdito, solum revocari posse cum causa, quæ sufficeret ad donationem perfectam valide revocandam. Si vero concessum sit Subdito, revocari valide potest, etiam quoties ad publicam utilitatem spectaverit talis revocatio, quia bona Subditi subduntur dispositioni Principis in ordine ad publicam utilitatem. Itaque ex justa causa (quæ ex Bart. probari debet) revocari possunt hæc privilegia, etiam absque compensatione, utpote gratis data: Suar. l. 8. *de Leg.* c. 37. n. 9.

Dico tertio: Si privilegium sit Remunerativum, & a fortiori si sit Onerosum, vel per Contractum, non potest valide revocari absque justa causa: ita Suar. n. 5. & 6. Sanch. Bon. Sal. Lop. & alii communiter.

Ratio est, quia quocumque modo debitum erat tale privilegium sive ex gratitudine, sive ex justitia, Privilegiatus, eo acceptato, cedit tali debito, & consequenter privilegium etiam remuneratorium transit in contractum; sed quod quis habet ex contractu, non potest juste amittere absque legitima causa; igitur, &c. Hæc autem causa non potest esse alia, nisi causa publica, hoc est bonum commune, publica utilitas, &c. ob quam scilicet bona privata subduntur dispositioni Principis; ideoque nequit ullatenus spoliari tali privilegio non Subditus, sed solus Subditus.

Rursus præter dictam causam ad revocandum privilegium concessum per contractum, requiritur etiam restitutio pretii accepti, vel æquivalens operi exhibito; aliter revocatio esset injusta, adeoque nulla: Doctores cit. communiter. Hinc privilegia in Bulla Cruciatæ non revocantur per Jubilæum Anni Sancti, quamvis in hoc Pontifex dicat, se revocare omnes gratias, privilegia, facultates cuicumque, & quacumque ex causa sint concessa; quia illa sunt concessa sub contractu oneroso, ob Eleemosynam scilicet collatam; ideoque debebat de iis specialis mentio fieri: Bon. Sal. Basil. & alii ex Clem. VIII. & Urb. VIII.

Ad revocationem vero privilegii remuneratorii, si remuneratio non est debita ex justitia, sed tantum ex gratitudine, Suar. Basil. & Bon. satis probabiliter dicunt, præter causam publicam non requiri compensationem. Sed Pal. cum aliis dicit, esse probabile oppositum; quia Compensatio, quamvis non debeatur ex justitia, præcise ob merita, tamen debetur ob eorum cessionem, quam Privilegiatus fecerat, acceptando privilegium, quæ cessio est pretio æstimabilis. Nota hic, quod, ut privilegium censeatur concessum in præmium, & remunerationem meritorum, requirit specialem illorum mentionem, ita ut expresse dicatur ob hæc, & illa merita hoc tibi privilegium concedo, quia privilegium ob merita concessum debet illis adæquari, nec potest id constare, nisi merita specificentur: hinc non satis est generalis eorum mentio, quia sic censetur potius dici pro honore Privilegiati, quam pro veritate: Pal. & alii ex plur. text.

Quæres primo, An Regulares amiserint jam sua privilegia, quæ per Tridentinum expresse sunt revocata?

Respondeo affirmative, ut constat ex Prop. 36. damnata ab Alex. VII. *Regulares possunt in foro Conscientiæ uti suis Privilegiis, quæ sunt expresse per Concil. Trid. revocata.* Et ratio est, quia, cum Pontifex damnet hanc propositionem, ut scandalosam, sequitur, ut valide Tridentinum, etiam absque compensatione, revocaverit talia privilegia, utut viderentur remuneratoria; erant enim concessa solum ob merita in genere, ideoque non erant rigorose talia.

Neque dicas primo, Talia Privilegia concessa fuisse cum clausula derogatoria cujusvis revocationis futuræ, nisi fiat de illis de verbo ad verbum expressa mentio, quod non fecit Trid. quod verbis tantum generalibus ait, *Privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis*; Nam contra est, quia Trid. *sess.* 25. c. 22. *de Regul.* expresse derogat huic clausulæ dicens: *Non obstantibus eorum, & singulorum privilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis*; & Pius IV. in Bull. *In Principis*, an. 1565. quæ habetur in calce Tridentini, confirmans ejus Decreta ex motu proprio, & ex certa scientia, supplet, & complet omnes formulas derogatariarum derogatorias. Addo, quod ex usu, & stylo Curiæ sufficit ad revocationem Privilegiorum clausula generalis, *Non obstantibus, &c.* & Urb. VIII. ann. 1631. declaravit, omnes Constitutiones Apostolicas comprehendere omnes Regulares, nisi expresse excipiantur, quin iis prosint clausulæ quæcumque in contrarium suis privilegiis superadditæ: Dian. p. 11. t. 2. r. 9.

Neque dicas secundo, Eundem Pium IV. postea confirmasse omnia privilegia Ordinis SS. Trinitatis, & Pium V. Privilegia Soc. Jesu, & Urb. VIII. Privilegia Congregationis S. Mauri; nam contra est, quia cum in his nulla fiat mentio revocatorum a Tridentino, tacite intelliguntur excepta; nunquam enim derogatur Concilio generali, nisi exprimatur. Quod autem Pius V. ann. 1566. expresse restituerit Minoribus omnia privilegia revocata a Trid., revocatum fuit postea a Greg. XIII. & quod idem Greg. XIII. deinde per Bullam innovaverit in favorem Minimorum privilegia, & oracula Mendicantibus concessa, revocatum fuit ab Urb. VIII. juxta dicenda q. sequ.

An autem, quod dictum est de privilegiis expresse revocatis per Tridentinum, intelligendum sit etiam de implicite ab eo revocatis, est dubium. Negant Rodr. Mirand. & Portell. quia implicita, seu tacita revocatio fit tantum per Legem contrariam privilegio, nulla facta ejus mentione, ne per clausulam quidem generalem *Non obstantibus, &c.*; cum ergo privilegia Regularium habeant secum clausulam derogatoriam revocationis futuræ, nisi de eis fiat mentio, sequitur, &c. ideoque dum Trid. *sess.* 23. c. 8. statuit, quod nemo possit extra tempora ordinari, nec addit, *Non obstantibus, &c.* sequitur, quod non revocaverit quoad hoc privilegium Mendicantium, saltem pro foro Conscientiæ. Sed contradicit communis sententia, tum quia satis est, si Tridentinum condiderit Legem contrariam, tum quia, etiamsi ipsum expresse non revocaverit, tamen revocavit expresse Pius IV. in Bulla ejus confirmativa, in qua revocantur quæcumque privilegia, quæ Tridentini Decretis contradicunt.

Quæres secundo, An revocata sint privilegia Regularium vivæ vocis oraculo concessa?

Respondeo affirmative, ut constat ex Constit. Urb. VIII. *Alias* 20. Decemb. 1631. in qua abrogantur omnia plane privilegia vivæ vocis oraculo, etiam in se ad usque illud tempus concessa Regularibus, quamvis intuitu Regum, & a Cardinalibus subscripta essent. Est autem vivæ vocis oraculum, privilegium oretenus concessum, & sufficienter dictatum, ut scribi possit, quamvis per accidens non sit litteris authenticis scriptum. Si autem postea sit per Bullam confirmatum, tunc distinguendum: si sit confirmatum in specie, jam transit in Privilegium scriptum, seu bullatum, ideoque non est revocatum per dictam Constitutionem: si sit confirmatum tantum in genere, v. g. *Confirma omnia Privilegia vivæ vocis oracula, &c.* Peyrin. Garz. & alii apud Dian. p. 11. t. 6. r. 45. putant, nec esse revocatum per dictam Constitutionem, quia est etiam bullatum. Sed contradicunt Dian. Mend. Lug. & alii communius; tum quia in dicta Constit. revocantur omnia vivæ vocis oracula quomodocumque Regularibus concessa, non obstantibus omnibus

Con-

Constitutionibus, & Literir Apostolicis, tum quia alias fere nihil revocasset dicta Constitutio, tum demum quia coufirmationes generales relinquunt vivæ vocis oracula in suo esse vivæ vocis, cum non faciant, ea esse scripta in Literis Apostolicis.

Excipe primo Cappuccinos; expresse enim declaravit Urban. *In nostra revocatione non intelliguntur vivæ vocis oracula vobis Cappuccinis concessa*; sed in hoc alii Regulares non communicant, quia Communicatio non habet locum in exorbitantibus, ut doceut Tamb. Moy. & alii apud Croix n. 854. Secondo, Excipiunt magni Doctores, inquit Gob. Escob. cum Peyr. & Bord. vivæ vocis oracula, quæ concernunt Indulgentias, quia applicatio Indulgentiarum non est proprie privilegium. Sed oppositum docent alii cum Croix n. 861. ex dicta Constitutione, nisi vero sermo sit de Indulgentiis post visitationem a Provinciali Soc. Jesu relictis, quas Urb. interrogatus dixit non revocari. Excipe tertio Declarationem viva voce a Pontifice factam circa suas Bullas, quia non sont vivæ vocis oracula, sed tantum manifestationes intentionis, quam tunc habuit in concedendis Bullis. Excipiunt quarto Turr. Peyr. & Bord. Communicationem viva voce factam privilegii per Bullam aliir concessi; sed probabilius est oppositum, quia communicatio illa est privilegium vivæ vocir tantum: v. Croix n. 851. De revocatione Indulgentiarum dicam mox in Appendice.

CAPUT II.

An, & quomodo cessare possit Privilegium per Renunciationem?

SUPPONO primo, Renunciationem privilegii aliam esse expressam, aliam tacitam, scilicet per non usum, per actum contrarium usui, per abusum. Suppono secundo, Aliqua privilegia nullo modo a Particulari renunciari posse, ut sunt, quæ in bonum commune directe ordinantur: sic nullus Clericus renunciare potest privilegio Canonir, & Fori, quia statui Clericali concessum est: item nec Religiosus privilegiis suæ Religioni concessis: item si privilegium sit pluribus pro indiviso concessum, non potest quilibet eorum seorsim renunciare, quia non potest præjudicari juri aliorum quæsito: item privilegium, quod consistit in Dispensatione absoluta alicujus vinculi, nequit renunciari; sic Dispensatus absolute in Irregularitate, in Voto, &c. nequit per renunciationem ad vinculum redire. Loquimur ergo hic tantum de privilegiis, quæ in bonum Privilegiati primo, & per se cedunt, quia hæc solum sunt, quæ renunciari possunt: De hir ergo

Quares primo, An privilegium renunciabile cesset per solam Voluntatem renunciantis?

Respondeo negative, quia per solam Voluntatem renunciantir non immutatur Voluntas concedentis privilegium: ergo hoc non cessat, cum ab ea pendeat; hinc requiritur, ut Voluntas, & quidem libera renunciantis manifestetur, & insuper acceptetur a concedente, quia hujut Voluntas utpote absolute concedens privilegium, ut suppono, tamdiu perseverat, quamdiu non retractetur. Neque dicas, Beneficia non conferri invitis; nam id verum est, dum primo privilegium acquiritur, ideoque requiritur, ut Privilegiatus illud tunc acceptet, sicut ut Donatariut acceptet Donationem: at si postea illud recuset, non sufficit ad ejus cessationem, nisi qui concessit, eadem Renunciationem acceptet: Pal. *de Privil.* p. 17. n. 7. vide, quæ diximur d. 4. de renunciar. dispens.

Hinc, si habeas privilegium eligendi Confessarium, celebrandi ante horam Consuetam, comedendi carnes diebus vetitis, &c. & huic renunciaverir, vel mente, vel etiam voce, seu facto, adhuc poterir eo uti, si nondum renunciatio manifestata legitime sit, aut nondum acceptata a concedente, quia ante hoc potes Voluntatem tuam, vel dictum retractare, & privilegium, seu jus quæsitum servare. Imo potes illud etiam primo acquirere, etiamsi prius animo, val etiam voce repudiaverir, dummodo accepres, antequam concedent tale tuum repudium acceptaverit: Doctores communiter ex cap. *Licet*, *de Procur.* ubi dicitur, quod, qui ab absente constituitur Procurator, & nolit suscipere mandatum sibi præsentatum, poterit deinde illud suscipere, si mandaur in eadem sua Voluntata persistat, idemque est de Electo prius recusante, & postea acceptante electionem, modo maneat Voluntar Electorum: v. Sanch. l. 8. Matr. d. 32. n. 2.

Quæret secundo, An privilegium renunciabile cesset per non usum?

Respondeo negative, Etiamsi omnino voluntarie, & libere non utaris, quia nec amittis dominium rei tuæ præcise per hoc, quod nolis ea uti, & aliunde non uti tuo privilegio non indicat, te velle tacite ei renunciare, sed tantum te velle frui tua Libertate; & dato, quod tacite renuncies, tamen Renunciatio, etiam expressa, non facit cessare privilegium, nisi sit acceptata juxta dicta: Suar. l. 8. *de Leg.* c. 34. Bon. & alii.

Excipe tamen privilegia, quæ in aliorum gravamen, aut servitutem redundant, ut sunt privilegia decimandi, imponendi tributa, transeundi per fundum alterius, &c. Hæc enim amittuntur per liberum non usum non quidem formaliter, sed occasionaliter, quatenus gravati adversus Privilegiatum longo tempore libere non utentem suo privilegio legitime præscribunt. Ratio est, quia ex eo, quod Privilegiatus non utatur suo privilegio gravante alios, illi permanent possidendo se, & sua: ergo tempore legitimo præscribunt: Suar. Bon. & alii. Addunt tamen Mol. Azor. Pal. & alii, non præscribi contra talia privilegia, si expresse concessa sint, ut utarir quandocumque volueris; sed contradicunt Sal. Suar. l. 8. c. 34. n. 28. quia in quovis privilegio tacite hoc dicitur.

Quæres tertio, An privilegium renunciabile cesset per actum contrarium?

Respondeo negativa, Si privilegium sit gratiosum, itaut neminem aliom gravet, & habeat tractum successivum, ut si habens privilegium non jejunandi, tamen jejunes, quia sic non censeris ei renunciare, cum possis ob alios fines jejunare, &c. Si autem privilegium non habeat tractum successivum, sed datum sit ad unicum tantum actum, certe per contrarium usum illius illico cessat; & in hoc sensu communiter dicitur privilegium amitti per contrarium actum. Similiter, si privilegium datum sit in gravamen tertii, hic præscribere potest tempore legitimo, v. g. si tibi concessum sit privilegium non solvendi decimas, & tu libere solvas per decennium, amittis tandem privilegium ratione præscriptionis legitimæ alterius. Pal. p. 19.

Quæres quarto, An privilegium renunciabile cesset per ejus abusum?

Respondeo, Non cessare ipso facto, nisi ex verbis privilegii aliud constet: Sal. Suar. Bon. Pal. & alii. Ratio est, quia in nullo Jure cautum est, ur, qui abutitur suo privilegio, sit ipso facto privatut, sed tantom quod sit privandus, ut notant Doctores cum Suar. Sal. Bon. & aliis. Dicitur autem abuti quis suo privilegio tripliciter: Primo, Si illud extendat ultra id, quod concedit: Secundo, Si ex illo sumat occasionem delinquendi: Tertio, Si resistat fini, ob quem fuit concessum.

Qui primo modo abutitur, meretur utique privilegio privari, non tamen ipso facto est privatus, nisi ex ejus verbis id constet; ut in cap. 2. *de Postulat.* & cap. *Cum*, *de Elect.* in quibus privaris pro illa vice potestate eligendi, si indignum elegeris. Addit Pal. ex Suar. l. 8. c. 36. n. 8. Bon. & alii, quod, etsi ipso facto imposita sit talis pœna privationis, non teneris, te privilegii usu privare, donec adveniat sententia saltem declaratoria abusus.

Qui secundo modo abutitur, nec privatur quousque saltem adveniat sententia declaratoria criminis. Sic Clericus incedens sine habitu, & tonsura occasione liberius vivendi, non amittit privilegium Clericale, quousque ter admonitus sit ab Episcopo, quo facto privilegium ei prodesse non potest, ex cap. *Contingit*, *de Sent. Exc.* imo putat Pal. non teneri ipsum se privilegium privare, quousque per sententiam declaretur: idem dic de Clerico negotiatore ter monito, & de privatione immunitatis illius, qui delinquit in Ecclesia. v. Pal. p. 20. n. 4.

Qui tertio modo abutitur privilegio, facit ipsum illico cessare, quia facit cessare ejus finem, seu fundamentum, seu conditionem, sine qua illud non subsistit: sic si Clericus conjugatus laice vivat, cessat hoc ipso ejus privilegium Clericale, quia id ei conceditur a Trid. sess. 23. c. 6. sub conditione, ut in habitu Clericali deserviat alicui Ecclesiæ. Cæterum hæc amissio non esse in perpetuum, sed quousque non redeat ad vitam Clericalem. Similiter Episcopus non residens amittit privilegium percipiendi fructus beneficii, quousque non resideat, & Præbendatus habens concessionem percipiendi fructus absque residentia causa studii, si non studeat illos amittit tali tempore. Itaque hoc tertio abusu non cessat privilegium, nisi quoad aliquem actum; nisi vero in totum cesset ejus finis. v. Pal. n. 14.

C A-

CAPUT III.

Quot aliis modis cessare possit Privilegium?

CESSARE potest primo morte Privilegiati, si privilegium sit personale; secus vero, si sit reale: Secundo, Morte Concedentis, vel Delegati, si gratia non sit facta, sed tantum facienda, juxta dicta d. 4. q. 4. c. 2. Tertio, Cessante causa finali, juxta ibidem dicta c. 1. Quarto, Lapsu temporis, si privilegium sit limitatum quoad tempus. Quinto demum, Cessante conditione, sub qua illud est concessum.

In quo tamen notat Suar. l. 8. c. 29. n. 5. Conditionem appositam posse se tenere, vel ex parte concessionis, vel ex parte privilegii. Si ex parte concessionis se teneat conditio, ab ea privilegium pendet quidem in fieri, non tamen in conservari: v. g. Pontifex concedit Monasterio privilegium non solvendi decimas, si Episcopus consentiat: semel consentiente Episcopo, privilegium manet firmum, etiamsi postea Episcopus mutet Voluntatem; quia ejus consensus fuit tantum requisitus ad primum esse privilegii, non tamen ad ejus conservationem. At si conditio se teneat ex parte privilegii, quia scilicet Concedens significat illud dare, quousque ea conditio existat, v. g. Si sis a decimis exemptus, quamdiu Episcopus consenserit, tunc, dissentiente Episcopo, privilegium cessat; quamvis Episcopo iterum consentiente privilegium redeat, quia conditio ista ex illis est, quæ semel sublatæ facile possunt redire; ideoque non sunt destructivæ, sed suspensivæ quoad usum, ut addit Pal. p. 14. n. 4.

APPENDIX.

De Jubilæo Anni Sancti.

VIDENDUM I. Quid sit Jubilæum anni Sancti? II. Quæ facultas in eo detur Confessariis Romanis? III. Quæ opera ad illud lucrandum sint ponenda? IV. Quæ Indulgentiæ, & facultates tunc alibi suspendantur?

CAPUT I.

Quid sit Jubilæum Anni Sancti?

JUBILÆUM Anni Sancti est Remissio plenissima totius pœnæ temporalis debitæ quibuscumque peccatis jam per pœnitentiam condonatis, quam Pontifex illis concedit, qui vere pœnitentes, & confessi quatuor Romanæ Urbis Basilicas eo anno, ac numero dierum præscripto visitantes, ibi pro sua, Populique salute devote oraverint.

Quæres primo, Quo tempore institutum sit Jubilæum Anni Sancti?

Respondeo, Quod quamvis ejus initium referatur ad tempora Apostolorum, tamen ab ann. 1300. Bonif. VIII. voluit celebrari centesimo quoque anno: ab ann. 1330. Clem. VI. voluit, ut quinquagesimo quoque anno: ab ann. 1376. Urb. IV. (sive, ut alii putant, Greg. IX. Prædecessor) voluit, ut trigesimo quoque anno; sed id non venit in usum, & variatum fuit usque ad ann. 1470. ex quo Paul. II. decrevit, ut propter Vitæ humanæ brevitatem celebraretur vicesimoquinto quoque anno, prout hactenus servatum videtur.

Quæres secundo, Quis possit instituere Jubilæum Anni Sancti?

Respondeo, Solum Summum Pontificem, qui solus habet primatum Ecclesiæ universalis, & Jurisdictionem in omnes Fideles totius Mundi; ideoque Claviger Thesauri in Ecclesia nuncupatur. Hinc Sede Apostolica vacante, non potest hoc Jubilæum indici; si autem fuerit jam a Papa indictum (ut moris est) in die Ascensionis Domini pro anno futuro, permanet etiam eo mortuo, & Sede etiam vacante per totum annum futurum, quia est gratia facta, juxta dicta d. 4. q. 4. c. 2. & ita accidit in Jubilæo Inn. IX. teste Georg. Polac.

Quæres tertio, Quo ritu inducitur Jubilæum Anni Sancti?

Respondeo, Die Ascensionis Domini ante annum statutum in Basilica D. Petri post Evangelium solemni pompa publicari Pontificium Diploma de Proximi anni Jubilæo. Deinde in Vigilia Nativitatis Domini post solemnem supplicationem matutinam, & post meridiem clauduntur omnes portæ Basilicæ; tum Pontifex (vel ejus vice, aut Sede vacante, Cardinalis Decanus) malleo argenteo ter percutit Portam muratam, quæ dicitur Sancta, & bis Summus Pœnitentiarius, recitatis interim certis precibus: tum Fabri murum dejiciunt, ingrediturque Pontifex Basilicam, ac Vesperis interest. Interim tres alii Cardinales eodem ritu tres alias portas sanctas reserant in tribus Basilicis S. Pauli, S. Joann. Later. & S. Mariæ Majoris; numerus enim quaternarius harum Basilicarum significat, ex quatuor Orbis partibus omnes advocari. Sic ergo aperitur Jubilæum Anni Sancti a primis Vesperis Vigiliæ Nativitatis Domini: clauditur autem anno sequenti post primas vesperas Vigiliæ Nativitatis Domini; tunc enim præmissa solemni supplicatione Pontifex, ac deinde Summus Pœnitentiarius calcem benedictam jaciunt cochleari argenteo, ternosque lapides etiam benedictos ponunt in porta Sancta, ac deinde a Fabris murus erigitur, manetque integer, donec iterum Annus Sanctus recurrat.

Quæres quarto, Quid contineat Bulla Jubilæi Anni Sancti?

Respondeo, Continere primo Facultatem omnibus Confessariis approbatis ab Ordinario Romano absolvendi Romæ quoscumque Christifideles ab omnibus reservatis etiam in Bulla Cœnæ contentis, & commutandi omnia Vota simplicia, exceptis tantum Castitatis, & Religionis; imo etiam in iis dispensandi, nec non componendi super male ablatis incertis, ut putant Pal. t. 24. p. 12. & alii; quamvis huic sententiæ praxis non videatur favere, præsertim post notificationem Clem. X. quæ de hoc non meminit. Secundo, Remissionem plenissimam totius pœnæ temporalis, &c. juxta dicta in definitione; modo vere pœnitentes, & confessi Romani, & incolæ per 30. dies saltem interpolatos visitaverint dictas quatuor Basilicas, ibique devote oraverint pro sui, totiusque Populi Christiani salute. Tertio, Suspensionem omnium Indulgentiarum, & facultatum extra Urbem, utpote quæ retardare possent talis Jubilæi consecutionem. De his omnibus dicemus fusius cap. seq.

Quæres quinto, Utrum talis Bulla sit late, an vero stricte interpretanda?

Respondeo, Quoad Facultatem Confessariis concessam, & Remissionem pœnæ debitæ peccatis, late esse interpretandam, quia relate ad utramque partem est favorabilis, & est Gratia & Beneficium supremi Principis respiciens Communitatem, & favorem Animarum: Suar. Sanch. l. 4. c. 54. Bon. & alii communiter contra Nav. Palud. & alios. Contra vero quoad opera exequenda, & quoad Indulgentias, ac facultates suspensas stricte est interpretanda, quia sic est odiosa, & ex Regula Juris, *Odia sunt restringenda*, ut favores sunt ampliandi, juxta dicta d. 2. q. 1. c. 3. sed de his etiam fusius infra.

CAPUT II.

Quæ sint Facultates Confessariorum Romanorum tempore Jubilæi Anni Sancti?

OCCASIONE Jubilæi Anni Sancti 1675. emanavit a Clem. X. Notificatio Gratiarum, & Declarationum pro eo anno, in qua conceditur Pœnitentiariis, & Parochis Romanis, necnon Confessariis Religiosis a Vicesgerente approbatis Facultas tum commutandi omnia Vota simplicia, exceptis Castitatis, & Religionis, tum absolvendi in foro tantum Conscientiæ a reservatis non solum Episcopis, sed etiam Pontifici, etiam in Bulla Cœnæ, idemque concedit Confessariis Religiosis respectu pœnitentium sui Ordinis: non vult tamen, ut hæc facultas suffragetur iis excommunicatis, suspensis, aut interdictis, qui sunt publice denunciati, nisi prius satisfecerint, aut obediverint, & partes sibi contrarias pacificas ante reddiderint.

Hactenus citata Notificatio, quæ, cum sit quoad hoc declaratoria, locum habere debet in sequentibus Annis Sanctis, quia declarare non est concedere novum Jus, sed solum explicare, in quo sensu accipienda sint verba Juris antiqui; & quod semel Pontifex explicaverit, semper sic accipiendum est, etsi in futuris Bullis verba possint in diverso sensu explicari, præsertim quia in iis Pontifices expresse dicunt, se suorum vestigiis Antecessorum inhærere.

Hinc fit primo, Confessarios Seculares, etiamsi a Vicesgerente approbatos, non habere has facultates in Anno Sancto, quia non sunt ex enumeratis in dicta Notificatione. Fit secundo, Vota substantialia Religionum non posse tunc commutari, ut expresse ibidem cavetur, uti nec Castitatis (supple perfectæ) nec ingrediendi Religionem;

posse

posse vero commutari reliqua Vota, etiam Peregrinationum Hierosolymam, Compostellam, &c. At nomine Votorum probabiliter juxta Suar. & Sanch. l. 4. c. 13. veniunt etiam Juramenta, & Vota jurata. An autem in his etiam dispensare possint, est dubium, & quidem de hac facultate dicta Notificatio non loquitur, nec praxis videtur favere; tamen Castrop. c. 24. p. 12. Boss. Zerol. & alii hanc facultatem, uti etiam componendi super male ablatis incertis, colligunt ex Extrav. *Quemadmodum, de Pœnit. & Remis.*, in qua suspenduntur extra Urbem tempore Anni Sancti tales facultates, quæ certe non suspenderentur, nisi per Jubilæum essent aliquatenus concessæ, & illius consecutioni obstarent, quod putant probare praxim, & usum Ecclesiæ Romanæ; ideoque potest Confessarius jubilaris commutare, & dispensare secum in Votis, etsi non possit seipsum absolvere, juxta dicta d. 4. q. 4. c. 2.

Quæres primo, Ad quid se extendat facultas absolvendi a casibus Bullæ Cœnæ in Jubilæo Anni Sancti?

Respondeo, Se extendere etiam ad casus publicos, & censuras illis adnexas; imo etiam si quis in hæc inciderit spe Jubilæi lucrandi, ut docent communiter contra Lupicin. ea tamen forma, ut pro solo foro interno valeat absolutio ex Notificatione citata. An autem se extendat etiam ad Hæresim, est dubium: affirmant Sot. Cord. Reginal. Fagun. Boss. Gob. hic c. 23. Lug. de Fid. d. 23. n. 265. referens, ita esse responsum a S. Pœnitentiaria ann. 1617. & ita servari in praxi: negant vero Suar. Vasq. Pal. Aquil. & alii communius apud Dian. p. 1. t. 15. r. 2. etiamsi hæresis sit occulta, quia in generali concessione non veniunt, quæ quis in specie non esset verosimiliter concessurus, ex cap. *In generali, de Reg. Jur. in 6.*; cum ergo non constet authentice Declaratio allata a Lugo, nec praxis sequentium priorem opinionem addat ei pondus, sequitur, ex jure non concedi hanc facultatem. Illud certum, absolvi posse Receptatores, & Fautores Hæreticorum, Tenentes, Legentes, aut Imprimentes eorum libros, necnon Schismaticos, si ipsi non sint formaliter Hæretici: Suar. Sanch. & alii contra Azor. Rodr. & alios.

Quæres secundo, An dicta facultas se extendat etiam ad publicos percussores Clericorum, Cardinalium, &c. & ad Excommunicatos, Suspensos, aut Interdictos, si sint publice denunciati.

Respondeo, Quoad primam partem affirmative, quia id non excipitur in notificatione citata, nec alibi invenitur exceptum. Quoad secundam vero partem eadem notificatio expresse non vult, ut suffragetur absolutio, nisi prius satisfecerint, aut obediverint, aut partes sibi contrarias pacificas ante reddiderint; quare non solum illicita, sed etiam invalida foret antea talis absolutio: Scio Avil. Rodr. Bon. Bard. & Dian. p. 1. t. 11. r. 22. dicere, esse saltem validam, eo quod in Bullis Jubilæorum clausula illa *Satisfacta prius parte*, non est forma substantialis, sed solum monitio de eo, quod esset coexequi faciendum, juxta dicta d. 2. q. 2. c. 5.; sed quidquid sit de hac opinione quoad Jubilæa extraordinaria, non videtur sequenda pro Jubilæo Anni Sancti, cum notificatio cit. expresse nolit, talem absolutionem suffragari: solum ergo suffragaretur, si Pœnitens impotens tunc esset ad satisfaciendum, aut satisfecerit, quantum potuit: Sanch. l. 6. c. 17. n. 43.

Quæres tertio, An dicta facultas se extendat ad totum tempus Anni Sancti relate ad eumdem Pœnitentem?

Respondeo affirmative, modo Pœnitens accesserit animo lucrandi tale Jubilæum, adeoque exequendi omnia opera injuncta; cum hæc dispositio Pœnitentis ex communissima sententia sit conditio, sine qua non potest exerceri talis facultas: si ergo post illud adeptum incideris in nova reservata, aut censuras, poteris vi talis facultatis iterum Romæ absolvi, si adsit animus iterum illud intra annum actu lucrandi: Nav. Lug. & alii apud Dian. p. 5. t. 12. r. 28. idemque verum est, etiamsi post absolutionem mutes hunc animum, quia non ipsa opera exhibenda, sed animus prævius est conditio requisita ad valorem absolutionis. Idem dic de facultate commutandi Votum, &c.

Quæres quarto, An dicta facultas absolvendi a reservatis, & censuris se extendat etiam ad oblita?

Respondeo affirmative, Quia absolvens vi Jubilæi absolvit, quantum potest: ergo aufert reservationem, & censuras etiam a peccatis, quorum Pœnitens fuit invincibiliter oblitus; quare poterit in postea, dum meminit, absolvi ab oblitis per quemcumque Confessarium: Sylv. Lug. Dian. & alii contra Suar. Vasq. & alios: idque verum est, inquit Sanch. l. 4. c. 5. etiamsi postea nolit lucrari Jubilæum, cum jam ablatum sit onus adeundi ad Superiorem: an autem talis voluntas sit peccatum, est dubium, negant Bon. Sanch. aliique: Boss. & alii dicunt, esse veniale, sed mortale putant esse, Suar. Vasq. & alii, eo quod absolutus fuit ex pacto tacito cum Pontifice lucrandi Jubilæum, ideoque peccat graviter violans pactum in re gravi: v. Bon. *de Sacr.* d. 5. q. 7. p. 5. Denique noto, dictam facultatem, etsi probabiliter se extendat ad absolutionem Reservationis, & Censurarum Pœnitentis facientis Confessionem involuntarie invalidam, non tamen, si faciat Confessionem sacrilegam, quia non præsumitur Ecclesia velle ei suffragari, itaut lucrum ex sacrilegio reportet.

CAPUT III.

Quæ opera exequenda sint pro lucrando Jubilæo Anni Sancti?

EX Bullis Pontificum, & præsertim ex Notificatione cit. Clem. X. requiritur, ut vere pœnitens, & confessus visites personaliter quatuor Basilicas Romanas, scilicet S. Petri, S. Pauli, S. Joan. Later. & S. Mariæ Majoris, ubi devote ores pro te, & pro Populo Christiano; & quidem per 30. dies continuos, vel interpolatos, si sis Romanus, vel incola Urbis: per 15. dies, si sis Peregrinus, & exterus: per 3. dies, si una simul, aut quoad majorem partem eant Religiosi ejusdem Conventus, aut Domicilii, quibus etiam conjungi possunt Religiosi ejusdem Ordinis aliunde profecti; qui tamen, si non possint sic se conjungere, possunt per 5. tantum dies visitare: Congregationes vero, & Confraternitates aliunde venientes, possunt semel simul, & bis separatim visitare: Alumni autem, & Convictores dantes operam artibus liberalibus, possunt per 4. tantum dies visitare, modo eant saltem quoad mediam partem simul, comitante Præfecto, aut Rectore, vel alio, qui præsit, ut eadem gratia fiat iisdem Præfectis, Magistris, & Famulis. Denique datur facultas Pœnitentiariis, & Parochis Romanis commutandi dictas visitationes in alia opera; & quidem Advenis impotentibus tot visitationes exequi, assignare poterunt numerum minorem: incolis vero, qui cœperunt visitare, sed morbo postea impediti non possunt complere, assignare possunt alia opera proportionata possibilitati eorum; quod si repente moriantur, lucrantur Jubilæum, ac si omnia explevissent. Hactenus ex citata Notificatione.

Itaque non requiritur Eleemosyna, nec Jejunia; requiritur tamen vera pœnitentia, itaut sis in gratia saltem in ultima visitatione ultimæ Ecclesiæ, quia tunc complentur opera exequenda, & lucraris Jubilæum. An autem prærequiratur etiam Confessio, & absolutio Sacramentalis, est dubium: negant Henr. Palud. Pal. Con. Fil. Suar. *de Pœn.* d. 52. & alii, quia in Bulla non videtur requiri Confessio tamquam conditio, sed tanquam dispositio; ideoque satis est, si sit in gratia, vel eliciat actum contritionis perfectæ, si sit in peccato; sed probabilius, & tutius dicendum, requiri ut conditionem, sine qua non, seu ut opus injunctum, tum quia Bulla ita videtur exigere, tum quia ita est praxis Fidelium: ita Cord. Cajet. Rodr. Laym. Bon. Bellar. & alii. Communio autem non requiritur ex vi Bullæ; consultum tamen est, tam accipere: sicuti etiam transire per Portam Sanctam, interesse Processioni, Litaniis, etsi neque hæc requirantur ex vi Bullæ.

Quæres primo, Quomodo facienda sit visitatio Basilicarum?

Respondeo, Singulis diebus præscriptis sive continuis, sive interpolatis visitandas esse omnes quatuor Basilicas, ut respondit Greg. XIII. super hoc interrogatus; adeoque non sufficit, si hodie duas, cras alias duas visites: sufficit tamen, si mane unam, vel duas, & vespere reliquas, & quovis ordine: Nav. Henr. & alii communiter: imo etiamsi aliquas earum visites nocte, ut addit Henr. cum dies integer sit 24. horarum: imo etiamsi visites ante earum fores, quia moraliter censeris in ipsis Ecclesiis orare, ut sæpe Romæ fit, cum septem Ecclesiæ summo mane visitantur. v. Pont. de Sacr. d. 6. q. 1. p. 5. quare etiam sufficit, si ores ante quodvis earum altare, quamvis consultum sit, orare ante altare majus, Faustus de Jub. l. 3. q. 34. Interpolare etiam potes inter unum, & alterum diem quodcumque tempus, modo toto Anno Sancto dies præscriptos perficias: quod si semel confessus incidas interim in novum mortale, probabilius non sufficit Contritio absque Confessione ante

ulti-

ultimam visitationem, ut docent Fill. & alii contra Bon. & alios.

Denique Incola Romanus, si morbo, vel alia causa impeditus, nullam toto anno visitationem facere possit, non potest lucrari Jubilæum, nisi aliquam fecerit, quia tunc solum ex citata Notificatione fieri potest ei commutatio. Dicitur autem Incola Romanus, qui habet domicilium, vel quasi domicilium in Urbe, ejusve Suburbiis, ejusve Territorio: Tusc. lit. L. Advenæ vero, etiam antequam ullam visitationem fecerit, assignari tantum poterit minor earum numerus intra annum exequendus ex eadem Notificatione.

Quæres secundo, Qua animi dispositione facienda sit visitatio Basilicarum?

Respondeo, Requiri, ut in singulis Basilicis per dies præscriptos visitandis ores devote pro te, & pro Populo Christiano, ut constat ex multis ejusmodi Bullis. Cum autem Oratio hæc ponatur indefinite, sufficit etiam minima, ut docent Suar. Fill. & alii, nec requiritur, ut sit vocalis, cum mentalis sit vera Oratio: Doctores communiter contra Rodr. Consultum tamen est, ut in qualibet Basilica quinquies Pater, & Ave devote recites, vel alias orationes, aut Psalmos pro cujusque devotione ad libitum. Requiritur tamen, ut ea visitatio sit devota, hoc est, ut procedat a Voluntate Religiosa ordinante illam ad Dei cultum, adeoque cum debita reverentia tum interna, tum externa. At non requiritur, ut expresse ores pro fine a Pontifice intento, sed satis est, si ores in genere juxta ejus mentem: Boss. s. 4. c. 16. & alii, nec requiritur attentio actualis ad verba, aut ad sensum verborum, sed sufficit, quod proveniat ex Voluntate porrigendi preces ad Deum, D. Th. 2. 2. q. 83. a. 13. Imo sufficit Voluntas lucrandi Jubilæum, utpote quæ implicite est Voluntas dandi cultum Deo, & orandi ad mentem Pontificis, &c. ita Nav. Suar. d. 52. s. 6. n. 1. aliique communiter.

Peccatum autem, quod committeretur in ipso actu visitationis, si sit veniale, non impedit debitam devotionem, si non attingat substantiam actus; ut si quis, dum visitat, vane aliquantulum intueatur, proferat verbum profanum, mentiatur, &c. Bell. l. 1. de Indulg. c. 13. q. 2.: at si attingat substantiam actus ratione mali finis, ut si ores ad vanam gloriam, impedit juxta Bon. de Sacr. d. 6. q. 1. p. 5. n. 15. quia sic actus est moraliter malus a suo fine; nisi vero duos habeas actus Voluntatis, & uno velis gloriam Dei, altero vanam gloriam, ut addit Suar. Bon. & alii. Cæterum, si jocans accedas ad Basilicas, visites tamen deinde devote, adhuc Jubilæum lucraris, quia devotio non in itinere, sed in Ecclesia requiritur: idemque est, si accedas ob curiositatem, &c. deinde genuflectendo devote ores, &c.

CAPUT IV.

Quæ Indulgentiæ, & Facultates suspendantur tempore Jubilæi Anni Sancti?

DURANTE hoc Jubilæo olim suspendebantur solæ Indulgentiæ plenariæ extra Urbem, & facultates, quæ ratione Indulgentiarum erant impertitæ sive in Vita, sive in mortis articulo; at seculo præterito Pontifices suspenderunt omnes omnino Indulgentias sub quibuscumque tenoribus concessas, tum singularibus Personis, tum Coronis, Granis, &c. quin tamen exprimerent Indulgentias Ecclesiarum Romanarum in suo robore permansuras, sicut nec exprimunt suspendere etiam Indulgentiam in articulo mortis concessam, ut olim exprimebant.

Adhuc tamen post Bullam Clem. X. innumeræ ortæ sunt difficultates circa harum Indulgentiarum suspensionem, & ideo ad scrupulos tollendos emanavit ab eodem Clem. X. citata Notificatio gratiarum, & declarationum, in qua declaravit, in suspensione generali Indulgentiarum, quæ continetur in Bull. 1674. non intelligi suspensas Indulgentias Altarium privilegiatorum pro Defunctis, neque alias concessas eodem modo pro Defunctis, sed illas suspensas haberi, quas possunt sibi consequi vivi, ut eas possint concedere Animabus Purgatorii per modum suffragii, nec suspensas esse Indulgentias in articulo mortis, nec facultates communicandi eas aliis, nec Indulgentias pro visitantibus Romæ septem Ecclesias, & Scalam Sanctam, & 40. horarum circularium. Hactenus ex citata Notificatione.

Dico primo: Tempore Anni Sancti suspenduntur omnes Indulgentiæ plenariæ extra Urbem concessæ. Ratio est, quia finis talis Jubilæi est, ut omnes Fideles personaliter revereantur limina Apostolorum, &c. ergo debent extra Urbem suspendi Indulgentiæ plenariæ, ne scilicet usu illarum impediatur accessus ad Urbem, ut dicitur in Extrav. *Quemadmodum, de Pœnit. & Remis.* Hinc si alicui Ecclesiæ concessæ sint Indulgentiæ ad septennium, cessant Anno Sancto: licet hic annus non computetur in septennio, ut addit Gob. contra Pasqu. Excipe Indulgentias concessas SS. Domui Lauretanæ, ut declaravit Greg. XII. teste Benzon. l. 4. c. 7. & probabiliter etiam concessas Compostellæ, ex declaratione Sixti V. & probabiliter etiam Indulgentias Portiunculæ Assisii, ex Bened. XII. dicente, esse ibi concessas a Christo Domino: ita Faust. Pasqual. & alii contra Quintanad.; Prout autem a Pontifice ad alias Ecclesias Minorum extenduntur, suspenduntur, ut notat Rodr. Secundo, Probabile est, nec suspendi Indulgentias Bullæ Cruciatæ, quia concessæ sunt per modum contractus: Sal. Bon. Rodr. asserens, ita declaratum a Clement. VIII. 1600. apud Dian. p. 1. t. 11. r. 97. Tertio, Probabiliter nec suspenditur Indulgentia plenaria pro profitentibus in Religione: Sanch. l. 5. c. 5. ex Nav. & aliis, quia professio ex doctrina Patrum æquivalet Baptismo, Sanch. l. 5. c. 5. ex Nav. & aliis, quod Rodr. extendit ad ingressum in Novitiatum. Quarto, Probabiliter nec suspenduntur Indulgentiæ personales quoad eos, qui Jubilæum Anni Sancti lucrati jam sunt, quia cessat pro iis adæquate finis Legis suspendentis, Pasqual. q. 146. secus vero dicendum de Indulgentiis localibus, quæ per se primo conceduntur loco. Quinto, Probabiliter nec suspenduntur Indulgentiæ pro visitantibus septem Romanas Ecclesias, & Scalam Sanctam ex citata Notificatione; tum quia Sixt. IV. & Greg. XIII. in suis Bullis dixerunt, Indulgentias Ecclesiarum Romanarum in suo robore permansuras tempore Jubilæi, & sequentes Pontifices in suis Bullis expresse dicunt, se suorum Prædecessorum vestigia sequi; secus vero dicendum de Indulgentia plenaria concessa pro visitantibus septem Ecclesias Neapoli, aut alibi extra Urbem; de non plenaria dicam infra. Sexto, Nec suspenduntur Indulgentiæ plenariæ concessæ pro Defunctis, quia pro his cessat adæquate causa suspensionis: Doctores communiter, & constat ex citata Notificatione: an autem suspendatur Indulgentia Communionis generalis concessa iis, qui una ex Dominicis cujuscumque mensis communicant in Ecclesia Societatis Jesu? Affirmat Faustus; sed negant communiter alii, præsertim post citatam Notificationem; & ratio etiam est, quia talis Indulgentia est immediate concessa vivis, ita tamen, ut per modum suffragii applicari ab iis possit Defunctis: corruente autem principali corruit accessorium, Septimo, Nec suspenduntur Indulgentiæ plenariæ concessæ pro articulo mortis, quia in generali dispositione non veniunt ea, quæ non esset quis in specie verosimiliter comprehensurus: Doctores communiter, & constat ex declar. Urb. VIII. & ex cit. Notific.

Dico secundo: Probabile est, Indulgentias non plenarias non suspendi tempore Jubilæi Anni Sancti: Ita Fill. Gob. Faust. Lezan. Peyr. Pal. & alii contra Tanner. & Rodr. Ratio est, quia, quamvis in Bulla dicatur, omnes, & singulas Indulgentias suspendi, tamen id intelligendum est juxta Bullas veteres; Pontifices enim dicunt, se Indulgentias suspendere suorum Prædecessorum exemplo; in Bullis autem Clem. VI. Sixt. IV. Jul. III. & Gregor. XIII. exprimitur suspendi solum plenarias: item de Jure communi solum plenariæ suspenduntur, ut constat ex Extrav. *Quemadmodum* Sixt. IV. quæ, tanquam inserta in corpore Juris, facit Jus commune: ergo quamvis alibi dicatur, omnes, & singulas Indulgentias suspendi, tamen hujusmodi formulæ cadunt tantum supra plenarias, cum accipi debeant juxta Jus commune, cujus correctio, utpote odiosa, est restringenda.

Hinc probabile est, non suspendi Indulgentias 40. Horarum etiam extra Urbem, cum non sint plenariæ: quibus etiam potest Episcopus addere Indulgentiam 40. dierum, cum probabile sit, hanc Episcoporum facultatem nec suspendi Anno Sancto. Probabile item est, nec suspendi Indulgentias non plenarias pro visitantibus septem Ecclesias extra Urbem: uti nec alias sive personales, sive locales, & ratio etiam suadet, quia Indulgentiæ non plenariæ non censentur derogare fini Anni Sancti.

Dico tertio: Tempore Anni Sancti suspenduntur tantum

tum

tum facultates, quæ concessæ sunt intuitu Indulgentiarum, hoc est ad eum finem, ut possit quis Indulgentiam aliquam plenariam lucrari; ita Laym. Pal. Tann. Sa, Gob. & alii. Ratio est; quia ita habetur in Extrav. *Quemadmodum* cit. ad cujus normam censentur suspensæ hujusmodi facultates a sequentibus Pontificibus, ita etiam declaravit Clem. & Urb. VIII. teste Lug. t. 3. d. 20. n. 145. Notantque Nav. & Faust. Pontifices non loqui de facultatibus, & Indulgentiis concessis Personis privatis, sed Ecclesiis, Ordinibus, Hospitalibus, & cæteris Personis fictis, quando scilicet his conceditur Indulgentia cum facultate v. g. absolvendi a Reservatis.

Hinc non suspenduntur privilegia Regularium in ordine ad absolvendos Pœnitentes a reservatis Sedi Apostolicæ, quia non sunt concessa occasione Indulgentiarum; ita Bost. Leand. Henr. Fill. contra Sorb. & Rodr. Nec suspenduntur facultates, quas habent Episcopi, & Prælati eligendi sibi Confessarium ob eandem rationem: uti nec suspenditur facultas, quam habent Episcopi ex Trid. *sess.* 24. *c.* 6. absolvendi ab occultis Papæ reservatis, &c. idemque est de facultate, quam habent Prælati Regulares in ordine ad absolvendum Subditos. Literæ autem Filiationis a Prælatis Regularibus concessæ iis, quos ad communicationem bonorum spiritualium suæ Religionis admittunt juxta privilegium Urb. V. suspenduntur quoad effectum Indulgentiarum; non vero quoad effectum aliarum satisfactionum, & impetrationum, scilicet Orationum, Sacrificiorum, Vigiliarum, &c. ita Faust. Pasqual. & alii. Atque hæc De Conscientia, ac Legibus dicta sint satis.



TRACTATUS II.

Theologico-Moralis

DE PRÆCEPTIS DECALOGI, ET ECCLESIÆ.



PRÆCEPTA alia sunt Decalogi, & sunt decem: alia Ecclesiæ, & sunt quinque. Hæc obligant tantum Fideles: atque hic suis locis inserta comperies. Illa obligant quemcumque etiam infidelem, cum sint lumine naturæ nota; etsi etiam in Sinai per Moysen jussu Dei descripta in duabus Tabulis, quarum altera continebat tria priora Præcepta Deum directe respicientia, altera reliqua septem respicientia immediate Proximum. Præceptum autem Charitatis Dei, dictum Matth. 22. v. 37. *Maximum, & primum Mandatum*; & præceptum Charitatis Proximi, dictum ibidem *Secundum*, non sunt duo ex decem Præceptis Decalogi, sed tanquam prima Principia in illis inclusa, & ad quæ illa reducuntur, ut ibidem additur: *In his duobus mandatis universa Lex pendet, & Prophetæ*; nimirum præcepta primæ Tabulæ in Charitate Dei: secundæ Tabulæ in Charitate Proximi: D. Th. & alii communiter. Duæ igitur sunt hic Disputationes: I. De Præceptis primæ Tabulæ, ubi etiam de Charitate Dei, de reliquis Virtutibus Theologicis, ac de primis Ecclesiæ præceptis (de aliis enim in de Sacramentis) II. De Præceptis secundæ Tabulæ, ubi etiam de Charitate Proximi.

DISPUTATIO I.

De Præceptis primæ Tabulæ.

QUATUOR Quæstiones continet hæc Disputatio: I. Est De Præcepto Virtutum Theologicarum: II. De primo Præcepto: III. De secundo Præcepto: IV. De tertio Decalogi Præcepto, ac de Jejunio Ecclesiastico.

QUÆSTIO I.

De Præcepto Virtutum Theologicarum.

TRES sunt Virtutes Theologicæ, ita dictæ, quia immediate, ac directe Deum respiciunt, & sunt Fides, Spes, & Charitas. Et quidem de singulis earum duplex est Præceptum: alterum, quod dicitur affirmativum, obligans ad eliciendos actus proprios ipsarum Virtutum: alterum, quod dicitur negativum, obligans ad non eliciendos actus contrarios; utrumque certe semper obligat, sed illud nonnisi pro certis tantum temporibus; hoc vero pro singulis vitæ momentis: Doctores communiter.

CAPUT I.

De Præcepto affirmativo Virtutum Theologicarum.

SUPPONENDA est hic definitio harum Virtutum: Fides enim ex Apostolo ad Heb. 11. est *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, quod argumentum aliud non est, quam auctoritas Dei revelantis, ex qua firmissime credimus, ut vera, mysteria Fidei, quæ clare non percipimus. Spes Theologica est *Amor, quo Deum, & Divina præ omnibus aliis bonis nobis concupiscimus*; itaque includit desiderium summi boni, & confidentiam, seu animi erectionem, quod simus illud obtenturi ex Dei promissione ob merita Christi. Charitas Dei est *Amor, quo Deum diligimus propter se; adeoque absolute, & simpliciter super omnia*. Hæc omnia in decursu quæstionis magis patebunt.

§. I.

Generalia de Præcepto affirmativo Virtutum Theologicarum.

QUÆRES primo, An detur præceptum affirmativum per se specialiter obligans ad eliciendos actus proprios, & formales Fidei, Spei, & Charitatis?

Respondeo affirmative, ut constat ex Propositione 1. Jansenistarum apud de Bois, damnata ab Alex. VII. 24. Sept. 1665. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi Præceptorum Divinorum ad eas Virtutes pertinentium*. Et ratio damnationis est, quia ex ipso rationis dictamine tenemur, Deum conditorem colere cultu præstantissimo, supremæ ejus excellentiæ consono, quod potissimum per actus hujusmodi Theologales præstatur, tum etiam ad ipsum ultimum finem nos convertere, credendo, quæ dignatus est revelare, sperando in ejus Misericordiam, & diligendo summam ejus Bonitatem: ergo dari debet præceptum Divinum per se specialiter obligans ad hujusmodi actus, & non tantum per accidens, ratione scilicet adimplendi tantum alia præcepta; ita ut etiamsi nulla unquam occurreret necessitas illorum actuum pro exequendis aliis præceptis, adhuc teneremur eos actus elicere. Hinc ab Inn. XI. circa actum Fidei damnata est Prop. 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se*; & circa Charitatem damnata est Prop. 7. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus*.

Quæres secundo, An hoc præceptum per se obliget, cum primum Homini, usum rationis assecuto, sufficienter proponitur objectum Fidei, Spei, & Charitatis?

Respondeo affirmative cum communi Doctorum sententia post D. Th. contra aliquos, quia quilibet tunc tenetur ad Deum se convertere, & omnia sua in eum, tanquam ultimum finem, dirigere, suumque auctorem recognoscere, & amare; quod maxime consentaneum est naturæ rationali ad hunc finem conditæ: ergo quilibet in primo instanti morali usus rationis, si sit sufficienter instructus, & ad hanc obligationem advertat, tenetur ex præcepto Divino hos actus elicere. Dixi, *in primo instanti morali*; non enim videtur urgere obligatio tam gravis in primo instanti mathematice, sed moraliter accepto, itaut, si post sufficientem instructionem, & advertentiam notabili tempore differt, graviter peccet contra hoc præceptum. Idem proportionaliter dicendum de Infideli, qui tenetur a primo instanti morali usus rationis, se ad Deum convertere, ut auctorem naturæ, eumque naturali amore diligere; & si deinde ei sufficienter proponitur Fides, juxta dicenda §. sequ. tenetur ejus præcepto statim moraliter actu positivo eam amplecti, & similiter in Deum revelatum sperare, ac eum supernaturaliter diligere.

Quæres tertio, An hoc præceptum per se obliget in fine vitæ?

Respondeo affirmative cum eadem communi, & probabiliori sententia post D. Th. contra aliquos; tum quia debet quisque tunc maxime se ad Deum, tanquam ultimum finem, dirigere, eique per ejusmodi actus Theologicales adhærere; tum quia, ut ait Suar. tenetur tunc tutiora eligere ad salutem consequendam: unde etiam infert, non satis esse tunc per Sacramentum Pœnitentiæ ex attrito fieri contritum, nisi etiam sive intra, sive extra illud, actum perfectæ contritionis eliciat: excusatur autem a peccato, si ad hanc obligationem non advertat.

Quæres quarto, An hoc præceptum per se pluries obliget in decursu vitæ?

Respondeo affirmative; Et quidem quoad actum Fidei damnata est ab Inn. XI. Prop. 17. *Satis est actum Fidei se-*

mel

mel in vita elicere, & Prop. 65. *Sufficit illa mysteria semel credidisse*: & ratio damnationis est, quia præcipua actio vitæ Christianæ est credere, ex illo Apostoli ad Rom. 1. 17. *Justus autem meus ex Fide vivit*: ergo christiane non vivit, adeoque peccat, qui in decursu vitæ non elicit identidem actum Fidei. De actu Charitatis damnata est ab eodem Inn. XI. prop. 5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, damnare non audeo*: & prop. 6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum*: peccat ergo graviter, qui intra singula quinquennia actum Charitatis Dei non elicit: idemque dicendum de actibus Fidei, & Spei, tum quia eadem est ratio, colendi scilicet cultu præstantissimo Deum ejus excellentiæ consono, & utendi ejusmodi habitibus ad id a Deo infusis, ac frequentandi earum actus tam ad pie vivendum necessarios; tum etiam quia ad eliciendum actum Charitatis perfectæ prærequiruntur, sive ex natura rei secundum Lugo, sive ex ordinatione divina secundum Conink, actus Fidei, & Spei, ut communiter docent cum D. Th. 1. 2. q.65. a. 5. ad 2. *Fides, & spes secundum propriam rationem præsupponitur ad Charitatem*.

Quæres quinto, Quoties intra quinquennia per se obliget hoc præceptum?

Respondeo, Cum non sit id definitum, pendere ab existimatione morali: hinc nonnulli apud Leand. putant, per se obligare singulis saltem Festis: alii singulis illis Festis, in quibus aliqua Fidei mysteria celebrantur: alii cum Ledes. singulis saltem annis: alii cum Pal. singulis saltem trienniis. Equidem cum Suar. l.2. *de Char.* s. 5. probabilius censeo, taxam hujus obligationis Prudentium arbitrio præfigendam; cum enim aliis, qui negotiis scilicet temporalibus detinantur, rarius Dei mysteria proponantur, aliis vero crebrius, idcirco pro diversa opportunitate, diversa inest Fidelibus obligatio se convertendi ad Deum per hos actus; nemo tamen potest citra gravem culpam diu eos negligere. Hinc ad illos eliciendos sæpe conari debemus, sive simul, sive seorsim pro opportunitate, sed citra ullam anxietatem, cum vix possit accidere, quod vir, præsertim timoratus, his præceptis non satisfaciat abunde. Nam quamvis hæc præcepta ex dictis per se obligent, tamen abunde eis satisfit per actus elicitos per accidens, seu quoties necessarii videntur ad adimplenda alia præcepta, vel ad exercendos actus aliarum Virtutum. Sic frequenter elicimus actum Fidei in recitando Symbolo Apostolorum, in tentationum impulsibus, præsertim contra Fidem, &c. Similiter actum Spei sæpissime elicimus in oratione Dominica, aliisque orationibus in Sacramento Pœnitentiæ. Item actus Charitatis perfectæ, dum dicimus, *Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua &c.* juxta dicenda §§. sequentibus.

Denique notat Lugo, Fideles de transgressione horum præceptorum fere nunquam se accusare, nec solere a Confessariis de his interrogari, idque evenire ex eo, quod vel ex statu pœnitentis soleat colligi horum præceptorum violatio, vel quod pœnitentes ad hanc obligationem non adverterint, & ideo non peccarint, diu differendo exercitium horum actuum, vel quia putarunt, non esse longam dilationem unius anni, quousque urgeat obligatio confitendi, &c.

Quæres sexto, An actus Fidei, Spei, & Charitatis non solum sint præcepti, verum etiam necessarii necessitate medii ad salutem?

Respondeo affirmative, loquendo de adultis habentibus usum rationis; nam infantibus, & perpetuo amentibus necessarii necessitate medii non sunt, & sufficiunt eorum habitus, qui infunduntur simul cum Baptismo, quæ omnia patebunt clarius §§. sequ. Illud hic notandum cum Suar. contra Tann. quod infans baptizatus, si statim post usum rationis moriatur, antequam loqui audierit de mysteriis Fidei, adhuc salvatur sine actu Fidei, Spei, & Charitatis, quia non moritur, ut adultus; cum moraliter loquendo respectu horum actuum sit adhuc infans. Idem dicunt Mærat. & Platell. etiamsi din post moriatur; sed in tali casu dicendum, quod si diu vivat, & faciat, quod in se est, spectabit ad Divinam Providentiam ei providere de Doctore mysteriorum &c. ut bene D. Th. Denique si infans baptizatus intra illud primum instans morale post usum rationis explicatum quæsito x. peccet venialiter, & decedat ante obligationem eliciendi ejusmodi actus Theologales, puniendus quidem in Purgatorio pœna sensus; sed postea salvatur, quia juxta Suar. moritur, ut infans; si autem non erat baptizatus, puniendus in Limbo aliqua pœna temporali, &c. sed deinde non salvandus, quia sine habitibus Theologicis: ita Suar. d. 11. *Pœn.* n. 18. Con. d. 4. Cart. dub. 8. n. 40.

§. II.

De Præcepto affirmativo Fidei.

PRÆCEPTUM affirmativum Fidei tria præcipit: Primo, Credere actu interno: Secundo, Discere articulos Fidei: Tertio, Fidem internam exterius profiteri.

I. *Credere actu interno*. Summa Dei auctoritas jure exigit omne obsequium nostri intellectus, qua etiam in rebus nostram capacitatem excedentibus unice acquiescamus ejus dictis; juxta illud 2. ad Cor. 10. *In captivitatem redigentes omnem Intellectum in obsequium Christi*; ideoque in Concil. Rhem. 1148. damnatur hæc Abailardi propositio: *Nihil credendum est, quod excedat nostri intellectus virtutem*. Constat autem, Deum locutum fuisse ex propositione Ecclesiæ munitæ signis credibilitatis, qualis est Ecclesia Catholica præcise, & non alia; ideoque non probabilis, & formidolosa, sed certa est notitia divinæ Revelationis, ex qua firmissime credendum quodcumque Fidei mysterium præcise, & formaliter, quia Deus revelavit.

Hinc ab Inn. XI. damnata est Prop. 21. *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili Revelationis; imo cum formidine, qua quis formidat, an sit locutus Deus*. Et 20. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem*. Et ratio damnationis patet ex dictis, quia firmissime, ac certissime tenemur Deo revelanti assentiri, quæ firmitas, ac certitudo nequit stare cum notitia tantum probabili Revelationis; sed prærequiritur notitia moraliter certa, qualis habetur per propositionem Ecclesiæ munitæ signis credibilitatis supra omnes sectas oppositas. Et quamvis hæc notitia moraliter tantum sit certa, tamen sufficit, ut eliciatur actus Fidei supernaturalis metaphysice, & omnino certissimus, vi voluntatis divinitus inspiratæ per piam affectionem, ut constat ex Prop. 19. damnata ab eodem Inn. XI. *Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*. Rationes impellentes sunt signa credibilitatis; motivum formale est præcise auctoritas Dei loquentis.

Assensus hic fidei internus per se præcipitur præcepto divino positivo speciali, & quidem sæpius in vita juxta dicta §. antecedenti. Præcipitur etiam multoties per accidens, præsertim in adulto recipiente Baptismum, ex illo Marc. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Item in recipiente Sacramentum Pœnitentiæ ex Trid. quamvis tunc sufficiat actus Fidei virtualiter perseverans, quem bene explicat Card. exemplo mathematici, qui tenet conclusionem, quam jam didicit, etsi actu explicite non recordetur demonstrationis olim habitæ; & ideo parum sunt soliciti Pœnitentes ad eliciendos expresse actus Fidei, & Spei in hoc Sacramento, sicuti soliciti sunt in eliciendo actu doloris. Item præcipitur, dum urget gravis tentatio præsertim contra Fidem, quæ aliter vinci nequeat, quam per ejus actum formalem, & expressum; secus vero, si vinci possit per fugam, mentem alio distrahendo.

Quæres primo, Quinam actus Fidei sit necessarius necessitate medii ad salutem?

Respondeo, In adultis debere esse actum formalem Fidei in re, & non tantum in voto; qualis esset v. g. in infideli, qui amore naturali diligeret Deum lumine naturæ notum, in quo amore, cum sit virtualis voluntas servandi quicquid Deus præcipit, est etiam virtualiter voluntas credendi, &c. & ratio est, quia ex Marc. cit. *Qui non crediderit, condemnabitur*; cum ergo non dicat, qui non fuerit baptizatus; sed qui non crediderit, condemnabitur, manifestum est, sufficere quidem Baptismum in voto, non vero Fidem, nisi in re, seu in suo actu formali. Hinc etiam fit, ut talis actus debeat esse assensus mysterio ex motivo Dei revelantis, ac proprie loquentis, qui dicitur Fides stricta, ac Theologica; ideoque non sufficit Fides late dicta, hoc est ex alio motivo, puta Creaturarum ostendentium nobis aliquod mysterium v. g. Deum esse, ut constat ex Prop. 23. damnata ab Inn. XI. *Fides late dicta ex testimonio Creaturarum, aliove motivo sufficit ad justificationem*.

Quæres secundo, Quænam mysteria credere debet actus Fidei necessarius necessitate medii?

Respondeo, Debere credere explicite hæc duo, & quod unus Deus sit, & quod sit Remunerator, seu Retributor

bonorum, & malorum, ut constat ex Apostolo ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit*. Ideoque ab Inn. XI. damnata est Prop. 22. *Nonnisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris*. Utriusque autem mysterii revelationem explicitam habuerunt homines ab initio Mundi per traditionem Patrum ad Filios, a quibus quisque audivit, vel audire potuisset, si fecisset, quod in se erat. Putat tamen Hurt. citans alios, sufficere fidem Remuneratoris, præscindendo a naturali, & supernaturali, sed communiter contradicunt alii; quia debet cognosci Deum esse Remuneratorem per vitam æternam in Cœlo, quam solam Deus de facto revelavit, & promisit: Lug. apud Croix hic n. 7.

Quæres tertio, An necessaria necessitate medii sit etiam Fides explicita Trinitatis, & Incarnationis?

Respondeo, Ante promulgationem Evangelii non fuisse necessariam; sed satis fuisse implicitam tantum, contentam in fide Dei, ut Remuneratoris supernaturalis, in qua implicite includitur fides Christi mediatoris, *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*: ut ad Rom. 3., quod saltem de fide implicita debet intelligi, in qua implicite est etiam fides Trinitatis: Suar. Sanch. & alii communiter: sed Pal. hic p. 9. n. 3. putat, non posse dici fidem implicitam Christi, nisi sit ex cognitione saltem confusa Mediatoris, quæ cognitio primo parenti post peccatum fuit data ex D. Leon. *Serm. 2. de Nativit.* ideoque ly *Remuneratoris* apud Apostolum vult, intelligendum per Mediatorem.

Post promulgationem vero Evangelii certum est, necessariam esse necessitate præcepti fidem explicitam hujus duplicis mysterii. An autem sit necessaria necessitate etiam medii, itaut non salvetur adultus, etiamsi invincibiliter ignoret, non est certum: affirmant enim Mol. Sanch. Val. & alii citantes D. Th. Alens. D. Bonav. & alios, præsertim quia nemini patet salus, nisi per Baptismum, in quo est expressa notitia Trinitatis, quæ notitia ad notitiam Incarnationis videtur exigita, unde Joann. 7. dicitur: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*: contradicunt Suar. Sot. Pal. & alii citantes etiam D. Th. quia sine manifesta ratione non debet hæc necessitas induci, qua præcludatur via salutis tot invincibiliter insciis, & omnia argumenta opposita intelligi possunt de necessitate tantum præcepti: ex qua sententia infertur, quod, quamvis absolvi nequeat extra articulum mortis, qui ignorat hæc mysteria, ne scilicet exponatur Sacramentum periculo frustrationis, ut constat ex Propos. 64. damnata ab Innoc. XI. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis*: tamen absolvi potest, ac debet in articulo mortis, dummodo explicite credat, Deum esse, & Remuneratorem esse, nec sit omnino tempus, cum ulterius instruendi de Trinitate, & Incarnatione, quia tunc periculum frustrationis Sacramenti bene cedit extremæ necessitati.

Quæres Quarto, Quænam alia Fidei mysteria post promulgationem Evangelii sint explicite credenda?

Respondeo, Necessitate non quidem medii, sed præcepti divini explicite omnibus credenda esse reliqua, quæ continentur in Symbolo Apostolorum, quia in his consistit professio Christianæ Fidei. Reliqua vero extra Symbolum sufficit credere tantum implicite, seu generaliter, & confuse, credendo quicquid Deus revelavit, & tenet Catholica Ecclesia. Addit tamen Con. apud Croix hic num. 51. Episcopos, Parochos, Doctores, Concionatores, Confessarios, &c. plura proportionaliter debere explicite credere, quia non aliter possunt suo muneri satisfacere. Addo demum, quod si tibi sufficienter proponatur aliquid extra Symbolum de fide sanctum ab Ecclesia, teneris illud explicite credere, quia hoc videtur merito exigere reverentia debita auctoritati Dei loquentis.

Quæres quinto, An quoties tenemur repetere actum Fidei juxta dicta §. antecedenti, sufficiat illum repetere generaliter, & in confuso, scilicet credendo quidquid Deus revelavit, & tenet Ecclesia?

Respondeo, Renovandum quidem identidem in vitæ decursu ejusmodi actum universalem; non tamen satis esse, nisi etiam aliquando, etsi rarius, repetamus etiam actus Fidei explicitos Dei Remuneratoris, Trinitatis, & Incarnationis, cum in his præsertim fundetur Fides Christiana: de reliquis autem mysteriis Symboli non videtur esse tanta obligatio repetendi actus explicitos cum eadem frequentia; satis enim videtur eorum repetitio generalis, & confusa; nisi vero occurrat tentatio in particulari, quæ aliter vinci nequeat, vel professio fidei de singulis facienda.

II. *Discere Fidei mysteria*. Præceptum Fidei, jubens assensum suis mysteriis, jubet etiam sub gravi eorum notitiam nobis sedulo acquirendam, & quidem sufficientem, & stabilem, ratione cujus possimus identidem ea credere juxta jam dicta. Graviter ergo peccat tum qui negligit ea discere, tum qui de eis oblitus, negligit eorum notitiam sibi iterum comparare.

Quæres sexto, Quænam mysteria Fidei debeant omnes discere, & explicite scire ex divino præcepto?

Respondeo, Symbolum Apostolorum, in quo sunt mysteria principalia Christianæ Fidei, Orationem Dominicam, in qua continetur cultus Religionis, & Spes, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, quæ sunt regulæ agendorum, Sacramenta maxime necessaria, scilicet Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam, utpote omnibus communia, & necessaria sive in re, sive in voto. Hæc omnes Fideles ratione utentes scire debent ex divino præcepto pro sui cujusque captu; itaut regulariter non sit absolvendus pœnitens ea ignorans, donec huic obligationi satisfaciat. Addo tamen, Pueros, Rudes, &c. satisfacere huic obligationi, etiamsi memoriter non bene reddant, dummodo interrogati sciant suo modo respondere de singulis; præceptum enim Ecclesiæ addiscendi memoriter symbolum Apostolorum, Salutationem Angelicam, &c. ex consuetudine obligat tantum sub veniali, ut tenet Nav. Lop. & alii apud Busemb. contra Barbos. Episcopi vero, Parochi, &c. plura debent addiscere, ut suo muneri satisfaciant, ex §. antecedenti.

III. *Fidem exterius profiteri*. Præceptum affirmativum Fidei obligat etiam, assensum internum actu externo quandoque manifestare, juxta illud ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*.

Quæres septimo, An Fidelis non interrogatus teneatur aliquando exterius confiteri Fidem?

Respondeo affirmative. Et primo teneris etiam cum dispendio vitæ, si te tacente, Religio Christiana falsa ab aliquibus existimari posset, aut ejus auctor falsum dixisse; aut prævideas, te periculo eam negandi exponendum, & probabilius, si te tacente prævideas, alios Fidem in morte amissuros: Secundo teneris, sed non cum gravi tuo damno, si videas, eam ab aliquibus irrideri; nisi vero etiam timeas, ex tua confessione magis irritandos, & in blasphemias processuros: similiter teneris, si prævideas, te tacente, alios ad Fidem venturos, vel ei firmius adhæsuros, & pariter quando teneris Proximum instruere: demum teneris exercite eam exterius profiteri, ponendo actus exteriores præceptos ab aliis virtutibus, v. g. auditionem Missæ, susceptionem Sacramentorum, &c. & similiter quando obligaris ad recitandam professionem Fidei.

Quæres octavo, An Fidelis interrogatus a persona privata de sua Fide teneatur eam fateri?

Respondeo per se loquendo, & præcisis aliis circumstantiis non teneri, quia tunc tacendo censeris contemnere potius auctoritatem personæ interrogantis, utpote non habentis tale jus: ergo poterit tacere, vel dicere, *Quid ad te?* quasi diceres, *Non habes jus interrogandi*. At si tunc tacere, attentis circumstantiis, sit signum negationis Fidei, vel erubescentiæ de confitenda Fide, aut infirmi timoris, vel scandalum ederet Proximo, teneris fateri etiam cum dispendio vitæ, etiamsi interrogeris a persona privata, quia hæc omnia sunt intrinsece mala, & in nullo casu cohonestabilia. v. Croix hic n. 57.

Quæres nono, An Fidelis interrogatus a potestate publica de sua Fide teneatur eam fateri cum dispendio vitæ?

Respondeo affirmative, ut constat ex prop. 18. damnata ab Innoc. XI. *Si a potestate publica quis interrogetur, tacere ut peccaminosum per se non damno*. Et ratio damnationis est, quia tunc silentium non est tam contemptus personæ interrogantis, quam Fidei, per se enim in tali casu das signum, vel negatæ Fidei, vel erubescentiæ, vel timoris pœnæ, vel scandali, &c. Neque obstat, quod tyrannus interrogans non sit legitimus Judex respectu quæstionis Fidei; Nam cum communiter habeatur pro habente auctoritatem publicam, debet ut talis respici, & ideo silentium accipitur communiter pro signo negatæ Fidei, nisi vero silendo, osculeris v. g. Crucifixum, collum porrigas gladio, rideas ad minas tyranni, &c.; esset enim hæc tacita con-

fessio:

fessio: Croix hic n. 56. sic intelligens Busemb. Si autem tunc declines confessionem per fugam, non peccas, quia fugiendo, potius fateris exrreite Fidem: Croix n. 60. Addunt Pal. & alii apud Croix n. 59. etiam posse silere, si a tyranno interrogeris non in odium Fidei, sed personæ: contra vero, si Princeps Catholicus interroget, an sis Catholicus, volens, qua talem promovere ad aliquod officium, teneris fateri, quia hic, non ibi agitur causa Fidei.

Quæres decimo, An tenearis, te manifestare Catholicum, si tyrannus edicto tantum generali jubeat, ut, qui sunt Catholici, se manifestent?

Respondeo negative, quia nemo proprie interrogatur, nisi persona nominatim, & in particulari rogetur. Suar. & alii communiter apud Croix n. 58. Idem est, si tyrannus jubeat, ut qui in suo Regno sunt Catholici, gestent talem vestem, tale signum, &c. non enim teneris tunc illud signum, seu vestem gestare cum gravi tuo damno, quia tunc non assumis signum protestativum abnegationis Fidei, quod certe est intrinsece malum, & prohibitum præcepto negativo Fidei, de quo cap. sequ. sed tantum non assumis signum protestativum Fidei, occultando personam, quod licitum est, modo fiat ex gravi causa. Neque obstat, quod tunc reputari possis ab aliis Infidelis, seu defecisse a Fide; nam possent, & deberent etiam reputare, te illud signum omittere, non gratia deferendi Fidem, sed occultandi personam ex gravi causa: Suar. Sanch. Pal. Bon. & alii communius contra Cajet. Nav. & alios.

Quæres ultimo, Quinam teneantur ad professionem Fidei juxta decretum Tridentini faciendam?

Respondeo, Qui accipiunt Beneficium curatum teneri sub gravi eam publice facere coram Episcopo, vel ejus Generali Vicario intra duos menses a die possessionis, similiter accipientes Dignitatem, vel Canonicatum in Ecclesiis Cathedralibus debent eam facere assistente etiam Capitulo, sub pœna non faciendi fructus suos: similiter tenentur Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi in prima Synodo Provinciali, itaut, qui renuit, sit denunciandus Pontifici, & ab Episcoporum Comprovincialium communione removendus: Trid. *sess.* 24. c. 12. *de Refor.* Pius IV. extendit hanc obligationem ad Prælatos Regularium, etiam militarium, etsi Sorb. dicat, non esse in usu. Pius V. extendit ad Doctores, Magistros, Regentes, & alios Professores cujuscumque facultatis, & artis liberalis, sive sint Religiosi, sive Clerici, sive Laici: & S. Congreg. etiam ad docentes grammaticam, arithmeticam, musicam, &c. etiamsi non doceant in publicis scholis, & additur pœna excommunicationis ipso jure, & privationis beneficiorum, officiorum, &c. & inhabilitatis ad illa. Quæ omnia nuper confirmata sunt in Concil. Rom. sub Bened. XIII. ann. 1725. v. Pal. hic p. 19. n. 1.

§. III.

De Præcepto affirmativo Spei.

PRÆTER dicta §. 1. de præcepto affirmativo Spei tria sunt hic addenda.

Primo, Facile, & frequenter huic præcepto satisfieri, præsertim in oratione Dominica devote recitata, aliisque orationibus quotidianis, quibus petimus etiam res temporales, relate saltem virtualiter ad finem ultimum nostræ Beatitudinis; tum etiam in susceptione Sacramentorum, præsertim Pœnitentiæ, in quo ex Trid. *sess.* 14. *de Pœn.* c. 4. requiritur dolor, qui *Voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*, saltem virtualiter perseverante, ut addunt Doctores communiter.

Secundo, Sperare, seu desiderare alteri beatitudinem, esse actum Spei Theologicæ, si eam illi desideres, quatenus tibi bona est, seu quia sic saltem accidentaliter tua Beatitudo crescit; si autem eam alteri desideres, in quantum illi bona est, erit actus Charitatis: D. Th. Suar. & alii communiter. Hinc si absque Revelatione, aut rationabili causa desperes de salute proximi, videndum, ob quam rationem desperes: si enim desperas credens, Deum non præbiturum auxilium, peccas contra Fidem, qua teneris credere, Deum esse omnibus paratum, quantum in se est: si desperas credens, eum ex negligentia, aut malitia omissurum necessaria ad salutem, peccas contra justitiam, temere de illo in re gravi judicando: si desperes ex odio, accedia, &c. peccas contra Charitatem. v. Pal. hic p. 2.

Tertio, Ad virtutem Spei pertinere etiam timorem Dei vindicis, & gehennæ, &c. sed nota, triplicem posse esse timorem: Primo, Serviliter servilem, quo scilicet nolis peccare formidine pœnæ, paratus tamen peccare, si ea non esset, & hic timor est peccaminosus; involvit enim voluntatem peccandi conditionatam: Secundo, Servilem, quo scilicet omnino nolis peccare formidine pœnæ, ob quam excludis omnem omnino voluntatem peccandi; & hic timor est sanctus, ut constat ex Trid. *sess.* 14. c. 4. cit. qualis est timor gehennæ; si enim vere eam times, certe excludis omnem voluntatem peccandi etiam conditionatam; aliter non vere times, actu peccans; atque hic timor est actus Spei Theologicæ, ad quem spectat tum actus prosecutionis sui objecti, tum actus fugæ mali oppositi; ille dicitur Spes, hic Timor: Tertio, Timorem filialem, seu reverentialem, quo times culpam, quatenus est offensa Dei, vel etiam pœnam, sed quatenus separat a Dei honore, & gloria; & hic timor spectat ad Charitatem Dei, statque cum charitate perfecta in Patria, ubi, sicut non est Spes, ita nec timor servilis; quo sensu intelligitur illud Apostoli, *Perfecta Charitas foras mittit timorem*. De utroque autem timore datur præceptum, tum Deuter. 10. *Quid Dominus tuus petit a te, nisi, ut timeas Dominum Deum tuum? &c.* Et Luc. 12. *Eum timete, qui ... habet potestatem mittere in gehennam*; sed satisfit per actum timoris virtualiter inclusum in actu Spei, & in actu Charitatis: Val. & alii apud Pal. hic p. 4. n. 6.

§. IV.

De Præcepto affirmativo Charitatis Dei.

DE hoc præcepto præter dicta §. 1. superest specialiter videndum, an sit de amore Dei formali, absoluto, super omnia, supernaturali, &c.

Quæres primo, An præceptum amoris Dei sit de dilectione Dei formali?

Respondeo affirmative, ut clare eruitur ex prop. damnata ab Alex. VIII. 1690. *Sufficit, ut actus moralis tendat ad finem ultimum interpretative: hinc Homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis*. Duas partes habet hæc propositio, sed prior pars non videtur damnata; nam nulla est obligatio referendi actu, & formaliter omnes, & singulos actus nostros morales, & humanos ad ultimum finem nostræ beatitudinis, vel ad Deum propter se: tum quia id est impossibile in hac vita, ut communiter notant cum D. Th. tum quia satis bonæ sunt actiones humanæ, si fiant ex quovis alio fine honesto, puta ex motivo justitiæ, temperantiæ, aut alius virtutis moralis, etsi actu non referantur ad ultimum finem, nec fiant ex amore formali Dei; referuntur enim virtualiter, & interpretative; hinc ab Alex. VIII. damnatur prop. 7. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel Mundi; si Dei, Charitas Patris est; si Mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est*; & ratio damnationis est, quia potest esse actio humana deliberata ex motivo tantum honesto virtutis moralis, quæ certe nec charitas Dei formalis est, nec concupiscentia carnis, vel dilectio Mundi, cum sit Dei dilectio virtualis tantum, & interpretativa, &, ut dicitur, dilectio inchoata, qualis etiam dicitur dolor peccatorum ex metu gehennæ.

Posterior ergo pars præfatæ propositionis tantum damnatur, quæ proinde intelligitur de amore Dei formali; nam virtualis, & interpretativus asseritur in priori parte: dicendum ergo, adesse præceptum speciale de dilectione Dei formali, cui non satisfit per amorem Dei virtualem, ac interpretativum, qui habetur per observantiam cæterorum præceptorum, ut putarunt Sanc. & Bann. apud Mendo: Neque obstat, quod dicitur Joann. 4. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*. Nam dilectio effectiva, quæ est observantia mandatorum Dei sine dilectione affectiva, & formali vix potest consistere, cum ex præcepto Charitatis Dei pendeat universa Lex, & Prophetæ, ut dicitur Matth. 22. sensus ergo est, qui servat mandata mea, signum in se habet, quod etiam amore formali me diligat.

Quæres secundo, An præceptum amoris Dei sit de amore absoluto, & simpliciter super omnia?

Respondeo affirmative, quia Deuter. 6. 5. & Lev. 19. 18. habetur hoc præceptum his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*: ergo absolute, & simpliciter super omnia, etiam supra reipsum. Et ratio a priori est, quia Deus est absolute, & simpliciter omne bonum, & quidem infinite majus omnibus bonis creatis etiam collective acceptis: ergo est diligendus absolute, &

simpliciter super omnia bona; itaut præ ejus amore malis absolute, & simpliciter perdere omnia, etiam vitam, & subire omnia mala, etiam gehennam, quam illum offendere.

Neque obstat D. Aug. l. *de Perfect.* 17. dicens, esse impossibile in hac vita Deum diligere ex toto corde, &c. ob concupiscentiam, quæ, utcumque frænetur, non finir, ut ex tota anima tendamus ad Deum. Nam D. Aug. (uti etiam D. Bern. *serm.* 50. *in Cant.*) loquitur de amore Dei summo intensive, quem certe habere communiter non possumus, nisi in patria, ubi nullus esse potest motus concupiscentiæ, ne indeliberatus quidem, in oppositum: at Dei præceptum obligat nunc tantum ad amorem Dei summum appretiative, quo scilicet ita Deum amemus, ut nihil creatum pluris faciamus, quam ipsum, quem potius omnibus præferamus, itaut velimus omnia perdere potius, quam ipsum, & mala omnia potius subire, quam ipsum offendere.

Quæres tertio, An hoc præceptum sit de amore Dei supernaturali?

Respondeo affirmative: Quia amor Dei naturalis (quem possibilem esse etiam in natura lapsa, constat ex prop. 34. & 36. Baji damnatis) non potest esse absolute, & simpliciter super omnia; non enim potest velle absolute, & simpliciter perpetuam observantiam omnium mandatorum Dei, sed tantum cum hac conditione, *quantum potuero.*; cum enim id sit effective impossibile viribus naturæ præsertim lapsæ, sequitur, ut voluntas non possit iisdem viribus absolute, & simpliciter illud velle, sed tantum sub tacita conditione, *quantum potuero*; ut bene notat Suar. Hinc qui lumine tantum naturæ Deum cognoscunt, tenentur eum amare, ut possunt, actu saltem naturali, & sic non deerit deinde Dei auxilium ad amorem supernaturalem, justa illud: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*. Qui vero habent lumen Fidei, tenentur ad amorem supernaturalem, qui proprie est Charitas; & ad hanc præsto est Deus auxilio supernaturali, si nos conemur, quantum cum ejus gratia possumus.

Quæres quarto, Ex quo motivo formali teneamur Deum diligere ex vi hujus præcepti?

Respondeo, Quod, quamvis amor Dei, ut Creatoris, ut Benefactoris, ut Redemptoris, ut Glorificatoris, &c. sit supernaturalis, & sanctus; tamen non sufficit ad observantiam hujus præcepti; quia non est proprie dilectio Dei, & actus Charitatis, sed potius actus Gratitudinis, Religionis, &c. idemque est, si ames Deum ex eo præcise motivo, quia ipse præcipit; est enim actus Obedientiæ. Actus ergo Charitatis, qui hic præcipitur, debet tendere ad Deum præcise propter ipsum Deum, itaut moveatur præcise, & formaliter ex Dei bonitate in seipsa, digna quidem omni amore, etiamsi nihil bene fecerit ad extra, & sic amatur Deus super omnia, etiam super nos ipsos.

Pro praxi autem hujus amoris noto ex Croix hic n. 143. Fideles facile posse satisfacere huic præcepto bis, aut similibus actibus, gaudendo de Dei perfectionibus, quia illius sunt; volendo illi bona, quæ habet; complacendo ei, ipsum esse, qui est; gratulando ei de honore, qui ei exhibetur; optando, ut nemo illum offendat, ut omnes ei serviant, eum ament, ac colant, dicendo, *Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra*: aliquid boni faciendo, quia scis, id eum velle, ejusque infinitæ bonitati placere, &c.

CAPUT II.

De Præcepto negativo Fidei.

PRÆCEPTUM Fidei negativum prohibet omnem infidelitatem, quæ ex D. Thoma, & aliis communiter est triplex, Paganismus, Judaismus, & Hæresis. Ad Paganismum reducitur Turcismus, Gentilismus, & Atheismus. Ad hæresim vero reducitur Apostasia a Fide; utraque enim opponitur Fidei jam susceptæ; hæc tamen ex toto, illa ex parte. Noto demum, omnem ejusmodi infidelitatem posse esse vel negativam, eorum scilicet, qui nihil unquam de Fide audierunt, vel privativam, eorum scilicet, qui culpabiliter ignorant, aut errant circa res Fidei; vel contrariam, eorum scilicet, qui Fidem sibi sufficienter propositam respuunt pertinaciter, aut actu tantum externo respuere ostendunt.

§. I.

De Infidelitate in genere.

QUÆRES primo, An infidelitas pure negativa sit peccatum?

Respondeo negative, Ut constat ex prop. 68. Baji damnata: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*. Et ratio damnationis est, quia non est voluntaria, & consequenter non imputabilis ad culpam. Neque dicas, esse imputabilem in causa, eo quod non oraverint, &c. Nam cum nullam, ut supponitur, Christi notitiam habuetint, nunquam potuerunt pro hoc orare: si autem nec oraverint pro sua salute, adeoque non fecerint, quod in se erat, peccarunt quidem, sed non contra Fidem, sed contra alias virtutes, ideoque infidelitas negativa non est imputabilis in causa, in qua non fuit prævisa; hinc punientur quidem ob alia peccata, non tamen ob istam infidelitatem.

Addunt Tann. & alii apud Croix hic n. 94. inveniri quosdam etiam inter Hæreticos adeo simplices, & doctrinæ suæ sectæ præventos, ut nullatenus dubitent: simulque ita animo habitualiter dispositos, ut si scirent veritatem, statim admitterent; ideoque esse hæreticos tantum materialiter, & infideles mere negative; si ergo sciant necessaria necessitate medii, Deum scilicet esse, & Remuneratorem esse, posse salvari, modo fecerint etiam, quod in se est; sin minus, damnari, non ob hæresim, sed ob alia peccata. Infidelitas autem pure negativa Atheismi videtur impossibilis: eum lumine naturæ cuique notum esse debeat, Deum esse.

Quæres secundo, An, & quodnam peccatum sit infidelitas privativa, eorum scilicet, qui culpabiliter ignorant, vel errant circa Fidem?

Respondeo, Esse peccatum grave contra Fidem; utpote quæ graviter obligans ad nostrum assensum suis mysteriis, graviter etiam prohibet eorum ignorantiam. Hinc infidelis, si judicet, suam sectam esse æque credibilem, ac Fidem Catholicam, quamvis nondum teneatur illam respuere, & hanc complecti; tamen contra hanc peccat, si non adhibeat omnem diligentiam, legendo, interrogando, vel saltem orando pro rei veritate; cum lumine naturæ notum sit, ambas non posse esse veras, & hoc sensu intelligendus est Busem. apud Croix n. 46. A fortiori peccat Infidelis, si non credat Fidei Catholicæ, quam reputat probabiliorem, ductus opinione minus probabili circa suam sectam; quia, etsi nondum teneatur credere priori, utpote nondum sufficienter propositæ juxta dicta q. 1. c. 1. tamen monitus jam de probabilitate ejus majori, tenetur ad majorem diligentiam pro ejus certitudine comparanda, & in hac omissione graviter contra illam peccat, quo sensu damnata est ab Inn. XI. prop. 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*. Ita Croix hic n. 48. qui addit ex Carden. d. 5. c. 2. & d. 15. c. 7. quod si hujusmodi infidelis cum tali probabilitate deprehenderetur in mortis articulo, nec tempus ei sufficeret, vel potentia ei deesset diligentius inquirendi, teneretur Deum precari pro illustratione intellectus, quam Deus, qui vult omnes Homines salvos fieri, petentibus non negaret; porro per hanc illustrationem transiret illa probabilitas in certitudinem.

Quæres tertio, Quandonam quis censeatur exterius negare Fidem, & quodnam sit hoc peccatum?

Respondeo, quando verbo, vel facto ostendit, se non credere, vel dubitare de illa, aut de aliquo ejus articulo, vel adhærere sectæ contrariæ: quod peccatum externum, etiamsi interne adhæreas Fidei, est gravissimum, utpote injuriosum divinæ auctoritati, ideoque nec metu mortis potest admitti. Contra ergo dicendum, si verbo, vel facto, quodcumque illud sit, hoc non ostendis.

Hinc si, ne aliis displiceas, dicas, te non credere, vel fingas, te dubitare, &c. peccas peccato externo gravites contra Fidem: Croix n. 69. Idemque est, si neges, te esse Papistam apud eos, qui per tale nomen intelligunt Sectatorem Ecclesiæ Romanæ; secus vero apud eos, qui intelligunt Sectatorem Curiæ politicæ, &c. Croix n. 61. Si autem pro dissimulanda Fide utaris verbis æquivocis; Arsdekin, & alii apud Croix ib. dicunt esse per se morrale, cum videatur contra Dei honorem permittere, se apud audientes haberi pro Infideli: quod quidem verum est, si utaris his æquivocis coram auctoritate publica, vel absque gravi causa; at si hæc adsit, Suar., Sanch., & alii

& alii ibidem putant, licere sic æquivocari eoram privatis.

Idem proportionaliter die de vestibus, signis, & factis; si enim utaris vestibus, vel signis, quibus utuntue infideles ad discernendum se a fidelibus; tunc, si utaris ad repræsentandam eorum personam, nt in scenicis, & ludicris, non peccas, etiamsi vestes illæ, vel signa sint professiva falsæ sectæ, qnia sic non ostendis, te non eredere, &c. ut pater: si vero his ntaris ad occultandam tuam Religionem Catholicam; tune, si utaris vestibus per se significantibus Religionem oppositam, quibus scilicet utuntut infidelet in suis sacrificiis, jam externe profiteris, re esse infidelem, quod est intrinsece malum: si vero utaris eorum vestibus institutis tantum ad discernendum se a Catholicis, puta pileo Judæorum, mitra turcica, toga Prædicantium, &c., tunc, si non adsit gravis causa, merito etiam præsumeris, voluisse desertorem Fidei apparere, quod est intrinsece malum: secus vero, si adsit gravis causa, quia tunc, qui te noverant fidelem, non illico te judicarent ejus desertorem, sed tantum occultatorem, quod licet ex gravi causa: Suar. Sanch., & alii, sic excusantes Christianos ntentes insignibus Turcarum, nt speculentur eorum exercitum, vel ne ab illis comprehendantur, &c.: sunt enim insignia mere politica, nec proprie professiva Religionis. v. Sanch. l. 2. Dec. c. 4.

Eadem dicenda sunt de actionibus propriis infidelium; si enim tales actiones sint signa professiva eorum Religionis, ut adoratio, adolerio Thuris, sacrificatio, &c. ne metu quidem mortis possunt a Fidelibus poni in propria persona, quia sie ostenderent, se illis credere, &c., atque hoc sensu Paul. V. apud Sanch. l. 2. Dec. c. 4. n. 27. rescripsit, esse illicitum Fidelibus obedire cuidam Principi hæretico mandanti sub gravissima pœna omnibus subditis adire conciones hæreticorum, etiamsi diceret, se hac re nihil aliud exigere, quam civilem obedientiam; reipsa enim volebat eo edicto assistentiam religiosam, adeoque aliquod intrinsece malum: similiter non licet eorum Sacris interesse, itaut censearis in his communicare, cum sit intrinsece malum; bene tamen, si censearis tantum famulari domino, nt dicitur de Naaman Syro: similiter audire conciones hæreticorum, comitari funera, esse patrinum in eorum Baptismo facto a Ministro hæretico, assistere eorum Matrimonio, non videtur per se illicitum, si fiat ex causa, absque periculo, scandalo, & prohibitione Ecclesiæ. v. Croix hic a n. 65.

Si generaliter, vel specialiter tibi præcipiatur ab Infidelibus, nt claudas officinam, abstineas a servilibus diebus eorum Festis, licite obedis, modo adsit metus gravis; secus enim censeris communicare. Similiter si transeunter, vel permanenter sis in eorum locis, potes ex metu gravi, & non derisionis tantum causa, vesci carnibus diebus jejunii Ecclesiastici ad dissimulandam Fidem, quia jejunium non est ab Ecclesia institutum ad profitendam Religionem: si tamen ex circumstantiis fieret signum professivum (nt si in odium Fidei convivæ statuerent, ut qui est hostis Fidei Romanæ, comedat carnes) peccares contra Fidem, si ederes absqoe protestatione; secus si protestareris: Bon., Azor., Bec., & alii: edere autem de Idolothytis est intrinsece malum, quia est professio Idololatriæ, ex 1. ad Cor. 8. 10.

Denique non videtur per se loquendo intrinsece malum recipere Sacramentum a Ministro hæretico, quare licitum est, modo fiat ex necessitate, & eum protestatione: sic in articulo mortis potes recipere Sacramentum Pœnitentiæ ab illo habente characterem; non tamen Sacramentum Eucharistiæ, utpote non necessarium, exemplo S. Hermenegil. a D. Greg. laudati, maxime quia ea susceptio erat tunc professio Arianismi; v. Lug. d. 18. *Pœn.* n. 19. Si ex gravi causa eogaris comparere coram Ministro hæretico pro contrahendo Matrimonio, non ob religiosam aliquam ceremoniam, sed ob causam civilem, excusant Less., Gob., & alii apud Croix n. 67. sed passim haberi illum, ut personam sacram, testatur Busemb., ideoque simpliciter non licere. Permittere demum, infidelem sepeliri in loco sacro, non est intrinsece malum; ideo ex gravi metu licere; non tamen ceremonias Ecclesiæ in eum facere; cum sit intrinsece malum. v. Croix n. 510.

Quæres quarto, An Paganismus, Judaismus, & Hæresis, sint peccata specie diversa?

Respondeo, Quamvis ex Lug. *de Pœn.* d. 16. n. 288. & aliis probabiliter non sint specie rigorose diversa, utpote quæ conveniunt in eadem oppositione cum virtute Fidei; tamen in Confessione esse omnino explicanda, quia sunt diversa, quatenus opponuntur cum virtute religionis; nam singulæ sectæ includunt ceremonias, & ritus proprios continentes maliriam specie diversam, v. g. Paganismus Idololatriam, Judaismus Circumcisionem, &c. Lug. ibid. addens, per se loquendo, non oportere explicare species hæresum; sed sufficere, si dicas, *Erravi culpabiliter contra credenda*; idemque est de Apostasia; nisi habeatur etiam actio externe professiva rituum diversorum.

§. II.

De Paganismo, & Judaismo in specie.

PAGANISMUS opponitur Fidei nondum susceptæ: Judaismus opponitur Fidei susceptæ tantum in typo, seu figura. De utrisque

Quæres primo, An Ecclesia habeat potestatem cogeodi Paganos, vel Judæos ad Fidem?

Respondeo, Non habere potestatem directam, sive sint in temporalibus Subditi proprii, sive Principum Fidelium; ut colligitur ex Trid. *sess.* 14. c. 2. juxta illud 1. Cor. 2. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Et ratio a priori est, quia nonnisi per Baptismum evadimus Subditi potestati Ecclesiæ. Idem a fortiori dicendum de Principe fideli; non enim potest directe cogere ejusmodi Infideles sibi non Subditos ad Fidem, & probabilius nec etiam sibi Subditos; cum sit contra usum Ecclesiæ, quæ etiam expresse id prohibet de Judæis, ut docent D. Th., & alii contra Scot., Henr., & alios. Possunt tamen eos cogere ad relinquendum, quæ sunt contra naturam, puta Blasphemiam, Idololatriam, oppressionem Innocentis, vilipendium honoris Dei, &c. tum quia tenentur, eos regere secundum jus naturæ, si sint Subditi; tum quia, etiamsi non sint Subditi, possunt titulo defensionis in eos agere. v. Croix a n. 80.

Quæres secundo, Quænam communicatio Fidelium cum Paganis, vel Judæis sit per Canones prohibita?

Respondeo, Ex cap. *Cum sit, de Judæis, & Saracenis*, prohiberi Principi fideli præficere Fidelibus ejusmodi Infideles: item prohibentur, & irritantur nuptiæ Fidelis eum illis. At de Judæis loqueudo, multa sunt speciatim prohibita, nimirum Clericis sub pœna depositionis, & Laicis sub pœna excommunicationis ferendæ, cohabitare cum Judæis, eorum conviviis interesse, eos medicos adhibere, medicinas ab eis datas recipere, eorum filios enutrire, in eorum domibus eis famulari, eorum azymis vesci, eos publicis officiis Christianorum fungi. Addit tamen Croix n. 83. non omnia hæc esse usu recepta; quare remoto periculo perversionis, irreverentiæ, aut scandali, sæpe ob necessitatem, aliamve causam rationabilem, vel materiæ parvitatem, excusari a mortali, & aliquando etiam a veniali. v. Croix. loc. cit.

§. III.

De Hæresi, & Apostasia.

HÆRESIS est *Error cum pertinacia circa Fidem in eo, qui eam suscepit*. Si talis erroe sit circa unum, vel aliquos tantum articulos Fidei, vocatur absolute hæresis; si sit circa omnes Christianæ Fidei articulos dicitur Apostasia a Fide, quæ etiam declioare potest in Paganismum, Turcismum, Gentilismum, Atheismum, &c. debet tamen præsupponi Baptizatus, vel Fidelis, nt vocetur per talem errorem hæreticus, vel apostata.

Quæres primo, In quonam consistat hic error cum pertinacia circa Fidem?

Respondeo, Consistere in hoc, quod quis, etiamsi sciat, oppositum teneri ab Ecclesia Catholica, vel aliunde sibi sufficienter propositum, tamen adhue errorem suum tuetur, ac retinet; quia sic judicium suum præponit judicio Ecclesiæ, in quo stat pertinacia. Hinc si quis non habens sufficienter sibi propositum aliquem Fidei articulum acriter tueatur suum errorem, etiamsi ex ignorantia crassa, & supina, si tamen animo sit dispositus submittere judicium suum Ecclesiæ, statim ac sufficienter ejus decisionem noverit, non est hæreticus: Laym., & alii. A fortiori non est formaliter hæreticus, aut Apostata, sed tantum materialiter, qui exterius tantum negat Fidem, adorat idolum, &c., quia non adest error intellectus. Hæresis vero formalis consistit in intellectu pertinaciter errante circa Fidem, qui error, si tantum retineatur in mente, dicitur hæresis interna; si procedat in actum aliquem externum per se ab eo pendentem, & ejus significativum, dicitur hæresis externa, quæ tamen, si aliis non innotuit, dicitur occulta; si innotuit, manifesta. Eadem dic de Apostasia a Fide.

An

An autem dubium in Fide sit hæresis? Distinguendum: si enim sit dubium positivum, quo scilicet judicas, articulum Fidei, quem scis teneri ab Ecclesia, esse dubium, certe est hæresis; præponis enim tuum judicio Ecclesiæ; ideoque cap. 1. *de Hæret.* dicitur, *Dubius in Fide est Infidelis*; si vero sit dubium mere negativum, quo scilicet suspenditur omne judicium, Sanch. l.2. Dec. c. 7. n. 11. dicit, non esse hæresim; addit tamen cum tali dubio, si sit deliberatum, fere semper conjungi dubium positivum; maxime si in eo deliberate perseveres, & non elicias actum Fidei, vel mentem alio non distrahas, ut in reliquis tentationibus. v. Pal. d. 3. p. 2.

An autem error ortus ex ignorantia culpabili circa aliquem Fidei articulum sit hæresis? Probabilius negandum est cum Suar. Con. Azor. Baun. Pal. d. 3. p. 2. n. 2. quia si talis ignorantia est causa erroris, abest pertinacia, quæ nequit esse absque cognitione Ecclesiæ aliter docentis. Idque verum est, etiamsi ignorantia illa sit crassa, & supina contra Sot. Lop. & alios. Item etiamsi sit affectata; modo ideo affectes nescire, ne cogaris aliud sentire; nam si affectes, eo quod parvipendas auctoritatem Ecclesiæ, vel ex affectu liberius errandi, es hæreticus, quia ille despectus est negatio infallibilis auctoritatis Ecclesiæ; & hic affectus errori est talis, ut quamvis scires, Ecclesiam aliter docere, non desisteret; utrobique ergo habetur pertinacia.

Quæres secundo, An per solum peccatum hæresis amittatur habitus Fidei?

Respondeo affirmative, quia supponit Fidem susceptam, & opponitur directe ejus objecto formali: idque verum est, sive sit hæresis totalis, quæ dicitur Apostasia a Fide, sive sit tantum ex parte, quæ dicitur absolute hæresis. Hinc Hæreticus in uno tantum articulo Fidei, etsi reliquos credat, eos non credit Fide divina, sed humana; non enim nititur divinæ auctoritati secundum se, & ut proponitur ab Ecclesia, sed prout sedet suo intellectui, adeoque sibi potius credit. Per ignorantiam autem, etsi crassam, & supinam, & probabiliter etiamsi affectatam juxta modo dicta, peccatur quidem graviter, sed non amittitur Fides, quia non peccatur directe contra illam, seu contra Dei auctoritatem, sed contra obligationem sciendi, quæ sunt credenda: & per hoc patet discrimen a peccatis commissis ex ignorantia culpabili contra alias virtutes Justitiæ, Charitatis, &c. quæ sunt in eadem specie cum peccatis scienter commissis; quia ignorantia non mutat peccati objectum, sed tantum modum operandi, & in casu nostro mutatur objectum, cum divina revelatio ob ignorantiam occultetur. v. Pal. d. 3. p. 2. n. 4.

Neque amittitur Fides per hæresim materialem, seu tantum externam, quia hæc non opponitur objecto formali, sed tantum obligationi eam exterius confitendi; neque per omissionem culpabilem actus Fidei Præcepto affirmativo præcepti, utpote non oppositam directe objecto formali. Multo minus amittitur per aliud peccatum mortale contra alias virtutes, ut censuit Luth. damnatus a Trid. *sess. 6. c. 15.* & constat ex prop. 12. damnata ab Alex. VIII. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides divina, sed humana.* Hæreses esse ejusdem speciei, dictum est §. 1.

Quæres tertio, Quænam communicatio cum hæreticis sit prohibita Catholicis?

Respondeo, Primo prohiberi contrahere Matrimonium; itaut illicite, quamvis valide, contrahatur cum persona hæretica, absque dispensatione Papæ: si tamen pars hæretica serio promittat conversionem, Lug. contra Sanch. apud Croix n. 97. putat, non opus esse dispensatione; uti nec in Germania, ubi non est consuetudo ejus petendæ: illicitum tamen est pactum educandæ prolis ritu hæretico. Secundo absque gravi necessitate non licet famulari Domino hæretico passim impedienti ab observatione præceptorum Ecclesiæ; si tamen nimis raro impediat, licet, etiam absque gravi necessitate, quia etiam apud Dominos Catholicos difficile est reperire, qui aliquando non impediat: Suar. apud Croix n. 104. secluso tamen periculo perversionis, & scandalo. Tertio cap. *Quicumque de Hær. in 6.* prohibet, Laicum disputare etiam privatim de Fide; si tamen Laicus sit doctus, Tamb. & alii putant, non peccare, uti neque si sit sollicitatus ab hæretico. Quarto, Quamvis per Jus Canonicum non excludatur hæreticus a sepultura Fidelium (nisi sit nominatim denunciatus vel notorius) tamen non licet etiam cum periculo vitæ adhibere in eo ceremonias Ecclesiæ, utpote intrinsece malum; cum sic profitereris, eum esse ex ovibus Christi: quare ex metu gravi tantum licet, permissive se habere, ut sepeliatur in loco sacro. v. Croix n. 110.

Quæres quarto, Quæ sit potestas, & pœnæ Ecclesiæ in hæreticos, & Apostatas a Fide?

Respondeo, Ecclesiam habere potestatem directam in hæreticos, & Apostatas, utpote per Baptismum subditos, ex cap. *Gaudemus, de Divort.* ideoque eos afficere potest pœnis Ecclesiasticis: & de facto in Bull. cœn. afficiuntur primo excommunicatione strictissime reservata Papæ, etiamsi sint occulti; non tamen si sint hæretici tantum interni; & probabilius nec si sint tantum materialiter; & multo minus si error sit ex ignorantia culpabili; & probabiliter nec si sit ex affectata; neque demum si sis hæreticus in eo, quod dissentias Revelationi tibi solum, & non Ecclesiæ, propositæ, vel si dissentias propositioni, falso putans, eam esse definitam ab Ecclesia: Pal. d. 3. p. 2. Secundo afficiuntur, etiamsi sint occulti, inhabilitate ad nova beneficia, & officia, ratione scilicet excommunicationis, itaut eorum collatio hæretico etiam occulto sit nulla ipso facto; privatio autem antecedentium beneficiorum requirit sententiam declaratoriam criminis, & sic ad ejus commissionis diem retrotrahitur: Pal. p. 3. Tertio afficiuntur irregularitate ipso facto, & probabilius etiamsi hæresis sit occulta, quamvis probabile etiam sit oppositum apud Pal. p. 4. eo quod Textus loquantur, quoad hanc pœnam, de delicto notorio, ex quo etiam incurritur infamia, & privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Quarto subduntur pœnis temporalibus carceris, exilii, verberum, triremium, mortis, & confiscationis omnium bonorum, quas late exponit Pal. cit. sed nonnisi post sententiam declaratoriam, quæ tamen probabilius retrotrahitur ad diem depositionis testium. v. Pal. p. 22.

Denique eorum filii, & nepotes afficiuntur his pœnis. Prima est privatio bonorum propriorum Patris, adeoque etiam legitimæ; non autem alimentorum, nec majoratus; illa enim de jure naturæ, hic debetur de jure regali: Pal. d. 7. p. 2. Secundo afficiuntur infamia, & inde orta irregularitate, quæ tamen ex linea feminina extenditur ad solos filios; hæresis autem Patris, vel Matris debet esse Notoria jure: Pal. ibid. Tertio ex dicta irregularitate afficiuntur pœna inhabilitatis ad beneficia, & officia publica, itaut nova eorum collatio sit ipso jure irrita: Pal. p. 16. Addit tamen contra communiorem sententiam, dictas pœnas probabiliter non afficere filios natos, vel conceptos ante hæresim Parentis.

Quæres quinto, An Hæreticus sit denunciandus?

Respondeo, Quamvis ex præcepto Ecclesiastico non teneamur denunciare hæresim locorum hæreticorum; tamen ex decr. Inquis. Generalis, præsertim 1677. quisque, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ reservata Papæ, tenetur intra mensem a scientia delicti, denunciare quemcumque lapsum in Hæresim, seu Apostasiam a Fide.

Idque I. Etiamsi ejus delictum sit occultum, tibique tantum notum, nec possis probare, ut constat ex prop. 5. damnata ab Alex. VII. *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.* Et ratio damnationis est, quia in materia Fidei Judex procedere potest, ac debet ad inquisitionem ex tali denunciatione.

II. Etiamsi scias delictum ex auditu tantum mediato; a persona tamen Fide digna, ut limitant Bord. Cord. Sanctarel. & alii contra Dian. & Potest. pag. 598. Si autem immediatus denunciavit, tu non teneris, quia nihil addis: secus si ambo estis testes immediati, vel si ipse Hæreticus seipsum denunciavit: Doctores communiter.

III. Etiamsi scias delictum sub secreto naturali, & etiam sub juramento de non denunciando; quia prævalet bonum Fidei, & Juramentum non est vinculum iniquitatis: Doctores communissime contra Fagun. & Fragos. apud Dian. Limitat tamen Bordon. contra Potest. si noveris præcise ex eo, quod delinquens petierit a te consilium; cum hæc via petendi consilii non possit occludi in damnum generis humani.

IV. Etiamsi delinquens sit mortuus in sua hæresi, quia adhuc subditur Inquisitoribus, declarandus excommunicatus, exhumandus, &c. Si autem elapsi jam sint 40. anni a morte, Pal. d. 8. p. 17. putat, cessare obligationem denunciandi, quia ejus filii præscribere possunt in ejus bonis; ideoque nec Inquisitores possunt in illum procedere; sed quoad hoc contradicunt Dian. Potest. pag. 536.

Quæres sexto, Cui, & quomodo facienda est hæc denunciatio?

Respondeo, Faciendum esse Inquisitoribus, vel Episcopo

scopo loci, ubi denunciandus actu existit, aut ubi commisit delictum, aut ubi existit denuncians. Si autem denunciandus sit Episcopus, vel Nuncius, seu Legatus Sedis Apostolicæ, aut Officialis ad negotia Sedis Apostolicæ destinatus, denunciatio fieri debet Sedi Apostolicæ. v. Potest. 602.

Denunciatio autem debet esse Judicialis, *Etiamsi nulla sit præmissa fraterna correctio*, ex decr. Alex. VII. *Licet alias*: 8. Jul. 1600. quia prævalet bonum Fidei; poteris tamen intra dictum mensem fraterne corrigere, cum id non sit prohibitum ab Ecclesia; sed non teneris, quia ordinarie non est spes emendationis in hæretico errante ex pertinacia. Si autem erret ex ignorantia, etiamsi crassa, & probabiliter etiamsi affectata, juxta jam dicta, tunc præmittenda est secreta correctio fraterna; & si resipuerit, non est denunciandus, quia proprie non est hæreticus. Quod si Hæreticus occultus fraterne correctus serio se emendaverit, Sot. Portel. Molfes. & alii putant non esse denunciandum; idemque dicunt, si aliunde moraliter constet emendatio, puta, si per triennium bene vixerit, aut per aliquod tempus judicio prudentis: sed contradicunt Suar. & alii communius, quia hæreticus formalis est valde subdolus, & semper de eo dubitari potest, in quo dubio prævalet bonum Fidei, quæ sententia tenenda est maxime, si fuerit hæreticus, dogmatizans, seu seducens alios, quia tunc metu pœnæ alii sunt deterrendi.

Porro denunciatio Judicialis fieri debet cum juramento, & expresso nomine tum denunciantis, tum denunciati; aliter enim non satisfacis obligationi. Si autem sis impeditus; tunc si impedimentum est temporale, puta infirmitas, carcer, &c. non teneris denunciare per alium, sed potes differre etiam ultra mensem, quousque cessat impedimentum; nisi vero periculum sit in mora, itaut interim alii pervertantur, &c. Si autem impedimentum sit perpetuum, puta Clausura, &c. teneris intra mensem denunciare per alium, puta Confessarium, Parochum, &c. cui etiam delegari potest facultas juridica ab Inquisitoribus, aut Episcopo, & sic satisfacis denuncians Commissario.

Quæres septimo, An excuseris a denunciatione facienda ob grave damnum ex ea imminens tibi, vel tuis?

Respondeo cum distinctione, Si enim denunciandus sit hæreticus dogmatizans, seu alios seducens, teneris eum denunciare etiam cum periculo vitæ, famæ, &c. quia bonum publicum Fidei prævalet privato. Hinc teneris denunciare Patrem, Matrem, Uxorem, Fratrem, Filium, &c. si sint hæretici, & dogmatizent, Gen. Bonacin. & alii communiter contra Fagund. Sanctarell. & alios apud Potest. pag. 541. Hinc etiam teneris denunciare talem dogmatizantem, etiamsi fueris complex delicti, quia quamvis nemo teneatur directe denunciare seipsum, tamen tenetur etiam cum periculo vitæ, & infamiæ occurrere malo publico Fidei, Communitatis, &c. si aliter nequeat occurri, quam denunciando complicem; sic enim nec teneris fateri tuum crimen, &, si indirecte ab illo detegaris, non est habenda ei Fides.

Si autem denunciandus non sit dogmatizans, sed hæreticus dumtaxat occultus; probabilis videtur sententia Genuens. & aliorum contra alios apud Potest. pag. 541. excusans a denunciatione, ex qua immineat periculum vitæ, vulnerum, famæ, honoris, aut alterius gravis damni proprii, vel conjunctissimorum; secundum quam etiam opinionem non teneris denunciare complicem, nec Patrem, Matrem, Uxorem, Filium, si lapsi sint in hæresim, nec dogmatizent, sed solum teneris ad correctionem fraternam, &c. Neque obstat illud Deuter. 13. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, sive uxor dicens, eamus, & serviamus diis alienis .... ut occultes eum*; nam loquitur de dogmatizante, ut patet. Ex decr. tamen Alex. VII. *Licet alias* cit. tenetue Religiosus denunciare Confratrem, vel suum Superiorem, etiam Generalem, etsi non dogmatizent; quia tenetur denunciare illos, etsi leviter suspectos de hæresi.

§. IV.

De Suspectis de hæresi.

SUSPECTUS de hæresi est, qui dicto, vel facto præbet aliis indicium suspicandi, se esse hæreticum, quamvis revera talis non sit. Hæc suspicio potest esse vel solius facti, vel etiam juris: facti tantum est, quando ex facto ipso oritur apud commune, ac prudens Doctorum judicium: juris est, quæ statuta est per Jus, seu Legem Ecclesiasticam, ideoque dici solet suspicio juris, & de jure, & de hac loquimur.

Suspicio ergo juris triplex est: levis, vehemens, & violenta. Levis, si sint indicia, ex quibus raro concluditur hæresis suspicata. Vehemens, si sint indicia, ex quibus efficaciter, & frequenter concluditur. Violenta, si sint indicia, quæ coarctent Judicem ad concludendum; quæ tamen triplicata divisio pertinet potius ad Judicem pro pœnis, & sententiis ferendis in ejusmodi de jure suspectos.

Quæres primo, Quinam sint de jure suspecti de hæresi?

Respondeo, Esse fere 18. ut colligitur ex pluribus textibus Canonicis. I. Sunt omnes, & singuli Fautores; aut Receptores Hæreticorum, qua talium. II. Legentes, Retinentes, Imprimentes, aut Defendentes libros hæreticorum continentes hæresim, vel de Religione tractantes; idemque est de libris Necromantiæ, Astrologiæ Judiciariæ, Cabalisticis, & Thalmudicis: non vero de libris prohibitis contra bonos mores, charitatem, pacem, &c. III. Proferentes blasphemias hæreticales. IV. Lædentes sacras Imagines, Abutentes rebus Sacris, aut verbis Sacræ Scripturæ. V. Apostatæ a Fide, vulgo *Rinegati*, etiam externe tantum. VI. Docentes aliquam ex propositionibus damnatis. VII. Insordescentes in excommunicatione per annum. VIII. Omittentes Confessionem annuam, vel Communionem Paschalem. IX. Comedentes indebite carnes diebus vetitis. X. Contrahentes Matrimonium vivente priori Conjuge, vel cum Voto solemni Castitatis. XI. Frangentes sigillum Confessionis Sacramentalis, si tamen putent, id licere. XII. Non Sacerdotes celebrantes Missam, aut audientes Confessionem Sacramentaliter. XIII. Sacerdotes in Missa non consecrantes; non autem si bis in die consecrent. XIV. Sacerdotes sollicitantes, aut verba, vel facta turpia habentes cum pœnitente in Confessione Sacramentali, vel immediate ante, aut post, vel occasione Confessionis, vel prætextu Confessionis, vel in Confessionario, vel in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem electo, simulantes ibidem Confessionem. XV. Sortilegi, Malefici, Superstitiosi, Astrologi Judiciarii, aut quomodolibet ope dæmonis utentes. XVI. Frangentes Cedulones. XVII. Impedientes quovis modo S. Officium. XVIII. Confessarii deobligantes, vel non declarantes personæ sollicitatæ obligationem denunciandi, & similia apud Dian. v. *Inquisit. Jurisd.* Hi omnes incurrunt ipso facto excommunicationem reservatam Papæ, & Inquisitoribus, a quibus aliis etiam pœnis puniuntur in jure statutis.

Quæres secundo, An suspectus de hæresi sit denunciandus?

Respondeo affirmative, Et quidem eodem modo, ac sub iisdem pœnis, ac dictum est de obligatione denunciandi hæreticum §. antecedenti. Excusaris tamen probabiliter primo, si inde timeas grave damnum tibi, vel tuis; adduntque Bord. Homob. Lazar. apud Dian. p. 1. t. 4. r. 6. etiam usque ad quartum gradum: ideoque excusaris probabiliter a denunciando Patrem, Uxorem, Fratrem, Filium, &c. quia edictum Inquisitionis non videtur rationabiliter adeo stricte obligare in suspicione hæresis, ac in hæresi. Regularis tamen tenetur denunciare Confratrem, Superiorem, Subditum, &c. ex decreto Alex VII. *Licet alias* cit. §. antecedenti, quod hic etiam militat.

Excusaris secundo, si sis complex, ob eandem rationem. Excipe tamen casum sollicitationis, ex Ep. Card. Mell. nomine Congr. ad Arch. Mediol. 1624. & de mandato Urb. VIII. 1626. intimata omnibus Episcopis, Archiepiscopis, &c. ob quam tenetur complex denunciare Confessarium sollicitantem, non manifestando suum delictum, de quo nec est interrogandus, nec habenda est Fides alteri illud sponte fatenti, nec quidquam de eo scribendum in actis: additur etiam ibi, quod si nullatenus induci possit Pœnitens complex ad sic denunciandum, non sit absolvendus, donec habeatur responsum a S. Congregatione, cui erit scribendum: additur demum, quod si Pœnitens nequeat personaliter accedere, monere debeat Judicem, ut mittat domum Notarium, seu Commissarium; & aptiorem Nuncium fore ipsum Parochum, vel alium Confessarium, cui Judex committeret, ut recipiat denunciationem in scriptis cum juramento, & subscriptione. v. Bord.

Noto tamen, Confessarium, qui sollicitavit, si iterum accedat Pœnitens ad Confessionem, quamvis non peccet, non monendo illum de denunciatione facienda, cum non teneatur infamare seipsum; tamen si ab eo interrogetur, peccat, & incurrit excommunicationem, si deobliget; quare debet dicere, *Tu scis obligationem tuam*, vel quid simile; vel dicere, ut expectet tantisper, donec seipsum denunciet; sic enim non sibi nocet, cum declinet pœnam. Pœnitens autem sive non mo-

moneatur ab ipso, sive deobligetur, adhuc tenetur denunciare, ut constat ex prop. 7. damnata ab Alex. VII. *Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest illum absolvere absque onere denunciandi.*

Noto demum, secundum Diao. Potest. pag. 564. & alios, denunciandos esse, qui retinent libros prohibitos tantum contra bonos mores, quia Urb. VIII. *Apostolatus* 2. Apr. 1631. revocans facultates legendi *Libros hæreticorum, vel alios quomodolibet prohibitos*, subdit, *Quique aliquos similes libros prohibitos, habere sciverint, eos denunciare teneantur*; quamvis Lug. & alii ibidem teneant oppositum; cum nec excommunicationem, nec suspicionem hæresis de jure incurrant; & ubi est dubium de delicto, sivo hæresis, sive suspicionis, non esse debet certum onus denunciandi, quod valde onerosum est tum denuncianti, tum denunciando.

CAPUT III.

De Præcepta negativo Spei.

PRÆCEPTUM negativum Spei prohibet Desperationem, Præsumptionem, & Tentationem Dei.

Quæres primo, Quod peccatum sit desperatio?

Respondeo, Esse peccatum ex toto genere mortale, ita ut nequeat habere parvitatem materiæ; consistit enim in eo, quod judicans, consecutionem gloriæ esse arduam, & difficilem, efficaciter vult omittere omnia media necessaria ad eam consequendam. Quod si talis desperatio oriatur ex judicio falso, & erroneo, quod salus sit simpliciter impossibilis, tunc etiam est hæresis, ut patet. Cæterum contra Spem graviter peccas, sive desperes de fine, puta de Deo consequendo; sive desperes tantum de mediis, puta de emendatione vitæ, de venia peccatorum, de auxiliis divinæ gratiæ, &c. Si autem desperes de aliena salute, &c. peccas vel contra Fidem, vel contra Justitiam, vel contra Charitatem, &c. juxta dicta c. 1. §. 3. Si vero desperes de iis, de quibus nulla est Dei promissio, non peccas.

Contra Spem autem mortaliter peccas, si optes hic æternum manere, præferens voluptatem vitæ bonis æternis a Deo paratis, quia præcepto Spei tenemur *Deum, & Divina præ omnibus bonis nobis concupiscere*, juxta definitionem datam c. 1. Si autem non præferas, sed mere desideres, Pal. *de Char.* p. 2. n. 6. putat, per se loquendo, non esse mortale, quia secus esset etiam mortale desiderium longioris vitæ, idest tardius consequendi vitam æternam gloriæ. Adde, quod nemo te damnaret peccati, si ignorans, utrum salvandus sis, an perdendus, desideres hic perpetuo manere, ut periculum damnationis effugias, cum id effugere non sit malum; solum ergo videtur opponi Spei desiderium perennitatis hujus vitæ ob ejus voluptatem præposita beatitudini cœlesti.

Quæres secundo, Quid, & quodnam peccatum sit præsumptio?

Respondeo, Peccatum præsumptionis esse, cum quis confidit, ex seipso, seu ex naturæ viribus consecuturum gloriam, virtutes supernaturales, gratiam; vel confidit quidem, consecuturum a Deo, sed sine sua cooperatione: onde patet præsumptione peccari contra Spem per excessum; desperatione vero per defectum. Ad peccatum præsumptionis reducitur, si ex Spe obtinendi in fine vitæ veniam differas pœnitere, quia nimium de divina Misericordia præsumis, illam scilicet obtinere, irritando; quamvis hoc peccatum non videatur esse directe contra Spem, sed potius contra Pœnitentiam dilatam ultra tempus obligationis, vel contra alias virtutes, si in contrariis vitiis perseverare intendis: Sanch. Bon. Pal. hic p. 6.

Quæres tertio, Quid, & quodnam peccatum sit tentatio Dei?

Respondeo, Tentationem Dei esse quandam præsumptionem; qui enim Deum temere tentat, de eo sperat plusquam oportet, quia vult de Deo experimentum, & indebitam, ac temerariam investigationem ejus beneplaciti, vel ejus attributorum per media incongrua, & aliena ab ejus providentia. Quod si fiat ex dubia Fide, quam habeas divinarum perfectionum, oritur ex hæresi; si ex mera curiositate, aut temeritate, est simplex Dei tentatio, sive explicita, sive implicita: D. Th. & alii.

Explicite Deum tentas, quando, absque speciali instinctu Spiritus Sancti, vel a Deo petis miracula, vel exponis te gravi periculo, ut explores potentiam, amorem, aut simile Dei attributum, quo te per miraculum liberet: atque hæc, si fiat ex temeritate, semper est peccatum mortale; si fiat ex curiositate, & in re tantum levi, Tamb. ex Tol. putat, posse esse veniale.

Implicite, seu interpretative Deum tentas, quando hæc, & similia expectas sine actuali animo explorandi, quamvis reipsa petas, vel facias aliquid, quod ex se miraculum poscit; ut si velis prædicare absque ulla prævia meditatione, vel si in levi morbo nolis uti medicamentis, sperando vane salutem a Deo, sed non petito miraculo; & in hoc facilius potest peccari tantum venialiter ob parvitatem materiæ; at offerre se temere martyrio, vel per longum tempus se ab omni cibo abstinere sub prædicta Spe, videtur mortale: Tamb. hic n. 3.

Quæres quarto, Per quod peccatum amittatur Spes?

Respondeo, Amitti primo per peccatum, quo amittitur Fides, cum hæc sit veluti fundamentum omnium virtutum. Secundo, Per peccatum desperationis, quod est directe oppositum objecto formali Spei, uti est positiva, & efficax nolitio, vel contemptus beatitudinis, neglectus positivus, & efficax omnium mediorum ad illam, eo quod judicetur impossibilis, quasi Deus non possit, aut nolit nos salvare, &c. Contra vero non amittitur Spes directe per præsumptionem, nisi hæc supponat hæresim, si nimirum cum Pelagio, vel cum Luthero præsumas, credens, propriis viribus, vel sine meritis beatitudinem consecuturum; at si præsumptio sit sine hæresi, non opponitur directe motivo formali Spei; sed solum peccatur circa illud per excessum. Item nec amittitur Spes per tentationem Dei, nisi sit conjuncta cum hæresi. Neque demum per omissionem peccaminosam actuum Spei per Præceptum affirmativum præceptorum, cum nec talis omissio opponatur directe objecto ejus formali. Ex quibus patet, non per quodcumque peccatum Spei contrarium perire Spem; sicut nec Fides, ut diximus, perit per quodcumque peccatum ei contrarium.

CAPUT IV.

De Præcepta negativo Charitatis Dei.

PRÆCEPTUM negativum Charitatis Dei prohibet omne peccatum etiam oppositum aliis virtutibus, & ideo per quodcumque mortale amittitur habitus Charitatis, qui indivisus est a gratia sanctificante. Directe autem ei opponitur odium Dei, quod est peccatum omnium maximum, cum sit directe contra præceptum omnium maximum. Adde, quod ita est per se grave, ut nullam admittat levitatem materiæ, cum gravissimam semper Deo injuriam inferat, qui aliquod ei malum vel levissimum vellet. Qui autem odio aversionis fertur in Deum, ut sibi infestum ob vindictam peccatorum, peccat quidem graviter, sed directe contra Spem: Laym. Bonacin.

Quæres primo, An Accedia opponatur directe Charitati Dei?

Respondeo, Accediam esse *Tristitiam de bono spirituali divino nobis ex fine creationis necessario*. Si igitur displiceat tibi, quod creatus sis, ut sis amicus Dei, eumque diligas super omnia; peccas contra Charitatem Dei directe, quia ejus bonitatem, & amabilitatem contemnis: si tibi displiceat, quod sic creatus sis, ut tenearis ejus mandata servare ad vitam æternam consequendam, sin minus, æterno supplicio puniendus; peccas magis directe contra Spem, quia Dei fruitionem contemnis. Utrumque autem est peccatum speciale Accediæ. Dantur etiam peccata Accediæ generalis, quæ scilicet per alia vitia vagatur: ut si displiceat jejunium ob illius molestiam, talis tristitia opponitur Temperantiæ; si displiceat restituere ob affectum divitiarum, opponitur Justitiæ, &c. verum hæc Accedia generalis non semper est mortalis; esse enim potest venialis, si scilicet sit de re venialiter tantum præcepta, vel de circumstantia tantum levi, puta loci, temporis, &c. ut si tristeris, quod tali die sit jejunandum, &c.

D. Th. sex Accediæ Filias enumerat: Prima est malitia, quæ est detestatio bonorum spiritualium in seipsis: Secunda rancor, qui est in eos, qui te ad spiritualia inducunt? Tertia pusillanimitas, quæ est erga eadem bona animi dejectio: Quarta torpor, qui consistit in negligentia sui: Quinta evagatio mentis ad alias res illicitas, vel impertinentes: Sexta defectus attentionis debitæ.

Quæres secundo, An blasphemia in Deum opponatur directe Charitati Dei?

Respondeo, Si procedat ex odio inimicitiæ in Deum, certe opponi directe; secundum se vero directe opponitur Religioni, cum sit peccatum directe oppositum laudi Dei, de quo dicendum q. 3.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Primo Præcepto Decalogi.

Unum cole Deum.

PRimum Decalogi Præceptum est de cultu Religionis Deo exhibendo. Itaque prout est affirmativum præcipit actus hujus virtutis: prout est negativum prohibet vitia opposita, quorum alia opponuntur per excessum, ut est superstitio; alia per defectum, ut Irreligiositas.

CAPUT I.

De Præcepto cultus Religionis Deo Debita.

RELIGIONIS nomine non venit hic status vitæ Regularium, sed virtus moralis, prima post Theologales, qua debitus Deo cultus exhibetur, quod specialiter fit Adoratione, Sacrificio, & Oratione, Horisque Canonicis.

§. I.

De Adoratione.

ADORATIO stricte accepta est actus, quo nos submittendo veneramur Dei excellentiam super omnia: non est ergo mera laus, quæ verbis, nec merus honor, qui factis testatur tantum Dei excellentiam; sed formaliter addit submissionem, quæ etiam, quamvis possit, & soleat sæpe exhiberi actu pore internu; tamen vi Legis naturalis tantum tenemur ad actum adorationis mixtæ ex interno, & externis actibus ab eo procedentibus; solum enim tenemur ad actus mere internos Fidei, Spei, Charitatis, & Doloris peccatorum, ut bene notat Suar. l. 1, *Relig.* c. 1. Adoratio stricte accepta est triplex, Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ.

Adoratio Latriæ est *Cultus Religionis summus, quo Deum trinum, & unum recognoscimus, ac veneramur, ut supremum omnium Dominum.* Eodem cultu adoramus Christum Deum, & Hominem, qui absolute est Persona Divina, & similiter Eucharistiam: secundario vero, & ratione conjunctionis physicæ ad Deum cultu latriæ adoranda est etiam Humanitas Christi, ejusque partes, sanguis, &c. qui tamen cultus absolute, & primario ad Deum terminantur. Adoratio Hyperduliæ est *Cultus, quo infra Deum, & super Sanctos omnes, & Angelos veneramur B. V.* Adoratio Duliæ est *Cultus reverentiæ exhibitus reliquis Sanctis, & Angelis.* Nec obstat Adrian. Episc. ad Constant. & Iren. nec D. Epiph. l. 3. *contra Hæres. Nec quisquam Sanctus adoratur .... Mariam nemo adoret .... Etsi pulcherrima est Maria, & Sancta, & honorata, at non ad adorationem.* Nam loquitur contra Collyridianos Mariæ offerentes Sacrificia, atque adeo eam cultu Latriæ adorantes: cæterum adoratione stricte accepta & B. V. & Sanctos rite colimus, cum eorum sanctitatem, licet creatam, in qua tamen resplendet modo quodam speciali, & supernaturali Dei excellentia, veneramur. Hinc damnata est ab Alex. VIII. prop. 26. *Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est:* & ratio damnationis est, quia adoratio, honor, cultus, & laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, defertur, ut Personæ sanctæ, seu ratione propriæ sanctitatis, & consequenter non est cultus vanus, nec mere civilis, sed religiosus, & sacer, sive hic cultus pertineat ad virtutem Religionis, quo Deum propter se, & Sanctos propter Deum adoramus, uti Deum amamus propter se, & proximum propter Deum; sive ad virtutes Hyperduliæ, & Duliæ, distinctas, de quo disputent Theologi.

Quæres primo, An sint adorandæ Sanctorum Reliquiæ, & Imagines?

Respondeo affirmative, Ut de Fide sancitum est in Concil. Nicæn. II. & præsertim Trid. *sess.* 25. & quidem adorandæ eodem cultu respective, quo adorantur earum Tota, & Prototype: sic crux, spinæ, lancea, sudarium, &c. utpote veræ, & propriæ Christi Reliquiæ, adorandæ sunt cultu latriæ ob conjunctionem cum illo; ex se enim nullam habent excellentiam, vera, & stricta adoratione dignam: similiter reliquiæ B. V. cultu Hyperduliæ, reliquorum Sanctorum Duliæ: debet tamen constare, quod sint Reliquiæ Sanctorum; & pro adoratione privata sufficit privatum testimonium, aut alia probabilis ratio; pro adoratione publica requiritur authentica Episcopi. Addit Gavan. S. Congr. Rit. declarasse, Reliquias Sanctorum non posse radi, ut rasuræ dentur infirmis in potum. Croix l. 3. p. 1. n. 22. Idem probabiliter dic de Imaginibus Sacris, & Simulacris, vel quia sunt mera conditio requisita ad Prototypum adorandum, vel eo quod cultus externus eis defertur, interant ad Prototypum juxta diversas opiniones, & modos explicandi.

Hinc non solum Crux, quæ Christum tetigit, sed quælibet Crux eadem adoratione latriæ adoratur; Lancea tamen, & alia hujusmodi non adorantur, nisi illa tantum, quæ Christum tetigerunt; quia scilicet sola Crux nullum amplius habet apud Fideles usum post edictum Constantini, vetantis, in posterum reos crucifigi; & ideo ea sola, quæcumque sit, crucifixum Deum exprimit, &c. Similiter nec in praxi adoranda est terra, quæ Christum tetigit, nec asina, quam insedit, nec alia ad communem usum deputata, eo quod in his non videatur specialiter Christus repræsentari.

Adorendæ similiter sunt Imagines Angelorum, imo & ipsius Dei, qui est summus spiritus, ut constat ex Prop. 25. damnata ad Alex. VIII. *Dei Patris sedentis simulacrum, nefas est Christiano in Temple collocare:* & ratio damnationis est, quia Deus frequenter in Scripturis sub figura corporea apparuit, & præsertim senis, ut Daniel. 7. *Et antiquus dierum sedit:* similiter ex Dei imperio Angeli insculpti sunt: Exod. 25. Prohibita autem est Imago exprimens Trinitatem uno vultu trinasu, & trifauci, utpote quæ nec rite, nec decenter eam exprimat. Denique ex decr. S. Congr. Rit. approbante Urb. VIII. Imagines Christi, Mariæ, Angelorum, Sanctorum, nec pingi, nec exponi possunt communiter habitu certorum Ordinum, nec aliter, quam in Ecclesia hactenus fuit usus; nec in Ecclesiis, vel earum frontispiciis, aut atriis sint imagines profanæ. v. Croix l. 3. p. 1. n. 21.

Quæres secundo, An adorendi sint Beati?

Respondeo, Beatos differre a Sanctis in hoc, quod Sanctorum cultus sit præceptus, Beatorum vero tantum permissus cultus Duliæ. Quæ in re extant hæc decreta S. Congr. Rit. jussu Alex. VII. apud Croix l. 3. p. 1. n. 18. Primo, Ne Beati in Patronos eligantur: Secundo, ne eorum natalitia cum octavis celebrentur: Tertio, ne dies Festi in eorum honorem celebrentur, sed tantum devotionis. Quarto, Eorum nomina in publicis precibus non invocanda: Quinto, Eorum reliquiæ in Processionibus non circumferendæ: Sexto, Eorum nomine in Kalendariis non apponenda; nisi illius tantum loci, ac personarum, in quo, & a quibus cultus cum Officio, & Missa celebratur: Septimo, In eorum Missis non dicendum Symbolum Apostolorum, nisi adsit reliquia insignis: Octavo, Cultus eorum alicui loco concessus ad alium locum non extendendus: Nono, Missæ eorum personis alicujus loci concessæ, ab aliis non celebrentur: Decimo, Per hoc præcise, quod Beati declarantur, non censentur concedi eorum Imagines in Ecclesiis: & per hoc, quod concedantur eorum Imagines in Ecclesia poni, & coli posse, non perinde censendum, concessa esse Officia, & Missas; bene tamen e converso, ubi conceditur Missa, licitum est, Imagines, & Reliquias exponere: Undecimo, Episcopos Regulares officium de Beatis suæ Religionis recitare, & in propriis Cathedralibus Missam celebrare, & Altaria illis erigere non posse. Hæc tamen, & alia ejusmodi intelligi debent cum clausula, nisi aliter fuerit indultum.

Quæres tertio, An adorari possint, qui nondum sunt per Ecclesiam beatificati?

Respondeo, ex decr. S. Congr. Rit. approbante Urb. VIII. ita statutum: Imagines illorum, qui cum sanctitatis, seu Martyrii fama decesserunt, non sunt apponendæ in Oratoriis, vel Ecclesiis tam Secularibus, quam Regularibus, antequam a Sede Apostolica declarentur Beati, neque ad eorum sepulchra accendendæ sunt lampades, aut tabellæ affigendæ sine ejusdem licentia. Sed non ideo præjudicandum in aliquo illis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel longi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii, coluntur. 13. Mart. 1625.

Infert hinc Croix l. 3. p. 1. n. 20. neque ad ornatum Templi extra Altare ad parietem pingi posse eorum imagines sine radiis, &c. quia, quamvis licitum sit, ibi appendere, vel pingere imaginem quamcumque honestam, v. g. ejus, qui Templum, vel Altare fundavit; tamen scitur jam, quod tales imagines non exponantur propter

pter

pter venerationem, & cultum ratione Sanctitatis, &c. ideoque nec comprehenduntur sub hac prohibitione: secus vero in casu nostro, in quo alia non posset Populo occurrere causa, nisi venerationis, & cultus: si ergo alia publice pateret causa, nec videntur prohiberi.

Cæterum non prohibentur eorum Imagines sine radiis extra Ecclesiam, &c. nec adoratio illorum privata, hoc est, quæ fit nomine, & devotione privatorum; dummodo moraliter constet, hoc est, prudenter tibi persuadeas, decessisse in gratia: ideoque licitum est, Defuncti, quem sanctum putas, Reliquias cum decore servare, devote osculari, ei orationem fundere, diem mortis privatim, ut festivum, colere, in ejus vigilia jejunare, in privatis precibus Beatum, & Sanctum nominare, votum privatim ei nuncupare, &c. quia hæc omnia publicum cultum non sapiunt. Contra vero non licet, ejus nomen in Litaniis, etsi privatim recitatis, apponere: in orationibus, seu collectis Missæ nominare, vota nomine communitatis ei nuncupare, &c. quia hæc instituta sunt ad Beatos, & Sanctos publice propositos. Denique ne privatim quidem licet adorare virum, quem sanctum putas, nondum defunctum, nisi ex peculiari instinctu Spiritus Sancti; potes tamen ejus precibus te commendare, quia hæc non est adoratio. v. Barb. *in Coll. ad Trid. sess. 25. de Invoc. SS.*

Quæres quarto, Per quæ signa exhibenda sit adoratio?

Respondeo cum Suar. l. 1. *Relig.* c. 1. quod, quamvis Lege naturæ præcipiatur adoratio mixta, tamen modus adorationis quoad genera actionum, aliasque circumstantias, determinandus est ab intentione adorantis, nisi ex peculiari aliqua consuetudine, vel institutione habeatur. Vix tamen invenitur in actionibus externis (excepto Sacrificio) actio, quæ ab institutione hanc determinationem habeat; nam genuflexio, corporis humiliatio, prostratio, & similia præstantur etiam Hominibus, Regibus, &c. ordinarie tamen genuflexio utroque genu, & manuum ad Cœlum elevatio, videntur ex consuetudine, vel institutione determinata ad adorationem Latriæ, & tamen interdum exhibita esse Hominibus, legimus ex Scripturis apud Suar. c. 2. n. 8. Tunsio quidem pectoris, quod est signum postulandi veniam peccatorum, quæ solum Deus remittit, videtur determinata præcipue ad Dei cultum.

Hinc in adoratione privata (hoc est, quam quis exhibet pro se tantum, & in persona sua, tanquam privatus cultor,) ab ejus intentione pendet, ut sit adoratio Latriæ, Duliæ, &c. maxime si actio exterior sit communis: ideoque si adoratio privata fiat occulte, satis est quævis actio, modo sit modesta; si fiat coram aliis, satis est, si non afferat scandalum. In adoratione autem publica (quæ scilicet fit nomine communitatis) oportet, ut actio exterior ex communi consuetudine, vel impositione significet determinate cultum Latriæ, aut Duliæ, &c. aliter non posset nomine omnium fieri: Suar. ibid.

§. II.

De Sacrificio.

SACRIFICIUM, si sumatur late, & improprie, est quidquid Deo offertur ad cultum, uti sunt orationes, laudes, adorationes, cæterique actus Virtutum, præsertim Religionis; & in hoc sensu 1. Petr. 2. de omnibus Christianis dicitur, quod sint Sacerdotium Sanctum ad offerendas Deo spirituales hostias. At stricte, & proprie acceptum est *Ceremonia sacra legitime instituta, per quam res sensibilis destruitur in protestationem supremi dominii Dei, & nostræ in eum subjectionis.* Infers hinc, sacrificium stricte, ac proprie acceptum uni Deo offerri posse, ac debere: & quamvis etiam in honorem, & memoriam Sanctorum, non tamen illis sacrificium, sed soli Deo offerendum, gratias scilicet illi agendo de eorum victoria, vel pro eorum apud ipsum patrocinio impetrando, ex Trid. *sess.* 22. c. 3.

Sacrificium præcipi jure naturæ, censent multi ex D. Th. apud Suar. t. 3. in 3. p. d. 73. s. 8. qui tamen addit, jure naturæ tantum videri præceptum Sacrificium late acceptum, etsi conveniens, & consentaneum fuerit etiam Sacrificium stricte acceptum; ideoque ejus determinationem Hominibus a Deo commissam: sic Abel sacrificavit Deo pinguia ovium: Cain fruges: Melchisedech panem, & vinum, &c. In Lege autem scripta positive a Deo determinata, & præcepta plura sacrificia, quæ ratione finis ad quatuor genera reducuntur, scilicet *Holocaustum*, seu Latreuticum, pure in Dei cultum: *Eucharisticum*, seu Hostia pacifica, in gratiarum actionem: *Propitiatorium*, seu Hostia pro peccato, ad remissionem culpæ: *Impetratorium*, seu etiam Hostia pacifica, ad aliquod a Deo obtinendum. In Lege demum gratiæ, sicut sacrificia vetera abolita sunt, ac prohibita, ita per Suar. nulla manet potestas in Ecclesia aliud instituendi sacrificium, sed unicum posse, ac debere offerri sacrificium incruentum Corporis, & Sanguinis Christi in Missa, quod esse vere, & proprie tale, & non late acceptum, constat ex Trid. *sess.* 22. *can.* 1. contra Hæreticos, cum Christus sit *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, qui panem, & vinum obtulit.

Unicum ergo Missæ sacrificium continet superiori modo omnem differentiam hostiarum veteris Testamenti. Cætera vero, puta *Incensi sacrificium vespertinum*, in benedictione cerei: *Hanc immaculatam hostiam* in oblatione ante consecrationem, &c. hæc, inquam, non sunt vere, & proprie sacrificia, nec proprie Deo offeruntur, nisi quatenus ad sacrificia Missæ ordinantur, ut colligitur ex Can. 3. Apost. ubi pariter dicitur Thymiama posse offerri Deo: ita Suar. & alii communissime ex Trid. *sess.* 22. c. 5.

Quæres primo, In qua actione consistat essentia sacrificii Missæ?

Respondeo, Non in prima oblatione panis, & vini, ut vult Scot. non in secunda oblatione post consecrationem, ut vult Gabr. non in fractione hostiæ, ut vult Con. non in consumptione Sacerdotis, ut vult Sot. & alii; sed in consecratione, ut vult D. Th. Suar. & alii: ratio est, quia in hac, & non in illis habetur sufficiens destructio, seu immutatio rei principalis sacrificatæ, quæ est Christus per mortem moralem, & mysticam perfecte repræsentativam mortis cruentæ in Cruce, cum ex vi Verborum fiat sensibilis separatio Corporis a Sanguine, licet insensibiliter non separentur. v. Croix l. 6. p. 2. n. 16.

Hinc non salvatur sacrificium in consecratione sub una tantum specie; nam poneretur quidem aliquid Christi sensibiliter separatum, sed non per actionem actu sensibiliter separativam, seu moraliter, & mystice destructivam. Unde infertur contra Henno, nec Papam dispensare posse, ut sub una tantum specie consecretur, quæcumque urgeat causa: & contra Gob. nec ob periculum mortis relinqui posse consecrationem alterius speciei, cum sit intrinsece malum. v. Pal. apud Croix n. 245.

Infers hinc, sacrificium Missæ, etsi idem sit Sacramentum Eucharistiæ, differre tamen, quia, ut sacrificium ordinatur tantum ad cultum Dei, nec habetur, nisi per consecrationem utriusque speciei, nec nisi in ipsa consecratione; adeoque in actione transeunte, in qua proinde causat omnes suos effectus: contra vero ut Sacramentum ordinatur immediate ad sanctificandum hominem, in quem nonnisi per sumptionem causat suos effectus, & habetur perfecte in una tantum specie, & permanet post consecrationem. v. Croix n. 62.

Quæres secundo, An, quos, & quoties obliget præceptum sacrificandi?

Respondeo ex verbis Christi Domini, *Hoc facite in meam commemorationem*, colligi hoc præceptum divinum datum *Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus*, ex Trid. *sess.* 22. c. 1. quod quidem obligat Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, & Conventuales, itaut peccent mortaliter earum Rectores, si non faciant, ibi quotidie unam saltem Missam privatam, & alteram cantatam, celebrari, modo sit competens Sacerdotum numerus: Suar. Laym. Bus. Con. & alii: addit tamen Tamb. non esse mortale, præscindendo ab alia obligatione peculiari, semel, vel bis in hebdomada omittere alterutram; neque si in Collegiatis die Festo cadente in Feriam privilegiatam semel omittatur Missa solemnis de Feria post Nonam canenda.

An autem hoc divinum præceptum obliget etiam singulos Sacerdotes seorsim, est dubium. Communis sententia cum Syl. Reg. Suar. Con. & aliis, docet, peccare graviter Sacerdotem, qui aliquoties in anno, saltem ter, vel quater, solemnioribus Festis, non celebret, nisi sit legitime impeditus; quamvis Angl. Bon. Dian. Lug. Tamb. & alii excusent saltem a mortali, dummodo communicet in Pascha, absitque contemptus, & scandalum. v. Bus. *de Euch.* Ex mandato autem Episcopi tenetur sub gravi celebrare saltem Dominicis, & Festis, ut eruitur ex Trid. *sess.* 23. c. 14. *de Reform.* Excusatur tamen, si Episcopi nullum mandatum extet. Quando autem, & quomodo teneatur ratione Justitiæ, Voti, &c. videbimus in tract. de Sacram.

Quæ-

Quæres tertio, A quo offeratur Deo sacrificium Missæ?

Respondeo, Principaliter a Christo, qui est principalis Sacerdos immediate offerens quamlibet Missam; Doctores ex Trid. *sess.* 22. c. 2.: Sacerdos celebrans proprie quidem, & in rigore sacrificat, sed ut Minister Sacer Christi delegatus; item tota Ecclesia dici debet hoc sacrificium per Sacerdotem offerre, ex communi Catholicorum apud Suar., ideoque dici etiam debet sacrificare per illum: Croix n. 19. Item Fideles assistentes Missæ, vel positive ad eam cooperantes, dici etiam debent alio modo speciali offerre, non solum in quantum sunt membra Ecclesiæ totius, sed quia actualiter communicant in illa actione sacrificativa, partim physice cooperando, ut ministrantes; partim exhibendo sensibilem præsentiam, ut adstantes; partim moraliter cooperando, ut dantes stipendium, vel procurantes fieri. v. Croix n.20. Angeli autem, & Animæ purgantes non possunt dici offerre, quia non sunt membra Ecclesiæ militantis, neque pars Populi Fidelis assistentis sacrificio: Croix n. 23. Pro quibus autem offerri possit hoc sacrificium, & qui ejus valor, & effectus, videbimus in Tr. cit.

§. III.

De Oratione, & de Horis Canonicis.

ORATIO late accepta est quæcumque elevatio mentis ad Deum per Deum, ut Invocatio, Confessio peccatorum, Gratiarum actio, &c.: stricte accepta definitur communiter: *Petitio decentium a Deo;* de qua duplex est præceptum.

Primum est naturale confirmatum a præcepto divino positivo, *Oportet semper orare;* præsertim pro perseverantia in bono: quæ autem a Deo petere debeamus, explicantur in oratione Dominica: quoties autem teneamur etiam vi hujus præcepti, dictum est, cum egimus de actibus virtutum Theologicarum, præsertim Spei. Illud hic addendum, orationem debere esse humilem, fiducialem, & perseverantem; res vero petita esse debet bonum nos decens; quod si ignoretur, an nos deceat, peti debet cum indifferentia. v. Tamb. l. 2. Dec. c. 4. §. 2.

Secundum præceptum est Ecclesiasticum, quod obligat omnes Fideles diebus Dominicis, & Festis orare simul cum Sacerdote orante in Missa, de quo agam q. 3.: Secundo obligat ad sacrificium laudis, ex Clem. *de Miss. celebr.*, hoc est ad recitandas Horas Canonicas, quæ sunt *Certa oratio publica laudandi Deum, & petendi mente simul, & voce, auctoritate Ecclesiæ instituta*, & de hac est fusius agendum.

Quæres primo, Quinam teneantur ad Horas Canonicas?

Respondeo, Clericos constitutos in Sacris, Regulares utriusque sexus deputatos ad Chorum, & Beneficiarios: & quoad primos, quamvis nullus sit textus de Subdiaconis: tenentur tamen ex consuetudine habente vim Legis: Doctores communiter. Qui autem ordinatur in Sacris ex metu gravi, probabile est, non teneri, nisi deinde sponte ratificet: Perez. ex cap. 1. *Qui Cler., vel Vov.*; a fortiori si ordinatus est infans, ex cap. un. *de Clerico per saltum*.

Quoad secundos, Non tenentur Conversi Religiosorum, neque Novitii, neque Professi militares, neque Religiosi non deputati ad Chorum, nisi forte sint in Sacris, vel Beneficiati; tenentur ergo solum Religiosi professi deputati ad Chorum; itaut peccet graviter Professus, si non speret quam primum (hoc est intra duos, vel tres menses) fore aptum ad Chorum: Tamb. Item Prælatus peccat mortaliter, si non procuret hanc recitationem publicam in Choro, quæ obligatio, eo deficiente, recidit in Subditos: satisfit autem huic obligationi etiamsi per solos Novitios: Tamb. Pelliz., & alii. Hinc si non desint alii, qui recitent in Choro, Suar., Bon., & alii docent, non peccare mortaliter Religiosum, etiamsi frequentissime absit e Choro, quia seclusis scandalo, contemptu, & præcepto a Superioribus lato, non esset, nisi regulam frangere. An autem is teneatur tunc privatim recitare, celebris est quæstio: negarunt aliqui apud Mendo; cum ex Caj., & aliis non teneantur ex vi Professionis præcise, neque ex vi Consuetudinis universalis, ex eodem, & aliis; solum ergo tenerentur ex specialibus statutis, vel consuetudine cujuslibet Religionis in particulari, quam consuetudinem a Monialibus, utpote feminis, non posse introduci obligantem sub mortali, docent Pasqual., Caramuel., a Religiosis vero, Bord., March., & alii apud Lean. negant introductam generaliter sub mortali; sed quamvis Bord. & Car. alios citantes dicant hanc sententiam probabilem, tamen communiter Doctores apud Sanch. dicunt, non probabilem; Dian. prorsus improbabilem; Regin. temerariam; ex generali ergo consuetudine est talis obligatio sub gravi. v. Croix l. 4. n. 1189. Gob. *exper.* t. 5. n. 568., & 571.

Quoad tertios, Beneficiati omnes statim a die possessionis acceptæ, imo etiam ante, si per eos stet, quin accipiant, tenentur ad Horas, ex Concil. Later. sub Leo. X.; modo valide acceperis; si enim invalide, non teneris, cum non habeas titulum, & quamvis recites, non facias fructus tuos: Tamb., & alii. Item nec tenetur, qui habet Cappellaniam laicam tantum; tenetur vero, qui habet Cappellaniam sacram, quæ scilicet confertur auctoritate Episcopi, & qui habet Beneficium manuale, & qui habet Præstimonium, vel Præstimonialem portionem, ex Bull. Pii V. Vicarium beneficii uniti alicui Ecclesiæ, & Coadjutorem cum futura concessione Tamb. ait, nondum teneri; quia ille non est beneficiatus, hic tantum erit. Pensionarius vero ex Bull. Pii V. tenetur saltem ad Officium B. V., modo pensio sit Clericalis.

Quæres secundo, Quinam excusentur ab Horis?

Respondeo primo, Religiosos deputatos ad Chorum probabiliter non teneri ad Chorum, præciso præcepto Superioris, si solum sint quatuor, vel quinque; quia etsi vel duo sufficiant ad rigorem Chori, tamen probabile est, plures, quam quatuor, vel quinque requiri ad constituendam obligationem Chori, ut scilicet cum aliquo decore alternatim canatur: Bord. apud Pelliz., & Tamb. Dixi *Religiosos*, quia strictius urgentur Collegiati, & Beneficiati, quos obligat Tamb., etiamsi sint duo.

Secundo, Constitutus in Sacris, si ex dispensatione Pontificis ducat Uxorem, probabiliter deobligatur ab Horis: Sanch., & alii contra Azor.; at non a die dispensationis, sed usus illius, adeoque post contractum Matrimonium: Squillant.; vel saltem post dimissum habitum: Sanch. apud Tamb.

Tertio, Damnatus ad triremes, vel captivus apud Infideles secundum Tamb. excusatur ab Horis, annuentibus Sot., Sanch., & Less. apud Dian. p. 2. t. 12. r. 40. eo quod videtur alienum ab Ecclesiæ decore, & benignitate, Breviarium in eo statu ab eo tractari; oppositum docent alii multi cum Dian. cit. Inclusos in carcere privato nemo excusat, in carcere publico excusant aliqui apud Tamb., propter illum statum similem triremibus, sed nec ipse excusare audet propter otium, &c. Damnatum ad mortem excusant illis tribus diebus Tamb. Tancr., Gob., ob perturbationem æquivalentem infirmitati. Excommunicatum, suspensum, interdictum, degradatum communiter non excusant, cum non debeat commodum reportare ex suo delicto; sed de realiter degradato probabile putat oppositum Tamb. cum Sa, Sot., Nav., utpote in statum Secularem dejecto. Religiosum ejectum ob incorrigibilitatem, vel viventem in seculo ex Pontificis dispensatione, si non sit in Sacris, excusant Tancr., Bon., Tamb. contra Suar., Fill., & alios; quia is teneretur tantum ea consuetudine, quæ non videtur introducta pro tali casu. Idem est, si ex Religione transierit ad statum laicalem: Tamb.

Quarto, Infirmitas non quidem levis, nec necessario gravissima, sed notabilis excusat. In dubio, an sit notabilis, nec adsit Medicus decernens, nec Superior dispensans, Suar. non excusat, eo quod in dubio possidet obligatio; sed probabiliter excusant Pal. Bon., Tamb., & alii, quia periculum est certum, & in eo Ecclesia non obligat; idemque dicunt cum eodem Suar., si infirmus solum dubitet, an possit recitare partem; quia vix attingi potest obligationis punctum, & ne scrupulis aperiatur via, Consuetudo Legem interpretatur, ut sic dubitans censeatur liber etiam a parte: Croix l. 4. n. 1223. Excusant pariter Tamb., Sanch., & alii apud Croix n. seq., si æger ex recitatione Horarum verosimiliter credat aliquam cruditatem stomachi, vel capitis gravationem, vel virium lassitudinem, vel etiam febrium tardius remissuram; quia hæc, licet in sano sint levia, in ægro sunt gravia: hinc Tamb., Pellix, & alii docent, tales infirmos, etsi bonam diei partem confabulationibus, vel etiam legendis libris ob recreationem expendere possint, necdum teneri ad Horas, utpote rem seriam, & natura sua gravantem. Hinc etiam excusatur convalescens post infirmitatem per aliquot dies judicio prudentis proportione habita ad infirmitatem præteritam, & præsentem difficultatem,

quamvis interim Missam celebrare possit; Sanch. Croix n. 1224. Denique qui ob infirmitatem non possit recitare debito tempore, possit tamen alio, puta si a prandio laboret quartana, mane sit liber, Can. Henr. Caram. dicunt, non teneri anticipare, quia obligatio anticipandi est, cum impedimentum oritur ex nostra libertate: at contradicunt communiter, quia, quod oritur hoc, vel illo tempore, est circumstantia tantum accidentalis. v. Croix n. 1226.

Quinto, Excusat impedimentum, quod potest esse vel ad totum, vel ad partem, & utrumque potest esse vel physicum, vel morale; qua in re nota prop. 21. damnatam ab Alex. VII. *Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet:* Et prop. 54. damnatam ab Inn. XI. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Ratio primæ damnationis est, quia obligatio recitandi est personalis, cujus finis est diurna ad Divina occupatio; & aliunde ejusmodi studia non impediuntur, per se loquendo, imo potius adjuvantur a tali recitatione; si vero infirma valetudo aliquando obstaret, quominus studiis vacare possit, qui in recitandis Horis detinetur, tunc potius petenda est dispensatio: si vero esset lectio habenda post 24. horas a ducta puncti forte ad lauream doctoralem obtinendam; vel si quis non posset aliter ad concionem coram frequenti populo habendam se parare; aut si deberet Confessiones audire, ne Pœnitentes, qui ad alium Confessarium transmissi nequeunt, jacturam faciant Jubilæi, excusatur ab Horis; uti etiam quodcumque Charitatis opus majoris momenti, quam sint Horæ, quodque sine gravi incommodo tuo, aut aliorum omitti non potest, excusat: Suar. Laym. Sanch. l. 7. Consil. c. 1. Ratio secundæ damnationis est, quia, quamvis loquendo de infirmo, juxta alibi dicta, probabile adhuc sit, non teneri ad partem si non possit totum, eo quod nullus sit fere ægrotus, qui non possit aliquam partem; adeoque nisi omnino deobligaretur, redigeretur ad perplexitatem Conscientiæ quæ esset incommodum grave, præsertim infirmo: tamen id non militat de alia impotentia, in qua certe non est talis perplexitas: ideoque tenetur ad partem, quam potest, si quis carens Breviario sciat memoriter Horas parvas; si quis impediatur usque ad quadrantem ante mediam noctem, tenetur ad id, quod potest in eo quadrante: item communiter cum Suar. contra Sanch. & Tamb. tenetur ægrotus, vel cæcus, qui commode potest recitare cum Socio, illum asciscere, si absque magno incommodo sit asciscendus, quia, dum præcipitur finis, præcipitur etiam medium ordinarium; sic tenetur emere perspicillia, Breviarium, &c. imo Beneficiatus secundum Suar. contra Nav. teneretur tunc asciscere Socium etiam cum aliquo sumptu non valde gravi. Illud autem axioma, *Major pars trahit ad se minorem*, intelligitur tantum de suffragiis; in reliquis vero valet regula ex Sanch. *Qui non potest totum præceptum implere, sed potest partem, ad hanc tenetur, si Legislator intendit eam præcipere; secus non tenetur:* sic, si potes unam tantum brevem horam, ad illam teneris, si vero potes unum tantum Psalmum, non teneris, idque etiam si unum ex singulis septem horis possis: similiter, si possis Psalmos tantum horarum, ad eos teneris; si vero possis solum orationes, capitula, versus, & hymnos, non teneris, quia illa, non hæc, sunt pars substantialis præcepti: materia autem parva excusans a mortali censetur esse dimidia pars Horæ brevioris, aut tres Lectiones cum Responsoriis, secundum communiorem apud Dian. p. 2. t. 12. r. 41. Vide dicta in de Leg. d. 1. q. 4. c. 1.

Sexto demum excusat Dispensatio: hanc concedere potest Pontifex indefinite, utpote in jure Ecclesiastico; imo Subdiaconus ex dispensatione ducens Uxorem hoc ipso eximitur onere horarum: Sanch. l. 8. Matr. d. 8. contra Bon. Episcopus autem in casibus tantum occurrentibus, & ex rationabili causa dispensat, itant nec commode adiri possit Pontifex, nec dispensare potest quoad fructus Beneficii: Tamb. & alii. Denique Superior Regularis potest in suos Subditos id, quod Episcopus in suos, nisi a Superiore mediato fuerit limitatus: imo in Subditos non initiatos Sacris potest dispensare ratione studiorum, negotiorum, &c. Bonacin. & alii. Cæterum nec Medicus, nec Confessarius dispensant, sed solum declarant, te in tali, vel tali infirmitate, &c. non teneri.

Quæres tertio, Quod Officium sit recitandum?

Respondeo primo, debere esse ex Breviario suæ Diœcesis, aut sui Ordinis, vel si utatur Breviario Romano, ex recognito ab Urb. VIII. putat tamen Tamb. posse etiam aliquem recitare ex antiquo Pii V. quia Urb. VIII. non vetat, ne v. g. hymni veteres recitentur, sed tantum ne imposterum imprimantur incorrecte. v. Croix n. 1239. qui autem non habet Breviarium proprium, debet recitare ex alio, quod habere potest, quia sic implere potest substantiam præcepti: Dian. Busemb. contra Gob. At si habens proprium recites ex alieno, plures cum Tamb. docent, non satisfacere, ex Pio V. expresse decernente, non satisfacere, *qui suæ Ecclesiæ orandi formam non custodit*; contradicunt probabiliter Navar. & alii, quia conformat se Ecclesiæ omnium matri, &c. u. Croix n. 1241. denique latinus recitans lingua Græca, vel Hebraica, satisfacit quoad substantiam, peccat tamen saltem venialiter, imo quandoque etiam mortaliter, si sæpe, quia est contra Ecclesiæ latinæ consuetudinem. v. Croix n. 1238.

Secundo, Recitari debet de die, qua orat, & eo ritu, quo præscribitur, scilicet de Sancto, Feria, &c. duplici, semiduplici, &c. Porro damnata est prop. 34. ab Alex. VI. *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto:* Quamvis autem hic nihil directe dicatur de alia mutatione; tamen DD. 18. apud Croix n. 1250. docent nec satisfacere, qui scienter mutat Officium hujus diei in aliud; quia hæc recitatio hac die ab Ecclesia præscripta, & forma tali die determinata a Pio V. est veluti substantia rei præceptæ. Contradicunt Doctores fere 50. etiam post Bull. Pii V. quia videtur impleri substantia, & negligitur tantum modus, seu ritus accidentalis; modo fiat bis, vel ter tantum in anno: Sanch. l. 7. Cons. c. 2. d. 25. nec distinguunt inter longum, & breve Officium, solemne, & feriale; excepto tamen Paschali, & Pentecostes. v. Croix ibid.: omnes communiter dicunt, qui per errorem recitavit unum pro alio (excepto casu Palmarum, &c.) non teneri quidquam repetere, & si multum processerit in officio indebito, Quintan. putat, posse continuare, si velit; sed melius inquit Croix n. 1252. ibi emendare quoad reliquum. Si autem existas alicubi, ubi fit Officium diversum a tuo, potes illud recitare; etiamsi peregrinando ibi existas: Laym. Tamb. qui addit, si destinaris, esse cras alibi, posse hodie dicere Vesperas, & Matutinum secundum illud Officium: addit etiam Lug. si heri recitasti Matutinum de Feria, & hodie pergas ad locum, ubi fit de Festo, posse pergere de Festo. Si habites cum Religiosis, vel obeas Exercitia Spiritualia apud illos, potes recitare Officium de illorum Sanctis, Gob. similiter si sis Cappellanus Monialium, &c. æquipararis enim Beneficiato, qui potest recitare Officium Ecclesiæ, in qua habet beneficium. Si hodie per errorem omisisti recitare de Sancto hujus diei, Quintan. & Tamb. probabilius dicunt, non licere cras, vel alio die non impedito, recitare de illo, quia recitatio est affixa diei, & sequeretur etiam, id posse fieri, si ob infirmitatem non potuisses de eo recitare: sed probabile etiam dicunt oppositum cum Coton. & Leand. dicente, posse, & debere, quia ille Sanctus habet jus, ut semel in anno de se recitetur; ex quo infert Gob. si per errorem recitasti heri de Sancto hodierno, quamvis probabilius sit, te hodie teneri recitare iterum de isto, cum error non faciat tibi jus invertendi rubricas; tamen probabile etiam ex Tamb. est, hodie posse iterum de Sancto hodierno, & prima die non impedita de hesterno; idemque probabiliter ait, si post diem affixum innotescat decretum novi Sancti, &c. idemque si recites cum Socio privilegiato, modo majorem partem cum eo recites. v. Gob. Tamb. Croix n. 1252.

Tertio, De Festis ad libitum emanavit 24. Jan. 1682. hoc decretum S. Congr. Rit. esse omittenda, si incidant die Dominico, aut alio Festo mobili, aut in octavis, & in natalitiis SS. alicujus Diœcesis, vel Religionis: Si autem eo die, in quo alias aliquod Festum translatum poni deberet, posse tunc de Festo ad libitum recitari, & illud translatum ulterius transferri, & similiter si cum Sancto semel in hebdomada, aut mense concesso. Hactenus ex decreto. Infert hinc Croix n. 1270. transferri posse Festum ad libitum, si incidat in Festum immobile alicujus tantum Ecclesiæ, cum decretum dicat tantum de Festo mobili, vel immobili Religionis, aut Diœcesis.

Quarto demum, In die Animarum communiter cum Suar. censetur, sub gravi recitandum Officium Defunctorum; probabile tamen est oppositum: Tamb. Gob. apud Croix n. 1289. Idem probabiliter dicunt, Pelliz. & Gob. de Litaniis in Festo S. Marci, & Rogationibus; quamvis probabilius reputet oppositum Croix n. 1290. Si autem recitentur pridie post laudes, probabiliter satisfit:

Gav.

Gav. Gob. & alii contra Tamb. & alios apud Croix n. 1292. Officium menstruum Defunctorum, Psalmi Pœnitentiales, & Graduales dicendi sont tantum in Choro. Nocturnum, vel Psalmi Pœnitentiales impositi Ordinatis probabiliter obligant sub levi, juxta dicenda in de Sacramentis.

Quæres quarto, Quomodo recitandum sit Officium?

Respondeo, Si privatim, & solitarie, non requiri, ut ab aliis audiri possis, contra Medin. sed sufficere solam verborum prolationem, etiamsi nec a teipso quidem audiri possis, docent Azor. & alii: Sed dicendum cum communi, debere posse audiri a teipso, si nullum foret impedimentum; quia verba, quæ per se audiri nequeunt, non videntur esse verba, sed inchoatio in gutture, vel intra dentes: Croix n. 1294. Si recites privatim cum Socio, teneris etiam audire illum; alioquin ejus partem non facis moraliter tuam: Doctores communiter contra Caram. putant tamen Tamb. & alii apud Gob. satisfacere, si in confuso audias, quamvis ob culpam Socii, vel Chori nihil distincte percipias; sed contradicit Pal. cum reipsa non facias ejus orationem tuam, quod magis valet in Surdastro contra Tamb. Croix n. 1295. idem dicens contra Caram. & Pelliz. si recites cum blæso, nisi excuset necessitas, quia secus ille quidem, non tu excusareris, cum posses aliter commode totum recitare. Si demum recites in Choro, satisfacis præcepto, partem tuam submisse orando, & attendendo ad alteram partem Chori; an lucreris sic distributiones, dicam quæst. 10.

Si Socius recitet omnes Antiphonas, Capitula, Responsoria, Lectiones, & Orationes, tu audiens satisfacis; quia sic etiam fit in Choro: Bon. & alii apud Croix n. 1298. Idem dicit Pelliz. si solus per te recites omnes Psalmos, & ab alio audias omnes Lectiones, sed merito negat Dian. quia non est consuetudo sic recitandi in Choro, sicuti nec si tu recites continuatam partem mediam Horæ, & reliquam audias a Socio: nec si alternatim recites Psalmos cum uno Socio, & audias Lectiones a tertio, quia sic orare in tertium est alienum a praxi Ecclesiæ; potes tamen aliqua cum Socio, alia solus recitare, & possunt etiam Lectiones singulæ juxta numerum Sociorum dividi. v. Croix n. 1298.

Si cum externa devotione assistas toti Horæ a Musicis decantatæ, Tamb. probabile putat, te satisfacere. Sed negandum; cum non ores vocaliter, nec Orationem illam facias tuam, non alternando cum illis: Croix n. 1299. Si autem non satis percipis ea, quæ per Organum, aut Socios dicuntur, dum thurificas, quæris Psalmos, &c. Suar. & alii docent, non opus esse, te postea ea supplere; item si Psalmus integer dicatur, dum tussis, vel excreas, vel sanguis e naribus fluit: Sanch. Gob. Item si Choro canente prælegas Lectionem, ne erres; Sanch. & alii. Item si inter canendum obiter salutes venientem, aut uno, alterove verbo necessario alloquaris alterum. v. Croix n. 1300.

Si incipias alternare, antequam Socius absolverit versum, idque fiat in magna quantitate, non satisfacis, quia non est oratio ab Ecclesia præscripta. Si autem nimis celeriter post illum recites, ordinarie est tantum veniale, cum sis causa, ne satis bene percipias: Croix num. 1301. Si mutiles, immutes, vel absorbeas aliquas literas, aut syllabas, &c. tunc si ea inadvertentia, balbutie, vel inveterata consuetudine valde difficulter corrigibili, excusaris: si secus, teneris supplere, non quidem recitando partes omissas, vel mutilatas; quia sic induceres potius confusionem sensu carentem, sed recitando aliquod æquivalens, v. g. unum, duos, aut plures Psalmos. v. Croix n. 1303.

Si dividas Matutinum a Laudibus, non peccas, sive sint duæ, sive una Hora: Doctores communiter: debere tamen addi Matutino, *Pater noster*, non autem Orationem diei, cum id tantum præcipiatur specialiter in Nativitate Domini: Sanch. & alii contra Nav. & alios. Initio deinde Laudum divisarum probabilius non est addendum *Pater*, *& Ave*; ut nec initio Completorii divisim dicti: Bon. & alii apud Croix n. 1305. Si interrumpas in eadem hora, vel Psalmo, tunc, si interruptio sit magna, Suar. Nav. & alii dicunt, esse mortale non repetere, quia tollitur unitas spectans ad ritum, seu formam præscriptam: contradicunt Sanch. Bon. & alii; quia singuli Psalmi, imo & fere versus habent completam significationem, & sufficit uniri eodem die Ecclesiastico; si ergo fiat sine causa, erit tantum veniale; secus si cum causa, quæ erit, vel Charitas, vel Affabilitas, seu Humanitas, vel Negotium superveniens incommode differendum, &c. v. Croix n. 1306.

Si absque causa invertas ordinem, v. g. dicendo Vesperas ante Primam, vel Horas minores ante Matutinum; vel unum Psalmum ante alium, Castrop. & alii apud Croix n. 1308. dicunt, esse tantum veniale: nullum, si ex inadvertentia, vel cum causa; si scilicet ab amico inviteris ad Matutinum dici crastinæ, &c. si mane non habes, nisi diurnum, nec possis commode expectare; si venias ad Chorum hora jam incepta, vel absoluta; potes enim pergere, & postea omissum supplere: Croix ibid. Quod si in media Hora advertas, te omisisse aliqua, potes pergere usque in finem, postea suppleturus defectum: Bon. & alii ibidem.

Quæres quinto, Quandonam Officium sit recitandum?

Respondeo, Caram. Dicast. apud Gob. putare, nullum esse peccatum in privata recitatione non observare tempora præfixa singulis Horis: sed communiter dicunt esse veniale, si fiat sine causa, qualis esset concio paranda, major devotio, periculum impedimenti obventuri, studii tempus aptius, &c. v. Croix n. 1313. Ex Bull. Clem. VII. possunt Clerici Regul. adeoque etiam cum eis communicantes recitare mane totum etiam cum Completorio ratione itineris, aut alterius occupationis. Licitum autem est ea consuetudine recitare Matutinum, & Laudes Vespere antecedenti: ac quandonam pridie? Variant Doctores: ex universali consuetudine, inquit Pelliz. posse inchoari post Vesperas Cathedralis; hinc aliqui apud Sanch. putant, in Quadrages. posse inchoari statim post meridiem, ob Vesperas dictas ante. Croix n. 1314. universaliter censet, tunc inchoari posse, quando sol incipit esse propinquior ad occasum, quam ad meridiem, ex directorio Romano, quod proinde variat in anno: Quintan. Molf. & Fab. dicunt, inchoari posse ab ora secunda post meridiem; quod Tamb. dicit esse probabile; Sanch. nonnisi veniale, cum illud tempus, utpote vesperarum, pertineat ad sequentem diem: Gobat. dicit, fore nullum peccatum, si ab Hora tertia usque ad cœnam debeas audire confessiones. v. Croix ibid. Si Sacerdos non recitet Matutinum, antequam celebret, Gabr. Viguer. Ledes. D. Anton. & alii apud Sanch. l. 7. Consil. d. 38. dicunt, peccare mortaliter, ex Bull. Pii V. in Missali: Sed veniale tantum, si fiat sine causa, docent communiter cum Sanch. ibid. cum consuetudo isthæc saltem non obliget sub gravi.

Denique qui ordinatur in Sacris, tenetur ad eas horas, quæ in Choro tunc dicendæ essent: Doctores communiter. Si autem recitaverit ante ordinationem, probabiliter satisfacit, quia est veluti anticipata solutio debiti certo prævisi, & in propinquo pro eadem die obligaturi, unde etiam censeri potest jam moraliter adesse: Lug. Tamb. Gob. & alii contra Bon. Castrop. & alios putantes probabilius oppositum, cum non satisfiat per solutionem factam, antequam existat obligatio, absque speciali conventione. v. Croix n. 1187.

Quæres sexto, Qua intentione Officium sit recitandum?

Respondeo primo, Intentionem esse propositum, seu voluntatem efficacem finis, ut obtinendi per media, quæ potest esse vel formalis, vel virtualis, vel habitualis, vel interpretativa: item potest esse vel explicita, vel implicita, vel directa, vel indirecta, juxta dicenda in de Sacramentis. Intentio ergo orandi requiritur in casu nostro, saltem virtualis, implicita, & indirecta, quia præcipitur recitatio horarum, tamquam oratio, & Dei cultus: hinc qui legendo horas, tantum intenderet addiscere memoriter, aut scire historias contentas, aut alteri manifestare, quod legit, non satisfacit: Doctores communiter contra Dicast. Imo neque qui legendo horas, expresse nollet orare: Doctores communiter contra Caj. quia oratio ipsa est opus præceptum. Sufficit autem intentio virtualis; ex ea enim sufficienter tendimus ad Deum precandum, & laudandum; & hæc virtualis sufficit etiam, si sit implicita, ut si intendas ad explendam obligationem, vel ne pecces; item etiamsi sit indirecta, ut si sumpto Breviario ieris ad locum, in quo orare soles, aut qui est a turba quietior, vel si saltem initio caput detegeris, &c. v. Croix n. 1326.

Si autem expresse nolis satisfacere obligationi, modo intentionem habeas orandi, adhuc satisfacis, quamvis pecces ex prava illa nolitione; quia præcipitur opus, quod est oratio, non finis ipsius præcepti. Si vero habens intentionem orandi nihil prorsus cogites de satisfaciendo huic, vel illi præcepto, v. g. post Vesperas recitans Matutinum cum Laudibus, quia illud recitari potest tam pro die hodierno, quam pro crastino, tunc satisfacis pro die hodierno, qui prius obligat; damnata est autem Prop. 35. ab Alex. VII. *Unico Officio potest quis satisfacere duplici*

præcepto pro die præsenti, & crastino. Et ratio damnationis est, quia obligatio recitandi horas dicitur onus affixum diei, in quantum pro quolibet die distinctum recitari debet, ex communissimo omnium sensu, contra Caram.

An autem recitans in Choro teneatur applicare omnibus fructum Officii? v. Gob. a n. 770. ubi ait, teneri sub veniali, utpote Legatum Ecclesiæ; secus si recitet privatim, quamvis & sic agere ut delegatum totius Ecclesiæ, probabilius dicat Suar.

Quæres septimo, Qua attentione sit recitandum?

Respondeo, Attentionem esse advertentiam ad recitationem horarum, quam peragis; & hanc posse esse duplicem, externam, & internam. Externa habetur, quando recitans abstines ab omni occupatione externa incompossibili cum attentione interna. Interna est applicatio animi ad id, quod recitas; quæ potest esse triplex: I. Ad verba tantum, ut ea recte, distincte, ac reverenter proferantur, & dicitur attentio superficialis: II. Ad sensum verborum, ut hæc percipiantur mente, & applicentur affectus ad id, quod significant; & dicitur attentio literalis: III. Ad Deum, aliudve Divinum mysterium, gratiamve impetrandam, etiamsi verba id non exprimant; & dicitur attentio spiritualis.

Primo, Certum omnibus est, requiri attentionem externam, quia si tunc esses occupatus ad aliquod incompatibile cum attentione interna, jam non posses attendere ad ponendum illum Dei cultum externum, seu ad orandum. Hinc si dum recitas, pingis, scribis, attente audis alios loquentes, magna cura aliquod exterius agis, &c. non satisfacis, quia ponis actiones incompossibiles cum attentione interna: contra vero si recites, te vestiendo, vel exuendo (non omnino tamen properanter) pectendo caput, te lavando, prospiciendo in ripam, fluvium, viridarium, &c. idem dicit Sanch. de actionibus illis, quæ fiunt non valde festinanter; idem si inter recitandum facias necessaria ad ipsam recitationem, & quærens alia, dum recitas memoriter, non peccas secundum Gob. nec teneris prius notare, tantisper cessare: addit Croix n. 1338. si tu non exerceas ejusmodi actiones externas, ordinarie semper posse habere attentionem externam; ideoque non obstabit, si alii interim fabulentur, cantent, tumultuentur, pulsentur organa, &c. nec teneris quærere locum opportuniorem, &c. peccas autem, si eligas locum distractionibus valde expositum, ut forum publicum, aut ubi est frequens concursus, clamor, strepitus profanus, clamosæ disputationes, &c. Bon. Castrop. & alii.

Si autem actio sit quidem secundum se incompossibilis cum attentione interna, tamen respectu tui habentis v.g. firmiorem phantasiam, forte sit compossibilis, Lug. Arr. Sot. & alii dicunt, etiam abstinendum ab illa. Sed Nav. Sanch. Suar. &c. probabilius dicunt, incompossibilitatem desumendam esse ex respectu ad orantem, quia non aliter præcipitur attentio externa, nisi prout necessaria ad internam; ideoque e converso dicunt, non satisfacturum, qui etiam, tantum ambulando, non posset habere ullam attentionem internam, ne ad verba quidem; tunc enim reipsa non haberet attentionem externam præceptam, nempe talem, quæ tollat actiones incompossibiles cum interna, juxta mox dicenda. v. Croix n. 1335.

Secundo, Præter attentionem externam, requiri ad satisfaciendum attentionem etiam internam, docent ex D. Th. Doctores 37. apud Dian. imo 50. apud Hort. Negant ex D. Anton. plures quam 24. apud Dian. quibus accedunt, Lug. Mendo, Gob. utraque sententia est probabilis apud Croix n. 1341. Noto tamen, quæstionem non esse de attentione interna qualicumque; certum est enim requiri aliquam, quia ex dictis non aliter præcipitur attentio externa, nisi prout necessaria ad internam saltem virtualem, & implicitam in intentione orandi virtualiter perseverante. Quæstio ergo est de attentione interna opposita distractioni voluntariæ; ideoque Gob. Illsun. ex Suar. apud Croix n. 1340. vellent, potius proponi quæstionem sub his terminis, an recitans horas cum distractione voluntaria satisfaciat præcepto?

Qua in re prior sententia negat, tum quia essentia orationis non potest consistere sine tali attentione, cum ex S. Damasc. sit *Elevatio mentis in Deum*: tum quia cap. *Dolentes*, *de Celebr. Miss.* hæc habet *Districte præcipimus in virtute S. Obedientiæ, ut Divinum Officium studiose celebrent, ac devote*. Posterior sententia affirmans ait, per intentionem internam, & attentionem externam, veluti per adæquatam formam, constitui sufficienter orationem de se, seu objective religiosam; secus, qui involuntarie distraheretur, non satisfaceret; ideoque in cit. cap. *Dolentes*, præcipi tantum actum externum Religionis cum debita intentione; agit enim contra illos, qui in Choro sub officio fabulantur, ut notat Con.

Verum, Certum est secundum omnes, peccare saltem venialiter, qui voluntarie in Horis distrahitur; cum sit irreverentia velle loqui cum Deo, & voluntarie alia volvere in animo: certum secundo etiam secundum omnes, sufficere attentionem internam superficialem, & ad verba, ut bene distincte, & reverenter proferantur; quia id sufficit ad veram orationem, nec necessaria est attentio ad singula verba; sed moralis, & generalis, qua quis scit, se orare, & curat, recte proferre sacras illas sententias. Habere autem attentionem etiam literalem, vel etiam spiritualem, consilii quidem est, & magni meriti; non tamen videtur præcepti. v. Croix n. 1343.

Quæres octavo, Quo loco, & situ sit recitandum?

Respondeo primo, Non peccare, qui submisse recitat in loco etiam sordidissimo: Suar. & alii; etiam dum ventrem exonerat: Sanch. & alii; quia potest ibi orare mente: ergo etiam ore; nec de se est irreverentia; cum Deus ubique sit, ubique a seipso, & ab Angelis laudetur. Consilii tamen est, in talibus locis non recitare; imo si talem locum, vel tempus temere deligeres, peccares venialiter secundum Tamb. & alios; ideoque D. Th. apud Suar. quamvis pro oratione mentali nullum omnino locum excipiat; tamen addit, ad exhibenda externa orationis signa non omnia loca esse accomodata; sed oportere vel scandali, vel ædificationis rationem habere, v. Croix n. 1340.

Secundo, In Choro secundum Navar. veniale est, non servare Rubricas standi, sedendi, genuflectendi, &c. in recitatione Horarum præscriptas, ratione scandali, ut addit Suar. extra Chorum vero nullus situs corporis videtur esse de præcepto; ideoque sedere, cum standum est, vel genuflectendum, per se loquendo, non est peccatum, quia Rubrica solum consilium dat ad majorem devotionem, & reverentiam habendam; Suar. Bon. & alii apud Croix ib.

Quæres nono, Quod sit peccatum non recitantium?

Respondeo, Esse mortale, si habens hoc onus, Horam, vel notabilem ejus partem culpabiliter omittas, quia violas præceptum in re gravi pertinente ad virtutem Religionis: Doctores communissime contra Angel. & Richard. putantes, esse tantum mortalem consuetudinem omittendi. Hinc communiter Doctores apud Croix n. 1204. docent, esse mortale omittere Vesperas in Sabbato Sancto, non ob quantitatem, sed ob qualitatem; quia est integra hora, & continet magnum mysterium, quamvis esse tantum veniale, dicant Pellis. Tamb. & alii ibidem, quia est parva oratio; & quidem in die lætitiæ, quo horæ aliæ satis magnæ præcesserunt. Improbabilis a fortiori videtur sententia Tamb. & Stoz. apud eundem n. 1202. docens, non esse mortalem omissionem, v. g. Tertiæ. Si vero omittas mediam partem horæ minoris, v. g. Tertiæ, Gav. Stoz. & alii contra Suar. Sanch. & alios non putant, esse mortale. Si tantum ex Matutino omittas, quantum est parva hora, Illsun. ib. damnat mortalis. Si interruptim per totum officium omittas, quantum est integra hora parva, probabilius est mortale, quia partes spectantes ad unum diei officium coalescunt: Tamb. contra Gob. apud Croix n. 1203.

Quæres decimo, Quæ sint pœnæ non recitantium?

Respondeo, Beneficiatum culpabiliter non recitantem in primis sex mensibus a pacifica possessione beneficii peccare quidem mortaliter, si vel uno die non recitet, ex Lateran. *sess.* 9. tamen ex Bull. Pii V. an. 1571. non tenetur restituere fructus illi tempori respondentes; bene vero reliquos fructus, si post illos sex menses non recitet; itaut, si unum totum officium culpabiliter omittat, teneatur restituere fructus respondentes tantum oneri officii illius diei; si omiserit dimidium officii, dimidium fructuum, si unam parvam horam, sextam partem dimidii; hactenus ex Bull. cit. Si tamen omiserit partem notabilem horæ, vel ex singulis horis conflatam, etsi peccet mortaliter, probabiliter tamen excusant a restitutione Bon. & alii contra Suar. quia Canones obligantes ad restitutionem loquuntur tantum de omissione Horæ: idem, si recitet cum notabili distractione, aut officium pro officio, excepto officio Paschæ.

Hæc restitutio facienda est in Conscientia ante sententiam Judicis; quia non est mere pœnalis, sed conditio-

ditionem; non faciendi scilicet fructus suos; si culpabiliter non recitet, ea prop. 20. damnata ab Alex. VIII *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus non debetur in Conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna*. Facienda est, *Vel fabricæ beneficii, vel pauperibus*; ex Litera, & Bul. cit. Facienda, etiamsi ante peccatum dederis eleemosynas, ex prop. 33. damnata ab Alex. VII. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit*. Non tamen, si eas feceris post peccatum, nihil cogitans de obligatione; ita probabiliter asserunt in de Restitut.

Si culpabiliter non recites, volens restituere, peccas contra præceptum Ecclesiæ; Dian. & alii communiter. Si ante possessionem beneficii moveatur lis super illo, & per te non stet, non peccas omittendo horas, nec ad quidquam teneris; Doctores communiter. Idem probabiliter, si lis moveatur post possessionem, & sequestrentur omnes fructus, & dubites prudenter de successu litis; secus vero e converso: Tamb. Si beneficium sit adeo tenue, ut ejus fructus habitualiter non accedant proxime ad tertiam partem moderatæ sustentationis Clerici vulgaris, deductis expensis, probabiliter non peccas omittendo, nec teneris ad restitutionem, si aliquoties in anno, saltem Dominicis, & Festis recites, cum omne beneficium sit propter officium: Less. c. 34. n. 169. Si priveris injuste fructibus beneficii sine spe eos recuperandi, probabiliter non peccas omittendo, nec ad quidquam teneris: bene vero si priveris juste, vel cum spe recuperandi, aut percipiendi postea fructus sufficientes; cum spes sequentium annorum sit pretio æstimabilis; vel si ratione Juventutis, aut alterius causæ voluntariæ debeas cedere omnes fructus alteri pro te deservienti; cum hic non sit defectus beneficii, sed beneficiati: v. Croix l. 4. a n. 1193.

Qui participat distributiones canentium in Choro, si abest absque legitima causa, vel si sit, sed non canit, peccat; & tenetur restituere in conscientia ante sententiam Judicis: Si autem recitet submisse, Suar. & alii putant, posse participare, quia religiose assistit; negant Pal. & alii, quia non assistit, prout debet, juvando Chorum: Laym. & alii putant, lucrari partem ratione assistentiæ. Croix l. 4. n. 678.

Quæres undecimo, Quænam facultates, & indulgentiæ concessæ sint recitantibus, &c.

Respondeo, ex Bul. Jul. III. *Sacræ* 22. Oct. 1552. possunt nostri e Soc. ex licentia P. Generalis justis de causis postponere officium Missæ.

Ex Bull. Clem. VII. *Dudum* 7. Mart. 1533. possunt Clerici Regulares recitare totum officium mane usque ad Completorium inclusive, ratione itineris, aut alterius occupationis, & communicatur nostris.

Ex Leonis X. Vivæ vocis oraculo, quod literis æquivalere voluit Pontifex, possunt Minores ob defatigationem, aut aliam causam recitare sedendo, deambulando; item satisfaciunt præcepto, etiam non integra proferendo ob negligentiam, aut imperitiam, vel malam prolationem naturalem, seu alias qualitercumque ore imperfecto proferendo, aut cum mentis distractione, & sensuum vagatione; dum tamen non ex malitia hoc faciant: & qui cum talibus supradictos defectus habentibus recitant, etiam satisfaciunt: communicatur nostris.

Ex eodem Leo. X. Minores recitantes ex libro consequuntur remissionem dimidiæ partis peccatorum commissorum illa die, qua recitant: communicatur nostris.

Ex Bull. Clem. VII. *Dudum* cit. Possunt Clerici Regulares, & consequenter nostri Superiores commutare Subditis infirmis totum officium in septem Psalm. septem Pater, & bis Credo: Et graviter ægrotantibus in unum Pater, & septem Ave.

Ex Jul. III. cit. potest noster P. Generalis, & quibus is communicaverit, commutare infirmis officium in aliud opus pium, seu leviorem orationem.

Ex Leo. X. cit. omnibus recitantibus post officium flexis genibus *Sacrosanctæ*, *&c.* conceditur indulgentia omnium defectuum, & culparum ex humana fragilitate in eo persolvendo contractarum.

Reliqua Privilegia ab Auctoribus posita sunt vivæ vocis oracula, quæ retractata sunt ab Urb. VIII.

CAPUT II.

De Præcepto negativo Superstitionis.

SUPERSTITIO est falsa Religio, opponiturque Religioni per excessum, sive quia exhibet Deo cultum indebitum, & sic dicitur absoluta superstitio: cultus indebiti; sive quia cultum Deo dumtaxat debitum exhibet creaturæ, & sic subdividitur in Idololatriam, Magiam, Maleficium, Divinationem, & Vanam Observantiam; cum enim divinus cultus ordinetur, vel ad reverentiam Deo debitam exhibendam, vel ad aliquod, quod ipse solus præstare potest, obtinendum, sequitur, ut si priori modo exhibeatur Creaturæ, sit Idololatria; si posteriori modo, sit Magia, &c.

§. I.

De Superstitione indebiti cultus.

HÆc exhibet Deo cultum vanum, seu superfluum, vel falsum; ideoque opponitur Religioni, qua *Deum in spiritu, & veritate adorare oportet*: Joan. 14.

Quæres primo, In quo consistat cultus vanus, seu superfluus Deo exhibitus?

Respondeo, Consistere in eo, qui secundum se neque ad excitandum spiritum, neque ad Dei gloriam est ordinatus: ut si in Divino Officio, vel Missa aliquid misceas præter Ecclesiæ ritum, & morem, v. g. bis *Alleluja*, ubi unum, vel nullum est dicendum: *Gloria*, aut *Credo*, ubi sunt omittenda; item si orationes fundas tali situ, tot candelis talis coloris appositis; item si contra omittas in Missa aliquid, &c. quia, licet deficias sic potius, quam excedas, tamen inde totus ille cultus fit superfluus; cum melius sit non sic Deum colere: Suar. l. 2. *Superst.* c. 2. n. 11.

Hæc superstitio non semper est mortalis, sed juxta materiæ gravitatem, vel levitatem potest esse vel mortalis, vel venialis: sic, si in recitatione horarum loco alicujus Antiphonæ, aut Psalmi aliqua verba vana admisceas, Pal. & alii contra Tamb. dicunt, esse mortale ob gravem irreverentiam Deo, & publico ejus cultui irrogatam, quod a fortiori dicendum, si turpia aliqua, etsi non in partem Officii, admisceres. At, si solum aliqua indifferentia, & non in tanta quantitate, ut ordo Divini Officii graviter perturbetur, est veniale: qua ratione excusantur etiam a gravi culpa, qui addunt aliquas ceremonias, aut orationes in Missa, transgredientes aliquas ex Rubricis tantum directivis, orantes hac positione corporis, his gestibus, & figuris, &c. præciso tamen contemptu, gravi scandalo, intentione introducendi in Ecclesia novum ritum, &c. Pal. Tamb. & alii communiter.

Hinc etiam deciditur quæstio, an sit illicitum jejunare die Dominico? Si facias in contemptum Resurrectionis Christi, qualiter jejunabant Manichæi, est secundum se lethale; quia facto profiteris eorum hæresim, ob quam Ecclesia jejunium Dominicale prohibuit. At si ob finem honestum, ut scilicet satisfacias pro peccatis, ut magis disponaris ad Dei laudes, &c. non est lethale; imo nec veniale; nisi vero solo die Dominico jejunares; cum sic uteretis singulari, atque adeo superfluo cultu contra morem Ecclesiæ. Si autem voveris jejunare in honorem alicujus Festi, & hoc incidat in die Dominico, non erit superstitiosum tunc jejunare, utpote per accidens; poteris tamen etiam propria auctoritate in diem antecedentem, vel consequentem commutare, quia videtur gratius Deo ob ritum universalis Ecclesiæ; idemque probabiliter est, si tenearis ex præcepto Confessarii, cujus voluntas esse debet conformis ritui Ecclesiæ: v. Sanch. Pal. & alios.

Quæres secundo, In quo consistat cultus falsus Deo exhibitus?

Respondeo, Consistere in eo, qui Deo exhibetur cum aliqua falsitate, sive ex parte colentis, sive ex parte rei significatæ, estque de se mortale. Ex parte colentis, ut si non Sacerdos attentet celebrare Missam, absolvere Sacramentaliter, &c. idem dicit Pal. de Sacerdote degradato realiter, quia, esto quoad substantiam Sacrificium nomine Christi offerat, at non quoad circumstantiam temporis. Ex parte rei significatæ, ut si Deo offeras Sacrificium veteris Legis, si in Sacramentis mutes formam, aut materiam; si falsis miraculis, reliquiis, aut testimoniis veritatem nostræ Fidei confirmes, etiamsi id facias bona intentione propagandæ Religionis, cum Deus honorari mendaciis omnino refugiat: Doctores communiter.

Nota hic ex Suar. d. 21. de Censur. s. 6. n. 8. Bon. & aliis, probabiliter non incurrere excommunicationem reservatam Papæ Concionatores prædicantes miracula incerta, aut ficta; sed tantum Concionatores interpretantes S. Scripturam in sensu contrario PP. & Ecclesiæ; vel prædicantes tempus præfixum Antichristi, Judicii, aut alia futura, tamquam revelata, vel alias inanes Revelationes; quia, quamvis Conc. Later. sess. ec. ex Bull. Leon. X. Supernæ utrumque prohibeat, dispositio tamen excommunicationis non est de primis, sed de secundis. Cæterum, cui facta est aliqua divina Revelatio, debet, antequam publicet, eam notificare Papæ, vel, si necessitas urgeat, Episcopo, ex eodem Concilio.

§. II.

De Idololatria.

Est peccatum, quo *Cultus Deo dumtaxat debitus tribuitur creaturæ*, estque maximum inter peccata, quæ virtutibus moralibus opponuntur, & prima, ac præcipua species superstitionis.

Quæres primo, Quotuplex sit Idololatria?

Respondeo, Dividi primo in internam, & externam. Interna est, quæ affectu tantum interno cultum latriæ exhibet creaturæ. Externa vero, vel est tantum materialis, ut si adores Hostiam, quam ex ignorantia invincibili falso putes consecratam, & sic ignorantia excusat e peccato: vel est formalis, & peccaminosa, & sic dividitur in Idololatriam perfectam, imperfectam, & simulatam, seu fictam: perfecta est, cum quis adorat Idolum, quod ex infidelitate credit esse Deum, & sic Idololatriæ additur infidelitas: imperfecta est, cum quis non ex infidelitate, aut errore intellectus, sed vel ex odio Dei, aliove affectu obtinendi aliquod v. g. a dæmone, ei quasi Deo, cultum offert, & sic admiscetur alia species peccati ex affectu operantis: simulata, seu ficta est, cum quis neque ex errore intellectus, neque ex odio Dei, spe obtinendi, &c. sed tantum metu mortis, &c. divinum cultum Idolo exhibet, & sic est etiam gravissimum peccatum meræ Idololatriæ, cum sit mendacium perniciosum contra Religionem, & Confessionem Fidei externam.

Cæterum, neque hæc exterior ficta, neque illa pure interne subjacent pœnis Ecclesiasticis jure statutis, quamvis ficta puniri possit pœna arbitraria. Perfecta autem ratione hæresis est primus casus Bullæ Cœnæ. Imperfecta vero, si dæmoni spondeat obsequium, sacrificium, suffitum, vel thus offerat, est casus hujus Diœcesis Neapol.

Quæres secundo, An sit species Idololatriæ cultum hic divinum, alibi mere civilem, ibi creaturæ exhibere?

Respondeo negative, quia nulla actio externa est ex natura sua cultus divinus, aut sacer, sed tantum ex institutione, Lege, Consuetudine, vel privata intentione operantis, juxta dicta c. c. §. 2. Etsi ergo talis, vel talis actio externa sit in hoc loco destinata ad cultum divinum, vel sacrum; si tamen eadem actio alibi non sit ad id destinata, sequitur, ut ibi licite possit exhiberi creaturæ, non quidem ex intentione colendi illam, ut Deum, aut quid sacrum; sed exhibendi illi cultum civilem, qui fortasse ibi per talem actionem solet exhiberi, v. g. Fumus incensi potest in hoc loco esse institutus ad honorandum Deum, Sanctos, Populum fidelem, Defunctos in fide, &c. ideoque habet rationem cultus sacri: alibi, puta apud Indos, potest esse institutus tantum ad honorem hospitis, aliudve mere civile: si ergo ibi Catholicus honoret suum hospitem fumo incensi, &c. non proinde committit ibi cultum Idololatricum, aut superstitiosum, &c.

Quæres tertio, An sit species Idololatriæ credere iis, quæ dicuntur a dæmone loquente in obsesso?

Respondeo, Si dæmon non coactus exorcismis, sed sua sponte dicat aliquod occultum, & ei credas, quamvis proprie non sit Idololatria, ad eam tamen reducitur, quia sic mendaciorum pater magis honoratur, quam meretur, ob revelationem rei incognitæ, quæ revelatio a solo Deo petenda est. Si vero coactus vi exorcismi dicat aliquod, credi ei potest, quia Deus non potest cogere ad mendacium; tamen nec tunc facile Fides indubitata est adhibenda, cum incertum sit, an loquatur vi exorcismi. v. Less. in actu v. Mag. c. 2. sed de his fusius §. seq.

Nota demum, Cultum Latriæ exhibitum creaturæ dici Idololatriam; cultum Duliæ exhibitum creaturæ non sanctæ, dici Idolodulium; & similiter de cultu Hyperduliæ.

§. III.

De Magia, & Maleficio.

Magia est facultas operandi res mirabiles: & est duplex; naturalis, seu artificiosa; superstitiosa seu dæmoniaca.

Quæres primo, Quid sit dicendum de Magia naturali?

Respondeo, Esse facultatem, quæ ex occulta cognitione, & applicatione quarundam virtutum naturalium mirum aliquod, & insuetatum operatur. Hæc per se loquendo est licita, cum utatur mediis naturaliter aptis ad effectum. Imo etiam licita per se loquendo est talis operatio, quamvis scientia talium virtutum acquisita olim fuerit ope dæmonis, quia hoc malæ acquisitionis peccatum transiit, nec aliquod inde vitium scientia naturalis, aut virtus naturalis cognita contraxit; ac proinde nec scientia permanens, nec actualis operatio præsentem dæmonis concursum requirit; si autem requireret, certe peccatum foret, ut patet: Sanch. l. 2. Dec. c. 42. n. 20.

Imo si dæmon in obsesso dicat aliquam herbæ virtutem occultam, alicubi esse thesaurum, vel inimicum, &c. licite etiam poteris experiri, inquirere, cavere, &c. modo tamen nec firmam ei fidem adhibeas, nec feras sententiam; sic etiam valde eum honorares, quod est per se lethale. Si autem ex levitate, vel curiositate uno, aut altero verbo interroges illum imperative aliquid hujusmodi, si non fiat animo addiscendi, nec firmam fidem adhibendi, est tantum veniale: Sanch. ibidem, Less. loc. cit. addens plura in hanc rem.

Quæres secundo, Quid sit dicendum de Magia superstitiosa?

Respondeo, Esse illam, quæ ope dæmonis actu concurrentis aliquod mirum operatur, sive illud sit quid utile, aut indifferens, quod dicitur præstigium; sive sit quid noxium, quod proprie dicitur maleficium. Atque hæc ex toto genere lethalis est; cum exhibeat dæmoni cultum invocationis ad opitulandum, qui uni Deo, ejusque Sanctis est exhibendus; ideoque gravissimam habet malitiam, etiamsi in minima materia versari videatur; cum semper contineat cum dæmone societatem, & tacitum ejus cultum, ac venerationem: Suar. t. 1. *Relig.* l. 2. c. 14. n. 10.

Porro invocatio dæmonis in opere magico potest esse duplex; vel scilicet expressa, vel tacita, seu implicita. Expressa invocatio habetur, cum quis e dæmone sive voce, sive animo explicite operationem ejus miram expostulat, quod etiam fieri potest, vel simpliciter petendo sine ulla promissione, aut pacto ex parte petentis, sicut homo pius interdum simpliciter postulat a Deo; vel cum promissione, aut pacto mentali, vocali, aut etiam scripto tradito, quo petens se obligat ad obsequium dæmonis, vel ad perpetuam societatem, subjectionem, &c. & sic etiam ad petitionem adjungit interdum sacrificia, suffitus, aliasque ceremonias in honorem dæmonis factas; aliquando etiam adjurationem, figuras, unctiones, & similia juxta pactum; unde etiam accidit, ut dæmon vicissim pactum acceptet sensibiliter, seque ipsum mutuo obliget ad opitulandum; ideoque aliquando solo imperio invocetur, & quasi cogatur adesse vi pacti, & regulariter adsit, nisi a Deo impediatur: Suar. c. 8. n. 1.

Tacita, seu implicita dæmonis invocatio habetur, cum quis utitur magorum signis, ac mediis cum spe aliquid efficiendi; sic enim, etsi expresse non invocet opem dæmonis, tacite tamen, & implicite invocat; quia spem suam, aut fidem suam, non in ope divina, aut divina revelatione ponit: nam, cum signa illa, ac media non sint natura sua apta ad illud opus efficiendum, sequitur, ut, qui serio illis utitur cum spe, &c. tacite deprecetur, ac postulet opus e dæmone; in qua spe, ac fide involvitur etiam pactum implicitum; dicimus autem hic pactum, non tantum quasi stabilem conjunctionem per mutuam promissionem, & obligationem, sed quamcumque societatem, & deprecationem, seu petitionem auxilii ad tale opus, ut bene notat Suar. c. 9. n. 13. ubi etiam bene addit, quod, si expresse opus illud speretur a dæmone, magis videbitur esse pactum explicitum, quam implicitum; unde Sanch. l. 2. Decal. c. 38. n. 3. merito ait, invocationem, seu pactum cum dæmone explicitum haberi non solum, quando verbis expressis invocatur, &c. verum

etiam,

etiam, quando ipsomet facto, si nimirum quis sciens in tali operatione opem dæmonis adesse, eam cum dicta spe faciat.

Infers hinc contra Tamb., cum quis scienter utitur mediis magicis, non ab ipso, sed ab alio conventis cum dæmone, si scienter faciat, & cum spe, &c. non solum tacite, seu implicite, sed expresse etiam dæmonem invocare, quia sciens, & sperans animo invocat.

Infers secundo, Magiam superstitiosam sæpe contrahere alias malitias; si enim utatur rebus, aut verbis sacris, addit Sacrilegium; si adhibeat sacrificium, aut alium cultum, addit Idololatriam; si existimationem divinitatis, &c. addit Hæresim; si renunciationem Religionis, Apostasiam; si in damnum Proximi, Injustitiam; denique si habeatur invocatio expressa, est casus reservatus in hac Diœc. Neap.

Quæres tertio, Quid specialiter dicendum sit de maleficio, seu veneficio?

Respondeo, Dici maleficium, quo magus utitur ad flectendos animos ad amorem, unde etiam dicitur amatorium; dici vero veneficium, quo utitur ad inferendum damnum; utrumque autem ex pacto expresso, vel tacito cum dæmone. Ejusmodi autem Præstigiatores dici solent Lamiæ, Sagæ, Striges, Lemures, &c., porro duo potissimum quærunt, vel scilicet delectationes turpes, vel damna, &c.

An autem licitum, & obligatorium sit tollere maleficium, seu ejus effectum? Dico, debere tolli omnibus modis tantum licitis; modus autem licitus est primo supernaturalis, oratio scilicet cum spe, & fiducia, exercitium bonorum operum, usus Sacramentorum, gestatio Reliquiarum, &c. item exorcismi, aqua benedicta, signum Crucis, invocatio nominis Jesu, &c.: sunt secundo media naturalia, si illis nocumentum factum curari, aut reparari possit. Cæterum hæc vim non habent, dum dæmon a nocendo non desistit, cum possit facile ea eludere, vel contraria apponendo, vel vias obstruendo, &c. At, si remedium ipsum sit superstitiosum, illicitum sane est, maleficium maleficio solvere, curare, &c. cum sit intrinsece malum: Doctores communiter.

Hinc nullatenus licet a malefico petere, aut sinere, ut maleficium maleficio dissolvat; sic enim esset petere ab ipso dæmone, vel peccato malefici cooperari; cum enim magus tibi, cuisque rebus in tui præsentia absque tuo consensu nullas medicinas possit applicare, fit, ut, si consentias, censearis ejus opera uti in tui curatione: Suar. Sanch. Less. Pal. & alii communiter. Imo, si dubites, an medium, quo solvendum sit maleficium, sit superstitiosum, neque potes petere, ut illo medio maleficium dissolvat, quia exponis te periculo peccandi; idemque est, si dubites, an ille medium licitum sciat; idem, si petas dissolutionem ab alio malefico ignaro tui maleficii, & loci, ubi sit: Idem Doctores communiter.

Si autem maleficus sciat media licita; tunc, si probabiliter credas illis usurum, potes absolute petere, quia rem licitam petis, & quidem non a malefico, ut tali, quod est prohibitum in sacris literis; imo illum ad bonam actionem incitas. Idem dicunt Suar. Sanch. Pal. & alii, si tunc dubites, an ille usurus sit mediis licitis, an illicitis, quia in tali dubio præsumere debes, illum nolle uti peccato. At si putes, illum uti mediis illicitis, etsi possit licitis, Tamb. citans Sanch. & Bard. Pal. citans Suar. Less. & alios probabiliter dicunt, posse petere, &c. quia tunc petis id, quod ille licite facere potest; & quod sic occasio ut ille tunc peccet, sibi imputet; necessitas autem excusabit te a cooperatione; quæ fortasse ibi videtur, sicut dici solet de petente mutuum ab usurario, juramentum ab Infideli, &c. Denique, si negative dubites, an maleficus habeat medium licitum, Doctores communiter cum Suar. docent, non posse ab eo dissolutionem peti, quia in tali dubio præsumptio est contra ipsum, cum *Semel malus semper præsumatur malus*, ex *Reg. Jur. in 6.* addit tamen Tamb. posse aliquando peti, quia non raro præsumi potest, a malefico modum licitum non ignorari.

Cæterum potest quivis dissolvere signum maleficii destruendo, vel positive ponendo signum contrarium pacto, quo scilicet posito sine novo maleficio desinit nocere dæmon: v. g. si dæmon esset pactus cum malefico, se nociturum, nisi maleficiatus lavet corpus, poterit hic lavare, non quidem intentione sanandi eo medio, aut opera dæmonis, sed solo animo tollendi signum, & dissolvendi pactum, Sanch. Suar. Less. Pal. Tamb. & alii. Similiter si malefica te tangat, ut tu morbo inficiaris; at, si tu illam repercutias, impedietur morbus, potes repercutere, quia repercussio est actio indifferens, & poneretur, non ut excitaretur dæmon ad fidem servandam, vel ad sanitatem concedendam; sic enim haberetur cum eo societas, & novum maleficium; sed tantum ad desinendum nocere, seu ut tollatur ei incentivum nocendi: quod si dubium sit, an lavare se in casu, repercutere, &c. sit superstitiosum, an mera desitio nocendi, Less. adhuc putat licere, sed cum protestatione non consentiendi novo pacto fortasse a malefico inito; sed non audet id affirmare Sanch. apud Pal. quia hæc protestatio non vincit dubium. Tamb. tamen adhæret Lessio, eo quod dubium deponi potest ex eo, quod prius sit, rem esse indifferentem, quam superstitiosam. Vide illum n. 13. in fine.

Infers, Judices licite radere pilos, vel lavare maleficos torquendos, ne ii insensibiles sint ad tormenta, &c. non solum ut tollatur signum dæmonis fortasse sub pilis latens, sed etiam quia potuit esse pactum, ut sic cessaret conventio &c. Infert pariter Tamb. si scias, thesaurum accipi non posse, nisi aliquod de se indifferens ibi feceris, puta pultem ibi comederis, licite posse, &c. quia non est, nisi apponere contrarium signum indifferens, quo posito dæmon promiserat, non amplius thesaurum custodire: idemque ait, si contrarium signum sit aliquod bonum nullo modo admixtum malo, puta aqua benedicta, signum Crucis &c.

Quæres quarto, Quæ sint pœnæ latæ contra magos, & quis possit eos absolvere?

Respondeo, Si admiserint hæresim formalem externam, incurrisse jam excommunicationem latam in primo capite Bull. Cœnæ absolvendam a Papa. Si secus, nullam pœnam latam a jure communi incurrunt, sed tantum ferendam arbitrio Inquisitorum, quibus sunt denunciandi, suspecti de hæresi: in Diœcesi tamen Neapolit. incurrunt excommunicationem reservatam Episcopo, si expresse invocaverint dæmonem, vel re aliqua sacrata abusi fuerint. Reservatio autem Inquisitorum est tantum pro foro externo, inquit Dian. apud Tambur. Eadem dicenda erunt de Divinatoribus, Sortilegis, &c.

§. IV.

De Divinatione.

Est Superstitio, qua quis opem dæmonis tacite, vel expresse invocat ad cognoscenda futura, vel occulta naturaliter incognoscibilia, quæ, si sint talia, ut solus Deus scire possit, qualia sunt futura libera, secreta cordium, &c. involvitur tacita idololatria: si vero sint talia, quæ dæmon naturaliter scire potest, important quandam Apostasiam a Deo, & societatem cum ejus hoste.

Divinatio, quæ fit cum invocatione, seu pacto expresso cum dæmone dicitur generali nomine *Necromantia*, qua dæmon occulta docet per Pythones, Arrepticios, Præstigias, Personas mortuorum, vel vivorum apparentium, aliave signa in aere, aqua, igne, speculis, &c. unde etiam dicitur Hydromantia, Geomantia, Aeromantia, Pyromantia, &c. Censentur autem expresse invocare, seu convenire cum dæmone, qui vel verbis dæmonem invocant, vel saltem facto aliquod usurpant, per quod sciunt, aut putant, dæmonem cooperari: Busemb. Sanch. loc. cit. Atque hæc certe est mortalis ex toto genere, itaut nec admittat parvitatem materiæ, nec excusationem ob ignorantiam, inadvertentiam, &c. ideoque specialiter aperienda in Confessione: Doctores communiter.

Divinatio, quæ fit tantum per invocationem, seu pactum tacitum, seu interpretativum habetur cum ex constellationibus, sortibus, lineamentis corporis, vocibus, garritu, aut volatu avium, & similibus quæritur cognitio, ad quam ea sunt improportionata: hinc variæ ejus species infra explicandæ, etiamsi non necessario aperiendæ in Confessione, cum sint ejusdem moralis malitiæ. Nec requiritur, ut dæmon aliquando pactus sit, se ad talis vani medii adhibitionem concursurum; nam eo ipso, quod quis his utitur, dæmon se immiscet, quamvis præter intentionem utentis sit eum invocare, ut docent Suar. Sanch. loc. cit. Hinc non excusatur a peccato, qui his utendo protestatur, se nullum commercium cum dæmone intendere, quia eoipso facit contra suam protestationem: Doctores cit. Laym. Bon. Bus. & alii. Sæpe tamen excusat a mortali simplicitas, ignorantia non crassa, nec affectata, fides non certo adhibita, etiamsi adsit levis quidam timor, aut suspicio eventus futuri, juxta mox dicenda.

Quæ-.

Quæres primo, Quid sit specialiter dicendum de Astrologia?

Respondeo, Divinare ex astris effectus mere naturales, scilicet tempestatem, serenitatem, pluviam, grandinem, &c. præcisa invocatione, seu pacto explicito cum dæmone, non esse mortale; quia negari non potest, astra horum effectuum esse causas; etsi non solas: si autem excedas in prædictione plus certo prædicendo, quam ex astris colligi possit, est per se loquendo veniale vitium imprudentiæ, temeritatis, seu mendacii: Sanch. l. 2. Dec. c. 38. n. 29. & alii communiter. Idemque est de temperamento, conditione, qualitate, & inclinatione cujusvis viventis; si scilicet ex astris tantum prænuncies, aliquem subjectum esse superbiæ, iræ, aliisque naturalibus passionibus, quamvis cum tenuissima tantum probabilitate. hæc sint prænuncianda; cum a multis aliis accidentibus pendeant, ita ut summa sit imprudentia, ex solis astris eas certo prænunciare: Suar. Sanch. n. 29. & alii communiter.

At Astrologia judiciaria, quæ ex astris eventus a libero hominis arbitrio pendentes prænunciat, superstitiosa omnino est, & lethalis, damnataque jure naturali, & Canonico, & præsertim ex Bull. Sixt. V. *Cæli, & Terræ;* & ex Bull. Urb. VIII. *Inscrutabilis*, sub pœna denunciationis, & excommunicationis latæ sententiæ, tum contra ipsos Astrologos, tum contra eos, qui illos consuluerint; sive eorum judicia, & prædictiones super præmissis receperint; imo ex eisdem Bullis eandem pœnam incurrunt, *etiamsi id non certo se affirmare, protestentur*. Addit tamen Tamb. ex Tolet. Valent. Pal. Delrio, & aliis, his Bullis prohiberi tantum divinationem certam, aut probabilem, non vero pure conjecturam, secem bellorum v. g. rixarum, &c. quia hæc non est iniqua jure naturæ, & Bullæ non prohibent, nisi quod est jure naturæ iniquum. Addit insuper cum Potest. & aliis, nec prohiberi divinationem etiam probabilem, si non ex solis astris, sed addita etiam consideratione temperamenti, aliarumque circumstantiarum personæ, &c. putes aliquam dignitatem obtinendam, &c. quia tunc non est divinatio, sed providentia, ut ait Sanch. apud eundem; unde & se regulans secundum talem prædictionem, dummodo non habeat certam credulitatem, excusatur saltem a mortali: Croix nom. 9.: si quis autem omnes pene actiones, & vitam juxta eam regulare velit, eum mortaliter peccare, docent Suar. Sanch. Less. & alii communiter, quia convincitur ejus fides certa.

Ex dictis infers, quid sit dicendum de Horoscopo, seu figura nativitatis; si enim erigatur, vel adhibeatur cum certa, vel probabili credulitate, eventus liberi futuri, damnatur prædictis pœnis; secus, si ex joco, vel cum levi conjectura, &c. unde Cajet. Armil. & alii docent, ex tali observatione semel, aut iterum aliquid omittere, vel cavere, censetur tantum veniale, & Tamb. non damnaret te mortalis, si adire velis Romam curaturus Prælaturam sub spe, non vero certitudine, prædictionis Astrologi; vel si eodem modo abstineas a navigatione hoc anno, & similia; modo tamen conjecturaliter timeas, caveas, &c.

Quæres secundo, Quid sit specialiter dicendum de Sortilegio?

Respondeo, Ex D. Th. triplices esse sortes, divisorias, consultorias, & divinatorias. Primæ sunt, quibus res aliqua multis competens uni illorum addicitur; & esse licitas per se, excepto casu electionis Ecclesiasticæ, docent communiter, quia res addicitur a voluntate mittentis sortem, posita illa sortis contingentis conditione: sic tempore pestis, tempestatis, mortis, &c. possunt injici sortes, quis sit iturus, ejiciendus, occidendus, &c. v. Pal. p. 6. ubi etiam jure Ecclesiastico ostendit, prohibitas, & nullas esse sortes in electione Ecclesiastica inter æque dignos; non tamen in dirimenda lite in causis beneficialibus, quia cessio litis non est proprie electio. Secundæ sunt, quibus Dei voluntas consulitur; & has esse etiam licitas, docent communiter, modo mittantur cum fiducia, & reverentia debita in Deum, & præsertim urgente necessitate, hoc est, si alia via occurri nequeat gravi necessitati, aut Ecclesia magnum inde emolumentum sit habitura, sine qua necessitate tentaretur Deus, & esset periculum deceptionis diabolicæ: Pal. ib. Tertiæ sunt superstitiosæ, cum adhibeantur ut signa, non Dei, sed dæmonis, puta ad cognoscendum furem occultum, rem occultatam, &c. & hoc est sortilegium, quod per se mortale est, nisi excuset ignorantia, aut fiat non serio, sed joci causa, absque periculo eis fidem adhibendi, juxta jam dicta.

Quæres tertio, Quid sit specialiter dicendum de divinatione per somnia?

Respondeo, Somnia provenire vel a dispositione naturali, vel a Deo, vel a malo spiritu. Si probabile non sit provenire a Deo, reputendum est provenire e causa naturali, & nullam significationem habere, sed tantum conjectare poteris corporis affectiones, tanquam ex effectu causas, ut faciunt Medici; si quid aliud ergo significent, timendum est, a dæmone immissa esse; cum Deus volens aliquod per somnium significare, soleat somniantem certum reddere de visione: hinc per se loquendo mortale est, ex ejusmodi somniis credere aliquod occultum, vel futurum, cum adhibeantur in ratione signi, &c. atque hæc superstitio dicitur *Oniromantia*.

Cæterum credere aliqualiter somnio, seu aliqualiter sibi timere adversum, vel aliqualiter sperare prosperum, non videtur grave peccatum, ob imperfectionem actus, Less. Suar. & alii. Ex quo fit, te absque peccato gravi posse ob somnium habitum aliquod opus facere, vel omittere, modo non sit contra aliquod præceptum; si vero continenter ex somniis ad operandum movearis, non vacas mortali, quia convinceris, fidem somniis habere majorem: Less. Suar. Pal. p. 5. ex quibus Tamb. excusat a mortali quemdam, qui thesaurum in somno ostensum investigavit, si certam fidem somnio non adhibuit, &c.

Quæres quarto, Quid sit specialiter dicendum de divinatione ex Physionomia, & dispositione propria corporis?

Respondeo, Superstitionem esse graviter peccaminosam, si ex manuum lineis, ex capitis Physionomia, &c. bonam, vel malam fortunam certo conjectes, aut credas, fore scilicet Divitem, Pauperem, Religiosum, Regularem, Sacerdotem, vel Laicum, &c. quia illa signa non possunt esse causæ talium effectuum, qui, si sint contingentes, liberi, peccatum idem est, ac Astrologiæ Judiciariæ; ideoque iisdem pœnis subest. Hinc si serio ab Ægyptiana id interroges, peccas mortaliter; si autem joci causa, vel ob vanum finem curiositatis, regulariter esse tantum veniale, dicunt Nav. Sanch. Bon. & alii, præciso tamen scandalo, & cooperatione cum alieno peccato, ut communiter supponitur, v. Sanch. Fill. Busemb. & alios.

Cæterum si ex Physionomia, vel Chyromantia, hoc est, ex lineis manuum conjectes temperiem corporis, imo etiam animi propensiones, & affectus, non peccas, quia sunt horum signa naturalia: Busemb. & alii communiter.

Quæres quinto, Quid sit specialiter dicendum de divinatione ex augurio, aruspicio, &c.?

Respondeo, Augures esse, qui ex volatu, pastu, cantu avium: Aruspices, qui ex inspectione extorum animalium futura divinant, puta pluviam, victoriam, &c. Utrumque superstitiosum est, si divinent effectus futuros a libertate pendentes; idemque est, ac Astrologiæ judiciaria; superstitiosum est etiam, si divinent effectus omnino impertinentes, puta victoriam, quia, cum sint signa illorum naturalia, sequitur, ut dæmon se immisceat. Secus vero, si ex illis conjectes effectus naturales, seu potius causas aliquo pacto pertinentes, puta ex gallorum cantu mutationem affectionum aeris, &c.

Quæres sexto, Quid sit specialiter dicendum de arte notoria, de cabalis, &c.?

Respondeo, Artem notoriam dici, quæ inspectione certarum figurarum, vel certo aliquo jejunio, oratione, potione, bolo, &c. utitur ad scientiam repente acquirendam, ut faciunt Anabaptistæ. Idem est de cabalis, aliisque figurarum involucris, &c. quæ omnia certe superstitiose creduntur.

§. V.

De vana observantia.

EST superstitio, quæ credit mediis improportionatis aliquid obtinere: estque ex genere suo mortalis etiam in parva materia, quia involvit tacitam quamdam invocationem dæmonis, & solum excusari potest a mortali, vel ratione ignorantiæ, vel si non adhibeatur fides, vel si in dubio adhibeatur protestatio, juxta mox dicenda.

Quæres primo, Quænam censeri debeant media improportionata?

Respondeo, Ea censenda, quæ nec a natura, nec a Deo vim habent ad effectum intentum; si enim ea natura-

turaliter talem vim non habent, sequitur, ut credantur eam habere vel a Deo, vel a dæmone: a Deo autem non potest credi, nisi sciantur ab eo, ejusve Ecclesia instituta; si ergo hoc ignoretur, fatendum, credi, eam habere a dæmone, qui in his vanis complacet se immiscere.

Constat autem, effectum non esse per vires causæ naturalis: Primo, si ejus productio a nulla vi totius naturæ esse possit, ut manifestatio secretorum cordis, mortui resuscitatio, &c. inter quæ, addit Sanch., subitam ab infirmitate (radicata, ut addit Tamb.) convalescentiam: Secundo, Si docti viri, & prudentes affirmarent, causam illam esse per se impotentem ad talem effectum; quia secus in Philosophia nihil certum pronunciari posset, ut ait Val. apud Pal.: Tertio, Si vana quædam seu facta, seu dicta, per se quidem inutilia, naturalibus admisceantur, quia nullam addunt vim naturalem.

Quæres secundo, Quid sit agendum, quando hac in re adest dubitatio?

Respondeo, Si nulla appareat admixta vana ceremonia, & dubium solum sit, an res naturalis tantam vim habeat ad producendum simpliciter, vel tam celeriter effectum, posse licite ea uti saltem cum protestatione, quia certum est, virtutes naturales multiplices esse, & multis etiam sapientibus ignotas: ergo in tali dubio melior est conditio naturæ, quæ ex sæpe contingentibus præsumenda est potens, & multum mirabilis in suis operationibus, ut in magnete, succino, &c. Sanch. l. 2. c. 40. n. 44. & alii.

Si autem constet, effectum non posse esse per vim naturalem talis causæ, & dubium sit, an sit a Deo, vel a dæmone? Communis Doctorum sententia est, præsumendum esse a dæmone per pactum saltem tacitum invocato; quia cum constet, illam non posse esse causam naturalem, erit dumtaxat signum, ad cujus positionem alius ponat effectum; atqui non Deus; solum enim de Sacramentis, & de Sacramentalibus tale quid per revelationem habemus: ergo dæmon; & quidem multo magis, si vana signa addantur, quibus certe non Deus, sed dæmon se sæpissime immiscet. Præcisis tamen vanis ceremoniis, Tamb. & Gob. putant, non esse mortale, si in ejusmodi dubio semel, aut bis causam illam applices, non quidem certo expectans effectum, sed veluti experturus: addit insuper Tamb., probabile saltem extrinsece esse, &c. in tali dubio, si adsit gravis necessitas, v. g. ad recuperandam salutem, quæ aliter restitui nequeat, posse sine ullo peccato adhiberi tale medium, facta prius protestatione, quod nolis in ullum pactum cum dæmone consentire. Sed non obstante horum sententia, res est plena periculi, adeoque vitanda; dum enim tentas videre, quid accidat, tentas experiri, an dæmon de facto, se illi immisceat, adeoque tentas cum dæmone societatem habere, quod videtur semper mortale, licet ex joco fiat, ut ait Pal. apud Croix n. 21. & *36*. & ideo non plene approbat, quod Val. Suar. Sanch. Bon. & aliis non videatur, nisi veniale, his mediis uti joci causa, aut ut experiaris, quod casu accidat, credens, totum esse futile, & inane, eo quod sic habeatur imperfectio actus. Adde tamen ex Tam. Arsd. & aliis ibidem, sæpius melius esse permittere ad tempus, aliquem simplicem his mediis uti, quam illum admonere, si prævideas, eum non facile persuadendum, quia sic vitatur peccatum formale, ut fuse dicemus in de Pœnit.

Quæres tertio, Quid sit specialiter dicendum de vana observantia in verbis sacris?

Respondeo, Etsi verba omnia sint sacra, vel pie composita, seu proferantur, seu scripta gerantur, habetur tamen vana observantia, si credas, aut speres infallibiliter effectum, quia præter Sacramenta, & Sacramentalia, nihil est ex sacris verbis, quod ejusmodi infallibilitatem habeat; ideoque, nisi specialiter reveletur, nonnisi a dæmone per tacitam invocationem infallibiliter expectas: Tamb. & alii communiter. Idemque est, si ad malum finem, vel ad aliquid vanum, puta ad motum annuli, his verbis utaris, quia ad neutrum se ingerit Deus, sed dæmon. Idemque est, quæcumque circumstantia vana admisceatur, puta alia verba non significativa, vel in lingua peregrina, quæ non intelligatur, vel nonnisi in tali lingua prolata, vel inutilia, vel profana, vel falsa, vel nonnisi in tali situ, gestu, cum talibus figuris, &c.

His omnibus remotis tollitur periculum superstitionis, inquit Sanch. l. 2. Dec. c. 40. n. 31.; ideoque recitationem ternam illius versus, *Dirupisti Domine vincula mea, &c.* quam Cassiod. refert fuisse remedium variis morbis, ait, non esse per se superstitiosam, si omnino devote, & absque infallibilitate in honorem SS. Trinitatis recites cum fiducia in Deum gratiam impetrandi. Idem ait Tamb. de insufflatione illorum verborum in aurem arreptitii, *O creatura Dei memento Creatoris tui*; si scilicet dicantur tantum, ut ille audire possit, Deoque se commendet, sublata etiam credulitate certi eventus: idem de verbis illis, *In chamo, & freno, &c.* quibus nonnulli compescunt canum latratus, & de illis, *Libera me de sanguinibus*, quibus cohibent sanguinem copiose effluentem e naribus: idem de iis, qui per Empsalmos, hoc est, per quasdam orationes, curant infirmos; & de iis, quos vocant Salvatores, qui suis orationibus morbos etiam incurabiles sanant; sed hæc superstitionem sapiunt, sive ex credulitate infallibilitatis, sive ex alia vana circumstantia; ideoque dissuadenda. v. Sanch. l. 2. c. 40. a n. 45.

Quæres quarto, Quid sit specialiter dicendum de vana observantia in rebus sacris, aliisque operibus virtuosis, aut indifferentibus?

Respondeo, Superstitiosum esse tribuere aquæ benedictæ majorem vim uno die, quam alio; nocte S. Jo: Baptistæ applicare aures terræ, ut audias, &c. nolle tredecim convivari; dicere Missam cum vestibus incongrui coloris; putare, domum muniri contra fulmina, si ramus palmæ die palmarum rite circumferatur, & extra domum ponatur; supponere certas herbas lecto ægrotantis, ne in agone desperet; certas preces fundere, vel schedas ferre, cum certa fiducia non moriendi subito sine Confessione, &c. Offerre in Eleemosynam ad sacram ædem pondus ceræ omnino scrupolose æquale infirmo; jejunare in Festo S. Stephani, &c. expectando infallibiliter effectum, &c. Si autem novies ores, novem candelas accendas, ut novem Angelorum chori auxilientur, sicque tibi devotionem in eos excites, rite operaris. v. Tamb. & alios.

Cæterum si solæ adhibeantur res sacræ, puta aqua, Incensum, sal, benedicta, &c. cum pietate, ac spe tantum obtinendi a Deo aliquod, non quidem vanum; sed bonum, si illi placuerit, non peccas; cum pium sit, ad Deum cum fiducia confugere. Idemque est, si his pie utaris ad cohibendos dæmones custodientes thesaurum. Signa autem, præter signum Crucis, ordinarie sunt superstitiosa, utpote de se vana, & inutilia, solentque dæmones per ejusmodi ritus affectare honores divinos, ut notat D. Aug. 10. Civit. 9. & 10. Similiter scrupulosa taxatio numeri orationum, genuflexionum, candelarum, dierum, &c. nisi fiat, ut sic magis excitetur animus in devotionem Sancti, qui talem numerum in suis gestis decoravit, &c. idemque est de triplici circumductu animalium circa ædem Sancti. Denique superstitiosum est observare dies, quasi quidam sint fausti, quidam infausti, ut nolle opus incipere die Martis, nolle ungues præscindere die Veneris, nolle nere die Sabbati; certis diebus tangere scopis olera, ne a vermibus lædantur; servare ova exclusa die Parasceves ad extinguendum incendium; locum in ludo mutare, vel chartas lusorias, vel tantisper e ludo surgere ad malam ludi fortunam avertendam; gallinam gallorum more forte cantantem occidere, uti infortunii portentum; aliquod infaustum metuere, si in egressu matutino domo pes offendat, si avis mæstum canat, si lepus præcurrat, si mæstum fuerit somnium, & alia innumera apud Gob. & Croix n. 29. Hæc enim, si certo credantur, vel si semper adhibeantur ad vitam dirigendam, erunt mortalia: Sanch. c. 38. n. 22. Si vero non certo credantur, veniale est, inquit Sanch., si semel, vel bis ob ea nonnihil speres, timeas, caveas, &c. ob imperfectionem actus. v. Tamb. & Sanch. l. 2. Dec. c. 38. n. 21.

Quæres quinto, Quid sit specialiter dicendum de vana observantia in rebus, causisque naturalibus?

Respondeo, plura hic mira afferri a Doctoribus apud Gob. Tamb. & Croix n. 29. I. Pondere aliquo ad funem suspenso inter pollicem, & indicem explorare, quota hora sit; toties enim dicitur pulsus dari ad latera vasis: id autem esse superstitiosum, evicit Lugo sua experientia, cum antea putaret cum aliis, id provenire ex pulsu arteriæ: sed hic est constans, & naturalis; numeratio autem horarum est arbitraria, alia scilicet in Hispania, alia in Italia, quibus pulsus ponderis diverso modo respondit. II. Virgam coryli applicare pro inveniendis metallis, & fontibus, non improbant Majol., de Chales, & alii apud Croix n. 35. Contra vero superstitiosum reputant Fabr. Chircher. Aldobr. Conrad., & alii ibidem; quia virga illa non flectitur ad metalla, & aquas detectas, nec ad hæc occulta, si intentio

sit

sit inquirendi aliud ; ut notat Tolly ibidem dicens, dæmonem sæpe agere, quamvis nullum cum eo pactum intercedat. III. Pulvere, qui dicitur sympaticus, mixto cum sanguine vulnerati sanari posse vulnus hominis ad trecentos passus distantis : Gob. apud Croix n. 32. non omnino damnat certæ superstitionis ; quia forte verum est, quod aliquæ qualitates diffundantur per medium, uti cadavera fœtorem mittunt per multa milliaria, teste D. Th. sed id alii communiter damnant : v. Croix ibid. IV. Pueros, aut chartas nomina puerorum inscriptas mittere per fissuram arboris, ut sanentur a ruptura, D. Th. & alii communiter damnant apud Croix num. 29. Ubi vides alia innumera; consule etiam Gob. qui per 30. paginas præcipue a n. 923. ea recenset; tu vero ex regulis sub initium datis rem decerne. V. Aliqui absolute damnant, aliqui absolute excusant a superstitione eos, qui putant, se habere vim, aut gratiam sanandi certos morbos, vel qui ad tales accedunt sanitatis causa, ut refert Sanch. n. 45. Dian. autem citans Delrio ait, non videri superstitiosos eos, qui in Belgio nati die Veneris sancto putentur suo contactu sanare a febribus, aut quod septimus non interruptim masculus ex legitimo matrimonio natus sanare possit sputo strumosos: v. Croix n. 34.

CAPUT III.

De Præcepto negativo Irreligiositatis.

IRRELIGIO, quæ Religioni opponitur per defectum, vel tendit directe ad irreverentiam Dei, & dividitur in tentationem Dei, blasphemiam, & perjurium; vel tendit tantum ad irreverentiam rei sacratæ Deo, & dividitur in Sacrilegium, & Simoniam. De Tentatione Dei actum est q. s. c. 3. de Blasphemia, & Perjurio dicam q. 3. De Simonia dicam in Tract. de Contractibus, de Sacrilegio sit hic.

§. UNICUS.

De Sacrilegio.

LATE acceptum sonat quodcumque peccatum Religioni oppositum, qua ratione D. August. Idolorum sacrificia vocat sacrilegia, pacta cum dæmone vocat sacrilega &c. sed hæc acceptio sacrilegii propria non est. Proprie ergo acceptum sacrilegium est *Violatio rei sacræ*; & hujus nomine venit omne id, quod lege divina, vel Ecclesiastica est ad Dei cultum destinatum, ut sunt res sacræ, loca sacra, & personæ sacræ: unde sacrilegium stricte acceptum dividitur in reale, locale, & personale; sub quibus generibus variæ species subalternæ continentur mox explicandæ.

Quæres primo, quid sit specialiter dicendum de sacrilegio reali?

Respondeo, Hoc esse multiplex pro varietate rerum sacrarum, quæ violari possunt; ut sunt ex D. Thom. Sacramenta, Vasa sacra, Imagines, & Reliquiæ Sanctorum, Scriptura Sacra, Ceremoniæ in cultum Dei destinatæ, ornamenta Ecclesiæ, & Ministrorum, Bona Ecclesiastica in sustentationem Ministrorum destinata.

Quoad Sacramenta, indigna eorum tractatio tam in administratione, quam in susceptione certe sacrilegium magnum est. Imo Suar. docet in Sacramento Eucharistiæ committi peccatum distinctum, & ejusdem rationis cum eo, quo Christus Dominus in seipso offenderetur, quamvis communis sententia dicat, esse tantum sacrilegium, tametsi omnium gravissimum; quia, etsi Eucharistia Deum contineat, tamen non est Deus formaliter, sed signum gratiæ sanctificantis ipsum Deum continens: v. Pal. hic §. 2. n. 4. ubi tamen addit, violationem sacrificii esse specie graviorem, quia offendit Deum in se, cum sacrificium non sit res cultui Divino destinata, sed ipsemet Dei cultus. Denique sacrilegium etiam est indigna Sacramentalium tractatio; v. g. Aquæ benedictæ, &c. putat tamen Tamb. contra alios, esse licitum uti Aqua, Candelis, Ramis palmarum, &c. benedictis ad alios usus profanos, sed decentes, puta ad habendum lumen pro studio, ad miscendum vinum pro potu, ad accendendum ignem, &c. quia eorum benedictio non est introducta ab Ecclesia cum tanto rigore ad solum usum sacrum; uti certum de cibis benedictis in die Paschatis, &c. Non sic de Cera Agnus Dei, quæ Oleo Sacro, & Chrismate consecratur; ideoque excommunicatur, qui eam inauret, aut alio colore depingat: v. Croix l. 6. p. 1. a n. 222.

Quoad vasa sacra, hæc sunt, quæ consecratione, vel benedictione destinata sunt ad usum sacrum, ut Calix consecratus, Palla benedicta, &c. Sacrilegium ergo esset, si uteris Calice in communi mensa, vel Palla, ut communi linteolo, aut sacra veste ad profanam repræsentationem &c.; addit tamen Tamb. non esse sacrilegium, si absque contemptu utaris candelabris Ecclesiæ, aliisque rebus non consecratis, vel benedictis, &c.

Quoad Imagines, & Reliquias Sanctorum, quamvis earum cultus pertineat tantum ad Duliam; tamen, si irreverentia eis fiat, puta si eas fureris, sacrilegium est, quia earum injuria in Deum cedit. v. Pal. hic §. 1. n. 6.

Quoad Scripturas Sacras, quæ ipsum Deum loquentem, tanquam imagines, repræsentant, earum profanatio, & abusus, seu corruptela certe sacrilegium gravissimum est : Suar. cum aliis communiter, addens c. 6. n. 57. præter sacrilegium committi etiam blasphemiam, si talis abusus veritati illorum verborum derogaret; Concionatores autem ea interpretantes in sensu opposito communissimæ PP. & Ecclesiæ interpretationi excommunicantur juxta jam dicta q. s.; si autem utaris verbis Scripturæ ad res honestas per jocum, etsi ad facetias absque contemptu, & frequentia, non erit nisi veniale : Tamb. Gob. apud Croix n. 251. Missalia autem, vel Biblia Sacra adhibere ad usus profanos sordidos sacrilegum est; secus, si eorum folia casu, aut vetustate dissoluta convertantur in usus profanos non sordidos : Gob. apud Croix l. cit.

Quoad bona Ecclesiæ, &c. hæc etiam aliquo modo sacrata sunt, & in cultum Dei ordinata, quatenus destinantur sustentationi suorum ministrorum : qui ergo hæc usurpet, vel alienet extra casus permissos, sacrilegus est; secus dic de bonis propriis Beneficiatorum quorum ipsi habent dominium. Retentionem vero decimarum, & legatorum sacrilegium esse, dicunt communiter; sed probabile putat oppositum quoad legata Pal. hic n. 9. utpote nondum facta bona Ecclesiæ.

Quæres secundo, Quid sit specialiter dicendum de sacrilegio locali?

Respondeo, Committi primo per furtum rei etiam non sacræ ab Ecclesia, etiamsi nec sit ejus propria, modo sit ei in custodiam tradita : quod si spolies Ecclesiam rebus sacris cum effractione, excommunicationem incurris cap. *Conquesti*, *de Sent. Excom.* si autem imponas ei tributum, vel exigas, excommunicaris in Bull. Cœn. Secundo per violationem immunitatis Ecclesiasticæ extrahendo inde reum, &c. Tertio per omnem actum peccaminosum, quo Ecclesia polluitur, non vero si non polluatur. Quarto per actus quosdam profanos in ea factos, scilicet illicitum concubitus, spurcities, seditiones, stabulationes equorum, mercaturas, concilia sæcularia, profanas repræsentationes, effractiones, spoliationes, exustiones; item profanationes, etiamsi Papa permitteret, aut juberet, cum adhuc fiat injuria loco cultui Dei dicato : si tamen Ecclesia esset munita instar arcis ad vim inferendam hostibus (secus vero si ad defensionem) liceret eam expugnare, diruere, vel incendere: Steph. apud Croix n. 51.

Quæres tertio, Quid sit specialiter dicendum de Sacrilegio Personali?

Respondeo, Committi, Primo per percussionem Clerici, &c. etiam annuentis: Secundo per ejusdem, etiamsi volentis, tractionem ad forum laicale, vel impositionem, aut exactionem vectigalium : Tertio per luxuriosam violationem habentis Votum Castitatis, vel constituti in Sacris, etsi expresse noluerit eam vovere : violationem vero cujusvis alterius voti, puta dandi eleemosynam, jejunandi, &c. aliqui putant esse sacrilegium; sed Suar. Pal. Tamb. & alii probabiliter negant; quia pecunia, quam vovisti dare, &c. nondum censetur Deo dicata; ideoque peccas tantum contra fidelitatem Deo debitam, non contra rem Sacram, &c. Croix n. 55.; addit Tamb. Sacerdotem Græcum luxuriantem non esse sacrilegum, quia nec voto, nec præcepto Ecclesiæ prohibetur, nisi tantum, ne sit bigamus : contra vero Religiosus peccans contra votum paupertatis, vel obedientiæ est sacrilegus, quia personam suam in his consecravit : Doctores communiter.

Quæres quarto, An circumstantia temporis sacri addat peccato rationem sacrilegii?

Respondeo, Affirmare complures cum Alens. S. Anton. Major. Angel. Caiet. Adrian. Turrect. Sot. Sed communius, & probabilius negant alii cum Sylvest. Suar. Vasq. Bon. &c. quia proprie loquendo non tempus ipsum, sed res in tempore Deo sacratur : si quis ergo peccat in die Festo, vel in Quadragesima, non ideo committit sacrilegium. Addit tamen Lugo, Tamb.

& alii,

& alii, quod, licet non omne mortale commissum v. g. die Veneris Sancto contrahat malitiam sacrilegii, tamen contraheret, si eo die ludicra spectacula, sicut in die bacchanalium exhiberes; item si immediate post Communionem nondum consumptis speciebus ires ad peccandum. v. Lag. *de Pœnit.* d. 16. n. 524.

Quæres quinto, An omne peccatum contra Religionem sit sacrilegium?

Respondeo negative, quia sacrilegium proprie, & stricte acceptum est tantum violatio rei ad cultum Dei dicatæ: hinc distinguitur a perjurio, a tentatione Dei, a magia, a superstitione, a blasphemia, & a quovis alio peccatu, quo Divina Majestas directo in se offenditur; cum sacrilegium non immediate ipsum Deum, sed rem creatam in cultum Dei destinatam violet: hinc e converso Simonia sacrilegium est, quia indigne tractat rem Deo sacratam; agitur tamen separatim de illa ob latam ejus materiam: similiter irreverentia in sacrificio, in oratione non est sacrilegium, quia sacrificium est ipsemet cultus Dei in se, uti etiam oratio, non autem est res tali cultui deserviens. Similiter non quælibet peccata Sacerdotis sunt sacrilegia, sed tantum, quæ contra Castitatem; quia, etsi omnia maxime dedeceant Sacerdotem, tamen hæc generalis indecentia non infert specialem prohibitionem; ideoque non ad speciem sacrilegii transeunt, sed intra propriam speciem graviora manent. v. Pal. hic §. 2. a n. 2.

Quæres sexto, An sacrilegium esse possit etiam in omissione?

Respondeo affirmative; Si enim reverentiam debitam ex præcepto alicui rei sacræ omittas, sacrilegus es; quia violas per omissionem rem sacram, puta si Eucharistiæ te non inclines, cum adoranda proponitur; si eam Sacerdos in Sacrario repositam sine clavibus teneat, ex cap. *Sine, de celebr. Miss.* Si autem non recipias Sacramentum tempore præcepto, probabilius sacrilegium est, quia omittis reverentiam debitam illi; secus dicendum de omittente auditionem Missæ die Festo, quia in Missa non rem sacram, sed Deum ipsum directe veneramur, cum ipsa sit veneratio, & supremus Dei cultus; ideoque ejus omissio est Irreligiositas alterius rationis: Pal. §. 5. n. 3. addens, sacrilegium committi etiam posse, tum per excessum, ut si vestibus non sacratis pro sacratis utaris, illisque venerationem his debitam tribuas; si reliquias defuncti non approbari a Sede Apostolica publice colas, vel privatim sine sufficienti fundamento: tum per defectum, ut in indigna Sacramentorum susceptione, &c. sic enim deficis a cultu debito.

Quæres septimo, Quomodo sacrilegium sit in Confessione aperiendum?

Respondeo, non solum explicandum esse genus, sed etiam species subalternas: v. g. non solum juxta tres species supra distinctas, sed etiam juxta species singulis subalternatas. Sic aliud est sacrilegium commissum vulnerando Clericum, aliud illum ad forum laicale trahendo, aliud ei tributum imponendo. Similiter aliud est sacrilegium, quo Sacramenta violantur, aliud, quo vestes, & vasa Sacra: item aliud, quo violatur locus sacer per extractionem delinquentis, vel mercaturam, vel quo bona Ecclesiæ indebite alienantur, vel usurpantur: teneris ergo hæc omnia declarare: Bon. Pal. §. 3. n. 5. Probabile tamen est, Religiosum Professum Sacerdotem, si peccet contra Castitatem, satis dicere, se peccasse contra votum Castitatis, quia quæcumque ejus obligatio eandem virtutem Religionis æque respicit: Sanch. Suar. Tamb. & alii contra Fagun. & alios. Si autem habens votum Castitatis sit causa, cur alii luxuriose peccent, non est sacrilegus, quia votum obligat tantum, ne ipse luxuriam in se admittat; Sanch. l. 5. Dec. c. 6. n. 10.

Denique pœnæ sacrilegio impositæ sunt tantum in effractione Templi, in percussione Clerici, in violatione immunitatis Ecclesiasticæ.

QUÆSTIO III.

De Secundo Præcepto Decalogi.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

PROHIBETUR hoc præcepto quævis Irreligiositas circa SS. Dei Nomen, sive illud vane usurpando, sive blasphemando, sive temere jurando, aut vovendo.

CAPUT I.

De vana Divini Nominis usurpatione.

IN vanum assumitur Divinum Nomen, cum frustra, & absque rationabili causa usurpatur. Hoc peccatum ordinarie est tantum veniale, præcisó contemptu, contumelia, scandalo, &c. Doctores communiter. Hinc I. Si ex indignatione contra homines, jumenta, &c. dicas, *Corpo di Dio con voi! O Fede di Dio con tal'uomo! O Piaghe di Gesù Cristo! Sangue di Dio, che fui? &c.* peccas tantum venialiter, quia tota indignatio est contra homines, aliasve creaturas, ut supponimus, & nomine Dei præsumerie intelligere Christum Dominum, qui Corpus, & Sanguinem habet: ergo non es blasphemus, seu contumeliosus in Deum: ergo peccas tantum peccato Irreligiositatis contra hoc præceptum, quod est tantum veniale, a quo tamen recte absterreri debent Fideles, ut bene monet Laym. Cæterum si ea verba proferantur ex indignatione in Deum, vel Sanctos, est blasphemia; quia in actu exercito significaretur, Deum, vel Sanctos indignationem nostram mereri; & certe summa esset blasphemia in Deum irasci, juxta dicenda c. 2. v. Tamb. Pal. Sanch. l. 2. Dec. c. 32. n. 30. Laym. l. 4. t. 10. c. 6. n. 8.

II. Si nihil affirmans, neque negans, proferes per modum v. g. admirantis verba juratoria: *Per Dio, che freddo è questo! &c.* peccas, cum temere assumas Dei nomen; sed tantum venialiter, quia non assumis in testem alicujus dicti, & sine animo jurandi, ut supponitur; Carden. apud Croix hic n. 281.

III. Si jures, sed sine judicio, hoc est sine necessitate, regulariter peccas tantum venialiter, quia usurpas Dei nomen in vanum, & superflue, juxta dicenda c. 3. quod tamen non censetur gravis irreverentia: Sanch. & alii communiter.

CAPUT II.

De Blasphemia.

VIDENDUM I. Quid sit Blasphemia? II. Quæ sint verba blasphema? III. Reliqua de Blasphemia.

§. I.

Quid sit Blasphemia.

BLASPHEMIA est *Verbum contumeliosum in Deum prolatum*; Doctores communiter ex D. Th. & D. August. l. 2. *de Mor. Manich. c.* 11. Explico definitionem:

I. Dicitur *Verbum*; quia blasphemia proprie opponitur laudi Deo debitæ: ergo sicuti hæc, ita illa continetur in solis verbis: & consequenter blasphemia non potest consistere præcise in factis, vel signis, absque ullis verbis, mente, ore, aut scripto prolatis. Hinc infertur, non esse proprie blasphemum, si quis, ne mente quidem proferens verba contumeliosa in Deum, conculcet Sacram Imaginem, exputat in Cœlum, frendeat dentibus in Deum, &c. quia non est contra Dei laudem, sed honorem, qui exhiberi potest quibuscumque signis, aut factis; quare est gravissimum quidem peccatum Irreligiositatis, non tamen in specie blasphemiæ, sed in alia specie contra honorem Deo debitum: Sanch. l. 2. Dec. c. 32. n. 3. Pal. Suar. & alii contra Cordub.

II. Dicitur *Contumeliosum*, id est continens irreverentiam, convicium, maledictionem, aut irrisionem: sive verbum illud sit per se tale, sive ex modo proferendi deroget divinæ laudi; ut si proferas quidem aliquod verum, sed per modum indignantis, contemnentis, irridentis Deum, aut quovis alio modo, qui in ejus vilipensionem cedat; v. g. illud Juliani Apostatæ *Vicisti Galilæe, vicisti*; vel inhonesta pudendorum Christi, aut Sanctorum nominatio, &c. Hinc Suar. tom. 1. *de Relig.* tr. 3. l. 1. c. 4. n. 9. Azor. & alii contra Cajet. Tol. Sanch. & alios dicunt, de ratione blasphemiæ non esse falsitatem, cum satis sit etiam verbum contumeliose in Deum prolatum, nisi vero tunc in actu exercito tractetur Deus, ut contemptibilis: v. Pal. §. 1. n. 2 qui a n. 3. addit, ad blasphemiam non requiri essentialiter expressam voluntatem inhonorandi Deum, sed sufficere, si in actu exercito inhonoretur: ut si ex ira proferas verba contumeliosa in Deum absque expressa voluntate inhonorandi illum, sed potius satisfaciendi furori tuo.

III. Dicitur *In Deum*, in quem scilicet injuria illa redun-

redundet. Hinc etiam verba contumeliosa in Sanctos, in res, diesve sacros, sont blasphemiæ: Doctores communissime ex D. Th. & ex cap. 2. *de Maledictis*. Nec opus est, inquit Sanch. n. 37. ex D. Th. expressa habitudine in Deum, qui in Sanctis relucet; cum satis sit virtualis, & implicite contenta in vituperio Sanctorum: quare, ut Deus in Sanctis suis laudatur, quatenus laudantur opera, quæ in illis facit, ita contumelia in Sanctos redundat in Deum, etiamsi non dicatur expresse *Sanctus Dei*. Addit tamen idem Sanch. Pal. & alii, quod si dehonoretur Sanctus, non expresse, ut aliquid est Dei, sed ut habens aliquam excellentiam, ob quam dignus est cultu proprio Duliæ, gravissimum quidem peccatum est, sed non proprie blasphemiæ oppositæ Religioni in Deum, nisi indirecte tantum; cum proprie opponatur cultui Duliæ. Addit demum n. 42. qui joco dicit v. g. *S. Crispinum fuisse sutorem; SS. Jo: & Paulum eunuchos*, non esse blasphemum; quia carpit qua homines, non qua Sanctos, itaut Sanctitas se habeat tunc per accidens; erit ergo tantum veniale.

Convicia autem, maledicta, &c. quæ contorquentur in alias creaturas, puta in hominem, jumentum, elementa, &c. si addatur *Dei*, ut *Mannaggia il fuoco di Dio*, certe blasphema sunt, quia injuria redundat in Deum; secus vero, si sine tali addito etiam mente concepto; tunc enim proprie dicuntur imprecationes, cum sic non Deo, sed creaturis sis injuriosus per imprecationem mali: qui ergo maledicit Patri, impius quidem erit contra reverentiam ei debitam ex quarto Præcepto, & aliquando etiam contra Charitatem, si ex animo ei malum illud desideret; at non est Irreligiosus contra hoc præceptum: similiter si imprecetur malum ventis, tempestati, &c. si non addat, ne mente quidem, *Dei*, injurius non Deo, sed ipsis creaturis erit: similiter si dicat *Mannaggia li muorti tuoi*: & animo non intendat Animas sanctas Purgatorii, similiter si dicat, *Mannaggia la Fede toja*: itaut animo non intendat Fidem divinam; nam verba significant tantum fidem humanam, qua scilicet ille est fide dignus.

IV. Dicitur *Prolatum*, non ore tantum, sed vel scripto, vel saltem mente, seu corde interius conceptum, sicut etiam laus Deo exhibetur mente, ore, aut scripto: Sanch. num. 4. ex D. Th. cum communi. Hinc in dubio, an verba prolata exterius sint blasphema, attendendus est animus proferentis, an voluerit sic Deum inhonorare: similiter in factis, aut signis, juxta jam dicta; tunc enim si minus exterius, interius saltem erit blasphemus: imo erit quandoque talis, etsi verba oppositum significent v. g. *Benaggia Dio!* prolatum cum indignatione in Deum, &c.

Quæres primo, Quale peccatum sit blasphemia?

Respondeo, Esse mortale ex toto genere, itaut nunquam excusetur e mortali ratione parvitatis materiæ; sed ex solo plenæ deliberationis defectu; quia qualiscunque contumelia in Deum, vel Sanctos gravissima censetur injuria: Doctores communiter ex D. Th. & Sanch. num. 40. At si verba blasphemiæ ex levitate animi joco proferantur, Suar. & alii putant, non esse mortale, sed tantum veniale levitatis, non blasphemiæ, ad quam requiritur, ut proferatur per modum convicii, aut maledictionis in Deum; sed Sanch. n. 41. Pal. & alii merito dicunt, difficile esse absque gravi irreverentia assumere verba blasphema ad jocum; Solum ergo excusari potest blasphemia a mortali, ratione indeliberationis, subitæ iræ, &c. idque, etiamsi adsit prava consuetudo absque conatu emendationis, ut addit Sanch. num. 43. contra Tol. Lop. & Sa; quia eo tempore, quo is blasphemat, non potest vitare consuetudinem; peccavit ergo olim eam non auferendo, at non nunc, nisi forte venialiter, ut notat infra c. 5. n. 28. de habente consuetudinem jurandi.

Contra vero imprecatio in creaturas regulariter est tantum venialis, modo nullatenus redundet in Deum. Hinc maledicens diabolum raro peccat mortaliter, & abstrahendo ab impatientia, ne venialiter quidem, ait Tamb. n. 11. Imprecans homini malum, v. g. *Possi crepare, &c.* peccat venialiter, nisi vero deliberate ei malum illud desideret, quod non præsumitur, si filiis, amicis, vicinis, &c. imprecaris: sed tantum si inimicis, &c. Tamb. ex Escob. Maledicens diem, horam, tempus, locum, ventos, ignem, pluviam, &c. si quatenus Deus illis utitur ut mediis ad nos puniendos, vel periculum sit, ne indignatio sic in Deum, mortalis blasphemia est; secus, si neutrum ex his adsit: quod si in parentes, v. g. *Maledetta l'ora, che mi han generato*, erit contra pietatem, & grave quidem, si desideratur eis malum grave, aut notabiliter pietas lædatur: Tamb. a num. 10. Imprecari autem ubi ex ira dæmonem, Baldel. apud Bos. putat veniale; sed Molina non excusat a mortali propter fœditatem, horrorem, & perversitatem: grave autem est, si subditi superioribus, filii parentibus sic maledicant, præsertim in faciem: quia est grave contra reverentiam: Baldel. v. infra *de Charitate proximi*. Ex dictis infers, blasphemiam non esse sacrilegium, quia illa respicit immediate Deum, ut materiam, & objectum: hoc vero rem cultui divino dicatam, adeoque non offendit Deum in se, sed in rebus ipsi dicatis: Pal. p. 3. §. 1. n. 2.

Quæres secundo, quotuplex sit blasphemia?

Respondeo, Aliam esse in Deum, aliam in Sanctos, aut res sacras, aliasve creaturas, ex quibus injuria redundet in Deum, juxta jam dicta. Rursus alia est hæreticalis, alia ex simplex: hæreticalis, quæ hæresim sonat, v. g. *Deus est injustus:* simplex autem potest esse quadruplex, vel scilicet enunciativa, ut *Ad Injuriam Dei volo hoc facere:* vel detestativa, ut *Maledictus sit Deus*, aut *talis Sanctus:* vel irrisoria, ut *Vah, qui destruis Templum Dei*, aut si irrisorie nominentur pudenda Christi: vel demum juratoria, ut *Pereat Deus, si ita non est*. Denique committitur blasphemia, vel aliquid demendo a Deo, Sanctisve, vel aliquid iisdem addendo omnino indebitum, vel aliquid eorum proprium aliis tribuendo: Doctores communiter.

Quæres tertio, An blasphemiæ omnes sint ejusdem speciei moralis?

Respondeo, Quamvis probabilius sit cum Suar. Sanch. num. 39. blasphemias in Deum, in B. V. & in Sanctos differre specie, utpote oppositas cultui Latriæ, Hyperduliæ, & Duliæ: tamen probabile etiam est ex Azor. apud Dian. Tamb. & aliis non differre, quia tota malitia blasphemiæ consistit in diminutione Divini honoris, & regulariter sunt homines blasphemi in Sanctos, non ob præcisam, & propriam eorum excellentiam, sed quia ad Deum referuntur, & consequenter ab uno, eodemque Deo omnes blasphemiæ specificantur; quod autem his, vel illis verbis contumeliosis contingant, materiale est, & ad rationem formalem blaspemiæ per accidens: similiter juramenta per Deum, per Sanctos, &c. ejusdem sunt speciei. Hinc spectata solum malitia blasphemiæ, probabile est, in Confessione satis esse dicere, *Toties blasphemavi*, si blasphemia proferatur enunciative, sive optative, sive imperative, sive per modum maledictionis, sive contumeliæ, sive irrisionis, sive detractionis, sive in Deum, sive in Sanctos; universæ enim sunt ejusdem speciei: Sanch. num. 38. Excipe primo, si blasphemia sit hæreticalis, quia si proferatur cum errore Intellectus, adest etiam peccatum infidelitatis; si absque tali errore, ut communiter contingit, adest semper peccatum contra externam confessionem Fidei. Excipe secundo, si alicubi reservatæ sint aliquæ tantum blasphemiæ, puta blasphemia in Deum, & B. V. coram pluribus supra quatuor ex consuetudine, ut hic Neapoli; ubi id omnino aperiendum, ut possis ab habente facultatem absolvi.

§. II.

Quæ sint verba blasphema.

EA verba per se blasphemiam continent, quæ vel aliquid Deo, Sanctisve demunt, vel aliquid eis addunt indebitum, vel aliquid eorum proprium tribuunt aliis. Ut autem hæc clarius pateant, expendimus hic modos, quibus communiter homines iniqui Deum, & Sanctos blasphemare solent, & in quibus est aliqua difficultas. Itaque

I. Certum est, Blasphemiam hæreticalem esse vocare *Deum injustum, crudelem, invidum, mendacem*, &c. quia contra Fidem tribuitur Deo, quod ab illo alienum est: item si neges, Deum esse *providum, justum, D. Petrum esse Sanctum*, &c. quia etiam contra Fidem demis: item, si dicas *Sanctum dæmonem*, &c. quia contra Fidem, quod Dei, & Sanctorum est proprium, tribuis aliis. In Sicilia tamen propter nimium usum non censetur hæreticalis: Tamb. Potest. & alii. Similiter hæreticalis est, si puellæ amasiæ tribuas nomen *Deitatis, Idoli adorati;* &c. Pal. Tamb. ex Sanch. num. 34. addit tamen Tamb. quod si, non ex animo significandi, quod verba sonant, sed per hyperbolen sic quis loquatur, perperam quidem, non tamen erit mortale blasphemiæ, ita ex Lorc. Dian. &c. Ex quibus fit, blasphemiam hæreticalem esse, *Rinego Dio, Christo, la Croce, i Sagramenti, il Crisma, gli Evangelj*, &c.

quia

quia denegas Deo existentiam, veritatem, &c. idemque est, si juras per falsos Deos, aut per creaturas sistendo in ipsis, quia infallibilem veritatem Deo propriam aliis tribuis: Doctores communiter. Si autem dicas, *Rinego S. Pietro*, certum quidem est, esse blasphemiam; sed Sanch. n. 36. docet, non esse hæreticalem, quia non negatur de Sanctis aliqua veritas pertinens ad Fidem, ideoque Inquisitores de illa non cognoscunt; sed contradicit probabilius Pal. §. 3. n. 5. quia denegans Sanctum existere, negat esse beatum, quod est negare quandam Fidei veritatem, & Ecclesiæ propositionem esse infallibilem: quod autem Inquisitores de hoc non cognoscunt, oritur; quia forte illis exploratum non est, esse hæreticalem.

II. Blasphemiæ non hæreticales sunt, vel quando aliquod malum Deo, Sanctisve imprecatur, vel quando indecore aliquod ipsorum nominatur. Ex primo capite blasphemiæ sunt: *Tædeat Deum*, *Deum pœniteat*, *sit maledictus*: item *A dispetto di Dio*, *voglia*, *o non voglia*, *&c.* Doctores communissime contra Angel. Felin. & Bald. qui autem dicat, *Voglio ciò fare*, *benchè sia peccato*, *offesa di Dio*, *&c.* peccat quidem graviter, non tamen blasphemat, nisi in Dei contumeliam expresse id faciat, quia nihil addit, vel auferr a Deo: Bonac. Tamb. n. 16. item jurare *Per vita di Dio*, *Per vita di S. Pietro*, *&c.* Suar. Sanch. Bonac. & alii docent, esse juramentum blasphemum, quia Dei vitam tum defectioni, tum ultioni exponis; non tamen caret probabilitate non esse blasphemiam, quia probabile est non esse juramenta execratoria, sed asserturia simpliciter; sicut si diceres, *Vivit Deus*, *Vivit D. Petrus*, quos adducis in Testes: nonne idem est jurare per Deum, ac per vitam Dei? inquit Tamb. ex altero capite blasphemiæ sunt, si per modum irrisionis, convicii, &c. Deum voces sapientem, justum, providentem, &c. Sanch. n. 21. & 22. item si jures pee pudenda Christi, Sanctorum: jurare autem pee Christi *Caput*, *Corpus*, *Sanguinem*, tunc est blasphemia, cum pee modum contemptus proferuntur: idemque est, si jures *per intemeratam Virginem*, quia non est execratorium, nec significantur pudenda Virginis, sed solum adducitur in testem Virginitas: Sanch. n. 32. & alii contra Covar. Sot. & alios.

III. In dubio, an aliqua verba sint blasphema, accipienda sunt, ut non blasphema, quia delictum non præsumitur: quare, præscindendo ab intentione loquentis, qui potest etiam in alis verbis, vel factis esse blasphemus, nondum habetur blasphemia externa: Lazar. Bon. Tamb. n, 19. & alii.

Hinc dubium est I. An sint blasphema verba blasphemiæ dicta non absolute, sed conditionate, v. g. hæc, *Rinego Dio*, *se la cosa non va così*. *Sia ingiusto Dio*, *se non ti batterò*, *&c.* Sanch. n. 24. Less. Covar. Pal. & alii communius docent esse blasphemiam, & quidem hæreticalem, quia negare, Deum existere, etiam sub conditione, &c. est negare, quod Dei est proprium, scilicet existentiam a quovis creato independentem: sed Tamb. n. 22. negat, quia communis sensus illorum verborum est, per similitudinem, non per æquiparantiam: sicut communiter cum Bon. & aliis contra Suar. non sunt blasphema hæc: *Questo è vero*, *com' è vero Dio*, *come l' Evangelio*, *&c.* quia communitee non æquiparatue veritas creata cum increata, sed solum indicatue similitudo quædam mixta aliqua hyperbole.

Dubium est II. an blasphemet, qui, ne blasphemet, dimidiat, vel parum immutat verba? Respondeo, si ita dimidiat, ut loco nominis sacri, usurpetur vox non significativa, vel aliud significans, non blasphemare; quia sic ira tantum, vel admiratio significatur: Tann. Gob. Tamb. v.g. *A dispetto di Di . . . Rinego Di . . . Santo Di . . . Santo diantana*, quia ex modo proferendi videris, potius te velle cohibere a blasphemia: Tamb. contra Bon. Mediol. negantes, quia *Di* significat *Deum*. Si autem usurpetur quidem nomen Sanctum, sed eum addito distrahente: v. g. *A dispetto di Dio Bacco*, *Mannaggio quel Santo*, *o S. Pietro*, *se l' aggio fatto io*, *&c.* esse blasphemias, tenet Auctor. cas. consc. Bonon. apud Dian. p. 6. t. 8. r. 38. quia prioribus verbis est jam completus sensus blasphemus, & ea proferens ostendit affectum blasphemandi; sed negat Dian. cum aliis, quia isti quæsiti respondere solent, id sic proferre, ut se cohibeant a blasphemia; verba autem nondum perfecte prolata non habent perfectum sensum, & juxta regulam datam, quando possunt accipi pro blasphemia, & non blasphemia, accipi recte possunt pro non blasphemia. Hæc verba, *Potta di Dio*, apud Bordon. sunt blasphemia hæreticalis, quia non convenit Deo hoc membrum; sed probabile est, non esse blasphemiam, quia per syncopen significat *Podestà*, ideoque significat interjectionem admirationis, ex diction. Ital. Franc. Denique hæc: *A dispetto di quel Becco*, *che mi mantiene al mondo*: Tamb. ait, non esse blasphemiam, quia significare possunt etiam hominem præbentem alimenta; ideoque præciso animo conviciandi Deum, & scandalo aliorum non esse mortale.

Dubium est III. An omne juramentum falsum, vel injustum sit blasphemum. Affirmat Pal. §. 3. n. 9. quia facit Deum testem, & assecuratorem falsi, vel injusti; idem enim dicit, ac si diceret, *Confirmet Deus suo testimonio falsum*, *vel injustum*. Sed communiter negant cum D. Th. Sanch. n. 33. quia non existimat, Deum posse esse testem falsitatis, vel assecuratorem injustitiæ; imo speeat, Deum non esse testificaturum super illa re per aliquod evidens signum, eum sic pateret sua falsitas. Si autem quis dicat, *Volo me ad Dei gloriam inebriare*: Suar. apud Croix n. 153. dicit, esse blasphemiam, quia vel significat, Deo placere peccatum, vel quasi minatue Deo, se id facturum, vel ironice vult, id intelligi; singula autem continent blasphemiam. Si vero dicas, *Stultus es*, *quamvis Patrem haberes Deum*: Spor. apud Croix n. 154. excusat a blasphemia, quia sensus est, vel quod Deus possit creare stultos, vel quod sit stultus, etiamsi haberet Patrem, qui esset sapientissimus.

§. III.

Reliqua resolvuntur de Blasphemia.

QUÆRES primo, An peccet, qui ebrium, vel stultum, vel puerum usu rationis carentem inducie ad blasphemandum?

Respondeo, negare Gob. Quint. t. 5. c. 9. & 19. n. 48. quia illa locutio non retinet objectivam malitiam, si proferatue sine usu rationis: sed Croix eum aliis dicit, Gob. non esse hic audiendum, quia blasphemia est intrinsece mala, utpote inhonoratio Dei: ergo imputatue illi, qui libere ad eam inducit; ut si non recordantem diei Veneris inducas ad comedendas carnes, etsi enim illa locutio non retineat objectivam malitiam respectu proferentis, tamen retinet respectu inducentis, qui tanquam causa principalis censetur illam moraliter proferre pee afterum, tanquam Instromentum, non aliter ac si pee Psittacum proferret. Secus vero dicendum, si inducas animalia ad coitum, Turcam ad comedendas carnes die Veneris, ad laborandum die festo; quia nec sunt intrinsece mala, nec his sunt prohibita, adeoque nec peccata materialia: ergo tibi non imputantur, ut peccata formaliter. v. Sanch. l. 1. Decal. c. 16. n. 43.

Quæres secundo, Quid sit dicendum de habentibus consuetudinem blasphemandi?

Respondeo, Certe teneri sub gravi amovere a se hanc pravam consuetudinem, esto blasphemias ob eam indeliberate pronuncient; quia, etsi hæ mortali culpa vacent, utpote in se involuntariæ, juxta jam dicta; tamen ut actus in se, & materialiter sunt Deo injuriosæ, & aliis scandalosæ: ergo tenetur sic assuetus diligentiam facere eas vitandi: alitee, ut effectus inordinati, erunt illi voluntariæ in causa: Less. Pal. & alii communiter. An autem sic ex consuetudine blasphemanti neganda sit absolutio? Dico cum Sanch. n. 45. Pal. & aliis, posse absolvi, si vere pœniteat, etsi aliis vicibus monitus, amendatus non fuerit: relinquitur tamen Confessarii prudentis arbitrio non absolvere, si scilicet prævideat, id vergere in bonum Pœnitentis. Pœnitentia autem, etiamsi Later. sub Leon. X. *sess.* 9. debeat esse gravissima, & exequenda, antequam absolvatur, tamen id non est receptum: Pal. & alii.

Quæres tertio, Quænam sint pœnæ statutæ contra blasphemos?

Respondeo, Jure civili antiquo fuisse pœnam mortis, ex *Authent. Ut non* §. *Præterea Collat.* 6. sed hæc pœna non habet locum, nisi in blasphemante ex consuetudine, quam non inducunt duo, vel tres actus, sed plures; imo hæc pœna consuetudine abrogata est, Menoch. Farinac. Jure autem Canonico variæ pœnæ imposite sunt tam pro Laicis, quam pro Clericis, sed nec sunt usu receptæ: ita Suar. quare spectanda sunt Jura specialia Regionum, &c. & consuetudines. Itaque primo, Si blasphemia sit hæreticalis, denunciandus est reus Inquisitoribus, vel Episcopo, tanquam suspectus de hæresi; dummodo prudenter præsumatue peccasse, & non ex subita ira, & indignatione plenam deliberationem præveniente: Secundo, Si ex prava consuetudine blasphemet Deum, vel B. V. coram pluribus supra quatuor, incurrit casum reservatum in hac Diœcesi Neapol. modo actualiter peccet graviter per actum illum blasphe-

miæ: addo ex Sanch. l. 2. Dec. c. 5. pravam hanc consuetudinem cessare moraliter, si vere pœniteat; quia tunc perseverat tantum habitus naturaliter, & inculpate; ideoque non amplius dicetur blasphemare ex consuetudine, nisi pluries iterum blasphemaverit.

Quæres quarto, Quænam sit obligatio audientis blasphemantem?

Respondeo esse duplicem, Primo, Corrigendi blasphemum: Secundo, Denunciandi eum Judici: Quoad primam, Later. sub Leon. X. *sess. 6.* obligat, *Acriter verbis objurgandum, si citra periculum suum possit*; adeoque plusquam fraterne, & licet non speretur emendatio; sed consuetudine non est receptum, nisi honor divinus periclitetur ob blasphemiarum repetitionem; sic enim tenemur non tantum ex præcepto Charitatis, sed Religionis: Sanch. n. 9. Pal. & alii. Quoad secundam, Idem Later. & Jul. III. *In multis* mandant, intra triduum denunciare, & quidem blasphemias hæreticales Inquisitoribus, reliquas Episcopo; probabile tamen est, præmittendam fraternam correctionem, si speretur emendatio: Sanch. Pal. Bon. & alii.

CAPUT III.

De Juramento.

VIDENDUM I. Quid, & Quotuplex sit Juramentum. II. Specialia de Juramento Assertorio. III. Specialia de Juramento Promissorio. IV. Specialia de Juramento Execratorio, & de Adjuratione.

§. I.

Quid, & Quotuplex sit Juramentum.

JURAMENTUM est, *Invocatio Divini Numinis in Testem.*

I. Dicitur *Invocatio*: si ergo jures, nihil invocando, non est juramentum; quare hoc verbum *Juro* præcisum ab aliis circumstantiis, cum abstrahat ab omni invocatione, juramentum non est; at si proferatur in circumstantiis, in quibus intelligitur per tale verbum invocari tacite Deum, est juramentum; idemque est, si interrogatus, ut jures, dicas *Volo*, vel annuas oculis, &c. Cæterum hæc invocatio fieri potest vel mente, vel verbo, vel facto, vel utroque; unde dividitur juramentum accidentaliter in mentale, reale, verbale, & mixtum: mentale, si animo tantum aliquid affirmes, vel spondeas, invocando, &c. verbale, si verbo, vel scripto: reale, si actione aliqua, puta erectione manus, contactu Evangeliorum, Crucis, sceptri, pectoris, &c. mixtum, si verbis simul, & actione aliqua corporali, unde etiam vocatur corporale.

II. Dicitur *Divini Numinis*: si enim jures per creaturas, distinguendum est; si enim creatura illa aliquam habet insignem dignitatem a Deo, qua excitatur in nobis peculiaris quædam Dei memoria, habetur rigorosum juramentum, ut si jures *Per Evangelium, per Crucem, per Sacramenta, per aliquem Sanctam, per Cælum, per Templum, per habitum D. Petri, per Ordines Sacros, &c.* juras enim per res, in quibus Deus, ejusque Sanctitas nitet, & ad quam nos etiam excitant, adeoque invocas Deum. Si vero in re illa creata hoc non habetur, tunc subdistinguendum; si enim addas in obliquo *Dei*, v. g. *Per hunc ignem Dei*, est etiam rigorosum juramentum; cum ipsa explicita Dei nominatio ipsummet invocari probet: si vero non addas in obliquo *Dei*, neque etiam ex circumstantiis intelligatur addi, tunc in foro Conscientiæ attendenda est tua intentio, an vere volueris jurare; hac præcisa, valde dubitatur apud Tamb. an sit juramentum dicere, *Per vitam tuam; per animam tuam, vel Patris; per Fidem tuam, per Conscientiam; da Cristiano, da Sacerdote, da Religioso, da Cavaliero, in fede di Cristiano, di Sacerdote, &c.* præcisis, ut dixi, intentione, & circumstantiis, quibus Dei invocatio continetur: & quidem his verbis, *In fede mia, in verità, in coscienza*, tantum denotatur fides humana: Sanch. & alii communiter. Denique si jures per *Jovem*, aut alios falsos deos, non est verum juramentum, quia solus Deus veris est dignus, qui dictum infallibiliter firmet: hinc si Gentilis jurat per Jovem, putans esse verum Deum, obligatur quidem ratione conscientiæ erroneæ, itaut perjurus sit, & graviter peccet, si illud violet; at si deinde suum errorem noverit, non amplius eo tenebitur, sed tantum ex fidelitate stare promissis: Fidelis autem sic jurans, etsi ex fidelitate etiam teneatur stare promissis, at gravissime peccat peccato blasphemiæ, juxta jam dicta, nisi vero joco, & absque animo jurandi, & scandalo sic jures; tunc enim est tantum venialis illusoria locutio: Suar. Pal. Tamb. & alii communiter.

III. Dicitur *In testem*: si enim invoces Deum, nihil affirmans, aut spondens, &c. non est juramentum: v. g. *Testor Deum, quam nunc est frigidum!* Etsi peccas venialiter, temere assumendo Dei nomen in vanum, juxta jam dicta c. 1. Croix a n. 281. Similiter inquit Tamb. de his formulis: *Hoc, quod dico, est Evangelium; Coram Deo ita est; Deus scit, quod non mentior; Deus videt, ita esse; Tot Angeli me associent, quot nummos habeo, &c.* quia solum enuncias, tuum dictum esse verum, sicut Evangelium per similitudinem, non per æqualitatem; item rem esse coram Deo, Angelos te esse associaturos, &c. non autem invocas Deum in testem. Idem demum dicit de Castill. de his verbis: *Sim nequam, sim fur, si res ita non est*; v. Croix n. 258. Si autem dicas, *Dio mi ajuti, Dio mi punisca, Dio ti guardi S. Anna, &c.* est juramentum, quia habetur Dei invocatio, ut testis, & ut vindicis; addit tamen Pal. p. 1. hæc juramentum esse, si invocationem, seu execrationem contineant; regulariter tamen solum enunciative proferri.

Quæres primo, Quid sit dicendum de eo, qui jurat absque animo jurandi?

Respondeo, Hunc revera non jurare: sicut, qui vovet absque animo vovendi, non vovet; qui orat absque animo orandi, non orat: Doctores communiter cum D. Th. At peccat, ex quacumque causa id faciat, ut constat ex prop. 25. damnata ab Inn. XI. *Cum causa licitum est jurare absque animo jurandi.* Et ratio damnationis est, quia nunquam excusari potest saltem a mendacio; dicis enim *Juro*, nolens jurare; quod mendacium in re præsenti sacrilegum est, utpote violatio juramenti, quod est res sacra. An autem sit mortale? distinguendum est: si enim jures falsum absque animo jurandi, certe mortale est, quia invocatione externa inducis Deum in testem falsitatis, quod est grave vilipendium Divini Nominis; Doctores communissime: si vero sine animo jurandi inducas Deum in testem veri, Cajet. Armill. Covar. & alii putant, esse etiam mortale, quia illudis testimonio Dei; sed Suar. Sanch. Less. Pal. & alii probabilius dicunt esse tantum veniale (nisi forte fiat in contractu, aut coram Judice legitimo, aut in simili circumstantia, in qua sit gravis obligatio serio jurandi) quia non videtur graviter illudi divino testimonio, uti nec qui fingit orare: v. Croix n. 277.

Quæres secundo, Quænam sint conditiones, seu comites juramenti?

Respondeo, esse tres: veritatem, justitiam, & judicium, ex illo Jerem. 4. 2. *Jurabis in justitia, in judicio, & in veritate.* Veritas consistit in hoc, quod jurans bona fide putet, verum esse, quod jurejurando affirmat: etsi ergo res in se ita non sit, tu tamen bona fide putes, ita esse, juramento non deest tua veritas, neque adeo peccas ex hoc capite: secus vero, si dubites, vel non certo moraliter putes, ita esse, vel jures, te scire de visu, cum scias tantum ex auditu, &c. Atque hæc conditio est essentialis juramento, itaut ejus defectus sit mortalis constituens perjurium. Idque etiamsi invoces Deum in testem mendacii levissimi, ut constat ex prop. 24. damnata ab Inn. XI. *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* Et ratio damnationis est, quia gravissima irreverentia Deo irrogatur, si adducatur in testem falsi, cum tacite protestaris, Deum posse fallere, aut falli.

Justitia hic consistit in hoc, ut, quod juratur, sit res licita, & honesta. Si ergo jures, te facturum rem mortaliter malam, graviter peccas ob gravem irreverentiam in Divinam Auctoritatem, qua vis ad peccatum illud quasi te obligare: dico *quasi*; quia certe non obligaris, cum juramentum non sit vinculum iniquitatis: Doctores communiter. Si vero jures, te facturum rem venialiter malam, aut vanam, inutilem, frivolam, venialiter peccas; cum levis censeatur talis irreverentia: idemque est, si jures, aliquid facere contra consilia Evangelica, puta, te non ingressurum Religionem, non daturum eleemosynam, mutuum, &c. Suar. Less. Sanch. Bon. & alii. Contra vero servatur in juramento justitia, etsi illud non sit de meliori bono, puta si jures, te ducturum Bertam, donaturum Titio centum, &c. etsi sic impediaris a cœlibatu, eleemosyna, &c. in quo juramentum differt a voto, ut dicemus c. 4.

Judicium demum consistit in hoc, ut cum necessitate, ac Divini Nominis veneratione juretur. Hujus autem conditionis defectus tantum est venialis; nam posita veritate, & justitia non censetur irrogari Deo gravis injuria,

ria, si absque necessitate, sive ex levitate quadam animi, sive ex consuetudine juretur; modo absit periculum vel falso, vel injuste quandoque jurandi: Sanch. l. 3. Dec. c. 6. n. 22.

Quæres tertio, An peccet, qui jurat habens consuetudinem jurandi?

Respondeo, Si habet consuetudinem jurandi cum veritate, & justitia, quamvis eam nunquam retractaverit, non peccat nisi veoialiter; quia singula ejusmodi juramenta sunt tantum venialia, & consuetudo non aggravat mortaliter, licet postea semper advertenter juret: Pal. p. 9. Si autem habet consuetudinem jurandi falso, vel indiscriminatim verum, & falsum, quam consuetudinem non retractavit; tunc, si relabitur advertenter, certe peccat graviter toties quoties: at si relabitur inadvertenter, tunc si relabitur non ex ipsa consuetudine, sed ex passione, vel subito motu, ac si ea consuetudo non adfuisset, certe non est peccatum mortale, neque in se, neque in causa; si vero relabitur inadvertenter ex ipsa consuetudine non retractata, non erit quidem peccatum mortale in se, erit tamen in causa, seu in voluntate, quam jurans habet non removendi consuetudinem: Sanch. l.3.c.5. a n.28.putatque Suar. utile fore, talem non absolvi, si admonitus non emendet consuetudinem: Sanch. vero l. 2. c. 32. n. 45. putat, posse absolvi, quia est dispositus; præsertim quia peccatum non pendet ex occasione externa, quæ amoveri debeat, sed tantum ex intrinseca fragilitate relabentis; retractatur autem consuetudo per dolurem, quia sic non manet moraliter, sed tantum naturaliter, ut natura: v. Sanch. Croix a n. 271.

Quæres quarto, Quotuplex sit juramentum?

Respondeo, Dividi primo, & principaliter in *Assertorium*, quo aliquid præsens, vel præteritum affirmatur, vel negatur: & in *Promissorium*, quo aliquid futurum promittitur. Utrumque etiam potest esse, vel *Simplex*, quod dicitur mere *Invocatorium*, & *Contestatorium*, quo scilicet Deus simpliciter invocatur ut testis; vel *Execratorium*, seu *Imprecatorium*, quo Deus non solum invocatur ut testis, sed etiam ut vindex, v. g. *me Deus puniat, si ita non sit*. Addunt alii etiam *Comminatorium*, v. g. *Per Deum ego te cadam*; sed hoc referri potest ad *Promissorium*, ut infra patebit.

Dividitur etiam juramentum in *Judiciale*, quod certa quadam forma, & ritu coram Judice exhibetur; & in *Extrajudiciale*, quod sine certa forma inter privatos. Rursus dividitur in *Solemne*, quod acceptatur a publica potestare; & *non Solemne*, quod acceptatur a privato. Rursus in *Absolutum*, ut *Juro me hoc facturum*; Et *Conditionatum*, ut *Juro me hoc facturum, si cras tu veneris*; vel *Pœnale*, ut *Juro me non lusurum sub pœna jejunandi*. Rursus dividitur in *Explicitum*, seu *Expressum*, in quo explicite invocatur Deus, vel Divina; & *Tacitum*, seu *Implicitum*, cum juramus per SS. aut creaturas, in quibus specialiter elucet Deus. Denique dividitur in *mentale*, *verbale*, *reale*, & *mixtum*, de quibus dictum est supra.

Quæres quinto, An liceat tibi inducere aliquem ad jurandum?

Respondeo affirmative, si adsint omnia requisita ad licite jurandum, quia sic juramentum est actus licitus, & honestus: ergo sicut potest ille jurare, sic tu poteris ad jurandum inducere. Contra vero in nullo casu, quantumvis urgente, tibi licitum est, inducere aliquem ad falsu jurandum, vel ad jurandum per falsos Deos, vel ad jurandum id, quod licite præstare non potest, quia hæc sunt intrinsece mala: Doctores communiter. Idemque est, si inducas aliquem ad testificationem falsi, quam falsitatem tu, non ille agnoscat; quia si minus illi, tibi certe imputabitur perjurium, & a virtute Religionis teneris abstinere a perjurio, sive illud facias per te ipsum, sive per alium. Sanch. l. 3. Decal. c. 8. n. 10. & Hurt.

At si ille paratus sit jurare falsum, vel per falsos deos, distinguendum est; si enim absque justa causa petas, peccas; quia, cum commode possis, non impedis ejus peccatum; venialiter tamen, putat Sanch. n. 23. sicut, si absque justa causa petas mutuum ab Usurario, Sacramentorum administrationem a peccatore Ministro parato; sed Pal. p. 10. n. 7. putat, mortaliter in omnibus his casibus, quia ex charitate Dei, & proximi graviter obligaris peccatum ejus grave impedire, si absque ullo tuo incommodo possis. Si autem ex aliqua justa causa, vel necessitatis, vel utilitatis petas juramentum a pejeraturo, aut juraturo per falsos deus, non peccas, sive in judicio petas, sive extra; quia non teneris impedire cum gravi tuo detrimento ejus peccatum; & sic licite exigitur ab Ethnico juramentum, quem scis per falsos deos jurare, cum possit, si velit, jurare per verum Deum, quem naturaliter novit: v. Pal. p. 10. ubi tamen addit contra Sanch. te non posse dicere, *Jura, esto jures falsum, vel per falsos deos*; sed tantum, *Jura, ut potes, & debes*.

§. II.

De Juramento Assertorio.

QUÆRES primo, Quænam notitia rei assertæ prærequiratur ad juramentum assertorium?

Respondeo, Requiri certitudinem saltem moralem: Suar. Dicast. Tamb. & alii communiter contra Dian. & alios apud Croix n. 267. putantes, sufficere meram probabilitatem. Ratio est, quia, qui jurat, significat, se plusquam opinari, & dicit, se aliquo modo scire: ergo quamvis ad licite operandum satis sit probabilitas bonæ actionis; tamen ad licite jurandum plus requiritur, itaut non possis prudenter dubitare de opposito, & consequenter es perjurus, si absque morali certitudine juras, etsi revera ita res sit. Hæc autem moralis certitudo aliquando requiritur major; aliquando sufficit minor: Doctores communiter.

In juramento judiciali regulariter requiritur certa scientia, seu de visu, itaut non sufficiat audivisse a persona fide digna, nisi vero hoc ipsum addas; quia testimonium de auditu non facit semiplenam probationem, sed tantum ex certa scientia, seu de visu, adeoque id petitur legitime a Judice. Hinc, si quis multa fide dignus inducat alios, ut jurent apud Judicem suum creditum contra Titium, quod norunt tantum ex ejus dicto, est perjurus, uti etiam tales testes, quia in casu exigitur a Judice testimonium de visu: quia tamen peccarunt tantum contra fidelitatem Judici debitam, non contra justitiam commutativam, non tenentur ad restitutionem: Tamb. c. 2. n. 12. Imo Pal. ex Sanch. addit, non amplius peccare creditorem, si utatur in judicio tali juramento jam facto, quia utitur non peccato, sed ejus effectu. v. Sanch. l. 3. c. 7. num. 8. secus vero dicendum de usu similis scripturæ publicæ, quia semper esset periculum, ut fides publica deficiat.

Dixi *regulariter*, quia ex lege, aut consuetudine aliquando exigitur tantum juramentum ex minori certitudine, aut credulitate: sic quando a Judice capitur informatio de vita, moribus, idoneitate, &c. Personæ, satis est ad jurandum certitudo moralis etiam de auditu: Sanch. l. 3. Decal. c. 4. n. 3. & quamvis ut juratus asseras, Scholasticum toto tempore requisito frequentasse scholam, non sufficiat, quod audieris a fide digno, ut docet Croix contra Hurt. probatum a Lug. apud Tamb. tamen sufficit, si communiter videris eum adeuntem, etsi aliquando non videris, quia sic satisfactum est statuto Universitatis, & alia testificatio est moraliter impossibilis: Sanc. Tamb. & alii, qui id ipsum asserunt de Parocho testificante, suum Clericum frequentasse toto anno Ecclesiam, cum tamen per majorem anni partem Divinis Officiis adstiterit; quia id est moraliter toto anno frequentasse: nisi forte Universitatis, vel Ecclesiæ constitutiones annum mathematicum requirant; tunc enim de re, prout ad amussim est, jurandum erit.

Ex dictis infert Tamb. excusari Sacerdotem jurantem, se per Hebdomadam majorem Confessionibus operam dedisse, juxta edictum Episcopi sub excommunicatione id præcipientis, etsi per aliquem diem abfuerit, quia moraliter semper adfuit; idque a fortiori, si tunc in alia Ecclesia, & non in Parochiali confessiones audiisset, quia posuisset æquivalens; maxime vero si in sua Ecclesia, ubi forte serviebat; cum non sit censendus Episcopus ejus servitio præjudicare voluisse. Addit demum, quod, quamvis non possis absque perjurio jurare, Sacerdotem Religiosum; alias consuetum quotidie celebrare, hoc mane celebrasse (utut possis absque mendacio tantum affirmare) cum probabile tantum sit, non certum; tamen potes jurare, si noveris a fide digno dicente, se vidisse hoc mane eum celebrasse; quia id facit rem suo modo moraliter certam, præsertim in juramento extrajudiciali; modo non jures de tuo visu.

Quæres secundo, An in judiciis liceat testibus æquivocare cum juramento assertorio?

Respondeo, per se loquendo non licere, si Judex sit legitimus, & legitime interroget, quia ob bonum publicum testes tenentur parere suo Superiori, qualis est legitimus Judex: Doctores communiter; si ergo tunc jures cum restrictione pure mentali, es perjurus; si cum æquivocatione, amphibologia, seu restrictione reali, non es quidem perjurus, cum secundum aliquem sensum realem verborum verum aliquid jures; peccas tamen mortaliter contra

obedientiam debitam Judici legitime interrogaoti io re gravi: Bon. & alii communiter. Contra vero si judex non legitime interroget, sive quia non est competens, sive quia non servat ordinem juris, &c. licitum est æquivocare eum juramento assertorio, cum tunc sola tointerveniat eetirictio realis; semper enim ad mentem boni, & justi Judicis respondes. Hinc potei jurare coram Judiee Seculari, Clericum non deliquisse, etsi eerto scias, deliquisse; quia ille illegitimus est quoad Ecclesiasticus. Idemque est, si Judea cæteroqui competens sit excommunicatus deouneiatus, vel publicua percussor Clerici: quia sic amisie Jurisdictiooem; idem, si sis impubes in causis civilibes, vel si nondum 20. annorum in criminalibus, quia noo es testis idoneus. Idem, si Judex non juridice interroget, pota ob delictum omoino occultum, etsi ei privatim notum, &c. Similitee si quis illicite aliqua bona abscoodit v.g. a Fisco, eo quod illi indigeat ad vitam sustentandam, potes testis interrogatus jurare, illum nihil ubscondisse, quia Jodex non legitime procedit volens applicare Fisco bonu externa alteri nreessaria, adeoque recte ad sanam ejus mentem cum veritate respondei: Tamb. addeot, quaodoque te obligatum ad jurandum cum tali æquivocatione, si scilieet Judici delictum omnino occultum diaisti, teneris testificari coram eodem, reum illud non commisisse, quia teneris reparare damnum injuste illatum: Saoch. l.3. Dec. c.3. o.28. Denique legitime interrogatus de erimine alicujus, si tibi ex teo testimonio notabile damoum sequatur, potes jurare, te nescire, vel quid simile; cum non tenearis testificari eootra teipsum: Doctores communiter.

Quæres tertio, An in Judieiia liceat Reo æquivocare eum juramento assertorio?

Respondeo, Si ab Judice non legitimo, vel non legitime interrogetur, licere negare etiam cum juramento crimen a so commissum, & tatio patet ex dictis. Hinc negare potest, si Jodex procedat contta Leges; si sit suspensa ejus potestas sive pee legitimam appellationem, sive per eacommuoicationem vitandam; si reus sine culpa commisit, puta, occidit homioem, putans esse setam; vel si vendidit pluris quam sit taaa injusta, eum vendiderit tamen justo pretio; vel si neget eircumstantiam veram erimiois non commissi, per talem seilicet vinm transiisse, &c. vel si neget, se promisisse, qood juratus promiserat, sed ex aliquo capite ea promissio noo obligat, vel si neget adulterium occulte commissum, &c. Quia reus habet jus respondendi joxta interrogationem legitimam.

At si legitime per semiplenam probationem a Judice intetrogetur, idqoe sit reo notificatem (secus enim adhuc excusari potest a veritate fatenda, inquit Sot. apud Sanch.) tuot D. Th. Sylv. Nav. & alii plurimi docent teneri absque ulla æquivocatione fateri, etsi immioeat vitæ discrimen; quia tenetur etiam com diseimioe obedire Judici legitime præcipienti ad vitandum grave Reipublicæ detrimentum sublata tali obligatione: probabiliter tamen tenet oppositum Lug. Less. & alii plusquam 22. Doctores apud Tamb. quia res multum difficilis eeputatur moraliter impossibilis, ad quam præcipitodam nulla potestas humana extenditur; cum nemo obligandus sit coneurrere ad sui mortem: quare in re tam ardua Judex Superior ooo est; periculo autem boni Reipublicæ occurei potest aliis viis, scilicet inquirendo testes, incutiendo timorem torturæ Ren, &c. sine necessitate obligaodi Reum sub mortali; imo addit Tamb. ex Jo: Sanc. noo esse certum, me pro bono communi, ad quod non tenear ex stipendio, seu justitia, obligatum esse mortem subire. Deniqoe, quod dictem est de periculo vitæ, extenditue communiter cum Lug. ad quodeumque malum grave, scilicet exilium, triremes, &c. ad quæ, perinde ac ad mortem vitandam, naturæ jus nos armat: idque, si negando, spem habeam evadendi: Doctores communiter; imo, etiamsi secus, ut addit Tamb. modo non sit in causa hæresis, ne scilices hæreticus oegativus cum scandalo pœnam subeat, ea Saoch. l. 3. Dec. c. 7. n. 11. Si autem agatur de malo levi, peccat Reus negans, dum legitime interrogatur; & quidem gravitee, ut vult Lugo: leviter, ut vult Tamb. quia de jure naturæ videtur esse, ut ne leve quidem vulnus quis sibi infligat, & ex tali negatione non oritur grave malum Reipublicæ, ideoque nec est peejurus.

Quæres quarto, An liceat jurare eum æquivocatione in assomendo gradum Doctoratet?

Respondeo, Certe non licere, si desit idoneitas personæ, utpore essentialis gradui. Si vero hæc adsit, sed desint conditiones minus principales, et seilicet candidatus tot anoos ei scientiæ vacaverit, ut id freerit in tali Academia, ut sit adscriptus, seu matriculatus, &c. Tamb. c. 2. n. 11. putat licere; quia, quoties est justa causa veritatis occultandæ, neque alicui damnum infertur, toties adhiberi potest æquivocum jurameotum: ex quo infertur ex opposito, quod si damnum alicui infertur, puta ratione antiquitatis pro Collegio Doctorum, non liceat æquivocare, scribeodo v. g. *Con giu.:to*, intelligens *giunto*; ot solet æquivocari ab aliquibua hic Neapoli; nisi vero quivis civis soleat id facere, quia tunc prælatio est fructus iodustriæ, & præventionis in pari causa, &c.

Quæres qointo, An liceat jurare cum æquivocatione in acceptilatiooe?

Respondeo, Acceptilatiooem dici, enm creditor jurat, se recepisse a debitore debitum, quod tamen non recepit, sed taotom pro recepto habuit. Certum autem est, non posse jurare absolute, & in seosu propria verborum; esset enim perjurus: potest tamen in sensu improprio *L'ho per ricevuto*, eoque animo, ut ex parte sua vere remittat; sic enim acceptilatio æquivalet veræ acceptioni; idqoe etsi habeat certam spem, quod debitor non acceptet eam remissionem, vel sit eetrodonaturus; imo creditor poterit, antequem juret, pacisci cum illo, ut se obliget etiam cum juramento non acceptare remissionem, vel retrodonare, quia nihil horum tollit veritatem juramenti creditoris: Tamb. a o. 18. qui idem ait si verba accipiantur humano modo, scilicet acceptum esse, quod statim certo est habiturus. Si autem creditor debens tantundem tertio, ne hie intentet sequestrum sui crediti, juret, se jam recepisse a suo debitore, injurius est suo creditori; nisi vero suum debitum non sit liquidum: v. Tamb. ib.

Quæres sexto, An liceat jurare cum æquivocatione extra judicium?

Respondeo, ex Sanch. l. 3. Dec. c. 6. n. 13. Si verba ex sua significatione siot ambigua, vel saltem ea eircumstantiis, non esse mendacium, neque adeo perjurium ea proferre in sense diverso, ac accipiuntut ab audientibua, quia sic oihil contra mentem itur, aut germanum verborum sensum, illa in quovis illorum usurpando: sic si a Confessario ioterrogatus de fornicatione, vere negas te eam commisisse, etsi commiseris, sed tamen alias rite confessus sis, quia ex circumstantia personæ interrogantis dicis, te non commisisse, quam confessus non sis: similitet si quis aliquem quærens interroges te, an eum videris, vere respondes, eum non vidisse, si ita proxime oon viderit, ut possis rationem reddere, ut a quærente inveniatur, quia interrogatio intelligitur de proxima visione. Cæterum, si verba oeque ex se, neque ex eireomstantiis sint ambigua, mendacium, & perjuriom foret ea proferre cum addito mente tantum concepto; esset enim restrictio pure meotalis, ut constat ea prop. 26. 27. & 28. damnatis ab Ion. XI.

Ex dictis infers primo, Si nulla subsit rationabilis causa æqoivocandi, videtur saltem veoiale æquivocare, & etiam jueare; quia deest judicium, estque ad minimum otiosa locutio, & deceptio fidelitati ioter homines debitæ, ac sinceritati aliquo modo opposita: Croix n. 292. Nullum ergo erit peccatum, si adsit rationabilis causa, modo non sit restrictio pure mentalis: adde ex Croix n. 289. quando non suot valde graves causæ, communiter esse restrictiooem pure mentalem: ut si Pater interroget Filium, *Fuisti ne in popina?* Nun licet filio dicere, *Non fui*, subiotelligendo, *ut fateri debeam* &c. qoia, obi non sunt gravtores causæ restringendi, interrogatio censetur fieri absolute secundum verba tantum, & sic babetur commune judicium omnium hominum, &c.

Infers secundo Mercatores dicentes, vel etiam jurantes, se non posse tali pretio merces vendere, excusari; quia intelliguntur, & satis sciuntur, significare velle, se non posse cum honesto, & mediocri lucro ita vendere; item eacusantur jurantes, sibi merces pluris constare, quia sciuntur, non dicere nudum pretium rei, sed etiam computare expeosas, vecturam, &c. v. Croix n. 301. Item excusaotue complementa, seu formulæ loquendi hyperbolicæ etiam juratæ, quia secundum communem sensum aliud sigoificant: Croia n. 302. Tamb. n. 2. & alii.

Quæres septimo, Quænam sint pœnæ perjurii?

Respondeo, Non esse certum, an in Jure Civili sit aliqua determioata quoad forum externum pejeranti imposita. In Jure Canonico tres sunt imponendæ, infamia juria, repulsio a testificando, & arbitraria a Judice decernenda. Ea Jure autem hujus Diœcesis Neap. testis perjurus in grave damoum alteius (quod scilicet ascendat ad valorem 50. aureorum ordinarie, vel 10. aureorum, si in damnum pauperis) incurrit casum reservatum

cum

cum excommunicatione ; & similiter qui id curat, mandat, cooperatur, aut utitur.

§. III.

De Juramento Promissorio.

HOc juramentum est de re futura præstanda ab ipso jurante, in quo differt ab assertorio, quod etiam potest esse de re futura, sed non ab eo præstanda, ut si jurares, cras fore Eclypsim. Itaque juramentum promissorium potest esse duplex: vel de re præstanda sine promissione, sed sub simplici proposito (ut si jures, te cras largiturum eleemosynam) & obligat tantum ex Religione: vel de re præstanda etiam sub promissione (ut si jurejurando promittas, te cras largiturum eleemosynam) & obligat etiam ex fidelitate, proprieque dicitur promissorium ; in priori enim invocatur Deus tantum, ut testis; in posteriori etiam ut Fidejussor; probabile tamen est, non differre specie ; cum utrumque resolvatur in invocationem Divini Testimonii. v. Tamb. Sanch. Denique utrumque potest fieri vel soli Deo (ut si jures Deo jejunium) & sic induit rationem voti: vel homini (ut si jures amico, te daturum centum, &c.) & sic erit solum promissio facta homini sub Dei invocatione.

Quæres primo, Quam veritatem habere debeat juramentum promissorium?

Respondeo, Habere debere duplicem veritatem, alteram de præsenti, ut scilicet adsit animus præstandi rem: alteram de futuro, ut scilicet res deinde effective præstetur. Prior veritas est de essentia; quia talis animi invocatur Deus in testem; ideoque semper est mortale perjurium, si talis animus desit, sive in totum, sive in partem, sive res præstanda sit licita, sive illicita, sive magna, sive parva, ut si jures dare centum cum animo præstandi tantum 99. cum ex dictis nulla hic esse possit parvitas materiæ: idem est, si jures cum animo dubio præstandi rem, vel credas fore, ut præstare nequeas, seu non habeas probabilem causam credendi fore, ut præstare possis; cum talis animus debeat esse certus, ac firmus: Sanch. l. 3. Dec. c. 4. a num. 2. Cæterum in juramento promissorio hyperbolico satis est animus implendi, juxta sensum sub ea hyperbole acceptum, ut si jures filio, famulo, &c. te confracturum ejus ossa, perempturum, &c. satis est animus graviter puniendi: similiter in juramentis se honore prævenientium, satis est animus præstandi, quantum ad se attinet, &c. Sanch. num. 18.

At si desit sola veritas de futuro, non est vere, & proprie mendacium, ac perjurium, sed infidelitas, & irreligiositas quædam; & quamvis sit mortalis, quando res promissa sit gravis; si tamen hæc sit levis, probabilius est tantum sacrilegium veniale, sive ea res sit totalis, sive partialis, sive jurata Deo, sive homini; nam sicuti, quando res est mala, nulla est culpa eam non præstare; ita erit tantum veniale, quando res licita levis non præstatur; Sanch. n. 23. & alii contra Val. & alios.

Quæres secundo, Quænam esse debeat materia juramenti promissorii?

Respondeo, Debere esse licitam, & honestam; quia juramentum non est vinculum iniquitatis, ex cap. *Quando, de Jur.* Hinc juramentum de re lethali est lethale sacrilegium, ob magnam Deo irrogatam injuriam, illum afferendo in testem faciendi aliquod graviter ab eo probibitum: Sanch. n. 26. & alii communiter. At juramentum de re veniali videtur tantum veniale sacrilegium, cum non censeatur gravem ei injuriam inferre: idemque est, si jures, te facturum aliquid contra Consilia Evangelica, vel rem indifferentem; cum non sit apta juramenti materia: Sanch. n. 31. nisi fiat ob bonum finem, ut mox dicemus.

Hinc juramentum de re sive graviter, sive leviter peccaminosa non obligat, neque adeo indiget relaxatione: si ergo amicus, & amasia invicem jurent, se alios turpiter non cognituros, non obligat hoc juramentum; cum peccatum sit, his promissionibus turpem amorem inter se fovere: Fagun. apud Tamb. §. 3. n. 3. Si autem rem malam juratam præstes, peccas leviter in materia levi, graviter in gravi, quia est veluti continuatio prioris voluntatis: Sanch. n. 29. addit Tamb. ignorantiam hic non earo excusare.

Juramentum soli Deo factum, cum æquivaleat voto, esse debet de meliori bono: hinc, si jurasti Deo jejunium, & hoc conversionem animarum impediat, non teneris: si jurasti Deo, non transiturum v. g. per talem viam, quæ res sit quid indifferens, Deus non acceptat, utpote de re non cedente in ejus honorem; secus dic, si transitus ille foret causa peccati, &c., cum sic res, indifferens per se, ob adjunctum evadat bona, &c. addit Laym. quod si adjunctum postea adveniat, non teneris priori juramento, quia, *Quod ab initio est nullum, tractu temporis non convalescit*.

Juramentum factum homini obligat, si res possit sine culpa mortali, vel veniali præstari, quia satis est, si sit grata illi, cui promittitur; & homini sæpissime gratum est id, quod est indifferens, quodque minus est bonum ; & ex alia parte in hoc juramento Deus non est acceptor, sed solus testis; hinc teneris eam præstare sub gravi, vel sub levi, prout res est gravis, vel levis, Sanch. l. 3. c. 9. n. 19. Hinc, si soli Deo jures feminam ducere, non teneris, ut patet, nisi forte juraveris ad sedandam tuam incontinentiam, cum tunc matrimonium esset tibi majus bonum : at si jures ipsi feminæ acceptanti in ejus, vel parentum gratiam, teneris, quia sine ullo peccato præstare potes; imbibitur autem hæc conditio, nisi fias Religiosus. Dixi, *Acceptanti;* si enim nondum acceptavit, nondum teneris, nisi juraveris Deo illam ducere ob majus tibi bonum, quod Deus statim acceptat. v. Sanch. l. 1. Matr. d. 7. n. 25. Denique si juraveris servare promissionem, non teneris hanc insinuare. Si vero juraveris, te daturum aliquid, teneris insinuare, quia hoc juramentum immediate cadit in executionem rei. v. Croix num. 331. & 332.

Quæres tertio, Quod peccatum sit juramentum promissorium dolosum, & ad quid obliget?

Respondeo, Juramentum dolosum, seu fictum posse esse triplex ; si scilicet desit intentio jurandi ; si desit intentio se obligandi ; si desit intentio exequendi : si desit tantum intentio jurandi, non est perjurium, quia non jurat, se jurare ; est tamen mortale contra justitiam in contractibus, aut coram Judice, aut in simili circumstantia, in qua sit gravis obligatio serio jurandi; in aliis vero casibus videtur esse tantum veniale, quia, etsi ficte invocet Divinum Testimonium, non est ejus gravis illusio, sicut nec graviter illudit Deo, qui solo actu externo fingit, se orare: v. Sanch. l. 3. c. 6. n. 10. Hinc per se loquendo non obligat ex vi Religionis ; cum non sit vere juramentum, sed ficte tantum, & apparenter; per accidens tamen obligare potest, ratione scilicet scandali, vel damni illati : v. Sanch. l. 3. c. 10. n. 13. & 14.

Si desit tantum intentio se obligandi ; tunc si vere jurans positive nolit se obligare ex vi Religionis, communis sententia apud Sanch. l. 3. c. 6. n. 5. docet, esse mortale perjurium, cum sit falsa vocis significatio; veram enim se habere obligandi intentionem significat, quæ non est: ipse tamen n. 7. eodem modo discurrit, ac in priori casu; quia eo ipso, quod positive est animus non se obligandi, est positive animus non vere, sed ore tenus jurandi; cum de intrinseca ratione juramenti promissorii sit inducere obligationem Religionis; ideoque nullum in caso est juramentum, nulla ex vi Religionis obligatio, sed tantum per accidens ratione scandali, vel damni illati. Peccatur tamen mortaliter contra justitiam in contractu, contra obedientiam in judicio, vel ubi est gravis obligatio serio jurandi; in aliis vero casibus venialiter; cum sit veniale mendacium significare alteri, velle se obligare, cum nolit; v. Sanch. l. 3. c. 10. n. 7. 8. & 9. ubi tamen recte addit, quod si jurans habeat verum jurandi animum, & non cogitet, vel ignoret juramenti obligationem, vere obligatur, quia necessitate naturali sequitur obligatio, non obstante ignorantia; & qui vult actum, vult virtualiter ejus proprietates necessarias.

Si demum desit tantum intentio exequendi rem juramento promissam, certe apud omnes est mortale perjurium, quia deest veritas, & cum adsit animus jurandi, est vere juramentum, & consequenter vim habet obligandi ex Religione; cum intentio non implendi se sola non tollat intentionem jurandi, & subeundi obligationem necessario inde consequentem : v. Sanch. l. 3. c. 10. n. 5., itaut oppositum sit improbabile apud Sanc. ibidem. Similiter si positive desit sola intentio promittendi, seu obligandi se ex fidelitate, juramentum adhuc obligat, quia stat adhuc substantia veri juramenti de futuro, adeoque ejus obligatio vi Religionis, licet nulla contineatur promissio, aut ea sit irrita : idemque est, si sit animus non se obligandi peculiari obligatione justitiæ tribuente jus alteri: Sanch. n. 6.

Quæres quarto, Quam obligationem pariat juramentum promissorium per injuriam, aut per metum, aut per dolum extortum?

Respondeo, Si extortum sit per injuriam, ut est juramentum solvendi usuras, certe obligare ex vi Religiunis, quia est vere juramentum, ut supponimus, & obligatiunis impletio potest absque peccato præstari; præstatur enim ad redimendam vexationem ab usurario, ideoque excusatur a cooperatione ejus peccatu: v. Sanch. l. 3. c. 11. a n. 3.

Si juramentum extortum sit per metum gravem injustum (si enim sit levis, vel justus, non potest esse dubitandi ratio, quod obliget) nonnulli veteres apud Glos. in cap. 2. *Posse, de Jurejur.* putarunt, non obligare, tum ex multis textibus, tum quia juramenti obligatio non acquiritur homini, sed soli Deo, qui non acceptat obligationts metu injurioso extortas, sicut nec vota sic extorta: sed certissimum est oppositum, ex cap. *Si vero*, & cap. *Verum, de Jurejur.* & cap. *Ad audientiam, de iis, quæ vi;* quia etiam absque peccatu præstari potest res promissa; vota autem metu extorta sunt solo jure Ecclesiastico irrita, ut sunt vota Professionis Religiosæ: de aliis etiam dubitatur, juxta dicenda c. sequ. Cæterum, si sic jurans non habeat animum jurandi, vel se obligandi ex Religione, probabiliter peccat tantum venialiter, nec obligatur implere: si tantum habeat animum non implendi, absolnte, & simpliciter est perjurus; si vero sub eondirione obtinendi prius relaxationem, non peccat: v. Sanch. l. 2. c. 31. a n. 17.

Si demum juramentum extortum sit frande, & dolo, vel ex errore, aut ignorantia sit præstitum; tunc si dolus, aut error sit antecedens, seu dans causam, seu, quod idem est, ex proposito eontingens, ut si quis juret dare alicui rem, quam putat esse vitream, ac postea inveniat esse gemmeam, eerte non obligat; nam nullum est juramentum, cum errantis nullus sit consensus, & vuluntas: *L. Si per errorem, ff. de Jurisdict.* idemque est, etsi dolus, aut error sit eoncomitans, seu incidens, modo sit eirca substantiam rei juratæ; cum non habeatur eonsensus, ac voluntas absoluta, sed tantum conditionata. Secus vero dicendum si dolus, aut error, utut antecedens, sit circa qualitares aliquas accidentales rei promissæ, quæ non transeant in substantiam. v. Sanch. a nom. 38.

Quæres quinto, An juramentum firmet contractus cæteroqui invalidos?

Respondeo, Juramentum firmare omnes, & solos contractus jure positivo invalidos, si servari possint absque ullo peccato tum jurantis, tum alterius: Sanch. l. 3. Dec. c. 12. a n. 11. & alii contra Bart. Vasq. Ponc. Tamb. & alios. Ratio est, quia juramentum firmare contractus non solum est obligare ex vi Religionis, sed etiam ex vi Justitiæ commutativæ; quamvis enim juramentum per se nequeat hanc inducere, tamen effieit, ut jus positivum ob reverentiam Dei invocati velit, ut contractus per se alioqni invalidati ob tale juramentum veluti in vitam veniant, ac si invalidati non fuerint; ut colligitur ex auth. *Sac. Puber.* cap. *Si adversus*, & ex recepta Tribunalium eonsuetudine; unde etiam inserunt Less. Lug. & alii, quod si deinde obtineatur relaxatio, adhue manet obligatio justitiæ, quia ejus validitas, etsi in fieri pendeat a juramenro, non tamen in facto esse; probabile tamen est oppositum apud Suar. v. Croix *de Contr.* num. 746.

Infers primo, Juramentum non firmare eontractus jure naturæ irritos, puta rei alienæ venditionem; quia jus naturæ, utpote necessarium, nequit cedere liberæ invocationi Divini Testimonii. Neque firmare potest contractus, qui primario prohibentur ob utilitatem publicam, puta Matrimonium jure positivo invalidum, quia servari neqneunt absqne peccaro inobedientiæ: imo in iis duobus casibus neque obligat ex Religione. Neque demnm firmare potest eontractus, qui servari nequeunt absque peccato saltem alterius, quia jus positivum non vult favere peccato, nec dare occasionem peccandi; ideoque, etsi juratus obligeris ex Religione solvere usuras usurario, litrum latroni, aliosve contractus vi, aut dolo extortos, nunquam tamen obligaris ex justitia.

Infers secundo, Juramentum firmare contractum Minorennis alienantis propria auctoritate bona sua immobilia, & similes jure tantum positivo irritos; quia jus positivum in Dei invocati reverentiam revocat suam dispositionem, & vult, ut contractus maneat, qualis in se est, naturaliter validus. Similitee contractus nudi, quamvis non dent actiunem, si tamen jurentur, vestiuntur, & actionem pariunt: similiter, quamvis contractus innominati dent pœnitentiam pro foro externo, tamen non dant, si joramento firmentur. v. Croix loc. cit.

Quæres sexto, An juramentum promissorium illicitum obliget?

Respondeo, Esse posse illicitum multiplicitee: Primo ratione materiæ, & de hoc dictum est quæsit. 2.: Secundo ratione alicujus eireumstantiæ ex parte actus, ut si juraveris donare cum magna ira, cum blasphemia, contra præceptum Superioris, contra votum non jurandi, &c. & hoc obligare, docet Suar. apud Tamb. §. 5. n. 4. quia materia, circa quam versatur tale juramentum, non est illicira, ut supponimus, & actus talibus eircumstantiis non vitiatur quoad substantiam; nisi vero præceptum Superioris non solum fuerit de non jurando, sed etiam de non donando; sic enim materia erit illicita: Tamb. ibid.: idem die, si juraveris contra votum, vel juramentum donandi rem illam alteri. Quod si juraveris, te ducturum Bertam, & deinde jures, te ducturum Luciam, & Berta sponte deinde remittat, probabile est, non teneri dueere Luciam, quia *Quod ab initio invalidum est, tractu temporis non convalescit, ex Reg. Jur. in 6.* Tertio ratione finis mali, ut si jures, te daturum aliquid impudicæ puellæ, &c. & hoc juramentum ante finem non obligat, eum talis donatio ante patratum erimen sit sub mortali rescindenda; at patrato crimine probabilius valet juramentum, & obligat; quia, etsi fuerit illicitum, tamen materia tune non est illicita: Sanch: l. 3. e. 9. n. 28. Bon. & alii; Quod si jures, te daturum aliquid prodige, probabile est valere, & obligare quoad partem, quia tantum quoad excessum est aliqua eulpa, saltem venialis: Sanch. n. 27. contra Tamb. n. 10. & alios. Quarto ratione Legis oppositæ; si enim juramentum sit de re contra Leges Ecclesiasticas, eertum est, non obligare, ut si jures inire Matrimonium sine ceremoniis Ecclesiasticis, &c. quia hæ Leges obligant in eonscientia, vel saltem pertinent ad bonum Animæ, ut sunt regulæ Religiosorum: Suar. apud Tamb. n. 39. Si juramentum sit de re contra Leges tantum Civiles: Sanch. l. 3. e. 9. n. 19. docet, non obligare, si Lex spectet bonum publicum, puta non asportandi frumentum extra territorium, &c. quia sic est saltem veniale contra illam operari; obligare vero, si Lex spectet tantum bonum privatum, ut ne Minor ineat contractum, &c. quia sic Lex non obligat in Conscientia; sed Tamb. n. 42. ex Pal. & aliis ait, non obligare, si Lex jubet, vel prohibet aliquid; obligare vero, si solum Lex sit permissiva, puta solutionis usurarum usurario, litri latroni, &c. v. Pal.

Quæres septimo, Qua ratione interpretandum sit juramentum promissorium in ordine ad inducendam obligationem, quuties non constat de intentione jurantis?

Respondeo: Primo, Interpretandum, ut, servata proprietate verborum, quanto minor potest, obligatio inducatur, quia semper præsumitur jurans minus voluisse suæ libertati nocere: Suar. Laym. Sylv. Abb. apud Castr. & Tamb. Hinc jurans ingredi Religionem, quamlibet etiam minus strictam ingredi potest: jurans servare v. g. statuta Collegii, potest non observare, quæ postea eduntur, nisi ex circumstantiis, aut modo communi loquendi aliud eruatur. Jurans absolute non ludere, nihil cogitando, an de ludo immoderato, an etiam de moderato, non tenetur a moderato abstinere: Tamb. Bon.; cæterum id dignoscendum ex fine, quo motus jurasti: Pal. apud Tamb. a n. 58. ex quo infert contra Bonac. quod si juraveris Patri, te non lusurum aleis, donec ipse redeat Roma, si is moriatur Romæ, es liber, quia ex mente eruitur, noluisse ludere per aliquod tempus, quo es sub potestate Patris absentis.

Secundo, Interpretandum juxta naturam actus, super quem eadit, quia *Accessorium sequitur naturam principalis, Reg. 42. in 6.* Omnes ergo restrictiones, & conditiones, quas de jure, vel consuetudine habet promissio, habet & juramentum: habet autem promissio communiter quatuor conditiones generales tacite imbibitas: Primo, Si potuero, physice scilicet, moraliter, & licite; quia ad impossibile nemo tenetur: Secundo, Si superior legitime non contradicat: Tertio, Si promissio fuerit acceptata, vel non fuerit remissa a parte: Quarto, Si res non fuerint notabilirer mutatæ. Hine, si jurem tibi aliquid, aliudque tu mihi, te fidem frangente, ad nihil teneor, ob tacitam eonditionem, si fidem serves: idemque est, si jurem tibi quidpiam donare, & tu ingratus sis: si fidejubeam pro te, nihil debeo, si prius tu non excutiaris, quia sic est jure dispositum: similiter, si Clericus jurat residentiam, potest abesse in casibus jure concessis: si jures statuta Collegii, Civitatis, &c. es liber ab iis, quæ sunt legitima consuetudine abrogata: v. Less. l. 2. c. 42. n. 22. Similiter Medici jurantes observare Bullam Pii V. tenentur solum ad ea, quæ consuetudo fert: simili-

militee Scribæ jurantes servare taxam præscriptam, possunt recipere plus ex introducta legitima consuetudine: Similiter jurans non vendere, nisi juxta pretium a Repoblica taxatum, dam hæc taxa legitime abolevit, non teneris ad illam, etiamsi postea reviviscat; nisi vero per aliquod accidens erat tanrum suspensa: v. Tamb. n. 56. Si jurasti, te loco non discessurum, Soperiore secio jubente, potes, imo debes discedere: Similiter, si jurasti lungam peregrinationem, debes ab ea desistere Domino abnuente, &c. Denique universim juramentum nunquam censetur factum in præjudicium tertii, ex cap. *Venientes, de Jurejur.*, ideoque si jurasti alicui servare secretum, si ex eo pendet malum tertio, poteris huic revelare, &c. Tamb. §. 4. n. 8.

Ex mutatione rerum notabili molta etiam specialiter inferuntur: Nam si juret, ducturum Bertam, si hæc in lepram, aut aliud malum notabile incidat, non teneris: si facta pace jures, non nociturum inimico, si is det novam causam, non teneris: si jures, donaturum cuidam mille, & in paupertatem devenias, non teneris: Similiter, si juraveris litrum latroni, non teneris: si non prævideris, non posse solvere, nisi accipiendo ad interesse; &c. v. Tamb. u. 5. Si jures, te rediturum in carcerem, teneris etiam cum periculo vitæ, si carcer sit justus, & mors juste inferenda; nisi vero mutatæ sint notabiliter res; &c. si autem sit injustus, negant Vasq. Ponc. Nav. & alii apud Pal. quia est opus temeritatis sese offerre morti; ideoque Gutt. Covar. & alii addunt, peccare, si redeas; tamen Suar. Sanch. Less. Bon. & alii docent, teneri rèdire, quia se offerre morti post juramentum est cum maxima causa, ut scilicet ejus fidelitas, & veracitas servetur: sic, licet Princeps peccet promittendo cum juramento sine urgentissima causa libertatem hebræis sectis rituum; xamen supposito, quod juraverit, tenetur, &c. Tamb. addit priorem sententiam esse probabiliorem. Demum si jures, te restituturum debitum, probabile putat Tamb. a num. 35. posse interim compensatione nti; quia non est censendus perjurus, qui juste impeditur a promissis implendis, & juste impediris a promissis implendis ab eo, qui tibi tantumdem debebat.

Quæres octavo, An Juramentum promissorium pariae obligationem in successore, bærede, aliove a jurante?

Respondeo negative, Quia obligatio juramenti est personalis: Doctores communiter cum Sanch. l. 3. c. 13. n. 1. Si jurasti Usurario usuras, litrum latroni &c. te mortuo, non tenetur hæres tuus solvere: si jurasti in contractu venditionix Petro acceptanti equum, & hoc nondum consignato tu moriaris, hæres tuus non tenetur ex vi Religioois; tenetur tamen ex vi contractus venditionis, quo acquisitum est a Petro jus ad rem: Si tuus Pater promisit cum juramento solvere Gabellas juste impositas, eo defuncto, tu, non ex vi Religionis, sed ex vi tantum Legis, seu Statuti teneris eas solvere, etiamsi ille non juraverit. At si juraveris Deo, te velle dare mille in eleemosynam pauperi, te defuncto, tenetur hæres, etsi sola vi Religionis tu tenebaris; quia, ut inquit Sanch. n. 5. Deus illad juramentum sibi factum in utilitatem Pauperis acceptavit, ut pars contrahens, adeoqoe adest ratio contractus, seu justitiæ, sive quia jus Canonicum, & Civile ita statuie ut docet Pal. apud Tamb. §. 7. n. 5. Contra vero, cum successor subintret in omnia jura defuncti, obligationem, quam tertius contrahit jurans, servandi defuncto juramentum, debet etiam servare successori, nisi contrarium expressum fuerit; si v. g. juravit quis fidelitatem Regi, hoc mortuo, ejus successori eandem fidelitatem sine novo juramento debet: Laym. l. 4. t. 3. c. 10. n. 5. & alii communiter.

Quæres nono, Quis possit relaxare hoc Juramentum?

Respondeo, Quod in materia voti vocatur dispensatio, bic pro propria voce dicitur relaxatio; qua scilicet Superior habens jurisdictionem in subditum, eum a juramento absolvit. Juramenta sponte facta homini in ejus utilitatem, si sint ab eo acceptata, ne a summo quidem Pontifice dispensari, seu relaxari possunt; quia acceptatio facit, ut ex justitia debeatur tertio, quod ei juratum est: quare solus ii tertius potest ejusmodi obligationem remittere, nisi forte Pontificiam dispensationem, etiam eo invito, bonum communem exposceret: v. Tamb. c. 7. §. 3. n. 2.

Reliqua omnia juramenta, sive scilicet facta soli Deo, sive facta homini in ejus utilitatem, sed vel vi, vel dolo, vel ab eo nondum acceptata, etiamsi fiant juramento publico, & coram testibus, possunt a quovis Prælato Ecclesiasticam jurisdictionem habente relaxari, modo adsit justa causa; itaut, quamvis nonnulla vota sint reservata Papæ, probabile tamen sit apud Sanch. l. 3. Decal. c. 19. n. 6. nullum ejusmodi juramentum reservari, nisi adhæreat votis reservatis, quia vinculum voti est satis diversum, imo majus ex D. Th. quam vinculum solius juramenti, & a diverso non sit bona illatio: v. Tamb. n. 7. Itaque quoad forum externum dispensatio juramenti pertinet ad Ordinarium loci, in quo emissum est juramentum; quoad forum internum potest dispensare Ordinarius, in quo degit jurans, qui dispensationem postulat. Item Confessarii mendicantes ex Privilegio Mart. V. pro Benedictinis dispensare possunt in foro conscientiæ in juramentis soli Deo præstitis, & in votis juratis, utpote quæ voti naturam induunt, etiamsi minus principaliter tendant in utilitatem hominis, sive is acceptaverit, sive non: Suar. apud Tamb. n. 8. Imo probabile eriam est, eosdem posse pro foro interno dispensare in omnibos juramentis, in quibus potest Episcopus, qoia hæc juramenta non justitiæ vinculum, sed tantum Religionis involvunt, quod æquiparatur vinculo voti, imo minus est isto. Suar. apud Tamb. n. 12.

In omnibus ejusmodi dispensationibus requiritur justa causa; secus enim irrita erit relaxatio, etiamsi a sommo Pontifice feratur; cum tale vinculum sit de jure naturæ, ideoque juramentum adnexum professioni Fidei, vel Religionis, vel Matrimonio, vel statui Sacerdotali, vocari potest dispensabile, quia vix datur causa dispensandi: v. Pelliz. t. 1. a. 3. c. 25. Causæ pro relaxatione Juramenti soli Deo facti sunt eædem, ac causæ dispensandi in voto. In juramento facto homini possunt esse quatuor causæ: Primo, Si adsit turpitudo ex parte extorquentis juramentum, scilicet injuria, metus, dolus, , &c. & quidem si metus sit gravis, poterit ab Episcopo etiam in foro externo relaxari; si levis, solum in foro conscientiæ: v. Sanch. l. 3. c. 21. a n. 6. Secundo, Si sit dubium, an juramentum valeat, vel an cedat in damnum, seu injustam læsionem tertii, vel an ex observatione juramenti enascatur occasio, seu periculum peccandi: Tertio, Si juramentum temere, inconsiderate, vel ex iræ, dolorisve perturbatione sit factum; in quo casu a Superiore Ecclesiastico solvitur quidem vinculum Religionis; Judex tamen videat, an jus justitiæ faveat uni ex partibus: Quarto, si causa dispensandi omnibus expensis non constet esse sufficiens, tunc intermiscenda est commutatio, de qua

Quæres decimo, Quis possit juramentum promissorium commutare in aliud opus præstandum?

Respondeo, Posse eos, qui possunt dispensare; & quidem eadem proportione, ut dictum est supra. Omnes ergo, qui possunt dispensare, possunt & commutare; quamvis non contra, cum illud sit majus; & cui conceditur majus, conceditur & minus in eo majori contentum; & non contra. Imo ipse jurans potest sibi etiam sine causa commutare suum juramentum soli Deo præstitum in opus melius; ut etiam dicetur in de Voto: additque Bon. etiam in opus æquale; quia tunc redditur Deo, quod æque illi est gratum, ipsumque opus æqualis, aut melioris bonitatis est causa sufficiens commutandi.

Hinc habens potestatem commutandi aliena juramenta non solum potest in opus majus, vel æquale, sed etiam in minus, quia alioqui talis potestas esset frustratoria, cum sufficeret propria jurantis auctoritas: Arriag. Less. Tamb. n. 8. contra Sanch. l. 3. c. 50. n. 4. Sed is intelligendus, non posse ita in minus, ut moraliter æquivaleat dispensationi, v. g. si jejunium in unum *Ave*: quare debet esse aliqua proportio, ne sit veluti dispensatio, quæ majorem requirit potestatem.

Causæ ad commutationem tres esse possunt: Primo, Si res promissa reddita sit inutilis, vel illicita: Secundo, Si ex parte jurantis reddita sit difficilis, seu incommoda, ut si superveniat infirmitas, imbecillitas, &c. Tertio, Si magis bono communi expediat, ut non impleatue tale juramentum, &c. Demum res subrogata per commutationem juramento, implenda est sub gravi, si gravis est; si levis, sub levi, etiamsi subrogata sit rei gravi, ut probabiliter addie Tamb. paritate satisfactionis, quæ si levis sit, etiamsi pro peccato gravi imposita, obligat tantum sub levi. Item post commutationem potes negligere rem subrogatam, & redire ad eem juratam; quia præsumitur Dei benignitas hanc libertatem concessisse, ut dicemus de voto.

Quæres undecimo, Quis possit irritare hoc juramentum?

Respondeo, Illum, qui habet potestatem dominativam, sed œconomicam in jurantem, ejusque rem juratam; ut sunt Pater, Prælatus Regularis, Dominus,

Vir

Vir, respectu Filii, Subditi, Servi, Uxoris, sed distinguendum hic: nam juramenta soli Deo præstita possunt ab his irritari etiam sine causa, sicut ex probabili sententia etiam vota, juxta dicenda c. 4. At juramenta ad aliorum utilitatem emissa, tunc solum, & quidem etiam sine causa irritari possunt, quando sunt de re subjecta potestati illorum, v. g. Si Servus, Filius, Uxor, &c. juret dare alicui pecuniam, vel quid simile, quod afferat detrimentum, vel incommodum rebus Patris, Domini, &c. quia materia talis juramenti est sub eorum potestate, de qua ipsi solum, non alii disponere possunt. Sic etiam Pontifex, vel Episcopus potest irritare juramenta suorum Clericorum de rebus pertinentibus ad sua beneficia, ad suas leges, &c. Contra vero dicendum, si Filius, &c. juret de suo peculio, quod forte independenter ab alio habet, & juramentum præstitum sit non solum Deo, sed etiam homini: v. Tamb. c. 7. §. 1.

§. IV.

De Juramento execratorio, & de Adjuratione.

QUÆRES primo, Quid sit addendum de juramento execratorio?

Respondeo, Dici execratorium, seu imprecatorium, quando verba juramenti non immediate significant invocationem Dei in testem, sed voluntatem, qua jurans se, vel sua Divino judicio offert, ut in eis Deus injuriam sibi irrogatam ulciscatur, si falso illius testimonium invocatur; adeoque Deus inducitur pariter in testem veritatis, & vindicem, si ita non sit. Ubi, ut bene notat Cajet. apud Sanch. l. 3. c. 1. num. 5. Officium vindicis imploratur sub testis ratione; imploratur enim punitio ad hoc, ut testetur; adeoque ratio vindicis solum materialiter concurrit. Ex quo infert Sanch. n. 6. ad hujus juramenti veritatem, & falsitatem nihil referre, sive credas, Deum fore vindicem, sive non, sive velis, nolisve: quia non adducitur Deus in confirmationem credulitatis, vel voluntatis, sed alicujus alterius veritatis; ideoque, si hoc sit falsum, non duplex, sed unica est culpa; nisi ex animo impreceris malum, sic enim peccas contra tui ipsius charitatem.

Quæres secundo, Quid sit dicendum de adjuratione?

Respondeo, Non esse juramentum, nec deprecationem, sed imprecationem, seu jussionem per aliquam rem dantem moraliter ipsi imprecationi, seu jussioni vim: v. g. si ita obtesteris, *Præsta hoc per Amorem, quem Deo, SS. vel Patri tuo geris: per vitam tuam, vel Patris tui hoc age. In nomine, virtute Dei id geras, &c.* Itaque si exhibeatur per Deum, vel ea, quæ ad Deum pertinent, erit actus Religionis Latriæ; si per Virginem, Hyperduliæ; si per SS. Duliæ; si per homines, politiæ, humanæque imprecationis. Hinc adjuratus ex vi solius adjurationis non obligatur, quia adjuratio est tantum inducta ad inducendam majorem quandam reverentiam, vel timorem ipsi personæ adjuratæ. Cæterum, ne temere contra Religionem exerceatur adjuratio, requirit proportionaliter tres comites, scilicet veritatem, justitiam, & judicium. Veritas consistit in eo, quod non fiat per falsos deos, vel per eos, quibus non debetur reverentia, ut per dæmonem; sic enim mortale est: item, ut non admisceatur mendacium, ut si dives fingens se pauperem, eleemosynam petat propter amorem Dei, in quo tamen is peccat tantum venialiter contra Religionem; cum nihil afferatur, sed tantum inducatur alius fictione, & mendacio levi, quæ non censetur gravis Deo irreverentia: Sanch. l. 3. c. 42. n. 5. contra Pal. Justitia consistit in eo, quod petatur res justa, & honesta; si ergo per Deum, vel SS. adjures quempiam ad committendum peccatum mortale, mortaliter peccas etiam contra Religionem; venialiter, si leve: secus, si per hominem, &c. Judicium demum, ut adhibeatur modus discretus, & prudens; secus enim est nominatio Dei, vel Sanctorum in vanum, quod est veniale; mortale vero, si adjuretur Deus, vel Sancti imperative, vel dæmon deprecative. Irrationabilia vero adjurari possunt tum imperative, tum deprecative; sed non proprie, ac si intelligerent, sic enim esset superstitio, & tacitum pactum cum dæmone.

Demum nota, dæmonis adjurationem per Deum tunc esse licitam, cum fit ad finem, ut desistat a nocendo, &c. vide dicta q. 2.

CAPUT IV.

De Voto.

VIDENDUM hic: Primo, Quid, & Quotuplex sit votum? Secundo, Quænam sit materia voti? Tertio, Quænam sit obligatio voti? Quarto, Quot modis cesset votum?

§. I.

Quid, & Quotuplex sit votum.

VOTUM est *Promissio facta Deo deliberata de bono possibili, & meliori.* Et dividitur ratione materiæ in Reale, cum vovetur pecunia, vel res pretio æstimabilis; Personale, cum vovetur actio humana; & Mixtum, cum vovetur utrumque: item ratione modi, in Absolutum, cum vovetur sine ulla conditione; Conditionatum, cum sub conditione aliqua; & Pœnale, cum in pœnam, si v. g. ludam &c. Denique ratione solemnitatis, in Solemne, quod publice acceptatur ab Ecclesia, & Simplex, quod talem solemnitatem non habet. Quoad verba definitionis.

Quæres primo, Quænam Promissio requiratur ad votum?

Respondeo, Requiri promissionem internam, quæ ultra simplex propositum faciendi aliquid involvat principaliter intentionem, seu voluntatem se ad id obligandi alteri. Hinc vovens ficte, hoc est sine tali intentione, non vovet; & peccat graviter in professione Religiosa, & in susceptione Ordinis Sacri, quia in re gravi illudit Religioni, vel Ecclesiæ; nisi forte gravis metus injuste incussus det causam æquivocandi: extra hos casus videtur tantum veniale, quia non irrogatur gravis injuria Deo, coram quo nulla datur fictio, vel deceptio. Vovere autem cum voluntate se obligandi, sed sine proposito exequendi, est grave, vel leve, prout est materia gravis, vel levis: Croix n. 369.

Cæterum ad votum non requiritur, ut expresse dicas, *Promitto, voveo, me obligo, &c.* satis enim est, si dicas æquivalenter, & implicite, modo habeas intentionem te obligandi. Hinc si dicas, *O Domine, redde mihi sanitatem, & ingrediar Religionem*, quantum verba sonant, videris vovere, quia tales locutiones conditionatæ, *Faciam hoc, si des illud, &c.* quando fiunt alteri, & junguntur cum intentione impetrandi ab eo illud, inducunt rationem pacti: Croix n. 364. Contra vero si ægrotans dicas, *Quando Deus mihi restituet sanitatem, ingrediar Religionem*, quantum verba sonant, non videris vovere, sed tantum proponere; ideoque, si sanatus non ingrediaris, peccas tantum venialiter ratione inconstantiæ, nisi cum causa mutes eam voluntatem, quia prudentis est cum causa mutare propositum: Croix n. 361. Notanter dixi, *quantum verba sonant*, quia si adsit intentio se obligandi Deo, quæcumque sint verba, habetur votum: uti contra, dum pœnitens confessario nolenti v. g. absolvere dicit, *Absolve, & promitto tibi sedenti loco Dei, me non amplius peccaturum*, non censetur vovere; quia ordinarie tantum est animus manifestandi serium propositum &c. Croix ibidem.

Quæres secundo, An ad valorem voti requiratur, ut promissio sit deliberata?

Respondeo Affirmative, itaut non sufficiat semiplena libertas ad valorem voti, etsi in materia levi; quia omnis obligatio in voto desumenda est secundum intentionem voventis; ergo necesse est ad quodvis votum requiri plenam libertatem: secus posset quis ex semiplena deliberatione imponere sibi obligationem gravem, quod est nimis onerosum: Croix n. 380. Hinc inferunt communiter cum Glos. in *c. Mulier. 32. q. 2.* talem libertatem requiri ad quodvis votum, qualis requiritur ad peccandum mortaliter; talemque ætatem, usumque rationis sufficere ad se obligandum voto, quæ satis est ad posse peccare mortaliter; excipe tantum Professionem Religiosam, & etiam vota Religiosorum Societatis Jesu emissa post biennium, quæ requirunt ad sui valorem ex Lege positiva Tridentini certam ætatem: v. Pelliz.

Cæterum sufficit deliberatio virtualiter perseverans: sic Novitius absoluto noviciatu recitans coram Prælato formam Professionis, etsi ira turbatus animo, ut nullam formalem deliberationem, vel advertentiam habeat, vere vovet; quia adest deliberatio virtualis ex deliberatione præterita, ut supponimus. Si tamen tunc sit impos mentis, Professio est invalida, quia cessat om-

nis

nis deliberatio etiam virtualis; nisi forte, inquit Suar., quando foix compos, præviderit, se eo tempore fore impotentem, & tamen volueris obligari posita prolatione verborum, veluti conditione: Croix n. 367. Similiter, si sciens te in ebrietate multa vovere, te inebries, teneris ad ea vota, si ante consenseris in eam obligationem; secus, si non consenseris: v. Croix n. 368.

Quæres tertio, An vota facta ex metu sint valida?

Respondeo cum distinctione: Si metus sit incussus non ad extorquendum votum, sed ad alium finem, omne votum in tali metu factum est validum; idque sive metus sit gravis, sive levis, sive juste, sive injuste, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco incussus; quia tunc a nemine impellitur vovens ad emittendum votum, sed sponte sua id voti medium eligit, quo ex eo periculo incolumis evadat: Sanch. l. 4. Decal. c. 3. a n. 5.: sic, si damnatos etiam injuste ad mortem, vel obsessus ab hostibus, eligat sua sponte Professionem Religiosam, si vita ei condonetur; vel alius etiam injustam illam inferens vitam ei offerat ea conditione acceptata, modo revera is metus ob aliam causam incussus sit, valet Professio, & quodvis aliud votum: atque hinc defenditur Consuetudo, ut vir accusans conjugem de adulterio remittat ei pœnam mortis, dummodo profiteatur in Religione: Sanch. ibid.

Si vero metus incussus sit ad extorquendum votum; tunc, si sit gravis, & injuste incussus, Sot., & alii apud Sanch. n. 8. dicunt, quodvis votum esse invalidum jure Divino naturali; quia, cum votum sit spontaneus actus Religionis, petit necessario materiam sponte oblatam, nec censendus est Deus aliter acceptare, ne det vim injustæ coactioni; quam sententiam satis probabilem vocat Sanch.: sed n. 9. probabilius negat, quia, cum tale votum sit simpliciter voluntarium, & tantum secundum quid involuntarium, est vere, & simpliciter actus humanus Religionis; ideoque non est, cur non acceptetur a Deo. Jure autem positivo *c. 1. de his, quæ vi*, Professio Religiosa, (& similiter secundum Pelliz. vota simplicia in Societate Jesu post biennium) est irrita; & quamvis iste textus non statuat, sed supponat irritam, nec constet ex alio textu talis irritatio, habetur tamen traditione omnium Doctorum, & forsan olim scripta fuit, & scriptura periit: Sanch. n. 12. cum aliis communiter, qui communiter etiam contra Sylv., Card., Penn., Lop., & alios extendunt id ad omnia alia vota, utpote quæ sunt similiter opera consilii, & suam perpetuitatem habent: Sanch. ibidem. Contra vero dicendum, si voventi non innotuit, metum esse sibi incussum ad hunc finem extorquendi votum, quia tunc non coactus ad votum, sed sua sponte illud tanquam medium incolumitatis eligit: Sanch. n. 6.; idemque est, si metus injuste ad eum finem incussus sit levis, ut probabilius docet Sanch. n. 14. cum aliis contra Navar., Sa, & alios: idem si metus, utut gravis, ad eum finem sit juste incussus, quia tunc metus ille censetur oriri potius ex lege naturæ delicti, ac proinde ab intrinseco: Sanch. n. 22. & alii contra Lop. Sa, Veg., & alios.

Ex dictis infers, Initiatum Ordine Sacro ex metu gravi ad id injuste incusso non teneri voto Castitatis Ordini adnexo; atque ita posse sine ulla dispensatione ad nuptias transire (nisi cessante metu semel eo Ordine usus sit; tunc enim non potest resilire, utpote ratificator Ordinis, adeoque voti: Sanch. n. 18.) idque, etiamsi talis in suscipiendo Ordine verum se eo voto obligandi animum habeat, cum Ecclesia talem consensum irritet ex dictis: Sanch. n. 13., Sot., & alii contra Perez. *de Matr.*, & alios.

Quæres quarto, An vota facta ex errore, vel ignorantia sint valida?

Respondeo, Errorem, vel ignorantiam esse posse vel circa naturam voti, vel circa finem voti, vel circa circumstantias. Si sit circa naturam voti, certe votum est nullum, v. g. si nescias, quid sit vovere, saltem juxta modum ordinarium, quo alii vovent: si autem ordinandus in Sacris ignoret plane votum Castitatis adnexum, alii affirmant, teneri voto; alii probabilius dicunt, teneri tantum ex præcepto Ecclesiæ, nisi vero implicite saltum in votum consenserit, sciens nimirum confuse saltem ujusmodi Ordinatos abstinere, &c. v. Sanch. l. 2. Matr. d. 27. n. 11.

Si error, vel ignorantia sit circa finem voti, hic potest esse triplex: Primo, Communis omnibus votis, estque divinus cultus, & honor, de quo quæst. sequ.: Secundo, Specialis, et proprius talis, vel talis voti, ut sublevatio alienæ miseriæ pro voto eleemosynæ: Tertio, Specialis, & proprius voventis, qui finis potest esse, vel principale motivum vovendi, vel tantum causa impulsiva, seu occasio, quæ illum excitet, & impellat ad libentius, & citius vovendum. Si ergo vovisti dare eleemosynam Titio, quem pauperem, & probum putabas, si is non erat probus, valet votum, etiamsi non vovisses, si scivisses improbum, quia stat finis intrinsecus voti, scilicet sublevatio alienæ miseriæ; secus vero, si non erat pauper, etiamsi deinde depauperetur; quia causa finalis tempore voti non subsistebat, nec votum fiebat pro tempore sequenti. Si autem tunc erat pauper, sed paulo post evasit dives, cessat obligatio voti, nisi iterum subito depauperetur; quia, cum causa finalis tempore voti substiterit, quamvis deinde cessavit, tamen postea revixit: ergo redit obligatio voti: Croix n. 374. Si ob periculum incontinentiæ vovisti non ingredi per eonum domum A, falso putans, ibi esse occasionem pravam, sed talis occasio adveniat post mensem infra illum annum, teneris, quia votum habet successum temporis, adeoque obligat pro ea partu, pro qua verificatur causa finalis voventis: Croix n. 375. Si sponsa falso putans, se teneri revelare sponso tactus illicitos cum alio habitos, ne id revelare cogatur, voveat Religionem, votum est nullum, quia est error circa motivum principale voventis: Croix n. 376. Si demum error, vel ignorantia sit tantum circa circumstantias, hæ debent esse magni momenti, ut irritent votum; quando autem, & quales sint illæ, relinquitur judicio Prudentium. Mol., & Gob. apud Croix n. 377. dant hanc regulam: si ignorantia sit talis circumstantiæ, quæ homines similis conditionis soleat a vovendo retrahere, censendum, hunc voventem non teneri voto: si vero id non possit constare, tunc ex aliquo voventis actu, aut fine voti conjiciendum: v. Croix ibidem. Si modestia, silentio, &c. Carthusianorum voveas ingredi eorum Religionem, putans tamen eos vesci carnibus, non teneris voto, quia est error circa circumstantiam magni momenti: Croix n. 378.

Quæres quinto, An ad votum requiratur, ut promissio fiat Deo?

Respondeo affirmative, quia votum est actus Latriæ soli Deo debitus, & Deus naturali lumine cognitus sufficit etiam infideli ad vovendum. Dum autem vovemus quidquam Sanctis, sensus est, voveri ea Deo in honorem simul Sanctorum, sicut Templa, & Altaria ædificamus Deo in eorundem honorem. Idem est, si promissio fiat Ecclesiæ ex devotione, & pietate. Hinc resolvitur hic casus: Berta novem annos nata vovit omni Sabbato audire Missam, nihil tamen cogitavit de Deo, vel Sanctis, & quantum nunc meminit, nihil cogitavit de obligatione sub peccato; meminit tamen, quod primo Sabbato voluerit Missam audire: quæritur, an censenda sit vovisse, & teneri voto? Ratio partis negativæ est, quia non videtur scivisse, quid esset vovere, nec agnovisse obligationem voti. Ratio affirmativæ, quia primo Sabbato putavit, se peccare, si non audiret Missam, & cum per talem auditionem vellet obtinere gratiam utique e Deo, saltem obscure id promisit Deo. Cæterum omnibus consideratis videtur votum dubium, de quo quæsito sequenti.

Quæres sexto, Quid sit dicendum de voto dubio?

Respondeo primo, Si dubium est, an voveris; tunc si ex motivo probabili opinaris, te vovisse, & non habes motivum probabile in oppositum, teneris voto, pro quo stat possessio; nec proprie est dubium: si autem non ita diu, postquam statuisti aliquid facere, dubites, an voveris, necne, & judicabis te non vovisse, non teneris; quia non tam facile, & cito obliviscimur magnæ promissionis, qualis est votum: Secundo, Si voveris, sed dubites, an te volueris obligare, vel Deum invocare, communiter cum Dian. obligaris, quia certus es de actu voti; præsumitur autem pro validitate actus, donec de invaliditate constiterit: probabile est oppositum apud Tamb.: Tertio, Si dubites, an sciveris, quod votum afferat obligationem gravem, teneris, maxime si habitualiter id sciveris, quia omnis vovens satis cognoscit exercite, quod se obliget Deo, cui advertenter vovet: ergo, si res sit gravis, etiam sufficienter advertit obligationem gravem: oppositum probabile putat Gob.: Quarto, Si dubites, an, quando vovisti, habueris plenum usum rationis, non teneris, si vovisti ante septennium: contra teneris, si post septennium: licet non ubique, neque cum omnibus sit adhibenda hæc Regula; si vero dubites, an septennium fuerit expletum, Sanch. dicit, te teneri, quia votum est certum, & excusatio dubia; non improbabile putat oppositum Pal.: Quinto, In dubio, an passio ita obscuraverit

rit mentem, ut non adfuerit, nisi semiplena advertentia, standum est pro valore voti, nisi tales conjecturæ occurrant in contrarium, ut prudenter credas, te non satis consideratie necessaria ad obligationem contrahendam: similiter in dubio, an voveris in ebrietate, vel phrenesi, Sanch. putat, præsumendum, quod extra; quia raro in ejusmodi statu fiunt vota: Sexto, Si vovisti sub conditionibus, & dubites, an eas intellexeris copulative, an disjunctive, v. g. vovisti jejunare, si Pater tuus absens convalesceret, & domum rediret, nec potes scire, an utramque conditionem simul intenderis, an alterutram, non teneris, nisi utraque impleatur; quia nec verba, nec materia rem declarant, & in dubio favendum est voventi: Septimo, Si scias, te vovisse jejunium pro die Martis, & dubites, an habueris intentionem supplendi alia die, si illa die negligeres, non teneris supplere, quia in dubiis, quod minimum est, eligi potest: Octavo, Certus, se vovisse Religionem, sed dubitans, an Religionem in genere, an hanc in particulari, eligere potest, quam volet: similiter certus, se vovisse castitatem, sed dubitans, an perpetuam, an temporalem, quia nescit quibus verbis sit usus, censeri potest intellexisse temporalem: sciens, te vovisse Castitatem & Religionem, sed dubitans, an Castitatem dependenter a Religione, non teneris ad Castitatem, nisi admittaris ad Religionem, quia in dubio eligere potes, quod minus est: Nono, Qui primum invalide vovit, sed postmodum renovavit votum, at dubitat, an renovaverit dependenter a prima emissione, an voverit de novo independenter a priore voto, præsumere potest dependenter a priore voto, adeoque non obligari, quia libertas possidet. Contrarium statuit Trid. *sess.* 25. *c.* 19. *de Regul. in votis Religionis:* Decimo, Quando cessavit causa, ob quam emisisti votum, & dubitas, an fuerit finalis, an impulsiva, dicendum fuisse impulsivam, quia votum est in possessione, adeoque non cessat: similiter dicendum, si voto superveniant tales difficultates, ut dubites, an volueris illarum absentiam sub conditione fuisse inclusam, necne; nam etiam possidet votum contra excusationem dubiam: Undecimo, Si dubites, an executio voti sit possibilis, necne, teneris tentare, nisi tibi inde valde grave impenderet incommodum; cum leges humanæ non obligent cum gravibus incommodis: Duodecimo, Si dubites, an votum tuum sit de re bona, an mala: Sanch. Sot. Bon. Tamb. Pal. d. 3. p. 13. n. 2. absolute docent, non obligari: & videtur certum cum Gob. n. 392. non obligari, si nec Superior, nec vir doctus interrogari, nec actio differri possit, quia nemo tenetur, se exponere periculo peccandi; Suar. tamen, Fill. cum Dian. fatentur quidem, non teneri actu exequi, attamen votum valere, donec a superiore dispensetur, vel declaretur esse invalidum; certus enim est, se vovisse, & incertus, an Deus acceptaverit: ergo tenetur inquirere: Decimotertio, Si voveris, & dubites, an expleveris, teneris, quia votum possidet, & obligationi certæ non satisfit per solutionem dubiam: Decimoquarto, Si quis dixerit: *O Mater Dei! nolo ullam unquam ducere uxorem, sed volo te pro sponsa habere, & fieri Religiosus:* Et dubitet, an vovere voluerit, necne; si postea ita fuit dispositus, ut non putasset, se peccaturum, si uxorem duxisset, Gob. dicit, sufficienter inde colligi, quod non habuerit animum vovendi: Denique in dubio, an fuerit promissio, vel propositum, & in dubio, an votum se extendat, vel non ad certam materiam, non obligat; quia libertas videtur manere in possessione contra istam extensionem: hac de re plura ap. Croix num. 381.

§. II.

De Materia Voti.

EX definitione voti colligitur, ejus materiam debere esse rem bonam, possibilem, & meliorem, quam suum contradictorium.

Quæres primo, An materia voti debeat esse res bona, seu honesta?

Respondeo affirmative, quia debet esse de re grata Deo, & Deo gratum non est, nisi quod cedit in ejus cultum, & obsequium: hinc, si quis voveat actum indifferentem qua talem, puta deambulationem, &c. non tenet, quia sic incapax est divini cultus, & obsequii; D. Th. & alii communiter: secus vero si ob finem honestum, cui consequendo ille actus sit de se aptus, & conveniens: v. g. si voveas non ingredi talem domum, ubi est occasio peccandi, &c. Si mulier voveat non nere die Sabbati in honorem B. V. relicta sibi facultate vacandi aliis operibus servilibus, per se loquendo, non tenet; quia non cedit specialiter in cultum Virginis, nisi vero illud potius opus, quam aliud impediret Divinis vacare; sic enim illi fini bono consequendo apta, & conveniens per se esset ea abstinentia: Sanch. l. 6. c. 7. n. 6. Laym. Pal. p. 8. §. 2. Similiter votum non edendi capita animalium ob cultum, & honorem S. Jo: Baptistæ: non edendi carnes assas igni in honorem S. Laurentii, &c. relicta facultate edendi carnes aliter præparatas, per se loquendo, non tenet, nisi specialis sit in ea abstinentia mortificatio. Similiter nec tenet votum celebrandi ludos publicos in honorem alicujus Sancti, quia ex tua solum relatione, & non ex se videntur eorum honori conferre: Pal. ib. n. 2. Contra vero votum abstinendi ab hoc opere servili die Festo, non fornicandi cum hac femina, non furandi a Petro, &c. tenet, quia horum abstinentia, cum sit res præcepta, per se bona est; ideoque capax obligationis voti: Suar. Sanch. Pal. ibid.

Nota demum, honestatem in re promissa debere esse tunc, cum voves; quia tunc votum debet habere objectum obligationis capax; etsi ergo successu temporis honestatem habebit, impertinens erit ad votum antea emissum; nisi ab eo fuerit antea spectata: Pal. n. 3. ubi ex Sanch. addit, tenere votum v. g. nunquam ingrediendi hanc domum ex periculo putato peccandi cum femina, si postea successu temporis ea ibi inhabitet; quia ly *Nunquam* significat, quoties ibi adfuerit occasio peccandi: ergo votum ab initio fuit validum.

Quæres secundo, An validum sit votum de re honesta ob finem malum, vel indifferentem?

Respondeo affirmative, Si finis teneat se ex parte tantum ipsius voventis: negative vero, si se teneat ex parte rei votæ. Patet primum; quia bonitas voti non desumitur ex bonitate actus ipsius voventis, sed objecti voti; hinc valet, si ex vana gloria, aut ex ira erga importunum mendicum voveas ei dare eleemosynam, quia res ipsa est bona; licet ipsa voveas male, & cum peccato; similiter valet, si contra prohibitionem Superioris voveas rem cæteroqui bonam, quia malitia circumstantiæ tenet se tantum ex parte actus, non objecti: Sanch. l. 4. c. 6. n. 13. Patet secundum, quia tunc absolute malum est, quod promittitur: hinc non valet, si voveas dare eleemosynam ad captandam vanam gloriam, quia hæc intenditur obtineri per ipsam executionem rei votæ, adeoque se tenet ex parte illius: idem est, si voveas eleemosynam ad impetrandam victoriam injustam; tunc enim datio eleemosynæ est actio blasphema, quasi Deus peccata promoveat: Sanch. Laym. & alii; addit tamen Pal. p. 8. num. 4. cum Suar. contra Sanch. Less. Laym. & alios, valere votum in gratiarum actionem pro victoria injusta jam parta, pro filio ex concubina jam nato, quia non pro victoria qua injusta, seu prout a te processit, sed quatenus a Deo: secus vero, si voveas ad obtinendam victoriam injustam, &c. sic enim intendis habere Deum cooperatorem tuæ iniquitatis: v. Pal. num. 4. addit tamen Laym. hic l. 2. n. 5. tenere votum eleemosynæ, ut ex duello evadas salvus, ut non capiaris in furto, ut filius nascatur ex adulterio, quod paras; quia votum non cadit super illa mala, sed super hæc bona, prout in se bona, & Dei dona.

Si voveas eleemosynam, ut avaritiæ opinionem tollas; vel jejunium, ut sumptibus parcas, &c. non tenet; quia finis rei votæ est omnino indifferens, adeoque nullam habet positivam honestatem: contra vero tenet, si voveas eleemosynam, ut impetres a Deo dives matrimonium, filios ex illo, &c. quia finis imbibit divinam donationem, adeoque non est indifferens, sed honestissimus: sic valent vota Castitatis, Religionis, &c. ad obtinendam a Deo sanitatem, liberationem a periculo, &c. Sanch. Pal. n. 6.

Quæres tertio, Quodnam peccatum sit vovere rem turpem, aut indifferentem, aut ob talem finem?

Respondeo Primo, Si res vota, vel finis ipsius sit mortaliter turpis, præter malitiam pravi desiderii, est mortale contra Religionem, quia vel eam Deo offers ut ei gratam, & est gravis blasphemia, vel ut ei ingratam, & est gravis injuria: Doctores communiter, idque verum est, etiamsi verbo tantum, & sine animo promittendi, aut exequendi fiat; Suar. Pal. n. 8. Secundo, Si res vota, vel ejus finis sit tantum venialiter turpis; Suar. Less. & alii dicunt, esse tantum veniale ob levitatem materiæ; Pal. n. 9. dicit, esse mortale, quia res turpis, etiamsi minima Deo oblata, tam-

quam cedens in ejus cultum, est graviter ei injuriosa; notat tamen, quod verbum *Voveo* in re, vel fine turpi passim non significat votum, sed ordinarie juramentum; ideoque erit peccatum veniale, si materia sit levis. Tertio, Si solus finis voventis sit malus, est veniale contra Religionem, quia solum est defectus in modo vovendi ex fine extrinseco, qui non vitiat rem votam; potest tamen esse mortale ratione sui, si finis ille sit mortalis: Pal. n. 7. Quarto, Si materia, vel finis sit omnino indifferens, est tantum veniale, quia nec actus est Deo contumeliosus, nec materia positive ingrata, sed tantum habetur imprudentia in ejus electione: Croix n. 425. contra Bej. Quinto demum, Executio dictorum votorum eandem malitiam continet, quam emissio, utpote voti approbatio. Croix n. 426.

Quæres quarto, An votum debeat esse de meliori bono?

Respondeo affirmative, quia quamvis honestum sit quodvis bonum libare exequi, non tamen ex obligatione, nisi illud sit melius, quam ejus oppositum, seu ejus omissio; nequit enim esse gratum Deo obligari ad relinquendum id, quod est ei gratius: Doctores communiter. Hinc omnia vota opposita Consiliis Evangelicis sunt nulla, v. g. votum non suscipiendi Ordines, non ingrediendi Religionem, non mutuandi, non fidejubendi, non erogandi eleemosynam, &c., quia Consilia semper sunt de meliori bono, quod impeditur per talia vota: Doctores communiter.

Nota tamen, quod, ut aliquod dicatur impeditivum majoris boni, non satis est, quod sit impeditivum majoris boni cujuscumque; sic enim vix ulla vota valerent, cum semper dari possit aliquod melius incompossibile cum illo, quod vovemus; sed debet esse impeditivum majoris boni, quod vovens habeat tunc, cum vovet: Croix hic n. 408. Item ex Gob. ap. eundem, votum debet esse de re meliori, quam sit res illa, cui privative, & directe opponitur res vota.

Hinc valet votum perpetuo serviendi in Hospitali, quamvis te impediat a Religionis ingressu; quia sic servire melius est, quam non servire, & sic vovendo non diceris impedire majus illud bonum Religionis, quod tunc non habebas: similiter valet votum ingrediendi Religionem laxiorem; quamvis impeditivum Religionis strictioris, quam tunc non habebas. Contra vero votum nubendi per se loquendo non valet, quia impedit cœlibatum, quem habes, & qui de se melior est, quam Connubium. Dixi, *Per se loquendo*, quia valet, si alias tenearis nubere, puta si violasses puellam sub fide data Matrimonii; vel si sperares inde bella inter Principes Christianos cessatura; vel multos infideles ad Fidem convertendos; quia sic votum non impedit, sed te aliunde impeditum, & obligatum firmiorem in ea obligatione redderet: Suar., Pal. p. 8. §. 5. n. 12. Votum autem nubendi cum animo non consummandi, sed Religionem ingrediendi non tenet, ob periculum violandæ Castitatis, & recedendi a statu cœlibatus, quod tamen, cum cessaverit in B. V., ideo valide vovit: Sanch., Suar., & alii contra Sot. Votum vero nubendi in remedium frequentis lapsus, &c. Cajet., Val., Bell., Sanch., & alii dicunt, valere, quia melius est nubere, quam uri; probabilius negant Suar., Less., Laym., Sot., Pal. n. 14., & alii; nisi vero illud sit unicum remedium, quod tamen rarissimum est. Votum denique ducendi pauperem, meretricem, &c. titulo pietatis, si sit absolutum, non tenet; quia excludit per se a vovente statum meliorem, quem habebat; tenet vero, si sit conditionatum, scilicet si nubam, quia sic obligaris tantum ad melius Matrimonium, si ex tua voluntate decreveris nubere: Sanch., Suar., Pal., qui tamen addit contra Suar., votum hoc absolute prolatum non tenere in sensu conditionato, nisi de tali intentione constet.

Hæc vota, scilicet non ingrediendi Religionem, nisi hanc; non recitandi Rosarium, nisi flexis genibus; non dandi in eleemosynam, nisi unum aureum, &c. Pal. n. 16. dicit, non tenere, quia habent hoc adjunctum: non ingrediar aliam Religionem, non recitabo stans, non dabo eleemosynam medii aurei, &c., quæ sunt materiæ ineptæ voto: Sanch., Laym., & alii dicunt, tenere: tum quia directe sunt de bono meliori, quamvis indirecte aliud bonum excludant; tum etiam quia melius est conditionate obligari ad unum, quam esse liberum ad utrumque: Tamb. affirmat, si cum causa; negat, si sine justa causa sic voveas: v. Croix hic n. 411. Si voveas Religionem, ut commode vivas, tenet; quia hoc non est finis principalis, sed causa tantum impulsiva. Votum Carthusiani de nunquam omnino comedendi carnes spectatis circumstantiis status, Regulæ, & boni communis est de meliori bono, adeoque tenet: Croix n. 412. & 413.

Votum non admittendi Episcopatum, si fiat ex humilitate, vel ad evitanda pericula, tenet: ut certum est in Societate, Jesu; quia, esto illud sit opus bonum & perfectum ex Apostolo, tamen periculosissimum, nec ad perfectionem promovet, sed eam in assumente supponit: idem dicit Suar. de voto non ascendendi ad Ordines sacros, sed melius contradicit Tamb., quia non afferunt tantum periculum: v. Croix n. 419.

Vota non comedendi delicate, non ludendi honeste, &c. per se loquendo videntur de meliori bono; quia sic anima disponitur, ut ad meliora virtutis opera incumbat: qua ratione etiam votum paupertatis validum est, nisi vero occurrat casus specialis, in quo ob charitatem propriam, vel alienam, vel ob alium rectum finem judicabitur melius recreari: v. Pal. n. 9.

Votum non vovendi, si sit absolute excludens omnem libertatem vovendi, non tenet; quia absolute melius est habere libertatem vovendi. Votum autem non vovendi temere, inconsulto Confessario, &c. tenet, quia tantum excludit malum, scilicet temeritatem, imprudentiam; si ergo immemor talis voti jam facti, temere voveas aliquid, hoc non tenet, quia prior voluntas videtur moraliter manere; si vero memor illius voveas, hoc tenet; peccas tamen venialiter contra prius votum, cum non sit gravis temeritas: v. Croix n. 417. ex Suar., Sanch., Pal.; &c.

Votum non petendi dispensationem, si sit absolutum, non tenet; quia ea sæpe est necessaria, vel melior voventi; si sit de non petendo sine causa, tenet, ut patet; & in dubio ita præsumitur, quia in dubio standum pro valore actus; & nemo præsumitur male vovisse: Croix n. 418.

Quæres quinto, An votum debeat esse de re possibili?

Respondeo affirmative; quia ad impossibile nemo tenetur. Hinc votum nunquam amplius peccandi in genere nec mortaliter, nec venialiter non tenet, si expresse volueris te obligare ad totam illam materiam indivisim; quia sic res est moraliter impossibilis; si vero volueris te divisibiliter obligare, tenet relate ad mortalia, cum hæc tantum sit materia possibilis: Pal. p. 8. n. 8., & sic præsumendum in dubio, juxta modo dicta; de voto autem vitandi omnia venialia eadem esse potest doctrina; si enim indivisim omnia tum plene, tum semiplene deliberata, non tenet, utpote de materia moraliter impossibili; tenet vero, si divisibiliter: tenet quoad plene deliberata, utpote materiam moraliter possibilem: v. Croix n. 401. Neque dictis obstat Lex naturalis obligans ad cavenda omnia, & singula, aut propositum omnia, & singula cavendi: nam ad obligationem Legis naturæ sufficit potentia physica, non autem ad obligationem Legis positivæ, & humanæ, quale est votum, quod, cum sit Lex a vovente ipso sibi libere imposita, respicit per se potestatem moralem: propositum autem non inducit obligationem, & ideo est validum. Votum denique vitandi omnia venialia, quantum in te erit, Sanch., Less., & alii putant, valere, quantum ad adhibendam curam specialem cavendi; negat Pal., quia nemo unquam poterit scire, an debitam diligentiam adhibuerit, præsertim in semiplene deliberatis; adeoque erit de materia moraliter incognoscibili: v. Croix n. 403.

Votum de re partim possibili, partim impossibili non tenet, si expresse nolueris obligari ad partem, nisi obligeris ad totum, ex modo dictis. In dubio autem attendenda est materia promissa; si enim ea sit divisibilis, & spectato communi usu vovendi materia possibilis non pendeat a materia impossibili, votum obligat quoad partem possibilem; si autem partes inter se copulari soleant, non obligat simpliciter: item, si inter partes una est principalis, altera tantum accessoria, & principalis sola sit possibilis, obligaris ad hanc; si sola accessoria sit possibilis, ad nihil teneris: v. g. si voveris dare 100. in eleemosynam, & non potes, nisi 20., teneris ad hos 20., quia est pars possibilis, & ex communi sensu divisibilis: contra, si vovisti confiteri, adeoque dolere de peccatis, si non potes confiteri, non teneris dolere; item vovisti jejunare in pane, & aqua: si potes, sed non sine vino, teneris: vovisti adire Romam nudipes: si potes, sed non nudipes, teneris. Contra vero vovisti certo die jejunare, si tunc non potes, non teneris alio die, &c. v. Sanch. & alios apud Croix n. 400.

Quæ dicta sunt de materia partim possibili, partim impossibili, dic pariter de materia partim apta, seu honesta, partim inepta, seu turpi, indifferenti, &c.

§. III.

§. III.

Quanam sit obligatio Voti.

ET Fide, & ratione constat, votum obligare ad sui executionem; si enim fides data hominibus obligat ut servetur, quanto magis fides data Deo? *Redde* igitur *Altissimo vota tua*; Psal. 49. Per se autem obligat ex virtute fidelitatis, quæ comparatione Dei est virtus Religionis, quia vovent rem in Dei cultum consecrat; isque acceptat: v. Pal. p. 1. n. 1. usque ad 5.

Cæterum, etsi obligatio voti sit naturalis, vis tamen ejus pendet ex intentione voventis, tanquam prævia conditione; cum sit veluti privata Lex, quam quis sibi ponit, & Lex non obligat ultra intentionem Legislatoris: hinc obligat sub gravi, vel sub levi juxta intentionem se obligantis: Doctores communiter. Hinc, etsi gravis sit materia Deo vota, potest tamen vovens ad illam se obligare sub levi; cum enim liberum sit, se voto obligare, liberum etiam erit, se nolle totam obligationem subire: Sanch., Suar., Pal. n. 4. & alii contra Sot., Vasq., & alios; neque obstat paritas juramenti, quia adducere Deum in testem non suscipit magis, & minus; at votum formaliter consistit in voluntate se obligandi; sicut ergo Legislator potest sub levi obligare ad rem gravem: ita & vovens. Contra vero in materia levi non potest vovens se obligare sub gravi, sicut nec Legislator, &c. quia est incapax talis obligationis: v. Sanch. l. 4. c. 12. n. 6. Croix n. 429. Excipe tamen vota adnexa Religioni, & Sacris Ordinibus; cum enim involvant stabilitatem, erunt irrita, nec a Deo acceptata, si tantum intendatur obligatio levis: similiter votum se tantum obligandi sub imperfectione, & non peccato reipsa est nullum, sed simplex propositum: Lug. *Resp. mor.* l. 6. d. 8. Denique, quando non constat de intentione voventis, spectanda est materia promissa, & juxta illius gravitatem, vel levitatem censendum est votum obligare: quia quilibet censetur eam obligationem subire velle, quæ materiæ est accomodata: illa autem censetur materia gravis respectu voti, de qua dari potest præceptum obligans sub gravi; at non est consideranda materia nude secundum se, sed etiam videndum, an ex circumstantiis notabiliter conducat ad Divinum cultum, vel ad utilitatem voventis, ut dicitur de Lege, Præcepto, Pœnitentia imposita, &c. Si autem tum intentio, tum materia sit dubia, attendenda sunt verba, quia quisque censetur facere velle, quod verbis indicat: si demum neque ex his constat, votum est interpretandum obligare sub levi, quia in obscuris, quod minus est, sequimur, *ff. de Reg. Jur.*: Croix n. 429. Pal. p. 12. a n. 1. &c.

Hinc infers, Primo, Qui vovit recitare Rosarium, sufficit, si tertiam partem recitet, quia secundum frequentiorem usum hoc intelligitur: Suar., Sanch., Pal. n. 5.; addens tamen contra Azor., & Bon., non satisfacere, si recitet alternatim cum alio, quia communi usu, & consuetudine non alternatim recitatur. Secundo, Qui vovit singulis diebus audire Sacrum, satisfacit diebus Festis unum audiendo, quia non est credendum, voluisse tunc duplici sacro se obligare in rebus habentibus tractum successivum. Tertio, Qui vovit Virginitatem perpetuo servare, tenetur, etiamsi illam deinde amiserit: nisi expresse intenderit se obligare ad vitandum tantum primum actum, quod in dubio non præsumitur, quia communiter intenditur, nullum actum contrarium deinceps admittere. Quarto, Qui vovit peregrinari Romam, & tunc cogitavit ire pedester, satisfacit, si eat eques, quia est vera peregrinatio, & cogitatio eundi pedester non facit ad obligationem, nisi expresse sit promissa: Sanch. c. 11. n. 32.; Si autem mercede conductus, vel causa negotii, curiositatis, aut vi coactus eas, Sanch. negat te satisfacere, quia vovisti peregrinationem voluntariam, religiosam, & piam; sed contradicunt Pal., Tamb., Croix n. 435. quia absolute peregrinationem piam voluntarie suscipis. Quinto, Qui vovit omni die jejunare, non obligatur diebus Dominicis, nisi expresse intenderit; quia non censetur, se velle obligare contra receptam Ecclesiæ consuetudinem: imo Sanch. l. 2. c. 37. num. 16. cum Suar. dicit, votum jejunandi ordinarie diebus Dominicis esse irritum; validum tamen pro singulis seorsim, quia, si voveris omni anno jejunare certo die, si hic incidat in Dominicam, potes vel tunc, vel in Sabbato; nisi Sabbato habeatur aliud jejunium: Sanch. n. 17.: Si autem vovit jejunare omni die Veneris, probabile est, non obligari, si Nativitas Domini tunc incidat, nisi expresserit; Azor., Mol., Tamb., Illſ., contra Suar., Sanch., Bon., Pal., & alios apud Croix num. 438. Qui a juventute voverit certis diebus jejunare, probabile est post ann. 60. non obligari, quia ad modum jejunii Ecclesiastici; idemque est, si votum Castitatis fuerit permutatum in perpetuum jejunium; nisi expresse, &c. Croix n. 439.

Quæres primo, Qualiter obliget votum alicujus rei indeterminatæ quoad individuationem?

Respondeo, Obligare cum libertate electionis: Sic, si voveris Ecclesiæ unum Calicem ex pluribus, quos habes, non teneris ad pretiosiorem: Sanch. l. 4. c. 13. n. 19. Si autem ex illis unus tibi remanserit, Sanch. cum Molin. negant, te obligatum dare integrum, sed posse dividere cum Ecclesia; quia, cum nullum determinaveris, videtur æquum, ut Ecclesia ferat partem damni: sed Pal. n. 26. Bon., & alii probabilius dicunt, teneri ad totum, vel ad pretium deperditi; quia singuli toti sunt promissi sub disjunctione; nisi vero voluisses dare unum, quia habebas tam multos, ut posses carere uno; sic enim cessaret votum, ut addit Pal. Si autem scias, te vovisse certum Calicem, sed nescias, utri e duabus Ecclesiis: Sanch. n. 8. putat, te posse dare, cui voles, quia tota obligatio dandi est a te; sed Pal. n. 27. probabilius dicit teneri dividere pretium pro qualitate dubii, quia aliter exponeres te periculo nulla ex parte implendi votum.

Quæres secundo, Qualiter obliget votum alicujus rei indeterminatæ quoad quantitatem, vel qualitatem?

Respondeo, Determinari posse ad minimam quantitatem, & qualitatem utilem sub ea promissione contentam, (nisi aliud ex consuetudine, vel circumstantiis eruatur) quia sic etiam impletur votum; modo non sit tam parum, ut censeatur potius votum irrideri; sic legatum indeterminate relictum probabile est impleri posse secundum minorem quantitatem, ne nimium hæres gravetur ex *l. 83. ff. de Legat.*; Vovens autem Calicem alicui Ecclesiæ debet ad minimum argenteum; quia sic est inferioris qualitatis ex iis, quibus ea uti solet: nisi vero promittens sit nimis, pauper, & Ecclesia illa stanneis etiam calicibus utatur; tunc enim censeri potes, stanneum vovisse: Laym. Pal. n. 24. Qui vovit Religionem in genere, potest ingredi quamcumque etiam laxiorem, modo sit approbata, & servet essentialia; sicuti, qui vovit triticum, satis est ut det, quod non sit plane ineptum: Busemb., & alii: Qui vovit Religionem in genere, vel Conventum determinatæ Religionis indeterminatum: si vovens est femina, tenetur tantum adire Monasteria suæ Civitatis, ut admittatur, vel prope illam, vel aliud distans, si sit ei æque commodum, ac in patria sua; modo commoditas ista erat etiam tempore voti, quia ex communi usu feminarum colligitur, eas tantum obligari sub tacita conditione, si in sua patria, vel prope admittantur: ergo, si aliud non constet ex intentione voventis, ad id tantum tenetur: Sanch. l. 4. c. 16. n. 46. Si autem vovens sit masculus, Tol., & Philiarc. ibid. dicunt, hunc etiam teneri in propria tantum Civitate, vel prope; sed communiter rejiciuntur, quia communis usus talium voventium latius se extendit, nimirum ad suam Provinciam, ex Azor., Aug., Sa, & aliis, hoc est, ad suam nationem, seu Regnum, ut intelligit cum communi Sanch. n. 44.; addit tamen n. 47. satis esse, si Religionem determinatam voverit, adire 5. vel 6. ejus Monasteria, quia ex illis valde probabiliter conjectari potest, in reliquis non admittendum: si vero Religionem in genere, debet 5. vel 6. cujusque Religionis suæ nationis adire; quia debet tot cujusque adire, donec non sit moralis spes admissionis: addit n. 49., hunc non teneri adire Religionem strictissimam (si ab aliis non admittatur) puta Cappuccinorum, vel Carthusianorum; quia hæ Religiones asperrimæ specialem Dei vocationem petunt, nec communiter a voventibus apprehenduntur; nisi aliud constet ex eorum mente: addit n. 51., nec teneri ingredi Religionem S. Jacobi Alcantaræ, Calatravæ, S. Joannis, etsi in aliam non admittatur, quia, etsi vere Religiones sint, tamen in communi Religionis voto non comprehenduntur: addit etiam, ejusmodi repulsas, ut deobligent, debere fieri ab habentibus legitimam potestatem, & ob causam perpetuam; repulsus enim ad tempus, si speret postea admissionem, tenetur expectare; ita n. 52., & 53.; si repellatur, nisi fiat Laicus, &c., non teneri, si aptus sit ad Sacerdotium: addit n. 70. repulsum, si postea velint admittere, teneri; nisi res sint notabiliter mutatæ, puta per matrimonium, etiamsi evadat viduus: vel per novitiatum alius Religionis, &c. Addit etiam n. 77., votum ingrediendi Religionem, & statim exeundi, esse irritum; quia mala fide conceptum, & de materia partim inepta,

nisi

nisi vero ea pars non cadat sub votum, sed tantum comitetur, &c. vel nisi voverit ingredi ad experiendum; sic enim bona fide procedit, eisque bonum consilium; & egrediens absque legitima causa, non amplius, quam cæteri novitii, peccat.

Addit n. 81. contra Sot., & alios, votum ingressus, & perseverantiæ obligare, ut, etsi ex justa causa exeas, iterum tenes ingredi, ac profiteri, quia facultas a Trid. concessa Novitiis non favet cedenti jure suo: D. Th., & alii communiter; nisi vero talis, ac tanta difficultas superveniat, ut impossibilitetur moraliter, & perpetuo.

Addit n. 84. Votum disjunctivum perseverandi in Religione, vel serviendi in Xenodochio non obligare ingressum ad perseverandum; quia in votis disjunctivis integrum est alterutrum permutare etiam inceptum: ergo transire potes ad Xenodochium.

Addit n. 93. Votum perseverantiæ in Religione in genere, ingressum bona fide in unam, & ex justa causa inde egressum, non obligare ingredi aliam, cujus onera ferre valeas, quia satisfactum est voto per illum ingressum; idemque est, si votum Religionis determinatæ commutatum sit in ingressum alterius laxioris, a qua ex justa causa egrediaris, vel ab hac in perpetuum repellaris, modo tamen commutatio non dicat, ut ad strictiorem religionem reditum facias, &c.

Quæres tertio, qualiter obliget votum rei indeterminatæ tantum quoad tempus?

Respondeo, Obligare ut, quam primum fieri commode possit, executioni mandetur, quia *Debitum sine termino exigere creditor potest, quoties sibi placuerit*, ex l. *Promissor* §. 1.; ex æquitate autem, *Statim solvere, cum aliquo temperamento intelligendum, ex l. Ratum, ff. de Solutionibus*: hinc si spes subsit, quod melius, & utilius dilatione votum sis executurus, potes differre: Pal., Sanch., & alii communiter; dilatio autem sine causa sex mensium in voto Religionis, Xenodochii, &c. est gravis, quia cedit in gravem diminutionem divini cultus, & propriæ utilitatis: Sanch. l. 4. c. 14. n. 22. In reliquis autem votis ex dilatione non diminutis, censendum dilationem duorum, vel trium annorum esse notabilem: Pal. p. 13. n. 7.

Melius Tamb. hic c. 12. §. 3. n. 10. in votis, in quibus dilatio servitium diminuit, v. g. Religionis, Xenodochii, &c. considerandam ætatem voventis; si enim sit 15. annorum, dum vovet, dilatio trium, vel quatuor annorum non videtur notabilis, quia vovet juxta consuetum morem ingredientium, qui est inter 15., & 20. annum: si vero vovit 40. anno, dilatio ultra sex menses videtur notabilis; quia talis ætas longiorem moram non permittit, &c.; in aliis votis, in quibus dilatio solam affert temporis moram, probabilis etiam est ex Sanch. quævis dilatio absque periculo omittendi omnino executionem; quare venialis videtur quævis longa dilatio; non enim ducenda est paritas creditoris humani, cui semper officit aliqua dilatio; quod, cum non sit in Deo, sola intervenit legis negligentia: quod autem dicitur Deuteron. *Non tardabis reddere, &c. secus reputabitur tibi in peccatum*, intellige *mortale*, si præfixeris tempus, vel ex mora subsit periculum, &c. *veniale*, si non præfixeris, nec sit periculum, &c.

Quæres quarto, An votum obliget alios a vovente?

Respondeo negative, Quantum est ex vi Religionis, quia lex privata voventis non obligat, nisi ipsum. Hinc votum personale nullatenus obligat alium a vovente: si ergo Pater vovit Filium Religioni, potest Filius abnuere; & Pater solum tenetur præstare, quidquid ad voti sui executionem conducit. Si votum sit reale, non obligat vi Religionis alios a vovente; vi tamen statuti, vel contractus, vel longæ consuetudinis obligare potest ex justitia: sic votum Patris de danda eleemosyna obligat ex justitia hæredes; quia suscipiunt hæreditatem cum oneribus adnexis; & tale votum adnexum est ex jur. Can., & Civ., exequendum tamen tale votum post aditam hæreditatem, etiamsi non fuerit confectum inventarium; sed post æs alienum defuncti, expensas funerum, & legitimam debitam; tunc autem si plura sint vota, nec possint omnia impleri, fiat pro rata. Cæterum Monasterium succedens in bonis professi non videtur obligari ad solutionem votorum emissorum ante professionem; cum probabile sit, vota etiam realia extingui per professionem: v. Tamb. §. 4. & alios apud ipsum.

Quod dictum est de hærede, Pal., & Sanch. l. 4. c. 15. n. 44. dicit etiam de Legatario; si enim res ei legata sit in specie vota Deo, nulla fuit legatio; si non in specie; tunc, si vires hæreditatis non sufficiant, nec legatum subsistit; cum sit contra votum: si autem vires hæreditatis sufficiunt, probabilius danda est Legatario æstimatio rei legatæ, etiamsi sit determinate Deo vota, ne videatur legans actum vanum, & illicitum facere: v. Sanch. cit. contra vero dicendum de Donatario, qui ad nihil tenetur, etiamsi donans reddatur impotens ad vota solvenda; quia per donationem translatum est dominium, & peccatum tantum est contra Religionem; Legatarius autem dominium acquirere debet ex valore promissionis, quæ, cum nulla sit, perit legatum: v. Sanch. l. 4. c. 15. n. 34. Bon. Cast. & alios.

Quæres quinto, Qualiter votum conditionale obliget?

Respondeo, Votum sub conditione turpi, v. g. eleemosynæ, si vindictam sumas, regulariter esse nullum, qui eleemosyna, ut medium ad quid turpe, mala est; nisi vero apponatur, ut pura conditio: v. Sanch. l. 4. c. 23. Si sub conditione futura, & honesta, ea posita transit in absolutum. Votum Religionis, *Si pater consenserit*; si hic mere non contradicat, obligat; quia intentio voventis fuit patris mœstitiam vitare: Sanch. n. 34. Votum Religionis, *Si soror nupserit*, & hæc moriatur, obligat, quia erat, ne eam destitutam relinqueret: contradicit tamen Pal. p. 17. n. 5. quia conditio in specifica forma impleri debet, ex Menoc. Sarm. & aliis commonitet: & licet excipiantur conditiones, quæ, tanquam dispositiones, ac media ad fidem assumuntur, tamen id est ex juris dispositione, non ex natura rei.

Vovens sub conditione futura honesta contingente tenetur expectare conditionis eventum, si hæc pendeat ab aliena voluntate; ideoque nequit eam eludere, impedire, &c.; si ergo voveas Religionem, *Si pater consenserit*, peccas graviter contra votum, si per vim, aut fraudem ejus consensum impedias; secus, si precibus, & rationibus, quia hæc consensum paternum absolute non impediunt: Suar. Laym. Pal. n. 8. Si autem conditio pendeat a tua voluntate, non teneris expectare conditionis eventum, sed potes statum incompatibilem assumere; sicque, si voveris Religionem, *Si luseris hoc anno*, potes ante impletam conditionem nubere; quia conditio ex tua voluntate pendens tibi remittitur; solum ergo teneris, si volueris conditionem ponere: Sanch. Castr. n. 6. si autem voveris Religionem, *Si integre convalueris*, & vesçaris cibis noxiis, vel media ad salutem non apponas, peccas contra votum, si facias ex industria; si vero ex passione aliqua, Pal. n. 9. ex Suar. & Sanch. ait, non peccari contra votum; quia non præsumeris, voluisse te obligare ad procurandam salutem aliter, quam antea obligatus esses, nec ad mutandum ordinarium modum procedendi: idem est, si voveris Religionem, *Si toto anno non peccaveris graviter*; peccat enim contra votum, si ex industria delinquas; secus, si ex passione aliqua. Hinc dimissus e Societate Jesu ob delicta, tenetur vi votorum postulare regressum, *Si ex industria peccaverit*; secus, si ex passione, fragilitate, &c.

Quæres sexto, qualiter obliget votum pœnale?

Respondeo, Votum mere pœnale, quo scilicet solum vovetur pœna, puta eleemosyna casu, quo luseris, non obligare ad non ludendum, sed tantum ad eleemosynam, si luseris: imo si ludens invincibiliter non recorderis voti, nec es obligatus ad executionem; quia pœna ista non est per se ludo adnexa, adeoque non incurritur ab ignorante legem, per quam lata est: Sanch. l. 4. c. 22. n. 18. Laym. Castr. p. 18. n. 3. similiter, si voverit pœnam jejunii, si te inebriaveris, non obligaris ad jejunium, si casu te inebriaveris, vel cum levi tantum culpa, quia nulla pœna gravis sine gravi culpa. Croix n. 44. Si autem non sit merum votum pœnale, sed simul votum non ludendi sub pœna eleemosynæ, obligat ad non ludendum, ut patet; imo probabilius ex Sanch. Castr. & aliis contra Sa toties etiam obligaris ad eleemosynam, quoties luseris; quia votum eleemosynæ est accessorium voto non ludendi, & intendis non semel, sed semper abstinere a ludo: nisi vero pœna sit gravissima, quæque iterari non soleat, ut Religio, Peregrinatio Hierosolymitana, exorbitans eleemosyna; sic enim de prima vice tantum intelligitur votum: Sanch. c. 22. n. 21. idem probabiliter dic de quavis pœna, quando votum est mere pœnale; sic enim de prima vice intelligi potest: sicut qui vovit jejunium in Vigilia alicujus Sancti, de prima vice tantum intelligitur: v. Pal. n. 6.

In casu autem, quo duplex votum emiserit, scilicet non ludendi sub pœna eleemosynæ, sublato priori voto per dispensationem, aut irritationem, tollitur & secundum; quia est accessorium: Sanch. Laym. Castr. n. 4., modo pœna non fuerit ante incursa, quia sic est omnino independens: Sanch. l. 4. c. 22. n. 9. Cæterum satis probabile

bile est, in dispensatione, seu commutatione prioris voti non esse necessario faciendam commemorationem posterioris; quia, cum sit pœna transgressionis, non obligat, nisi ea posita: secus vero est de voto Peregrinationis cum sacco, quia hæc circumstantia in observationem ipsius peregrinationis intrat, ideoque ejus mentio facenda est: Sanch. a. 9. Pal. n. 5.

Quæres sextimo, Qualiter implenda sit obligatio voti?

Respondeo, Implendam juxta intentionem voventis: sic qui vovit alere Pauperem, non satisfacit, si alat Patrem suum egentem, quia censetur vovisse aliquid, ad quod non tenebatur jure naturæ; satisfacit vero, si cognatum pauperem alat, quia hunc alere aliunde non tenetur: Croix n. 435. Secundo, Qui vovit dare calicem Ecclesiæ, alio donante, ut eum liberet, evadit liber, dum ratum habet, quia tacite prius ei donatur, & sic ejus nomine donatur Ecclesiæ: Laym., Pal. p. 15. n. 6. Qui autem calicem votum amiserit, non tenetur dare pretium; secus vero, si vendiderit, quia censetur vovisse omnem ejus utilitatem: ita probabilius Busemb. Tertio, Qui Missam vovit ab alio celebrandam, dando stipendium satisfacit, etiamsi ille non celebret, quia intentio fuit de ea tantum procuranda: Suar. Laym., Castrop. ibidem. Quarto, Qui vovit aliquod sub licentia Superioris, tenetur tantum eam petere, atsi non manifestet votum, quia solum ad eam procurandam se obligavit: Suar., Sanch., Croix n. 451. contra Sot., Arm., Less., &c. Quinto, Qui vovit materiam parvam quotidie ponendam, scilicet *Ave*, *Eleemosynam assis*, *&c.* & multis diebus omittat, non peccat mortaliter, si votum erat affixum diebus singulis; secus vero, si non erat sic affixum, quia non ibi, sed hic materiæ coalescunt in unum: in dubio autem, an sit affixum, recurrendum ad intentionem, & finem voventis: v. Croix n. 450. Qui autem diversis votis voverit pro eadem die multas materias leves, quæ simul sumptæ faciunt materiam gravem, si eas omittat, Sanch., Bon., & alii dicunt, esse mortale, quia ratione votorum uniuntur contra Religionem: sic, qui pluribus vicibus promiserit plures summas leves Titio, peccat graviter negligendo omnes. Sed Suar., & alii dicunt, peccare tantum venialiter, quia mens ita voventis nunquam fuit se obligare graviter: nec obest oppositio eidem virtuti Religionis; nam non peccat graviter beneficiarius omittens parum de horis, de missa, de oratione voto debita: nec paritas adducta currit, quia ibi habetur utilitas hominis eas promissiones acceptantis: v. Croix n. 449. Sexto, Qui vovit rem in se parvam, omittens, peccat tantum leviter: Sanch., & alii communiter contra Cajet. Arm. Fab. & alios: in voto autem parvitas materiæ sumi debet ex ordine ad finem: qui enim vovit dare termille aureos pauperibus, peccat graviter, si detrahat 50., quia, etsi hæc sit parva pars relate ad totum; tamen secundum se, & in ordine ad finem sublevandi pauperes est notabilis; secus vero si detrahas tres tantum aureos: similiter, si voveris Rosarium, quod communiter accipitur 5. decadarum, & omittas duas, non est mortale: imo etsi totum omittas, quia in ordine ad cultum B. V. censetur quid exiguum: neque obstat esse mortale, si datum sit pro pœnitentia, quia sic est veluti quid pœnale, & notabiliter pœnosum, uti communiter censetur, ideoque materia gravis: at per votum fit tantum veluti cultus Dei, qui non videtur notabilis: v. Croix n. 448. ubi tamen addit votum Confessionis mortalium, Communionis, auditionis Missæ, &c. esse de ra gravi, quia præcipiuntur sub gravi. Septimo, Voto obstrictus, etsi deinde de eo doleat, non peccat graviter, modo impleat, quia non violat: Castr. p. 25. n. 2. Qui autem non implet votum tempore designato, eo transacto non amplius tenetur; modo tempus sit designatum ad finiendam obligationem: secus, si ad eam urgendam, quæ ex intentione, & circumstantiis colligi debent: sic si voveris dare omni die eleemosynam, si una die omisisti, teneris altera supplere, si vovisti ex pietate in pauperes; secus, si ut nulla dies transeat sine bono opere: si voveris jejunare pridie S. Francisci, ipso autem festo ingredi Religionem, si pridie non jejunaveris, non teneris supplere; quia affixeras diei, nisi forte voluisses jejunare, quia erat dies ante ingressum; tunc enim si eo festo non sis ingressus, teneris postea, quia dies illa erat finis minus principalis, adeoque separabilis a principali ingressu: v. Croix n. 445. si voveris aliquid faciendum hebdomada sequenti, potes prævenire, nisi illi specialiter affixeris; prævidens tamen dein impedimentum futurum necessarium non teneris prævenire: si autem in hac, teneris, quia hic, non ibi urget tempus: Croix 444.

§. IV.

Quot modis cesset Votum?

CESSAT quadrupliciter votum; irritatione, dispensatione, commutatione, & ex seipso.

Quæres primo, Quomodo cesset obligatio voti per irritationem?

Respondeo, Dupliciter posse votum irritari, directe nimirum, & indirecte. Directa voti irritatio provenit ex potestate dominativa, quam quis habet supra voluntatem voventis: indirecta vero ex potestate, quam quis habet supra materiam voti. Unde fit, ut ii tantum possint vota directe irritare, qui voventis voluntatem sibi subjectam habent; adeoque utentes sua libertate, ac dominio possunt omnia vota Subditi, quæcumque illa sint, etiam sine causa valide irritare; peccant tamen, si irritent absque causa, ut Less., l. 2. c. 40. n. 75. docet cum Nav., Suar., Fill. Porro ad irritandum vota solum indirecte non requiritur, ut alicui voventis voluntas, sed sufficit, si sola materia voti sit subjecta: itaque obligatio voti suspenditur in quantum alterius juri præjudicatur; nemo quippe potest alteri rem promittere in præjudicium tertii. Ita D. Th., Suar., Less., aliique communiter.

Infers primo, Quemvis patrem, & hoc deficiente avum paternum, tutorem, imo & matrem in eorum defectu, tum reliquis deficientibus, magistrum, vel herum juxta Suar., & Less. contra Sanch. posse directe irritare vota liberorum impuberum: idque colligitur ex cap. *Mulier* 32. q. 2., & cap. *Si quis*, *de reg.*

Secundo, Vota Religiosorum (non autem Novitiorum) irritare possunt directe Superiores, & probabiliter etiam Abbatissæ, ut docent Suar., Regin., Bon. excepto voto transeundi ad Religionem strictiorem.

Tertio, Idem potest Maritus, ex Sanch. l. 9. Matr. d. 39. respectu votorum Uxoris: at id probabilius intelligendum de votis, quæ præjudicant juri Mariti. Ita Laym., Less.

Quarto, Non possunt isti irritare vota emissa ante subjectionem, puta ante Matrimonium; possunt vero emissa tempore subjectionis, & implenda post tempus subjectionis, puta post obitum Mariti: imo vota emissa tempore subjectionis, puta tempore impubertatis, irritari possunt elapso tempore subjectionis, puta in pubertate ex Bon.

Quinto, Possunt etiam isti irritare vota, etiamsi semel ea ratificarint, quia ratificando non se spoliarunt dominio.

Sexto, Prælatus potest irritare tantum vota Subditi confirmata ab æquali Superiore, vel ab inferiori, non vero a majori.

Septimo, Potest pater ratione materiæ sibi adhuc subjectæ irritare vota filii puberis, nondum emancipati; Uxor vota Mariti præjudicantia vitæ sociali; Dominus vota famuli, per quæ fiat ineptus ad obsequia Domini, &c.

Quæres secundo, Quinam possit in votis dispensare?

Respondeo, Posse Episcopos in sua Diœcesi dispensare vota omnia, quæ potest Papa in toto Orbe, nisi aliqua specialiter sibi Papa reservarit. Ratio est, quia Episcopus potestatem habet ordinariam in suas oves, sed Papæ subjectam. De facto reservantur Pontifici vota quinque, nimirum Castitatis perpetuæ, Religionis, & trium Peregrinationum, Romanæ, Hierosolymitanæ, & Compostellanæ. Verum quia reservatio est odiosa, stricte est interpretanda. Ex his

Infers primo, Quod in dubio, an votum sit Papæ reservatum, censendum, non esse; sicut in dubio, an res aliqua egeat dispensatione Pontificia, vel an casus aliquis sit Papæ reservatus, ut advertit Dian. p. 4. tr. 3. resol. 59.

Secundo, In casu necessitatis, cum est grave periculum in mora, nec potest adiri Pontifex, potest Episcopus dispensare.

Tertio ex Less., Nav., aliisque contra Sanch., & Suar., potest Episcopus dispensare in dictis votis, si ex levi metu sint emissa, quia reservatio intelligenda est stricte, adeoque de votis omnino libere emissis, & perfectis: ac propterea idem dicendum putant Sanch., & Bon. de voto Castitatis ad tempus, de voto tantum non nubendi, de voto emisso cum intentione se obligandi sub levi, de voto Castitatis emisso a Conjuge post consummatum Matrimonium; cum enim adhuc teneatur reddere debitum, votum non est perfectæ Castitatis.

Quarto, Potest Episcopus dispensare in votis jam dictis, si adnectantur, tanquam accessorium alteri voto principali non reservato.

Quin-

Quinto, Potest Episcopus dispensare in voto v. g. jejunii; subrogari a Pontifice Castitati; quia, licet subrogatum sapiat naturam ejus, pro quo subrogatur, ut docent Canonistæ; tamen id est intelligendum quoad intrinseca, itaut sit ejusdem ponderis, non quoad extrinseca, cujusmodi est reservatio.

Sexto, Potest etiam dispensare in differenda executione voti Religionis; cum sic non dispenset in substantia voti.

Demum nota, eum, qui habet generalem potestatem dispensandi in votis aliorum, posse secum dispensare, vel dare alteri facultatem, ut secum dispenset; est enim ea dictis in de Leg. actus Jurisdictionis gratiosæ, non contentiosæ.

Quænam vero sint causæ justæ dispensandi in votis, v. quæ diximus cap. præced. §. 3., ubi etiam de aliis, qui possunt juramenta relaxare, & in votis dispensare.

Quæres tertio, Quinam possit vota commutare?

Respondeo, Qui habet facultatem dispensandi, habere etiam commutandi, & non econtra; cum pars contineatur in toto, non totum in parte. Est autem commutatio substitutio alterius operis honesti loco ejus, quod voto promissum erat, sub eadem obligatione. Ubi nota primo, Commutationem fieri debere in opus paulo minus bonum; si enim fuerit longe minus, dicetur dispensatio. Secundo fieri etiam, quando dubitatur de æqualitate boni. Tertio in bonum æquale; licet tunc juxta aliquorum sententiam sufficiat propria auctoritas, quæ certe sufficit ad Commutationem in melius, hoc est tale in ordine ad utilitatem voventis, & magis gratum Deo. Causa ad commutandum in opus æquale, vel paulo minus, minor requiritur quam ad dispendum. v. Less. l. 2. c. 40.

Quæres quarto, Quot modis cesset votum ex seipso?

Respondeo quatuor modis: nimirum Primo, Cessatione finis: Secundo, Mutatione materiæ: Tertio, Ratione impotentiæ: Quarto, Defitione conditionis.

Primo igitur, cessat cessante causa finali; secus vero cessante causa tantum impulsiva: quia illa cessante promissio non subsistit; secus vero cessante secunda: Sanch. l. 4. c. 2. Suar., & alii communiter. Hinc cessat obligatio voti dandi eleemosynam quotidianam Petro, si hic fiat dives, & similiter votum redimendi illum a captivitate, si ille aufugerit, aut mortuus sit, &c. Contra vero votum eleemosynæ dandæ virgini pauperi, vel viro probo egeno non cessat, si ea non fuerit virgo, nec iste vir probus, idque, etsi non vovisses, si scires; quia sunt causæ tantum impulsivæ: finis autem eleemosynæ est sublevatio veræ miseriæ, quæ utrobique adest: differt autem causa impulsiva a finali, quia illa movet ad vovendum, hæc ad exequendum: ideoque hæc, non illa variata, liberat a voti impletione: si autem duplex sit causa finalis, quarum una tantum deficiat, videndum, an utraque copulative, an vero divisive fuerit spectata, quod ex natura rei promissæ, & modo promittendi colligi debet: v. Pal. p. 20. n. 1.

Secundo, Mutatione materiæ, si ejus materia ita notabiliter mutet, ut in prudentium æstimatione censeatur diversa, quia ad hanc non censetur vovens intendisse: Sanch. l. 4. c. 2. n. 30.: si ergo talis mutatio sit perpetua, & totalis, votum omnino extinguitur: Si temporalis, vel tantum in parte dividua, & quidem divisive spectata a vovente, cessat votum pro rata temporis, vel partis: Doctores communiter. Hinc cessat votum, si materia ante honesta evadat turpis, indifferens, vel impeditiva majoris boni, &c.: idque etiamsi evadat inutilis, vel impossibilis propter tuam culpam; tunc enim sufficit de hac dolere. In dubio autem, an materia sit notabiliter mutata, judicandum, teneri; quia possidet votum: Sanch. l. 4. n. 34., & 54.

Tertio ratione impotentiæ, Si scilicet in morali existimatione impotens sis ad ejus executionem: Sanch. l. 4. c. 24., & alii communiter: sic ob periculum vitæ, honoris, aut alterius gravis detrimenti supervenieus, vel cognitum post votum emissum, hoc cessat: secus vero, si eo periculo non obstante adhuc voveris, & virtuti consonum sit ei periculo offerri: quia sic in illud omnino sponte consentis: v. Sanch. c. 20. n. 1. Si in juventute voveris Religionem, & culpabiliter, vel inculpabiliter distuleris ad senectutem, itaut ob virium defectum censearis ineptus voto exequendo, omnino cessat obligatio: Pal. p. 20. n. 4. ex Sanch. Si autem post votum Religionis, vel castitatis sis ita proclivis in luxuriam, ut satius videatur nubere, Ledes., Bon., & alii apud Moyam probabiliter putant votum cessare: sed oppositum dicendum cum Sanch., Pal., Croix n. 481., & aliis communiter, quia non est impotentia ex parte rei promissæ, sed ex parte promittentis, in cujus voluntate est se continere: v. Sanch. n. 34., & 52. Si materia voti fiat impossibilis quoad partem tantum, tunc si ea dividi non potest, aut non solet, ad nihil teneris; si vero dividi commode potest, & solet, teneris ad partem, quam potes, modo hæc sit principaliter etiam intenta, & non tantum ut accessoria priori, tanquam ejus appendix, aut modus.

Hæc autem intellige, quando non constat de intentione voventis, num scilicet voverit collective, & per modum unius, an vero divisive, & per modum plurium utramque partem promiserit; posito ergo, quod non constet, si voveris eleemosynam notabilem, & totam erogare nequeas, teneris ad partem, quam potes; utpote quæ in dubio censetur divisive promitti; at si voveas ædificare Ecclesiam, si nequeas totam, non teneris ad partem; quia, cum Ecclesia sit quoddam corpus individuum, censetur in dubio promitti per modum unius: Sanch. l. 4. c. 10. n. 7. Si voveris jejunare tota hebdomada, & potes aliquot tantum diebus, ad hos teneris: si voveris peregrinari Romam pedibus, & non potes, nisi equitando, teneris sic ire; quia substantia principaliter promissa est peregrinatio, quæ subsistit etiam equitando: si voveris jejunare in pane, & aqua, nec sic potes, teneris ad jejunium Ecclesiasticum, quod potes, quia servas substantiam principalem voti; v. Sanch. l. 4. c. 11. n. 45. Contra vero si voveris peregrinari cum cilicio, nec possis simpliciter peregrinari, non teneris ad cilicium, quia cessat obligatio accessorii: Sanch. c. 10. n. 11. Si post votum Castitatis nupseris, teneris non petere, quia quoad hanc partem servari potest votum absque injuria alterius.

Si concurrat obligatio duorum votorum incompossibilium, implendum est illud, quod est Deo gratius: si sint æqualia, aut nescias, utrum sit melius, implendum est prius: si & hoc ignores, libera est electio: Busemb., Trull.

Quarto, Defitione demum conditionis cessat ex dictis votum conditionatum; si autem ea facta sit impossibilis culpa propria, Tamb., & alii putant, non cessare votum; sed negant Suar., Pal. p. 17. n. 12., quia, cum tota obligatio sit ex intentione voventis, hæc fuit tantum sub conditione ponenda.

QUÆSTIO IV.

De Tertio Decalogi Præcepto:

Diem Sabbati sanctifices.

PRÆCEPTUM hoc quatenus vult tempus aliquod sanctificari, sive impendi cultui divino est naturale: & adhuc obligat; quatenus vero tempus id designatur die Sabbati, est ceremoniale, & in novo testamento abrogatum, ac pro eo ab Ecclesia designatus dies Dominicus, & alii dies Festorum, qui determinantur a Pontifice pro toto Orbe, & ab Episcopo pro sua Diœcesi cum consensu Cleri, seu majoris partis Capituli, & cum consensu Populi, seu populo non contradicente, ut notat Tamb. ex consuetudine legitime introducta: præscriptusque est modus colendi, ut quædam opera illis diebus fiant, quædam non: hæc prohibeantur, illa præcipiantur, & quidem omnibus sub mortali; damnatur autem ab Innoc. XI. prop. 52. dicens: *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

CAPUT I.

De Operibus, quæ tum hoc Præcepto, tum ab Ecclesia die Festo prohibentur.

ALIQUI cum Angelo contendunt, speciali obligatione teneri Fideles abstinere die Festo peccatis, itaut, qui v. g. fornicatur, duplex peccatum committat, alterum contra observationem Festorum, seu contra Religionem, alterum contra specialem virtutem, nempe contra Castitatem. Sed communiter rejiciuntur; quamvis enim finis præcepti de abstinendo ab operibus servilibus sit, ut facilius Deo vacetur; et finis præcepti non cadit sub præceptum, ideoque, qui audita Missa tota die confabularetur, aut luderet, non peccaret specialiter contra præceptum diei Festi, quamvis forte peccaret otiose tempus terendo. Quare tantum prohibentur hoc præcepto opera servilia, & opera forensia.

§. I.

De abstinentia ab operibus servilibus die Festo.

QUÆRES primo, Quænam regula assignari possit ad dignoscendum, num opus aliquod sit servile, an liberale?

Respondeo, Triplex genus operum dari; aliqua, quæ proxime, & immediate tendunt ad corporis utilitatem, & commodum, & a servis exerceri solent, ut terras colere, fabricare, cibaria præparare, sculpere, imprimere, &c. & universim omnia opera artium mechanicarum: aliqua, quæ proxime, & immediate tendunt ad mentem instruendam, & communiter a liberis, & nobilibus exercentur, ut legere, scribere, concionari, docere, & quæ ad artes liberales pertinent; ut cantare, saltare, instrumenta musica pulsare, &c. alia demum, quæ communia sunt liberis, & servis, ut iter facere, piscari, venari, &c. Certum est, opera illa primi generis prohiberi; Levit. enim 23. 35. dicitur *Omne opus servile non facietis in eo*. Certum proinde etiam est, opera secundi generis liberalia permitti. Circa opera tertii generis, regula ad dignoscendum, num sint servilia, & prohibeantur, est ipse usus, & consuetudo; si enim usus, & consuetudo opera habeant pro servilibus, ea vetantur; secus vero si habeant pro liberalibus; Tamb. l. 8. c. 3. quia servitus, & ignobilitas operis ab ipsa hominum existimatione comprobanda est.

Hinc sequitur primo, Opera servilia prohiberi, etiamsi gratis, & ob finem honestum, & sine labore exerceantur: sicut contra permitti liberalia, etiamsi exerceantur propter stipendium, & cum defatigatione.

Sequitur secundo, Licitum esse die Festo transcribere etiam lucri gratia, ut communiter docent contra Azor. Nav. & alios, quia talis actio immediate deservit animæ, non corpori; ordinatur enim ad exprimendos mentis conceptus, & propter eandem rationem licet ex Tamb. scribere, & transcribere notas musicas, non tamen ducere lineas iis notis subjectas, quia id mechanicum est, & est apparatus ad scribendum. Licitum est etiam Typographo characteres ordinare, seu componere; quamvis non exprimere torculari, ut notat Laym. cum Dian. p. 4. t. 4. r. 62. contra Pal. item licet rationes dati, & accepti facere, & transcribere.

Sequitur tertio, Probabiliter ex Laym. Pelliz. & aliis apud Tamb. licitum esse delineare, designare, & pingere (dummodo id fiat sine magno apparatu, nimirum miscendo colores, efformando pennicillos, &c.) probabiliter etiam feminis licet acu exemplaria excipere, quod est ac pingere. Ratio est, quia pictura scripturæ simillima est; quamvis scriptura exprimat mentis conceptus: pictura vero rerum imagines: qua de causa communior sententia apud Pal. d. 2. p. 5. picturam inter serviles artes recenset, quia scilicet non exprimit conceptum, sed rem per conceptum repræsentatam, non secus ac ars fabrilis; unde probabilius est, non esse licitum pingere die Festo, præsertim si in pictura ignobili magis corpus, quam mens occupetur.

Sequitur quarto, Probabiliter cum Nav. Gran. Medin. & aliis apud Dian. p. 4. t. 4. r. 222. contra Suar. Fagund. licitum esse piscari, aucupari, & venari, dummodo non intermisceantur opera servilia; ut sunt reficere retia, componere escas, hamos, & magna retia, seu sciabbicas cum magno nisu, & piscatorum labore longo tempore attrahere.

Sequitur quinto, Idem dicendum de præliationibus ex Dian. p. 4. t. 4. r. 229. (quamvis hæ fere semper liceant ratione necessitatis) necnon de exercitationibus militaribus tempore pacis. Ratio est, quia parum habent de opere servili, & consuetudo eas permittit: sicut etiam permittit artem digladiandi; quamvis Fagund. contra Gran. putet, esse artem mechanicam.

Sequitur sexto, Artem sculptoriam, sive sculpatur in marmore, aut metallo, sive in creta, ligno, &c. esse servilem, & mechanicam, cum sic usus interpretetur.

Sequitur septimo, Licitum esse iter facere pedibus, equo, navi, curru, lectica, sive ab equis, sive ab hominibus delata, quia iter facere vel non est opus servile, ut Suar. & alii communiter, vel si opus est servile, ut vult Caj. & Sot. consuetudine viatores excusantur.

Certum tamen est, esse opus servile, & prohibitum ducere currus onustos, & naves mercibus onustas, necnon animalia onusta, quando cum magno labore imponenda sunt onera curribus, & jumentis. Verum ob approbatam consuetudinem excusantur muliones, qui die Festo jumentis oneratis iter ante die Festum inceptum non intermittunt: necnon qui iter incipiunt die Festo, postquam Sacro interfuerunt, comitantibus mulis onustis supellectili, viaticis, &c. imo Dian. p. 2. t. 1. r. 36. putat, raro in praxi dictos muliones peccare mortaliter, quia in iis oneribus ligandis, vel imponendis tempus notabile non insumunt; unde ratione parvitatis materiæ a mortali excusantur, docetque ibi cum Fill. spatium duarum horarum non esse tempus notabile: Rodr. demum excusat hujusmodi muliones, qui hoc habent ex officio, tum quia concurrere videtur aliqua necessitas, & utilitas Reipublicæ, tum quia ita consuetudine est receptum.

Idem dicendum de iis, qui utuntur pistrino, nam ubi necessitas, vel consuetudo habetur, procul dubio licet molere: si autem necessitas, aut consuetudo absit, ex Sanch. licitum est molere mola, quæ vento, vel aqua circumagitur, quia id sine labore hominum fit. An liceat molere pistrino, seu mola, quæ ab animalibus circumfertur, Tamb. docet, quod si animal est tam bene instructum, ut sine notabili hominis ministerio suum munus obeat, die Festo pistrino molere non sit mortale; secus vero, si sæpius equus sit alligandus, & solvendus, aut si cum eo male instructo sæpe incedendum sit, stimulando illum voce, & baculo, vel si mola non raro sit obvertenda, quia sic labor servilis non modicus intercederet.

Propter eandem rationem Filliuc. excusat opus distillandi aliquod simplex, vel mixtum, si in eo exigua corporis fatigatio impenditur. Et Tamb. non audet damnare feminas, quæ frumentum cribro jam eventilatum manibus purgant a quibusdam minutis ramentis, cum modicissimæ applicationis sit talis occupatio: unde etiam recreationis causa ab honestis feminis excipi solet.

Quæres secundo, An peccet mortaliter, qui die Festo mandat sex famulis, ut singuli una hora laborent?

Respondeo, Si mandet, ut laborent simul, secluso scandalo est veniale tantum, quia non est una gravis inhonoratio Festi, sed sex leves; contra si mandet, ut laborent successive: Sanch. Bon. Pal. Tamb. §. 2. n. 2. aliique communius adhuc excusant mandantem a mortali; at spectata ratione videtur probabilius, talem mandantem peccare mortaliter: ita Arsdekin. t. 2. p. 2. t. 5. c. 3. §. 1. q. 4. v. Croix hic a n. 580. An autem peccet, si famuli sint Infideles, Turcæ, &c. v. dicta in de Legib. d. 2. q. 3. c. 2.

§. II.

De operibus forensibus vetitis die Festo.

QUÆRES primo, Quænam opera forensia die Festo prohibeantur?

Respondeo in cap. *Omnes dies, de Feriis*, prohiberi sub hoc genere mercatum, judicium forense, & juramentum, quia, quamvis istæ actiones serviles non sint, multum tamen distrahunt, & impediunt vacationem rebus divinis.

Primo itaque, prohibetur mercatus, quo nomine tria possunt intelligi: Primo, Nundinæ universales, vulgo dictæ *Fiera*, quæ semel, aut bis in anno celebrari solent. Secundo, Nundinæ particulares de quibusdam rebus usualibus, vulgo dictæ *Mercato*, quæ semel, vel bis in hebdomada habentur. Tertio, Ipse actus mercandi, idest emptiones, & venditiones rerum.

Porro nundinæ universales ex consuetudine jam recepta etiam die Festo nunc celebrantur. Nundinæ particulares ex Pal. alicubi non permittuntur die Festo; esto in aliquibus locis, ex consuetudine permittantur: unde mos patrius servandus est. Demum actus mercandi, seu contractus emptionum, quamvis die Festo prohibeantur, tamen consuetudo magna ex parte hanc etiam Legem abrogavit; quamvis hujusmodi contractus propter reverentiam Festi soleant non quasi in publico fieri, sed semiclausis officinarum januis, soleantque Episcopi prohibere, ne ea fiant nondum facta concione. Consuetudo itaque ubilibet servanda est.

Secundo, Prohibetur judicium forense, quod etiam dicitur placitum, & strepitus judicialis. Unde prohibetur primo citatio partis; sub qua venit mandatum Judicis de citando reo, & hujus mandati executio. Secundo, Formatio processus, seu cognitio causæ, sub qua venit interpositio jurisjurandi, & depositio testium. Tertio, Sententia, & sententiæ executio tam in causis criminalibus, quam in civilibus; itaut istæ actiones non

solum

solum sint illicitæ, sed etiam invalidæ etiam in Tribunali Ecclesiastico: nisi tamen necessitas urgeat, aut pietas aliter suadeat, ut habetur expresse in cap. ult. *de Feriis*, v. g. si expediat captum ob sceleris notorii gravitatem statim sine processu damnari; vel si periculum timeatur, ne justitia impediatur; vel si ita postulet conditio belli, aut bonum Reipublicæ, ob quam rationem potest publicæ executioni mandari sententia criminalis, ut fit in Tribunalibus S. Inquisitionis.

Quæres secundo, An prohibeatur etiam, & irritetur sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti?

Respondeo, Communiter cum Pal. contra nonnullos negari; ubi tamen hujusmodi sententiæ non requirunt causæ cognitionem: ratio est, quia solum prohibetur die Festo strepitus judicialis, & consequenter sententiæ, quæ sine strepitu judiciali feruntur, seu quæ causæ cognitionem non requirunt, non prohibentur; ut patet in absolutione ab excommunicatione, in dispensationibus, privilegiis, provisionibus, collationibus beneficiorum, & aliis actibus voluntariæ jurisdictionis, qui permittuntur, quia sine strepitu judiciali fiunt. Licitum etiam est die Festo adoptare, emancipare, manumittere, advocatum consulere, apud Judicem totam causam deferre, ut ea probe cognita sententiam commodius ferat, testamenta conficere, contractus celebrare, & alia hujusmodi, quæ dictum strepitum non requirunt.

Quæres tertio, An appellatio liceat die Festo?

Respondeo, Suar., & Regin. negare, quia pertinet ad actus judiciales: Bon. affirmare, quia instituta est ad sui defensionem, & fit sine magno strepitu, & consuetudine jam recepta permittitur.

Tertio demum prohibetur juramentum, hoc est judiciale, quod pro rebus temporalibus fit; non vero quod fit pro spiritualibus, ut notat D. Thomas: unde licita sunt juramenta solemnia, & publica, quæ præstantur Inquisitoribus ab iis, qui reconciliantur: nec non juramenta, quibus confirmantur contractus permissi die Festo.

CAPUT II.

De causis excusantibus ab observatione Festorum, ob quas opera prohibita liceant.

QUÆRES, Quibus de causis liceant die Festo opera prohibita non solum forensia, sed etiam servilia?

Respondeo, Pluribus de causis aut licere, aut non esse mortale ea peragere. Causæ autem sunt: Primo, Necessitas, ad quam reducitur Obedientia, Utilitas, Pietas, & Religio, seu cultus Divinus: Secundo, Brevitas temporis: Tertio, Consuetudo: Quarto, Dispensatio: Itaque

Primo, Excusat necessitas sive propria, sive aliena, tam spiritualis, quam temporalis, quia Ecclesia non obligat cum tanto onere: nec requiritur, quod necessitas sit maxima, quamvis non debeat esse modica. Hinc primo permittuntur opera servilia pauperibus, si ad se, vel suos alendos laborare debent; dummodo id fiat sine scandalo: Secundo, Licet cibos coquere, & panem necessarium conficere, ac fructus ad necessarium usum colligere: parare autem superflua ad cibum, & potum, & ad delectationem, v. g. colligendo fructus eodem die, ut integriores sint, coquere quotidie panem, ut mollior vendatur, animalia excoriare, &c. permittitur non ex necessitate, sed ex consuetudine: Azor. t. 2. l. 1. c. 27. Quamvis communius Doctores non excusent pistores, qui possunt pridie Festi coquere panem necessarium, si ad diem Festum differant: Tertio, Licet metere, vindemiam facere, serere, arare, messem colligere, &c. quando est periculum pluviæ, aut alterius impedimenti: Quarto, Licet Sutori suere vestes, quando bona fide absolvi non possunt diebus profestis, si ad usum expectant, qui eas commiserunt. Imo advertit Suar. quod, si quando opera servilia pridie fieri poterant, & cum culpa ad diem Festum differuntur, adhuc possint deinde sine novo peccato fieri die Festo, si sint necessaria. Quinto, Excusantur Pharmacopolæ, Medici, Chirurgi, modo conficiant medicinas pro eo die necessarias: sicuti etiam Milites, qui foveas, vel aggeres struunt, aut muros ædificant pro defensione Reipublicæ; & ferrarii, qui ferreas laminas equis imponunt ob necessitatem iter agentium, nec non qui pontes, & vias reficiunt, quando sine magno incommodo differri non possunt. Excusantur etiam Navigantes, modo non incipiant navigationem die Festo sine magna necessitate, ut supra diximus de Messionibus; qui vero navi, vel phaselo iter agunt, possent ex consuetudine incipere navigationem die Festo: Sexto, Qui ad publicam lætitiam in adventu Principis, aut ex causa victoriæ, aut nuptiarum struunt theatra, arcus triumphales, libreas, &c. dummodo non potuerint prævenire; hoc enim fere ipsa etiam consuetudo: quod, si quando dubium est de necessitate, aut de consuetudine approbata, petenda est dispensatio, ut notat Sanch. quia stat in possessione præceptum: secus vero, si probabile sit, dari sufficientem necessitatem, aut consuetudinem approbatam, & scandalum declinetur: Septimo, Universim licita sunt servilia, quoties ex illorum omissione grave damnum sequeretur, ut accidit in decoctione calcis, vitri, laterum, saponis, & in tinctura lanæ; imo ex Leand. coctores ferri, & vitri etiam die Festo possunt incipere tale opus. Hac de causa ex necessitate potius, quam ex obedientia licitum est famulis laborare ob timorem, ne a Dominis dimittantur, si non obtemperent, & sic cogantur pauperiem pati; quamvis Domini id imperantes a culpa non sint immunes: similiter licitum est filio, uxori, & aliis personis subjectis laborare, si ad id compellantur, quando renuere non possunt sine timore gravis damni, aut gravis indignationis, modo id non præcipiatur in contemptum Festi. Adde ex Dian. & Sanch. contra Suar. etiam ea opera licere ob magnam utilitatem: nimirum si aliter ingens lucrum amitteretur, quia amissio magni lucri damnum est, & ideo permittitur piscatio halecum, thynnorum, & similium piscium, qui brevi tempore excurrunt: Octavo, Quamvis raro accidat laborandi necessitas ad vitandum otium, quod ferat periculum peccandi; ut si accidat casus, licitum est laborare. Sylv. Sa, Pelliz. apud Tamb. putant, etiam esse licitum aliqualiter laborare præcise ad otium vitandum; sed hoc communiter non admittitur, cum possit aliis viis facile otio occurri sine violatione præcepti; posset tamen ex Tamb., si quis utatur labore ad sublevandam miseriam alicujus pauperis determinati existentis in gravi necessitate, hoc est, in periculo moraliter certo gravis damni sive in corpore, sive in honore, sive in bonis suis, in qua necessitate multi pauperes ægroti versantur: posset etiam laborare, conficiendo ornamenta necessaria pertinentia ad cultum divinum, quibus caret aliqua determinata Ecclesia nimis pauper. Ratio est, quia, si potest pauper existens in gravi necessitate ipse pro se laborare, poterit etiam alius laborare pro ipso: Nono, Excusat necessitas ratione pietatis debitæ proximo: unde licitum est sepelire mortuos, inservire infirmis, vestire nudos, &c. Dubium tamen est, an sola pietas sine necessitate excuset? Affirmant Sylv. & alii apud Sanch. Palav. & Perez. apud Dian. qui docent, licitum esse laborare die Festo ad faciendam eleemosynam: ratio est, quia, si causa pietatis permittuntur die Festo opera forensia, cur non & servilia? Sed communior, & probabilior sententia est in oppositum: Decimo, Excusat necessitas ratione Religionis, seu cultus Divini; unde licet Altaria ornare, Ecclesiam verrere, & parare, hostias conficere, &c. quod, si hæc potuissent die profesto fieri, probabile est ex Suar. & Tolet. non esse mortale ad diem Festum differre propter propinquitatem, quam habent cum rebus Sacris, quod etiam valet secundum Fagund. si viæ parentur ad processiones: secus vero, si tabulata ad videndas processiones scienter fierent die Festo, cum pridie fieri poterant; non enim habent tantam propinquitatem cum rebus Sacris: quamvis, si pridie non fuerint facta propter aliquod impedimentum, possunt die Festo fieri sine culpa; quia sic concedit hic & nunc cultus Divinus. Hinc docet Tamb. sepulcra, præsepia, & moles artificiosas ad exponendam Eucharistiam, sicut etiam scenas ad repræsentationem Sacram, posse sine mortali die Festo fieri, quamvis potuissent fieri die profesto; quia propinquitatem habent cum rebus Sacris: sed ne veniale quidem est, si necessitas urgeat, aut habeatur dispensatio.

Secunda causa excusans a mortali est brevitas temporis, seu parvitas materiæ. Communius autem docent, parvitatem temporis esse spatium duarum horarum; quamvis Marchant. apud Tamb. requirat tres horas ad mortale, quæ sententia admitti posset, si aliqualis necessitas, vel alia causa concurreret, quæ de se non est satis ad excusandum: Azor. Bon. apud Dian. putant, unam horam esse tempus notabile. In operibus autem foren-

forensibus die Festo prohibitis parvitas materiæ, quæ a mortali excusat, non est desumenda solum ex brevitate temporis, sed etiam ex quantitate operis. Quare, si venditio v. g. cum solemnitate celebrata fiat brevi tempore, sed sit res magni momenti, peccatur mortaliter; secus vero si sit res parvi momenti, & brevi fiat.

Tertia causa excusans est consuetudo approbata; hæc enim ab omnibus Legibus humanis excusat. Propterea, Primo Caj. & Suar. ex consuetudine excusant eos, qui cibos coquunt, & alia præparant necessaria ad mensam, & Pal. excusat etiam hac de causa, qui parant cibos superfluos, & ad delectationem: Secundo, Tolet. & Sot. excusant venatores, aucupes, & piscatores, ut supra diximus: Tertio, Fagund. excusat actiones delineandi imagines, & lineas ducendi ad eas postea pingendas, sicut etiam actionem digladiandi: Quarto, Nev. excusat venditores calceorum: Quinto, Pal. exercitationes militares tempore pacis: Sexto, Sanch. eos, qui, dum habent segetem in aree, trituram vertunt, extendunt, aut separant, necnon hortulanos rigantes olera die Festo, & iter agentes concitando mulos onustos supellectili, & molitores, & nundinas: Septimo, Fernan. excusat barbitonsores; verum communius Doctores de hac consuetudine approbata dubitant, docentque, quod ubi ea est scita, & tolerata a Prælatis, procul dubio excuset; alioquin excusari poterunt vel ratione parvitatis materiæ, si scilicet unum, vel alterum tondeant, vel ex necessitate rusticorum, aut aliorum, quibus non conceditur, nisi die Festo posse tonderi; vel ex lucro cessante non ordinario; si enim recusent die Festo ea peragere, facile a plerisque relinquentur cum notabili lucri jactura. Idem potest dici de sutoribus, qui novos calceos die Festo calceant.

Quarta demum causa excusans est dispensatio, ad quam procul dubio causa justa requiritur, ut sit licite, & valida, si ab Episcopo concedetur in Festis a Papa institutis. Potest etiam illam concedere Vicarius generalis, non quidem ex officio, sed ex speciali mandato; quia, quodcumque sapit liberalitatem, & gratiam, ut est dispensatio, non potest ex generali mandato, seu ex concessione Vicariatus a Vicario præstari, sed requiritur speciale mandatum, quod in casu nostro habetur, ut notant Merol. & Barb. apud Tamb. Parochus etiam dispensare potest tum ex consuetudine, tum ne desit Parochianis, ad quem in facile occurrentibus, & minutis necessitatibus recurrant. Possunt etiam Prælati Regulares cum suis subditis dumtaxat, non vero cum famulis secularibus.

CAPUT III.

De operibus, quæ Festis præcipiuntur.

LICET Ang. aliique contendant diebus Festis vi hujus præcepti eliciendos esse actus dilectionis Dei, & contritionis peccatorum, audiendam esse concionem, & Horas Canonicas saltem Vespertinas, faciendas esse oblationes, orandum, vacandum Deo, &c. at communiter rejiciuntur, quia, ut diximus, finis præcepti non cadit sub præceptum: ergo, quamvis diebus Festis opera servilia prohibeantur, ut Deo vacetur, non per hoc tenemur Deo vacare: solum ergo præcipitur speciali præcepto obligante sub mortali audire Missam, hoc est morali, & humana assistentia, sive præsentia ei interesse: est communis ex cap. *Omnes Fideles*, & ex cap. *Missas*, *de Consecr. dist.* 1. contra Ang. & Rosell. qui semel, vel iterum negligere, dicunt, esse veniale.

§. I.

De Missa die Festo audienda.

CERTUM est ex dictis, omnes Fideles rationis compotes teneri ad Missam die Festo audiendam ex præcepto Ecclesiastico, itaut, qui partem ejus notabilem omittit, peccet mortaliter. Quænam autem sit pars notabilis, variant Doctores: Suar. putat, esse usque ad Epistolam inclusive: Conin. & Azor. probabiliter usque ad Evangelium inclusive, seu usque ad Offertorium exclusive; quia, ut notat Dian. satis est audire Evangelium in fine Missæ. Cæterum, quamvis probabiliter ex Con. & Pal. peccet mortaliter, qui vel solam Consecrationem utriusque speciei, vel solam sumptionem omitteret, cum in iis consistat essentia Sacrificii; quia tamen non satis constat, in quanam istarum partium essentia Sacrificii consistat, ideo Suar. benignius censet, non semper injiciendum esse scrupulum peccati mortalis ei, qui per breve tempus alterutram istarum partium omitteret. Illud tamen videtur certum contra Jo: Sanch. quod, si quis accedat ad Ecclesiam, dum incipit Præfatio, nec possit aliam Missam audire, teneatur ad illam; secus vero, si accedat post Consecrationem, quia hæc est pars Missæ principalis, & forte essentialis, ut propterea die Parasceve non sit obligatio audiendi Missam, etiamsi incidat Festum Annunciationis, ut communius docent contra Henr. Vasq. & alios apud Trull. quia, quamvis fiat eo die Communio, non fit tamen Consecratio.

Quæret primo, quænam præsentia requiratur ad Missam audiendam?

Respondeo, Requiri præsentiam corporalem, moralem tamen, & humanam: ita scilicet, ut debeat homo habere intentionem, non quidem satisfaciendi præcepto, sed audiendi Missam præceptam, & ad eam attendat aliqualiter, atque in eo loco sit, ubi prudens spectator censeret, illum audire Missam.

Hinc non satisfacit qui est præsens Missæ animo, v. g. expectandi amicum, vel etiam animo solum orandi, non vero audiendi Sacrum, & multo magis, si invitus assisteret. Ratio est, quia præceptum impleri debet per actum humanum, quo quis velit exequi, quod præcipitur.

Sequitur secundo, Requiri attentionem saltem externam: quamvis enim multi Doctores probabilius requirant attentionem internam, hoc est applicationem mentis sive ad verba, sive ad verborum sensum, sive ad Deum: non est tamen improbabile ex Less. Laym. Con. Dian. p. 3. tr. 4. res. 101. sufficere externam; ita scilicet, ut nulla ponatur actio incompossibilis cum attentione interna, (ut esset confabulari, ridere, dormire, ecstasim pati, scribere, vel legere libros non conciliantes internam devotionem) unde possit esse testis eorum, quæ tunc fiunt, esto voluntarie distrahatur. Propterea communiter cum Suar. & Azor. apud Tamb. contra Regin. & Pal. docent, non satisfacere eum, qui tempore Missæ confitetur peccata sua; secus vero, si examinet conscientiam, etiam de libro; quia talis lectio attentionem internam foveret.

Sequitur tertio, Præsentiam moralem requisitam consistere in hoc, quod vel videatur, aut audiatur Celebrans, vel eo loco sit audiens, ut ex signis, & gestis saltem circumstantium, quæ in Missa fiunt, colligere possit, & ut ad multitudinem assistentium pertinere censeatur. Quare non requiritur absolute, ut oculis videantur, quæ fiunt, aut auribus audiantur, quæ profert Sacerdos; nam etiam Surdi, Cæci, & qui in Choro post Altare, vel in Ecclesia post parietem, aut columnam sunt, & extra Ecclesiam in magna distantia, satisfacere possunt, dummodo censeantur ad multitudinem assistentium pertinere, quod in parvo Sacello facile contingit. Moraliter etiam adesse dicitur, qui ab Altari, non vero ab Ecclesia recedit ad procuranda hic & nunc necessaria ad Sacrificium, scilicet vinum, hostiam, thus, &c. Si quis tamen in maxima Basilica esset in una Cappella, & in altera distantissima fieret Sacrum, aut si esset post columnam ab Altari distantem, nec esset ea multitudo audientium, ut is censeatur ad illam multitudinem pertinere, certe præsentiam moralem hic non haberet, etiamsi adesset intra Ecclesiam.

Hinc dubitant Doctores: An quis possit e fenestra suæ domus Missam audire, quando inter fenestram, & Ecclesiam intermediat via publica? Fill. cum Dian. p. 4. tr. 4. resol. 154. absolute negat. Lug. tamen *de Euch.* disp. 22. sec. 2. affirmat, si parva sit distantia ab Altari Ecclesiæ, itaut audiens censeatur esse moraliter præsens Missæ; secus vero, si distantia sit magna: non enim est necesse, ut intra Ecclesiam sit, qui Missam audit, sed solum necesse est, ut Missæ dicatur moraliter præsens.

Quæres secundo, Quo in loco Missa audienda sit, & a quo Sacerdote?

Respondeo ad primum, Olim audiendam fuisse in Parochia, non secus ac nunc Communio Paschalis in propria Parochia facienda est; sed usu, & consuetudine talis Lex abrogata est. Dubium est, an omnes etiam audire possint in Oratoriis privatis, cum in Brevi hæc habeantur: *Volumus autem, quod familiares servitiis tuis non necessarii ibidem interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festivis de præcepto minime liberi censeantur*: Homob. & Pelliz. putant, per talis Missæ auditionem satisfieri nunc præcepto, quia jam est nunc consuetudo audiendi Missam extra Parochiam: unde talis prohibitio in Brevi ponitur solum ex stylo Ecclesiæ, quia fortasse alicubi non est abrogatus usus audiendi

Missam in Parochia. Sed communiter cum Tamb. docent, non licare illis in Brevi recensitis contra exprassam voluntatam Pontificis ibi Missam andire ad satisfaciendum præcapto: v. Croix hic n. 626.

Ad secundum dico, Missam audiri posse a quolibet Sacerdote etiam Græco, val alterius idiomatis, etiam ab excommunicato tolarato, atque adeo etiam ab Hæretico, si cesset scandalum; ita scilicet, ut non videaris ejus hæresis particeps essa, dummodo Missa catholico ritu peragatur. Solum audiri non potest a Sacerdote axcommunicato vitando, aut publico Clerici percussore, nacnon ab Irregulari denunciato, vel degradato, aut deposito. Ratio est, quia fortius judicatur esse præceptum non communicandi in rebus Sacris cum tali Sacerdote vitando, quam præcepto audiendi Missam.

Quæres tertio, An satisfaciat, qui successive audit duas medietates Missæ: v. g. Si quis ad alevationem Missæ vaniat in Templum, & postea audiat sequentem Missam usque ad elevationem tantum?

Respondeo, Quod aliqui dubitant; quia duæ tales medietates non videntur dici posse una Missa, cum sint lectæ a diversis, & forta intercedat spatium temporis inter illas partes. Nihilominus dicendum est, satisfacera, cum hano sententiam præter auctores, quos citat Busemb. doceant 32. alii apud Pasq. *de Sacrif.* q. 1290. Ratio autem est, quia manet unum Officium, licet prius orem partem postariorem, & postea priorem, v. g. tertiam ante primam, aut unum Psalmum ante alterum: ergo etiam erit una Missa, licet per medias partes sive priores, sive posteriores audiatur. Nec refert, quod hæ medietatas fiant a diversis Sacerdotibus, aut etiam cum interpositione temporis. Nam si duo simul recitent Officium, duæ medietates ponuntor a diversis recitantibus: imo in Choro sæpa novem diversi legunt novem diversas lectiones, & tamen est unum Officium; interruptio autam non tollit unionem moralem, uti in horis. Insuper est uoa Missa, si Sacerdos in media Missa deficiat, & alius Sacerdos post mediam horam succedat illam completurus: ergo etiam potast essa una Missa, licet sint duo Sacerdotes, & tempus aliquod intercedat. Circa interruptionem, licat Tamb. putet manere unitatem, dummodo eodem die tales partes audiantur, tamen hæc ab invicem separatio videtur asse nimia; si autem sit saltem ad horam tantum, non est nimia; nam sæpe per concionem unius horæ, & amplius interrumpitur Missa, & tamen manet una. Si quis varo sine justa causa audiat duas tales medias Missas, peccat venialiter. Ratio est, quia recedit a communi praxi Fidelium: justa autem causa esset defectus temporis, rationabile impedimentum, vel quævis incommoditas alicujus momenti.

Quæres quarto, An satisfaciat præcepto Missæ, qui partes illius simul audit?

Respondeo negative; nam Inn. XI. damnavit propositionem 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

Quæres qointo, Quinam obligentur ad Missam?

Respondeo, Hæreticos non obligari, quia præsumuntur excommunicati; an autem axcommunicatus vi hujus præcepti teneatur procurare absolutionam, ut Missam audire possit, dictum est in tract. da Leg. dis. 2. q. 2. c. 4. Omnis Sacerdos, si alius celabraturus desit, tenetur ipsemet celebrare, ut Missam audiat: v. Croix hic n. 614. similiter obligantur pueri; qua tamen ætate incipiant obligari, varsant sententiæ: March. putat, tunc prius obligari, quando incipiunt esse idonei ad communionem: Sot. putat, neminem ante ann. 12. teneri Legibus Ecclesiæ: sed istæ sententiæ passim rejiciontur. Azor. Sanch. Bon. Tann. aliique apud Gob. absolute obligant pueros omnes, & puellas circa finem septennii, quia tunc præsumuntur habere sufficientem usum rationis: hanc sententiam Gob. admittit de pueris educatis in Urbe, quibus utpote melius cultis communius citius oritur plenum lumen: de rusticanis autem, aliisque similibus non admittit; sed cum Con. contendit pueros inter 9. & 10. annum, puellas vero inter 8. & 9. & communiter prius assequi plenam discretionem, qua habita prius obligentur præcaptis Ecclesiæ. Denique Dicast. dicit, pueros, quando venialiter peccare possunt, sub veniali obligari ad Leges Ecclesiæ: quando autem mortaliter, sub mortali, quæ sententia est multorum, & a Dian. reputatur probabilior. Qui simul est surdus, cæcus, & mutus a nativitate non tenetur adesse Missæ, quia non potest habere moralem assistentiam, nec attentionem ullam internam imo scire non potest, quid sit Missa. Unde, quamvis asset talis non a nativitate, sed per infirmitatem, adhuc putat Gob. contra Fagund. Pasq. Dian. non teneri, quia non potest scire, an, ubi, & quando incipiat Missa, & licet quis trudendo admonere possit eum, jam fieri Missam, ac ipse scripto peteret duci ad Templum, adhuc putat Gob. non obligari, qnia Ecclesia censetur tantum eos obligare, qui humano, & ordinario modo interesse possunt; Leges anim non comprehendunt casus extraordinarios. Hinc Pal. etiam eximit eum ab obligatione Missæ, qui est cæcus, & surdus, sad non mutus; quia neque præsumitor Lex obligare in hoc casu exotico. Si tamen quis esset vel tantum mutus, & surdus, vel tantum cæcus, vel tantum cæcus, & mutus, teneretur, uti communiter Doctores. Regulares etiam axempti tenantur ad sarvanda Festa, quæ Episcopus cum consensu Cleri, & Populi indicit, uti habetur in Trid. *sess.* 25. *de Reg.* c. 12. & consequenter etiam tenentor ad Missum tali die audiendam. An autem teneantur atiam ad Festa, quæ Populus vovit approbanta Episcopo? Affirmant Vasq. Nug. Sanch. Negant alii, & merito dubitat Gob. num. 77. quia exempti non jubentur observare alia Festa, nisi quæ Episcopus imponit. Si tamen illa approbatio censeretur esse per modum præcepti, tenerentur, uti reliqui.

Quæres sexto, Quibus diebus audienda sit Missa?

Respondeo, Si Fastum sit a Principe Seculari impositum, aut ex consuetudine observetur a Populo sine approbatione Episcopi, non est in conscientia obligatio audiendi Missam, quia non est Festum Sacrum, sad seculare; posset tamen peccari contra obedientiam Principi debitam, si hic stricta mandasset observari. Similiter in Festo, quod solus Episcopus indicit reclamante Clero, vel Populo etiam non est obligatio audiendi Missam, quia Episcopus nequit ullum Festum instituere sine Cleri, & Populi consensu, uti habetur cap. *Conquestus, de Fer.* potest autem consentiente Episcopo Populus vovere Festum, ad quod tanebuntur etiam posteri non vi voti, quod erat personale; sed ex præcepto Episcopi approbantis, & ita implicite præcipientis tale Festum: & tale Festum posset atiam esse mediæ tantum diei, in qua mane esset obligatio ad Missam, & ad abstinendum a servilibus, a prandio autem laborari possat. Non est obligatio audiendi Missam Fer. 5. & 6. & Sab. majoris hebdomadæ, neque diebus Rogationum, neque die cinerum, S. Marci, Festi Animarum, &c. die Nativitatis Christi tantum teneris audire unam Missam. In dubio, an sit Festum, teneris mediocre studium adhibere, ut intalligas, itaut non tenearis per sesquihoram iter facere, ut id interroges: & si permanet dubium, non erit obligatio ad Missam, quia in dubio possessio est pro libertate. Quod si pater dicat esse Festum præcepti; mater vero dicat esse devotionis, teneris, per se loquendo, potius credere patri, quia ejus testimonium est majus, & ejus potestate es dirigendos.

Quæres septimo, Quo tempore audiri debeat Missa?

Respondeo, Probabilius videri, quod satisfiat præcepto, quacumque hora audiatur a media nocte ad alteram mediam noctam: Lug. Dian. Gob. & alii contra Pasq. qui putat, non satisfieri, nisi audiatur intra tempus, quo licitum est celebrare; at huic non adhæreo, quia, quacumque hora audiatur, verum est Missam eo die esse auditam, adeoque satisfactum præcapto, quod exigit, Missam audiri illo die. Qui nocte Nativitatis Christi audit Missam, quæ Romæ, vel Venetiis ex privilegio dicitur ante mediam noctam a Sacerdote jejuno, satisfacit præcepto pro die Nativitatis: at si dies Nativitatis inciderit in diem lunæ, non satisfacaret præcepto pro die Dominica; quia Missa illa spectat ad sequentem diem Nativitatis, & absoluta loquendo non potest per auditionem unius Missæ satisfieri præcepto audiendi Missam duobus diebus, uti recte probat Cresp. a Borg. *in Quæst. Mor.* q. 10. vide plura de his apud Croix n. 608.

§. II.

De causis excusantibus ab auditione Sacri.

QUÆRES, Quæ causæ excusent ab audiendo Sacro? Respondeo, Eas reduci ad impotentiam, ignorantiam, censuram, & consuetudinem, omissa dispensatione, de qua satis superque capite superiori cum de abstinentia ab operibus servilibus.

Primo itaque excusat impotentia; atque adeo quicum-

que

que nequit Missam audire sine gravi detrimento sui, vel proximi, animæ, corporis, famæ, honoris, rei familiaris, &c. ad illam non tenetur: nec qui notabile lucrum amitteret; nam si hic, ut diximus, non obligatur præcepto abstinendi ab operibus servilibus, neque obligabitur præcepto audiendi Missam.

Hinc excusantur primo, qui multum distant a loco, ubi celebratur, nimirum per tria milliaria, vel per duo, aut etiam aliquando per unum, attenta circumstantia personæ, pluviæ, æstus, & aliarum circumstantiarum, itaut tali personæ judicetur tale iter notabiliter difficile; cum Ecclesia non obliget cum incommodo notabili.

Secundo, Excusatur mater, quæ domi remanet ad custodiendam filiam, cui timet periculum probabile, tam si illam ducat in Ecclesiam, quam si domi solam relinquat; & eodem modo filia nubilis, si sine probabili periculo egredi non potest, & gravida, quæ domo exeundo propalaret suum lapsum, & eadem ratione nutrix, quæ nequit sine periculo infantem domi relinquere, nec ducere sine perturbatione celebrantis, vel adstantium.

Tertio, Ægroti, qui domo exire non possunt propter alia negotia, & qui timent sibi periculum gravioris morbi: in dubio autem debent Medicum, aut Parochum consulere, & illi acquiescere: quod si neminem consulere possunt, & adhuc dubitent, non tenentur domo exire, & exponere se periculo morbi gravioris, prævalente præcepto de diligendo seipsum; & ob eamdem rationem non tenetur Missam audire, qui infirmo deservit, ea solum de causa, quod si abeat, vel solus relinquatur ægrotus, laborem, animique anxietatem pateretur; vel non possent illi convenienti tempore adhiberi remedia.

Quarto, Excusantur, qui Missam audire nequeunt, quin grave aliquod negotium prætermittant, quod differri non potest. Qua ratione excusantur Tabellarii; excusat enim eos amissio boni temporalis, ex quo, tanquam officio utili, & necessario Reipublicæ vivunt. Excusantur etiam nautæ, muliones, seu vectores mercium, qui non possunt sine magno incommodo: sic etiam iterfaciens, si cogatur socios relinquere, quibus indiget, quia viam ignorat, aut latrones timet; secus vero si iis non indigeat. Excusantur etiam illi, qui, ubi unica Missa celebratur, remanent ex timore latronum ad custodiam domus, vel ex necessitate ad cibos præparandos; necnon publici Ministri, qui ratione muneris castra dimittere, vel murorum portas, quas custodiunt, deserere non permittuntur; sicut etiam Senatores, seu Viri Primarii, qui gravia Reipublicæ negotia differre non possunt, & Custodes gabellarum, vineæ, gregis, mercium, domus, quando propter Missam dubitant de furto, incendio, &c.

Quinto, Excusatur femina honesta, sicut etiam quicumque caret vel veste convenienti, vel socio, aut pedissequo, sine quibus irridetur, aut magno rubore suffunditur.

Sexto, Uxor, quæ non potest sine rixa notabili Mariti domo exire; & quæ non accedit ad Missam, ut Marito zelotypo obediat; nec non famuli, ut obediant Dominis, timendo aliter gravem rixam, vel detrimentum, v. g. domo ejici; si non facile alios dominos inveniant, quibus serviant: quamvis nec domini peccent, si tempore Missæ ea præcipiant famulis, quæ juxta communem vivendi modum differri non possunt.

Septimo, Non obligatur, qui detinetur aut in vinculis, aut domi loco carceris, & ii, qui bona fide, præsertim promissione jurata data viro nobili, domo exire non possunt. Imo, si Oratorium privatum domi habeant, non tenentur juxta probabilem sententiam Suar. & Trull. contra Macrin. quærere Sacerdotem, præsertim stipendiatum, ut ibi celebret; quia privilegium, quod habent, non videtur obligare ad tale medium non consuetum, & extraordinarium.

Dubium est, an excusetur puella, quæ credit, se ab adolescente lascivo concupiscendam, si domo exeat? Respondeo; Nav. & alios apud Dian. p. 5. tr. 6. ref. 22. putare, quod non excusetur, quia tale scandalum non est datum, sed acceptum; & sequitur ex illius malitia. Verum communius cum Sa, Bon. Sot. Trull. putant, posse (saltem si id sæpius non accidat) Missam omittere ad vitandum grave damnum spirituale proximi, sed ad id non teneri; quia potest uti jure suo, & propter scandalum passivum non tenetur privare se ingenti bono auditionis Missæ.

Secunda causa excusans est ignorantia invincibilis; sicut etiam inadvertentia, oblivio, &c. hæc enim a transgressione cujusvis Legis excusant.

Tertia causa est censura; unde excusatur. Primo personaliter interdictus, & quilibet excommunicatus: Secundo, Qui lato interdicto locali generali non potest commode adire locum non interdictum. Certum autem est, neminem obligari ad obtinendum eo tempore privilegium, saltem, si commode haberi nequit (sicut nec tenetur, qui detinetur in carcere petere privilegium exaundi ad audiendam Missam, si commode habere illud non possit, ut notat Trull. hic ex Bon.) quamvis, qui privilegium habet tempore interdicti, probabilius teneatur Missam audire, quia præceptum obligat omnes, qui possunt, licet non obliget ad petendum privilegium, quod commode haberi nequit, ut possint.

Demum excusat consuetudo; quam ob causam Suar. excusat viduas, sorores, filias, quæ mortuo marito, fratre, patre ad certum tempus juxta consuetudinem Patriæ non exeunt domo: & Bon. excusat sponsas, & nubiles, quæ non consueverunt juxta morem Patriæ egredi domo, donec nuptui tradantur: olim etiam ex consuetudine excusabantur eremi accolæ. Demum excusantur mulieres, quæ post partum consueverunt per aliquot dies se domi continere, etiam postquam convaluerint, dummodo id fiat ex reverentia, & devotione, juxta cap. ult. *de Purificatione post partum*; & non ex ritu Mosaico, aut ex superstitione; non enim servanda nunc est purificatio antiquæ Legis, etiamsi id fiat in honorem B. Vieginis.

An Peregrini excusentur ab auditione Missæ die, quo est Festum municipale loci, per quem transeunt? v. quæ diximus in tract. de Leg. d. 2. q. 3. c. 3. & an liceat apponere impedimentum executioni hujus præcepti? v. ibid. q. 2. c. 4. Noto hic cum March. & Spor. excusatos a Missa die Dominico teneri sub mortali Deum colere aliquo speciali cultu saltem interno; quia præceptum divinum est, ut in Sabbato, quod apud nos est Dominica, Deus specialiter colatur, in quo nec Papa potest dispensare. Satisfit tamen per abstinentiam a servilibus ea intentione, ut colatur Deus, qui in Sabbato quievit; nec obligatio illius intentionis est in Festis pure ab Ecclesia institutis.

C A P U T IV.

De Jejunio Ecclesiastico.

QUONIAM solet Jejunium dies Festos non raro præcedere, idcirco ejus hic tractationem aggredimur. Porro duplex est Jejunium, Naturale, & Ecclesiasticum: primum violatur per quamcumque particulam cibi, vel potus, quæ in os immittatur, & in stomacum trajiciatur; prærequiriturque ad sumptionem Eucharistiæ, de quo proinde fusius in de Sacramentis, cum de Eucharistia agemus. Alterum est abstinentia a cibis Paschalibus, & unica comestio a media ad mediam noctem sequentem; & de hoc in præsenti distincte agendum. Sit ergo

§. I.

Quinam cibi prohibeantur die jejunii, & an etiam potus?

CERTE prohibetur esus carnium: carnes autem intelliguntur, quæ ex communi Fidelium usu, & Medicorum judicio a piscibus contradistincta sunt, habito respectu ad finem Ecclesiæ, qui est excludere a Fidelibus alimenta multum reficientia. Hinc etiam Testudines, Ranæ, Limaces, & juxta Tamb. etiam viperæ non prohibentur; quia licet extra aquam vivant, sunt vel modice nutritivæ, vel anguillis similes.

Quæres primo, an vetita sit quælibet pars animalium die, qua vetatur esus carnium?

Respondeo, Quamlibet, exceptis ovis, lacte, & iis, quæ lacte fiunt, nempe lacticiniis. Unde, ubi vetatur esus carnium, vatatur jus ex carnibus, utpote continens partes subtiliores substantiæ carnis; item sanguis, nervi, medulla, axungia, pinguedo, & laridum; & idem dicendum de his liquefactis, quæ post liquefactionem dicuntur sagimen. Probabile tamen est, laridum, & sagimen inter lacticinia recensenda juxta Azor. Laym. aliosque apud Dian. quia ex Aristotele pinguedo non est caro: sed probabilius est, ista permitti tantum posse, ubi est consuetudo; sicuti in Galitia ex defectu olei, vel butyri permittitur sagimen: apud Castellanos in Hispa-

Hispania licet vesci ex consuetudine intestinis animalium in Sabbato: & in Belgio permittuntur ova in Quadragesima.

Quæres secundo, An liceat die jejunii vesci lacticiniis?

Respondeo, In quadragesima non licere, & constat ex prop. 32. damn. ab Alex. VII. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget*; & insuper in cap. *Denique*, ubi sermo est de tempore Quadragesimæ, hæc habentur, *Par est, ut quibus diebus a carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam ex carnibus originem ducunt, abstineamus, a carne scilicet, caseo, & ovis*. In Dominicis Quadragesimæ, ut communiter docent Doctores, saltem ex consuetudine lacticinia prohibentur. In diebus jejunii extra Quadragesimam, aliqui cum D. Th. negant; prohiberi, alii affirmant, saltem, ex consuetudine. Verum dari talem consuetudinem aliqui apud Dian. asserunt: Sanch. negat: Escob. Fag. & alii dicunt, quod consuetudo, etiamsi adesset, non per hoc obligaret sub mortali, quia non constat, esse introductam scienter, & animo se obligandi mortaliter. Itaque videtur dicendum, quod, si alicubi sit consuetudo abstinendi a lacticiniis, uti est ubique in tempore Quadragesimæ, ibi mortaliter peccare, qui non abstinent in Vigiliis, & Quatuor temporibus; ubi vero talis consuetudo non est, neminem obligari. Neapoli autem ex Synodo expresse vetantur pro Diœcesi Neapolitana.

Hinc dispensatus tempore jejunii ad lacticinia, adhuc tenetur ad jejunium. * Dispensatus vero ad carnes etiam tenetur ad unicam comestionem ex præcepto promulgato Bened. XIV. qui etiam vetuit apponi die jejunii dispensatis ad carnes epulas ex cibis licitis, & illicitis, per Epistolas Encyclicas in forma Brevis, quarum una incipit, *Cum ambigimus*, altera *In supremo*; circa quæ duo, nimirum circa præceptum unicæ comestionis, & præceptum non admiscendi cum licitis cibos illicitos, idem Pontifex in responsione ad Archiepiscopum Compostellæ, per aliam Epistolam, quæ incipit *Libentissime*, declaravit primo, *Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: Epulas interdictas esse pisces; adeoque utrumque simul adhiberi non posse: piscibus tamen edendis* (subdit) *non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia*. Declaravit secundo, *Præceptum de utroque Epularum genere non miscendo complecti dies quoque Dominicas Quadragesimales*. Declaravit tertio, *Sic dispensatis observandam esse horam jejunantibus præscriptam*. Declaravit quarto, *Tam præceptum de unica comestione relate ad dispensatos ad carnes, quam de non permiscendis Epulis licitis cum illicitis esse sub gravi*. Declaravit quinto, *Memorata duo præcepta urgere in diebus jejunii etiam extra Quadragesimam*. Huc usque etc. Pontifex. His stantibus, ii solum videntur ab unica comestione excusati, qui carnibus ita vescuntur, ut ob virium debilitatem ex Medicorum judicio debeant pluries se reficere. *

Quæres tertio, An prohibeatur die jejunii potus?

Respondeo, Juxta præsentem Ecclesiæ consuetudinem licitum esse etiam extra mensam bibere, & vires reficere tum vino, tum quolibet alio potu usuali. Neque vero, qui sic bibendo vires reficit, operatur in fraudem jejunii; sed potius utitur jure suo: sicuti non peccat contra legem jejunii, qui unica refectione adeo ventrem replet, ut nullam difficultatem jejunandi sentiat, nec ullatenus comprimat carnis illecebras.

Quæres quarto, Quidnam dicendum pertinere ad cibum, quidnam ad potum?

Respondeo, Id esse discernendum ex communi usu Catholicorum, & judicio Medicorum. Certe ad potum pertinet, quod ex natura sua adhibetur ad vehiculum cibi, & sitim extinguit. Dixi *Natura sua*; non enim dicitur potus aliquid per hoc, quod tu illud assumas ad sedandam sitim, & ad vehendum alimentum: secus posses ova, lac, & gallinam distillatam potare.

Hinc primo acetum, & oleum de se pertinentia ad cibum frangunt jejunium, si in refectiuncula adhibeantur ultra octo uncias. Secundo, Uva similiter jejunium frangit; etiamsi solum succum ex ea sumas, quia ex communi usu assumitur pro vera comestione. Idem dicas de aliis Pomis: idem de peponibus vulgo *meloni d'acqua*. De Chocolata, aliqui ap. Dian. p. 4. tr. 4. r. 194. affirmant frangere jejunium; aliqui apud Tamb. negant propter materiæ parvitatem; alii putant non frangere; quia est potus usualis apud Indos: unde, sicuti cervisia apud nos jejunium non frangit; quia est apud Exteros potus usualis, & consequenter habet natura sua sumi ad vehiculum, & sedandam sitim; ita videtur discurrendum de Chocolata per hos Auctores, quos refert, & sequitur Cardin. Branc. in Diatriba; Neque per ipsos obstat, quod nutriat; nam etiam vinum, & cervisia nutrit. Denique Catal. aliique putant non frangere jejunium propter auctoritatem extrinsecam multorum Theologorum, & propter usum Timoratorum; ob quam eandem rationem Tamb. l. 4. Decal. c. 5. *de Jejun.* §. 2. n. 13. putat, hanc sententiam a probabilitatis, ac securitatis finibus non abscedere, eique Emin. Jo: Lug. adhæsisse ibidem testatur. Tertio, Aqua saccharo, & aromatibus condita, vulgo *Sorbetta*, non frangit ex Tamb. ib. n. 5. jejunium; quia saccharum, & aliæ res, quæ intermiscentur, sunt modicæ quantitatis, & adhibentur per modum medicinæ, ne sola aqua noceat: Sanch. tamen l. 5. *Consil.* c. 1. d. 23. n. 1. ax aliis id negat, & merito quidem, si aquæ magna quantitas intermisceatur sacchari, & aliarum rerum, itaut extrahatur e natura potionis.

§. II.

De Unica Comestione, ejusque tempore.

LICET nullus sit textus præcipiens unicam comestionem, ut advertit Bon. tamen ex consuetudine, & sensu communi sumus certi de hoc præcepto. Itaque Primo, qui sæpius modicam quantitatem comedit, tunc graviter peccat, quando ad notabilem quantitatem pervenit: unde damnata est ab Alex. VII. prop. 29. *In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium*. Ratio est; quia coalescunt in unum plures comestiunculæ ejusdem diei, itaut notabiliter lædant jejunium, sicuti minuta furta. Communiter Doctores affirmant, quod si post duplicem comestionem quis tertio comedat, non ultra peccet contra legem unicæ comestionis, quia eam non potest amplius servare, & consequenter non obligat: at, qui carnes comedit, toties peccat, quoties comedit; quia præceptum non comedendi carnes est negativum, obligans proinde semper, & ad semper. Idem probabiliter dicendum de eo, qui inadvertenter bis comederit. Qui vero inadvertenter mane jentaculum sumpserit, probabilius ex Less. & Bon. tenetur habere jentaculum illud pro refectiuncula vespertina, & semel tantum prandere potest, nisi aliud ferat necessitas.

Quæres primo, Quantum temporis medians tollat unitatem comestionis?

Respondeo, Quadrantem cum dimidio non tollere juxta Sanch. & Fill. apud Dian. p. 1. tr. 9. r. 32. etiamsi post primam refectionem decreveris nil ultra manducare: juxta Portel. apud Dian. *in Summ.* semihora non tollit, si non manducaveris, quod sufficit ad sustentationem; imo si propter negotium interrumpatur comestio, conceditur etiam hora: Tamb. vero putat, quod si notabilem partem refectionis dimiserit quis ob grave negotium, potest ex matutina, & vespertina refectione unam moraliter cœnam conflare; quia diem transigere sine sufficienti refectione non videtur juxta mentem piæ Matris Ecclesiæ. Unde infert Sanch. posse Lectores mensæ, & famulos aliquid sumere immediate ante mensam Domini: quia ob necessitatem legendi, & inserviendi censentur tunc incipere suam refectionem, quam post horam circiter sunt perfecturi.

Quæres secundo, Quanam hora facienda sit unica comestio?

Respondeo, Quidquid sit de primis Ecclesiæ temporibus, in præsenti ex communi Fidelium usu horam comestionis esse ad meridiem; itaut differre liceat, anticipare notabiliter sine causa non liceat, sed sub levi culpa, ut docent Laym. Less. aliique. Insuper notabilis anticipatio non reputatur a Trull. & Villal. si infra horam ante meridiem fiat; quia, quod parum distat a meridie, pro meridie computari potest.

§. III.

De Refectiuncula.

LICITA est certe vespertina refectiuncula, etiamsi sumatur causa alendi corpus, & sine necessitate.

Quæres primo, Quænam qualitas ciborum permittatur in refectiuncula?

Respondeo, Bonac. *de leg. d. ult. punt.* 3. asserere, quod in serotina collatione non tam cibi qualitas, quam quantitas est attendenda: verum Dian. præsertim p. 1. tr. 19. res. 1. sententiam hanc acriter objurgat; putat enim

enim ipse cum ratione consuetudinis, cum auctoritate Doctorum permitti tantum posse cum modico pane aliquos fructus, vel dulciaria, vel ad summum juxta Laym. & Azor. aliquem pisciculum: Cajet. Sol. Tamb. cum aliis docent, probabiliter sumi posse uncias octo ex pane, & piscibus sale coctis, vel ex pultibus, seu minestris: excludit tamen hæc sententia ova, utpote magnæ substantiæ, & ex diametro opposita jejunio, licet permittat parum casei iis, quibus permittuntur lacticinia. Tota igitur quæstio est, an pisces, minestra, aliique cibi substantiales sint exclusi? Equidem propter consuetudinem, quam puto jam introductam penes multos, iis vesci (exclusis ovis) in debita quantitate, etiam parto piscis majoris cum pane non videtur mortale. Si addatur refectiunculæ una, vel altera uncia, habetur parvitas materiæ, dummodo aliæ materiæ parvæ non fuerint eodem die sumptæ. * Addendum hic ex supracitat. Ep. Bened. XIV. *Non licere iis, quibus concessum est vesci carnibus, iisdem etiam vesci in refectiuncula, sed eo cibo, eaque potione eos uti debere, quibus utuntur homines jejunantes recta, & meticulosa conscientia.* *

Quæres secundo, Quænam quantitas cibi sumenda sit in refectiuncula?

Respondeo, Quod debet certe esse modica quantitas. Verum aliqui cum Fill. Reg. modicam esse dicunt quartam partem cœnæ ordinariæ uniuscujusque: alii volunt, variam esse pro varietate personarum.

Opinio Suarii, & Frag. est, quod octo unciæ ab omnibus sumi possint: & talis est consuetudo apud nos: Verum in Vigilia Nativitatis Domini permittuntur unciæ 16. etiamsi venerit in Sabbato quatuor Temporum. Sumere autem plusquam uncias 16. in Vigilia Nativitatis ex fructibus, & dulciariis, vel excedere uncias octo in Vigilia Paschæ, & Pentecostes, licitum est in iis tantum locis, in quibus viget talis consuetudo, quæ apud nos certe non est.

Quæres tertio, Quando sumi possit refectiuncula?

Respondeo, Quod, si sumatur meridie rejecta ad vesperas comestione, juxta communiorem sententiam est tantum veniale, si sine causa; nam non mutatur substantia jejunii; sed mera circumstantia hujus cœnulæ. Cæterùm sumi debet sub vesperas ante cubitum.

Quæres quarto, An pro jentaculo sumi possit panis coctus, aut fabæ, aut amygdala, quorum quantitas debita habeatur etiam ante coctionem?

Respondeo, ex communi sententia apud Tamb. id non licere: quia propter coctionem aqua ipsa cum fabis, vel pane fit cibus solidus, & una quantitas excedens mensuram debitam. Non desunt tamen Auctores, qui putant, aquam illam per coctionem remanere potum: sed horum sententia scienda quidem est, non sequenda.

§. IV.

De causis excusantibus a Jejunio.

OBLIGATIO jejunandi est tantum Ecclesiastica; imo multa jejunia obligant ex sola consuetudine habente vim Legis, multa vero sunt de facto per legitimam consuetudinem abrogata. Jam vero causæ a jejunio excusantes sunt ætas, labor, infirmitas, & paupertas.

Quæres igitur primo, Quænam ætas excuset a jejunio?

Respondeo excusari omnes ante 21. annum completum, & senes post 60. inchoactum. Ita probabiliter Doctores contra nonnullos apud Dian. p. t. tr. 9. res. 20. volentes, quod sexagenarius robustus adhuc obligetur. In feminis probabile est, obligationem jejunandi desinere inchoato anno 50. licet id quamplures dicant, non esse tutum: v. Dian. p. 9. tr. 7. res. 73. In dubio, an quis compleverit annum 21. si adhibita diligentia non constet, non tenetur jejunare, quia possidet libertas. At in dubio, an quis pervenerit ad ætatem excusantem tenetur, quia possidet præceptum.

Quæres secundo, Quinam labor excuset a jejunio?

Respondeo, Laborem omnem incompossibilem cum jejunio; quia laborans grave incommodum subiret jejunando. Insuper omnes, qui artem laboriosam exercent, ex Eug. IV. excusantur: hujusmodi sunt bajuli, fossores, lignarii, &c. qui non tenentur jejunare, quamvis possent cum tali labore commode jejunare. Porro ars laboriosa censetur, quæ fit cum magna agitatione membrorum, & spirituum consumptione. Verum Typographi, qui literas ordinant, & non versant prælum, ex Dian. non excusantur; neque sutores, ut notat Tamb. qui solum scindunt coria ab aliis suenda, vel suunt corium tam molle, ut quasi pannum videantur suere. De Sutoribus pannorum, & Barbitonsoribus, aliqui cum Trull. & Tamb. dicunt, non esse improbabile, quod non teneantur; vel ex declaratione Eugenii IV. pro artem laboriosam exercentibus, vel ex privilegio ejusdem: alii communius cum Less. & Laym. putant, teneri; tum quia Eugenius non declaravit eorum artem laboriosam, quod examinandum reliquit Doctoribus; tum quia damnata est ab Alex. VII. prop. 30. *Omnes Officiales, qui in Rep. corporaliter laborant, sunt excusandi ab obligatione jejunandi, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio:* & licet hæc condemnatio directe formaliter non sit contra Barbitonsores; tamen magnum pondus addit sententiæ huic, quod Barbitonsores de se non excusentur, sed tantum per accidens, si scilicet suum officium, continue stando, exercere aliquis non possit, nisi se reficiat. Porro ex Fag. & Sanch. exercentes artem de se laboriosam, si multis diebus a labore vacant, tenentur ad jejunium: si uno, vel altero die in Quadragesima non laborant, non tenentur; quia & a præteritis laboribus debiles sunt, & ad labores sequentium dierum indigent viribus. Insuper conjux excusatur a jejunando, si inde reddatur notabiliter impotens ad debitum reddendum (sed moderate) & in hoc casu non debet jejunare; quia obligatio ex justitia naturalis prævalet obligationi positivæ.

Utrum autem liceat sine causa opus aliquod laboriosum assumere ad declinandam jejunii obligationem, vide in de Leg. d. 2. q. 2. c. 4. ubi plura hac in re resolvuntur.

Quæres tertio, Quænam Infirmitas excuset a jejunio?

Respondeo; Debere esse notabilem: unde excusantur, & qui actu tales infirmi sunt, & qui merito timent a jejunio notabilem infirmitatem, vel damnum. Dicitur autem notabile damnum, si ex jejunio impediantur operationes ordinariæ cujuscumque personæ: unde communiter excusantur prægnantes, & nutrices omnes, etiamsi robustæ sint ex Reginald. ratio est, quia istæ paucæ sunt: & leges aptantur ad communiora. Imo universim prægnantes, & nutrices indigent multiplici refectione: a carnibus vero abstinere debent, nisi specialiter indigeant. Idem putat Tamb. dicendum de femina mox probabiliter conceptura, si jejunia matris judicio Medicorum nocitura sint proli suscipiendæ. Excusantur etiam, qui noctu per notabile tempus dormire nequeunt sine cœna, qui ita debili stomacho frigent, ut non possint una vice sufficientem refectionem sumere; esset enim his jejunium nimis onerosum. Excusat demum infirmitas imminens, extraordinaria stomachi debilitas, & ex Bon. notabilis lassitudo. In dubio, an sit infirmitas notabilis, peti debet vel judicium Medici docti, & timorati, vel dispensatio Superioris: dispensare autem potest solus Superior habens potestatem in foro externo, nimirum Episcopus, Vicarius generalis ex speciali mandato, Prælatus regularis, & Parochus propter præscriptam consuetudinem, non tamen Abbatissa, quæ neque habet Jurisdictionem spiritualem, nec adest talis consuetudo, sicuti datur in Parocho. Si desit tum superior, qui dispenset, tum vir peritus, qui declaret, adesse causam sufficientem excusantem a jejunio, satis est ex Sa, quod subditus ipse bona fide putet, se habere causam sufficientem.

Quæres quarto, Quænam paupertas excuset?

Respondeo, Excusare illam, ob quam quis cogatur laborare, & ob defatigationem indiget secunda refectione, vel ob quam quis careat cibis sufficientibus ad unam refectionem. Porro ex Tamb. aliisque apud Dian. deest sufficiens refectio iis, qui habent tantum copiam panis, & vini, & ad id non sunt assueti. Si vero qui semel, aut iterum habeat tantum aliquod obsonium, v. g. cepas, is videtur obligandus ad jejunium, nisi notabile incommodum patiatur: si id contingat sæpe, tunc tantum obligari poterunt rustici fortes, & assueti vilibus hisce obsoniis; non vero alii, qui sic nimis, & extra modum macerarentur, nisi forte isti habeant quotidie plura ex his vilibus obsoniis. Hinc excusantur primo iter agentes, qui non possunt hora prandii invenire sufficiens alimentum: secundo ex Sanch. apud Trull. Agricolæ, si edant, & præbeant suis domesticis, messoribus, putatoribus lacticinia, quando nequeunt commode invenire pisces, aliudve, quod comedant.

Ad plenam de jejunio tractationem, notandum primo, qui initio quadragesimæ proposuit nunquam jejunare, unum numero peccatum committit: uti, qui plu-

plures occidit uno ictu; singula vero singulis diebus peccata committit actu non jejunans. Qui frangit jejunium, ad quod tenetur ex duplici præcepto v. g. quatuor Temporum, & Vigiliæ, unum numero peccatum committit, quia utrumque præceptum obligat ex eadem virtute temperantiæ: secus vero qui tenetur v. g. ratione Vigiliæ, & ratione Voti, aut Præcepti Superioris, aut Confessarii, quia obligatio oritur ex pluribus virtutibus, nimirum Temperantiæ, Religionis, Obedientiæ, &c. Doctores communiter apud Dian. p. 1. tr. 9. res. 16. affirmant, teneri Franciscanum ad jejunia suæ Regulæ, etiam ante annum vicesimum primum: Aliqui cum Tamb. & Med. tamen putant, probabiliter non teneri, & similiter discurrunt de Sexagenariis: quia præsumi potest, nolle Regulam obligare sub mortali eum, quem Ecclesia non vult obligare.

Notandum secundo, quod graviter peccat, qui alium invitat ad frangendum jejunium. Qui vero urbanitatis causa invitat ad cœnam aliquem paratum frangere jejunium, non tamen habens intentionem ut iste frangat jejunium, sed ut potius domi suæ, quam alibi edat, si velit frangere jejunium, ex Nav. Villal. aliisque non peccat, quia non invitat absolute ad cœnandum, sed conditionate, si nimirum velit frangere jejunium. Verum juxta Sanch. & Pal. id non licet, quia tenemur impedire peccatum etiam externum Proximi, quando commode possumus. Vide, quæ dicenda sunt de cooperatione materiali d. 2. q. 1. c. 3. §. 4. ex quibus resolves, quid dicendum de Cauponibus exhibentibus cœnam, aut carnes hospitibus.

DISPUTATIO II.

De Præceptis secundæ Tabulæ.

CONTINET hæc Disputatio septem reliqua Præcepta, quæ immediate respiciunt Proximum, & fundantur in charitate illi debita, tamquam in primo eorumdem principio. Verum duæ tantum quæstiones sunt hic discutiendæ; quarum I. erit de Præcepto Charitatis Proximi: II. De quarto Præcepto honorandi Parentes; De quinto enim præcepto agemus in de Restitutione disp. 2. q. 3. De septimo, ac decimo ibid. q. 5. De octavo partim ibid. q. 2. partim in de Contract. disp. 4. q. unic. partim vide superius dicta disp. 5. hujus tract. q. 1. c. 3. §. 2. De sexto demum, ac nono agemus, Deo dante, in de Matrimonio.

QUÆSTIO I.

De Præcepto Charitatis Proximi.

CHARITAS proximi ex Matth. 22. & Luc. 10. est alterum mandatum universale post Charitatem Dei, & regitur ad normam Charitatis sui; ideoque duplex etiam continet Præceptum, affirmativum, & negativum. Itaque agendum I. De Præcepto Charitatis sui: II. De Præcepto affirmativo Charitatis proximi: III. De Præcepto negativo Charitatis proximi.

CAPUT I.

De Præcepto Charitatis sui.

HOc præceptum non exprimitur in Sacris Literis, sed supponitur in illis verbis Christi Domini: Matth. 22. *Diliges proximum suum, sicut teipsum.* Velle enim sibi bonum est cuique natura inditum, ac necessarium; tantumque indiges directione, ut scias, quid sit tibi verum bonum, quis bonus tui amor? Quo sensu D. August. *Tr.* 51. *in Joan.* 12. 25. ait, *Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti.*

Quæres primo, An, per se loquendo, teneatur quisque conservare propriam vitam?

Respondeo affirmative, quia non est dominus vitæ suæ, & membrorum, sed tantum usuarius, & custos: Doctores communiter cum Less. l. 2. c. 4. num. 37. ergo quisque tenetur eam conservare domino suo, hoc est Deo. Hinc graviter peccat, tanquam sui interfector, qui pœnitentiis indiscretis vitam sibi notabiliter abbreviat, ex cap. *Non mediocriter, de Consecr. d.* 2. At vero pœnitentiæ discretæ, nec notabiliter vitam decurtantes licitæ sunt, & laudabiles; imo Carthusiani, qui etiam in extremis morbis a carnibus abstinent, non peccant, etsi cum certo mortis periculo, quia laudabiliter postponunt vitam privatam bono communi Ordinis: Lug. *de Just.* d. 10. n. 33. & alii contra Azor. & Escob. ex quo etiam fit, ut licite etiam possint eas comedere; imo, si aliud omnino non habeant, debent: Sanch. l. 5. *Consil.* c. 1. d. 35.

Quæres secundo, An ægrotus teneatur procurare salutem?

Respondeo affirmative, Ex eadem ratione: hinc tenetur cibum, vel medicamentum sumere, &c. si inde affulgeat spes vitæ. Cæterum, si non possit ea sumere sine magna consternatione, cruciatu, &c. non peccat, quia tunc reputatur impossibilitas quædam. Item nec peccat, qui, etiamsi possit, non facit expensas extraordinarias pro medicis, medicamentis, &c. etiamsi prudenter timeatur mors, quia sufficit adhibere expensas, & diligentiam ordinariam: Sanch. l. 5. *Consil.* c. 1. n. 2. Addens n. 7. nec peccare graviter, si comedat, vel bibat rem noxiam, si credat afferre sibi aliquod damnum, sed non magnum; fœminas vero comedentes in magna quantitate carbones, cinerem, &c. peccare graviter; secus vero, si semel, aut bis: n. 25.

Quæres tertio, An Reus morte plectendus teneatur, si possit, fugere a carcere?

Respondeo, Quamvis licite possit fugere, non tamen teneri, si juste sit plectendus, quia præceptum servandi vitam, cum sit affirmativum, non obligat ad semper, sed potest aliquando omitti ob bonum finem, puta in casu ob amorem justitiæ, & exempli publici. Qua ratione etiam potest seipsum in carcerem conjicere, Judici se offerre plectendum: imo, si juste damnatus sit, ut fame pereat, potest etiam abstinere a cibo clanculum oblato: Less. c. 9. Si autem damnatus sit, ut pereat veneno, non potest illud per se propinare, etiamsi a Judice id ei committeretur; quia esset positive occidere seipsum, quod est intrinsece malum: Less. ibid. contra Sanch.

Quæres quarto, An possit quis in casu aliquo seipsum interimere?

Respondeo, Absque divina auctoritate illicitum esse positive, & directe causare sibi mortem ob quemcumque finem, quia nemo est dominus vitæ suæ: itaque absque divina inspiratione (ut dicitur de Sampsone, & nonnullis Martyribus) nulli licet seipsum interimere in detestationem peccati commissi, ut putabant Donatistæ; nec ad vitandum peccatum, nec ad cito acquirendam gloriam, quamvis ad hunc finem possit desiderari mors cita, cum multa desiderari possint, quæ non possunt positive inferri: Less. c. 9. num. 20. neque demum ad vitandam infamiam, aliasve hujus vitæ ærumnas; cum mors omnium malorum sit maximum: D. Aug. l. 1. *Civ.* cap. 18. ideoque hi a Sacr. Canon. privantur Ecclesiastica sepultura, nisi vero aliunde prudenter censeantur non fuisse suæ compotes mentis, &c.

Cæterum potest quis aliquando licite se exponere vitæ periculo ob bonum finem, quia tunc non directe, & positive se interimit, sed tantum indirecte, & negative, faciendo scilicet, vel omittendo aliquid, unde præter intentionem mors, utut prudenter prævisa, sequatur. Sic quamvis Virgini honestæ non liceat, ob Castitatem ab invasore servandam, seipsam directe, & positive interimere, licite tamen potest pro ea servanda certo mortis periculo se exponere, puta incendendo domum, navem &c. Laym. & alii. Item ad salvandam vitam proximi, ex dicendis c. 2.

Quæres quinto, An liceat seipsum mutilare?

Respondeo negative, per se loquendo, cum nemo sit dominus membrorum suorum, sed tantum usuarius & custos domino suo Deo; ideoque graviter peccat, fitque irregularis ex delicto, mutilans sibi membrum, vel partem membri, si id faciat ex odio sui, ex devotione indiscreta, &c. Secus vero, si ob bonum totius corporis, & vitæ, ut in sectione membri putridi, vel manuum ab hostibus ligatarum perimere volentium, &c. quia major potius est amor sui. Abscissio autem testiculorum, si fiat ob servandam vocem musicam, non videtur hodie peccaminosa, si fiat ob bonum commune Ecclesiæ, & divinarum laudum, modo absit prudens periculum vitæ, quia non videtur illicitum pro hoc fine posthabere partem sui corporis, secus vero, si præcisa fiat ob lucrum, aliudve profanum, aut temporale; v. Trull. c. 3.

Quæres sexto, An sit licitum aliquando se infamare?

Respondeo affirmative; quia quisque est vere dominus famæ suæ, & honoris, cum sit res ab eo acquisita,

ta, & non indita a natura, ut vita, & membra: Less. c. 4. n. 59. contra Cajet. quod autem dicitur Eccl. 4. *Curam habe de bono nomine*, intelligitur, quod non liceat famam negligere sine justa ratione; sic enim esset vitiosa prodigalitas: secus vero, si adsit justa causa, puta ad petendum consilium, ad sui humiliationem, ad vitandum peccatum superbiæ, ad restituendam alteri famam ablatam, &c. Quod autem ait D. Aug. l. *de Bon. Vid.* c. xx. *Crudelem esse, qui famam negligit*, intelligitur de eo, cujus infamia redundet in malum alterius, ut si sis Religiosus, persona publica, vel proximo ob bonam famam proficua: v. Less. n. 60.

Eadem dic de bonis fortunæ, quorum post primam rerum divisionem sumus vere domini, quisque suorum, &c. ideoque ob bonum aliquem finem negligere possumus, modo non redigamur in necessitatem adeo extremam, ut nec unde suppetat ad vitam; esset enim contra charitatem sui, nisi forte in eadem necessitate foret proximus.

Quæres septimo, An liceat aliquando optare sibi mortem?

Respondeo affirmative, Etsi enim nemo possit ob quemcumque finem sibi mortem positive, & directe inferre, cum non sit dominus vitæ, potest tamen licite eam sibi optare inferendam ab alio, nempe a Deo, ob bonum finem; puta ad vitanda peccata, ad videndum Deum; imo etiam ad vitandas ærumnas, non quidem quascumque, sed, cum adeo acerbum est vivere, ut attenta hominis fragilitate expediret potius mori, &c. Idemque est, si optes tibi mortem, ne alteri gravi sis incommodo, &c. sic enim præfers vitæ Charitatem, &c. juxta dicenda q. x. ubi dicemus insuper, exemplo Mosis, & Pauli posse hominem optare sibi etiam pœnas inferni, sine ulla tamen culpa, ut alii salventur ob majorem Dei gloriam; sic enim prævalere potest Charitas Dei supra nos dilecti.

CAPUT II.

De Præcepto affirmativo Charitatis Proximi.

NOMINE Proximi venit quævis creatura capax salutis æternæ: circa quam Charitas præcipit duos actus: internum, qui dicitur benevolentia, & externum, qui dicitur beneficentia, continens signa benevolentia, & eleemosynam, tum temporalem, tum spiritualem, & correctionem fraternam.

§. I.

De interna Proximi dilectione.

ORDO Charitatis postulat ex dictis, ut primo loco diligamus Deum, secundo nos, tertio proximum ex illo Matth. xx. & Luc. 10. *Diliges Dominum Deum tuum, &c. & proximum tuum sicut teipsum*. Ubi ly *Sicut* non æqualitatem, sed similitudinem denotat, ex D. Th. & aliis communiter; præferre enim debes bonum Dei proprio, & proprium alieno; ut possis recte dicere, *Ordinavit in me Charitatem:* Cant. 1. 4. sed de hoc ordine fusius infra.

Quæres primo, An præceptum Charitatis jubeat diligere proximum actu dilectionis interno?

Respondeo affirmative; quia ly *Sicut* modum dictum fert, ut, sicut tenetur quisque bene velle sibi, ita etiam proximo; hinc ab Inn. XI. damnata est prop. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali:* & prop. 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*. Si quis igitur erga proximum exerceat omnes actus externos benevolentiæ, correctionis, eleemosynæ, &c. absque ullo unquam actu interno Charitatis, sed vel ob inanem gloriam, aliumve humanum respectum, is est in peccato; quia nondum satisfacit huic præcepto.

Quæres secundo, Qualis esse debeat talis actus?

Respondeo, Debere esse actum formalem benevolentiæ, quo formaliter velimus bonum proximo; ut patet ex prop. 10. cit. *Actu interno, & formali*. Hinc non videtur amplius sustinenda sententia aliquorum apud Pal. quod sufficiat ad observantiam hujus præcepti actus amoris Dei, qui est virtualiter amor proximi, redditque animum paratum ad adjuvandum, cum necessitas urget; secus enim non essent hæc duo præcepta vere distincta, ut distinguuntur Matth. 22. cit. in primum, & secundum.

Quæres tertio, An talis actus esse debeat supernaturalis?

Respondeo affirmative, ut colligunt Patres, & Doctores communiter apud Suar. hic d. 5. s. 4. ex verbis Christi Domini, Joan. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*; ubi ly *Sicut* denotat similitudinem, sin minus æqualitatem actus. Erit autem supernaturalis, si nitatur motivo supernaturali, seu Fidei lumine noto, puta, quia Christus ita præcepit, quia pro proximo Christus est mortuus, quia ad Dei imaginem factus, quia capax beatitudinis, &c. imo addit Pal. ex Suar. si tibi reveletur, aliquem esse damnandum, adhuc ex charitate providentiæ supernaturali nixa velle debes, ne plura peccata committat, acriusque per id puniatur, ut similiter de damnatis velle potes, ne toties peccent, &c.

Quæres quarto, An talis actus necessario elici debeat ex motivo formali amoris Dei?

Respondeo, Nonnullos Doctores docere, talem actum non solum debere esse supernaturalem, sed involvere etiam debere amorem Dei, itaut diligatur proximus propter Deum formaliter, tamquam objectum motivum quod videtur doceri etiam a D. August. tract. 9. in 1. Joan. 4. *Necesse est, ut Deum diligat, qui diligit fratrem*; ideoque etiam ad Rom. 13. dicitur, *Qui diligit proximum, Legem implevit*. Sed secundum Pal. videtur sufficere, si actus Charitatis proximi virtualiter, & interpretative tendat ad Deum, cum scilicet, sin minus elicitus sit a Charitate Dei, sit saltem ab ea imperatus, vel imperabilis; volendo scilicet proximo, quicumque is sit, vera bona, & quatenus sunt illi bona, & non ob utilitatem, aut commodum proprium, &c. sic enim est amor benevolentiæ, & quidem naturalis in Infideli, cui nondum Fidei lumen illuxit; supernaturalis vero in Fideli, modo ex motivo supernaturali sit elicitus.

Quæres quinto, An satis sit actus dilectionis proximi in confuso; an vero diligendi sint singuli in individuo?

Respondeo per se loquendo, Non esse obligationem diligendi singulos in individuo, cum de hoc nullum extet præceptum, & sit reipsa impossibile. Satis ergo est ex D. Th. & aliis communiter, si identidem elicias actum dilectionis proximi in confuso, itaut ex ejusmodi actibus reddaris paratus ad diligendum in particulari, quoties opus fuerit, puta ad succurrendum certæ personæ, ad depellendum odium in inimicum, &c. Ubi etiam nota, quod si odium depellatur per actum Charitatis Dei, non teneris tunc elicere actum formalem Charitatis proximi, cum satis sit ejus propositum virtualiter inclusum in priori actu, implendum suo tempore.

Quæres sexto, Quoties in vita teneamur elicere talem actum?

Respondeo, Sicut ex dictis d. 1. q. 1. arduum est præfigere tempus, quo obliget præceptum Charitatis Dei, ita & quo obliget præceptum Charitatis proximi. Cæterum ad utrumque actum frequenter obligamur, ut colligi potest ex 1. Petr. 4. *Mutuam in vobismetipsis Charitatem continuam habentes:* debent ergo hi actus esse frequentes, & quodammodo continui, saltem quoad animi promptitudinem ad succurrendum proximo in necessitatibus passim occurrentibus: ideoque D. Th. Suar. & alii communiter docent, sufficere, quod aliquando hi actus exerceantur, cum scilicet occurrit dicta necessitas, quæ quidem, cum moraliter sit impossibile in convictu humano, ut non passim occurrat, ideo non debemus esse adeo anxii circa observantiam hujus præcepti. Si vero quis animo sit inhumano, vel solitarius omnino vivat, debet ad talem obligationem identidem advertere, itaut citra peccatum non possit diu carere tali actu; quia datur per se obligatio ad illum, ut dictum est de actu amoris Dei.

Quis autem ordo servandus sit inter personas, quæ diliguntur, clarius, & fusius videbimus §. 3. &c. Interim noto nemini licere, velle carere bono aliquo spirituali ex propria culpa, ne illo, aut quovis alio careat proximus; cum non sint facienda mala, ut eveniant bona, ex Apostolo ad Rom. 3. licitum vero est velle carere sine culpa, si ita sit necessarium ad bonum spirituale proximi ob majorem gloriam Dei prædilecti, quo sensu idem Apostolus ad Rom. 9. 3. optabat anathema esse, & Moses Exod. 32. 31. deleri de libro vitæ, &c. hoc est de bonis gloriæ, ad majorem scilicet Dei gloriam, in salutem fratrum; nullatenus vero de bonis Gratiæ, & Charitatis, ut explicant Doctores.

§. II.

§. II.

De signis externis Charitatis Proximo exhibendis.

HÆc benevolentiæ signa vel sunt communia, vel specialia. Communia ex Cajet. sunt, quæ Christiano debentur a quovis Christiano in communi, concivi a concive, cognato a cognato, &c. juxta morem patriæ. Specialia sunt reliqua signa, quæ illa excedunt, & specialem benevolentiam indicant.

Quæres primo, An sit obligatio exhibendi inimico communia signa benevolentiæ?

Respondeo affirmative, quia ista negare, est vindicare injuriam, quod non licet privato: Doctores communiter; hinc e converso potest hæc signa negare Superior, non quidem ex odio, sed ex justitia vindicativa in correctionem, & punitionem Subditi delinquentis, quamvis non possit illum positive excludere a communibus orationibus Missæ, quæque pro Communitate instituuntur; sic enim nequit esse correctio, aut punitio, sed merum odium, & quidem mortale, inquit Tamb. hic c. 1. §. 3. n. 17. Privatus vero nec excludere potest a communibus eleemosynis, venditione expositarum mercium, resalutatione, responsione, &c. quia hæc sunt communia dilectionis signa; ideoque contra hæc facere, v. g. cognatos omnes invitare, obvios omnes ex vicinia, vel collegio ex consuetudine salutare, solo inimico excluso, est ex genere suo, & regulariter mortale; nisi levitas materiæ, aut causa rationabilis, juxta mox dicenda excuset: D. Th. Laym. & alii communiter.

Quæres secundo, Quænam causa rationabiliter excuset a communibus benevolentiæ signis inimico exhibendis?

Respondeo primo, Excusare ex dictis Superiorem, Patrem, &c. si ea subtrahat ad tempus ob jus, quod habet puniendi, &c. Secundo, Notabilis gradus diversitas, si scilicet valde nobilis rusticum offensorem salutantem non resalutet; id enim non esse saltem mortale docent Trull. Tamb. & alii, cum non ex odio, sed ex mærore præsumatur exigente majorem satisfactionem honoris læsi: Tertio, Si eæ adessent circumstantiæ, ut odii indicium non fieret; puta si ita animo distractum te simules, ut vere appareat ad salutationem non advertisse: Tamb. excusans proinde matronam nobilem non resalutantem consanguineum occisorem viri sui, eo quod non sit odii indicium, sed sensus justi doloris muliebris, cujus non est vindictam sumere de inimicis.

Quæres tertio, An tenearis salutare inimicum?

Respondeo negative, regulariter loquendo, quia, cum non teneamur salutare quoscumque obvios, salutationis omissio non est per se signum odii, nec de se excitans inimicum ad odium. Excipe primo, nisi antea solitus eras illum salutare, vel si ex circumstantiis colligatur, hic & nunc ex odio non salutare; vel si ille sit tuus Superior, vel si concurrentibus pluribus, inter quos est ille, reliquos eo excepto salutet, vel si non solum non salutes, sed oculis etiam præter solitum torvis aspicias, insolitove fastu pileum capiti comprimas, &c. sic enim odii fomitem, scandalumque ei, vel aliis sine dubio præbebis. Excipe secundo ex dictis Judicem, Prælatum, Parentem, quando ex circumstantiis colligitur in pœnam justam non salutare. Excipit tertio Hurt. apud Tamb. si infamem acceperis ab eo injuriam, cujus æstimatio petit austeriorem vultum, tunc non ex odio præsumeris, sed ex justo dolore, & ingenti acerbitate, quæ juste adimit urbanitatis signa: item si esses multis argumento, te parvi æstimasse tam acerbam injuriam. Excipit quarto Tamb. si certo moraliter prævideas, illum cum debita responsione non resalutaturum; quia tunc sibi imputare debebit, &c. Excipe quinto, si ille prior salutare teneatur.

Quæres quarto, An tenearis alloqui inimicum?

Respondeo negative, regulariter loquendo, cum non sit omni proximo debita colloquendi familiaritas, nisi vero antea cum eo sermones miscebas, vel aliæ occurrant circumstantiæ, juxta dicta quæst. antecedenti: quando autem allocutio debita non est, si prævideas ex tua allocutione fore, ut ille odium deponat, ex charitate teneris cum aliquo incommodo, non autem cum magno, juxta infra dicenda. Quando autem collocutio est per se debita, incipere debet lædens, item inferior, item qui prior injuriam intulit, & rixæ fuit quasi primus incitator; item qui notabilius læsit, etiamsi fuerit in lædendo posterior: quod si omnia sint fere æqualia, utrique incumbit, capta occasione, locutionem aggredi; item, cui secundum morem incumberet prius loqui: sic etiam tenetur prior salutare, si coram illo pertransit; vel de novo accedit, &c. Cæterum Tamb. hic non condemnat de mortali duas Moniales, vel Religiosos ejusdem domus, si post rixam per aliquod breve tempus, puta hebdomadam, a colloquendo abstineant, quia præsumi potest, expectare interim, ut ira defervescat, ut capiatur prudentior loquendi occasio, vel quid simile: si autem hæc præsumi nequeant; tunc, si causa rixæ fuit de re levi, tenentur etiam sub levi in proxima occasione colloqui, quia in timoratis non præsumitur, id provenire ex odio gravi, sed levi: at si causa, vel rixa fuit gravis, cessatio loquendi erit gravis, quia, cum sit diuturna, merito censetur oriri ex odio gravi: v. Tamb. hic §. 3. n. 18. Eadem dicit Trull. apud eundem n. 13. de timoratis secularibus inter maxime conjunctos, inter quos difficulter præsumitur intercedere odium grave, nisi causa, vel rixa fuerit gravis, & cessatio salutationis, aut colloquii sit diuturna.

Quæres quinto, An tenearis petere veniam a læso?

Respondeo affirmative regulariter loquendo, quia teneris ei satisfacere pro injuria. Excipe primo, Si sis multo Superior, itaut non conveniat a Subdito veniam poscere; nisi tanta fuerit injuria, ut ad eam submissionem prudentium judicio urgearis. Secundo, Si aliam æquivalentem satisfactionem exhibeas, v. g. per pecuniam, per præventionem in honore, per amicitiæ signa, vel officia, per amicorum intercessiones, &c. Tertio, Si læsus eam veniæ petitionem vel non curat, vel ad iram illum magis incitari judices, vel si ea apud aliquos v. g. viros nobiles usui non sit. Quarto, Si injuriæ inter utrumque factæ se compensent. Quinto ex Pal. si præsumis, illum non corresponsurum; tunc enim poteris titulo compensationis retinere satisfactionem, quasi in depositum, quousque censeas, eum paratum debitam veniam exhibere. Sexto, Si læsus sit absens, nec facile per te, aut per alium conveniri potest: Trull. & alii. Septimo, Si nondum est elapsum competens tempus, &c. Ex quibus omnibus infers, tunc esse veniam petendam, cum læsio est gravis, & aliud remedium adhiberi nequit, aut spectatis omnibus non detur: sic Filius respectu Patris, Subditus respectu Prælati, Uxor respectu Viri, Servus respectu Domini, in gravibus injuriis veniam petere debent, a quo alii facilius ex dictis, aut similibus causis excusantur: v. Tamb. n. 24.

Quæres sexto, An tenearis veniam concedere inimico petenti?

Respondeo affirmative; quia aliter nimis aperta odii demonstratio esset: Suar. Con. & alii communiter. Solus ergo Superior offensus potest Subdito, ut is emendetur, vel juste puniatur, reconciliationem in hoc casu differre: quia id non odii signum, sed potius amoris est; nisi plus æquo Subditus sic exacerbetur. Cæterum, si læsor veniam petens nolit debitam satisfactionem afferre, obligaris quidem ostendere, te odium nequaquam animo fovere, ac potes modeste tuam satisfactionem exigere, sicque veniam in compensationem differre. Si vero ille nequeat hanc satisfactionem præstare, teneris veniam petenti concedere, quia secus merito præsumeris, velle in odio persistere. Interim nota, non esse coarctandum offensum, ut statim ab injuria accepta veniam dare teneatur; cum tunc satis sit negative se habere: Azor. Fill. Tamb. n. 22. sufficiens tempus, an sit elapsum, prudentis arbitrio est judicandum, cum supra humanam fragilitatem sit, recenti vulnere, necdum sedata animi perturbatione, illum ad positivam reconciliationem cogere; tunc ergo dilatio non erit signum odii, sed humanæ infirmitatis.

Quæres septimo, An tenearis inimico petenti remissionem juridicam injuriæ concedere?

Respondeo, Si non ex odio, sed ex intentione bona, ut scilicet ille emendetur, vel ut debitam pœnam judiciariam subeat, hanc remissionem deneges, non peccare, modo tuam intentionem palam facias, ut vitetur scandalum: idque etsi læsor debitam satisfactionem tibi offerat; quia, sicut adhuc potest judex pœnam juridicam ei infligere, ita & tu potes ex amore justitiæ publicæ eam sinere, imo etiam petere, accusando, &c. Tamb. ex D. Thom. Cajet. & aliis num. 9. & 21. Addit Less. apud eundem num. 6. & 9. posse etiam negari, ut sic fiat per Judicem aliqua reparatio injuriæ, & satisfactio; dum enim ille punitur, tibi restituitur ex parte honor læsus; nam dum te læsit plus justo, sibi indulsit, tibique detraxit; & dum punitur, ei adimitur in gratiam tui, adeoque censetur tibi donari, & quodammodo compensari, &c. quod si id Reo sit provoca-

vocativum odii, scandalum erit passivum; quia rem justam petis; nisi vero injuria sit levis: eum tunc cum aliquo etiam tuo incommodo tenearis ex charitate peccatum ejus impedire; Tamb. n. 10. addens tamen cum communi, rem hanc esse nonnihil periculo odii expositam.

Infert ex dictis Mancin. apud eumdem, non bene Confessarium assistentem pœnitenti scrupuloso dicere, eum non posse salvari, nisi etiam coram Judice remittat, &c. nisi vero læsus causam injustam dedit suæ læsionis; tunc enim tenetur remittere coram Judice, quia sibi imputare debet suam injuriam.

Quæres octavo, An teneamur exhibere inimico signa benevolentiæ specialia?

Respondeo negative; cum hoc sit consilii, non præcepti: quare non teneris eum invitare, adire, familiariter cum eo agere, &c., nisi vero hæc antea erant in usu posita, &c. juxta jam dicta. Si autem eum a longe videns aufugis, ne ei occurras, & is vel non advertat, vel non multum curet, non est mortale, modo non ex odio fiat; secus vero, si ille advertat, & graviter sentiat, vel aliis sit scandalum: Croix n. 191.

§. III.

De eleemosyna in extrema Proximi necessitate præstanda.

Duplex esse potest extrema proximi necessitas, corporalis, quæ est periculum amittendæ vitæ, & spiritualis, quæ est periculum æternæ damnationis. Utraque autem erit extrema, si periculum sit tale, ut non possit aliter ei occurri, nisi hic & nunc a te. Si ergo potes, omnino teneris sub gravi ex præcepto Charitatis. Videndum nunc, cum quanto tuo incommodo tenearis.

Quæres primo, An tenearis cum discrimine propriæ vitæ subvenire proximo constituto in extrema necessitate Salutis æternæ?

Respondeo affirmative cum communissima sententia post D. Th. apud Pal. hic p. 9. contra Jo: Sanch. & aliquos alios, quos non improbat Tamb. hic c. 1. §. 2. Ratio communis est; quia Joan. 14. dicitur: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, & 1. Jo. 13. *Ille animam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere*, quæ verba communiter Doctores dicunt, esse præceptiva: ergo, cum præceptum ponendi animam, &c. aliquando obliget, tenemur saltem in casu dictæ extremæ necessitatis.

Hinc teneris etiam cum discrimine vitæ, & a fortiori cujusvis damni temporalis, imo etiam cum dilatione tuæ reconciliationis cum Deo, si periculum sit in mora; teneris, inquam, baptizare infantem filium patris Christiani proximum morti, si non sit alius, qui baptizare possit, aut velis. Dixi *Patris Christiani*, quia, si pater sit infidelis, & repugnet, probabilis est sententia, quam sequi potes, filium baptizari non posse, parentibus repugnantibus: Pal. loc. cit. Femina autem prægnans morti proxima non tenetur pati sectionem uteri, ut filius baptizetur, quia intrinsece malum est sibi inferre mortem: Si autem ipsa juste damnata esset ad mortem, posses, adeoque deberet id sinere contra Gabr. Armil. & Sos.

Similiter, si te Confessarium advocet peccator morti proximus, sitque adeo rudis, ut non sit per se eliciturus actum contritionis, nec adsit alius Sacerdos, teneris etiam cum vitæ discrimine adire: secus vero, si prudenter præsumas, illum eliciturum actum contritionis; sic enim non est necessitas extrema, ut patet: & solum tenereris, si esses Parochus, &c. titulo justitiæ commutativæ.

Similiter ex Lug. nequis te defendere defensione occisiva aggressoris phrenetici, ebrii, aut somniantis, si certo moraliter scias, te esse in gratia, & eum in peccato, nec postea a peccato liberandum: v. Croix hic n. 178. Potes vero, si aliquod horum tibi non constet, vel si ille possit se liberare non aggrediendo, cum sic non sit in extrema necessitate, sed malitia, a qua ipse se liberare potest. Eadem dic in communi naufragio; teneris enim relinquere tabulam proximo, quem constet periturum in peccata, & de infante non baptizato a te proterendo in fuga ab inimico, juxta jam dicta. Tamb. autem adhærens sententiæ Joan. Sanc. quam vocat benigniorem, & hominum fragilitati magis accommodatam, nititur ejus fundamento; quod scilicet jus tuendi propriam vitam est adeo strictum, ut nonnisi a jure Divini cultus, & Religionis vinci possit: ideoque negat adesse dictum præceptum occurrendi extremæ proximi necessitati cum discrimine propriæ vitæ; & ly *sicut* in verbis cit. Christi Domini, non indicare omnimodam, sed aliqualem similitudinem, & convenientiam, & ly *debemus*, in verbis Joannis denotare pariter convenientiam, & consilium; ut eruitur ex aliis verbis, & phrasi Scripturæ; solumque adesse præceptum negativum, ne scilicet pro tuenda vita propria proximum in damnationem, aut peccatum inducatur; quo sensu vult intelligi D. Th. cit. ut eruit ex ejus verbis. Verum, ut dixi, communis Doctorum sententia recognoscit in text. cit. rigorosum præceptum affirmativum.

Quæres secundo, An tenearis cum gravi propriæ vitæ incommodo subvenire proximo in extrema vitæ necessitate constituto?

Respondeo, Extremam vitæ necessitatem esse prudens periculum mortis, cui occurrendo nulla alia apparet via: cui ex D. Thom. & aliis æquivalet necessitas quasi extrema, cum scilicet quis in tantam calamitatem incidit, ut spectatis omnibus expediret potius mori ob impossibilitatem moralem vivendi; v. Croix hic n. 195. His suppositis: si proximus juste periclitetur vita, quia scilicet juste est morti adjudicatus, ad nihil teneris, quia, sicut ipsemet non obligatur se liberare, ita nec alii. Si autem sit in extrema necessitate vitæ ob aliam causam, teneris etiam aliqua statui tuo convenientia expendere, ut ei succurras: Doctores communiter contra aliquos apud Moyam, quos inhumanos vocat Bann. improbabiles Val.: An autem tenearis, etiamsi per hoc a statu tuo caderes, probabilissima est sententia gravissimorum Doctorum apud Croix loc. cit. te non teneri; quia nec teneris pro vita tua conservanda subire conditionem durissimam, facere immensas expensas, subire sectionem brachii, &c. cum tam vehementi dolore, &c. Neque dicas, quod vita proximi sit nobilior, quam bona tua temporalia; quia id a fortiori militaret pro vita propria: ideoque Pal. & alii absolute dicunt, se non teneri ea expendere, quibus expensis notabiliter decideres a statu tuo; imo nec magnam, & extraordinariam summam, etiamsi non ideo excideres a tuo statu; tum quia charitas jubet succurrere mediis tantum ordinariis, tum quia illæ expensæ in morali æstimatione, & quoad utilitatem Reipublicæ pretiosiores sunt, quam vita hominis privati: v. Croix cit. Dixi *Hominis privati*, nam si proximus esset Communitas, vel ejus caput maxime ei necessarium, decisio erit quæsito sequenti.

Nota primo, Si non succurras, quando debes, & potes extreme indigenti, probabiliter peccas tantum contra charitatem, si aliunde non tenebaris ex officio, pacto &c. ideoque, nec teneris ad restitutionem damni. v. Croix n. 204.

Nota secundo, Extreme indigentem, si non succurras, posse a te surripere quantum indiget, etiam te invito; modo non faciat per vim, nec tu sis in eadem necessitate: quia tunc res sunt primi occupantis.

Nota tertio, Te non teneri gratis dare extreme indigenti, si alibi habet, vel habebit alio tempore bona; secus vero, si sit pauper re, & spe: Less. tamen, Lug. & alii, putant, posse dare mutuo, sub conditione scilicet si deinde habebit, quia sic etiam succurritur illi necessitati: Croix n. 207.

Quæres tertio, An tenearis cum propriæ vitæ discrimine subvenire Reipublicæ, vel Personæ maxime ei necessariæ, in extrema, vel quasi extrema necessitate?

Respondeo cum communi affirmative contra Jo: Sanc. & alios apud Tamb. loc. cit., quia bonum commune præferendum est speciali, & pars exponenda est ob conservationem totius: ideoque in æquali tui, & Reipublicæ tuæ necessitate, non solum bona fortunæ, sed etiam vitam expendere debes: idemque est, si periclitetur Princeps, vel alia persona Reipublicæ tuæ necessaria, modo sit præcise necessaria: ita Pal. hic p. 8. n. 1. cum communi. Opposita autem sententia Jo: Sanc. Tamb. &c. nititur juri tuendi propriam vitam, quod censent adeo strictum, ut a nullo jure conservandi alienas vinci possit, nisi addatur jus justitiæ ratione pacti, pecuniæ acceptæ, &c. qua ratione miles tenetur murum occupare cum periculo vitæ, &c. idemque addit Tamb. si ob conservandam Rempublicam in eo periculo constitutam decidere deberes in ingentem calamitatem fortunæ, vel honoris, quia sic æquivalenter, & moraliter vitam profunderes. Quod si non esses hoc modo depauperandus, vel deturpandus, omnes fatentur, te obligari cum gravi tuo incommodo ad dictam conservationem Reipublicæ; quia tunc id poscit bonum commune: imo, etiamsi Respublica sit in gravi tantum necessitate, quia tunc aliqui sunt etiam in extrema: ita Suar.

Quæres quarto, An licite possis te in discrimen vitæ expo-

exponere, ad subveniendum proximo extreme indigenti?

Respondeo affirmative, etiam in sententia Jo: Sanc., qui negat tantum præceptum, concedit tamen, id esse opus consilii, adeoque omnino licitum. Et ratio communis est, quia, etsi teneamur vitam conservare, cum non simus ejus Domini, sed tantum custodes, tamen hoc præceptum, cum sit affirmativum, non obligat ad semper, sed potest aliquando omitti ob bonum finem necessarium, vel magnam utilitatem, ut docent communiter cum D. Th.: ergo a fortiori ob proximum extreme indigentem, nisi vero tua vita sit Reipublicæ maxime necessaria: quo pacto nec Parochus potest tempore pestis se in discrimen vitæ exponere pro confessione moribundi, si reliqui deinde careant Sacerdote. Cæterum privato licitum est vitam periculo exponere ad tuendam vitam amici, & in communi naufragio potes alteri tabulam a te occupatam permittere, & panem famelico dare in extrema utriusque necessitate: item te judici offerre pro proximo injuste damnato ad mortem, modo juste allicceres illum: Less. c. 9. n. 30. & ratio ulterior est, quia ejusmodi actiones indirecte tantum, & negative se habent ad tuam mortem, quatenus aliquod facis, vel omittis, unde per accidens, & præter intentionem mors tua sequitur, utut prævideatur; quod non est intrinsece malum.

Secus vero dicendum, si ad tuendam proximi vitam ponas actionem per se directe, & positive mortis tuæ illativam, ut diximus de femina moribunda prægnante; permittere enim sectionem est velle directe sui mortem, ideoque fieri nequit, etiamsi baptizandus sit infans, nisi vero juste ipsa damnata esset ad præproperam mortem; sicut potest reus juste damnatus ad mortem sinere occidi, etiamsi possit fugere, juxta jam dicta.

Quæres quinto, Quis ordo charitatis servandus sit in extrema plurium proximorum necessitate spirituali?

Respondeo, Præferendum infantem baptizandum cuicumque adulto absolvendo, quia secus ille certo æternum periret; non ita adultus, qui per contritionem se adjuvare potest, D. Th. & alii. Si autem omnes sint adulti, & in pari necessitate extrema spirituali, Patrem præferendum matri, utpote principaliorem in natura: tum filium uxori, utpote sui partem naturalem, & inter filios natu priorem: tum uxorem fratribus, utpote sibi conjunctam in carne una: tum consanguineos, tum spirituali titulo conjunctos, tum reliquos benefactores, tum alios extraneos. Putat tamen Con. apud Croix l. 3. p. 1. n. 720. Prælatum teneri prius subvenire suis Religiosis, quam consanguineis, exceptis parentibus.

Quæres sexto, Quis ordo charitatis servandus sit in extrema plurium proximorum necessitate vitæ temporalis?

Respondeo, Fere eundem; addo etiam primo, parentes, uxorem, filios, & fratres præferendos esse etiam creditoribus, quia tunc cessat obligatio solvendi, & sola urget obligatio charitatis, quæ magis urget ad magis conjunctos. Addo secundo, quod, si frater violasset jura fraternitatis, posset tunc, quamvis non deberet, ei præferri magnus benefactor; nam gratitudo in iis circumstantiis esse posset virtus honestior, quam pietas: Suar. Croix n. 727. Similiter, si pater esset homo crudelis, & mater benigna, posset hæc illi præferri, & ita de aliis: Croix n. 730. Addo denique, non peccari graviter, si invertatur ordo inter obligationes non adeo discriminatas, ut una alteram notabiliter antecellat, puta inter patrem, & matrem, inter filios, inter benefactoret, &c. Croix n. 729.

§. IV.

De eleemosyna in gravi Proximi necessitate præstanda.

Loquimur hic de gravi necessitate corporali proximi; nam de spirituali agendum c. 4. cum de correctione fraterna. Dicitur autem gravis corporalis necessitas, quando quis ex defectu rerum necessariarum est in periculo incidendi in miseriam magnam, quæ reddat vitam notabiliter molestam; non tamen summe, itaut expediret mori; sic enim esset æquivalens extremæ ex dictis. Noto insuper, aliqua nobis esse posse necessaria vitæ, alia vitæ quidem superflua, sed necessaria statui; alia demum utrique superflua, quæ scilicet ad statum præsentem satis commode ducendum non sunt necessaria, quamvis forent ad statum futurum, quem licite, & digne posses quærere; nisi vero illum probabiliter, & proxime expectes: v. Croix hic n. 199.

Quæres primo, An ex superfluis statui tenearis succurrere gravi necessitati proximi?

Respondeo affirmative cum Suar. hic d. 7. s. 3. Bellar. Con. Pal. Tamb. & aliis communiter contra Turrec., aliosque plures putantes esse opus consilii; ratio est, quia frequenter in Scripturis damnantur homines ob neglecta opera misericordiæ, ut Joan. 3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Et Matth. 23. *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.*; hæc autem non sunt restringenda ad extremam, & ratam necessitatem: & sane virtus Charitatis jubet proximo succurrere sine gravi nostro incommodo, uti est in casu; hinc Suar. ait, oppositam sententiam esse practice improbabilem, nec securam in conscientia.

Addo etiam, quod si habeas ex beneficio superflua statui, teneris inquirere etiam de tali proximorum necessitate, quia ex præcepto Ecclesiastico nullatenus potes ea retinere, sed erogare debes pauperibus, vel Ecclesiæ beneficii: si vero non ex beneficio, aliove proventu Ecclesiastico, sed ex propriis, non teneris inquirere, sed tantum teneris oblata occasione, cui nec sit spes, ut alius succurrat: v. g. si scias, proximum esse in gravi periculo morbi incurabilis, vel gravis, vel abbreviationis vitæ, vel captivitatis injustæ, vel cadendi notabiliter a statu suo, vel denique cujuscumque mali gravis; modo, ut dixi, scias etiam non adesse aliunde opem, &c.

Quæres secundo, An ex superfluis vitæ tenearis succurrere gravi necessitati proximi?

Respondeo negative per se loquendo, quia ea sunt necessaria statui, & ordo Charitatis non dictat, ut, dum gravi proximi necessitati succurris, in gravem, vel similem tu incurras. Similiter tu in extrema necessitate non potes surripere ab alio rem æque illa indigente; quia tunc ipse non tenetur dare; imo ob possessionem est melioris conditionis. Addo tamen, quod debitor tenetur, & quidem ex justitia, etiam cum periculo gravis necessitatis, succurrere creditori in gravi necessitate constituto, solvendo ei debitum; quia in pari casu melior est conditio creditoris, saltem si debitum erat ex delicto; nam si ex contractu, videtur probabile etiam oppositum, juxta dicenda in de Restit.

Quæres tertio, An graviter indigens possit a te surripere superflua statui tuo?

Respondeo negative, quia in extrema tantum necessitate evadunt omnia communia, non vero in gravi, in qua proinde nil mirum, si tu ex Charitate tenearis dare, & ille per se non possit surripere, nam vere furaretur tuum, & non commune. Addo tamen, quod si prius aliunde habebat tuum, erat tuus debitor, &c., posset retinere, modo, ut dixi, tu non sis in pari causa: quia præceptum restituendi, cum sit affirmativum, non obligat ad semper, & in tali casu, sed cum commode deinde poterit.

Quæres quarto, Quo ordine succurrendum sit in gravi plurium necessitate?

Respondeo, Eodem prorsus, quo in extrema, juxta dicta §. antecedenti. Addo nunc, quod ex multis, qui tenentur succurrere Titio extreme, vel graviter indigenti, primo loco tenetur filius, deinde pater, quia filius plus habet a Titio: D. Th., & aliter communiter contra aliquos apud Dian. p. 10. t. 13. r. 3. quod, si uterque vellet persistere in sua opinione probabili, unus in utrumque esset dividendum, aut per Judicem alteruter cogendus: v. Croix l. 3. p. 1. n. 731. Si autem desit filius, pater tenetur prius subvenire, quam Uxor; quia ibi est conjunctio naturalis: Croix n. 732.

§. V.

De eleemosyna in communi proximorum necessitate præstanda.

Communis necessitas est illa, quam habent pauperes ostiatim viventes, quibus, etiamsi desint multa necessaria ad vitam, non tamen eam reddunt nimis miseram, & molestam juxta statum patientis.

Quæres primo, An ex superfluis statui teneamur dare eleemosynam pauperibus communiter indigentibus?

Respondeo affirmative, cum D. Th. Suar. Bell. & aliis communiter contra Nav. Sylv. Armil. & alios apud Croix hic n. 202.; tum quia quisque tenetur diligere proximum suum; tum quia aliter pauperes isti inciderent in necessitatem gravem, si esset persuasio communis opposita,

stra. Nota, Caiet. & alios cum Gonet, putare, solam superfluitatem esse rationem formalem, unde oriatur talis obligatio, ideoque hoc ipso, quod habeas superflua statui teneri sub gravi; sed hæc sententia communiter rejicitur, quia sequeretur etiam cessante omni necessitate proximorum, maneret obligatio, quod communiter est falsum; hinc probabilis manet communis opinio, quod dives non teneatur sub mortali ad dandum pauperibus communiter indigentibus omnia superflua statui: Croix hic n. 703. Excipe tamen Beneficiatum obligatum præcepto Ecclesiastico omnia superflua statui dare pauperibus, vel Ecclesiæ Beneficii; ideoque tenetur etiam non quæsitus, &c.

Infers ex dictis, quod cum Dives non teneatur sub mortali ad dandum omnia superflua statui, non facile neganda est ei absolutio Sacramentalis, si pauperes passim sine eleemosyna repellat; sed attendendum, an forte pœnitens habeat causam negandi tales eleemosynas, cur accusationem afferat justam; an neget cum proposito dandi meliore, & commodiore loco, ac tempore, vel egentioribus, vel in alium pium usum convertendi: si vero talis sine ulla rationabili causa omnes a se pauperes inhumaniter repelleret, cum dicit Laym. versari in malo statu, cum nec videatur paratus succurrere gravi necessitati cujuspiam, qui inter pauperes facile versatur.

Infers secundo, Merito damnari ab Inn. XI. prop. 12. *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluis statui.* Intelligitur enim propositio loqui de statu præsenti, in quo sensu certe est falsa; non vero de statu mutando in futurum, in quo sensu loquebatur Vasq. qui proinde immerito carpitur hic a Montalt. quod docuerit hanc propositionem proscriptam.

Infers tertio, Discrimen inter Laicos, & Ecclesiasticos beneficiatos; hi enim nihil possunt de bonis Ecclesiasticis servare ad statum altiorem comparandum, cum ea bona data sint ad congruam sustentationem cum onere, ut superfluum præsenti statui in pios usus erogetur, ideoque, ut dixi, inquirere debent, ut eleemosynam largiantur. At Laici possunt de bonis patrimonialibus servare ad statum meliorandum, modo aliquid de superfluis statui præsenti erogent in pauperes. Itaque, si superfluum statui præsenti velint integrum omnino servare ad statum meliorem comparandum, vel ad lusus, delicias superfluas, &c. & nihil omnino elargiri ad communes pauperum inopias sublevandas, probabilius, & communius docent Doctores cum Suar. hic s. 3. peccare mortaliter; quia, nisi daretur in casu obligatio sub gravi, facile contingere posset, quod ejusmodi pauperibus ostiatim viventibus nemo subveniret, adeoque non posset formari prudens judicium, quod non sit defuturus alius, qui subveniat; sed potius, quod hujusmodi pauperes versarentur in periculo gravis necessitatis. Per quæ patet responsio ad id, quod nonnulli apud Dian. p. 1. t. 15. r. 37. & p. 5. t. 8. r. 17. putant, aut nullam, aut saltem sub veniali dari obligationem in casu, eo quod quilibet prudenter sibi persuadere possit, necessitatem istam pauperum esse ab aliis tollendam.

Infers quarto, A Laicis probabiliter satisfieri huic obligationi, si quinquagesimam partem annui redditus in pauperes distribuant: Tamb. & alii: quoad Ecclesiasticos: Granad. apud Dian. p. 4. t. 4. r. 254. probabiliter putat, quod Episcopi huic obligationi satisfaciant, si quartam partem, & alii Ecclesiastici, si quintam, vel sextam partem annui redditus beneficii ad sublevandos ejusmodi pauperes impendant; dummodo reliquum superfluum Congruæ ad Dei cultum, vel in alios pios usus erogent.

Quæres secundo, Quis ordo servandus sit in communi proximorum necessitate?

Respondeo, In communi necessitate, teneri Uxorem prius subvenire Marito, & vice versa, quam pater, & filius; quia in communi vita Vir, & Uxor sunt unum, & tanta est inter eos conjunctio quoad convictum, ut debeant se semper comitari, & adesse: ergo etiam ad ipsos primo spectat ad invicem levare difficultates communes in quotidianis casibus occurrentes: Croix l. 3. p. 1. n. 733. & n. 724. contra Pal. Secundo, In communi necessitate tenetur Titius potius subvenire filiis, quam parentibus; quia illi sub ejus cura, & ab eo etiam extra gravem necessitatem jure postulant alimenta, non item Parentes: Tamb. Dian. & alii apud Croix n. 723. Tertio, In qualibet necessitate prius subveniendum Parentibus, Filiis, & Uxori, quam Fratribus, & Sororibus, quia cum illis est major conjunctio; item prius sanguine junctis licet improbis, quam non sanguine junctis, etsi probis; quia conjunctio sanguinis inducit naturalem obligationem, non autem probitas vitæ; nec obstat, quod probi sint conjunctiores Deo; nam solum infertur major amor complacentiæ, non vero beneficentiæ: item prius carnaliter junctis, quam spiritualiter ob eandem rationem. Prælatus autem Regularis ex bonis Religionis prius suis Subditis Religiosis, quam suis carnaliter conjunctis, quia hæc bona magis sunt obligata Religiosis; idemque est de bonis Ecclesiasticis dispensandis ab Episcopo beneficiato: Croix a num. 720.

Quæres tertio, Quis eleemosynam facere possit?

Respondeo, Extra casum extremæ necessitatis, fieri non posse nisi ab habente dominium, & administrationem rei in eleemosynam dandæ, vel ex præsumpta ejus voluntate, quia eleemosyna est liberalis donatio transferens dominium rei in pauperem. Hinc Primo, Debitor potest tantum facere eleemosynas moderatas ex rebus suis, juxta statum suum, cum in hoc tantum consentire rationabiliter præsumantur Creditores. Secundo, Prodigus, cui datus est Curator, potest parvas tantum facere eleemosynas juxta statum suum; nequaquam vero magnam, ex *l. c. ff. de Curator. furios.* Tertio, Servus, nisi habeat peculium proprium, non potest nisi ex pecunia, & cibis in sui sustentationem designatis, ex tacito consensu Domini. Quarto, Minor, & Pupillus, absque Tutoris, vel Curatoris consensu, tantum possunt eas eleemosynas facere, quas alii ejusdem conditionis facere soleant; quia in his tantum censetur Tutor, vel Curator consentire: cæterum si magnam eleemosynam fecerint, factum tenebit, quousque non repetatur a Curatore, vel a Minore repetente restitutionem in integrum: Mol. Sanch. & alii. Quinto, Tutor, vel Curator, & cæteri habentes curam bonorum aliorum, possunt ex iis moderatas tantum eleemosynas facere, juxta statum pupilli, &c. quia id pertinet ad rectam administrationem, &c. Sexto, Filiusfamilias, nisi habeat castrense, vel quasi castrensia, solum potest ex datis sibi ad congruam sustentationem, honestamve recreationem eleemosynam aliquam facere. Septimo, Prælatus Religiosorum potest aliquas eleemosynas facere ex iis, quæ decenti subditorum sustentationi supersunt; quia in his Conventus consentire videtur. Octavo, Subditus Religiosus ex tacito consensu Superioris potest tantum ex iis, quæ ad viaticum, vel congruam sustentationem extra Monasterium degens habet; raro tamen præsumitur consentire Superior, ut in Monasterio existens subditus eleemosynam faciat ex iis, quæ ad victum ei apponuntur; cum id obstet rectæ domus gubernationi. Nono, Uxor, si non habeat bona paraphernalia, potest tantum parvas eleemosynas facere, quas fœminæ suæ conditionis facere soleant; cum sic consentire debeat vir, neque censendus sit per absolutam prohibitionem has prohibere: si autem vir sit diu absens, vel amens, potest quidquid a Marito sui compote, vel præsente daretur: v. Pal. hic p. 3.

Quæres quarto, Quibus danda sit eleemosyna?

Respondeo, Pauperibus vere indigentibus, sive sint probi, sive improbi, modo non ob otium, tædiumque laboris patiantur eam communem necessitatem; tunc enim nec debet eleemosyna dari, ne foveatur eorum malitia: Sot. & alii communiter. Si autem detur eleemosyna pauperi putato, valet quidem apud Deum, quoad meritum dantis: dubium est, an valeat quoad recipientem, itaut in eum transferatur dominium? Affirmant Less. Con. Sot. ex eo, quod valeat apud Deum, quod præcipue intenditur a dante; ideoque inferunt, accipientem non teneri ad restitutionem: sed communiter contradicunt alii, quia error est substantialis, cum eleemosynæ essentialiter respiciat relevationem miseriæ, & quamvis ad meritum sufficiet miseria putata, non tamen ad veram eleemosynam, sicut ad meritum adorationis sufficit hostia putata consecrata, non ad veram adorationem. Hinc alii cum Less. putant, restituendam domino, alii cum Nav. pauperibus; alii melius cum Vasq. alterutris: v. Pal. hic p. 14.

Quæres quinto, Quibus pauperibus distribuenda sit eleemosyna relicta a Testatore, ut in pauperes distribuatur?

Respondeo, Nisi aliud exprimatur, pauperes consanguineos ejus præferendos exteris, & inter exteros pauperiores, & nobiliores; quia hæc distributio est conformior ordini Charitatis, excepto tamen filio spurio, cui præter alimenta nihil dandum ex jure. Potest ipse executor, si pauper est, se numerare inter dictos pauperes; nec obstat

pa-

paritas, quod non possit sibi dare, si in pœnitentia injunctum esset a Confessario, ut faceret eleemosynam, quia hæc est pœnalis: Pal. ib. Si Testator jussit, ut per 10. annos successive erogetur certa summa pauperibus, hæres potest totam quantitatem simul primo anno erogare, quia sic citius juvat animam defuncti, & hic censetur in favorem hæredis divisisse per plures annos: Cr. l. 3. p. 2. citans Bald. & alios contra Bartol. & alios. Secus si addat *Pro Defunctis*, quia censetur velle prodesse iis, qui intra 10. annos sunt morituri: ita Lug. Si legatum dicat: *Pauperibus in die sepulturæ meæ distribuantur* 100. & non aliunde constet de mente Testatoris, probabile est distribui posse etiam externis: Bonac. Dian. & alii: oppositum probabiliter etiam tenet Sanch. ex l. 19. cap. *de Episc. & Cler. Ubi indistincte pauperes scripti sunt hæredes, ibi Zenonem ejus Civitatis omnimodo hæreditatem nancisci*. Sed responderi potest, quod statutum est de hæreditate, non opus esse extendere ad legata: posse autem sub pauperibus comprehendi etiam Monasteria Mendicantium, ex Less. contra Delben., v. Croix. n. 1143.

Quæres sexto, Quid possint, & quid non possint eleemosynarum Quæstores?

Respondeo, Religiosos Mendicantes non posse ab Ordinariis impediri, ne pro suis Conventibus eleemosynas quærant; neque obstat Trid. *sess.* 21. *c.* 9. *de Reform.* quia loquitur de Quæstoribus, qui non sunt a Sede Apostolica constituti Mendicantes, ex decl. S. Congr. apud Barb. ubi Religiosi Mendicantes nequeunt ab Episcopis prohiberi, quominus per seipsos in Diœcesibus, ubi habent Conventus, eleemosynas quærant; sed tantum, si extra loca, ubi Monasteria existunt, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere; Pal. p. ult.

Reliqui vero, si nulla mercede accepta, neque Indulgentiis publicatis, quæritent vel sibi pauperibus, vel alteri pio loco necessitatem patienti, possunt absque ulla Pontificis, vel Diœcesani licentia, quia a Trid. cit. solum prohibentur, qui ex ipsis eleemosynis alteri quæsitis sibi lucrum quærunt, & quæstum intendunt, quique prædicando, vel publicando Indulgentias concessas dantibus eleemosynas. Cæterum, quamvis cum dictis conditionibus exercere possint hoc officium non petita Diœcesani licentia; poterit tamen is prohibere, quousque sibi compertum sit, periculum scandali abesse, servarique dictas conditiones, &c. quia ad ipsum id spectat: v. Pal. n. 5. qui etiam n. 6. addit, non posse Episcopum concedere licentiam postulandi eleemosynas pro aliquo pio opere, si postulans quæstum ex postulatione quærit, aut indulgentias, & facultates postulando publicet; sed tantum, si neque indulgentias publicet, neque quæstum quærat, adeoque neque campanulam, aliave instrumenta, & insignia quæstorum gerat; id enim totum concedit solum Pontifex, ex Trident. & Sacr. Congr. cit.

§. VI.

De eleemosyna spirituali per correctionem fraternam præstanda.

CHARITAS habens pro fine bonum spirituale proximi præcipit ejus correctionem, qua non semel ille indiget, ob miseriam spiritualem, quam patitur.

Quæres primo, An sit præceptum corrigendi proximum?

Respondeo affirmative, ex cap. *Tam Sacerdotes* 24. q. 3. & quidem naturale; quia ex charitate, seu misericordia teneris proximi miseriam sublevare, nec ulla major miseria, quam peccatum, quod, licet sit ei voluntarium, tamen ob difficultatem se ab eo liberandi, sæpe tua indiget correctione, ut relevetur, si non sit alius æque idoneus, quem putes correcturum: Doctores communissime ex Eccl. 19. *Corripe amicum, corripe proximum*. Hinc tria requiruntur, ut hoc præceptum obliget. Primo necessitas ex parte proximi: Secundo potentia ex parte tui: Tertio spes fructus ex parte correctionis. Itaque

Quæres secundo, An, ut hoc præceptum obliget, requiratur gravis necessitas spiritualis ex parte proximi?

Respondeo affirmative, quia tunc obligat, cum proximus ob difficultatem est in tali miseria spirituali constitutus, ut relevari non possit, nisi tuis monitis, consiliis, &c. Hinc, si nondum peccavit, sed sit in periculo peccandi, teneris impedire ejus peccatum, si commode potes: nisi vero non impedias ex eo, quod speres, ut ille in peccato deprehensus melius resipiscat. Similiter, si peccet ex ignorantia juris naturalis, aut positivi divini, teneris docere, si commode potes, quia ejus actio est in se mala: Doctores communiter; imo, si peccet ex ignorantia juris humani, quamvis Nav. Val. & alii te deobligent, nisi sis in officio Pastoris, Confessarii, &c. tamen probabilius, & communius obligant Sanch. Pal. & alii, quia peccatum materiale, nisi impediatur, facile ducit ad formale inducendo habitum, &c. Si peccavit jam, & sit in periculo relabendi, teneris secundum omnes corrigere, si commode potes, quia sic est in gravi necessitate; nisi vero permittas relapsum, quia speras, melius deinde correpturum: at si certo moraliter noveris emendatum, nec amplius in occasione, ac periculo relabendi, cessat obligatio, ut patet: imo probabilius etiam cessat, si prudenter censeas illum, etsi nondum emendatum, acturum tamen suo tempore pœnitentiam, nec relapsurum; quia sic peccatum habituale, etsi sit gravis miseria, non tamen est gravis necessitas, cum nec instet tempus pœnitendi, & prudenter censeatur fore, ut illum suo tempore pœniteat: Pal. p. 2. & alii contra Val. Bon. & alios.

Hæc omnia intelligo de peccato mortali: loquendo autem de veniali, si proximus sit in periculo labendi, aut relabendi in venialia, ex quibus non timeatur lapsus in mortale, Bon. Bann. & alii communiter non agnoscunt in privatis obligationem correctionis, quia non censetur malum grave; quamvis Pal. adhuc agnoscat proportionaliter obligationem sub levi. Dixi, *In privatis*; nam Prælatus, præsertim Regularis, sub gravi tenetur corrigere defectus veniales subditorum, si sint publici, & labefactent communem observantiam, quia ratione officii tenetur conservare disciplinam Regularem; ideoque sub gravi etiam tenentur monitores Prælatum de sua dissimulatione admonere. Eadem fere est ratio de patrefamilias respectu filiorum, &c. v. Pal. p. 3. Laym. & alios.

Quæres tertio, An, ut hoc præceptum obliget, requiratur potentia ex parte corrigentis?

Respondeo affirmative; Quia nemo tenetur, ad quod est impotens: dicitur autem quis impotens ad corrigendum, quando nequit corrigere sine gravi, & notabili suo incommodo: nunquam enim accidere potest hæc necessitas extrema correctionis, cum proximus semper possit cum Dei gratia surgere e peccato, & consequi vitam æternam: solum ergo adesse potest gravis necessitas, ideoque non dicimur posse, quando non possumus sine magno incommodo; ut dictum est de eleemosyna corporali in gravi necessitate proximi. Hinc, si privatus non corrigat ob pudorem, & verecundiam, quæ non facile vinci possit, non peccat saltem mortaliter; debet autem verecundiam esse alicujus momenti: alias nunquam fere esset obligatio correctionis sub gravi, cui parendum omnino est cum aliquo incommodo: D. Th. Suar. Sanch. & alii communiter: contra vero, qui ob timorem mali temporalis non magni momenti negligit corrigere, aut impedire mortale proximi, peccat graviter contra hoc præceptum: Suar. Laym. Pal. p. 6. & similiter si omittat ob timorem amissionis lucri etiam magni ex tali peccato sibi provenientis; nisi vero tale ejus peccatum sit tantum materiale ratione ignorantiæ, ut limitat Lug. apud Croix hic n. 126.

Dixi, *In privatis*; nam Episcopi, Prælati Regularium, Pastores animarum tenentur etiam cum gravi incommodo, imo etiam cum periculo vitæ adhibere diligentiam, ut peccata subditorum impediant, quia cum Christo pacti sunt curam, & solicitudinem gregis; adeoque tenentur, non tantum ex charitate, sed ex justitia, pacto, officio, &c. idemque ait Hurt. de Magistratibus, & Concionatoribus, qui, si minus ex justitia, tamen ratione muneris tenentur peccata publica corrigere, etsi non sit spes emendationis. v. Dian. p. 3. t. 3. r. 13.

Quæres quarto, An, ut hoc præceptum obliget, requiratur spes fructus ex parte ipsius correctionis?

Respondeo affirmative; quia nemo obligatur ad actum frustraneum. Hæc autem spes non debet esse certa, ut putat Cajet. sed ex communi sufficit prudens, seu probabilis; quia secus nunquam fere esset talis obligatio: si ergo probabiliter putes, te non profuturum, non teneris, quia prudenter judicas, correctionem fore inutilem. Nisi vero sis publicus Concionator; in quo casu nunquam deerit spes fructus in aliquo saltem Auditorum: similiter si dubites, non teneris, cum non habeas spem probabilem fructus; imo si ex correctione timeas in eo obstinationem, aut novum peccatum ex materiali facile evasurum formale, debes omnino omittere, ne sis ei occasio; nisi vero ille sit in extrema necessitate,

ut limitant Suar. Bon. & alii, eo quod tunc timor compenſatur cum ſpe fructus maximi, nec amplius reparabilis: verum hæc neceſſitas ex dictis eſſe nequit, niſi forte in ignorante media neceſſaria ad ſalutem: v. Croix hic n. 210.

Infers primo, homines, qui ſunt in parva exiſtimatione, facile eximi ab hac obligatione, quia vix fructum ſperare poſſunt: & ſimiliter communiter eximimur reſpectu proximi, qui ſit maxime obfirmatus in malis, cum vix fieri poſſit, ut noſtra correctione commoveatur: ſimiliter non teneris ſtatim corrigere proximum, qui paſſione abreptus peccat; imo tunc potius differendum, donec deferveat paſſio, quia ſic major erit ſpes emendationis: imo ex ſpe majoris fructus poſſumus interdum permittere in eo iterationem peccati, modo ad id poſitive non inducamus: ſic poteſt pater permittere, ſeu non impedire filium ab iterandis furtis domeſticis, ut ille in peccato deprehenſus melius reſipiſcat.

Infers ſecundo, Attendendam eſſe occaſionem, locum, tempus, aliaſque circumſtantias opportunas, & ſimiliter qualitates perſonæ, verborum, &c. ex quibus aptius ſperetur fructus; & ideo quandoque non ſufficit ſemel correxiſſe, ſed teneris iterum, iterumque, quamdiu ſperetur fructus: v. Dian. p. 7. t. 3. r. 20. &c.

Infers tertio, In privatis fere nullam, vel levem ſæpe eſſe culpam, ſi correctionem omittant, quia vel nullam, vel ſatis levem habere poſſunt ſpem fructus; præſertim ſi exiſtiment, ſe minus idoneos, vel pudore, ac verecundia non facile ſuperabili præpeditos, vel alios adeſſe æque idoneos, qui ſint correcturi, &c. v. Bon. hic Buſemb. & alios.

Quæres quinto, Qui ſit ordo in correctione fraterna ſervandus?

Reſpondeo, Primo, ut corripias ſecreto: Secundo, ut coram uno, vel duobus teſtibus: Tertio, ut denuncies Prælato: Quarto, ut ſit tibi vitandus, ſi nec ſic emendetur: Ita ex Matth. 18. 15. qui ordo ſervandus eſt non mere ex conſilio, ut putat Salmer. & alii, ſed ex præcepto tum poſitivo Chriſti Domini, tum naturali; quia corrigendus eſt proximus cum minori, quo fieri poſſit, damno honoris, & famæ; adeoque, ſi corrigi poteſt ſecreto, male adhibentur teſtes; ſi ſufficit unus teſtis, male adhibentur duo; ſi ſic emendetur, male denunciatur Prælato; ſi ſufficiens eſt denunciatio paterna, male adhibetur judicialis, &c. excipe tamen quatuor caſus, in quibus hic ordo non obligat: Primo, Si delictum ſit publicum: Secundo, Si vergat in damnum communitatis, vel tertii: Tertio, Si prudenter putes, monitionem ſecretam non profuturam: Quarto, Si delinquens ceſſerit juri ſuo.

Quæres ſexto, Quid ſit denunciatio paterna, ſeu Evangelica, & an poſſit fieri, omiſſa correctione ſecreta?

Reſpondeo, Eam eſſe, cum delictum fratris occultum revelatur Superiori, non ut Judici ad puniendum, ſed ut patri ad corrigendum amore paterno; itaut ejus finis ſit tantum correctio, ſeu emendatio delinquentis; ideoque pertinet ad ſecundum gradum correctionis fraternæ, qua adhibentur teſtes, ut melius delinquens emendetur: D. Th. & alii communiter. Quando ergo melius exiſtimatur Prælatus delinquentem correcturus, poteſt, omiſſa correctione ſecreta, delictum fratris occultum ad illum in foro paterno deferri, ſi frater ad majorem ſui profectum renunciavit juri ſuo, ut fit in Societate Jeſu; ſi vero non renunciavit, Nav. Sot. Ledeſ. & alii docent, per ſe loquendo non poſſe ſine prævia correctione ſecreta deferri, ſi ſufficienter ex ea ſperetur fructus; quia ſic læſio famæ delinquentis penes ſuperiorem fieret ſine neceſſitate: ſed probabiliter contradicunt D. Th. Ricc. Suar. Pal. p. 10. & alii; quia, etſi correctio Prælati non ſit in caſu neceſſaria ſimpliciter, cenſetur tamen utilior, & efficacior, cui cedere debet illa amiſſio famæ apud Patrem, ut cedit apud Medicum, etſi non ſimpliciter neceſſarium, valde tamen utiliorem morbo ex peccato contracto: quæ ſententia ſequenda eſt in omnibus Religionibus, inquit Suar. in aliis vero, qui magis ſunt ſui juris, non ita, niſi certo ſperetur fructus valde notabilis. Denique, ſi frater emendatus ſit de delicto, Ricc. Roſel. & alii putant, adhuc poſſe denunciari, ut ſic ſecurior ſit a recidivo; quia talis denunciatio adhuc poteſt prodeſſe, & nihil, vel parum obeſſe. Sot. Adr. Val. D. Th. & alii negant, quia, ſi Frater eſt emendatus, nec ſit prudens periculum recidivi, ceſſat finis correctionis, nec illa major ſecuritas dat licentiam; alias liceret etiam pluribus Superioribus denunciare. Val. Suar. & alii affirmant, ſi Frater renunciavit, ut in Societ. negant, ſi non renunciavit: ſed Pal. p. 12. ſimpliciter negat etiam in Societ. quia adhuc in ea ceſſavit finis, ſcilicet fratris correctio; niſi vero ſit prudens periculum relabendi, ſi Superiori non denuntietur (de periculo autem remoto nihil eſt curandum) vel dubium ſit, an emendatus fuerit, vel an delictum vergat in damnum tertii, aut communitatis: Pal. ead. p. 12. in fine.

Quæres ſeptimo, Quid poſſit Superior erga ſubditum, cujus delictum novit ex denunciatione paterna?

Reſpondeo, Primo, Si delictum ſit leve, poſſe etiam publice punire, quia aliqua punitio etiam publica pro delictis, quæ nullam irrogant injuriam (qualia eſſe ſolent, quæ communiter a Religioſis committuntur) limites paternæ correctionis non excedit: Doctores communiter. Secundo, Si delictum ſit grave, poteſt Superior procedere ad pœnitentiam ſecretam, quæ ſit magis correctiva, & præſervativa, quam punitiva: poteſt item per cenſuras in foro conſcientiæ cogere ad emendationem: poteſt item delinquentem removere a miniſterio, loco, &c. ſi hæc pendent ex ſolo ſuo nutu, & fieri poteſt remotio ſine infamia: poteſt item corrigere coram uno, vel duobus teſtibus; rem manifeſtare alicui, vel aliquibus ex conſultoribus; imo etiam ſuo Superiori, ſeu Provinciali, ſed *Non ſine urgenti neceſſitate, & magna utilitate*, ex Congr. VII. Poteſt item delinquenti deſignare fidelem exploratorem, qui ſibi etiam ſine correctione actiones illius ſecreto deferat: hæc ex Pal. p. 11. & aliis addentibus, nonniſi ſuo etiam ordine peragenda, itaut per minus, ubi ſperetur fructus, procedatur ad majus, & ſiſtatur ſemper intra fines correctionis paternæ: niſi vero delictum vergat in damnum communitatis, vel tertii; tunc enim, ſi via denunciationis paternæ remedium ſufficiens non ſit, poteſt Superior præcipere delatori, ut denunciet judicialiter, & creare Fiſcalem, & ſic examinare delatorem, tanquam teſtem, & ſic procedere ad examinandum delinquentem legendo ei proceſſum, ſuppreſſis nominibus teſtium: Pal. p. 11. n. 11. Suar. *de Relig.* t. 4. l. 10. c. 12. n. 44. & 30. & ſic poteſt Societas ſubditum etiam dimittere, ex Congr. VI. d. 33.

Quæres octavo, quid ſit denunciatio judicialis: & an poſſit fieri non præmiſſa correctione fraterna?

Reſpondeo, Denunciationem judicialem, ſeu Canonicam, ſeu Regularem eſſe illam, qua delictum proximi defertur Superiori, ut Judici, vel ad punitionem exemplarem, vel ad reparationem, aut impeditionem damni obtinendam: reſpicit ergo per ſe primario bonum aliorum, ſecundario bonum delinquentis. Itaque, ſi delictum ſit tantum in damnum ipſius delinquentis, præmittendus omnino eſt ordo correctionis Evangelicæ, ſi ſit probabilis ſpes fructus, itaut repellendus ſis a Judice, ſi ei conſtet oppoſitum, cum pecces contra juſtitiam; ſi autem tale delictum ſit publicum, aut adſit præceptum Superioris obligans ad talem denunciationem, præmittenda non eſt correctio Evangelica, ut patet. Si vero delictum ſit in damnum tertii, tunc non ſufficit probabilis ſpes, ſed requiritur moralis certitudo, ſeu ſpes certiſſima fructus, ut tenearis ad correctionem Evangelicam ante denunciationem juridicam, quia prævalet bonum innocentis; ideoque in propriis injuriis raro eſt obligatio corripiendi ſecreto delinquentem, quia raro invenitur injuriatus, cui grave non ſit injuriantem fraterne corrigere, & cujus correctio ab illo acceptetur; ideoque poteſt eum denunciare judicialiter, ſi alia via certiſſime non offeratur: Pal. p. 13. n. 12. Si autem delictum ſit in damnum communitatis, qualis eſt hæreſis, proditio, falſatio monetæ, &c. rariſſime, vel nunquam præſumi poteſt emendatio delinquentis ex correctione ſecreta, ac paterna; ideoque denunciandus ſtatim eſt judicialiter, & maxime, ſtante præcepto lato a jure, ex quo teneris ſtatim denunciare etiam ſuſpectum de hæreſi, etſi crederes emendandum per tuam ſecretam correctionem: Pal. n. 5. Quod ſi tale delictum ſit omnino ſecretum, hoc eſt a te non ſcitum, Dur. Sot. Nav. & alii apud Pal. n. 9. dicunt, non poſſe ad denunciationem judicialem devenire, ſed debere dicere Prælato, ut patri, &c. ſed dicendum oppoſitum cum Leſſ. Sanch. Pal. n. 10. & aliis communiter, quia hæc denunciatio ordinatur ad præcavendum damnum communitatis, cui cedere debet fama delinquentis. Neque obſtat, delictum probari non poſſe, quia non denuncias, ut probes, ſed ut damnum impedias, aperiendo viam judici, ut inquirat, & quærat media impediendi: Doctores ergo contrarii debent intelligi de denunciatione ad punitionem, non ad præcavendum malum impendens, requiſita.

Quæres nono, An ceſſet aliquando obligatio denunciationis juridicæ?

Reſpon-

Respondeo, Cessare posse aliquando ex parte denunciantis, aliquando ex parte scientiæ delicti, & aliquando ex parte delinquentis. Ex parte denunciantis cessat, si ei grave damnum ex denunciatione prudenter immineat, quia non teneris cum gravi tuo detrimento damnum tertii impedire. Dico, *Tertii*; nam si ex tua denunciatione impediendum esset grave damnum communitatis, teneris etiam cum gravi tuo damno: quare teneris etiam patrem denunciare, si sit hæreticus dogmatizans, quia teneris etiam cum discrimine vitæ, aut infamiæ, si fueris complex: si autem non sit dogmatizans, nec alios seducat, vel suspectus tantum de hæresi absque periculo seducendi alios, probabile est, non teneri ratione gravis detrimenti tui, vel tuorum usque ad quartum gradum prudenter eventuri: tenetur tamen femina denunciare Confessarium sollicitantem, quamvis ipsa consenserit, & fuerit complex, ex Epist. nomine Urb. VIII. ad Archiepiscopos missa, quia ejus peccatum non scribitur in actis, &c. Cessat secundo ex parte scientiæ delicti, si sub secreto delictum acceperis, vel non a fide dignis: si enim tibi manifestatum est ratione petendi consilii, vel remedii, non teneris, nec potes etiam præcedente infamia, & semiplena probatione illud denunciare, ne scilicet arceantur miseri a consilio, aut remedio petendo, nisi vero delictum vergat in damnum communitatis, vel tertii; sic enim teneris, si ipse non desistat, denunciare, quantumvis sub sigillo naturali acceperis: Pal. p. 14. n. 4. & alii communiter: si autem scias delictum, sed non a fide dignis, negant esse denunciandum, Fag., Rodr., Portel., Pal. n. 8. & alii; quamvis affirmet Dian. ex eo, quod edictum inquisitionis dicat indefinite, *Qui audierit*; nec teneris, si non recorderis, a quo audieris, vel nomen certum delinquentis post adhibitam diligentiam. Cessat demum ex parte delinquentis, si sit emendatus, vel mortuus: & quidem si vere moraliter constet emendatum delictum, nec ulla laboret infamia, denunciandum non est, etsi delictum fuerit in damnum tertii, vel communitatis, quia cessat finis, scilicet reparatio damni, &c., & punitio nequit esse, nisi præcesserit infamia. Excipe cum Suar. crimen hæresis, ob ejus atrocitatem, & infectionem, quod licet ex jure naturæ denunciandum in casu non esset, esset tamen ex vi præcepti inquisitionis; modo delictum hoc sit probabile, hoc est duobus saltem notum, ut bene limitat Pal. p. 14. n. 2. cum Sanch. & aliis. Eadem dic, si delinquens sit mortuus, & delictum hæresis, utut emendatum, sit probabile, hoc est nonnullis notum.

CAPUT III.

De Præcepto negativo Charitatis Proximi.

PROHIBENTUR hoc præcepto odium, invidia, voluntas mali proximi, discordia, contentio, schisma, scandalum, & cooperatio peccato alterius.

§. I.

De Odio, Invidia, & Voluntate mali proximi.

ODIUM proximi potest esse duplex, vel scilicet inimicitiæ, vel abominationis. Odium inimicitiæ est, *Quo volumus proximo malum, quatenus illi malum est*: & habet sub se suas species, scilicet desiderium talis mali, ut ei adveniat, gaudium, quod advenerit, & tristitiam de bono, quod habet, quæ dicitur invidia. Odium abominationis est, *Quo aversamur, non quidem personam proximi, sed ejus malitiam, seu qualitatem noxiam, seu infestam nobis, vel aliis.*

Odium inimicitiæ ex genere suo est peccatum mortale; evadere tamen potest veniale tum ex parvitate materiæ, tum ex defectu plenæ deliberationis, aut advertentiæ: Doctores communiter. Probabile tamen est, quodvis odium grave proximi esse ejusdem speciei; adeoque satis esse, si in Confessione dicas, *Volui grave malum proximo*, non explicando speciem mali, v. g. mortem, jacturam bonorum, infamiam, &c., quia omnia hæc comprehenduntur sub una ratione mali, ut malum illi est: Cajet. Tur. Trol. Bon. & alii contra Suar. Pal. & alios putantes probabilius oppositum. Noto tamen, hic sermonem esse de odio inefficaci, quo scilicet velis, aut optes malum proximo non a te inferendum; nam, si sermo sit de odio efficaci, voluntates inferendi proximo, v. g. infamiam, mortem, dehonorationem, &c. differrent specie, cum per se tendant ad actiones externas specie diversas: Pal. hic disp. 4. p. 5.

Odium abominationis regulariter non est peccatum; nisi vero aversio sit talis, ut cadat non tantum in malitiam, aut qualitatem infestam, sed etiam in personam; sic enim esset odium inimicitiæ. Hoc ergo præciso, nec peccat, si desideres mortem naturalem proximo ingens malum inferenti, ut si desideres latroni, vel tyranno mortem: si tristeris de bono proximi, in quantum id in tuum, aut aliorum damnum redundat, quatenus est eo ad id abusurus: v. g. si tristeris, assumptum esse in Judicem hominem injustum, &c., quia non habes pro objecto malum proximi, ut illi malum est, sed bonum honestum aliorum. Noto tamen primo, ponderandum esse malum, quod ille infert, & malum, quod ei optatur, ad illud vitandum. Noto secundo, non licere in his casibus malum ei inferre, quia plus requiritur ad malum inferendum, quam ad desiderandum: Doctores communiter.

Infers primo, Odium inimicitiæ differre ab ira, indignatione, & appetitu vindictæ, quia illud vult malum personæ, ut ei malum est, adeoque absque modo, & mensura: at ira est appetitus vindictæ ob injuriam sibi illatam, adeoque secundum mensuram injuriæ, cui satisfacere intendit; indignatio vero est dolor, quod bona temporalia indigni habeant; ideoque ira, & indignatio possunt aliquando licite haberi, si modum non excedant, juxta illud, *Irascimini, & nolite peccare*; & sic dolor moderatus de bono alterius, quia illo indignus est, dicitur Nemesis: dolor moderatus de bono alterius, non quia in illo est, sed quia illo cares, dicitur Æmulatio, quæ bona esse potest, si sit moderata, & circa res appetendas: v. Pal. p. 2. n. 2.

Infers secundo, Odium inimicitiæ differre etiam ab invidia ob eandem rationem, quia invidia est tristitia de bono alterius, quatenus per se, & ratione sui proprium bonum diminuit, vel gaudium de malo illius, quatenus per se, & ratione sui nostrum malum diminuit; adeoque est cum modo, & mensura; cæterum hæc de genere suo est etiam mortalis, nisi excuset parvitas materiæ, vel imperfectio consensus, præsertim in pueris. Ratio est, quia est contra charitatem ei debitam; & quod gaudeas de malo illius, vel tristeris de ejus bono, quia proprium bonum, vel malum diminuit, non est sufficiens causa honestandi actum. Fateor quidem, propriam diminutionem esse malum, & dignum, ut de illo tristeris, sed quia non solum de illo, sed de bono proximi per se, & non per accidens tristaris, eo quod per se, & non per accidens eam diminutionem causat, ideo talis tristitia peccatum est. Itaque, si v. g. existente te hic Neapoli, in qua nimis doctus, & peritus habebaris, accederent alii æque docti; unde tua doctrina non æque docta habeatur, & ideo doleas de bono illorum, quia propriæ diminutionis est causa, invidus es, & peccas ex genere suo graviter: Suar. d. 6. *Char.* s. 4. n. 4. Pal., Bon., & alii communiter.

Quæres, An licitum sit desiderare mortem proximo ad vitandum aliquod ingens malum temporale tibi, aliisve injuste impendens, quod aliter vitari non possit?

Respondeo affirmative cum Carden., Moy., Mendo, aliisque apud illos; quia sic non optat ob emolumentum, quod acquiri deberet, sed ob damnum in re possessa, quod subire non teneris: si ergo rem tuam, vel amici tenere, ac defendere potes etiam defensione occisiva injusti aggressoris, dummodo sit res magni momenti, nec aliter defendi possit, potes pariter desiderare ejus mortem naturalem, ut evadas ingens malum spirituale, vel temporale, v. g. si aliter non possis vitare peccatum, vel perpetuum, & durum carcerem, &c., & universim potes in omnibus illis casibus, in quibus potes licite cupere tibi mortem, puta ad evadendam vitam, quam experiris morte ipsa amariorem, ex illo Eccl. 30. *Melior est mors, quam vita amara*. Ex hac sententia, quam probabilem dicit Croix n. 186., sequitur, posse, v. g. Matrem desiderare mortem filii, qui ludis, commessationibus, &c. prodigit rem familiarem, familiam graviter inhonorat, &c., ne scilicet redigat domum in ærumnam morte ipsa amariorem: non videtur autem posse optare mortem filiæ, eo quod non possit eam juxta exigentiam proprii status nuptui tradere, aut ex eo, quod ob illam a marito contemnatur, ut putant Bonac., Azor., & alii, quia non habetur in tali casu bonum præponderans; nisi vero malum, quod timetur, sit tale, ut reddat vitam adeo ærumnosam, ut expediret potius mori.

An autem licitum sit tristari de vita, aut gaudere de morte alterius, vel hanc desiderare a Deo naturaliter inferendam, ob aliquod temporale emolumentum, uberem sane decisionem habes in primo Tract. disp. 1. de Conscientia q. 1. c. 3. pag. 14. & 15. per totas.

§. II.

§. II.

De Discordia, Contentione, & Schismate.

DISCORDIA est *Dissensio voluntatis propriæ a voluntate proximi circa bonum, quod velle ex charitate teneris*. Si autem non teneris velle bonum, quod proximus intendit, non est peccatum ab ejus voluntate discordare, ut patet. Si ergo consilium des testatori, ne relinquat hæredem, quem volebat; electori, ne eligat ad beneficium, quem eligere intendebat, non peccas, si aliqua rationabili causa, & bonis artibus facias; quia, seclusa necessitate, non teneris proximo benefacere, adeoque nec consentire voluntati illius, qui illi benefacere intendit: Pal. hic p. 4. n. 3. Contra vero peccas ex genere suo graviter, si discordes, ac te opponas in iis, quæ velle teneris, puta communitati, discordando a reliquis: similiter si dissemines discordias inter fratres: Pal. ibid.

Contentio charitati opposita est effectus discordiæ, estque *Concertatio verborum cum proximo ad impugnandam veritatem, quam claro cognoscis, vel de qua dubitas absque prævio examine*; sic enim animi immerito dividuntur: Pal. ibid. n. 5.

Schisma est *Divisio ab Ecclesia, ejusque Capite*, qua scilicet quis verbis, vel factis ostendit, se nolle recognoscere Pontificem, vel Ecclesiam, contemnendo Sacramentorum usum, Religionis cultum omittendo, nec Pontifici, tanquam vero capiti, se subjiciendo. Si ergo te subtrahis ab obedientia Pontificis, & unitate Ecclesiæ negans ejus prælationem, & unitatem, tunc non solum es Schismaticus, sed etiam hæreticus: Si vero & prælationem, & unitatem ejus recognoscis, non vis tamen illi ex malitia subjici, & in hac subjectione cum reliquis membris Ecclesiæ communicare, es tantum Schismaticus, quales fere sunt multi Angli exhibentes Regi obedientiæ signa, quibus testantur, eum esse Christi Vicarium in spiritualibus, quamvis interius sic esse non credant. Cæterum, si Pontificis mandatum non impleas, eo quod tibi videatur difficile, & arduum, vel extra Pontificis potestatem, vel in odium tui, aut vindictam, non es Schismaticus; quia cum hac inobedientia stat recognitio prælationis Pontificiæ: Doctores communiter apud Pal. p. 5.

Quæres, Quæ sint pœnæ Schismaticorum?

Respondeo, esse septem: Prima est excommunicatio Bull. cœnæ, quæ comprehendit solum Schismaticos proprie dictos, etiamsi non sint hæretici, sed tantum hæresis suspicione laborent: Doctores communiter. Notat tamen Pal. p. 6. n. 9. ex Sanch. Schismaticos, qui hæretici non sunt, absolvi posse semel in vita, & semel in morte virtute Cruciatæ; & similiter virtute Jubilæi, vel Privilegii concedentis casus Bull. cœn.; quia sola hæresis indiget speciali mentione. Fautores vero, defensores, & receptatores Schismaticorum, cum non exprimantur in Bull., ut exprimuntur hæreticorum, non hanc, sed aliam excommunicationem non reservatam incurrunt, ex constitut. Paul. IV. *Cum ex Apostolatus*. Secunda est suspicio hæresis; etsi enim aliquando contingat dari schisma absque intellectus errore, raro tamen contingit; ac proinde omnis Schismaticus abjurare debet non solum schisma, sed etiam hæresis suspicationem. Tertia, irrita est eis facta collatio beneficii, non tamen privati sunt ipso facto beneficiis ante schisma obtentis, nisi schisma hæresi conjunctum sit. Quarta, inhabiles sunt ad beneficia in posterum habenda, itaut non solum sit irrita collatio ante dispensationem, sed etiam, quamvis sint pœnitentes, & Ecclesiæ reconciliati, nisi per Pontificem, vel ejus Delegatum sit cum eis dispensatum, vel nisi sint occulti, & maxime emendati, ut addit Pal. Quinta, irregulares sunt juxta complures post Azor. ex Sanch. Bon. Pal. & aliis; tales sunt ex irregularitate generali proveniente ex crimine notorio depositione digno, quæ tamen irregularitas per pœnitentiam aboletur. Sexta, Qui scienter suscipit Ordines ab Episcopo Schismatico, suspenditur, & qui accipit beneficium a Schismatico, nulliter accipit; modo sit Schismaticus ille notorius, ut addit Pal. Septima, Privatur Schismaticus omni potestate Ecclesiastica Ordinis, & Jurisdictionis, modo sit denunciatus, ut probabiliter limitat Bon., vel saltem non sit notorius notorietate facti, ut Valent., quamvis D. Th. Pal. & alii doceant, privari etiam occultum, nisi adsit error communis cum titulo colorato.

§. III.

De Scandalo.

SCANDALUM ex D. Th. est *Opus minus rectum præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis*. Nomine autem operis veniunt non solum facta, sed etiam dicta, & eorum omissiones; dummodo hæc sint mala, vel mali speciem habeant, adeoque sint minus recta.

Dividitur in activum, & passivum. Activum, quod proprie scandalum est, subdividitur in directum, quod dicitur etiam speciale, & indirectum, quod dicitur etiam generale: directum, seu speciale est, quando quis operando minus recte intendit ruinam proximi; sive ex desiderio talis ruinæ, quod rarum est hominibus, in diabolis commune; sive ob suam commoditatem, aliumve finem eam intendat, quod frequens est apud homines: indirectum, seu generale est; quando quis intendit tantum opus suum minus rectum, prævidet tamen inde ruinam proximi probabiliter futuram. Scandalum passivum est ipsa ruina proximi, estque duplex: Datum, quod provenit ex scandalo activo; & Acceptum, quod est etiam duplex, Pusillorum, & Pharisaicum: Pusillorum, quando ex opere alias bono sumit proximus occasionem ruinæ, vel quia ignorat bonum esse, vel quia fragilis est: Pharisaicum, quo ruit proximus nulla data occasione legitima, sed ex malitia ipsius, ut faciebant Pharisæi ex operibus Christi. His notatis

Quæres primo, An peccatum scandali sit tantum contra charitatem, an vero etiam contra alias virtutes, contra quas præbet occasionem ruinæ proximo?

Respondeo, Si sit scandalum directum, certe specificari etiam a diversitate virtutum, ad quas transgrediendas inducitur proximus, quia eadem virtus, v. g. Castitatis, quæ te obligat ad sui custodiam in tua persona, te obligat etiam ad non intendendam directe sui transgressionem in proximo: hinc non satis est dicere in confessione, *Scandalizavi graviter proximum*, sed explicanda est etiam species peccati, ad quod ille inducitur: v. g. si locutus sis turpia, ut proximus incidat in eas turpitudines, explicare debes, ad quæ turpia inducere intendebas, an ad adulterium, an ad sacrilegium, &c. peccasti enim non solum contra charitatem, sed etiam contra virtutes, ad quarum transgressiones ille inducitur. Idque etiamsi ille de facto non sit inductus; quia sufficit prava intentio: Doctores communiter. Noto tamen, quod, licet per scandalum directum pecces eadem specie peccati, quo proximus peccat, adeoque contra justitiam, si pravo tuo exemplo proximum ad furtum induxeris, idque intenderis, tamen non teneris ad restitutionem; nisi vero consilio etiam, mandato, aliterve cooperatus etiam fueris, quia is, cui damnum est illatum, non habet jus te obligandi abstinere ab actione, ex qua alius tertius sumit occasionem malum inferendi: Pal. p. 3. n. 5.: similiter quamvis Religiosus turpiloquio intendat inducere proximum ad turpia cum tertio, non committit sacrilegium contra suum votum castitatis, sed tantum peccat contra hanc virtutem inducendo proximum ad ejus transgressionem. Si autem quis verbis induxerit mulierem ad secum fornicandum, Vasq., & alii putant, non teneri, dicere in confessione talem inductionem, sed satis esse dicere, se fornicatum esse; sed probabilius contradicunt Con., Sanch., Pal. n. 4., quia manifestata copula, non manifestatur inductio, quæ sine illa haberi potest, ut regulariter in femina contingit, quæ proinde manifestare tenetur, si ipsa induxerit: in viris, quia regulariter inducunt, forte non erit opus talem inductionem manifestare, quod subintelligitur, dum contrarium non exprimitur: Sanch. l. 1. Dec. c. 6. n. 54. in fine.

At, si sit scandalum indirectum, satis probabile est, esse peccatum dumtaxat contra charitatem, & non contra alias virtutes, ad quarum transgressiones proximus inducitur; ideoque satis esse dicere in confessione, se per tale scandalum fuisse causam peccati alterius: & ratio est, quia reliquæ virtutes non obligant saltem graviter, ut vitia contraria in aliis impediamus, sed ne positive suadeamus, intendamus, &c.: Lug. d. 1. Pœn. sect. 4. §. 2. a n. 559. Tamb., & alii contra Sanch. Vasq. Con. & alios. Ex quo etiam infertur, non opus esse explicare statum personæ sic inductæ, an scilicet fuerit conjugata, sacra, &c., quia in peccato contra charitatem nihil addit circumstantia personæ. Addo duo: Primum, Tunc peccari scandalo indirecto, cum per illud inducitur proximus ad peccatum, vel saltem in gravem difficultatem, aut tentationem, cui difficile possit resistere; sic enim offenditur graviter charitas: hinc fit, sæpe excusari aliquos a peccato talis scandali, vel quia

viden-

videntes, audientes, &c. ita sunt in bono stabiles, ut prudenter censeantur nullo modo ad peccatum moveri; vel quia scandalizantes sunt ita deperditi, ut eorum exemplum nihil, aut parum admodum moveat: Sanch. Bon. Pal. n. 4. & alii: Secundum, Non adesse peccatum scandali, si ex tuo facto, vel dicto minus recto, nihil aliud præter admirationem, & rumorem in videntibus, aut audientibus excitaveris; quia admiratio, rumor, & suspicio, si fundamentum præbes, non est peccatum: Pal. Si ergo te comedente coram aliis carnes die Veneris solum oriatur talis admiratio, &c. non es scandalosus: Suar. hic d. 10. s. 1. n. 2. idem est, si Religiosus frequenter invisat mulierem suspectam, & videntes moveantur solum ad detestationem peccati, suspicionem, &c. Idem, si domi tuæ habeas aliquam mulierem, de qua populus tantum sinistra suspicatur, &c. Cæterum raro in his contingit, quin aliis occasio detur, saltem murmurandi, detrahendi &c. adeoque sic peccandi; ideoque raro abest peccatum scandali, ut bene Nav. Pal. p. 5. n. 5.

Quæres secundo, An liceat ob bonum finem permittere peccatum proximi?

Respondeo, Si permittas cum spe saltem probabili, ut proximus in delicto deprehensus resipiscat (v. g. ut filius deprehensus a patre in furto non amplius furetur) non peccas; quia illa spes dat sufficientem causam talis permissionis: idem est, si maritus permittat uxoris adulterium, ut possit juridice divortium intendere, quia hæc necessitas se indemnem servandi dat sufficientem causam permissionis, &c. semper tamen supponendo alium modum non esse, quo illi boni fines haberi possint: Bonac. Tamb. hic §. 4. & alii communiter: addunt tamen, quod si permittas solum, ut a peccante pœnam sumas (v. g. si Custos gabellæ, vel horti, se abscondat præcise, ut alii capiantur ad pœnam solvendam) peccas, quia pœna illa, cum nondum sit contracta, non potest a te intendi, quin intendatur etiam tale peccatum, ad quod illa consequitur: ergo peccas contra charitatem, etsi non contra justitiam; cum non tenearis ex officio eos a pœnis præcavere: Sanch. Bon. Pal. hic p. 5. a n. 1. & alii.

Quæres tertio, An liceat non solum permittere, sed etiam positive aliquod opus indifferens facere, quod sit occasio peccati proximi?

Respondeo, Quod si non solum permittas, sed positive offeras occasionem delicti committendi, faciendo opus cæteroqui indifferens, communis sententia cum Sanch. Bon. & aliis docet, esse illicitum ex quocumque bono fine fiat; quia oblatio illa est tacita, imo expressa peccati volitio. Verum Nav. apud Tamb. n. 5. & Pal. n. 6. inclinantes non parum ad ipsum existimant licere, raro tamen, & ex causa admodum gravi, quæ excuset a cooperatione de se quidem indifferenti cum alieno peccato, v. g. si pater non solum mere permissive se habeat, sed ex industria relinquat clavem in arca, ut filius furans deprehendatur ad correctionem: si Maritus dicat Uxori, quod per æquivocationem conveniat cum amasio, *Ut veniat tali hora*, ut sic deprehendi possit, & emendari: si dominus conveniat cum servo, & afferat suas res ad eum furem, qui talem servum ad furandum excitat ad eum finem, quo fur comprehendatur cum re furtiva, & sic non amplius servum ad furtum sollicitet, qui est casus permissus a *l. si quis servus* cap. *de Furtis*: ratio est, quia oblatio clavis, dictum illud æquivocum, illa rerum allatio non sunt actiones peccaminosæ, sed indifferentes, nec ullo modo expressæ, vel tacite peccati acceptationes: prior sententia est absolute probabilis, posterior aliquo modo; sed hanc Doctorum judicio submitto cum Pal. & Tamb.

Quæres quarto, An Mulier se ornans, & virorum aspectui se offerens peccet peccato scandali?

Respondeo, Si ornatus est juxta qualitatem personæ, & communem usum, non peccare, modo absit prava intentio; etsi sciret turpiter a videntibus fore amandam: quia utitur jure suo, nec tenetur impedire eorum peccatum cum tanto onere procedendi semper inornatam, vel domi inclusam esse, a nullisque videri: Doctores communiter, addentes, etiamsi ornatus sit superfluus, non esse ex hac parte mortale, sed solum veniale; quia sunt tot mulieres ita se superflue ornantes, ut vix de ulla affirmari possit, gravem occasionem peccandi tribuere: Sanch. Bon. Pal. p. 7. n. 1. Si autem sciat, se ab aliquo certo turpiter amari; tunc, si nulla necessitate, vel utilitate, sed solum ducta vanitate ejus aspectui se offerat, peccat graviter, quia ex charitate tenetur vitare ruinam proximi, si commode potest, ut in casu: Doctores communiter: si vero ex necessitate, utilitate, aliove fine, causaque honesta, non peccat saltem graviter, quo sensu excusat Sanch. l. 1. Dec. c. 6. n. 16. illam, si causa urbanitatis, ne scilicet inurbana censeatur, nisi vicinas, vel amicas inviseret; vel si, ne privetur libertate propria, & jure egrediendi domo; standi ad ostium, vel fenestram, ob malitiam adolescentis eam turpiter amantis; modo semper in hoc libertatis usu adsit finis aliquis honestus, & non solus usus libertatis communis actibus bonis, & malis, adeoque de se otiosus, ut limitat Pal. n. 4.

Quæres quinto, An sit omittendum opus bonum ob scandalum pusillorum, vel pharisaicum?

Respondeo, Ob scandalum pharisaicum, negative: etiamsi illud opus sit tantum consilii; quia nemo tenetur cum damno suo spirituali, imo nec temporali consulere malitiæ alterius; ideoque Matth. 15. Christus de scandalo pharisæorum non curans dicit: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*; ideoque potest mulier decenter ornata exire etiam die feriali causa audiendi Missam, etiamsi sciat, ab aliquo turpiter aspici, &c. at ob scandalum pusillorum, omittendum est, aut differendum opus consilii, quousque frater admoneatur, quia charitas postulat, ut aliquo modo infirmati proximi, ejusve ignorantiæ indulgeamus, & tunc opus consilii commutatur in melius: Pal. p. 16. n. 6. An autem tunc omittendum etiam sit opus præcepti positivi, affirmant Cov. Valen. Sot. Nav. & alii plures, quia præceptum charitatis naturale prævalet præceptis positivis; ideoque ob scandalum omitti posse integritatem Confessionis, docent communiter cum Sylv. Medin. Can. & aliis: sed contradicunt D. Th. D. Anton. Vasq. Pal. n. 3. & alii nisi adsit etiam propria infamia; quia scandalum pusillorum non est datum, sed acceptum, cum executio præcepti nec mala sit, nec speciem mali habeat: ergo occurrente tali scandalo præcepta positiva non cessant obligare; ideoque non tenetur, imo nec potest, mulier turpiter a viro adamata relinquere Missam die Festo: Suar. & alii: similiter non potes Missam præceptam omittere, ut tuus inimicus eam audiat, qui te præsente non audiret: Pal. ib. addens, & merito, quod, si ex adimpletione præcepti positivi proximus sumat occasionem peccandi contra justitiam, teneris abstinere non ob peccatum illius, sed ob damnum tertii, cui cavendo primo, & per se tenearis.

§. IV.

De Cooperatione alieno peccato.

DUPLICITER dici potest quis cooperari peccato alieno, vel formaliter, vel materialiter. Formaliter, quando directe, aut indirecte intendit peccatum proximi cum sua operatione conjungendum: & sic certe peccat non solum contra charitatem, sed etiam contra virtutem, in quam prævidetur proximus peccaturus. Materialiter dicitur quis cooperari, quando præbet duntaxat materiam de se indifferentem, qua alius ex sua malitia abutitur ad peccandum, quod ille vel non prævides, vel si prævides, nullo tamen pacto censetur intendere. Jam vero de hoc

Dico: ut possit quis licite cooperari materialiter peccato alieno, quod prævidet, tria essentialiter requiruntur. Primo, Ut sua operatio sit secundum se bona, vel saltem indifferens: Secundo, Ut ponatur absque ulla prorsus intentione peccati alieni: Tertio, Ut adsit causa rationabilis eam ponendi: Doctores communiter cum Sanch. l. 1. Dec. c. 7. Ratio est, quia his simul suppositis, non teneris abstinere a tua operatione, & sic impedire peccatum proximi, quod prævides ex sua malitia futurum. Sola, & maxima difficultas est assignandi causam rationabilem, quæ nequit esse eadem sufficiens in omnibus casibus, cum alia aliis sit justa, & proportionata, hoc est reddens te moraliter impotentem cessare a tua operatione, ratione incommodi gravis proportionaliter; in quo fundari debet tota hæc assertio. Quare a Doctoribus communiter traduntur sequentes regulæ: Prima, Major proportionaliter causa requiritur, quo tua operatio est propinquior peccato alieno; minor vero sufficit, quo ea est remotior. Secunda, Major causa postulatur, quo peccatum alienum est gravius, vel si te non operante ille non peccaret, vel si minus juris habeas ad tuam operationem, quam contra: Doctores communiter.

Quæres primo, An esse possit causa rationabilis cooperandi proxime peccato alieno vergenti in grave damnum tertii?

Respondeo affirmative cum Sanch. n. 18. & aliis contra Nav. Tol. Suar. & alios, excusantibus, cum ab

excom-

excommunicatione Bull. Cœn. tum ab omni peccato Christianos captivos metu mortis remigantes in triremibus Turcarum invadentium classem Christianam; quia remigatio est secundum se indifferens ad bonum, & malum usum, nec a Christianis captivis intenditur, ut suppono, peccatum Turcarum abutentium, & metus mortis rationabiliter excusat ab impediendo tali peccato, & damno Christianæ classis. Ob eandem causam, inquit Sanch. fas est, talibus captivis porrigere Turcis arma ab illis petita ad Christianos occidendos, asportare sarcinas, & necessaria ad bellum, admovere scalas, & machinas ad muros, sustentare humeris Turcas ascendentes, aliaque id genus militiæ necessaria: nullatenus vero explodere tormenta, jacere sagittas in Christianos, &c. quia hæc est operatio intrinsece mala, & ob nullam causam cohonestabilis.

Eadem causa Sanch. excusat Nautas cymba transvehentes quosdam duellum inituros, aut alium interfecturos: eademque admittit cum Sa, fas esse admovere scalam furari volenti, dare ensem volentem occidere alium, ostendere, ubi sit is occidendus, &c. quia, etsi hæ operationes sint proximæ peccato alieno, & damno tertii, sunt tamen secundum se indifferentes ad bonum, & malum usum, & ex sua tantum malitia ille alius abutitur ad suum peccatum, & damnum tertii, quod non teneris impedire, cessando ab ea actione cum tanto damno. Contra vero peccas, si metu mortis coactus occidas tertium innocentem, cum actio directe occisiva sit intrinsece mala: idemque est, si metu mortis coactus a fure sic jubente effringas arcam tertii, vel res inde extrahas, ejicias foras ad asportandum; quia est actio vere furtiva, & intrinsece mala: nec juvat, quod Dominus in tali casu non sit censendus respectu tui rationabiliter invitus; hoc enim videtur tantum te excusare a restitutione, non tamen a peccato cooperationis formalis cum fure, qui vere peccat; cum respectu hujus Dominus sit rationabiliter invitus: Less. Bon. & alii contra Pal. p. 16. n. 12. probabiliter excusantem: secus vero dicendum, si gravi metu coactus juves in asportanda re jam furto sublata; ut sunt v.g. rustici, qui prædas injustas militum coguntur vehiculis avehere, &c. quia talis asportatio supponit jam furtum: neque adeo est intrinsece mala, ideoque ex gravi metu cohonestatur: Less. Bon. & alii.

Ex dictis infers primo, solum metum mortis, vel vitæ miserrimæ æquivalentis morti esse causam rationabilem cooperationis secundum se indifferentis, proximæ tamen alieno peccato, & damno. Si vero sit remota (ut asportare sarcinas ad bellum Turcarum, asportare rem jam furto sublatam) sufficit quivis metus gravis damni, puta gravis verberationis, &c. si ergo non adsit causa justa, & proportionata, peccas contra justitiam, & teneris ad restitutionem, quia censeris cooperari formaliter damno tertii, subministrando instrumenta, & materiam peccandi contra justitiam: Sanch. n. 19.

Infers secundo, Majorem proportionaliter requiri causam ad cooperandum materialiter peccato, & damno alieno, quam ad illud mere permittendum, seu non impediendum: quia hic mere negative te habes omittendo actionem; ibi vero positive, agendo, præbendoque materiam, seu instrumentum, quo ille ex sua malitia abutitur; &c. ideoque ibi regulariter sufficit quodcumque grave incommodum ad excusandum, &, si hoc non adsit, peccas tantum contra charitatem: hic vero requiritur metus mortis, vel æquivalentis, si operatio sit proxima, &, si non adsit, peccas etiam contra justitiam, & teneris ad restitutionem.

Quæres secundo, An possit esse causa rationabilis famulis cooperandi materialiter peccatis dominorum suorum?

Respondeo affirmative, Et quidem si operatio famulorum sit remota peccatis dominorum, regulariter sufficit sola ratio famulatus, v.g. comitari herum volentem ire domum concubinæ, vel hanc volentem ire ad illum, deferre hujus munera ad illam: item nuncia, vel scripta, continentia tamen sola verba urbanitatis, puta, certiorem me fac de tua salute: condire cibos, ministrare ad mensam, sternere lectum concubinæ, hanc ornare, quia hæc omnia sunt actiones secundum se indifferentes, & valde remote se habent ad peccatum alienum; ideoque sola obsequii hero præstandi necessitas eas excusat; nisi vero commode cum debito obsequio omitti possint: Sanch. l. 1. Dec. c. 7. a n. 24. ex Nav. Sa, Azor. & aliis. Idemque est de filiis subditis, aliisque obligatis obsequio: quare aliis minime licet. Contra vero deferre curru, vel sella herum ad concubinam, vel contra; aperire januam concubinæ jussu heri: deferre nuncia, vel scripta, non quidem turpia, sed continentia tantum conditionem loci, vel horæ, insequi feminam jussu domini, ut videat, ubi habitet, posteaque certiorem faciat herum. Ad hæc enim, & similia non sufficit ratio famulatus, sed requiritur urgentior causa, puta mortis; quia sunt actiones, quantumvis secundum se indifferentes, at propinquiores peccato alieno: Sanch. n. 26. &c. qua ratione nequeunt Rhedarii puellam ad amasium scienter deferre ob amissionem illius lucri: Tamb. hic n. 30. contra Nav. concedentem id ratione officii, vel ob justam mercedem, eo quod secus facile lucro suo carerent. Hæc prop. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur*. Hæc, inquam, prop. 51. in terminis damnatur ab Inn. XI. & ratio damnationis est, quia hæ actiones sunt valde proximæ, itaut Lumbier dicat, esse intrinsece malas, Card. valde dubitet, velitque consulendam S. Congr. & interim tutiorem partem eligendam: sed Sanch. n. 7. & 16. docet, ita proxime peccato accedere, atque ad illud ordinari, ut ex se malæ dici merito possint. *Nisi causa aliqua urgenti excusentur*, quæ verba innuunt, excusari aliquando posse, non quidem ratione famulatus, neque metu cujusvis notabilis detrimenti, quale est, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur, sed metu mortis, vel ne expulsus cogatur vivere adeo miserrime, ut expediret potius mori: sic etiam metu mortis licitum est manifestare Titio petenti, ubi sit inimicus.

Illud hic videtur certum, ne metu quidem mortis, posse quempiam deferre scienter nuncia, aut scripta turpia, vel illa scribere: similiter quærere alteri feminam, cum qua peccet, vel ab ipsa hoc petere, eamve inducere, ut ejus domum adeat, quod est proprie lenocinium; est enim intrinsece malum: Sanch. n. 30. Dixi, *Scienter*; si enim prudenter tantum suspiceris, quod scripta turpe aliquod contineant, non sufficit quidem ratio famulatus, sed major causa requiritur, quamvis minor morte: Sanch. n. 26. Dare autem munera concubinæ Judicis, aut ab ea petere, ut apud Judicem intercedat, Sanch. n. 38. putat intrinsece malum; est enim fovere amorem turpem, cujus virtute concubina petit, exponitque se, & judicem periculo, eoque etiam tu uteris, jusque tuum tueri vis: sed Pal. hic p. 15. & Tamb. hic n. 23. ait, posse eam petere sine exercitio, aut incremento turpis amoris, & exponere se periculo ob gravem causam non est peccatum ex Bon. ideoque licere, quando res est gravis momenti, justa, & non sit alia via: probabilior videtur prior sententia.

Quæres tertio, An esse possit causa rationabilis artificibus, mercatoribus, histrionibus, &c. cooperandi materialiter peccatis alienis contra castitatem?

Respondeo affirmative, Modo actiones sint secundum se indifferentes, & ponantur absque intentione prava. Et quidem, Pictores pingentes, Histriones repræsentantes res, ex quibus moraliter sciunt, multos alliciendos ad peccatum, nullatenus excusantur ratione magni lucri: si tamen tanta esset necessitas, ut aliter non haberent, unde viverent, Sanch. Ponc. Tamb. & alii contra Pal. Azor. Bon. & alios apud Dian. p. 5. t. 5. r. 5. putant, licere semel, atque iterum facere, donec alia vivendi ratio diligenter conquirentibus non occurrat: idem dic de pingente imaginem amasiæ pro eo, quem scit turpiter amare; licet tamen famulo, ratione notabilis damni, eam jussu Domini emere, quia minor cooperatio est in sola emptione, cum & ipse Dominus facile per se emere possit: Tamb. n. 29. Vendere autem meretrici res ad ornatum, &c. sive dare mutuum, quo scis eam uti, ad homines ad sui amorem alliciendos, vel rheda deferre ad nundinas, ubi quæstum meretricium scis velle exercere, &c. actiones sunt, præciso pravo fine, indifferentes, sed præter amissionem lucri requiritur, ut nequeas id impedire; si enim te non deferente non iret, non potes deferre præcise ratione lucri: Sanch. n. 32.

An autem licite locare possis domum meretrici? Negat Nav. si fiat absque causa; sicuti nec potes usurario publico ex cap. 1. *de Usur. in 6.* sed contradicunt Sanch. n. 20. Val. Azor. & alii; quia id omnino remote, & extrinsece se habet ad peccatum illarum, neque ex hoc proprie occasio peccandi sumitur; uti nec ex cibis ei venditis, &c. nisi vero offeras circumstantiam talis domus, sine qua peccatum non fieret; tunc enim requiritur

tur detrimentum tibi notabile; vel nisi ratione situs esset specialis ad peccandum commoditas, vel nisi viciniæ multum noceretur; tunc enim aliqua justa causa requiritur, quam tamen censei esse, si neqoeas aliis commode locare: ita Sanch. n. 20. Locare autem domum usurario publico alienigenæ (non tamen indigenæ) prohibitum est loc. cit. ob speciale motivum, intelligiturque pro foro externo, ex Val.

Quæres quarto, An esse possit causa rationabilis cauponibus, &c. ministrandi cibos vetitos, & similia ementibus, manducantibus, &c.

Respondeo affirmative, quia talis venditio non est intrinsece mala, nec proxima peccato alieno: causa ergo rationabilis esse potest notabilis jactura, quam paterentur, si res suas, quas venales habent, nequaquam venderent. Hac ergo causa, potest quis vendere agnum infideli, quem scit usui fore ad sacrificandum idolo; fucos mulieri, quos scit ami, ut ad turpem amorem alios alliciat; aleas, & taxillos iis, qui in ludo illicito sunt illis abusuri: qua ratione possunt etiam caupones vendere, ac ministrare cibos vetitos in die jejunii, tum quando dubitant, an illi excusentur a jejunio, tum quando putant, eos non excusari. Similiter vendentes esculenta soluturis jejunium excusantur, si timent diminutionem amptorum, præcipue cum raro ex tua denegatione ii jejunium sint servaturi. Unam, aut alteram rem non magni pretii invenditam tibi superesse, non censatur certe causa sufficiens; nam requiritur aliquod notabile incommodum, ut excusaris: v. Tamb. hic a n. 33. At ad vendendum vinum se inebrianti, non sufficit solum jactura lucri, sed insuper requiritur timor, ne injuria afficiaris a volente emere, vel ne multum sic diminuantur emptores: Pal. p. 24. Sanch. n. 33. quia ebrietas videtur majus peccatum, quam solutio jejunii: Tamb. n. 36.

Vendere venena, medicamenta abortus, &c. abuti volentibus in perniciem aliorum non est licitum Pharmacopolis scientibus, vel prudenter id suspicantibus, nisi vero a gravissima necessitate cogantur: similiter nec reddere ensem furioso.

QUÆSTIO II.

De quarto Decalogi Præcepto.

Honora Patrem, & Matrem tuam.

TRIA hic examinabimus: Primo obligationem filiorum erga parentes, & contra: Secundo obligationem conjugum ad invicem: Tertio obligationem Dominorum, ac Superiorum relate ad subditos, & contra.

CAPUT I.

De obligatione filiorum erga parentes, & contra.

PARENTIBUS filii debent amorem, reverentiam, obedientiam, & subventionem tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Primo igitur, Amare eos debent præ omnibus aliis, non autem præ Deo: Secundo, Revereri interiori simul, & exteriori reverentia: Tertio, Obedire in iis, quæ non sunt contra bonos mores: Quarto, Subvenire in eorum necessitatibus.

Quoad primum, Amor consistere debet non tantum in fuga odii, sed in exhibendis signis amoris; itaut mortaliter peccet filius, si fere semper torvis oculis parentes intueatur, & aspere alloquatur, quasi odio habens: & sicut proximum, sic a fortiori tenetur diligere parentes actu interno, & formali. Quoad secundum, Reverentia esse debet non tantum interior per recognitionem subjectionis erga illos, & timorem quendam filialem; sed etiam exterior, manifestata verbis, & aliis signis, puta caput aperiendo, honorifice loquendo de illis: unde graviter peccat, qui convicia, & maledicta in parentes, licet mortuos, deliberate conjiciat, qui parentes passim increpet, ad magnam iram provocet, manus elevet ad percutiendum, &c. Item, qui parentem de aliquo crimine, etsi vero, accuset, cum omnis Lex vetet filios accusare, aut testificari contra parentes: excipe tamen casum conjurationis in patriam ante crimen patratum, & hæresis, de qua diximus disput. prima, & casum, quo filio deneget pater alimenta. Quoad tertium obedientia servanda est in iis, quæ ad domesticam gubernationem, & mores spectant; itaut deficere in re gravi grave sit, in levi leve, ex Sanch. lib. 4. cap. 5. Quod si pater imperet in re levi, non tamen intendat obligare ad obediendum obedientia sibi debita, ne venialiter quidem peccat filius non obediendo: sicut uxor negans debitum viro petenti, non tamen ut sibi ex justitia debitum, excusatur a mortali. In iis vero, quæ pertinent ad vitæ statum, puta in materia Religionis, aut Matrimonii non tenetur patri filius obedire: unde posset, inscio patre, statum assumere, si prævideret, injuste impediendum; secus tenetur ex reverentia debita illum monere, & consulere; imo sequi voluntatem patris, si scandalum timeatur, vel malus exitus ex uxore, si hæc sit indigna; vel si expediat sumere eam, quam pater vult, ad sedandas inimicitias. Quoad ultimum, Filii certe tenentur parentibus subvenire in necessitate tam temporali, quam spirituali. Unde mortaliter peccant filii, si non curent, patrem in articulo mortis confiteri & alia Sacramenta sumere; si impediant, ne testamentum faciat, aut aliquid pauperibus erogat in animæ utilitatem: si differant solutionem legatorum, & debitorum, per quam facile a Purgatorio liberari posset; si parentis funus non celebrent pro viribus; si non alant parentes, qui non habeant, unde se possint sustentare; si parentes infirmos, aut carcere detentos non invisant, eorumque incolumitati non consulant.

Quæres, An teneatur filius e Religione egredi, ut parentibus subveniat?

Respondeo, Quod ingredi Religionem nequit, relinquendo in gravi necessitate, vel periculo gravis necessitatis parentes, ut notat Sanch. quia Præceptum prævalet Consilio, nisi forte filius manens in seculo non incurrat grave periculum salutis æternæ. Idem dicendum de eo, qui fratres, sorores, aliosve conjunctos relinqueret in extrema necessitate: imo in his duobus casibus tenetur quis a Novitiatu discedere. Egredi vero a Religione tunc tenetur, ex Sanch. apud Bon. quando necessitas parentum est extrema, non vero si sit tantum gravis: quia res uni tradita, non potest nisi in extrema necessitate ab eo auferri, & alteri tradi. Eadem e converso erit obligatio parentum erga filios in extrema, vel gravi istorum necessitate. Egredientes vero e Religione deferre debent habitum, observare Vota, & Præcepta Religionis, quantum commode fieri possit, & sublata necessitate regredi ad Religionem.

Circa obligationem parentum erga filios, tenentur illi jure naturæ curam gerere filiorum, ut nimirum præcepta observent, necessaria ad salutem discant, ut studiis litararum, vel arti alicui operam navent, ut solent alii ejusdem conditionis: item tenentur avertere a filiis occasionem peccandi; eosque nec avertere absque rationabili causa ab ingressu Religionis, vel impletione Votorum, nec cogere ad Matrimonium contrahendum. Imo ex Tridentino *sess.* 24. c. 18. Si filios cogant ad ingressum Religionis, vel ab ea retrahant vi, fraude, injuria, excommunicationem latæ sententiæ incurrunt. Demum tenentur objurgare, aut castigare filios, quando id est necessarium ad eorum emendationem: quippe possunt etiam filium moderate percutere, & ex Bon. contra Tol. etiam in Sacris constitutum: tenentur etiam dare filiis, etsi illegitimis, & adoptivis alimenta necessaria, & dotem filiabus, quoties non detur justa causa in contrarium: imo ut filii juxta propriam conditionem alantur, & sufficientem habeant hæreditatem post mortem patris, debent saltem mediocrem diligentiam adhibere ad acquirenda bona.

Quænam autem sint causæ negandi alimenta, & exhæredandi filios, dicemus in de contract. disp. 2. quæst. 2. c. 3.

Quæres primo, Quæ sint alimenta præstanda filiis a patre?

Respondeo, Ea esse victum, vestitum, habitum, lectum, medicinas, sumptus ad filii instructionem, aliaque necessaria pro conditione personæ, & etiam expensas funeris ex Mol. imo ex Sanch. tenetur pater alere uxorem filii. Porro talis obligatio transit ad hæredes illius, qui ad hæc tenebatur; unde tenetur Monasterium, v. g. si hæreditat, vel fiscus, si sibi addixit bona patris, alere filios. Si dubitetur, sitne Petrus filius Caii, an Terentii, probabilius est, utrumque teneri in solidum ad alimenta.

Quæres secundo, Ad quid teneatur mater erga filios?

Respondeo, tantum teneri, per se loquendo, educare, & lactare filium, licet spurium, usque ad triennium, modo ipsa lacte non careat, nec justam habeat causam non lactandi. Ex *L. Nec filium, Cod. de Patria Potestate*. Præter hæc ad aliud mater non tenetur, nisi pater sit impotens alere filium; tunc enim etiam post triennium tenetur mater, & in ipsius defectu avi, & deinde aviæ. Ipsæ matres lactare debent proprio lacte:

secus

secus saltem venialiter peccant ex Azor. & Nav. nisi justa causa excuset; neque possunt filios exponere hospitali, sine justa gravi causa; de his autem, aliisque hujusmodi obligationibus in de Restitutione.

C A P U T II.

De obligatione conjugum ad invicem.

QUæres primo, Quid Vir debeat Uxori?

Respondeo, Debere Uxori non tantum amorem, sed etiam obedientiam in iis, in quibus est subjectus, ut est debiti redditio: debet etiam honorem ob aliqualem superioritatem, quam Uxor habet, tum ratione juris petendi debitum conjugale, tum ob propriam excellentiam. Hinc, si vir graviter uxorem verberet, peccat graviter, cum ea sit socia, non serva; aut si proferat in uxorem verba infamatoria: posset tamen discrete aliquid contra eam proferre, & moderate verberare juxta conditionem personæ, quando spes est emendationis. Item si impedimentum uxori apponat sine justa causa ad observantiam præceptorum Ecclesiæ. Demum, si diu non cohabitet cum uxore sine justa causa, & ea invita: justa vero causa est, si tractet negotia domus gravia, si timeat sibi grave aliquod damnum in Civitate, si ex præcepto Superioris absit: quando autem non habetur spes reditus ad patriam, secum adducere debet uxorem.

Rursum, Debet vir uxorem alere: nam idcirco dotem suscepit; si vero sine dote duxerit, sibi imputet. Hinc sub gravi tenetur ad alimenta, si potest alere, aut si, qui dotem promisit, non sit culpabiliter in mora solvendo dotem, aut nisi dos perierit culpa personæ obligatæ ad solvendum, vel culpa ipsius uxoris, aut nisi recesserit uxor a consortio Mariti sine hujus culpa. Ubi advertere, quod, si recesserit ex culpa utriusque, inspici debet ex Sanch. cujus sit ultima culpa; nam si recessit uxor ob utriusque culpam, & deinde vult reverti, & vir non vult, hic tenetur alere, quia viri est ultima culpa ex *l. Julius, ff. de actione emptoris, Qui non facit, quod debet, non recipit quod oportet*. Quod si ob viri sævitiem recessit, & deinde offeratur sufficiens securitas benevolentiæ in posterum, nec tamen velit reverti, non tenetur vir eam alere, quia pœnitentia viri purgat delictum.

Quæres secundo, Quid uxor debeat viro?

Respondeo debere amorem, reverentiam, & obedientiam in iis, in quibus est subjecta, quia vir est caput mulieris. Unde graviter peccat uxor, si relate ad familiæ gubernationem, aut in iis, quæ spectant ad bonos mores, sit inobediens, cum in his sit subjecta. Item, si maritum provocet ad gravem iram, vel blasphemiam, si maritum alio pergentem nolit sequi, & justam causam non habeat; si jus gubernandæ domus sine legitima causa sibi arroget, si debitum reddere recuset. Aliquando etiam tenetur virum alere indigentem sive ex dotalibus, sive ex paraphernalibus: id enim fert nexus conjugalis.

C A P U T III.

De obligatione Superiorum relate ad Subditos, & contra.

NOn agimus hic de obligatione servorum, & mancipiorum erga dominos, cum de hoc fuse in de Restitut. disp. 2. q. 3. cap. 4. quod autem attinet ad obligationem famulorum erga heros, certum est illos teneri ad honorem, ad obedientiam, & ad operas suas, serviendo scilicet, impediendo damnum domini, eumque defendendo, sed non cum propriæ vitæ periculo, nisi specialiter ad id conducti fuerint, & dominus non se immisceat temere periculis. Porro consule dicta jam q. 1. hujus disputationis de charitate proximi:

Quæres hic, Quæ sit obligatio Superiorum in Subditos, & Dominorum in servos, & famulos?

Respondeo, Teneri curam gerere ipsorum, quippe gerunt vices parentum. Primo igitur debent dare honestam sustentationem: Secundo, Instruere eos debent in rebus Fidei. Tertio, Corrigere eos debent fraterne, & more etiam domestico, eos scilicet verberando, prout opus est: nam Superiores, parentes, & magistri suos subditos verberare possunt moderate, cum sint isthæc media ordinata ad subditorum salutem. Porro tenetur dominus ejicere famulum, quem corrigere nequit moderatis verberibus, si existimet, illum probabiliter evasurum meliorem post ejectionem. Insuper debet dominos curare, ut famuli, & servi Paschæ præcepto satisfaciant, communicent, jejunent, & doctrinam Christianam addiscant, nec possunt sine gravi peccato gravibus injuriis illos afficere, appellando e. g. eos diabolos, &c.

Quæres rursus, Quæ sit obligatio Clericorum, & Religiosorum erga Prælatum, & contra?

Respondeo ad primum, teneri ad amorem, obedientiam, reverentiam, & defensionem: obedire debent Clerici tantum in iis, quæ ad proprium statum pertinent, & Religiosi in iis, quæ necessaria sunt ad exequendum, quod in regula continetur, & in iis, quæ imponuntur pro culpis contra prædicta: hinc ex Sylv. in iis, quæ sunt contra regulam, vel præter regulam (ut esset aspicere avem) vel supra regulam, non tenentur obedire. Quoad secundum, Episcopi, & Parochi tenentur ad Residentiam, ut dicetur in de Restitut. disp. 2. q. 1. c. 2. ubi etiam de fructibus beneficii erogandis, & insuper dispensare suos redditus pauperibus, subtractis iis, quæ ad decentem victum, vestitum, & ornamentum domus pertinent.

Illud hic advertat benignus Lector, multa in hoc Tractatu omitti, eaque supponi ex aliis Tractatibus, non alia de causa, nisi quo aptius, & fusius ea suis locis pertractentur. Nostri enim instituti est omnia (quoad fieri potest) ad moralem Theologiam spectantia pressius enucleare; non vero eadem iterum, atque iterum revolvere, ne *Occidat miseros crambe repetita Magistros*.



TRA-

TRACTATUS III.

Theologico-Moralis

DE CONTRACTIBUS.



NIHIL humano convictui familiarius, sed nihil Morali Theologiæ difficilius est Contractibus. Ex his enim cum frequentes, tum maxime implexi suboriuntur casus, pro foro præsertim Conscientiæ passim resolvendi. Equidem de his tractaturus, agam I. De Contractibus in genere: II. De Contractibus gratuitis. III. De Contractibus onerosis: IV. De quasi Contractibus, aliisque innominatis: V. De Contractibus Simoniacis, & obiter de Beneficiis Ecclesiasticis; recurret enim de his fusior sermo in de Restitutione.

DISPUTATIO I.

QUÆSTIO UNICA.

De Contractibus in genere.

VIDENDUM, Quid, & quotuplex sit Contractus in genere? Quæ ejus qualitates, & materia? Quis possit contrahere? An dolus, error, aut metus obstent valori Contractuum? An Contractus invalidi juramento firmentur?

CAPUT I.

Quid sit Contractus.

CONTRACTUS universalissime acceptus est *Duorum, vel plurium in idem placitum conventio obligationem pariens*. Quo sensu contractus non distinguitur a pacto, quo duæ voluntates in idem veniunt reciproco consensu: Less. l. 2. *de Just.* c. 17. n. 5. ex Ulpian. *l. 1. ff. de Pactis*.

Quæres primo, An ad valorem contractus requiratur essentialiter consensus internus?

Respondeo affirmative, quia obligatio ex contractu unice oritur a voluntate se obligandi: ergo, si non adsit talis voluntas, nulla est obligatio, nullus jure naturæ contractus. Hinc ad valorem contractus non sufficit tantum velle ponere verba, aut signa, per quæ fieri solent contractus, absque animo se obligandi: ut docent communiter Doctores ex *l. 3. ff. de Obligat. & Action.* contra Vasq. Turr. Ponc. Pallav. Dicast., & alios; & patet, quia, si dicam emere librum pro me, & reipsa in animo, velim emere pro Petro, certe non emo mihi, sed Petro; & si sim Religiosus, mentior quidem, sed non pecco contra votum Paupertatis: ergo signum est, obligationem contractus unice pendere a voluntate se obligandi.

Quare si ficte contraxit, peccavit quidem contra jus alterius, ne deciperetur; sed deinde per se loquendo non tenetur ex justitia, nisi ad detegendam alteri fictionem, qua illum decepit; nisi vero tali fictione causavit ei damnum; tunc enim ex justitia tenetur hoc etiam reficere: Sanch. l. 1. *Matr.* d. 11. n. 5. Mol. Lug. & alii cum Croix hic n. *609*. At pro foro externo, si prolata sint verba obligatoria, præsumitur adfuisse animus se obligandi; quia, cum delicta non præsumantur, censetur quisque loqui, ut sentit; ideoque, si Judex tunc adjudicet rem alteri, non transfert dominium ex vi contractus, qui in casu supponitur nullus, sed per dispositionem Juris, & in pœnam fictionis, aut per dominium altum, quod habet Resp. in bona privatorum: Doctores cit. Cæterum ad valorem contractus sufficit animus se obligandi etiam implicitus, quo scilicet quis vult inire contractum, qualem communiter ineunt homines, præsertim suæ religionis, quia sic implicite, & virtualiter consentit in omnes obligationes inde consequentes. Si quis vero habeat animum contrahendi, & simul habeat animum se non obligandi, tunc, si æqualiter tendat in utrumque, certe non contrahit, quia tendit ad impossibile, scilicet ad contractum sine obligatione: idemque est, si prævaleat posterior animus, itaut ex modo tendendi sit restrictivus prioris: si vero prævaleat prior animus, itaut nollet quidem hic & nunc obligationem, vult tamen contrahere, quamvis inducatur obligatio; sic vere contrahit: quia virtualiter consentit: Croix n. *610*.

Quæres secundo, An ad valorem contractus requiratur consensus plene deliberatus, qualis requiritur ad peccandum mortaliter?

Respondeo affirmative cum communi Jurist. & Theol. quos sequitur Lug. *de Just.* d. 23. n. 17. quia per contractum, etiamsi fiat circa materiam levem, quasi alienatur propria libertas, ad quod requiritur, ut totus Homo consentiat; alioquin nemo vult amittere dominium suarum actionum, in cujus possessione est. Hinc contractus per semiplenam deliberationem initus ne obligat quidem sub veniali, quia obligatio contractus tota procedit a voluntate contrahentis, quæ sibi legem imponit, nec censetur quis ullam legem sibi imponere, nisi plene consentiat. Non sic vero in lege imposita ab alio, contra quam p- inde per semiplenam deliberationem peccatur venialiter: Croix n. *652*. Cæterum, quamvis contractus fiat cum vehementi passione, si tamen hæc non impediat deliberationem sufficientem ad mortale, est validus; quia secus plures contractus essent invalidi, puta sponsalia ex passione amoris, emptio ex passione invidiæ, alienatio ex passione vindictæ, &c. Neque obstat *l. 3. ff. de Divort.* ubi habetur: *Quidquid ex calore iracundiæ, vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuerit judicium animi fuisse*; Nam loquitur tantum de divortio, quod rite præsumitur non esse factum ex animo, si conjuges ex subita ira divulsi statim redeant; de aliis vero contractibus nihil disponunt Jura: Cr. n. *653*. De metu, errore, dicam c. *6.* & *7*.

Quæres tertio, An ad valorem contractus requiratur animus se obligandi sub gravi?

Respondeo negative, Si materia sit levis; imo nec posset quis ad eam, utpote incapacem, se obligare sub gravi: idque verum probabilius est, etiamsi firmetur juramento, quia per hoc invocatur divina auctoritas, ut obligationem ratificet, adeoque ad obligandum sua auctoritate, quantum capax est materia levis: Illsun. *de Juram.* n. 52. Quod si materia sit gravis, Sanch. Henr. & alii putant, sufficere ad contractum etiam animum se obligandi sub levi; excepto Matrimonio, quod esset nullum, si contrahentes vellent leviter tantum se obligare. Cæterum, si in aliis contractibus vellent leviter se obligare, tenerentur quidem sub levi, sed non essent contractus simpliciter dicti, de quibus jura loquuntur: Croix n. 611. & universim si alter interne leviter se obligaret, altero se obligante sub gravi, peccaret mortaliter.

Quæres quarto, An ad valorem contractus sufficiat animus se obligandi absque animo præstandi id, ad quod se obligat?

Respondeo affirmative; Quia stare simul possunt, velle se obligare ad aliquod præstandum, & simul nolle tali obligationi satisfacere: v. g. potest quis velle Sacerdotium, adeoque obligationem ad Horas, ad Castitatem, &c. & simul nolle recitare Horas, servare Castitatem, &c. Itaque peccat quidem, at valide contrahit, qui habet animum se obligandi, & simul non habet animum implendi talem obligationem; nam ad valide, & licite contrahendum requiritur uterque animus; ideoque, si tunc non habuit animum præstandi, tenetur vi contractus illum habere.

Quæres quinto, An ad valorem contractus requiratur, ut consensus internus, seu animus se obligandi sit externe manifestatus alteri?

Respondeo affirmative; Quia contractus est actus humani commercii, qui nonnisi per signa externa perficitur. Hinc, qui actu tantum interno promittit rem alteri, non solum non obligatur dare, sed nec tenetur talem animum ei ma-

ei manifestare, etiamsi interne promittat, se manifestaturum: Onn. d. 29. n. 21. cum communi. Imo, si præter intentionem animum illum casu manifestaret, neque obligaretur; quia talis manifestatio non esset actio humana: Lug. d. 13. n. 2. Neque dictis obstat, quod possim aliquando accipere rem ex præsumpta voluntate Domini, etsi exterius non manifestata; nam tunc non habetur contractus donationis, sed mera occupatio rei, ac si nullius esset, sublato scilicet impedimento seu repugnantia Domini: Lug. n. 33. Cæterum, si promissio interna firmetur juramento etiam interno, obligat quidem, sed tantum vi Religionis, quia habet se per modum voti Deo facti: Croix n. 654. Itaque, cum quis interne tantum promittit rem homini, virtualiter ait, volo obligari sub hac conditione, si id ei manifestavero, & ipse acceptaverit; nam requiritur etiam ad valorem contractus acceptatio, juxta dicenda q. sequ. Si autem protuleris olim verba, vel signa contractus, & nunc dubites, an tunc volueris te obligare, attendenda sunt ea verba, quæ, si per se significent animum obligandi, præsumendum est adfuisse, quia nemo præsumitur aliter sentire, quam loquitur, estque possessio pro valore actus: Sanch. l. 1. *Matr.* d. 9. n. 13. at si verba sint ambigua, standum pro libertate, quæ est in possessione contra obligationem; Lug. d. 22. num. 65. nisi vero aliunde tenebaris habere tunc animum te obligandi per ea verba, quia delicta non præsumuntur: Lug. n. 65. Idemque est, si non recorderis verborum in specie.

Quæres secundo, Quot modis manifestetur in contractibus consensus internus?

Respondeo, Quadrupliciter: *Re*, *Scriptura*, *Verbis*, *Consensu*, ex §. 1. *Instit. de Obligationib.* Itaque aliqui contractus non perficiuntur, nisi *Re*, ut depositum, commodatum, mutuum, permutatio, pignus, donatio, qui ad sui valorem requirunt actualem rei traditionem. Alii nonnisi *Scriptura*, ante quam rati non habentur, ut emphytheusis, & omnis alius contractus, quem contrahentes nolint aliter concludere, nisi coram Notario conficiente instrumentum. Alii nonnisi certis *Verbis*, hoc est certa quadam verborum formula præscripta a jure, quæ dicitur *Stipulatio*; hæc tamen pertinet solum ad Forum externum, in quo etiam nunc parum usus habet: Less. Onn. d. 2. n. 137. Alii demum solo *Consensu*, quovis scilicet modo, quibusvis verbis, aut signis manifestato; ut emptio, venditio, locatio, conductio, &c. etsi enim hi dicantur extrinsece perfici per actualem rei traditionem, tamen in ratione contractus jam sunt completi, dantque jus ad rem, & actionem realem; cum actio sit jus prosequendi in judicio id, quod tibi debetur, ad differentiam exceptionis, quæ tantum est jus ad se tuendum in judicio contra actionem alterius. Itaque actio, alia dicitur realis, qua scilicet rem ipsam convenire potes apud Judicem, & hæc actio competit habenti jus in re, seu dominium, quod in contractu acquiritur per actualem rei traditionem; alia dicitur personalis, qua scilicet non rem ipsam, sed personam convenire potes apud Judicem, & hæc actio competit habenti jus ad rem, quale habet Emptor ante traditionem rei; si enim res a te empta ante traditionem vendatur alteri, atque tradatur, non potes eam convenire, nec tibi vendicare, sed tantum habes actionem in eam personam, quæ te fraudavit.

Quæres demum, An contractus facti sine solemnitate aliqua jure positivo requisita sint validi jure naturæ, & pariant obligationem pro foro conscientiæ?

Respondeo, Testamenta, & alias ultimas voluntates obligare in conscientia, quamvis fiant omissis solemnitatibus jure civili requisitis: ita communius Doctores contra Bald. Cov. Bon. Vasq. Ledes. & alios: ratio est, quia cap. *Cum esses*, *de Testam.* decernit Pontifex absolute, quamvis desit subscriptio septem, vel quinque Testium, uti requirit jus civile; si tamen constet de voluntate Testatoris, v. g. per Parochum, & duos testes, debere censeri testamentum validum, ideoque prohibet, ne quis audeat illud rescindere: ergo, quamvis non valeat in foro civili, nec proinde apud illud pariat actionem, tamen valet in conscientia. At reliqui contractus facti sine solemnitate aliqua a jure requisita probabilius videntur esse irriti, aut saltem irritabiles; quia jus tales contractus ita potuit antecedenter irritare, ut ne tenerent quidem pro foro conscientiæ, ut Trid. irritavit Matrimonium factum sine solemnitate Parochi, & Testium: ergo cum jus absolute dicat, se irritare, & alibi non significet, se relinquere obligationem pro foro conscientiæ, melius dicitur irritari pro utroque foro: Doctores communius contra Andr. Regin. Fil. & alios; nisi tamen solemnitas omissa esset omnino levis, ut notat Lug. & alii. Dixi, *Aut saltem irritabiles*; Nam aliquando lex vult, ut tales contractus sint tantum irritabiles ad arbitrium illius, qui damnum passus est, ut contractus Pupilli, si fiant sine auctoritate Tutoris, quorum obligationem naturalem jus non tollit, sed relinquit potestatem eam tollendi, ut dicam c. 5.

CAPUT II.

Quotuplex sit Contractus?

CONTRACTUS etiam generatim acceptus est multiplex: & I. Alius dicitur Contractus *Gratuitus*, alius *Onerosus*. *Gratuitus*, qui etiam dicitur *Lucrativus*, est, per quem uni tantum contrahentium onus, seu obligatio imponitur; ut donatio, commodatum, precarium, & mutuum, quæ fiunt in gratiam solius recipientis: quo etiam spectant testamentum, & legatum, quæ sunt donationes quædam: item depositum, quod fit in gratiam solius dantis. *Onerosus* est, per quem utrique contrahenti onus imponitur; ideoque *L. habeo*, *ff. de V. S.* definitur *Ultro*, *citroque obligatio*; ut est emptio, locatio, societas, pignus, &c. quæ fiunt in gratiam utriusque contrahentis.

II. Alius dicitur contractus *Bonæ fidei*, alius *Stricti Juris*. *Bonæ fidei* est, in quo, si oriatur dubium, judicatur, non secundum verba ejus expressa, & ex rigore justitiæ, sed secundum præsumptam mentem contrahentium, præsumendo scilicet id voluisse, quod homines æqui, & boni in eo velle solent: tales sunt emptio, locatio, depositum, commodatum, societas, pignus, permutatio, mandatum, tutela, & alii usque ad 17. ex *Instit. de Actionib.* item omnes contractus initi a Principe ex *Gloss.* in *L. Principes*, *ff. de V. S.* & de his omnibus intelligitur *Reg. Jur.* *In Contractibus bonæ fidei fit lata interpretatio*, *in Testamentis latior*, *in Privilegiis latissima*. *Stricti Juris* est, in quo judicatur secundum rigorem, & proprietatem verborum legis, & contrahentium; ut sunt promissio liberalis, stipulatio, donatio, feudum, emphytheusis, mutuum, ex *l. Ad res donatas*, *ff. de ædilitio edicto*: verum id solum pertinet ad forum externum, in quo etiam nunc magnum usum non habet, ut notat Less. l. 2. c. 17. n. 15.

III. Alius dicitur Contractus *Nominatus*, alius *Innominatus*. *Nominatus* est, qui in jure habet proprium nomen, ut emptio, venditio, locatio, depositum, &c. & hi plerumque sunt bonæ fidei; ideoque latam habent interpretationem. *Innominatus* est, qui in jure proprium nomen non habet, sed venit nomine generali conventionis, & pacti: & hujus quatuor sunt species ex *l. Naturali*, *ff. de Præscriptis verbis*. *Do*, *ut des*: *Do*, *ut facias*: *Facio*, *ut des*: *Facio*, *ut facias*; idemque est, si veniant negative. Itaque, si des frumentum pro vino, erit contractus innominatus, Do, ut des; quia non datur pretium pro merce, sed fit permutatio, quæ est nomen generale conveniens contractui etiam nominato. Cæterum omnes contractus innominati sunt stricti juris; ideoque in jure civili strictam habent interpretationem. Misceri etiam possunt cum nominatis, ut do tibi mille, & rem, ut mihi des domum: in quo, si res superet pretium, censetur innominatus; si contra, nominatus; si sint æqualia, partim nominatus, partim innominatus: Laym. Tamb. Croix n. 586.

IV. Alius contractus dicitur *Pactum nudum*, alius *Vestitum*. *Pactum nudum* est, quod sistit in sola conventione, & talis est omnis contractus innominatus, antequam ex aliqua parte sit completus, nec accesserit stipulatio, juramentum, &c. item omnis contractus, qui perficitur *Re*, ut donatio, mutuum, &c. & in his omnibus jure civili non conceditur actio coram Judice, sed tantum exceptio, ex *L. Juris Gentium ff. de pactis*: obligant tamen in conscientia; ideoque in jure Ecclesiastico, quod respicit obligationem conscientiæ, conceditur actio, ut not. Less. n. 22. *Vestitum* est, quod præter conventionem habet aliquid aliud, quo ita firmetur, ut concedat in jure civili actionem coram Judice: vestitur autem septem modis, vel specificatione nominis, qualis est omnis contractus nominatus, qui verbis perficitur; suo enim nomine sufficienter vestitur; vel stipulatione, vel juramento, vel literis, quibus, si fatearis esse tibi satisfactum, & satisfactum non sit, dicitur acceptilatio; vel traditione rei ex aliqua parte, vel adhæsione alteri contractui vestito, cum accessorium sequatur principale; vel demum privilegio juris,

qualis

qualis est promissio liberalis acceptata, promissio dotis, promissio solvendi pro se, vel pro aliis, ea *Glos. in 6. de Consiltut.*, *Instit. de action.*, Less. n. 24.

V. Alius dicitur contractus *Purus*, alius *Non purus*. *Purus* est, qui fit sine ulla limitatione, aut qualitate adjecta: ut vendo tibi equum; & hic statim obligat: quoties enim in obligationibus dies non ponitur, præsenti die debetur, ex *Reg. 14. ff. de Reg. Jur.*; ideoque a Juristis dicitur, quod hoc ipso cedit, & venit dies: quod tamen intelligi debet moraliter; nam permittitur ad minimum spatium 10. dierum, si solvenda sit pecunia ex coutractu constituti, *l. Promissor*, §. 1. *De constit. pecun.*; & in foro conscieutiæ præsumitur creditur consentire dilationi, si sponte taceat. *Non purus* est, qui modum aliquem, aut conditiouem adjectam habeat; de quo cap. seq.

VI. Demum alius dicitur contractus *Explicitus*, qui est expressa conventio, alius *Implicitus*, qui est quævis actio habens adnexam obligationem, alius *Quasi contractus*, ut sunt tutela, euratela, negotia gesta, & alia, quæ sunt ex aliquo officio, quo etiam reduci possunt gabellæ. Alius *Distractum*, quod est conventio dissolvens obligationem prioris contractus. Alius *Novatio*, qua finitur prior contractus, & succedit nova obligatio, Croix n. 758.

CAPUT III.

Quæ sint qualitates Contractus?

QUALITAS adjecta contractui est duplex, altera dicitur modus, altera conditio.

I. Modus est *Qualitas adjecta contractui, non suspendens illum, sed addens aliquid pro onere, aut favore unius contrahentis*. Qui modus, si repugnet substantiæ contractus, eum irritat; sic, si donem tibi centum, ut emas mihi domum, donatio est nulla: si sit impossibilis, sed non repuguet substantiæ contractus, ut dono tibi equum, ut illo hodie sis Romæ, contractus valet, & talis modus habetur pro non adjecto, Mol. d. 208.; idemque est, si modus sit turpis, ut dono tibi gladium, quo occidas meum hostem. Hæc autem intellige, nisi voluntas contrahentis esset restricta ad illos modos, tanquam ad causas finales, vel conditiones, ut mox dicam. At si eidem contractui adjecti sint modi oppositi, judicandum est ex præsumpta voluntate contrahentis; præsumitur autem magis voluisse pro se, ac suis, quam pro externis: Lug. n. 347. Cæterum modus adjectus contractui alius dicitur *In diem*, alius *Demonstratio*, alius *Causa*, alius *Pœna*, alius *Evictio*.

In diem est, cum præfigitur tempus, ut promitto centum solvendos die Paschæ, intra annum, &c.; & hoc etiam elapso permittitur spatium 10. dierum, juxta dicta cap. autecedenti. Sive autem dies apposita certa sit, sive non, mortuo contrahente ante diem, transmittitur creditum ad hæredes: Escob., & alii communiter.

Demonstratio est appositio signi alicujus ad rem ostendendam: ut vendo tibi hanc catenam auream. Et tunc, si demonstratio sit falsa, contractus onerosus est nullus, quia error transit in substautiam, ob inæqualitatem pretii: at si contractus sit gratuitus, adhuc valet; ut si donem, vel legem tibi hunc agrum 100. jugerum, valet, etiamsi esset 200. jugerum, quia præsumor non voluisse consensum meum obligare ad hæc, cum rem ipsam designarem, ex *l. Falsa 33. ff. de condit. & demonstr.*; secus vero, si id fiat dolo tuo, vel alterius, quia tunc cessat præsumptio: Croix n. 193., & alii communiter. In contractu autem disjunctivo, ut si dicam, vendo tibi bovem, vel equum, ordinarie loquendo, electio est debitoris, ex *Reg. 70. in 6.* At si coutractus factus sit in favorem creditoris, hujus erit electio: quare si testator leget Titio domum, vel agrum, hæres tenetur dare, quod eligit Titius, quia jus disponit, ut favores amplientur; ideoque, etiamsi deficiat una pars, manet obligatio determiuata alterius: *l. 16. ff.*, *de V. S.* Qui autem habet jus eligendi, alterutrum elegerit, non potest variare: *l. 19.*, *ff. de Legatis 2.* In coutractu autem copulativo, (puta vendo tibi bovem, & equum) utrumque debetur, ut patet.

Causa est ratio expressa, ob quam contrahitur. Hæc autem causa vel est motiva, seu finalis, quæ scilicet per se primo, & principalitee movet, & si hæc non subsistat, contractus est nullus; vel est tantum impulsiva, quæ scilicet voluntatem aliunde determinatam magis impellit, & si hæc non subsistat, contractus adhuc valet: ut si datur pauperi eleemosyna, quia est devotus; si ille non sit pauper, non transfertur dominium, quia deest causa motiva eleemosynæ; transfertur vero, si sit pauper, sed indevotus, quia deest tantum causa impulsiva. Cæterum pro foro couscientiæ solus contrahens scire potest, utrum causa fuerit motiva, an tantum impulsiva; & in dubio præsumitur tantum impulsiva, quia standum pro valore actus: Menoch., Tusch., & alii.

Pœna est, quæ contractui apponitur ex cousensu contrahentium, ne injuste resiliant; ideoque dicitur *Pœna conventionalis*, & solvi debet ab eo, qui culpabiliter non servat contractum. Debet autem esse moderata; aliter obligat, ut not. Bon., Onn. d. 8. n. 121., & si dividitur culpa, dividitur etiam hæc pœna; ut si tenebaris hoc mense solvere 100. sub pœna 20., & non solvisti, nisi 50., teueris in pœnam addere 10., Mol., Onn. & alii. Cæterum, si imponatur propter moram, non videtur mora notabilis unius, vel alterius diei, imo etiam unius septimanæ, nisi aliter postulet qualitas negotii, iudigentia alterius, aut qualitas contractus, ut addunt Less. l. 2. c. 20. n. 134., & Lug. n. 599. Dubium est, an hæc pœna debeatur ante petitionem, & ante sententiam Judicis? Dico primo: si sit imposita ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, deberi in conscientia, etiamsi alter non petat: Doctores communiter. Dico secundo: si sit mere conventionalis, non deberi, nisi alter petat: Mol., Bon., aliique plurimi contra Nav., solvendam tamen probabilius ante sententiam Judicis, quia non videtur creditor se obligasse ad molestam implorationem Judicis: Mol., Suar., Bon., Lug., aliique plurimi contra Sanch., Castr., & alios probabiliter putantes, debitorem tantum intendisse dare jus ad se cogendum coram Judice. At si talis pœna sit testamento addita, Mol, Lug. & alii fatentur obligare etiam, antequam petatur, quia illi, in quorum gratiam est apposita, communiter ignorant.

Evictio est actio, qua reditur ad auctorem contractus pro interesse rei ab alio evictæ: v. g. emi a te agrum, qui tamen erat Titii: si deinde Titius per sententiam Judicis sibi iterum evincit illum agrum, tu teneris de hac evictione ad reddendum mihi pretium, compensando simul damna emergentia, & lucra cessantia. Si talis obligatio de evictione expresse apponatur contractui, locum habet etiam in lucrativis; si non apponatur, locum habet tantum in onerosis, exceptis aliquibus casibus, de quibus d. 3.

II. *Conditio* rigorose accepta est *Qualitas adjecta contractui, quem suspendit, donec illa impleatur*. Hinc contractus conditionalis in hoc Principaliter differt a modali, quia hic, cum sit absolutus, adhuc pendente, seu nondum præstito modo, dat actionem petendi debitum; quod non facit conditionalis, qui tantum fert obligationem expectandi tempus conditionis implendæ. In dubio autem, an qualitas adjecta contractui sit conditio, an modus, colligendum principaliter ex intentione contrahentis; sin minus, ex forma contractus, in qua conditio exprimi solet his verbis, *Si*, *dummodo*, *quando*, *casu*, *quo*, *non aliter*, *&c.* nisi vero hæc verba exigant aliquod faciendum post executionem contractus: tunc enim sunt tantum modi, ut notant Mol., Pal. d. 1. p. 8. n. 12.

Si conditio sit de præsenti, vel de præterito, (ut emo equum, si sit trium annorum) contractus revera est absolutus, & est tantum conditionatus quoad executionem, donec scilicet constet de ea conditione. Item, si conditio sit necessario futura, (ut vendo equum, si sol cras orietur) contractus est etiam absolutus, & conditio censetur apposita ad determinandum tempus executionis. Si conditio sit impossibilis, contractus est nullus, ex *Instit. de inutil. stipul. §. impossibilis:* excepto matrimonio ex cap. ult. *de condit. appos.*, *& ultimis voluntatibus*, ex *l. si Mevia 45. ff. de hæred. instit.*, in quibus conditio impossibilis, si non sit contra eorum substantiam habetur jure positivo pro non adjecta, quod Onn. d. 13. n. 134. extendit etiam ad professionem Religiosam. Si conditio sit turpis in matrimonio, ultimis voluntatibus, & professione Religiosa, ex jure positivo habetur pro non adjecta; at in reliquis coutractibus, si intendatur, eos irritat (ut promitto 100., si occidas meum inimicum) quia non potest esse obligatio ad aliquod illicitum; eo tamen posito consurgit obligatio 100. Inter conditiones turpes jus civile numerat has, si nunquam nupseris, si non feceris, aut revocaveris testamentum, uti etiam si pareus, vel uxor moriatur, quia continent votum captandæ mortis.

Conditio impleri debet sub specifica forma, & non sufficit, ut æquivaleuter impleatur, *l. Mevius*, *ff. de condit. & demonstr.* At si dicas, dono, vel lego puellæ agrum, si nupse-

nupserit, valet dispositio, etiamsi ea ingrediatur Religionem, quia alioquin fuisset conditio turpis: Barb., & alii communiter: imo secundum Dicast. n. 193. etiam valet, si maneat in seculo cælebs, quia censeris voluisse, ut posset nubere, si vellet. Si vero addidisses, ut nubat meo consanguineo, non valet, nisi ei nubat, quia tunc nuptiæ cum illo fuissent causa motiva: Delb. sect. 4. Si vero addidisses, si caste vixerit, dispositio statim valet; & si per decennium caste vixerit, non amplius amittit legatum, etiamsi postea publice fornicetur: Delb. sect. 22.; idemque ait Lugo n. 414. contra Sanch. l. 7. *Matr.* d. 14., etiamsi intra decennium fornicetur occulte, quia non præsumitur, quod eam voluerit obligare ad se infamandam: idem ait Delb. sect. 8., si quid relictum sit pro virgine, quæ tamen occulte est corrupta.

Quod si conditio sit negativa (ut do tibi villam, si non ieris Romam) tunc, si est dispositio ultimæ voluntatis, statim valet, ac si impleta esset conditio: præstanda tamen est cautio de restituendis omnibus, si conditio non observetur, *l. Mutiane 7., l. 79., ff. de cond. & demonstr.* At, si non sit dispositio ultimæ voluntatis, expectanda est tua mors, qua posita hæredes tui villam obtinebunt: Lug. n. 376., Onn. n. 158. cum communi; nisi vero aliunde constet, mentem disponentis esse, ut tamdiu villam habeas, quamdiu non ieris Romam: Croix n. 601. Cæterum, qui conditionem debuit implere, si nescivit, eam fuisse appositam, & juret, se impleturum, si scivisset, habetur pro impleta: Tusch., Onn. n. 159., & alii.

Denique omnis contractus conditionatus, qui consensu perficitur, per adventum conditionis evadit illico absolutus sine novo consensu: Sanch., Lug., Dicast., & alii. Quod (excepto matrimonio, utpote Sacramento) verum est, etiamsi interim alter contrahentium consensum revocaverit, ex *l. hac conditio, ff. de contr. empt.* Si Titio promiseris villam sub conditione, & postea eandem promittas Cajo sub alia conditione, quæ prius impleatur, prior promissio valet; quia, quamvis posterior prius impleatur, tamen non tollit jus prioris antecedenter acquisitum, potestque adhuc impleri prior conditio. Nisi vero sequuta sit etiam traditio Cajo, quia tunc prævalet jus Caji, & Titio tantum competit actio personalis: Dicast. n. 238. cum communi.

CAPUT IV.

Quæ sit Materia Contractus?

MATERIA contractus debet esse possibilis, existens, honesta, certa, propria, & non a jure prohibita: Doctores communiter. Itaque

I. Debet esse possibilis, quia contractus circa rem impossibilem est jure naturæ irritus, *l. 35., ff. de verb. oblig.*; nam si contrahens sciat esse impossibilem, non potest serio, & efficaciter habere consensum; si nesciat, est error in substantia. Imo debet esse non solum physice, sed & moraliter possibilis, itaut considerata imbecillitate humana non superet nostras vires; nemo enim censetur in aliam obligationem consentire, cum nec leges humanæ ordinarie obligent ad aliquod moraliter impossibile. At si materia contractus, partim sit possibilis, partim impossibilis, valet contractus, si ea sit divisibilis, & consensus feratur etiam indivisibiliter: ut si contraxeris de tradendis 100. modiis tritici, & non possis dare, nisi 50., contractus valet per 50. Contra vero, si materia sit indivisibilis, vel consensus feratur indivisibiliter, contractus est irritus; ut si emeris par equorum pro rheda, & venditor non possit tradere utrumque, contractus est irritus de utroque.

II. Debet esse existens, vel scilicet in re, vel in spe; quia si nec in spe existat, vel non est serius consensus, vel est error in substantia. Hinc, si nunc vendam poma, quæ ex mea arbore colligam in autumno, si hæc poma suo tempore non existant, contractus fuit nullus, quia ejus materia erant poma, quæ numquam fuit. At si vendam spem, quæ, & qualis nunc est, ad omnia poma, quamvis nullum suo tempore erit pomum, venditio valet, quia ejus materia est spes existens, *l. nec emptio, ff. de contrah. empt.* Cæterum irritus est contractus, si vendatur spes hæreditatis futuræ, aut successionis Viventi, ex *l. fin., ff. de pactis*, ne scilicet detur votum captandæ mortis: idemque est de emptione hominis liberi pro tempore, quo erit servus; quia non est fas hujusmodi casus expectare, *l. 103. ff. de V. O.*

III. Debet esse honesta; quia nequit dari obligatio ad peccandum. Cæterum, quamvis contractus de re illicita sit irritus, tamen supposito, quod alter partem suam expleverit, quæ erat illicita, tunc de jure naturæ est obligatio, ut etiam alter suam expleat, si sit licita: sic si mandatarius explevit homicidium, mandans tenetur dare pretium pactum; idemque est de contractu cum Meretrice ad peccandum, cum Judice ad injustam sententiam, &c., ratio est, quia id non debetur ob rem ipsam illicitam, sed ob molestiam, detrimentum, periculum, &c.: Mol. d. 94., & alii communiter. In foro tamen externo solum in contractu cum Meretrice conceditur actio, *l. Idem 4., ff. de Condit. ob turpem causam*; in reliquis negatur, *l. Si flagitii 123., ff. de V. O.* Cæterum, si sit contractus de re tantum prohibita lege mere pœnali, valet contractus, quia illa res est de se licita, quam potest quis etiam per leges facere, si se ad pœnam resolvat: Onn. n. 266. Item valet contractus illicitus de re licita, ut si quis emat gladium ad occidendum inimicum. Item valet contractus, qui in se prohibetur fieri, tamen supposito, quod fiat, non irritatur, secundum regulam Juris, *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*; qualis est venditio armorum facta hosti Patriæ: ratio est, quia materia horum contractuum non est illicita. Contra vero, si paciscar obligationem ad sic vendendum, est pactum irritum, quia habet pro materia obligationem illicitam.

IV. Debet esse certa; quia si hæc non constet, non potest per contractum transferri ejus dominium, *l. 75., ff. de V. O.* Cæterum valet etiam contractus, si res incerta reduci possit ad certitudinem, ex *eadem lege*. Reduci potest primo per eventum conditionis: Secundo per declarationem, aut arbitrium tertii, cui partes committunt: Tertio per electionem, ut si tibi promisi sub disjunctione bovem, vel equum, eligendo materiam, redditur certa: qua in re nota, quod in ejusmodi disjunctivis, si nihil aliud addatur, ordinarie loquendo electio est debitoris, ex *Reg. Jur. 70. in 6.* at si contractus factus sit in favorem creditoris, hujus erit electio; ut si testator leget Titio domum, vel agrum, hæres tenetur dare, quod eligit Titius, quia jus disponit, ut favores amplientur; ideoque etiam deficiente una parte, manet obligatio determinata alterius, *l. 16., ff. de V. S.* Qui autem habet jus eligendi, alterutram elegerit, non potest deinde variare, *l. 19., ff. de Legatis 2.* Si contractus sit numeri indefiniti, puta, ut solvas aliquot aureos, ad minimum solvendi sunt duo: Tusch., & alii: si quis vero leget 100. aureos Cajo, Titio, & Sempronio, dubium est, an singulis debeantur centum, an vero tertia pars: pro quo dubio, nisi aliunde haberi possit conjectura, dantur hæ regulæ: in dubiis minimum est sequendum, & reo magis, quam actori, debitori magis, quam creditori, favendum; quia leges miserentur eorum, qui obligatione premuntur: Croix n. 599.

V. Debet esse propria, ejus scilicet, qui per contractum transfert jus in alterum; quia *Nemo plus juris transferre potest, quam ipse habet, Reg. Jur. 79. in 6.* debet autem esse ita propria, ut habeat dominium proprietatis, & administrationis; qui vero est tantum usufructuarius, potest quidem rem alteri locare, vel gratis concedere, non tamen ita, ut alter fiat usufructuarius, sed tantum ut habeat jus quoddam percipiendi fructus dependens a jure usufructuarii. Qui vero habet tantum usum, nullo modo potest illam alteri locare, aut gratis concedere: Less. l. 2. c. 3. n. 25. *ex plur. legib.* Hinc in venditione rei alienæ, si uterque contrahens hoc sciat, contractus est nullus, *l. 34. de Contr. Empt.* idemque est, si neuter, aut solus vendens hoc sciat, quia emens non vult transferre dominium pretii, nisi obtineat dominium mercis: Croix n. 694. At si solus emptor id sciat, dominium rei non transit in ementem, sed dominium pretii transit in vendentem, & quoad hoc valet contractus ex *l. 28. eod. tit.* Si vero vendas rem tibi communem cum aliis, v. g. gregem ovium indivisim spectantem ad te, & ad duos fratres tuos, valet venditio pro tertia parte, *l. 18. eod. tit.* Denique si res nunc non sit, sed erit propria, potest per se loquendo de ea contrahi pro tempore, quo erit propria, *l. 31. ff. de V. O.*, & similiter potest quis contrahere de actione aliena, puta, faciam, ut Titius te instruat in medicina, obligando me ad pœnam, vel quanti æstimatur illa instructio, si non fiat, *l. 38. eod. tit.*

VI. Ut non sit a jure prohibita: specialiter in Extravag. Pii II. *Ambitiosæ, de Reb. Eccl. non alienand.* prohibetur sub excommunicatione latæ sententiæ, & irritatur omnis alienatio, & pactum, & quod transfertur dominium: item concessio, hypotheca, locatio, & condu-

ctio

ctin ultra triennium, infendatio, & contractus emphytheuticus rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum, quæ servando servari possunt, Ecclesiæ, Monasterii, Conventus, aut loci pii auctoritate Episcopi erecti: nisi concurrant hæc tria: Primo, Justa causa: Secundo, Solemnitas per tractatum, consensum, & subscriptionem majoris partis Capituli (in Societate Jeso sufficit tractatus cum Consultoribus): Tertio, Licentia expressa S. Congregationis; ut videbimus infra suis cujusque locis. Similiter prohibitio contra Religiosos emanata jossu Urbao. VIII. an. 1624., ubi etiam additor privatio omnis officii, vocisque activæ, & passivæ cum inhabilitate perpetua: Præterea declaravit S. Congr., non posse Religiosos accipere motuo pecunias cum solutione interesse, nec fundare censum super bonis suis: Delb. d. 1. n. 12.

An vero Societas Jesu possit sine licentia S. Congr. reddere dimisso bona sua, quæ ei donaverat, affirmant aliqui, & favet Suar., quia Societas non videtur firmiter ea acceptasse: idem videtur tenere Pal. d. 3. p. 18. n. 2. dicens, illam redditionem non censeri alienationem bonorum Ecclesiasticorum, eo quod a principio ea conditione accepta fuerint, ut posset Societas, si expediens judicaverit, ea reddere; sed negat Lug., quia donant non videtur sibi ullum jus retinuisse, & consequenter Societas acquisivit plenum dominium.

Censetur etiam probihita transactio pro terminanda lite circa bona antecedenter possessa ab Ecclesia, si aliqua ex parte forent dimittenda. Posset tamen ista fieri, si jus nondum erat possessum: Delb. d. 12. Posset etiam vendi laico, si quod ad Ecclesiam pertinens impetatur, & esset periculum amittendi, relicto tamen illi periculo: Delb. d. 23. n. 25.

Si donans expresse addidisset, ut Ecclesia posset propria auctoritate alienare: Lug. l. 3. *Resp. Moral.* d. 10. n. 12., probabiliter negat, Ecclesiam posse per se alienare, quia hoc ipso, quod acquiritur Ecclesiæ, habet conditiones boni Ecclesiæ: sed probabiliter affirmant Covar., Arm., Ricc., Quarant., Bon., Delb. d. 10., qoia sicuti poterat donans, ita poterit ex ejus auctoritate donatarius de re disponere, neque res est absolute, & in perpetuum acquisita Ecclesiæ, sed tantum ad beneplacitum. Idem est, si res fuerit empta cum pacto retrovendendi: Bard., & alii contra Ricc., & Menoch. apud Delb. d. 23. n. 23. Similiter videtur esse licitum repudiare aliquod immobile nondum acquisitum, cum non sit alienatio: Ab., Sylv., Delb., d. 5.; qui tamen d. 6. cum Mol., Barb., & aliis ait, Prælatum, aut Religiosum non posse repudiare hæreditatem, aut legatum, tum quia ex volontate Testatoris erat jam acquisitum Ecclesiæ etiam ante traditionem, ut habent jura, tum quia Ecclesia haber jus, & actionem in illud. Sed contradicunt Ab., Menoch., Com., Reb., Ricc., Bon., & alii, qoia ante acceptationem non acquiritur Ecclesiæ jus, aut actio ulla, sed res transit ad hæredes ab intestato. Denique non est prohibitum obligare bona Ecclesiæ in hypotheca generali, sed tantum in speciali: Ab., Cov., Mol., Delb. d. 1. n. 30. contra Vasq., Rodr., Quarant., & alios.

Bona autem immobilia Ecclesiæ non solum sunt prædia, domus, beneficia, &c., sed etiam jura, & actiones ad illa; item census, & redditus perpetui, juspatronatus, ususfructus, servitutes; item magna pecuniæ summa donata, & destinata ad illa emenda: Fillioc., & alii apud Deb. d. 2. s. 3. Mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt (scilicet saltem per triennium) sunt vasa aurea, argentea, gemmæ, tapetes pretiosi, magna bibliotheca, greges, & armenta indivisim accepta, ad quæ etiam reducuntur arbores fructiferæ, & sylvæ, si incidantur cum deterioratione; sub alienatione enim venit etiam destructio: his Pal., Ricc., & alii contra Delb. d. 1. n. 52. addunt Reliquias pretiosas.

Cæterum sine dictis requisitis alienari possunt primo ea bona Ecclesiæ, quæ verosimiliter ad triennium sine deterioratione non perdurant, ut vestes, fructus arborum, jumenta in individuo, singularia pecora, &c. Secondo, Res quæcumque etiam immobilis, si sit exigui valoris, ex cap. *Terrulas* 12. q. 2.: docentque Doctores cum Delb. d. 2. s. 1. n. 12., exiguum esse valorem 40. scutorum Romanorum: addit Pal. §. 1. n. 2. cum Zerol. *Prax. Episc. p.* 1. *v. Alienatio*, rem exigui valoris esse, si non attingat 100. ducatos. Illud communiter dicunt cum Delb., talem rem modicam debere esse disjunctam ab aliis; secus posset totum v. g. prædium per partes successive alienari. Tertio, Res, quatom conservationi non sufficerent census provenientes ex eis: Pal. p. 15. §. 2. n. 5.; secus vero, si essent tantum inutiles, seu steriles: Bon., Delb. d. 3. n. 10., pro his tamen sufficit consensus Episcopi, juxta Wadin. §. 3. Quarto, Res, quæ donantur, vel legantur illis Ecclesiis, quæ retinere non possunt, v. g. Prædium Cappuccinis: Quarao., Ricc., Barb., Delb. d. 7. Quinto, In casu magnæ necessitatis non permittentis peti licentiam a S. Congregatione: Quaran., Delb. d. 5. n. 28., vel si expectato consenso Papæ traosiret occasio notoriæ utilitatis Ecclesiæ: Bald., Boss., Delb. d. 22. n. 2., in quo casu pro secularibus requiritur coosensus Episcopi: Ab., Felio., & alii. Sexto, Si aliquod sit simul, & indivisim in dominio laici, qui velit vendere: Barb., Delb. d. 22. Septimo, Si fiat sola transmutatio absque translatione dominii, v. g. ex calice antiquo fiat crux, ex arboribus cæsis ædificetur domus: Ab., Nav., Fil., Delb. d. 23. n. 51. Octavo, Si dooans expresse addidisset, ut posset Ecclesia propria auctoritate alienare; quia sic res non est absolute, & in perpetuum acquisita Ecclesiæ, sed tantum ad beneplacitum, ut paullo ante ex pluribus Auctoribus innuimus contra Lug. Idem similiter ex modo etiam dictis contra Ricc., si res fuerit empta cum pacto retrovendendi. Et idem, si repudietur res nondum acqoisita, cum sic non sit alienatio: Ab., Sylv., Delb. Nono, Etsi nequeant alienari Cappellæ propriæ Ecclesiæ, utpote bona immobilia, possent tamen concedi ad usum, v. g. in sepultoram, tum ex praxi communi, tum quia, cum eæ fiant ad usum secularium, concessio illarum ad solum usum non potest dici alienatio: Pelliz. t. 6. c. 8. n. 90, *Bon. de alien. bon. Eccl.* d. 12. q. un. n. 12. Lezan., Ricc., &c.

CAPUT V.

Quis possit contrahere?

CONTRAHERE possunt, qui habent plenum usum rationis & materiam, de qua contrahant, nec sint jure prohibiti; ex *l.* 5. *cap. de Obligat.* Itaque

I. Infantes ante septennium completum, fatui, furiosi, dormientes, ebrii, &c. jure naturæ invalide contrahunt, quia non habent plenam deliberationem, juxta dicta cap. 1. At, si fiant legatarii, obligant sibi hæredem ad solvendum legatum, & si fiant hæredes, obligantur solvere legata, quia lex providit, ut ipsa saltem Resp. personas eorum quoad hoc repræsentet, suppleat: Bartol., & alii communiter, ex *l. Si a furioso, ff. de Obligat.* Cæterum fatui, foriosi, &c. tempore lucidi intervalli valide contrahunt; in dubio autem, an eo tempore contraxerint, si contractus factus fuerit, ut decet hominem sanæ mentis, admitti debet, ut validus: Onn. d. 4. n. 27.; qui vero ex intentione contrahendi se inebriat, & in ebrietate contrahit, contractus est irritus, quia non contrahit humano modo, & prior intentio non sufficit; valet vero, si tunc contrahat ejus Procurator antea constitutus, quia hic operatur humano modo: Croix n. 652.

II. Religiosus professus absque licentia Superioris illicite, & invalide contrahit, quia non habet aliquod proprium, sed tantum usum rerum ad nutum revocabilem; si autem quid per contractum gratuitum acquirat, acquirit Monasterio. Quod si det aliquid seculari, & vicissim ab eo aliquid recipiat, hoc acqoiritur Mooasterio, illud vero Bon., & alii adhuc volunt manere Monasterio: sed Pelliz., & Dian. p. 10. t. 14. r. 2. probabiliter putant manere seculari, quia quod hic dedit Religioso, censetur æquivalenter restitutio illius, quod ab eo accepit. Si Religiosus faciat, & donet seculari v. g. Picturam, illicite, & iovalide dooat, quia tale opus erat acquisitum Monasterio; at si secularis ante petivisset, & ministrasset requisita, licite, & valide daretur; qoia potest Religiosus sine licentia operam suam gratis dare, Bon., Val., Dian., p. 1. t. 7. n. 37. Pelliz. t. 4. c. 2. n. 295. Si Superior absolute det Religioso licentiam expendendi, Sanch. l. 7. Dec. c. 19. Lug., & alii communiter docent, limitari ad solos usus licitos; sed oppositum docent Bann., Lug., Rebel., Tal., Sayr., Dian., & alii; quia generaliter concedens licentiam vult, quantum potest, tollere impedimentum, quod est ex defectu licentiæ, relinquendo usum conscientiæ subditi; & aliunde probabile est ex D. Antonin., Sylv., Turrec., & aliis, licentiam Superioris ad usus illicitos, etsi illicitam, esse validam: Croix n. 144. Cæterum in Societate Jeso licentia ad contrahendum de his, quæ pertinent ad victum, & vestitum est invalida: item si Scholasticus Societatis Jesu absque Superioris li-

centia disponat de rebus suis, Mol., & Les. l. 2. c 4. n. 28. dicunt invalide, quia per votum Paupertatis solum retinet potestatam disponendi ex consensu Superioris, sicut Pupillus ex consensu Tutoris; sed Suar., Sanch., Pal., Lug. l. 6. *Resp. Moral.* d. 2. Pelliz., & alii probabilius putant valide, quamvis illicite, quia non habetur Lex irritans talem dispositionem, ut habetur in Pupillo. Addit tamen Lug. *de Just.* d. 3. n.81. talem dispositionem esse revocabilem a Superioro, quamdiu vixerit Subditus, non tamen eo mortuo, quia voluntas defuncti non amplius subordinatur valuntati Superioris.

Servus rigorose dictus, scilicet Mancipium, quamvis reputetur par Monacho, adeoque quidquid acquirit, Domino acquirat: tamen potest per contractum alienare quidquid acquirit post persolutum Domini pensum, vel per donationem, aut legatum expresse sibi, non Domino factum; vel per compensationem injuriæ illatæ ejus corpori; vel ex opere illicito, puta ancilla ex stupro, quia horum perpetuum dominium habet servus, & consequenter etiam eorum, quæ per hæc lucratur, cum lucrum sequatur peculium; Illsun. n. 134., & alii.

III. Prodigus habens Curatorem (qui datur ei etiam invito) absque ejus auctoritate invalide omnino alienat rem suam per contractum: & ille, qui cum eo contraxit, tenetur restituere ante sententiam Judicis, etiamsi Prodigus non repetat: Doctores communiter ex *plur. leg.*, Nec potest Prodigus cogere illum ad servandum contractum, quia in ipsius odium irritatur: Croix n. 682. At si non habeat curatorem, contrahit valide tum naturaliter, tum civiliter, quia habet administrationem suarum rerum: Sanch. l. 6. *Matr.* d. 38. n. 27. & alii communiter.

IV. Uxor alienare potest tantum ea, quorum habet dominium, & administrationem; ut sunt bona paraphernalia, quæ scilicet habet extra dotem, vel quæ acquirit per industriam, aut laborem familiæ indebitum, vel quæ a Marito ei dantur quoad dominium, & usum. Quoad reliqua administrationi Mariti subjecta, eos tantum contractus, donationes, remunerationes, elemosynas facere potest, quæ non excedant statum suæ dignitatis, & opulentiæ juxta consuetudinem receptam circa alias feminas ejusdem conditionis: Maritus vero potest alienare dotem Uxoris æstimatam, hoc est quam, tanquam sibi venditam, recepit; vel consistentem in pondere, numero, aut mensura, vel quæ servando servari non possit: non tamen, si sit res mobilis non consistens in pondere, numero, aut mensura, ut Mancipium; neque si sit immobilis inæstimata, quæ dicitur fundus dotalis: nisi Uxor consensum suum juramento firmaverit, aut post biennium ratificaverit; vel alienatio manifeste cedat in majorem ejus utilitatem, aut ad solvendum ejus debitum reale ante Matrimonium contractum; vel demum ea res partiali jure pertineat ad tertium, qui eam alienari desideeat. Illsun. a n. 347. *Ex plur. leg.*

V. Impubes, si sit infantiæ proximus (hoc est Masculus a septimo usque ad decimum cum dimidio, femina usque ad nonum cum dimidio) ex nullo contractu obligatur civiliter, ex *Inst. de inutil. stipul.*; imo secundum Onn. d. 4. n. 46. ne naturaliter quidem, seu in conscientia; quia ejus contractibus resistit jus positivum irritans consensum. Excipit Angelus, nisi malitia suppleat ætatem; sed Sanch. l. 6. *Matr.* d. 38. n. 24., & Lug. d. 22. n. 185. rejiciunt exceptionem; quia, quamvis in uno, aut altero particulari deficiat ratio legis, non ideo cessat pro eo lex.

VI. Filiusfamilias (qui scilicet est sub patria potestate) neque civiliter, neque naturaliter potest per contractum alienare bona immobilia, aut mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, absque decreto Judicis; quia jus positivum expresse irritat ejus consensum in his rebus, etiamsi consentiat pater: Less. l. 2. c. 17. n. 61. Illsun., & alii communiter ex *plur. leg.* Circa reliquas res mobiles, noto, filiumfamilias habere posse bona castrensia, quæ scilicet habet occasione militiæ, aut obsequii facti Principi; alia quasi castrensia, quæ scilicet habet ex Beneficio, Patrimonio, Clericatu, Officio publico, vel arte liberali, & horum omnium habet dominium, & usum; alia adventitia, quæ scilicet habet aliunde, & nec intuitu, vel concessione patris, & horum usufructuarius, & administrator est pater; alia profectitia, quæ scilicet habet intuitu, vel concessione patris, & horum dominus directus est pater. His notatis: Filiusfamilias, si sit pubertati proximus (hoc est masculus ab an. 10. cum dimidio usque ad quartum decimum, femina ab an. 9. cum dimidio usque ad duodecimum completum) etiamsi contrahat auctoritate patris, non obligatur civiliter; probabile tamen est obligari naturaliter, & in conscientia, quoad bona castrensia, & quasi castrensia; quia habet sufficientem consensum, quem jus positivum clare non irritat: Mol., Nav., Bon., Laym., & alii; quamvis oppositum apud Sanch., & Less. sit valde probabile, & in praxi tutum. Si vero sit plene pubes (hoc est masculus quartumdecimum, femina duodecima plene compleverit) potest etiam sine consensu patris civiliter, & naturaliter alienare castrensia, & quasi castrensia (dummodo non sint bona immobilia, aut mobilia pretiosa, ut dictum est supra) non vero adventitia, aut profectitia: Doctores communiter.

Quæres hic, An filiusfamilias possit disponere de suis lucris ex opere mechanico?

Respondeo negative; Quia hæc lucra, cum non sint ex arte liberali, numerantur inter adventitia; ideoque licet sint propria filii, tamen usufructuarius, & administrator est Pater. Potest tamen filius in ea arte mechanica locare operam suam patri, & sic ab eo salarium exigere; deductis tamen expensis, quas pater in eo alendo facit, cum non teneatur pater alere filium habentem adventitia, vel castrensia: Doctores communiter ex *l. Si quis a liberis*, *ff. de libert. agnosc.* Cæterum, si filius ne tacite quidem petito salario eam operam præstet patri, censetur ei remittere ex pietate, & gratitudine, unde nec potest eo mortuo a fratribus illud repetere. Filius vero faciens lucrum ex bonis paternis in ejus officina, nec salarium, nec partem lucri exigere potest: Laym., & alii communiter ex Glos.; probabile est oppositum apud Less. c. 12. n. 81., quia tale lucrum non solum provenit ex bonis paternis, verum etiam ex filii industria, & labore; ideoque partim est Profectitium, partim Adventitium: quæ sententia ad id saltem Confessario servire poterit, ut mitius agat cum tali filio, & non facile ad restitutionem obliget, nisi ultra æstimationem industriæ, & laboris acceperit: Laym. n. 12.

VII. Pupillus (qui scilicet caret Patre, vel ab eo est emancipatus, & nondum pertingit ad annum pubertatis; ideoque habere debet Tutorem etiam invitus) omnino invalide per contractum alienat bona immobilia, aut mobilia pretiosa, etiam cum consensu Tutoris, si fiat sine auctoritate Judicis; ut dictum est de filiisfamilias. Circa reliquas res mobiles, si pubertati proximus contrahat auctoritate Tutoris, obligatur etiam civiliter: quia datur ei actio contra Tutorem, si male suaserit, qualem actionem non habet filius contra patrem: Doctores communiter ex *plur. leg.* Si autem pubertati proximus contrahat sine auctoritate Tutoris, non obligatur civiliter, quamvis probabile utrinque sit, obligari naturaliter, nisi eo contractu factus sit ditior, ex *l. 1. c. de Inutil. stipul.* Qui autem cum eo sic contrahit (modo & ipse non sit pupillus) obligatur etiam civiliter, si velit pupillus stare contractui, *Instit. de Inutil. stipul.* §. *Pupillus*; ideoque dicitur talis contractus claudicare. Cæterum, si pupillus sine auctoritate Tutoris donet, aut expendat in recreatione aliquod eorum, quæ sunt in quotidiano usu, Lug., Onn., & alii recte dicunt, tales contractus esse etiam jure civili validos, quia quoad hæc consuetudo derogavit legibus. Denique si pupillus contrahat cum suo Tutore, v. g. vendat illi prædium, neque civiliter, neque naturaliter obligatur; nisi forte per hoc factus sit ditior, vel commiserit dolum, ut limat Sanch.

VIII. Minor, seu Minorennis (qui scilicet a pubertate usque ad ann. 25. caret patre, vel est ab eo emancipatus; ideoque volens habet Curatorem, & aliquando etiam nolens, in ordine ad lites) quoad contractus subest iisdem fere legibus, ac pupillus; quia Curator ei datur, ut administrator bonorum. Itaque sine auctoritate Judicis non potest alienare bona immobilia, aut mobilia pretiosa, etiamsi consentiat Curator; imo, etiamsi illum non habeat, vel obtinuerit a Principe veniam ætatis, quæ masculis concedi solet post ann. 20., feminis post ann. 18., Croix n. 303. ex *l. 1. c. de his, qui veniam.*

Excipe Primo, Si ea necessario alienare debeat, ut solvat debitum, ad quod in conscientia tenetur, vel si alicui in dotem aliquid promiserit, vel si servum manumiserit: Onn. d. 19. n. 303., probans per *plures leges*. Idem etiam conceditur Patri in casu necessitatis, non autem Tutori, aut Curatori: Laym. c. 8. ex Tiraq., Azor., & aliis: Secundo, Si non habens Curatorem alienet per contractum mobilia etiam aliquantum pretiosa, & non occurrentia quotidiano usu, obligatur etiam civiliter, ex *l. Puberes sui.*, *ff. de V. O.* Tertio, Si sit professurus Religionem, poterit etiam absque auctoritate Curatoris

rit donare, alienare, &c. omnia bona sua sine beneficio restitutionis in integrum, quia censetur mori: Laym. & alii ex *cap. In præsentia, de Probation.*

Queres etiam hic, Quid sit, & cui competat Restitutio in integrum?

Respondeo, Esse privilegium, quo quis per contractum læsus reponitur in statu, in quo erat ante contractum. Conceditur hoc Pupillis, & Minoribus, sive Tutorem, aut Curatorem habeant, sive non habeant; sive contraxerint ex eorum auctoritate, sive non; imo etiamsi contraxerint per Judicis decretum. Durat hoc privilegium etiam quadriennio post expletam minoritatem; & si veniam ætatis obtinuerit, quadriennio post veniam obtentam; &, si dolo, aut justo titulo fuerint impediti, potest hoc quadriennium computari postea: Doctores communiter ex *plur. leg.* Itaque si rem vendiderunt, quæ non oportebat vendi, poterunt agere contra quemvis possessorem ad eam recuperandam restituto pretio; & similiter, si vendiderint minoris justo, possunt agere ad justum pretium. Si eam nondum tradiderint, vel tantum promiserint, vel ad creditum ludentes lusu extraordinario perdiderint pecuniam, poterunt retinere; quia, quando lex permittit repeti, tacite permittit retineri; nisi forte juramentum accesserit: Sanch. n. 84. Si læsi ex pecunia mutuo accepta, ut quia illam pecuniam amiserunt, vel male consumpserunt, possunt postea uti beneficio restitutionis in integrum, & solum solvere id, in quo facti sunt ditiores: Less. ex *l. 2. c. Si filiusfam.* Si læsi sint ex quasi contractu, v. g. quia damnosam hæreditatem sibi testamento legatam acceptarunt, vel si lucrosam repudiarunt, vel si læsi sint in electione, eligendo scilicet partem deteriorem, possunt in integrum restitui. Idem ait Covar. favente Mol. si læsi sint ex imprudenti resignatione, aut permutatione beneficii, etiamsi sit hoc alteri collatum; licet oppositum in hoc sit etiam probabile, & in usu: Less. l. 2. c. 17. n. 63.

Contra non gaudent hoc privilegio: Primo, Si nulliter fuerunt læsi, vel si vendiderint rem justo pretio, eoque tempore, & modo, quo quisque prudens venderet, etiamsi postea præsentet se alius, qui plus offerat: Less. ex *l. Verum, ff. de Minorib.* Secundo, si contractum juramento firmarunt, quamvis alioqui per se irritus esset jure positivo: Less. ex authentica *Sacr. puberum*; cap. *Si adversus venditionem*; si autem tunc passi fuissent injustitiam, vim, aut dolum, obtenta juramenti relaxatione ab Episcopo, fas erit remedium restitutionis in integrum implorare: Covar. Less. & alii ex cap. *quamvis de pactis*: & si erant impuberes, dum jurarunt, sola impubertas est sufficiens causa relaxandi juramentum, ex eodem cap. imo a tutore potest irritari: Less. n. 65. Tertio, Si majores facti contractum ratificarunt: Less. ex *l.* 1. cap. *Si major factus*; tunc enim solum competit beneficium majorum, qui læsi sint ultra dimidium justi pretii, *l. 2. c. de rescind. vendit.*

Dictum privilegium conceditur etiam Ecclesiis, & Locis piis, quæ pariter habent quadriennium a celebrato contractu, aut quasi contractu; quia se habent instar Minorum: Doctores communiter ex cap. 1. & 2. *de restit. in integr.* imo si Ecclesia valde enormiter sit læsa, conceditur amplius, quam quadriennium: Covar. apud Les. At Ecclesiastici in suis contractibus, quos privatim faciunt, non gaudent hoc privilegio, nisi forte fuerint Minores: Covar. Less. & alii. Item conceditur Reipublicæ cujusvis oppidi, ex *l. 4.* cap. *quibus ex causis*. Item summis Principibus quoad bona Principatus, cum hæc etiam ad Rempublicam pertineant: Less. num. 67. Item Universitati studiorum juxta Ab. & alios. Et interdum etiam rudibus, ut rusticis, & mulieribus, qui ignorant jura, juxta Mol. & Marant. & aliis.

CAPUT VI.

An Error, & Dolus obstent valori Contractus?

Error vel est circa substantiam rei, de qua contrahitur, vel circa ejus qualitates, aliave accidentia extrinseca. Rursus vel dat causam contractui, quatenus, si non esset talis error, non contraheres, & sic dicitur antecedens, vel non dat causam contractui, quatenus, si non esset, adhuc contraheres, licet non tam libenter, tam cito, tanto pretio, &c. & sic dicitur incident, comitans, subsequens. Denique vel provenit ex tua opinione, & dicitur tantum error; vel ab altero contrahente, aut a tertio, & sic dicitur etiam dolus. His notatis

Dico primo: Si sit error circa substantiam rei, contractus est jure naturæ irritus: Doctores communissime. Ratio est, quia deest consensus substantialis; errans enim circa substantiam rei non consentit in istam rem, sed in aliam, quam putat subesse istis accidentibus; hinc *l. 9. cap. de jur. & fact. ignorantia* dicitur, *Errantis nullus est consensus*. Atque id verum est, sive error sit ex propria opinione, sive ex dolo alterius, sive dederit, sive non dederit causam contractui, quia semper est circa substantiam.

Hinc, si emam vas vini, putans esse vas olei, etsi æqualiter libere, & eodem pretio emissem vinum, si scivissem, adhuc talis emptio fuit nulla; quia non habui consensum circa vinum: consensus autem, quem habuissem, si scivissem, non sufficit ad emptionem absolutam, quia non fuit, sed fuisset. Nec juvat consensus interpretativus, ut putat Vasq. cui favet Dicastil. quia, nisi adsit signum externum talis dispositionis animi, quam scilicet vellem, si scirem, non sufficit ad emptionem vini humano modo faciendam: Croix num. 617.

Idem est, si error sit circa substantiam contractus: v. g. si putem tibi vendere agrum, & tu putes tibi donari; tum venditio, tum donatio est nulla; quia erratur in specie contractus, quod pertinet ad substantiam, ex *l. In vendit. 9. ff. de Contr. Empt.* At si putem, ex testamento deberi tibi agrum, & tu putes tibi deberi ex venditione, hoc ipso, quod agrum tibi trado, acquiris ejus dominium: quia virtualiter consentimus in titulo *debiti*, cum uterque agnoscamus justitiam causæ, sive fuerit hæc, sive illa, ex *l. Cum in corpus 36. ff. de acquir. rer. dom.* Denique irritus est contractus gratuitus, si error substantialis sit circa rem, vel circa causam finalem, seu motivum adæquatum: v. g. si donem tibi gemmam, putans esse vitrum; vel gemmam cognitam, ut talem, dem in eleemosynam tibi falso pauperem simulanti, utraque donatio est irrita ob errorem substantialem circa rem, vel circa motivum adæquatum: Illsun. n. 354. Excipe demonstrationem, quæ, etsi falsa, non irritat contractus gratuitos, præsertim dispositiones ultimæ voluntatis, nisi fiat dolo alterius, juxta dicta c. 3. Excipe secundo, Si dubium sit, an causa fuerit motiva, vel tantum impulsiva, quia in dubio standum pro valore actus, juxta ibidem dicta: ideoque, si Testator legavit Titio 100. ob sua negotia ab eo bene gesta; valet legatum, etiamsi causa fuerit falsa: item valet donatio Titio facta, ut emat vestem, etiamsi Titius vestem non emat: Croix n. 592. & alii.

Dico secundo: Si error sit circa qualitates rei, non irritat jure naturæ contractum; imo neque jure positivo, per quod tantum redditur ut plurimum irritabilis: Less. l. 2. c. 17. n. 30. & alii communiter contra aliquos, præsertim Juristas. Ratio est, quia talis error non impedit consensum in substantiam rei: ergo habetur consensus jure naturæ requisitus ad valorem contractus. Neque obstat primo, quod adsit involuntarium circa qualitates, quia accessorium sequitur principale. Neque obstat secundo, quod talis error dederit causam contractui, ita ut, si non fuisset, non contraxisses; nam hinc solum sequitur, quod impeditus fuisset consensus in substantiam rei; non autem, quod hic, & nunc sit impeditus. Neque demum obstat, quod talis error provenerit ex dolo alterius; nam semper stat, ut non impediat consensum: Croix num. 623. & alii communiter.

Rursus nullum est jus positivum irritans ipso facto tales contractus (una excepta conditione servi, quæ ignorata ab altero contrahente irritat matrimonium, ex *cap. 1. de Conjugio servorum*) ut optime ostendit Less. contra Juristas putantes, contractum bonæ fidei, cui dolus alterius causam dederit, esse jure civili irritum. Sed immerito, nam *l. si dolo*, cap. *de rescind. vendit.* datur decepto jus rescindendi venditionem ex dolo factam: ergo supponitur contractus bonæ fidei (qualis certe est venditio) non esse irritus. Quod autem in jure aliquando dicatur *irritus*, *nullus*, *nullam habere vim*, &c. ideo sic dicitur, quia deceptor nihil solidi juris acquirit, nisi deceptus illum ratificet. Hinc, si error circa qualitatem dedit causam contractui ex dolo alterius contrahentis, falso scilicet dicentis qualitatem, aut indebite tacentis vitium rei, potest deceptus pro suo libito illum confirmare, aut rescindere, daturque ei actio *redhibitoria*, qua scilicet omnia in pristinum statum redigantur, rescisso contractu, ex *l. 1. ff. de ædilitio edicto*. Excipe contractum matrimonii, utpote indissolubilem; & merito, quia alias esset expositus innume-

numeris incommodis, & scandalis. Deceptor autem stare debet arbitrio decepti, itaut, si is nolit contractum, teneatur illa ad restitutionem rei, & fructuum ex illa perceptorum; quia injuriam faciens non potest aliter satisfacere, quam reponendo læsum in pristinum statum, & damnum illatum compensando: Illsun. num. 336. Idque verum est, inquit Lugo d. 22. num. 142. etiamsi dolus fuisset parvus, modo dederit causam contractui. Non tamen videtur sub mortali obligandus ad monendum deceptum de dolo, nisi ratione damni sequuti; quod si aliter compenset, videtur satisfacere pro injuria: Croix n. 624. ex Lug.

At si error circa qualitatem dans causam contractui proveniat tantum a tertio, aut sine ullius fraude, tunc decepto datur actio contra tertium *ad id, quod interest*, ex *l. & eleganter, ff. de dolo*; & si res adhuc est integra, probabilius non tenetur stare contractui (excepto matrimonio) nisi forte per sententiam Judicis cogatur; deberet tamen compensare alteri damnum, si quod inde sequeretur: Less. n. 33. Si vero res non sit integra, itaut contractus ex altera saltem parte sit completus, tunc decepto datur solum *actio quanti minoris*, hoc est ut tanto minus solvat, quanto minoris, detecto vitio, rem esset empturus, ex *l. 13. ff. de action.* Idemque est, si error, seu dolus undecumque proveniens incidat in contractum, seu non det causam contractui; quod verum esse, etiamsi quis sit deceptus in pretiu ultra dimidium, probat Less. num. 28. ex c. *Cum dilecti, de empt. & vendit.*

Quæres hic, Unde discerni possit, utrum aliquod sit qualitas, an substantia contractus?

Respondeo, Illud censeri de substantia contractus, ad quod præcise se restringit voluntas contrahentis; illud vero esse qualitatem, ad quod voluntas contrahentis non se restringit, sed absolute censetur procedere, eo non obstante. In dubio autem de tali voluntate, præsumendum est ex communi usu aliorum hominum, vel ex dispositione juris circa tales, vel tales contractus: Illsun. num. 254. Croix num. 621. & alii communiter. Hinc in contractu matrimonii & in emptione servi persona est substantia contractus, quia intentio contrahentis præcise se restringit ad personam; ideoque, si erratur in persona, talis contractus est nullus, *l. alioquin 11. ff. de contrah. empt.* Idem ait Onn. d. 3. n. 118. si conduxisti Advocatum pro tua lite, quem putasti peritum, & est imperitus, quia licet non errasti in persona physice, errasti tamen in ea moraliter; contraxeras enim præcise propter operam, ad quam est inhabilis, ideoque habilitas transit in substantiam, in qua erratur. Idem est plerumque in contractibus gratuitis; si enim donasti Petro putans esse Paulum, donatio est nulla; nisi donasses, quia pauper est, & uterque esset pauper; tunc enim persona esset accidens: sicut etiam in aliis contractibus onerosis persona communiter est accidens, ideoque, si vendam bovem Petro putans vendere Paulo, valet venditio: Croix n. 621.

Denique potest qualitas aliquando transire in substantiam, si intentio contrahentis præcise se restringat ad eam qualitatem: v. g. si absens emas pannum, præcise quia vis te vestire Sacerdotem; si pannus sit ruber, error est in substantia: similiter matrimonium cum Berta, præcise quia nobilis est, si ea non sit talis, matrimonium est nullum, quia error qualitatis transit in substantiam. Contra vero si non præcise intentionem restringas ad qualitatem, in qua erras, sed extendis etiam ad alias qualitates, in quibus non erras, valet contractus; ut si placuerit etiam Berta, quia pulcra, vel quia morigerata, &c. valet matrimonium, etiamsi erres in nobilitate etiam principaliter, sed non præcise intenta.

C A P U T VII.

An Vis, & Metus obstent valori Contractus?

VIs ex Ulpian. est *Majoris rei impetus, qui repelli non potest*: quamvis autem voluntas non possit pati vim in actibus suis, tamen dicitur eam pati, quando adducitur ad consensum per aliquod, quod ipsa valde odit, & metuit. Itaque per vim hic intelligitur metus, qui est actus voluntatis fugiens malum imminens; ideoque etiam hic metus vel est ab intrinseco, idest ab intrinseca complexione hominis, aut a causa naturali, puta ex morbo, tempestate, belluis, &c. vel est ab extrinseco, idest a causa libera; & tunc potest esse vel juste incussus, vel injuste. Denique omnis metus vel est gravis, qui scilicet vehementer conturbat, itaut non possit facile superari; vel est levis, qui scilicet non ita conturbat, sed potest facile excuti.

Metus gravis alius dicitur absolute talis, alius tantum respective: Primus est, qui cadit in constantem virum, quatenus est alicujus damni, quod viro constanti merito esset formidabile; ut metus mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, longi carceris, diuturni exilii, servitutis, stupri, amissionis honoris, aut notabilis partis bonorum, infamiæ, excommunicationis injustæ: Less. num. 55. *ex plur. jurib.* notat tamen Lug. d. 22. num. 144. metum gravem non esse præcise de perdendo aliquo lucro, sed de incurrendo gravi damno, vel sibi, vel suis usque ad quartum gradum, ut extendunt multi, eo quod eorum mala nostra reputantur. Secundus est alicujus mali, quod licet viro constanti non sit per se formidabile, tamen judicio prudentium merito est formidabile huic personæ, attento ejus statu, conditione, &c. v. g. mulieri, puero, seni, &c. ideoque in ordine ad contractum se habet, quasi metus absolute gravis: rursus metui gravi æquivalet metus reverentialis, non quicumque, sed quo timetur gravis offensa Parentum, Superiorum, Principum, & censetur gravis offensa, si putetur fore diuturna cum asperitate vultus, verborum, aut cum alia dura tractatione. Preces autem importunæ, etsi vehementes, & repetitæ non possunt inducere metum gravem, nisi adjunctas habeant minas ejus, qui solet exequi, seu metum alterius mali gravis sequuturi: Less. & alii. His notatis

Dico primo: Metus levis sive juste, sive injuste incussus non impedit valorem contractus; item nec metus gravis proveniens ab intrinseco; nec metus gravis juste incussus: Doctores communiter.

Ratio primæ partis est, Quia metus levis, cum facile possit excuti, non reddit consensum involuntarium: ergo contractus ex eo initus valet jure naturæ, & jure etiam positivo, quod merito pro nihilo talem metum reputat, ne perpetuis litibus detur occasio; ex *l. metum 2. ff. quod metus causa*. Addunt tamen Pal. Less. Sanch. & alii contra Med. & Ponc. eum qui talem metum passus est, posse jure naturæ (excepto matrimonio) rescindere contractum; &, si altera pars renuat, posse uti compensatione occulta: sed oppositum est probabilius; quia id non proportionatur levitati culpæ inferentis metum levem, & aliunde talem metum passus sibi imputet subsequens damnum, cum alter non fuerit sufficiens causa ad contrahendum, Illsun. n. 353.

Ratio secundæ partis est; Quia tunc contrahens non impellitur ab alio, sed ipse se in eum contractum libere inducit, ex *l. si mulier 21. ff. eod.* Hinc valet votum emissum in tempestate; item si ex metu mortis promittas medico 100. &c. Excipe, si talis metus omnino turbaret rationem, quia tunc contractus non valeret ex defectu advertentiæ, & deliberationis plenæ: Croix n. 633.

Ratio tertiæ partis est; Quia in metu juste incusso ipsemet metum passus dedit causam: ergo talis metus est ei voluntarius, & veluti ab intrinseco: Lug. n. 43. Si autem Titius potens juste accusare Cajum nolit interne, minetur tamen accusationem, nisi dentur sibi 100. aurei, Mol. Bon. Lug. & alii dicunt, Titium non posse eos retinere, quia dolos dedit causam contractui: sed Sanch. Pal. Dian. Less. num. 42. & alii probabilius dicunt, posse; quia habuit jus ad accusandum quo se privat, & hoc est pretio æstimabile; dolus autem non est injustus, cum possit juste minari, sive habeat, sive non habeat animum accusandi: idemque ait Lugo n. 170. si quis juste, quamvis dolo, terreat peccatorem, qui ideo ingrediatur Religionem, Professionem fore validam, & sic dicebat Apostolus 2. Cor. 12. *cum essem astutus, dolo vos decepi*.

Dico secundo: Metus gravis ab extrinseco, etiamsi ab altero contrahente injuste incussus, & in ordine ad extorquendum contractum, spectato jure naturali non irritat contractum: Ita Henr. Bon. Regin. Less. Sanch. Lug. & alii prope innumeri, præsertim Canonistæ, contra Mol. Reb. Val. Onn. Tamb. & alios; item contra Torrecr. Sot. Azor. Ponc. & Dicast. putantes, saltem contractus gratuitos esse jure naturæ irritos. Ratio nostra est; Quia vel talis metus irritat, eo quod impedit consensum internum; vel eo quod non sinit, eum esse liberum; vel eo quod eum extorquet per injuriam. Non primum; Quia cum eo stare potest consensus internus, & de facto ita est præsumendum, nisi aliter metum passus se explicet; cum nemo præsumatur mendax: quod si externe contrahens interne dissentiat,

sentiat, non sumus in casu; non enim metus tunc irritat contractum, sed omissio consensus, quæ etiam sine metu esse potest in ficte contrahente. Non secundum; quia metus utcumque gravis non tollit libertatem, nec voluntarium simpliciter, ut patet in metu gravi ab intrinseco, vel juste incusso; & ratio a priori est, quia nemo potest cogi simpliciter ad actum voluntatis internum; ideoque ex D. Th. quodcumque ex metu eliciatur, dicitur voluntarium simpliciter, & involuntarium tantum secundum quid. Non demum tertium; quia quamvis talis injuria reddat contractum illicitum, non tamen irritum, ut patet in contractibus, qui causantur ex metu levi, aut ex dolo alterius, qui jure naturæ valent, & similiter in matrimonio facto post sponsalia inita cum alio: ergo ex nullo capite contractus initi ex metu gravi injuste incusso sunt jure naturæ irriti.

Objicies primo ex c. *Cum locum*, *de sponsal.* Ibi locum non habet consensus, ubi metus, & coactio intercedit; & ex *reg. jur.* nihil consensui tam contrarium, quam vis, & metus: ergo tales contractus sunt irriti ex defectu consensus.

Respondeo, Nego consequentiam. Primus textus intelligitur tantum de consensu matrimonii, qui debet esse omnino liber utpote irrevocabilis, ideoque jure positivo reputatur nullus ejus consensus ex metu gravi injuste incusso. Secundus non plus asserit, quam talem consensum posse revocari, ubi contractus est irritabilis, juxta mox dicenda.

Objicies secundo: Jus non potest nasci ex injuria; sed si contractus ex metu injuste incusso essent validi, jus nasceretur ex injuria: ergo &c. Confirmatur. Jus naturæ non potest favere injuriæ: ergo contractus injuriosus non potest jure naturæ esse validus: ita Onn.

Respondeo, Distinguo majorem: non potest nasci immediate, conc., mediate, nego. Jus immediate oritur ex consensu contrahentis, quem causavit injuria: sic, si filius occidat patrem, acquirit jus ad hæreditatem immediate per successionem ab intestato, mediate per injuriam. Ad confirmationem distinguo antec. non potest favere injuriæ approbando illam, conc. non irritando ejus effectum mediatum, nego antec. & conseq. quamvis enim jus naturæ prohibeat talem injuriam, non tamen irritat contractum ex ea initum, utpote ejus effectum mediatum.

Objicies tertio: Si valet v.g. promissio auri facta latroni volenti occidere, tenetur metum passus illud dare: ergo latro habet jus ad petendum aurum promissum, etiamsi petitio sit injuriosa; adeoque habet jus ad injuriam, & insuper ad actionem illicitam, scilicet acceptionem auri, quod absonum est naturæ.

Respondeo, Distinguo antecedens; tenetur illud dare absolute, nego; sub conditione sibi libera, conc. promittens in casu potest, quandocumque vult, illum contractum rescindere, adeoque non tenetur absolute dare aurum promissum, sed sub conditione, quod nolit rescindere contractum. Hinc distinguo consequens, latro habet jus absolutum, nego; conditionatum, si scilicet læsus nolit rescindere, nec opponat exceptionem injuriæ, conc. sic enim volenti, & consentienti non fit injuria. Cæterum, si latroni datum sit aurum ex tali metu, tenetur hic statim restituere; nam, licet accipiendo acquirat ejus dominium vi promissionis, tamen ratione injuriæ illatæ tenetur statim deponere; hinc *l. Metum*, *ff. Quod metus causa*, metum passo conceditur actio non solum in personam, sed etiam in rem, ubicumque existat; non quod maneat dominus rei, quandiu est apud alterum, sed quia rescindendo contractum potest facere suam, & conceditur ipsi restitutio in integrum cum fructibus &c. & præfertur aliis creditoribus, restituto tamen pretio, si contractus fuerit onerosus: Lug. n. 119. Illsun. n. 230. Idque verum est, etiamsi talis metus incussus sit a tertio, vel is rem a principio bona fide acceperit: Sylv. Garz. Sanch. Lug. num. 188. Onn. & alii; fructus tamen percepti reddi debent semper ab incutiente metum, & mala fide contrahente, aut possidente. Si vero prudenter censeatur, quod læsus nolit rem sibi restitui, potest retineri. Fit enim, inquit Less. n. 46. ut multi, quamvis inviti contraxerint, si tamen semel consenserint, vel non cupiant restitui, vel facillime condonent, & in dubio, videndum, an possint, & soleant condonare. Rursus in dubio, an metus fuerit gravis necne, an juste, vel injuste incussus, standum pro validitate actus, quia in dubio melior est conditio possidentis, & contractus initi. Si metus gravis injuste incutiatur, non ad extorquendum contractum, sed ob aliud, ex illo tamen fiat contractus (ut si Titio in flagitio deprehenso injuste mineris mortem, & ille, ut periculum evadat, aliquod tibi promittat, vel donet) valet etiam contractus, & probabilius potest pariter rescindi; ut colligitur ex *l. 7. ff. quod metus causa*; quia metum injuste incutiens tenetur ratione injuriæ ad tollenda omnia incommoda inde provenientia, inter quæ est tali contractu alterum obligari: Angel. Sot. & alii contra Sanch. Bon. Les. & alios dicentes, talem metum esse potius ab intrinseco, eo quod ipsomet Titius præeligat contractum, ut evadat mortem, neque adeo esse causam contractus, sed meram occasionem: porro id tunc solum approbat Lug. cum metus principalis juste incutitur, & additur alius metus injuste.

Infers ex dictis, Contractum initum ex metu gravi injuste incusso non posse rescindi, nisi ad arbitrium metum passi, etiamsi incussus sit a tertio, & non ab altero contrahente, ut statuitur *l. Item* 14. *ff. Quod metus causa*. Neque valet paritas de dolo proveniente a tertio, quia *Legum non est petenda ratio*, ut habetur *l. 20. ff. de Leg.* & ratio congruentiæ est, quia dolus per diligentiam, & circumspectionem facilius caveri poterat; ideoque lex non concedit rescindibilitatem ob dolum tertii: Croix n. 640. Cæterum rescissio nequit fieri propria auctoritate, sed Judicis: Lug. n. 118. ex *innum. leg.* ne scilicet lites, & jurgia multiplicentur, et si certo constet metus gravis, & injustus, nec possit per Judicem obtineri rescissio, licebit jure naturæ occulta compensatio: idemque est, si ex metu gravi falso a te apprehenso contraxisti: Less. c. 17. n. 45.

Quæres, An aliquis contractus initus ex metu gravi injuste incusso sit ipso facto irritus jure positivo?

Respondeo affirmative, Uti est matrimonium, Professio Religiosa, promissio, vel traditio ex rebus Ecclesiæ, promissio, vel solutio dotis, & absolutio a censuris: Doctores communiter ex *plur. Jur.* id expresse statuentibus. Idem dicunt alii contra alios de Sponsalibus, Renunciatione Beneficii Ecclesiastici, Jurisdictione extorta, & aliis, de quibus videri possunt Sanch. l. 4. Matr. d. 8. Les. n. 37. Lug. n. 240. Idem dicunt complures de votis simplicibus, ex cap. *Sicut* 20. q. 5. & cap. *Præsens* 10. q. 3. quamvis Suar. Ponc. Pal. dicant, tantum esse irritanda.

CAPUT VIII.

An Contractus invalidi juramento firmentur?

NON loquimur de juramento assertorio, quo scilicet jures, te hic & nunc contrahere; sic enim aliam obligationem non inducit, quam non ficte contrahendi; ideoque, si contractus aliunde sit invalidus, aut revocabilis, idem manet, ac si tale juramentum additum non esset; si vero ficte jures, peccas quidem, & obligaris ad servandum talem fictum contractum ratione scandali, aut damni, quod inde alteri sequeretur: at si neutrum sequeretur, Sanch. Castr. Busemb. & alii probabiliter negant obligari, quia obligatio juramenti unice pendet a voluntate, quam non habes, sed valde probabiliter etiam affirmant D. Th. Val. Cajet. Sot. Covar. Suar. & alii, ex D. Isidoro, quia obligatio juramenti jure naturali videtur adnexa juramento externo.

Loquimur autem de juramento promissorio, quo scilicet jures, te servaturum, seu non revocaturum contractum cæteroqui invalidum. Hoc juramentum, si sit de re licita, certe inducit in jurante propriam obligationem, quia sic postulat reverentia debita Deo, qui vocatur in testem, ac veluti fidejussorem servandi contractum cæteroqui invalidum: Doctores communiter ex cap. *Quamvis de Pactis in 6.* Neque obstat illud dictum, quod *Accessorium sequitur principale*; nam, ut bene Suar. *de Juram.* L. 2. c. 9. n. 6. objectum talis juramenti non est contractus, sed ejus expletio in ordine ad quam non est accessorium, sed principale. Hinc si quis juraverit usurario, se soluturum usuras, tenetur ex Religione eas solvere, cap. *Debitores*, *de Juram.* tenetur tamen usurarius remittere obligationem juramenti in gratiam ejus facti; &, si nolit, potest alter petere relaxationem ab Episcopo, & sic non solvere usuras: quod si jam solverit, potest statim repetere, quia usurarius non eas recepit ex justitia, sed ex Religione, cui jam est satisfactum; ideoque ipse usurarius, etiam non petitus, cum nullum acquisierit dominium, debet statim restituere, etiamsi alter non repetat, vel juraverit etiam non repetere. Quod si juraverit non petere ab Episcopo relaxationem juramenti, hoc etiam relaxari potest ab Episcopo, ipso etiam non petente, cap.

Per-

Pervenit, de Jurejur., imo, si esset justa causa, posset & ipse petere relaxationem: uti esset, si juramentum extortum sit metu gravi, aut dolo, quod cap. 8. *Si vero, de Jurim.* Alex. III. interrogatus de juramento per gravissimum metum extorto dicit esse servandum: neque obstat exceptio, quæ ponitur, cap. *Quamvis de Pactis in 6. nec vi, nec dolo præstitum*; nam indicat tantum, quod tunc non sit coustans obligatio, cum facillime peti possit relaxatio: Lug. n. 189. & alii communiter contra Sylv. & octo alios cum Diana putantes, juramentum vi, aut dolo extortum nullatenus obligare.

At si juramentum addatur contractui, qui servari non possit absque peccato ipsius jurantis, nullo pacto obligat; quia juramentum non est vinculum iniquitatis, ex *Reg. 18. Juri in 6.* Hinc, quamvis teneant juramenta in contractibus, qui sint contra aliquas leges civiles non obligantes in conscientia, puta in testamentis factis sine solemnitatibus juris, in fidejussione Uxoris pro Marito, &c. tamen non tenent, si sint adjecta contractui, qui sit contra legem naturalem, aut positivam obligantem in conscientia, vel qui sit in præjudicium tertii: sic non obligat juramentum Clerici paciscentis super renunciatione fori Ecclesiastici, aut Privilegii Canonis; quia cedit in injuriam Ordinis Clericalis; uti nec super renunciatione nobilitatis, quia est in injuriam familiæ, & prolium; nec super donationibus inofficiosis, & prodigis, quæ absque peccato executioni dari non possint; nec super contractu posteriori contra fidem prioris; & a fortiori nec juramentum factum contra prius juramentum; si materia secundi juramenti facta sit per primum illicita: Onn. d. 1e. n. 62. Imo sunt etiam duo casus, in quibus juramentum de re alioqui licita non obligat: primus est, quando jus Ecclesiasticum irritat non solum contractum, sed etiam juramentum appositum; ut Trid. sess. 25. c. 16. *de Regular.* irritat omnem renunciationem, & dispositionem Novitii etiam juratam, nisi facta sit cum licentia Episcopi intra duos menses proximos ante professionem: secundus est promissio jurata facta in favorem tertii, quam nemo acceptavit, aut saltem non valide acceptavit; quia promissio fit cum tacita conditione, si acceptetur, & consequenter juramentum adjectum talem conditionem etiam imbibit, & in hoc sensu dicitur communiter, *Accessorium sequi naturam principalis*, & *juramentum sequi naturam actus, cui additur.*

Dubium hic potissimum est, An juramentum firmet etiam contractum invalidum, itaut non solum ei addat vim propriam obligandi tantum ex Religione, sed etiam vim obligandi ex justitia; adeoque contractus per se invalidus per juramentum evadat validus? Verum, cum tali dubio fuse responsum sit tract. 2. d. 1. q. 3. cap. 3. § 3. nihil addendum superest in præsenti.

DISPUTATIO II.

De Contractibus Gratuitis.

Contractus gratuiti, seu lucrativi sunt, Promissio, Donatio, Testamentum, Legatum, Depositum, Commodatum, Precarium, & Mutuum, ex quo, si mutuans acquirat lucrum, committit usuram. De his omnibus est hic agendum; quare sit

QUÆSTIO I.

De Promissione, & Donatione.

Loquimur hic de Promissione, & Donatione, quæ fiunt ex mera liberalitate, aut etiam ex gratitudine; sic enim sunt contractus gratuiti specie diversi ab aliis.

CAPUT I.

Quid de Promissione?

Promissio liberalis est *Spontanea, ac deliberata obligatio fidei gratis facta alteri de re quapiam bona, & possibili*: Less. l. 2. c. 18. d. 2. & alii. Ut hæc definitio magis innotescat, explicanda est obligatio fidei in promittente, & acceptatio ejus, cui promittitur, qui dicitur promissarius.

§ I.

De obligatione fidei in Promittente.

Qui promittit rem alteri, non solum habere debet voluntatem dandi, sed etiam se obligandi ad dandum; & hoc est obligare fidem, vulgo *dar la parola*. Hinc promissio differt a proposito; hoc enim solum continet intentionem faciendi, dandi, &c. illa vero addit etiam voluntatem se ad id obligandi. Itaque propositum, sive internum, sive etiam manifestatum alteri, non obligat neque ex justitia, neque ex fidelitate, sed tantum ex veracitate ad conformandum verba menti: quod si postea intentio mutetur cum causa, nihil peccatur, quia prudentis est ex causa mutare mentem; si vero mutetur sine causa, peccatur tantum venialiter, ob inconstantiam, & levitatem cordis: Suar. Pal. Lug. & alii communiter. At promissio facit obligationem, non solum ex veracitate, ad conformanda scilicet verba menti, sed etiam ex fidelitate, ad præstandum scilicet id, quod promittitur; dummodo tamen promissio sit manifestata alteri; quia mens promittentis est, non imponere sibi obligationem, nisi sub conditione, quod hæc alteri innotescat.

Hinc, si quis actu tantum interno, vel etiam externo occulto rem homini promittat, non obligatur dare; immo nec tenetur eandem promissionem ei manifestare, etiamsi interne etiam, vel occulte promiserit, se manifestaturum: Onn. d. 29. n. 24. Imo, si præter intentionem animum illum casu manifestaret alteri, neque obligaretur, quia talis manifestatio non esset actio humana: Lug. d. 23. n. 2. Quod si talis promissio interna, vel occulta juramento etiam interno, vel occulto firmetur; tunc si juramentum factum sit homini (v. g. si tecum diceres, *Juro Petro, me ei daturum* 100.) neque obligaris ex Religione, quia tale juramentum imbibit etiam conditionem, si manifestavero, & ipse acceptaverit: Sanch. l. 1. *Matr.* d. 7. n. 24. si vero juramentum factum sit Deo (v. g. si tecum diceres, *Juro Deo, me daturum Petro* 100.) obligaris ex Religione, quamvis Petrus nihil sciverit; quia habet se per modum voti, & votum, statim ac interne concipitur, obligat, modo sit de meliori bono; quia est promissio facta Deo, qui intuetur cor: Croix num. 654.

Quæres primo, An promissio liberalis obliget ex justitia?

Respondeo, Quod si promittens expresse velit se obligare ex justitia, & promissarius acceptet, tunc promissio etiamsi liberalis obligat ex justitia, quia sicuti potest quivis per donationem transferre dominium rei suæ in alterum, ita per promissionem transferre jus ad rem donandam: Mol. Less. Lug. & alii; & sic obligatio est sub mortali, si res promissa sit materiæ gravis. Putant tamen Less. Sanch. Onn. & alii contra Dicastil. materiam in casu non censeri gravem, nisi sit quadruplo major, quam quæ requiritur ad materiam gravem furti; quia videtur quivis esse magis invitus, si non restituatur sibi v. g. unus aureus aliunde proprius, quam si non dentur quatuor liberaliter promissi; sed Pal. d. 2. p. 8. n. 6. melius ait, id relinquendum judicio prudentis, considerata causa promittendi, & qualitate personarum. Si vero res promissa sit spiritualis, ut sit materia gravis, debet in ordine spiritualium esse notabilis, attenta communi æstimatione hominum: hinc una Missa ex promissione audienda non censetur materia gravis; & probabiliter neque una Missa ex liberali promissione dicenda; quia non videtur communiter apud homines rationabiliter dissolvi amicitia, vel graviter lædi charitas, si talis promissio non servetur; adeoque non censetur res simpliciter notabilis: Sanch. Fagun. Mald. Lug. & alii contra Nav. Suar. Bon. & alios.

At, si promittens voluerit se obligare tantum ex fidelitate, non autem ex justitia, Sanch. Less. & alii probabiliter dicunt, obligari etiam sub mortali, si materia sit gravis; quia licet tunc non sit stricte justitia, tamen est plusquam obligatio veracitatis, & homines apprehendunt aliquod valde affine justitiæ, cujus violatio sit valde inhonesta, reddatque hominem odiosum, & valde contemptibilem; adeoque videtur esse materia peccati mortalis: sicut votum factum in materia gravi obligat graviter, quamvis non ex justitia stricta. Sed probabiliter etiam Molin. Navar. Regin. Rebel. Lug. & alii dicunt, non obligari sub mortali, quamvis materia sit gravis; quia tantum peccat contra hoc, quod

facta

facta non conformat verbis, in quo non videtur esse gravis inhonestas, & fidelitatem secundum se non obligare sub mortali, docet cum communi Gormaz *de Just.* n. 648. quamvis obliget in conscientia saltem sub veniali, uti cum D. Th. docent omnes: non sic autem in voto, quod cum obliget ex Religione, obligat sub gravi, si materia voti sit gravis. Potest tamen talis promissor per accidens obligari sub mortali ad reficiendum damnum, quod promissarius illi confisus passus est: Less. l. 2. c. 18. n. 59. Cæterum, cum pendeat a voluntate promittentis, an, & quomodo velit se obligare, & communiter non præsumatur, velle se obligare ex justitia, nisi addat juramentum, aut faciat instrumentum, aut det aliquod in pignus, vel assicurationem; ideo in dubio censebitur, se obligasse ex fidelitate tantum, aliave virtute præter justitiam, quia in dubiis minimum est sequendum, cum possessio sit pro libertate: Lug. d. 23. num. 93. aliique communiter. Addit Onn. a num. 500. multas conjecturas, unde colligi possit animus obligandi se ex justitia, si scilicet promisit in circumstantiis, in quibus alii solent donare; si, quando promisit, erat dispositus donare, si habuisset ad manum, &c. Sive autem obligatio in promissione liberali sit ex justitia, sive ex fidelitate, aliave virtute, in jure civili non parit actionem, nisi fuerit vestita per scripturam, stipulationem, juramentum, aut alio simili modo juxta dicta d. 1. c. 2. imo nisi etiam in ea exprimatur causa, ob quam fiat; alioquin præsumitur facta ex dolo, & errore, vel non seria: Trull., & alii. At in Jure Canonico parit semper actionem, ex cap. 1. *de Pactis*, quia Jus Canonicum respicit obligationem conscientiæ.

Quæres secundo, Quænam promissio non obliget?

Respondeo, Non obligare Primo, Si non sit plene deliberata, ea scilicet deliberatione, quæ sufficeret ad peccandum mortaliter, juxta dicta d. 5. c. 1. Secundo, Si sit metu, aut fraude extorta, eam non tenetur promissor implere: D. Thom. q. 89. a. 7., etiamsi metus fuerit levis, juxta Sylvestr. Less., & alios, quia ratione injuriæ sibi factæ potest promissor non solvere promissum, etsi acceptatum ab altero, modo non sit juramento firmatum, juxta dicta d. 1. cap. 6. 7. & 8. Tertio, Si res promissa non sit bona, seu quæ sine peccato præstari non possit, juxta dicta d. 1. c. 4. hinc si promisisti equum Titio, & deinde eum juramento eundem promittas Cajo, hæc secunda promissio, & juramentum non obligant, quia materia ejus est facta illicita saltem sub veniali: Lug. d. 23. num. 106. imo etiamsi deinde Titius cedat jure suo, non ideo convalescit secunda promissio, quia, quod initio invalidum est, tempore non convalescit: Lug. Sanch. & alii contra Cov. Similiter nulla est promissio, quæ dat occasionem peccandi, ut si Uxor promittat Matrimonium adultero, cap. *Si quis, de eo, qui duxit:* si quis promittat Beneficium Ecclesiasticum nondum vacans, cap. *Ex tenore de Concess. Præben.* quia in his datur occasio machinandi, vel optandi mortem: Vel si quis promittat alteri remittere obligationem de dolo, de furto, de injuria, ex *l.* 27. *ff. de Pactis;* quia datur occasio perseverandi in malo: item si quis promittat non cedere, aut non revocare testamentum, non instituere alium hæredem, *l.* 6. cap. *de Pactis*, quia aufertur potestas disponendi de rebus suis: Mol. Less. & alii; contra vero si solutio rei promissæ non sit peccaminosa, valet promissio facta illicite, juxta dicta d. 5. cap. 4. sic, quamvis promissio prodiga sit illicita ob vitium prodigalitatis, executio tamen erit solutio justitiæ, vel fidelitatis: Croix num. 795. Quarto demum, Si res promissa sit impossibilis, juxta dicta d. 5. cap. 4. idemque est, si post promissionem etiam juratam ante traditionem status, & circumstantiæ notabiliter mutentur: v. g. si post promissionem pecuniæ ante traditionem incidas in magnam paupertatem, vel si promisisti amico, & deinde graves inimicitiæ superveniant; vel si promisisti comitari aliquem, & deinde sine gravi tuo damno non possis: & ratio horum est, quia promissio censetur fieri sub hac tacita conditione, nisi status, & circumstantiæ ita notabiliter mutentur, ut prudentis viri judicio exceptæ fuissent, si promittenti occurrissent: Mol. Less. Fil. Pal. Onn., & alii.

§. II.

De Acceptatione Promissarii.

PROMISSIO etiam externe manifestata, ante acceptationem promissarii, dicitur pollicitatio, & quamvis obliget saltem sub veniali ex honestate constantiæ, ne scilicet videaris levis corde, juxta dicta §. 1. tamen non obligat ex justitia, aut fidelitate; quia utraque hæc virtus est ad alterum, & mens promittentis est non imponere sibi obligationem respectu alterius, nisi hic alter acceptet: Vasq. Turr. Leg. d. 23. s. 3. Onn. d. 29. s. 4. Idque verum est, etiamsi talem promissionem juramento homini facto firmaveris, quia tale juramentum etiam imbibit conditionem, si alter acceptaverit: Sanch. l. 1. Matr. d. 27. num. 24. Lug. Less. Onn. & alii. Hinc, si promissio non insinuetur ei, cui facta est, aut si prius revocetur, aut non acceptetur, aut si acceptata legitime recusetur, cessat obligatio talis juramenti, neque qui sic juravit, magis tenetur implere promissionem, quam si non jurasset; neque ideo juramentum fuit frustraneum; nam erat ad inducendam obligationem absolutam, si contingeret, promissionem legitime acceptari: Croix *de Juram.* num. 331.

Excipiunt tamen Molin. Onn. & alii: Primo, Promissionem factam Reipublicæ, vel Communitati ad reparandum aliquod damnum, vel ob gratitudinem, ex *l.* 7. *de Pollicitat.* Secundo, Factam infanti, ex l. 5. cap. *de Emancipationib.* Tertio, Factam ob piam causam, ex l. *Illud* cap. *de Sacr. Ecclesiastic.* Bartol. Fel. Ab. Less. Sanch., & alii. Verum Onn. ait, quod tunc lex acceptet pro Communitate, Resp. pro infante, Deus pro causa pia. Less. ait, prohiberi tantum revocationem promissionis, itaut semper acceptari possit, at non esse obligationem implendi, aut etiam manifestandi, antequam petatur: Lug. tamen d. 23. s. 3. a n. 24. docet, omnes ejusmodi promissiones non solum non obligare ante acceptationem, sed etiam posse revocari, quia leges adductæ loquuntur de promissionib. acceptatis, sed sine stipulatione, & per modum pacti nudi factis: hinc etiam Pal. t. 32. d. 2. p. 2. n. 5. ait, in promissione ad piam causam requiri alicujus hominis acceptationem, cum facta sit homini, ut supponimus, non Deo.

Neque dictis obstat cap. *Si tibi, de Præb. in 6.* ubi dicitur, Collationem Beneficii non posse revocari ab Episcopo, quamvis ille, cui collatum sit, nondum acceptaverit; nam Dominus Beneficii non est Episcopus, sed Papa, qui principaliter confert per Episcopum: Papa autem noluit mutare suam voluntatem, nisi ille, cui collatum sit, renunciet. At promittens in casu nostro est, & manet Dominus rei suæ, & ideo, si velit, potest promissionem nondum acceptatam revocare: Croix n. 767. Neque obstat secundo, quod possim Petro inscio condonare debitum, uti Deus mihi inscio potest condonare peccatum; nam, ut remittatur irrevocabiliter, requiritur acceptatio Petri, quia sic Petrus acquirit jus contra me ad hoc, ut sit liber a debito; ante vero ejus acceptationem remissio est revocabilis, quia sub ea conditione remitto, nisi aliter voluero, antequam Petrus acceptet: Lug. n. 54. ideoque num. 40. ait, acceptationem promissarii esse causam partialem obligationis promittentis, cum sit pars juris, quo unus ligat, alter ligatur.

Quæres primo, Quid reipsa sit acceptatio promissionis?

Respondeo, Esse actum, quo promissarius admittit obligationem promittentis. Ait tamen Lug. d. 23. num. 64. hunc actum sufficere, etsi sit mere internus; quia potest absens, dum solus est, acceptare promissionem, uti etiam rem donatam ad se missam; frustra ergo videtur requiri, ut externe significet, se acceptare: sed Haunol. t. 9. num. 25. Platel. Dicastil., Croix num. 780. & alii dicunt, requiri actum etiam externum, quia aliter non censentur illæ duæ voluntates humano modo in talem contractum convenire, juxta dicta d. 1. cap. 1.; ideoque addunt, requiri, ut promissarius absens acceptet promissionem coram Nuntio, vel per epistolam directam ad promittentem, licet non sit opus, hanc iterum manifestari promittenti. Cæterum sufficit acceptatio etiam tacita, quia, quando agitur de commodo, *Qui tacet, consentire videtur, ex Reg. Jur.* 43. *in 6.* Molin. Sanch. & alii contra Tiraquel. Rodr. Turr., & alios: limitat Lug. num. 82. nisi res promissa non esset adeo grata promissario, itaut ex circumstantiis posset colligi, quod eam non cura-

curaret, quia sic *Qui tacet*, *non fatetur*, *ex Reg.* 44. *in 6.*

Quæres secundo, Quando ponenda sit acceptatio?

Respondeo, Ponendam esse post notitiam promissionis factæ, quia, quamdiu tibi non manifestatur promissio, est respectu tui veluti non facta; quare non sufficit voluntas, qua nunc velles acquirere quidquid unquam tibi offeratur: Lug. d. 23. num. 67. Hinc, si promissio fiat præsenti, acceptari debet in continenti, vel quasi in continenti moraliter loquendo, ex *l.* 137. *ff. de V. O.* quia promissor non censetur velle diu suspendere suum consensum, nisi aliud constet ex circumstantiis: Platel. Croix n. 783. Si vero promissio fiat absenti, promissor ordinarie non vult se ei obligare, nisi id ei per epistolam, vel nuntium manifestet; ideoque, si promissarius aliunde id sciens acceptet, invalide acceptat: Dicast. n. 159. & alii communiter; &, si putares promissarium abesse, & diceres, te ei promittere, quamvis præsens audiret, & acceptaret, non obligareris: Lug. d. 23. n. 7. Dixi *ordinarie*: nam si promissor publice manifestaret promissionem eo animo, ut notitia hoc modo ad promissarium perveniret, tunc satis esset per quemcumque deferri: Croix n. 785. At si promissio facta per nuntium absenti, interim revocetur, & nuntius revocationis ignarus promissionem deferat, & acceptetur; tunc, si talis nuntius sit mandatarius, seu commissarius, qui simul esset veluti procurator, acceptatio valet, & promittens obligatur (excepto Matrimonio) quia mandans tenetur ratum haberi id, quod mandatarius bona fide facit ex commissione illius, *l.* 15. *ff. Mandati*. Secus vero, si noluisses, talem nuntium esse commissarium tuum, sed tantum, ut manifestaret promissionem, quia tunc nuntius deferret voluntatem tuam, quæ amplius non existit: Sanch. Less. Croix n. 786.

Si promissor moriatur, & Nuntius mortis ignarus deferat promissionem, & acceptetur; tunc, si nuntius missus sit, ut indicet promissionem factam, hæredes promittentis obligantur, quia promissio jam facta per mortem non est revocata: ergo censetur adhuc moraliter durare in Nuntio, vel literis, & est gratia facta, quæ non expirat morte concedentis: Suar. Sanch. Less. & alii contra Cov. Lop. Laym. & alios. Secus vero, si Nuntius sit missus, non ut indicet promissionem factam, sed ut nomine principalis promittat; quia mandatum gratiæ faciendæ expirat morte mandantis ex l. 15. *ff. Mandanti*; nisi vero factum esset ad causam piam, in qua prudenter præsumitur, quod mandans voluerit, suam voluntatem manere etiam post mortem, cum maxime sit profutura animæ: Lug. n. 75. & alii; vel nisi nuntius esset verus Procurator, quia acta per procuratorem, antequam constet de revocatione potestatis, valida sunt, excepto Matrimonio, ex *l.* 12. *ff. de Solutionib.*

Quæres tertio, An possit alius acceptare loco promissarii?

Respondeo, quod si promissarius moriatur, antequam acceptet, Cov. Molin. Sanch. & alii dicunt, ejus hæredes posse acceptare, quia repræsentant personam defuncti, cui gratia facta est, sed probabilius negant Less. Pal. & alii, quia intentio promittentis ferebatur ad personam promissarii in se, quæ non est amplius. Si autem promissarius deputat saltem specialiter (imo secundum Less. contra Dicastil. etiam generaliter) alium ad acceptandum, qui eo vivente acceptet, sufficit: Doctores communiter; modo promissio fiat immediate deputato: v. g. *Promitto tibi*, *me daturam principali* 100. nam, si dicat *promitte principali* 100. & deputatus præsens acceptet, non valet, quia sermo non dirigitur ad ipsum: v. Sanch. l. 1. *Matr.* d. 7. Item sufficit acceptari ab aliquo, qui est sub potestate promissarii, & non est sui juris, puta a servo pro domino, a filio familias pro patre, a Religioso pro Prælato, seu Monasterio; quia cum his censentur esse una persona, ex instit. *De inutil. stipul.* §. 4. Item sufficit acceptari a gerente curam promissarii, puta a Parocho pro Ecclesia, a patre (imo a matre, juxta Sanch.) pro filio, aut filia, a tutore, vel curatore pro pupillo, aut minore: uti etiam hi sine auctoritate Tutoris, aut Curatoris, cum id fiat in eorum commodum, ex *l.* 9. *ff. de Auct. Tut.* a Principe, Republica, aut alio ab his constituto pro quocumque subdito, item a quocumque, qui ex acceptatione refert commodum, puta ab eo, qui acceptando agit negotium alterius, & suum: v. g. a creditore, a socio, ab uxore promissarii, vel a compromissario sub conditione, quod promissarius det ei partem: Onn. d. 4. a num. 204. ex *plur. leg.* Item quivis etiam privatus valide acceptat promissionem factam ad causam piam: Sanch. Less. & alii communiter: uti etiam factam in favorem dotis, & *l.* 45. *ff. de Solut. Matr.* non potest tamen valide acceptare famulus pro domino, discipulus pro magistro, filius emancipatus pro patre; quia nec censentur ad hoc esse deputati, nec sunt una cum eo persona, nec faciunt simul in suum commodum, ut supponitur: Sanch. Croix num. 789.

Cæterum, qui pro alio legitime acceptavit promissionem, non potest eam acceptationem revocare, ex *Reg.* 53. *in 6.* Ea tamen acceptatio imbibit hanc conditionem, *si promissarius approbet*; unde, quandiu is non approbet, promittens non tenetur dare, etsi non possit revocare, ex *l.* 10. *ff. de Donat.* Denique, si promittas Titio fundum sub hac conditione, *Ut post ejus mortem spectet ad Cajam*, & Titius acceptavit, aliqui putant censeri etiam acceptatam a Cajo, itaue etiam respectu Caji sit irrevocabilis; sed Sanch. Lug. & alii probabilius negant, quia Titius non potuit acceptare pro Cajo, cum sint duæ promissiones diversæ.

CAPUT II.

Quid de Donatione?

DONATIO est *Datio liberalis*, quæ vel fit realiter, cum scilicet res donata simul traditur, & sic est complete donatio transferens perfecte dominium; vel fit verbaliter, cum scilicet dico, *Dono tibi meum equum absentem*, & sic obligat quidem ex justitia hoc ipso quod acceptetur; sed non transfert perfecte dominium, donec fiat traditio rei. Cæterum omnis donatio, vel est mere liberalis, seu mere gratuita, cum scilicet fit a donante absque ullis meritis donatarii, vel est remuneratoria, cum scilicet fit ob merita donatarii, quæ, cum non obligent ex justitia, sed tantum ex gratitudine, adhuc fiunt, donationem esse liberalem, & gratuitam, licet non pure: gratitudo autem postulat, ut tribuatur merenti plus a Principe, quam a Privato, vel Religioso &c. si quid ergo ab his excedatur, donatio quoad excessum erit mere gratuita. Videndum nunc de donatione inter vivos, & mortis causa.

§. I.

De Donatione inter Vivos.

EST, qua *Quis vult se vivo rem suam esse alterius*: talis est, si absolute dones, nihil aliud addendo; quia donare sine addito est velle nunc transferre dominium: quod verum est etiam, si sic absolute dones in periculo mortis; si enim nihil aliud addas, neque eam apponas testamento, aut codicillo, censeris donationem facere inter vivos. Imo si nunc absolute dones, sed transferendo tantum executionem post mortem, etiam donationem facis inter vivos, quia solum ejus effectum, seu complementum differs post mortem: Tamb. hic c. 2. & alii. Porro donatio inter vivos habet hoc proprium, ut sit irrevocabilis, exceptis tantum tribus casibus, scilicet ob ingratitudinem donatarii, ob prolem postea susceptam, & ob inofficiosam donationem, de quibus infra.

Quæres primo, Quis possit donare inter vivos?

Respondeo, Eos posse, qui habent sub suo dominio, & libera administratione rem donandam, juxta dicta d. 1. c. 4. & 5. Hinc Reges de suis propriis bonis donare libere possunt; de bonis vero Coronæ concessis ad administrationem, & defensionem Regni solum possunt facere donationes remuneratorias, aut moderatas; si autem sint profusæ in damnum successorum, revocari ab his possunt. Etsi vero gravati sint ære alieno, adhuc possunt moderatas donationes, & remunerationes facere, quæ decent suum statum, quia eorum dignitas sine exercitio liberalitatis sustineri non potest: Lug. d. 21. num. 148. Idem cum proportione possunt Magistratus de bonis Reipublicæ: pater de bonis familiæ, si nimirum alias nimis vilis haberetur Reipublicæ, vel familiæ status. Imo, quamvis Juristæ cum Gutt. Sanch. & aliis communiter dicant, patrem non posse consumere ultra quintam partem bonorum in præjudicium legitimæ filiorum; tamen Nav. Lug. Rodr. Veg. Cordub. Carden. & alii putant, posse consumere in eleemosynas, & opera pia quidquid est supra alimenta jure naturæ debita filiis, quia ad legitimam non spectant, nisi neces-

necessaria ad alimenta, & relicta post prudentem dispositionem factam. Turores vero, & Curatores, cum non sint domini, solum possunt de bonis pupillorum, & minorum facere eleemosynas, & remunerationes in bonum ipsorum juxta eorundem statum. Prælati Ecclesiastici, Beneficiarii, &c. solum possunt ex fructibus beneficii donare id, quod decet eorum statum; si tamen superflua suo statui expeudant in usus, aut donationes profanas, illicite quidem, sed valide expendunt, cum satis probabile sit, eorum fructuum esse dominos: Lug. d. 4. Sanch., Pal., Dian., & alii: si autem sior subditi spolio, & intra 20. dies ante mortem aliquid donent, invalide in foro externu, in quu præsumitur factum in fraudem spolii; valide tamen in foro conscientiæ donant, si revera non sit fraus: Bon. Dian. Tamb. c. 3.

Religiosi utriusque sexus (esceptis militaribus) etsi Superiores, Abbates, Generales, &c. illicite, & invalide largiuntur munera (præter leviora esculenta, & poculenta, vel ad devotionem pertinentia munuscula) cuicumque, sive iotra, sive estra Religionem, etiam Cardinali, Regi, &c. etiam occasiona suscepti habitus, professionis, tonsuræ, &c., vel espendunt pecunias pro escipiendis honorifice, lauteque Benefactoribus, Procuratoribus, Ordinariis, aut pro commessationibus, compotationibusque quibusvis personia, aur pro exbibendis spectaculis etiam piis, aut pro quibuscumque rebus supervacaneis ad pompam, oblectationem, aut privatum commodum pertinentibus, nisi reipsa pro divino cultu, & veris pauperum indigentiis, sub pœna privationis dignitatis, officii, vocisque activæ, & passivæ, inhabilitatis, furti, & simoniæ ipso facto incurrenda; & res sic elargita nullatenus retineri potest a recipientibus. Ita ex Constit. 28. Clement. VIII. *Religiosæ, de Larg. muner.* ann. 1594. confirmata ab Urb. VIII.

Quoniam vero causa finalis hujus prohibitionis fuit impedire dissipationem bonorum, & ambitionem donantium; ideo, si largiendu neutrum habeatur, non fit contra Bullas. Hioc non prohibetur donatio mere liberalis duorum aureorum, quia hi in jore censentur modicum ad tales pœnas incurrendas; at persuasio, quod Rectores Societatis Jesu possint sic donare summam 10. Imperialium, videtur falsa: Crois num. 808. Nec prohibentur donationes moderatæ, & convivia ax justa causa, scilicet ob utilitatem ordinis, aut ne incurratur aliqua offensa, vel aversio, aut si ita deceat, vel conveniat: Less. in *Auctar. v. Religiosus*, *cap.* 5. Nec prohibentur donationes titulo gratitudinis, aut remunerationis, cum hæ non sint proprie donationes: Lug. d. 23. num. 141. idemque est, si fiant ad conciliandos Monasterio, vel Ordini animos, ad pertrahendum aliquem ad finem, ad avertendum a flagitiis, ad redimendam vesationem, ad eleemosynam utcumque magnam: addit Less. cit. si quis edat librum, posse aliqua esemplaria donare amicis, ne habeatur rusticus, sordidus, aut superbus. Cæterom, quantum sine peccato liceat huic, vel illi superiori, ac subdito, pendet a Consuetudine approbata, & modo, quo in quovis ordine receptæ sunt Bullæ citatæ.

Denique Novitius ante novitiatum valide renunciat, aut donat inter vivos, etsi ex intentione ingrediendi Religionem, quæ intentio in dubio præsumitur, si non multo post ingrediatur: at, si postea eseat, nulla est talis donatio, aut renunciatio, quia imbibit conditionem, *Si vixero in Religione*, quod Sanch. estendit ad casum, quo eseat post professionem probatam nullam: si vero additum sit pactum non revocandi, probabilius sunt irrevocabiles: Croix num 1127. contra Barb. afferentem pro se decisionem Rotæ. At renunciationes, aut donationes inter vivos factæ a Novitio, aut Novitia post ingressum ante 10. menses novitiatus, vel post 10. menses sine licentia Episcopi (nisi sint modicæ, vel remuneratoriæ, vel factæ a novitio Societatis Jesu) sunt omnino irritæ, etiamsi fuerint juratæ; si autem fiant post 10. menses cum dicta licentia, valent, sed non sortiuntur effectum, nisi secuta professione: Croix, & alii et Trident. *sess.* 25. c. 16. quare possunt usque ad professionem revocari: Sanch. l. 7. *Decal.* cap. 5. contra Pal. item per mortem novitii ante professionem: Croix contra Suar. item per nullitatem professionis rite probatam, modo non fuerit ratificata: Lug. l. 3. *Ref. Mor.* d. 16. nom. 15. es eod. Trid. Novitius tempore novitiatus invalide donat Monasterio aliquid magni momenti, ideoque restituendum cum suis fructibus, ut not. Sanch. addens probabilius, nec posse dare Monasterio mutuum, quamvis possint ejus parentes

ex suis bonis cum jure repetendi, si filius non profiteatur.

Quæres secundo, Cui donari possit inter vivos?

Respondeo, Patrem valide donare filio illegitimo, vel emancipato; at filio legitimo non emancipato, quamvis valide donet aliquid in remunerationem, vel in dotem, aut ad matrimonium, vel ad militiam, aut ad studia prosequenda, vel usumfructum, quem habet in bonis ipsius filii; attamen jure positivo invalide facit ei donationem mere liberalem, quia res sic donata, cum sit profectitia, non desinit esse patris; unde potest ab eo revocari: si autem non revocaverit, & res sit tradita, morte ipsius firmatur; uti etiam in vita firmari potest juramento: Bartol. & alii apud Dian. p. 8. t. 6. Mater autem omnino valide donare potest filio; nisi donet intuitu patris, cum sic evadat bonum profectitium: Laym. & alii. Filius etiam valide donat patri, vel matri ex bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus, vel ex manuum artificio. Donatio autem mere liberalis inter Conjuges, aut Sponsos delato effectu ad tempus Matrimonii invalida est jure civili, ne scilicet concordia maritalis pretio conciliari videatur; ideoque ad donantis arbitrium potest revocari, nisi ex revocatione sequarentur graves discordiæ; vel nisi talis donatio firmata fuerit juramento donantis, aut ejus morte etiam civili, puta exilio, servitute ad pœnas, professione Religiosa ante consummatum matrimonium, modo res fuerit tradita: Dian. r. 24. & alii. Valet tamen inter ipsos donatio reciproca in æquivalenti, vel remuneratoria, qualis censetur, si maritus senex donet uxori juveni, aut ignobilis nobili; vel ob causam, præsertim ob causam piam, puta ad accendendam lampadem perpetuam Sancto, ad sepulturam, &c.; Haunol. t. 9. a num. 175.

Quæres tertio, An donatio inter vivos revocari possit ob ingratitudinem donatarii?

Respondeo, Revocari posse in quinque tantum delictis ingratitudinis: Primo, Si injurias atroces in donantem effuderit: Secundo, Si manus impias ei intulerit: Tertio, Si notabile damnum ejus bonis attulerit; Quarto, Si periculum vitæ ei creaverit: Quinto, Si gravamina donationi apposita non impleverit; ex *l. fin.*, cap. *de Rescin. donat.*; cum autem hæc lex sit positiva, & pœnalis, non debet extendi ad alia delicta etiam graviora: Molin., Lug. d. 20. num. 174.; ideoque Haunol. contra Busemb. ait, non posse revocari, si donatarius negaverit alimenta donatori in inopiam lapso. Imo neque in dictis quinque delictis revocari potest donatio facta Ecclesiæ, utpote facta principaliter in bonum animæ Deo, etsi Ecclesiæ Prælatus sit ingratus: Laym., Lug., & alii; neque demum, si donatio fuerit remuneratoria, ob merita scilicet præcedentia donatarii, vel suorum: Clarus, Less. & alii.

Ut autem reliquæ donationes revocentur, debet ingratitudo probari coram Judice, ante cujus sententiam donatarius non tenetur restituere; post eam vero, etiam fructus perceptos a lite contestata; &, si res sit consumpta, id, in quo factus est ditior: DD. communiter contra Dic. stil. dicentem, posse donantem occulte compensare, quod Tambur. putat non esse improbabile, & cum Less. addit, posse retinere rem donatam, si nondum sit tradita donatario. Si autem Donans jurasset, se non revocaturum, Juramentum sequitur naturam donationis, quæ ex dispositione Juris involvebat conditionem, *si non fuerit ingratus*; at si espresse jurasset, se neque ob ingratitudinem revocaturum, debet prius petere relaxationem Juramenti, quam Mol., Laym., & alii putant etiam a Judice seculari posse fieri in pœnam ingrati.

Cæterum, si Donatarius ingratus obierit, ejus hæredes non tenentur restituere, quia jus revocandi oritur ex ejus crimine, velut in pœnam ejus personalem: Pal., & alii contra Molin. Si tamen res nondum esset tradita, posset escipi contra ejus hæredes: Pal. & alii. Contra vero, si Donator revocare non potuit morte præventus, aut aliter impeditus, possunt ejus hæredes revocare; secus vero, si potens, dum vixit, non incepit revocare: Lug., Dian., & alii. Possunt tamen revocare legatum, si Legatarius defunctum Legatorem gravi injuria afficiat, v. g. Uxorem ejus carnaliter cognoscat: Molin., Dian. e. 58.

Quæres quarto, An donatio inter vivos revocari possit ob prolem postea susceptam?

Respondeo, Quod, si quis carens prole donaverit aliquam bonorum partem notabilem, & postea nascatur proles, potest revocare, modo non fuerit remuneratoria:

gia: DD. communiter ex *l. si nunquam*, *c. de Rev. Donat.* Et quidem revocari potest etiam, si juraverit, se non revocaturum, quia Juramentum includis tacitam conditionem, *si non nascatur proles*. Si autem expresse hanc conditionem exclnserit, tunc, nisi relaxetur Juramentum, non poterit ipse, sed poterit proles post ejus mortem revocare: Bon. Les. c. 18. n. 14. Notat tamen Tamb. quando quis juravit, se non revocaturum, tunc donationem quoad legitimam tantum esse revocandam, quia quoad reliqua potest Pater ad libitum disponere; addit insuper, nata prole donantis Donatarium teneri in conscientia restituere res donatas, si ab eo extrajudicialites petantur; quia hæc non est pœna, sed est dispositio Juris irritans omnino donationem: si autem bona fide acceperit, & consumpserit, tenetur tantum ad id, in quo factus est ditios: Lug. d. 24. n. 218. Cæterum, si donatio non jurata facta sit extraneo, revocari potest tota: Si alicui ascendentium, ut Patri, vel Avo, vel si Ecclesiæ, aut causis piis, tantum sevocari potest, quantum necessarium est ad legitimam; quamquam recte notat Les. ad ædificationem expedire, ut quod Ecclesiæ, aot Monastesio datum est, totam Prælatus restituat. Si autem proles nata non sit legitima, non datur revocatio, nisi legitimetur per subsequens matrimonium; vel, ut addit Hurt. contra Dicastil. nisi legitimetur per Privilegium Principis. Denique, si proles moriatus, Dicastil. & alii negant, donationem reviviscere, quia non potest denuo esse sine novo consensu Donatoris; sed affirmant Lug. & alii, quia semper præsumitur intentio Donatoris, si filiis, aut nepotibus non præjudicet.

Quæres quinto, An revocari possit donatio inofficiosa?

Respondeo, Dici inofficiosam eam donationem, quæ a Patre habente jam filios fit, demendo in notabili quantitate de legitima debita filiis, quia est contra officium pietatis Paternæ; ideoque rescindi omnino debet, etiamsi sit Juramento firmata, quia hoc non potest obligare in præjudicium filiorum: Doctores communiter, ex *l. Si filius* 1., *c. de inoff. don.* Addunt tamen Les., Tamb., & alii, quod filius non potest per Judicem petere hanc rescissionem, nisi mortuo Patre, quia tunc ei debetur legitima: sed probabiliter contradicit Dian. quia licet antea non debeatur filio legitima, ut tradenda, debetur tamen, ut conservanda; ideoque, si Pater bona dilapidat, potest a filio per Judicem cogi, ut servet legitimam. Cæterum vivente Patre non tenetur talis Donatarius restituere, nisi post sententiam Judicis, quia fuit valida donatio. At mortuo Patre tenetur in conscientia ante Judicis sententiam restituere, quidquid requiritur ad legitimam (quod si bona fide accepit, & totum consumpsit, tenetur ad id, in quo factus est ditior) quia talis donatio imbibit hanc conditionem, *Si Filiis post meam mortem non defuerit legitima, seu saltem sua alimenta*. Quoad reliquum vero non tenetur, si donatio facta fuerit absque animo fraudandi legitimam; & probabiliter etiam cum tali animo, ut addunt Molin.; Lug. d. 23. num. 202. contra alios: idem die, si Pater uni ex Filiis excessive cum præjudicio legitimæ aliorum Filiorum donaverit, etiamsi dotis causa; Tambur. num. 12. Quod si talis Filius sive bona, sive mala fide acceperit, & consumpserit, nec in ullo factus sit ditior, debet id computare in suam legitimam: secus vero, si bona fide consumpserit aliquid Patris non datum a Patre, quia sic ob bonam fidem nihil debet compensare fratribus: Tamburin. ibid. Idem dic, si Filius carens descendentibus ita excessive donet extraneo, ut non remaneat pro Patre, vel Avo sua legitima, quæ certe ipsis debetur mortuo tali Filio; militat enim eadem ratio: Doctores communiter ex *l.* 1.

Quæres sexto, Quantum quis donare possit inter vivos?

Respondeo primo, Donationem omnium bonorum inter vivos esse jure positivo irritam, ex *l. ex eo*, *c. de Inutil. Stipul.* quia sic Donator non posset testari, quod est contra bonos mores Politicos. Hinc, si repetat etiam extrajudicialiter, debet restitui; secus vero, si non repetat, cum sic censeatur cedere juri suo: Tamburin. cap. 4. ubi addit contra Lug. posse repetere, etiamsi juraverit, se non repetiturum, quia donatio erat contra bonos mores politicos. Cæterum, si quis donet omnia bona præsentia, nihil addendo de futuris, valide donat, quia testari poterit de futuris certo acquirendis. Idem est, si in donatione omnium sibi aliquam partem non valde modicam reservet, quam posset vendere, & de pretio testari. Item donatio omnium facta causæ piæ, vel ob professionem religiosam valet, quia est juxta consilium Christi, *Vade, & vende universa, quæ habes, & sequere me*. Item valet donatio omnium onerosa, quia per eam aliquid accipit donator, de quo testari poterit; qua ratione valida est donatio omnium reciproca inter fratres: Jul. Clar., Bon., & alii.

Respondeo secundo, Donationem (vel remissionem debitorum liquidorum) una vice, sive uni, sive pluribus factam ultra summam 500. solidorum (hoc est 700., vel secundum alios 800. aureorum italicorum) non valere quoad hunc excessum, qui proinde potest a donante pro arbitrio repeti; nisi facta sit cum insinuatione, hoc est comparitione donantis, vel donatarii coram judice, qui mandet Notario, ut eam referat in actis: l. *Si quis*, cap. *de Donat.*

Excipe primo, si talis donatio fuit remuneratoria; quia sic non est pura donatio, ad quam restringi debet prohibitio, utpote odiosa: Secundo, Si facta sit ob causam, puta, ad reparationem ædium incendio, aut ruina destructarum: Tertio, si fiat Principi summo, vel a Duce militibus ex rebus mobilibus: Quarto, Si fiat ad causas pias, puta ad redemptionem captivorum; quia lex civilis non potest comprehendere detrimentum operum bonorum: Quarto, Si sit jurata, quia hoc juramentum sine peccato etiam veniali servari potest: Les., Layman., Molin., Bus., & alii.

§. II.

De Donatione causa mortis.

EST, *Qua quis sive ægrotus, sive sanus donat cum addito mortis*: v. g. dicat, dono post meam mortem, si moriar ex hac infirmitate, navigatione, bello &c. Item, si donatio absolute facta in vita, sed nondum acceptata a donatario, apponatur postea in testamento, aut codicillo, evadit donatio causa mortis, quia sic indueis rationem legati; imo si facta sit coram quinque testibus (quæ est solemnitas requisita codicillo) signum est esse causa mortis, secus vero, si coram duobus tantum testibus. In dubio autem, an aliqua donatio sit inter vivos, an causa mortis, Pal., Onn., & alii cum Glos. dicendam volunt inter vivos, quia hæc præcipuum locum obtinet; sed Tambur. tr. 5. *Matr.* cap. 2. num. 15. Diana, & alii apud ipsum probabilius, putant, dicendam causa mortis, quia donatio liberalis, quanto minus potest, nocere debet donanti, uti est causa mortis, utpote revocabilis.

Itaque donatio causa mortis, etiamsi acceptata, potest pro arbitrio donantis semper revocari; cum in hoc sequatur naturam testamenti, & ultimæ voluntatis; ideoque etiam requirit quinque testes, & non indiget insinuatione, & fieri potest inter absentes, & confirmatur morte donantis, & non antea; & solum differt ab ultimis voluntatibus, quod acceptari debet, & non requirit accessionem hæreditatis, sed morte donantis sequuta affert plenum dominium donatario. Revocatur autem a donatore etiam implicite, ut si rem illam donet alteri: Les. l. 2. c. 18. d. 14.; item, si donavit intuitu periculi mortis imminentis, hoc ipso, quod evasit periculum, censetur tacite revocata: Bon., Busemb., & alii; item, si donatarius moriatur ante donatorem, ipso jure revocata est; uti etiam accidit in testamentis, & Legatis: Les., Mol., Azor., Bon., & alii.

Si autem donationi mortis causa adjectum sit pactum, vel juramentum non revocandi, Molin., Onn., & alii communiter docent, revocari amplius non posse, quia tunc evadit donatio inter vivos; quamvis Glos., Bald. Dec., & alii putent oppositum, eo quod clausula illa censetur frustra adjecta; cum enim contractus ille sit natura sua revocabilis, etiam revocabilis est clausula, cum accessorium sequatur principale. Si vero jurasset non contravenire donationi, Molina etiam putat, evadere donationem inter vivos, quia promissio non contraveniendi videtur esse promissio non revocandi: sed contradicunt Pal., & alii, quia contravenire non est revocare, sed agere contra donationem perseverantem.

Quæres, Quis, quantum, & cui donare possit causa mortis?

Respondeo, Omnes posse donare mortis causa, qui possunt testari. Hinc donare possunt etiam minorennes, etiam sine curatoris consensu: Mol. Dian. p. 8. t. 6. r. 71., & alii.

& alii. Imo etiam filiisfamilias, etsi testamentum condere non possint, possunt donare mortis causa ex consensu Patris; & sine hoc consensu donare posse etiam de adventitiis probabile est apud Dian. r. 68. & 69. Item potest Novitius etiam intra bimestre ante professionem sine consensu Episcopi; quia Trident. *sess.* 25. cap. 16. tantum requirit hunc consensum ad donationem inter vivos: Dian. r. 46. Non autem potest usurarius, nisi prius satisfecerit usuris, vel cautionem præstiterit, vel nisi ad causas pias: Dian. r. 71. Nec surdus, simul, & mutus a natura; secus, si a casu superveniente, ex *l. Qui id, quod, ff. de Donat.* Azor. Dian. p. 5. t. 6. r. 12.

Donari causa mortis potest cuicumque, etiam conjugi, filio, patri, &c. Item donari possunt omnia bona, etiam ultra 500. solidos absque insinuatione: Doctores communiter.

QUÆSTIO II.

De ultimis Voluntatibus.

ULTIMÆ voluntates sunt Testamentum, Codicillus, Substitutio, Fideicommissum, & Legatum, quæ omnia affinia sunt donationi causa mortis: habent tamen hoc speciale, quod requirant aliquas solemnitates, & valeant post mortem Testatoris, etiamsi nondum sint acceptata, nisi positive renuncientur.

CAPUT I.

Quæ sint ultimæ Voluntates, & quæ earum solemnitas?

I. TESTAMENTUM est *Voluntatis justa sententia de eo, quod quis vult fieri post suam mortem, cum directa institutione hæredis:* per quas postremas particulas testamentum differt a reliquis ultimis voluntatibus, & esse potest duplex clausum, & apertum, quod dicitur etiam nuncupativum.

Clausum ad sui valorem jure civili requirit septem testes idoneos, masculos, puberes, liberos, non defectuosos, nec cognatos Testatoris, hique sint vocati, & rogati, & coram illis Testator offerat profitendo, id esse suum testamentum; tum, si possit, manu sua subscribat, si non possit adhibendus est octavus testis, & deinde omnes, & singuli testes eodem tempore subscribant, si possint, per seipsos, & proprio, vel alieno, vel communi sigillo omnes consignent.

Nuncupativum ad sui valorem jure civili requirit septem prædictos testes, qui convocati audiant, & intelligant Testatoris voluntatem coram eis scripto, vel voce articulata prolatam. Scriptum autem Notarii non ad substantiam actus, sed ad meliorem probationem, & securitatem requiritur. Cæterum valet utrumque Testamentum etiam jure civili, si factum sit a rusticano coram quinque testibus, si plures haberi nequeant, nec opus erit subscriptione, si literatus non sit: Laym. Bon. & alii. Item milites in castris, vel in propinquo ex causa legitima versantes valide testantur coram duobus testibus etiam non alias idoneis, nec rogatis, modo non sint impuberes, cæci, vel servi, nec opus est eorum subscriptione, vel signorum appositione, vel ut sint in conspectu Testatoris, valetque testamentum etiam post missionem honestam, sed non ultra annum: Dian. p. 7. t. 6. r. 42. & alii contra Bald. Item tempore pestis sufficit, si septem dicti testes singuli separatim adhibeantur; & in Camera Imperiali valet, si peste valde grassante conditum sit coram duobus, vel tribus testibus, inter quos Confessarius esse potest; imo absolute loquendo tempore pestis sufficere feminam, & notarium ipsum, modo non sit consanguineus, & affinis defuncti, docent Dian. Laym. & alii ex Menoch. nec opus esse, ut sint rogati, vel audiant vocem Testatoris, modo eum videant: Dian. p. 7. t. 6. r. 37. & 38. Denique, si Parochus scribat coram unico teste, habere vim testamenti nuncupatorii docent Mol. & alii cum Dian. r. 34. & 41.

Si desint dictæ solemnitates requisitæ ad valorem testamenti in foro civili, adhuc valet in foro conscientiæ testamentum factum ad pias causas, itaut obliget quæcumque scriptura, nutus, aut aliud signum Testatoris absque ullo teste juxta dicta d. 1. c. 1. item valere debet etiam in foro externo, si adsint duo testes, inter quos etiam femina esse potest; imo etiam Confessarius, vel Parochus, licet legata sint pro sua Ecclesia: Lug. d. 22. s. 9. ubi etiam probat in tali testamento ad pias causas non esse necessariam hæredis institutionem, & Laym. c. 6. n. 6. addit, quod, licet morte interveniente Testatoris non fuerit absolutum, adhuc valet quoad legata pia in eo expressa, & Dian. r. 25. addit, Testamentum ad causas pias non solemne revocare aliud solemne prius factum, etiamsi hujus mentionem non faciat: idque, etiamsi prius fuerit ad causas pias, ut addunt Molin. & alii contra alios apud eundem r. 26.

Si vero testamentum sine dictis solemnitatibus factum sit ad causas profanas, invalidum esse etiam in foro conscientiæ (præterquam quoad legata pia) docent Covarr. Bon. & alii: quam sententiam probabilem, & securam dicit Busemb. sed contrarium est verius, & communius; ideoque licite etiam retinetur, quod tali testamento possidetur: Barbos. & alii: item hæres ab intestato, si sciat voluntatem defuncti, probabilius tenetur restituere id, quod ex ejus voluntate debetur aliis: Mol. Less. contra Bon. addit Busemb. quod si is retineat, possunt isti uti occulta compensatione, sed hoc admitti non debet, cum in dubiis melior sit conditio possidentis: Croix num. 1118. item, si is fassus sit mentem defuncti, aut si oblatu juramento jurare noluerit, cogi potest in foro externo solvere juxta ejus mentem: Bus. num. 5. Denique testamentum inter liberos est maxime favorabile, valetque in foro externo, licet aliquæ solemnitates desint, *l.* 21. *C. de Testam.*

II. Codicillus est, *Quod additur testamento ad aliquid explicandum, vel mutandum, addendum, vel detrahendum*, &c. ideoque non fit ad instituendum hæredem (nisi interdum ex privilegio, quale habent milites ex *l. Milites, ff. de Milit. Testam.*) unde, si per illum hæres extraneus instituatur, is solum habet vim substitutionis fideicommissariæ, & institutionis indirectæ, quatenus hæres ab intestato tenetur ei tradere hæreditatem retenta ejus quarta parte, quam vocant Trebellianicam (nisi hæreditas illa sit disposita ad causam piam, ex authentica *Similiter*, cap. *ad l. Falcid.*) vel retenta legitima, si hæreditas exclusis liberis in alium transferatur: Ills. hic n. 467. Porro ad valorem codicilli sufficiunt jure civili quinque testes, etiamsi non sint rogati, inter quos possunt etiam esse mulieres; in foro autem conscientiæ, & quoad causas pias id dic, ac de testamentis.

III. Reliquæ ultimæ voluntates, quæ includuntur in testamento, vel codicillo tres enumerantur, substitutio, fideicommissum, & legatum.

Substitutio est, *Unius, vel plurium in alterius, vel aliorum locum in ultima voluntate facta vocatio;* & est duplex, directa, vel indirecta: directa est, vi cujus, sine ministerio alterius transferentis suum jus substitutus in bona defuncti succedit loco alterius: ut si Testator dixerit, *Titius hæres est, quod si is noluerit, vel non potuerit, Cajus esto hæres:* & hæc substitutio, vel est vulgaris, qua scilicet quis absque speciali privilegio hæredem substituit; vel pupillaris, qua scilicet pater filiosfamilias impuberi substituit hæredem; vel exemplaris, seu quasi pupillaris, qua scilicet pater, aut mater substituit hæredem filio mente capto, etsi puberi, modo non sit exhæredandus, ex privilegio Legis; vel compendiosa, qua scilicet plures substitutionum species pro diversis temporibus continentur; vel demum reciproca, qua scilicet hæredes sibi invicem substituuntur. Indirecta est, vi cujus ex ministerio unius succedit alius; ut si testator dixerit, *Titius hæres esto, qui volo, ut in morte cedat hæreditatem meam Cajo.* Et hæc eadem est, ac fideicommissum, quo scilicet gravatur Titius, vel ad restituendam totam hæreditatem Cajo, & tunc dicitur universale: vel ad restituendam ejus partem, & tunc dicitur particulare.

Legatum est *Donatio quædam a defuncto relicta, & ab hærede præstanda: Instit. de Legat.* hoc etiam potest esse duplex: purum, & non purum. Primum est, quo absolute legata est res determinata, & hoc cedit seu incipit a die mortis Testatoris; quamvis (exceptis legatis ad causas pias) non possit exigi a legatario, nisi post aditam ab hærede hæreditatem; quod si ipse legatarius morte præveniatur, exigi potest a suis hæredibus, nisi res legata sit ususfructus, usus, aut habitatio, quæ morte legatarii finiuntur. Secundum est, quo legata est res determinanda ab hærede, vel sub conditione contingenter futura, & tunc hæres acquirit quidem jus immediatum in totam hæredi-

reditatem, sed est gravatus legatariis, vel ejus hæredibus tradere debito tempore rem a se determinandam, vel expectare impletionem conditionis, eaque posita legatum dare, nisi legatarius ante adventum conditionis moriatur; tunc enim, cum res nunquam fuerit absolute debita legatario, neque evadet debita ejus hæredibus.

Denique nota omnes ultimas voluntates (nisi juramento non revocandi sint confirmatæ) esse revocabiles, quandio Testator vivit; ideoque non confirmari, nisi ejus morte, ut dictum est in de donatione mortis causa. Nota etiam, ad ultimas voluntates non sufficere earum promissionem: quare, si Berta v. g. multa obsequia indebita præstitit Marito, spe favorabilis testamenti promissi, & interea is moriatur intestatus, non videtur posse Berta occulte retinere aliquod ex ejus bonis, quia nondum fuit assignatio testamentaria, sed tantum animus assignandi, nec occulta compensatio habet locum, nisi in debitis certis: Croix n. 1120. Si autem ea obsequia præstitit spe v. g. catenæ aureæ, quam maritus jam fieri fecerat, ut donaret illi, Less. *in Auct. v. Testam. cas.* 13. dicit, probabile esse, quod possit retinere, aut occulte accipere, quanti valebat, quia videtur sufficere ea implicita donatio, ex vi cujus provenisset donatio expressa, nisi mors intervenisset: additque, jure naturali per voluntatem transferri dominium, si voluntas signo aliquo externo manifestetur; quod videtur factum, quando jussit, catenam in eum finem fieri: sed oppositum Croix ait probabilius, quia, ut donatio valeat secuta morte donantis, debet res aliquo modo fuisse tradita, & multo minus valet occulta compensatio, quia debitum non est certum: Croix ibid.

CAPUT II.

Quid de Testatore?

NEMO, per se loquendo obligatur facere testamentum; ideoque licite mori potest intestatus, itant ejus bona cedant, cui de jure ab intestato, per accidens tamen aliquando tenetur testari, si nimirum Creditores aliat non possent recuperare sua, vel si graves lites inter hæredes ab intestato orirentur.

Jure naturali testari nequeunt infantes, furiosi, & amentes, nisi habeant lucida intervalla, vel in una tantum materia delirent. In dubio autem standum dispositioni, si recte sit facta, ut decet hominem sanum: item judicio testium: quod si & isti dubitent, Molina ait, invalidum esse testamentum, quia jus hæredum ab intestato videtur esse in possessione; quamvis probabile etiam oppositum dicant aliqui apud Illsum. ex *l. 1. cap. de SS. Eccl.*

Jura positivo invalide testantur, Primo, Surdi simul, & muti a nativitate, ex *l. Discretis c. Qui testam.* Secundo Prodigi, postquam illis bonorum suorum administratione interdictum est, quamvis prius conditum testamentum valeat, ex *Inst. Quibus*, *§. Item Prodigus.* Et horum inhabilitas se etiam extendit ad causas pias, juxta communem apud Illf. Clar. q. 5. Tertio, Impuberes, etiamsi sint milites, vel testentur ad pias causas, juxta communem apud Mol. ultimus tamen dies, quo impubertas finitur, inchoatus pro completo habetur, *l. a qua ætate*, *ff. qui testam.* Quarto Filiifamilias de bonis adventitiis testari non possunt; etiamsi Pater consentiat, vel non habeat eorum usumfructum. *Inst. Quibus ff. eod.* Ex Patris tamen consensu possunt testari de his ad pias causas: de Castrensibus vero, & quasi Castrensibus possunt omnino etiam sine Patris consensu. Quinto, Servi, antequam libertatem acquirant, & se obtinuisse sciant, testari nequeunt; possunt tamen testari ad pias causas, si vere libertatem obtinuerint, quamvis eam nesciant: Bart. Ab. Mol. & alii. Sexto, Captivi, & Obsides pro captivis, si capti sint in bello, nequeunt testari, ex *l. ejus, qui, ff. eod.* si tamen antea testati sint, valet, etiamsi in captivitate decesserint, *l. 12. ff. eod.* Septimo, Damnati de crimine libelli famosi in alterum, vel de crimine hostilis invasionis in Cardinalem, vel de crimine hæresis testari nequeunt: item usurarii publici, nisi prius restituerint usuras, vel de illis cautionem præstiterint; quod si præstare nequeant, & conterantur, ad causas pias testari posse, probabile reputant Covar. Sylv. Molin. d. 137.

Beneficiati, etsi sint Episcopi, per se loquendo, testari non possunt de acquisitis ex Beneficio, nec donare mortis causa, etiam ad pios usus, ex *cap. Ad hæc*, *de Testam.* nisi alicubi sit recepta consuetudo, ut Clerici, præsertim inferiores Episcopis, ad pias causas testantur, quo casu, inquit Less. c. 19. d. 4. eos debere, ne redditus Ecclesiastici ad consanguineos, tanquam ad hæredes, ab intestato devolvantur. Cæterum possunt de talibus bonis aliquid moderatum relinquere ad pias causas ex *eod. cap.* Possunt etiam tantum legare suis consanguineis, quantum de patrimonialibus attulerunt Ecclesiæ, ex *c. si quis Episcopus*, *q. 5.* Possunt etiam ii, qui sibi viventibus servierant, sive consanguinei sint, sive alii aliqua juxta servitii meritum conferre, ex *c. Relatum* 12. *eod. tit.* Quod Mol. intelligit de collatione gratuita; nam, quod ex justitia debitum est, ex bonis libere dispositioni Clerici relictis solvendum est. Si autem obtinuerint a Sede Apostolica licentiam testandi de bonis beneficii, eam valere etiam pro codicillo, & donatione mortis causa, docent Doctores communiter, ex *l. Marcellus*, *ff. de don. causa mortis*, apud Merol. imo etiam pro testamento ante eam facto: Sanch. Sal. Ricc. Merol. Dian. p. 8. t. 7. r. 99. Denique libere testari possunt de Patrimonialibus, ac acquisitis aliunde, quam ex Beneficio, scilicet industria sua, vel opera personali etiam per actus Ordinis sui proprios: Inn. Abb. Pias. & alii.

Novitii testari libere possunt de bonis suis, uti etiam donare mortis causa; quia Trid. tantum irritat eorum renunciationes, & Donationes inter vivos ex dictis q. 1. c. 2. §. 2. Et hoc Testamentum sive in Novitiatu, sive ante Novitiatum factum, si non revocetur, per Professionem, quasi per mortem, firmatur: ita tamen ut, si Monasterium sit capax dominii, acquirat Jus fruendi bonis talis Professi rejectis extraneis, usque ad tempus mortis naturalis, excepta legitima pro ejus filiis, si quos genuit in seculo, & consequenter etiam in perpetuum, si tale Testamentum morte hæredis, vel alio modo irritetur: Less. c. 41. d. 10. cum communi. Item si ante Professionem de suis bonis non disposuit, Monasterium, si capax sit dominii, succedit, salva legitima debita ejus ascendentibus, si descendentes non habeat: quod si habeat, poterit talis Professus per modum Dispensatoris bona sua eis distribuere, æquali tamen ad minimum parte assignata Monasterio capaci: si autem illud sit incapax, transmittitur jus succedendi ad hæredes ab intestato: Doctores communiter ex *c. si qua mulier* 19. *q. 3.*

Professi vero (exceptis militaribus, qui suorum bonorum dominium retinent, & excipi solitis per licentiam Papæ, qui ad Episcopatum, vel Cardinalatum sunt evecti) sunt omnino inhabiles ad testandum: Doctores communissime ex *c. 7. quia ingredientibus* 19. *q. 3.* contra Caramuel. dicentem, testari posse ex licentia Superiorum. At Religiosi Soc. Jesu post Vota simplicia ante Professionem cum licentia Generalis valide testantur de rebus suis: sine licentia vero illicite, valide tamen, ut addunt Suar. Sanch. Pal. & alii contra Mol. & Less. quamvis tale testamentum sit a Superiore irritabile, quandiu Testator vivit, non autem eo mortuo, cum voluntas defuncti non amplius subordinetur ejus voluntati: Lug. d. 3. num. 81. Cæterum in mortis periculo, quando consuli non potest Generalis, potest Provincialis, & eo absente Superior localis dare eis licentiam condendi testamentum: imo sufficit licentia Provincialis, quando testamentum fit proxime ante Professionem, per quam statim redditur omnino irrevocabile: Lug. d. 3. n. 116. & idem est, si fiat proxime ante mortem sub ratihabitione Generalis: v. Pelliz. t. 4. c. 2. a n. 157. Si autem fecerint prius testamentum, quando facienda est renunciatio bonorum, est revocandum, quia renunciatio fit per donationem irrevocabiliter inter vivos: Illf. n. 495.

CAPUT III.

Quid de Hærede?

HÆRES, alius est ex testamento, alius ab intestato, qui scilicet non ex testamento, sed ex dispositione legis in bona defuncti succedit. Rursus alius est hæres universalis, seu ex asse, qui scilicet sine alio cohærede succedit, alius particularis, qui scilicet cum alio, vel aliis in partem æqualem, aut inæqualem transit; qui vero in re certa tantum, v. g. in tali fundo directis verbis hæres instituitur, is potius legatarii loco habetur, nec hæredum obligationes subit, ex *l. Quoties*, *cap. de Hæredib. instituend.* Rursus, alius est hæres liber, seu voluntarius, qui scilicet posset deseri, alius hæres necessarius, qui scilicet saltem ad legitimam voca-

vocari debet in testamento facto ad causas profanas; nam in testamento ad causas pias satis est, si accipiat legitimam, etiamsi non nominetur.

Itaque hæredes necessarii sunt descendentes linea recta, scilicet liberi etiam posthumi; atque, si non sint plures quam quatuor, eorum legitima erit *Triens*, hoc est tertia pars bonorum defuncti æqualiter eis dividenda, modo in divisione accipiat quisque alimenta necessaria ad decentiam status. Si sint plures, quam quatuor, eorum legitima erit *Semissis*, hoc est dimidium bonorum defuncti æqualiter etiam dividenda. Quod si unus istorum sit mortuus, succedunt ejus liberi, sed in stirpem, hoc est omnes hi simul, velut una stirps, portionem sui parentis inter se divident. In defectu autem descendentium, hæredes necessarii erunt ascendentes in linea recta, scilicet pater, & mater defuncti, quorum legitima erit etiam *Triens* æqualiter eis dividenda, vel uni totaliter danda, si alter sit mortuus: si vero uterque sit mortuus, hæredes necessarii ejusdem trientis erunt avus, & avia, sed in stirpem, hoc est tantum accipiet solus avus, vel avia vivens ex una parte, quantum avus, & avia viventes ex altera. Atque hi, & hoc ordine sunt hæredes necessarii; non autem collaterales, puta fratres, & sorores defuncti, etiamsi ex eodem patre, & matre; etsi possint infirmare testamentum, si instituta sit hæres persona infamis, ex Laym. & aliis. De illegitimis, & spuriis dicam infra.

Si ergo hæres necessarius instituatur in portione minori, quam quæ debetur, datur ei actio ad supplementum, quæ dicitur *Querela inofficiosi*. Si ultra legitimam plus relinquatur uni, quam alteri, est peccatum, si fiat ex affectu inordinato; secus vero, si ex causa justa, scilicet, ob majora ejus merita, & obsequia, ob majores sumptus faciendos in suis studiis, ob majorem ejus inopiam, aut minus lucrum in suo munere, &c. Addunt tamen Bon. & Dian. p. t. t. 8. r. 83. id, quod est supra legitimam debitam relinqui posse etiam extraneo. Si autem hæres necessarius omnino prætereatur, rumpitur testamentum; si vero exhæredetur, debet exprimi causa, & probari a testatore, aut ab alio hærede apud Judicem, apud quem, si exhæredatus effecerit, ut non sit satis probata, quamvis a parte rei existat, Mol. d. 175. ait, adhuc posse in conscientia legitimam adire, quia non tenetur subire pœnam exhæredationis, quandiu ejus crimen non est plene probatum.

Causæ autem exhæredandi sunt 14. I. Si parentibus suis manus intulerit: II. Si gravem injuriam eis ingesserit: III. Si eorum vitæ insidiari tentaverit: IV. Si eos in causis criminalibus accusaverit, modo non sint adversus Principem, vel Rempublicam: V. Si eos ad Judicem detulerit cum eorum gravi dispendio, sive honoris, sive bonorum corporis: VI. Si contra eorum voluntatem mimorum munus susceperit, & in eo perseveraverit: VII. Si eorum furiosorum curam neglexerit: VIII. Si ad eos a captivitate redimendos tardaverit, modo ipse 18. ætatis annum compleverit: IX. Si eos violenter, aut dolose a condendo, vel mutando testamento impedierit: X. Si cum maleficis, ut maleficus, versetur: XI. Si filius novercæ suæ, aut concubinæ patris sui se immiscuerit; idque magis, si matri: XII. Si filius pro patre in vinculis detentu rogatus fidejussionem præstare recusaverit: XIII. Si filia, aut neptis potens impetrare maritum, & competentem dotem ante ann. 25. fiat meretrix, vel invitis parentibus mancipio quandocumque nupserit: XIV. si a fide Catholica parentum quispiam defecerit.

Denique filii illegitimi, si sint naturales (hoc est ex parentibus, inter quos poterat esse matrimonium intra tempus, quo concepti, & nati sunt) solum sunt hæredes necessarii ex testamento matris, relate ad quam se habent, ac legitimi; non vero ex testamentu patris (nisi ante natos legitimos fuerint legitimati) debentur tamen illis alimenta competentia statui: Spuriis vero (hoc est ex parentibus, inter quos non poterat esse matrimonium intra tempus, quo concepti, & nati sunt) nullatenus esse possunt hæredes patris, neque ex testamentu matris, neque ab intestato, neque per substitutionem, quamvis danda sint eis alimenta necessaria tantum ad naturam, ut putant aliqui, vel etiam ad decentiam status, ut putant communiter cum Lug. d. 24. num. 126.

Quæres primo, Qui possint institui hæredes?

Respondeo, Omnes, etiam amentes, surdos, mutos, servos, imo etiam communitates, nisi speciali jure prohibeantur. Jure autem positivo hæredes institui nequeunt: Primo, Apostatæ, & Hæretici, eorumque receptatores, credentes, aut defensores; item eorum fautores, si intra annum non pœnituerit; item persecutores, & percussores Cardinalium; item damnati ad metalla, vel qui ob crimen intestabiles sunt active. Hos tamen probabile est non teneri ad restitutionem aditæ hæreditatis ante sententiam Judicis: Sanch. Less. c. 19. n. 52. Secundo, Nec possunt hæredes institui Fratres minores de Observantia, & Capuccini, quia sunt incapaces, tum singuli professi, tum eorum Conventus, ex Trid. *sess.* 25. c. 3. potest tamen in eorum favorem relinqui hæreditas, ut per executores vendatur, & detur Monasterio pretium: Less. num. 54. Potest item relinqui legatum, modo non sit perpetuum, nec in tanta quantitate, ut videatur esse in fraudem, idest hæreditas, aut ejus pars notabilis sub nomine legati, ex *Clem. Exivi*. Similiter Professi, & Coadjutores formati Societatis Jesu (etsi sint capaces legati, etiam perpetui) sunt incapaces hæreditariæ successionis, uti etiam Domus, Ecclesiæ, & Collegia, eorum ratione, ex p. *6. Const.* c. 2. §. 12. Quod Sanch. Mol. Laym & alii intelligunt de utraque successione tum ab intestato, tum ex testamento; attamen Domus ipsæ, Ecclesiæ, & Collegia Societatis institui possunt hæredes ratione sui; ita tamen, ut si domui Professæ relicta sint bona immobilia, quæ ejus usui, & habitationi non serviant, vendi debeant, cum alias possideri nequeant ex §. 5. Reliqui autem Professi aliarum Religionum institui possunt hæredes, sed Monasterium immediate adit hæreditatem, etiam inscio, aut invito Religioso, ut probabilius docent Sanch. l. 7. *Dec.* c. 12. Lug. & alii contra Wading. & alios dicentes, fieri tantum mediante Religioso; ideoque repudiatio hæreditatis facta sine licentia a tali Religioso esset invalida, quia non censetur Superior id ratum habere: Sanch. Lug. & alii: similiter capaces hæreditatis sunt Scholastici, & Coadjutores non formati in Societate, qui eam acquirunt sibi, utpote capaces dominii; ideoque nec possunt excludi, si sint hæredes necessarii; &, si ante professionem donent omnia sua jura Collegio, Pal. tom. 3. tr. 16. d. t. p. 18. putat ex Sanch., posse Collegium succedere in hæreditatem advenientem illis jam Professis, & viventibus; sed negat Lug. l. 4. *Resp. Mor.* d. 4., quia jus ad illam hæreditatem non erat præsens in ea donatione.

Quæres secundo, Qui esse debeant hæredes ab intestato?

Respondeo, Esse primo loco filios, & filias legitimas, sive sint sui juris, sive non, qui in capita ad portiones æquales succedunt; uno autem eorum mortuo, ejus portio ad ejus descendentes transfertur; secus vero, si ille eam portionem repudiaverit: Mol. d. 164. & alii. Si autem omnes immediati fuerint mortui, eorum descendentes probabilius proprio jure succedunt non in stirpes, sed in capita, Illſ. num. 506. Secundo loco deficientibus omnibus legitimis descendentibus succedunt proximi ascendentes, quorum uno tantum vivente, puta avo, omnes alii excluduntur, etiamsi repræsentent proximiorem, scilicet patrem; sed cum ascendentibus admittuntur etiam fratres, sorores defuncti ex utroque parente actu existentes: non vero eorum filii, si ipsi sint mortui, ex Novell. 127. cap. t. Tertio loco, deficientibus omnibus prædictis, ad hæreditatem veniunt proximiores consanguinei collaterales usque ad decimum gradum inclusive, sive sint agnati, scilicet ex parte patris, sive cognati, scilicet ex parte matris, ex authent. *de Hæredib. ab intest.* & in majoratu indefinite usque ad quemcumque gradum. Quarto loco, his omnibus deficientibus, Uxor Marito, & vicissim Maritus Uxori succedit in omnibus bonis, ex l. *Unica*, cap. *Unde vir*. Quinto demum, his etiam deficientibus, filii naturales (non autem spurii) succedunt in sexta parte dividenda inter ipsos, & eorum matrem, ad quam partem etiam succedunt, etiamsi adsint ascendentes: reliqua vero hæreditas laici devolvitur ad Fiscum secularem: Clerici vero ad Fiscum Ecclesiasticum, l. *Vacantia*, cap. *de Bonis vac.* Si autem peregrinus moriatur ab intestatu in hospitali, bona ejus mobilia ibi reperta per Episcopum loci sunt distribuenda ad pias causas, auth. *Omnes peregrini*, cap. *Communia de succession.* Plur. vid. apud Illſ. a num. 505.

Quæres tertio, Ad quid teneatur hæres adeundo hæreditatem?

Respondeo, Teneri ad debita, & onera relicta a defuncto; adeoque etiam perficere negotia ab eo inchoata, & nondum finita, *l. 40. ff. Pro socio*. Si tamen ille habuit piam voluntatem aliquid faciendi, & hæredi non

non imposuit hanc obligationem, potest hic pro libito omittere: Croix num. 1169. Cæterum per legem Falcidiam, hoc est Falcidii Tribuni, hæres necessarius, si fecerit inventarium, potest detrahere a legatis, vel donationibus mortis causa complementum suæ legitimæ per illa legata, & donationes imminutæ; &, si sit hæres, cui non debetur legitima, detrahere potest sibi quartam partem bonorum omnium defuncti, post soluta prius debita, expensas funeris, & mercedem servorum. Si autem sit fideicommissarius, per legem Trebellianicam, hoc est Trebellii Consulis, si rogatus sit totam hæreditatem restituere, potest quartam partem sibi retinere: Croix num. 1170. Excipit tamen Trull. legata pia, ex auct. *Similiter*, cap. *Ad leg. Falcid.*

Quæres quarto, Quomodo renunciari possit hæreditas?

Respondeo, Omnibus permissum esse renunciare hæreditatem sibi jam relictam sive ex testamento, sive ab intestato, antequam illam adeant; imo etiam postquam adierint, si gaudeant privilegio restitutionis in integrum, juxta dicta d. 1. cap. 5. at, si fiat renunciatio intuitu Religionis, requiruntur solemnitates Trid. juxta dicta q. antecedenti c. 2. §. 1. Si autem fiat talis renunciatio ab hærede ante mortem Testatoris, est ipso facto irrita, atque illicita, ob occasionem captandæ mortis Testatoris; Bald. Tusc. Pal. & alii. Excipe primo, nisi consentiat is, de cujus hæreditate agitur, & in eo consensu perseveret usque ad mortem. Secundo, Nisi renunciatio fiat in favorem Communitatis; sic enim cessat præsumptio periculi insidiarum: idemque est, si fiat renunciatio hæreditatis incertæ, puta si qua hæreditas mihi obvenerit. Tertio, Nisi fiat ratione Instituti Religiosi obligantis ad renunciationem omnium, etiam acquirendorum, idque in favorem causæ piæ: Sanch. l. 3. c. 2. num. 54. Quarto, Nisi fiat ipsimet Testatori, idque juramento firmetur, si sit renunciatio legitimæ; nam hæc absque juramento fit invalide, ex l. *Pactum*, cap. *de Collation.*

Cæterum, si filius renunciavit Fratri, hoc mortuo ante patrem, ille in propria hæreditate succedere potest, ac debet, quia causa renunciationis cessavit: Mul. d. 579. Si filia accepta dote a patre renunciet paternæ hæreditati, potest postea petere complementum legitimæ portionis suæ: Mul. Sanch. Lug. l. 6. *Resp. Mor.* d. 34. ex *l. cit.*; item filius, vel filia, post juratam renuntiationem potest succedere in iis bonis, quæ pater transiens ad secundas nuptias relinquere cogitur liberis ex priore matrimonio susceptis, quia hi non succedunt jure sanguinis, sed ex favore juris civilis: Mol. num. 21.

CAPUT IV.

Quid de Legatario, & Exequutore Testamentario?

1. LEGATARIUS est, cui relinquitur legatum a Testatore; legatum autem, vel est ad pias causas, vel ad profanas: Primum est exequendum ante omnia; imo etiam ante aditam hæreditatem, ut addunt complures cum Bald. contra Covar. Jason. Tiraqu. & alios, quia lex magis piæ causæ favet, quam filiis, excepta legitima; ideoque addit Illsung. num. 480. deberi etiam repudiata hæreditate; etiamsi non sit impleta conditio propter casum fortuitum, nec steterit per hæredem: Tiraqu. Croix num. 1137. & similiter, etiamsi ejus exequutio nequeat fieri in ea specie, in qua relictum est: Mulin. d. 249. addit etiam Tiraqu. contra Sanch. si voluntas Testatoris sit ambigua, interpretandam pro causa pia, quia propter Dei honorem, & utilitatem animæ augetur interpretatio testamenti; ideoque annuum legatum pro anima absolute relictum censeri debet perpetuum, ex Proposit. 43. damnata ab Alex. VII. *Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos*. Imo *relicta pauperibus non patiuntur falcidiam*, *Extravag.* 1. *de Privil.*, Et, ut addunt Tiraqu. Less. & alii nec Trebellianicam; & licet in codicillis facta sit per verba generalia diminutio eorum, quæ relicta erant in testamento: tamen, quæ relicta erant ad pias causas, adhuc debentur integra: Tiraqu. Privil. 29., addens Privil. 72. quod, quamvis alia legata diminuantur pro rata, ut omnibus sufficiant, tamen legata pia ante omnia deducenda sunt, tamquam æs alienum: sed id negant Busemb. & alii.

Legatarius, nisi sponte renunciet, statim post obitum legantis habet jus ad legatum. Sed, si legatum sit ad causas profanas, non potest illud exigere ante aditam ab hærede hæreditatem, quia debet illud exigere ab hærede complete jam constituto. Quod si morte præveniatur, transmittit Jus suum ad suos hæredes, nisi legatus sit ususfructus, usus, vel habitatio, quæ morte Legatarii finiuntur: vel nisi res legata sit ab hærede determinanda, aut sub conditione contingenter futura, & Legatarius ante debitum tempus determinationis, aut conditionis moriatur, Illsung. n. 471. Item si legatum profanum hæres exequi non possit in sua specie, in qua est relictum, manet hæredi: Croix num. 1137.

Si Titius legavit alicui Ecclesiæ bona sua cum onere Missæ quotidianæ, expresse addens, ut si semel missa omittatur, eo ipso bona devolvantur ad alium; tunc, si culpabiliter semel omittatur Missa, Ecclesia privatur, quia pœnæ appositæ in ultimis voluntatibus sunt potius conditiones, quæ obligant, etsi alter non exigat, vel moneat: Croix n. 1142. Si in testam. sit hæc clausula: *Si sine liberis decessero, volo, ut hoc prædium cedat Ecclesiæ*; & postea nascatur proles posthuma, quæ statim moriatur, prædium debetur Ecclesiæ: Menoch. & alii. Si sit hæc clausula: *Relinquo Cajæ, ut si moriatur absque prole legitima, bona redeant ad amicos*, & Caja absque prole profiteatur in Monasterio, potest ea bona absolute, & in perpetuum relinquere Monasterio, quod tanquam filius excludit alios; secus vero, si substitutio facta sit in alias pias causas: Doctores communiter: Novell. 123. *de Episc.* cap. 37. quamvis & tunc probabile dicat Less. cap. 4. Monasterium, tanquam filium, jure suo posse succedere. Si autem dicat: *Lego Cajæ* 200. *si nubat*, 100. *si ingrediatur Religionem*, Tunc, si Testator ideo sic legavit, ut absterreret a Religione, tanquam conditio turpis habetur pro non adjecta, ideoque debentur Cajæ 200. etiamsi ingrediatur Religionem: secus, si ideo sic legavit, quia maritanda eget majori dote: Barb. Croix n. 1141. Reliqua, v. d. 1. c. 3. Si legatum sit, *In die sepulturæ meæ distribuantur* 100. *pauperibus*, possunt distribui etiam pauperibus exteris, nisi ex circumstantiis præsumatur quod voluerit tantum pro inquilinis; possunt etiam distribui Religionibus Mendicantium, nisi specialiter iis factum sit ab eo aliud legatum: Croix n. 1143. At si Testator jussit, per 10. successive annos certam summam erogari pauperibus, hæres potest totam quantitatem semel primo anno erogare; quia sic prodest animæ defuncti, qui censetur in favorem hæredis divisisse per plures annos: Mol. Barb. & alii contra Bart. & alios.

Quæres primo, Quis commutare possit pias voluntates Testatoris?

Respondeo, Posse Episcopum loci ex justa causa commutare in alios pios usus: Sanch. l. 4. *Consil.* c. 2. d. 3. & 7. & alii communiter ex Trid. *sess.* 22. c. 6. *de Reform.* contra Mol. d. 246. & alios. At sine justa, & necessaria causa non licet Episcopo etiam de consensu hæredum commutare etiam in melius, ut addunt Barb. & alii contra Genuens. Gras. Vasq. Dian. p. 2. t. 3. r. 26. Neque potest Episcopus ex justa causa reducere numerum Missarum, quæ debentur ex legato, fundatione Beneficii, vel Capellaniæ, ex decr. Urban. VIII. & Innoc. XII. ideoque pro hoc recurrendum est Romam: addit tamen Sanch. approbante Lug. d. 24. quod, si Ecclesia indigeat reparatione, nec habeat, unde reparet, possit de licentia Episcopi applicare ad tempus proventum 20. aureorum relictum pro Anniversario.

Quæres secundo, An in necessitate Reipublicæ licitum sit dispositiones pias convertere in alios usus?

Respondeo, Licitum esse ex illis, quæ ad usus pios etiam per ultimas voluntates destinata sunt, subvenire gravi necessitati Reipublicæ, puta ob famem, quæ ex Caj. Suar. & aliis, si sit communis æquivalet necessitati extremæ, & bona æterna ex Dei institutione destinata sunt ad sublevandam necessitatem indigentium saltem extremam, aut illi æquivalentem; ideoque, si Testator viveret, teneretur dispositiones suas relinquere isti fini. Cæterum talis commutatio fieri debet a Principe supremo seculari, si materia piorum operum sit ei subjecta: si non sit ei subjecta, fieri debet a Papa; Quod si non sit aditus ad Papam, vel periculum sit in mora, fieri posse ab Episcopo, docent Monat. Barb. & Carden. vocans securam sententiam: addens etiam, quamvis non sit expediens, fieri tamen posse etiam ab Executore ultimæ voluntatis, quia in casu urget Jus divinum sublevandi gravissimas Reip. necessitates.

Quæres tertio, Quid de Executore testamentario?

Respondeo, Posse a Testatore nominari quemcumque modo ann. 17. compleverit, unum, vel plures, etiam ex

hære-

hæredibus, etiam feminam, etiam Clericum; imo etiam Religiosum (exceptis Fr. de Observantia) qui tamen sine licentia Superioris, & in Societate Generalis, illicite, valide tamen exequeretur: Dian. p. 8. t. 5. r. 9. Nullus tamen cogi potest, ut sit Executor; si tamen renuat, perdit legatum ei relictum quoad præmium muneris, ceditque aliis Executoribus: Dian. r. 27. Si autem a Testatore nullus sit nominatus Executor, executio pertinet ad hæredem etiam quoad legata pia; sed Episcopus jure communi potest ad se pertrahere: Laym. c. 11. num. 1.

Itaque Executor, post aditam hæreditatem, confectumque inventarium, debet intra annum exequi voluntatem defuncti, quæ tempus non præfixit; & in legatis piis intra sex menses, quovis die, etiam festo, etsi hæreditas non sit adita, vel repudiata: Dian. p. 7. t. 6. r. 25. Unde si differat notabiliter, graviter peccat, nisi justo impedimento excusetur, & tenetur damnum compensare: Dian. r. 52. Et, si post annum a monitione Judicis exequi negligat, omni commodo ex testamento illi proveniente, excepta legitima, privatur; imo, si intra annum negligat exequi, jus executionis devolvitur ad Episcopum, & in defectu Episcopi ad Metropolitanum: Dian. p. 8. t. 5. r. 57. Si vero negligentia sit hæredis, tenetur monere Episcopum, ut hæredem cogat: Dian. r. 32. Item tenetur reddere rationem executionis factæ, exceptis iis, quæ Testator jussit erogari secreto: Dian. r. 14. Nec debetur ei salarium, cum sit officium voluntarium amicitiæ: Dian. r. 39.

Quoad legata incerta, si incertus sit Legatarius, v. g. quia sunt duo ejusdem nominis, & amicitiæ erga Testatorem, jure civili corruit legatum; in foro tamen conscientiæ tenetur executor inter eos dividere æqualiter, si in id consentiant: Mol. Dian. p. 5. t. 5. r. 58. legata autem pia ob incertitudinem loci, vel Ecclesiæ, pauperiori Ecclesiæ, vel Xenodochio plerumque sunt danda. Si incertitudo sit ex parte rei legatæ, puta bovis, vel equi, dandum est, quod Legatarius elegerit juxta dicta d. 1. c. 4. n. 4. quamvis alii cum Laym. id negent de artefactis, puta hac, vel illa domo, hac, vel illa veste, &c. Denique, si summa pecuniæ distribuenda sit pauperibus indeterminatis, dari etiam potest Ecclesiis indigentibus ornamentis, fabrica, &c. item nobilibus, aliisque, qui secundum suum statum non possunt vivere: Vasq. Mol. & alii. Item sibi, vel suis cognatis, si vere sint pauperes, & Testator id ignoraverit, nec eis quidquam legaverit: quare etiam Religiosus executor potest Monastario suo applicare, etiamsi Testator aliquid Religioso reliquerit, quia causa Monasterii est distincta a causa, seu persona Religiosi: Bus. Sanch. l. 6. c. 11. n. 59. At si pauperi determinato aliquid sit relictum, huic est dandum, &, si ante solutionem moriatur, dandum alteri pauperi; quia defunctus principaliter intendit salutem animæ suæ; ita tamen, ut ejus intentio, quæ semper est attendenda, impleatur.

QUÆSTIO III,

De Deposito, Commodato, & Precario.

DEPOSITUM fit in gratiam solius Deponentis, Commodatum, & Precarium in gratiam solius Commodatarii, seu accipientis, ideoque sunt contractus gratuiti: in his autem non transfertur dominium, sed tantum conceditur custodia, vel usus rei.

CAPUT I.

Quid de Deposito?

DEPOSITUM est, *Quo aliquid traditur custodiendum, ut integrum reddatur*, qui contractus perficitur, dum res traditur a Deponente, & suscipitur a Depositario: itaque non sufficit deponere in domo alterius, nisi hic significet, se ejus custodiam suscipere; nisi forte ex officio teneatur eam custodire, ut sunt Caupones, Stabularii, Nautæ, &c. tunc enim sufficit illis videntibus deponere rem in domo, stabulo, navi, &c. Less. c. 27. n. 2.

Depositum in rigore est, cum quis promittit operam suam ad custodiendam rem alienam sibi traditam, nullo convento pretio, aut mercede, sed omnino gratis; quo sensu etiam Religiosus potest esse Depositarius: Mol. Lug. d. 33. n. 6. At, si tradatur res, v. g. Sartori, Molitori, aliive artifici polienda, immutanda, &c. aut Cauponi, Stabulario, Nautæ, &c. custodienda; aut si concedatur usus rei depositæ, vel ejus absumptio cum obligatione reddendi aliam ejusdem bonitatis; tunc cum deposito admiscetur alius contractus in commodum etiam Depositarii, puta emptionis operæ, aut custodiæ, locationis, mutui, aut alterius contractus innominati.

Quæres primo, An possit Depositarius uti re apud se deposita?

Respondeo, per se loquendo, non posse, si sit pure depositum, & non cum expressa facultate utendi; alioquin censetur furtum committere, quia utitur re aliena invito Domino, & consequenter, si usus sit pretio æstimabilis, tenetur solvere pretium: Less. d. 2. Si tamen bona fide existimet, domino non displiciturum, si re deposita utatur, licebit uti: Less. ibid. Item, si depositum sit res usu consumptibilis, ut triticum, vinum, pecunia, quæ expendendo absumitur, atque ea tradita sit in certo numero, pondere & mensura, Depositarius his utens, si certus sit, se tantumdem ejusdem bonitatis habiturum, quando repetetur, non videtur peccare saltem graviter: Less. ibid. Secus vero, si pecunia v. g. tradita fuerit sacculo, vel arca inclusa, vel munita Sigillo: Sylv. Azor. Less. Bon. & alii. Si Depositarius re deposita negotietur, inscio Domino, Dian. p. 2. t. 8. r. 32. Rodr. & alii dicunt, illum posse sibi lucrum retinere: quod admittit Lug. d. 17. n. 49. si fiat sine ullo præjudicio, aut periculo Domini. Idem dicunt alii apud Croix n. 829. posse Thesaurarium, vel Eleemosynarium Principis; imo, quamvis Princeps prohibeat ea uti, tamen, si utatur, putant non peccare graviter contra Justitiam, quia nullum grave damnum infert contra jus proprietatis; poterit tamen peccare leviter contra obedientiam, & jus jurisdictionis.

Quæres secundo, Quæ sit obligatio Depositarii in custodiendo deposito?

Respondeo, Notando, triplicem esse obligationem diligentiæ circa rem alienam, cui triplex opponitur culpa juridica, scilicet lata, seu crassa, levis, & levissima, prout scilicet omittitur diligentia adhiberi solita, vel ab hominibus communiter, vel a diligentioribus, vel a diligentissimis; sed talis omissio, si fiat inadvertenter, habetur culpa tantum juridica, si advertenter habetur culpa etiam theologica, hoc est vere peccatum, & offensa Dei. His notatis, Dico: si sit pure depositum, Depositarium teneri tantum ex culpa lata (modo sit etiam theologica, juxta dicenda in de Restitutione) quia pure depositum est in commodum tantum Deponentis; quare tenetur Depositarius reficere ei damnum, si depositum reliquit v. g. in loco publico, & inde sit furto ablatum. Si vero depositum sit in commodum etiam Depositarii, qui scilicet utatur re deposita, vel aliud commodum ex ea percipiat, tenetur non solum ex culpa lata, sed etiam levi, puta si negligat ostium cubiculi, in quo est, claudere; modo adsit etiam culpa theologica juxta dicta: & in dubio, an hæc adsit, non præsumitur: Sanch. l. 2. *de Matr.* d. 41. n. 8.

Hinc in primo casu tenetur Depositarius etiam facere ordinarios sumptus (&, ut aliqui volunt, etiam extraordinarios leves) necessarios ad rem conservandam, vel recuperandam: quod si etiam extraordinarios, & magnos fecerit, Mol. Lug. Onn. & alii contra Haun. & alios dicunt posse tamdiu eam retinere, quamdiu refundantur. At in secundo casu non tenetur ne ordinarios quidem sumptus facere ad rem conservandam, vel recuperandam: Lug. d. 8. n. 134.

Quæres tertio, Quando teneatur Depositarius rem depositam reddere?

Respondeo, Quod, si nihil aliud deductum sit in pactum, præsumitur depositarius se obligasse ad custodiendam tamdiu rem, quamdiu a deponente non repetitur vel non emerserit causa urgens restituendi. At, si expressum sit certum tempus custodiendi, v. g. per biennium, poterit deponens repetere ante illud tempus, quando volet; quia terminus ille est adjectus non in præjudicium Deponentis, sed ad finiendam obligationem Depositarii. Excipe, nisi in utilitatem Depositarii concessa fuisset facultas interea utendi re deposita cum obligatione Deponentis ad non prævertendum tale tempus, quia sic non maneret purum depositum, sed accederet ratio mutui, vel alterius contractus innominati: Croix n. 830. Si Depositarius Domino repetenti depositum remiserit per hominem, qui fidelis habebatur, isque sibi retinuerit, vel perdiderit, Domino periisse, dicit Mol. cit. ab Escob. Si certo constet, rem depositam non esse Deponentis, sed alterius, huic reddendam, dicit Less. n. 15. non Deponenti, nisi putetur, illam repetere, ut restituat Domino. Si bona omnia Deponentis addicta sint Fisco, tum depositum tradendum Fisco, ut colligitur,

ligitur, ex *l. Bona fides, ff. depositi*; Sed ante Judicia jussum, posse libere tradi, vel Deponenti, vel Fisco, uit Less. n. 14. Si Creditor Deponentis dicat Depositario, uereddat rem depositam, donec sibi sit satisfactum; jura statuunt, ne ei obediat, alioquin damna solvere teneatur Deponenti, utpote adhuc Domino depositi; neque oppositio tertii numeratur inter casus reddendi depositum: Onu. Lug. d. 17. n. 7. Si Deponens sit debitor ipsius Depositarii, hunc retiuere non posse depositum ab eo repetitum, docent aliqui apud Croix n. 831. sed posse retiuere, vel ex eo sibi compensare in foro conscientiæ, si aliunde non possit, docet Less. n. 16. quamvis in foro externo id non admittatur. Denique, si Deponens repetat rem depositam in suum, vel aliorum damuum, non est obligatio reddendi: &, si Depositarius reddat, peccat contra Charitatem: Croix n. 828.

Quæres quarto, An possit aliquid accipi ratione depositi?

Respondeo primo: Deponens rem usu consumptibilem concedeudo osnm, nihil accipere potest a depositario eo ipso, quod hic incipit uti, quia sic indnit naturam mutui, ex quo nihil licet accipere, seclusa ratione lucri cessantis, vel damni emergentis juxta dicenda q. 4. Si vero res ita deposita non sit usu consumptibilis, potest pro eo usu aliquid accipere, quia is est pretio æstimabilis; licet in hoc casu non depositum, sed locatum, & commodatum sit dicendum: Bon. Busemb. & alii:

Secundo, Depositarius pro custodia, & obligatione reddendi, quando alter volet, accipere potest moderatum stipendium, ut patet. Idque etiam conceduut Mol. Less. c. 23. & alii communitet, etsi non sit pure depositum; sed cum facultate otendi, ut si apud Bancarium, vel Campsorem deponatut pecunia; quia se obligare ad custodiendum, & restituendum, videtut esse prætio æstimabile; quæstus autem, qui interim habetur ex usu pecuniæ, non est fructus pecuniæ, sed industriæ. Illud hic notandum, depositum esse contractum bonæ fidei; ideoque in illo babet Judex facultatem judicandi, quod sibi fuerit visum ex bono, & æquo, etiamsi in conventione non sit expressum: Mol. d. 259. Noto etiam, ad depositum referri sequestrum, qui est contractus, quo res intce plures controversa apud aliquem, qui dicitur Sequester, deponitur, ut postea ei tradatur, qui causam evicerit: si tamen pro hac re offeratur idonea cautio parti adversæ, jura statuunt, ut res sequestrata parti caventi relaxetur: Croix n. 834.

CAPUT II.

Quid de Commodato, & Precario?

I. COMMODATUM est *Gratuita concessio rei ad solum usum pro tempore expresse, aut tacite determinato*; ut si dicatur, *Commodo tibi librum ad unum mensem; vel donec eum transcribas*, quo casu tantum temporis implicite determinatue, quantum est necessarium ad commode transcribendum.

Infers primo: Commodator non potest repetere absque injustitia rem ante præfixum tempus: Laym. c.14. & alii. Excipe primo, nisi ei damnum impendeat, licet simile damnum impenderet etiam Commodatario ex rei ante rempus redditione; quia intelligitur hæc tacita conditio, nisi interea contigerit, rem esse necessariam commodanti: Less. c. 27. contra Nav. Excipe secundo, nisi pupillus, minor, aut prodigus commodavit sine auctoritate Turoris, aut Curatoris juxta dicta d. 1. c. 5. Item Commodator, si scivit vitium rei, & prævidit damnum inde secuturum Commodatario, quod impedire poterat, & debebat; ut si commodavit equum morbidum, qni infecit alios equos Commodatarii, tenetur compensare ejus damnum; secus vero, si nescivit: Croix n. 822. Demum Commodator neqnit aliqnid accipere pro commodarione, aut deterioratione rei, quia secus non esset commodatom, quod essentiale habet, ut fiat gratuito, sed esset Locatio, de qua d. 3.

Infers secundo: Commodatarius non potest uti re commodata ad alium usum, vel aliter, quam sit sibi concessum, nisi bona fide existimet, non displiciturum Domino, juxta dicta c. 1. q. 1. de deposito. Cæterum potest, per se loquendo, rem commodatam etiam alteri commodare, nisi aliter conventum sit, vel sciret de contraria mente Commodantis: Croix n. 820. Item tenetur ad sumptus ordinarios circa rem commodatam, puta pascere eqnnm commodatum, soleis ferreis instruere, si deficiant, &c. At ad sumptus extraordinarios non tenetur, puta pro sanando equo, si ægrotare incipiat; pro redimeodo, si ab hoste capiatur, &c. modo non contigerit ex ejus culpa juxta mox dicenda: tenetur tamen mouere Dominum; quod si non possit, tenetur expendere sumptus, & postea rem detinere potest, donec refundantur: Lug. d. 8. n. 134. Denique Commodatarius tenetur rem custodire eo modo, quo solent homines suæ professionis diligentissimi; quod si negligat, dicitur juridice culpa levissima obligans ad reficiendum damnum Domino, modo adsit culpa theologica, juxta dicta, & dicenda in de Restitut. Excipe tamen pupillum, aut minorem, qui sine auctoritate Tutoris, aut Curatoris accipiens commodatum tantum obligatur ratiooe doli, & in quantum factum est ditior, ex *l. 2. & 3. ff. Commodati*.

II. Precarium est *Gratuita concessio rei ad solum usum pro tempore, nec expresse, nec tacite determinato*. Quare Precarium habetur, cum ad preces alterius datur res utenda, donec concedens repetat, & in hoc differt a Commodato. Cæterum, qui precario dat, non debet statim datum repetere absque necessitate: alioquin videbitur illnm illudere, aut creare ei damnum: Abb. & alii. Itaque revocatur Precarium primo, Volnntate concedentis expressa, vel tacita, ut, si eam rem det, aut vendat tertio: Secundo, Morte ejus, cui est concessa; quia censetue gratia quasi personalis, quæ ad hæredes non transit. Tertio, Morte concedentis, si rem concesserit cum addito, quamdiu voluero, vel mibi placuerit, quia hæc voluntas cessat morte personæ: Ab. Mol. Laym. & alii contra Pal. & Tamb. At, si res sit absolute concessa, vel cum addiro, *Donec revocavero*, non finitur morte concedentis, ideoque, si alter incipie uti, potest pergere, donec illius hæredes repetant: Croix n. 825.

Denique, quoad usum Precarii eadem dic, ac de usu Commodati, & similiter qnoad custodiam, itaut teneatur non solum ex culpa lata, sed etiam levi, non autem levissima; cum enim sit pro libito domini revocabile, non debet ex eo oriri tanta obligatio, *l. Quasitum, ff. de Precariis*: modo sit etiam theologica, seu cum adverteotia. Si autem diligentiam debitam in ea custodienda adhibere uon potes sine jactura propriæ rei, tunc, licet in foro externo præsumatur dolus, tamen in foro conscientiæ, si res propria sit præstantior, potes pro hac servanda negligere curam rei alienæ precariæ (vel commodatæ, & a fortiori depositæ) quia solum te obligasti ad illius curam, ac si esset propria, & cura propriæ rei major est erga rem præstantiorem, quam minus præstantem: contra vero, si res aliena sit præstantior; tunc enim (excepto pure deposito) teneris ejus curam præferre curæ rei propriæ, itaut nec possis repetere æstimationem damni proprii, si ea res aliena in tuam tantum utilitatem esset concessa, quamvis possis repetere saltem dimidiam, si etiam in partialem utilitatem concedentis erat concessa. Quod si tua, & aliena sint æque præstantes, tunc, si aliena sit concessa solum in tuam utilitatem, ejus curam præferre debes, si utramque servare nequeas; si vero in partialem utilitatem etiam concedentis, potes eligere, quam servare velis, & a fortiori, si sit pure depositum: Illsun. n. 394. & alii.

QUÆSTIO IV.

De Mutuo, & Usura.

QUI dat motunm, mntuans, seu mutuator dicitue: qui accipit, mutuatatius. Quamvis aotem mutuatarius subeat obligationem restituendi suo tempore tantundem mutuanti: tamen, quia mutuans nihil inde lucrari potest, ideo contractus mutui intet gratuitos numeratur: si quid vero inde lucretur, habetue usura. Agam I. De Mutuo: II. De Usura: III. Qua ratione liceat aliquando lucrum in Mutuo?

CAPUT I.

Quid de Mutuo?

MUTUUM est *Traditio rei in suo genere functionem recipientis, facta eo animo, ut statim fiat accipientis cum obligatione, ut similis specie, & bonitate restituatur*: Doctores communitee, ex *l. 2. ff. si certum*.

Dicitur *Traditio*, quia mutuum traditione perficitue, juxta dicta d. 1. c. 1. Dicitur, *Rei in suo genere, &c.* hoc est, quæ sob eodem genere ita potest esse similis alteri, ut una possit fungi, seu substitui vice alterius: tales

tales sunt, quæ constant pondere, numero, aut mensura: ut vinum, oleum, frumentum, pecunia numerata, item libra argenti, auri, &c.; item ovis, bos, &c. si tradantur cum obligatione, ut reddatur similis specie, & bonitate: Mol., Reb., Pal., & alii contra Less. putantem, hunc dici potius contractum innominatum. Dicitur *Facta eo animo*, *&c.*, quia mutuum ex *leg. cit.* dicitur, quasi *Ex meo tuum*; itaut transferat statim dominium rei in mutuatarium; ideoque differt a commodato, deposito, pignore, locato, &c. Hinc, si pecunia v. g. mutuata pereat, perit mutuatario: & similiter, si ejus valor crescat, aut decrescat, crescit, aut decrescit mutuatario. Dicitur demum, *Cum obligatione*, *&c.*, per quod mutuum differt a donatione; at non est obligatio in mutuo, ut eadem numero res restituatur, ut fit in deposito, commodato, pignore, &c.; sed ut reddatur *similis in specie*, *& bonitate*, per quod mutuum differt a permutatione, quæ potest esse inter dissimilia.

Noto tamen primo, Similitudinem in mutuo sufficere, per se loquendo, etiam moralem, seu in communi æstimatione: nam, licet mutuatarius pecuniam mutuo acceptam v. g. in auro, restituat in metallo inferiori, puta argento, modo sit æqualis valoris, videtur, per se loquendo, satisfacere; quia, quamvis in metallis habeatur inæqualitas bonitatis intrinsecæ, tamen ratione valoris provenientis ab extrinseco in morali hominum æstimatione unam speciem, seu rationem constituunt: Mol., Reb., Tamb., Pal., Illsun., & alii contra Bart., Bald., Covar., Panorm., & alios. Dixi, *Per se loquendo*; secus enim esset, si aliter sit conventum: vel si pecunia in diverso metallo sit valde incommoda mutuanti: vel si reddatur triticum pro pecunia, cum sic esset permutatio, quam non tenetur subire, qui mutuavit, nisi expresserit: Croix n. 841.

Noto secundo, Similitudinem in specie, & in bonitate, aliam esse in mutuo pecuniario, aliam in mutuo frumentario, & aliarum mercium; in pecunia enim qua tali, attenditur ratio pretii, seu valoris extrinseci: hinc, si mutues 100. ducatos in 100. monetis aureis, & deinde augeatur earum valor, non potes exigere 100. monetas, sed valorem 100. in paucioribus monetis: & similiter, si earum valor decrescat, debet mutuatarius reddere plusquam 100. monetas; quia aliter non servaretur æqualitas in valore. At in mercibus attenditur numerus, pondus, vel mensura; ideoque, si crescat pretium frumenti mutuati, reddendæ sunt tot mensuræ, quot acceptæ sunt mutuo; & similiter, si decrescat ejus pretium; idem dic de aliis mercibus.

Noto tertio, Dictum discrimen valere, quando aliter non sit præfixum, neque aliter sit conventum ex certis, & licitis causis. Cæterum, si æque incertum sit, utrum res erit deinde pluris, an minoris valitura, potest mutuans pacisci, ut restituatur non solum eadem quantitas mercium; verum etiam idem numerus monetarum, quia sic par est utrinsque contrahentis conditio. Similiter, si probabilius sit, vel saltem certum, rem postea minoris valituram, potest pacisci non solum, ut restituatur idem valor monetarum; verum etiam idem valor mercium, sive ab eo pro tunc servandarum, sive non servandarum, quia potest illas æstimare secundum præsentem valorem; at, si probabilius sit, vel quasi certum, quod res erit deinde pluris valitura, non potest pacisci, ut restituatur eadem quantitas mercis, sed pro valore præsenti; nisi vero illam esset servaturus usque ad illud tempus, & tunc etiam subtrahi debet æstimatio laboris, periculi, & sumptuum in ea usque ad illud tempus conservanda: Less c. 20., Croix a n. 912.

Quæres primo, Ad quid teneatur mutuans?

Respondeo primo, Neminem obligari ad mutuandum, nisi aliquando ex præcepto Charitatis in extrema, & probabilius etiam in gravi necessitate proximi: in quo casu, cum Charitas obliget ad eleemosynam, a fortiori obligat ad mutuum, & quidem etiam cum periculo amittendæ sortis: Croix n. 849.; unde etiam cum Vasq., & aliis contra Bon. infert, tunc nec posse aliquid accipere ratione lucri cessantis; quia, licet tunc non teneatur ex justitia mutuare, tamen tenetur absolute sub peccato: ergo in conscientia tenetur subire damnum lucri cessantis. Imo, quamvis extreme nunc indigenti, sed speranti bona futura ex hæreditate, labore, &c. possis loco eleemosynæ dare mutuum, tamen carenti etiam tali spe debet dare eleemosynam, nec potes ei dare mutuum sub conditione, si forte in meliorem fortunam veniat, quia nunc urget præceptum eleemosynæ, quæ non est sine donatione: D. Th., Con., Val., & alii contra Vasq., Les., Lug.

Respondeo secundo, Mutuantem debet monere mutuatarium de vitio rei, puta de falsitate monetæ, quam mutuo daret; alioquin tenetur in conscientia ad damnum inde proveniens in mutuatario: Busemb., & alii communiter. Cæterum, si sciat, aut prævideat monetam tempore futuro fore, ut decrescat in valore, &c. non tenetur de hoc monere mutuatarium, quia pro tempore, quo dat, nullum habet vitium. Excipe, nisi tam modica intersit mora, ut mutuatarius moraliter nequeat uti mutuo; sic enim censetur vitium præsens, juxta mox dicenda.

Respondeo tertio, Mutuantem non posse repetere restitutionem mutui, statim ac dat mutuatario, nisi forte ipse sit in pari, aut majori necessitate; quia est essentialis mutuo obligatio ad non repetendum, antequam mutuatarius potuerit eo commode uti: Doctores communiter. Item nec potest mutuare cum pacto, ut mutuatarius non possit restituere, nisi transacto tali, vel tali tempore; quia non posse mutuatarium antea liberare se a debito est novum, & grave onus mutuo extrinsecum; si ergo ex pacto præfigitur tempus restitutionis, intelligi debet præfixum ad non differendam, non vero ad non anticipandam.

Quæres secundo, Ad quid teneatur mutuatarius?

Respondeo primo, Si in contractu mutui determinatum sit justum tempus restitutionis, puta Kal. Jan., permitti ad minimum spatium 10. dierum ad restituendum, juxta dicta d. 1. c. 3. Si nullum determinatum sit tempus, determinatio facienda est ex circumstantiis: v. g. frumentum mutuatum agricolæ in hyeme censetur mutuatum usque ad messem; pecunia mercatori eunti ad nundinas, usquedum vendiderit merces; opifici, usquedum vendiderit operas; si pauper mutuat alteri modium farinæ, intelligitur pro una, vel altera septimana; sed tempore abundantiæ intelligitur etiam mensis; quod si tu sis dives, & mutuatarius pauper, intelligitur etiam annus: Tamb., Croix n. 844. Cæterum, si mutuator potens repetere sponte taceat, potest mutuatarius differre, quia videtur ille consentire dilationi, juxta dicta loc. cit.

Respondeo secundo, Qui scit, vel probabiliter credit, se non posse restituere, non potest pecuniam mutuo, vel ad censum accipere; alioquin esset fur, ut recte Less. in *Auct.* v. *Mutuum*, *cas.* 5., nisi vero esset in casu, in quo liceret occulte, & more furum accipere. Ad quid autem teneatur mutuo accipiens in extrema necessitate, colligitur ex dictis. Cum quis mutuo accipit a fure pecuniam furtivam, tunc proprie non est mutuum, quia per hoc non acquirit dominium: si tamen bona fide eam consumpserit, per consumptionem censetur fieri mutuum, & translatum dominium; ideoque est obligatio restituendi tantundem domino rei tanquam mutuanti; si autem mala fide consumpserit, non est quidem mutuum, sed domino rei datur actio contra illum, ac si pecunia extaret: Doctores communiter ex *l. 11.*, *& 13.*; *ff. de Reb. Cred.*

Respondeo tertio, Qui privatim scit, valorem monetæ mox augendum, vel pretium frumenti mox minuendum, potest nunc petere, & accipere mutuum pecuniarium, vel frumentarium, & probabiliter postea reddere pecuniam in valore, licet non in quantitate, & frumentum in quantitate, licet non in valore; quia in petendo, & accipiendo utitur jure suo, cui non debet nocere scientia privata; & in reddendo (nisi aliter sit conventum) solum tenetur dare id, quod acceperat, & in pecunia acceperat valorem, in frumento quantitatem. Dixi, *Qui privatim scit*; nam Magistratus, & qui mutant pretia rerum, non excusantur, si studiose id faciant, juxta dicenda d. 3. *de Empt. & Vendit.*

Respondeo quarto, Si quis accipiat mutuum pro Ecclesia, vel causa pia, pro civitate, vel oppido, pro pupillo, pro minorenni, hi, pro quibus acceptum est, non tenentur reddere, nisi mutuans probaverit, in utilitatem illorum esse conversum; idemque est, si illi per se acceperint mutuum cum consensu Administratoris, Tutoris, Curatoris, &c. Si autem acceperint absque tali consensu, tenentur solum reddere, quantum facti sunt ditiores, cujus probatio etiam incumbit mutuanti: Laym. c. 15. n. 6. ex jure communi; vide tamen Pal. p. 4., 5., & 6.

Respondeo quinto, Filiusfamilias, etiamsi pubes, si accipiat mutuum restituendum post mortem patris, tale mutuum non est restituendum in foro externo, ex *l. 9.*, *ff. de S. C. Maced.* An autem sit restituendum in foro conscientiæ, negant etiam Bart., Inn., Panor., Less., Sanch., Laym., Lug., & alii communius, quia leges potuerunt hoc juste statuere in pœnam mutuantis ob occasionem optandæ, vel inferendæ mortis patri.

Sed

Sed affirmant Covar. Rebel. Illsun. & alii, quia non est certum, quod prædicta lex irritet obligationem, quæ naturaliter consurgeret ex tali mutuo; & in dubio est possessio pro obligatione, & hæc sententia spectato textu videtur probabilior: Croix n. 842. Conveniunt tamen communiter Doctores, obligare in conscientia, si filius familias habeat peculium castrense, aut quasi castrense: vel si post emancipationem ratificet mutuum: vel si fuit miles, quando illud accepit, vel si publice videbatur esse sui juris, & ut addunt Ab. & Laym. si mutuans ob ignorantiam non fuit in culpa: vel si consenserit pater, aut sciens non contradixerit: vel si acceperit in tali necessitate, in qua pietas patris recusare non poterat: vel si expenderit in rem, aut negotiationem patris; vel demum, si accepit mutuum, non in pecunia, sed in re alia, qua uteretur: v. Onn. d. 25. a n. 207. Denique Regulares absque licentia Papæ nequeunt accipere mutuum solvendo interesse, ex Declar. S. Congr. apud Delb. d. 1. n. 12.

CAPUT II.

Quid de Usura?

USURA est *Lucrum immediate proveniens ex mutuo*; Doctores communissime: itaque, si mutuans supra sortem, seu summam capitalem restituendam a mutuatario exigat aliquid pretio æstimabile (quod dicitur auctarium, & lucrum) præcise, & immediate ratione mutui, habetur usura.

Hæc autem prohibita est jure naturali, divino, & humano: jure naturali, quia injustitia est, quod mutuans exigat lucrum ex re aliena, cum mutuum sit res mutuatarii, & non mutuantis, juxta dicta c. 1. jure divino, ex Psal. 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*; & Ezechiel. 18. *Ad usuram dans, & amplius accipiens, non vivet*; & Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, scilicet supra sortem, ut explicant Doctores, & Urb. III. cap. *Consuluit, de Usuris*; ubi etiam, & toto tit. *de Usuris* prohibetur jure canonico: unde nec posse concedi jure civili, ostendit Rodr. apud Croix n. 846.

Hinc usurarius recipiens usuram non acquirit ejus dominium, quia mutuatarius non habet voluntatem transferendi dominium, cum sciat, se non obligari; imo, etsi voluntatem habeat transferendi dominium, adhuc non acquiritur ab usurario, quia mutuatarius non aliter voluit transferre, quam teneretur; sed reipsa non tenebatur: ergo non transtulit: Mol. Cov. Sylv. Less. Tamb. Laym. & alii communiter contra Nav. Lug. Croix, & alios putantes, in casu acquiri dominium licet inefficax, & revocabile, cum ob injuriam illatam teneatur restituere. Hinc mutuatarius, etiamsi promiserit solvere usuras, non tenetur vi promissionis, cum non adsit titulus debiti ex mutuo: si autem juraverit, tenetur tantum ex Religione, juxta dicta d. 1. c. 8. Si autem usurarius per usuram acceptam aliquid postea lucretur, tunc distinguendum, si res usuraria sit natura sua sterilis, ut pecunia, instrumenta artis, &c. acquirit dominium rerum, quas re tali lucratur, quia sunt fructus industriæ: D. Th. Mol. Less. & alii communiter; si vero res usuraria sit fructifera, tunc juxta nostram sententiam non acquirit dominium fructuum, quia res fructificat domino suo, qui est mutuatarius.

Quæres primo, Quæ sit obligatio usurarii, & cooperantium usuris?

Respondeo primo, Usurarium, ejusque hæredes teneri in conscientia restituere usuras una cum interesse mutuatario, vel ejus hæredibus, etiam his non petentibus; quia res clamat ad Dominum. Idque verum est, etiamsi nullum adfuerit pactum externum, tamen mutuatarius dederit usuram, ut debitam ex vi mutui (& præsumitur ita dare, si sciat indolem mutuantis, quod non soleat gratis mutuare) quia sic etiam involuntarie dedit; ideoque mutuans tenetur restituere, sive bona, sive mala fide acceperit: Lug. d. 25. Si tamen mutuatarius dederit ex mera gratitudine, vel amicitia) nullo tamen prævio pacto, ne implicito quidem) & mutuans hoc sciat, potest retinere, quamvis acceperit animo usurario; quia per donationem liberalem acquisivit dominium; licet enim habuit talem animum, tamen implicite voluit acquirere omni meliori modo: Tamb. Croix n. 291. Quod si dubium sit, an mutuatarius dederit ex vi mutui, an ex liberalitate, est interrogandus a mutuante: &, si non possit resciri, potest retineri, si dubium sit positivum; si vero sit negativum, Mol. Tamb. & alii contra Lug. & alios probabilius dicunt, esse restituendum, quia melior est conditio mutuatarii, utpote vere possidentis.

Respondeo secundo, Cooperantes ad usuram, si sint causa efficax, cur usuræ exigantur, vel solvantur, peccant, & obligantur ad restitutionem, saltem secundo loco, si usurarius non possit, aut nolit restituere: talis est Notarius scribens contractum usurarium, Testes firmantes, &c. quia sunt causæ efficaces exigendi, vel solvendi, adeoque circa hos mutuatarius est invitus. Secus vero, qui juvat usurarium in numerandis pecuniis, in scribendis nudis rationibus, in deferendo pignore pro securitate usuræ, in exigendis amice usuris, ne aliter videatur infidelis, &c. quia circa hos mutuatarius non est invitus, uti est circa priores: Lug. d. 25. num. 214. Tamb. Croix n. 926.

Quæres secundo, Quænam sint pœnæ usurarii?

Respondeo, Usurarium notorium notorietate juris, vel facti esse jure infamem, ideoque incapacem obtinendi Beneficium: item arcendum a Communione, non vero a divinis Officiis: item ab offerendis oblationibus, itaut, qui ejus oblationes acceperit, sit suspensus ab officio, donec ad arbitrium Episcopi satisfecerit, & restituerit: item a Confessione, donec restituerit usuras, vel idoneam cautionem dederit coram Parocho, & Testibus, aut Notario habenti mandatum ab Ordinario; &, si cautionem pignoratitiam, aut fidejussoriam præstare nequeat, juret, se non posse, & se facturum quicquid potuerit, ut fiat restitutio; si autem periculum sit in mora, absolvitur, & postea exigitur cautio. Item arcendum a sepultura Ecclesiastica, itaut, qui eum sepelire præsumpserint, sint ipso facto excommunicati, nec absolvendi, donec arbitrio Episcopi satisfecerint: Less. c. 20. a n. 185. ubi addit probabiliter, has pœnas non incurri, nisi post Judicis sententiam, saltem declaratoriam criminis. Item testamentum talis usurarii est irritum, nisi ante mortem solverit, vel cautionem legitimam dederit, ex cap. *Quamquam, de Usuris in 6.* Denique Ecclesiastici sub pœna Excommunicationis ipso facto, si sint minores Episcopis, Suspensionis, si sint Episcopi, Interdicti, si sit Communitas, non possunt usurario extero locare domum, aut permittere in ea habitare, ex cap. 1. *de Usur. in 6.* At Principes permittentes Judæos, aut alios usurarios ex justa causa, puta, ne impediatur utilitas multorum, non peccant, & possunt tunc exigere ab eis aliquid pro utilitate communi. Peccat tamen Judex, & excommunicatur ipso facto, si compellat mutuatarium ad solutionem usurarum, aut impediat restitutionem illatum, & tenetur ipse ad restitutionem deficiente usurario, ex *Clem. de Usur.*

Quæres tertio, An mutuatarius possit licite petere mutuum ab usurario?

Respondeo affirmative, Si adsit rationabilis causa, puta, si indigeat pecunia ad negotiationem, aliudve necessarium, nec possit æque commode aliunde habere; in quo casu, etsi sciat, illum non mutuare, nisi ipse offerat solutionem usuræ, potest etiam offerre. Ratio est, quia ex rationabili causa excusatur a cooperatione materiali peccato alterius: Mol. Sanch. Hort. & alii apud Dian. p. 5. t. 5. r. 8. Si autem petat sine necessitate, sed tantum ad usus non necessarios, vel ad negotiationem superfluam, Cajet. Nav. & alii multi adhuc putant, peccare tantum venialiter, quod Sanch. putat probabile; sed Pal. & alii communius dicunt, peccare mortaliter, quia non adest sufficiens causa honestans permissionem peccati usurarii. Denique mutuatarius, accepto mutuo cum onere usuræ, potest secundum Less. cedere talem contractum tertiæ personæ volenti, & scienti; sed Pal. Tamb. & alii communiter tunc id permittunt, cum talis cessio esset illi causa lucri cessantis, aut damni emergentis: non autem præcise, ut se reddat immunem a solvenda usura; alioquin si emisset aliquid supra justum pretium, etiam posset illud eodem pretio vendere tertio, ut se redderet indemnem; quod nemo dixit.

CAPUT III.

Ex quibus titulis exigi possit auctarium in Mutuo?

TRES sunt tituli, quibus exigi potest aliquid ultra sortem: Primus est Lucrum cessans: Secundus Damnum emergens: Tertius Periculum amittendæ sortis. Hi tituli, si revera sint in mutuo, Lug. Less. Tamb. & alii dicunt, posse licite exigi auctarium, etiamsi de illis non moneatur mutuatarius; sed probabilius est oppositum: nam admonitus posset alibi sibi quæ-

rere

rere mutuum absque hoc onere, in quod proinde non libere consentit ignorans titulum: Croix n. 864. Rursus, si aliquo ex his titulis exigatur auctarium plus justo, habetur injuria, & obligatio restituendi, licet proprie non sit usura, cum non exigatur ratione mutui: Mol. Les. Croix num. 867. Nunc de singulis seorsim agendum.

§. I.

De Lucro cessante.

Lucrum cessans est, quando pecunia, quæ destinata erat negotiationi, aut emptioni rei frugiferæ, subtrahitur a tali negotiatione in gratiam mutuatarii, & sic amittitur spes lucri, quod cessat. Idem dic de frumento, quod destinaveras venditioni tempore futuro Maii, ex quo subtrahis ad mutuandum.

Dico: Licite potest exigi aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis: Doctores communiter. Ratio est, quia non tenebaris, ut suppono, te privare hoc lucro in gratiam mutuatarii, & eo privari est pretio æstimabile: ergo potes ratione cessationis talis lucri aliquid ab eo exigere ultra sortem; quæ, licet esset pecunia, adeoque per se sterilis, tamen per eam destinationem facta erat fœcunda, ac veluti semen lucri, ut notat Les. c. 20. n. 86. Dixi, *Ut suppono*; nam in extrema, aut etiam gravi necessitate proximi, quando teneris mutuare, probabilius nihil potes exigere ratione lucri cessantis, juxta dicta c. 1.

Infers primo, Exigi posse auctarium ratione lucri cessantis, non solum si vi, vel fraude sis inductus ad mutuandum, adeoque ad te privandum pecunia destinata negotiationi; verum etiam, si sponte te hac prives, ut mutues petenti, quia sic etiam militat ratio lucri cessantis: Doctores communiter contra Sot. & alios Canonistas. Imo, etiamsi te offeras ad eam mutuandam; quia justitia contractus non pendet ex eo, quod desideres, vel non desideres illum fieri, sed ex æqualitate cessationis lucri cum auctario exacto: Les. n. 101. contra Conr. monendus est tamen mutuatarius de pecunia negotiationi subtracta.

Infers secundo, Posse pacisci pretium certum, ac determinatum pro spe lucri, qua mutuans se privat, idque dandum, etiamsi eventus postea declaret, nullum fuisse obventurum lucrum, si negotiatus fuisset; quia sic vendit spem præsentem, quæ erat pretio æstimabilis: sed duo hic requiruntur ad justitiam: alterum est, ut hoc auctarium non exigatur statim solvendum dato mutuo, quia, si statim velis solvi, revera non mutuas, quantum das mutuo, sed minus: alterum est, ut non tantum exigas, quantum esset lucrum, quod sperabas, sed quanti nunc valet spes illa lucri futuri, & incerti deductis etiam expensis, laboribus, & periculis in ea negotiatione, custodia frumenti, &c. quare, si paratus sis, spem illam vendere 10. aureis, & expensas, labores, ac pericula subeunda redimere 3. aureis, non potes exigere ratione lucri cessantis, nisi 7. aureos: Less. & alii.

Infers tertio, Posse pacisci pretium incertum, ac indeterminatum pro ipso lucro, itaut mutuatarius promittat solvere tantum pro interesse, quantum eventus declarabit, futurum fuisse lucrum, quod sciri poterit ex eventu, quem alii mercatores in simili negotiatione tunc sortiuntur; quare, si eventus docent, futurum fuisse 20. teneatur pro eo solvere 20. (deductis tamen deducendis, ut supra.) si 10. solum 10. si nullum, nihil. Noto tamen, quod si mutuatarius velit pacisci hoc secundo modo, promittendo scilicet pretium indeterminatum pro ipso lucro, non est cogendus pacisci primo modo, ad promissionem scilicet pretii determinati pro spe lucri; quia secundo modo reddit mutuantem indemnem a lucro cessante.

Quæres primo, An liceat exigere aliquid pro lucro cessante, si habens alias pecunias otiosas subtrahas negotiationi illam, quam mutuas?

Respondeo cum communi Doctorum contra Tamb. negative; quia, si commode potes mutuare otiosam, non videtur mutuum esse causa lucri cessantis. Dixi, *Si commode &c.* nam, si illam habeas repositam in alios eventus, puta ad alendam familiam, ad dotandas filias, ad solandam senectutem, ne statum tuum periculo exponas, &c. ideoque nolis eam propter spem lucri in aliquod discrimen conjicere, tunc potes exigere aliquid pro lucro cessante ex alia pecunia negotiationi subtracta, quia sic revera cessat lucrum ratione mutui: Nav. apud Less. n. 87. & hoc sensu intelligo illud Mol. apud eundem absolute dicentis, sufficere, ut nolis aliam loco mutuatæ impendere.

Quæres secundo, An liceat exigere, &c. si antequam petatur mutuum, subtraxeris pecuniam negotiationi, ut alteri, quem scis petiturum, possis mutuare?

Respondeo affirmative; Quia sic pecuniam a statu fœcundo ad statum sterilem reducis in gratiam alterius: ergo potes exigere tantum, quanti hæc reductio æstimabitur. Hac ratione excusari etiam possunt mercatores, qui præscientes, Regem petiturum, pecuniam suam a negotiatione subducunt, vel ab ea abstinent, ut ingentes summas paratas habeant, ut notat Less. n. 89. Cæterum in casu hujus quæsiti exigi debet auctarium minus, quia pecunia illa jam evaserat sterilis, & solum pretio æstimatur dicta reductio ad hunc statum: Less. n. 88.

Quæres tertio, An liceat exigere, &c. si ob pecuniam negotiationi subtractam pro mutuo te applices aliis industriis, quibus tantundem, & æque facile lucreris?

Respondeo negative; Quia sic revera non cessat tibi lucrum ratione mutui, sed per hoc datur tibi occasio lucrandi alia via, quam non habuisses, si in negotiatione perstitisses. Cæterum, si minus ista alia via lucreris, vel ea sit molestior, laboriosior, &c. potes exigere, quantum prudens vir arbitrabitur, perpensis circumstantiis: Les. n. 85.

Quæres quarto, An liceat exigere, &c. si pecuniam quam mutuas, destinaveras negotiationi tantum sub conditione, quatenus velles ea negotiari, nisi multi mutuum a te peterent?

Respondeo, Speculative loquendo, probabile esse, quod possis; quia, licet in hoc casu nulla particularis mutuatio seorsim spectata sit causa lucri cessantis, sunt tamen omnes collectim acceptæ: ut enim mutues passim occurrentibus, abstines a negotiatione, & subis cessationem lucri inde eventuri; ergo potes onus compensandi hoc lucrum distribuere in singulas mutuationes secundum cujusque proportionem: Less. n. 95. Addit tamen, in praxi non esse id facile admittendum ob periculum palliandi usuras; post factum autem non ausim cogere ad restitutionem.

Quæres quinto, An liceat exigere, &c. in mutuo pecuniæ nondum destinatæ negotiationi ob spem incertam, qua te privas, destinandi in futurum?

Respondeo, Non videri improbabile apud Lug. quod possis, quia sic mutuans te privas potestate destinandi ad lucrum forte alias habendum. Sed probabilius videtur oppositum cum D. T. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1. *Quia non debes vendere id, quod nondum habes, & potes impediri, multipliciter ab habendo*; spes enim illa, cum sit remota, nondum vere habetur, ut in simili dicam §. sequ. de damno remoto. Idemque est, etiamsi promptæ erant occasiones negotiationis, tu tamen pecuniam his nondum destinaveras, etsi mutuando te privas potestate destinandi; quia videtur id esse intrinsecum mutuo.

§. II.

De Damno emergente.

Damnum emergens est, quando mutuans ratione mutuationis patitur detrimentum in rebus, quas habet, vel quæ ipsi debentur; puta, cogitur res suas minoris justo vendere ad succurendum suis necessitatibus, vel pecunias ab aliis accipere, solvendo usuras, &c.

Dico: Licitum est exigere aliquid ultra sortem ratione damni emergentis, si hoc prævideatur prudenter futurum: Doctores communiter cum D. Th. contra Scot. Ratio est, quia nulla æquitas postulat, ut mutuans ex beneficio mutuandi damnum reportet: ergo tale damnum, ejusque periculum est pretio æstimabile, adeoque pro eo potest aliquid exigi; sic enim non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare. Dixi, *Si hoc prævideatur, &c.* requiritur enim, ut mutuatio sit causa talis damni, sine qua non eveniret, & qua efficeris impotens illius impediendi: requiritur etiam, ut periculum talis damni sit prudens, adeoque moraliter proxime futurum; si enim sit periculum tantum remotum, ac mere possibile, non potes pro eo quidquam pacisci ab initio, neu exigere, si deinde evenerit; quia hoc damnum est intrinsecum mutuo, & abunde tibi compensatur cum eo commodo, quod si mutuum aliquo eventu fortuito pereat, non tibi, sed mutuatario pereat: requiritur demum, ut mutuatarius ab initio moneatur de tali damno probabiliter emergenti, ut scilicet libere consentiat in onus, quod illi imponitur, ut dictum est de lucro cessante sub initium hujus capitis.

Quæres

Quæres primo, An esse debeat liberum mutuatario pacisci vel de damno, vel de periculo damni?

Respondeo affirmative; Quia, si paratus sit sarcire tibi omne damnum, prout aventus parefecerit, jam servaris indemnis: ergo non potest cogi, ut pro periculo talis damni aliquod certum tibi ab initio promittat. Cæterum, si ipse sit indifferens ad paciscendum utrovis modo, vel malit pro periculo certum pretium solvere, potes acceptare pactum; & quamvis damnum postea non evenerit, potes, quod conventum est, exigere; quia tale periculum erat in se pretio æstimabile, juxta dicta similiter de lucro cessante. At, si neque periculum, neque damnum deductum sit in pactum, nihil tenetur mutuatarios solvere, etsi postea damnum eveniat; quia non tenetur ratione pacti, sed neque ratione culpæ, ut supponimus: ergo &c. teneretur autem ratione culpæ, si per vim, aut dolom extorsit mutoum; vel si fuerit in mora restituendi sortem elapso jam termino, & mutuans inde passus sit damnum; imo alicubi est etiam consuetudo reficiendi hoc damnum, etiamsi talis mora fuerit inculpabilis: quod aliqui etiam tenent, licet mutuans sortem non exigat, quia ipsa dies interpellat pro homine: Less. n. 69. sed in hoc contradicunt Cajet. Tamb. & alii; quin, si potens non repetat, censetur condonare damnum subsequens, neque dies interpellare videtur pro homine, nisi præcesserit pactum reficiendi damnum ex mora, aut solvendæ pœnæ pro illa.

Quæres secundo, An, qui mutoat pecuniam, quam ipse mutuo acceperat ab usurario, possit ratione talis damni tantundem exigere a suo mutuatario, quantum ipse solvit usorario pro usura?

Respondeo, Si ea pecunia erat adeo tibi commoda, ut non te pœniteret solvere pro ea usuras, posse a tuo mutuatario tantundem exigere, quia in gratiam ipsius privas te commodo, & consequenter, si pluris æstimares illud commodum, posse plus exigere: si minus, minus: si nihil, nihil: Less. n. 78. Monendus tamen de his tuus mutuatarius, ut sæpe est dictum.

§. III.

De periculo amittendæ sortis.

HOc aliud est remotum, ac mere possibile, & ob ipsum nihil potest exigi ultra sortem, cum sit intrinsecum mutuo, & compensetur commodo non amittendi illam apud te existentem, quam posses etiam perdere furto, aliove casu fortuito: aliud est periculum proximum, probabile, ac prudens, quale est, si mutuatarius non sit satis notus, si decoctor, si profugus, si non bonæ fidei, si difficilis solvendo, si alio transportaturus sortem, &c. & de hoc

Dico: Licitum est exigere aliquid ultra sortem ob periculum ejus amittendæ: Doctores communiter contra Nav. Sot. & alios. Ratio est, quia non teneris exponere te tali periculo: & exponi est pretio æstimabile: ergo sic te exponendo in gratiam mutuatarii, potes ab eo aliquid exigere. Quantum autem exigi possit, taxandum est judicio prudentium, attenta qualitate periculi, pro quo traditur hæc regula: ut scilicet vir probus, & prudens cogitet, quanti ipse redimeret tale periculum, seu timorem; tantundem enim poteris petere, quantum ipse bona fide velles dare alteri, qui hoc periculum in se susciperet: Less. *in Auct. v. Mutuum cas.* 3.

Objicies: *C. Naviganti, de Usur.* dicitur: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscepit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est contractus:* ergo non potest exigi aliquid ultra sortem ratione periculi.

Respondeo, Hunc textum intelligi de eo, qui cogit mutuatarium ad solvendum sibi aliquid ultra sortem ratione periculi, itaut tollat ei libertatem compensandi illud alia via æque commoda mutuanti; itaque liberum esse debet mutuatario, vel promittere pretium justum pro tali periculo, vel pro eo dare pignus, vel fidejussores sufficientes: Less. n. 116. & alii communiter. Porro potest exigi pignus, quia quilibet negotiari potest cum omni sua cautela, & securitate, ut notat Tamb. *de Cambio* c. 5. n. 7. Si ergo datum sit pignus, vel fidejussor sufficiens, non licet mutuatori privato aliquid accipere ratione periculi; nam reipsa tunc sublatum est. An autem in montibus pietatis tunc etiam licitum sit aliquid accipere, dicam quæst. 3. At si nullum sit tale periculum, per se loquendo videtur nec posse exigi pignus; exigitur tamen vulgo absque scrupulo, eo quod in communi hominum convictu frequentes sunt fraudes, pro quibus proinde stat præsumptio non imprudentis periculi. Quæ dicta sunt de periculo amittendæ sortis, procedunt proportionaliter de prævisione molestiæ, & adhibendis expensis pro ea recuperanda. Addit tamen Pallav. apud Croix n. 857. mutuantem Principi, qui non poterit cogi, & forte non volet restituere, non posse ratione istius periculi aliquid accipere; quia alias talis Princeps necessitaretur semper ad dandum plus, quam accepit; sed contradicunt communiter alii, quia talis Princeps per suam malitiam, quæ prudenter prævidetur futura, cogit mutuatarium ad ita sibi compensandum periculum.

Denique multo magis licitum est mutuanti accipere aliquid, si in se suscipiat periculum rei mutuatæ, v. g. si navigaturo in Indias mutuet pecunias, & in se suscipiat periculum transportationis in Indias; dummodo alter libere consentiat in hunc contractum, juxta dicta in textu cit. Item, si mercatori navigaturo trans mare mutues 100. cum pacto, ut si navis pereat, nihil restituat; si redeat salva, solvat 125. non fore usuram, dicunt Nav. Laym. & alii; quia hoc periculum videtur æquale illi pretio, & potius hic est contractus sponsionis, & ludi, de quo infra. Denique in Regno Chinensi accipitur 30. per 100. absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis, sed ob aliquod periculum in recuperanda pecunia, eo quod, qui accipit, fugiat, aut tardet in solvendo, aut necessarium sit coram Judice repetere, & ob alia hujusmodi, & annuit S. Congr. ut refert Daniel Ep. 7. ad Alex. Natal. apud Croix n. 856.

Quæres primo, An liceat pacisci, ut mutuatarius, si non restituerit tempore statuto, aliquid solvat ultra sortem in pœnam suæ moræ?

Respondeo affirmative, ut dictum est d. t. c. 3. de pœna conventionali adjecta contractui; ideoque requiruntur etiam hic conditiones ibi dictæ: nimirum, ut mora sit culpabilis, & notabilis, ut pœna sit moderata, & ut reipsa apponatur ob periculum, ne nimium differatur, vel omittatur restitutio sortis; ideoque deterreatur mutuatarius ab ea dilapidanda, a fide violanda, &c. Si enim hæc non adsint, videtur potius apponi pœna pro pallianda usura, & tanquam pretium dilationis; ut, si non cures, utrum restituat tempore præfixo necne, sed ut possis lucrari ex mutuo, terminum illum cum pacto pœnali constituas, tunc enim non ex culpa, sed ex vi mutui censeris illud lucrum expectare: idemque est, si ut lucreris, brevem nimis terminum, intra quem scis, illum restituere non posse, constituas. Dictum est etiam loc. cit. hanc pœnam, utpote conventionalem, solvendam esse posita mora culpabili, probabilius ante sententiam Judicis; non autem ante expressam, vel tacitam petitionem mutuantis, nisi esset imposita ratione lucri cessantis, vel damni emergentis: Croix n. 897.

Quæres secundo, An liceat percipere fructus ex pignore dato a mutuatario in securitatem sortis?

Respondeo negative; Quia dominus pignoris est mutuatarius, adeoque fructus pertinent ad ipsum: unde etiamsi agrum sterilem, quem mutuatarius non colebat, acceperis in pignus, si tua diligentia inde fructus collegeris, teneris eos, deductis expensis, & laboribus in colendo, referre in sortem: Nav. Less. c. 20. n. 537. contra Sotum. Cæterum potes percipere fructus ratione lucri cessantis, damni emergentis, vel pœnæ conventionalis, juxta jam dicta, vel denum ratione expensarum in pignore custodiendo factarum: Less. & alii communiter. Item, si loco mutui emeris illud pignus cum pacto retrovendendi, donec scilicet alter illud redimeret; nam interim tua esset res, ejusque periculum, ideoque etiam fructus: quo sensu excusari etiam potest contractus Antichriseos, vulgo *A Godere*, quo scilicet convenitur, ut mutuans tandiu percipiat fructus rei oppignoratæ, donec sors ei restituatur; si autem non intercedat dicta emptio cum pacto retrovendendi, est usura, ut dicetur suo loco.

Quæres tertio, Qua ratione montes pietatis excusentur ab usura?

Respondeo, ex Concilio Later. sub Leone X. c. 10. licitos esse montes pietatis, *in quibus pro eorum indemnitate aliquid moderatum, ob solas ministrorum impensas, ultra sortem, absque lucro eorundem montium, recipitur.* Impensæ autem sunt sumptus necessarii pro stipendiis ministrorum, qui montem custodiunt, administrant, semperque parati esse debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, custodienda, reddenda: item pro conducenda domo montis, pro libris rationum, cæterisque necessariis instrumentis. Neque obstat, quod illi, qui dant pignora, pro quibus nihil causant molestiæ, ut sunt annuli, tantum solvant, quantum, qui dant molestiora, ut vestes; nam debet certa quædam, & æquabilis ratio erga omnes constitui; quando enim ob varias circumstantias non

potest

potest ubique servari æqualitas, sufficit aliquid generatim determinare, quod maxime videatur accidere: Less. c. 20. n. 194. Hinc in talibus montibus, publica auctoritate erectis, quandoque exiguntur usque ad 15. in 100. plus enim est licitum exigere illis, quamvis illicitum sit privatis; tum quia agunt causam omnium; cum maxime, quia faciunt ex publica auctoritate, quæ habet dominium altum in bona privatorum relate ad bonum commune: qua ratione videntur etiam posse aliquid exigere, ut mons augeatur, usquedum censeatur sufficere omnibus incolis, non autem amplius, neque exteris. Quod valde notandum, præsertim in montibus frumentariis, quibus solvitur octava pars in modium mutuo acceptum.

Sunt præterea liciti etiam montes mixti auctoritate publica erecti, qui dant similiter mutuum indigentibus, & ab aliis accipiunt mutuum, solvendo aliquid mutuantibus, seu potius emantibus census super monte fundatos; tales enim census sunt optimi, & securissimi; unde etiam nunquam deerunt, qui pecuniam copiose conferant, & mons poterit copiose aliis indigentibus mutuare.

C A P U T IV.

An sint alii tituli exigendi auctarium in mutuo?

CErtum est, te non posse quidquam exigere, eo quod mutuando privas te consolatione, quam habebas in possessione tuæ pecuniæ; quia privatio talis consolationis est intrinseca mutuo, & in commercio humano censetur ita levis, ut æstimari pretio non debeat: Croix n. 868. & alii communiter contra Caramuel. non bene in hoc audientem apud Dicastil.

Quæres primo, An liceat exigere, &c. eo quod pecunia præsens, qua te privas, censetur melior, quam futura restituenda a mutuatario?

Respondeo negative, ex prop. 41. damnata ab Inn. XI. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari*. Et ratio damnationis est, quia (præciso titulo lucri cessantis, vel damni emergentis, vel sortis amittendæ) pecunia præsens non est utilior, puta si mansura fuisset otiosa in arca, cum de se sit sterilis.

Hinc Val. Azor. Rebel. Less. & alii communiter contra Nav. Cajet. Bellar. & alios docent, esse usuram palliatam emere minoris, quam valent, apodixas, & credita immatura, quæ maturescent v. g. post annum, si ementi nullum sit probabile periculum damni intra talem annum eventuri, aut lucri cessaturi, nec sit difficilis, aut ambigua solutio. Contra vero, si mutuas Titio creditum 100. aureorum, quod tibi est difficilis solutionis, Titio vero facilis, cum pacto, ut restituat postea etiam 100. Mol. Less. c. 21. n. 76. Lug. l. 6. *Resp. Mor.* d. 8. dicunt, esse licitum, quia tanti valoris erat in se illud creditum; neque obstat, quod tale creditum acerbum, hoc est difficile, æstimetur minoris, itaut potuerit a Titio emi minori pretio, ut fatentur omnes, nam non ideo tenebaris vendere minoris, & poteras similiter pro eo acceptare æquale pretium, ut etiam fatentur communiter cum Lug. & Less. ergo potes etiam sic mutuare. Denique, si mercatores credito vendentes v. g. rem valentem ad summum 100. vendant pro 105. numerandis post annum, committunt usuram, nec illis favet hic titulus lucri cessantis; quia vendendo ad creditum (quod est virtualis mutuatio) plures habent emptores, pluresque res vendunt, & sic compensatur lucrum cessans, atque adeo illud non cessat ratione hujus venditionis: Dian. p. 2. t. 8. r. 34. Buseinb. & alii.

Quæres secundo, An liceat exigere, &c. eo quod mutuans te obliges ad non repetendam sortem intra certum tempus?

Respondeo negative, ex Prop. 42. damnata ab Alex. VII. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*. Et ratio damnationis est, quia obligatio ad carendum pecunia mutuata est intrinseca mutuo; & quamvis fiat ad longum tempus, id tamen aliud non est, quam mutuum prorogatum, seu extensio beneficii gratuiti: ergo, si nullum sit periculum lucri cessantis, damni emergentis, aut sortis amittendæ, nihil ex tali obligatione potes ultra sortem exigere. Idemque est, si proroges terminum, qui præfixus erat pro restituendo mutuo; sicut enim nihil potes exigere ratione præcedentis temporis, ita nec sequentis; quia quidquid exigitur ratione temporis præcise, est usurarium: D. Th. & alii communiter.

Itaque, si mutuans obliges te ad non repetendam sortem v. g. per decennium, vel prævides periculum probabile, quod interim ea indigeas, & poteris, aliquid exigere, ut serveris indemnis: vel non prævides tale periculum, & nihil potes exigere pro periculo mere possibili, ac remoto, juxta dicta cap. antecedenti. Cæterum, si expresse te obliges ad non repetendam sortem, etiamsi postea gravissime ea indigeres, Steph. apud Croix putat, posse aliquid exigere, quia talis obligatio ita expressa non videtur intrinseca mutuo, juxta dicta c. 1. q. 1. r. 3.

Quæres tertio, An liceat aliquid exigere a mutuatario tamquam debitum ex benevolentia, vel gratitudine?

Respondeo negative, ex Prop. 42. damnata ab Inn. XI. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, vel gratitudine debitum, sed solum, si exigatur, tanquam ex justitia debitum*. Et ratio damnationis est, quia hoc ipso, quod exigitur tanquam debitum determinate, jam exigitur tanquam ex justitia: obligatio enim gratitudinis, quæ dicitur antidoralis, non cogit ad conferendum aliquod temporale, sed sufficit, si mutuatarius oret pro mutuante, aut si exhibeat alia signa benevolentiæ, ostendendo se paratum ad succurrendum ei in necessitatibus, &c. ergo obligatio, ut ex gratitudine solvat determinate auctarium, est onus, quod non oritur præcise ex gratitudine, adeoque usurarium, Contra vero non est usura, si mutues cum spe tantum, seu desiderio recipiendi aliquid supra sortem ex mera benevolentia, & gratitudine mutuatarii, quia talis spes non obligat, sed relinquit ei libertatem, & consequenter, si det aliquid, censetur donare, ac pro suo libito velle sic remunerare, cum æque posset aliter: neque obstat illud Luc. 6. *Date mutuum nihil inde sperantes*, quod etiam habetur cap. *Consuluit*, *de Usur.* nam intelligitur de spe auctarii tanquam debiti immediate ex mutuo, non vero de spe mediante amicitia, vel gratitudine antidorali, cum plena libertate mutuatarii: D. Th. Nav. Mol. Les. Laym. & alii.

An autem sit usura, si mutuans moneat mutuatarium de hac gratuita remuneratione? Negant Cajet. Mol. Bonac. Salon. Lug. & alii, quia reipsa non obligat, sed tantum petit obligationem antidoralem, ad quam quivis beneficium accipiens jure naturæ tenetur. Verum hæc sententia non videtur practice probabilis; præsertim, si aliquod determinatum petatur, v. g. pecunia; nam obligationi antidorali satisfieri potest per quodvis: vel si petatur, antequam detur mutuum, cum sic mutuatarius intelligeretur non ex mera liberali gratitudine, sed ex tacita quadam conventione obligari: idemque est, si sciat ejus indolem, quod non soleat aliis gratis mutuare: vel demum, si mutuans sit nimis importunus in admonendo, cum sic mutuatarius cogatur dare, ut redimat vexationem: Croix n. 908. & alii apud ipsum.

An autem mutuans teneatur ad restitutionem, si ipse animo usurario acceperit remunerationem, mutuatarius vero dederit liberaliter, vel vice versa, si ipse putavit datum liberaliter, ille vero putavit dare tanquam debitum; dictum est c. 2. obligari in secundo casu, postquam id noverit, in primo vero casu non obligari, postquam ejus animum rescierit.

Quæres quarto, An liceat in mutuo contractus mohatra, *seu a Baratta?*

Respondeo negative, ex prop. 40. damnata ab Inn. XI. *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri*. Et ratio damnationis est, quia contractus mohatra est, cum Cajus indigens pecunia adit mercatorem, qui nolens mutuare, offert merces, ut emat eas pecunia credita pretio justo summo, puta 24. cum pacto sive explicito, sive implicito, ut easdem sibi revendat pecunia numerata pretio justo minori puta 20. sicque Cajus accipit 20. pecunia numerata, cum onere restituendi post annum 24. Hic certe habetur injustitia, quia venduntur merces pretio summo, licet justo, sed cum onere retrovendendi pretio minori, quod onus est supra valorem mercium: habetur etiam usura palliata, quia oretenus tantum fit venditio, & emptio, revera tamen habetur mutuum, & lucrum ex mutuo.

Cæterum, si mercator bona fide offerret Cajo merces ad creditum pretio summo, absque ullo pacto retrovendendi sibi, sed cui illi placeret; tunc si Cajus ei revenderet easdem pretio minori, satis probabile est, non committere

injustitiam, nec usuram; quia sic nihil exigeretur vi primæ venditionis: Nav. Mol. Less. Bonac. & alii. Peccare tamen posset talis mercator peccato scandali, si videretur velle ditescere ex miseriis Caii indigentis pecunia, & etiam contra charitatem, si videret gravem ejus indigentiam. Imo si in ea venditione dicat, *Paratus sum redimere, si velis, pretio minori*, quamvis speculative loquendo excusetur a Lugo; practice tamen facile intercedit pactum implicitum.

Quæret quinto, An sit usura mutuare cum pacto, ut mutuatarius aliquid tibi præstet?

Respondeo, Si mutues cum pacto, ut ille tibi de præsenti, non quidem donet, sed mutuet aliud, quod habet, vel vendat, aut emat (dummodo id non sit gravius illi, quam tibi tua mutuatio) probabiliter excusari ab usura; quia remutuare, vel vendere in præsenti, non est pretio æstimabile, nec petitur, ut pretium, sed ut mera conditio, sub qua vis mutuare: D. Th. Suar. Less. & alii. Similiter neque est usura, si te obliges ad mutuandam imposterum pecuniam cum pacto, quod alter vicissim se obliget ad mutuandum imposterum tibi frumentum, vel ad emendas a te merces, quia hæc reciproca obligatio (modo sit æqualis) non imponitur ratione mutui, sed propter obligationem mutuandi: Mol. & alii. Unde etiam fit, ut si mutues obligando te ad iterum mutuandum, quandocumque alter petierit, possis pro tali obligatione aliquid exigere; talis enim obligatio non est intrinseca mutuo, & est valde onerosa, & pretio æstimabilis: D. Th. Less. Tamb. & alii communiter contra Moyam. Contra vero, si mutues cum pacto, ut alter imposterum tibi vicissim mutuet, est usura; quia imponitur ei obligatio pretio æstimabilis, quæ non est intrinseca mutuo: D. Th. & alii communiter. Idemque est, si mutues cum pacto, ut colat tuos agros, etiam pro pretio justo; vel ut pro te fidejubeat in alio negotio; vel ut frequentet tuas officinas ad emendas merces; vel ut partem mutui accipiat in mercibus, quibus non indiget; vel ut restituat mutuum, v. g. pecuniarium in frumento, aliave re, licet æqualis valoris; vel ut partem mutui exigat a tuo debitore, a quo non facile extorquetur, vel ut interim, dum non restituitur mutuum, sis liber a tributis, aut oneribus justis solvendis, vel ut restituat mutuum frumentarium eo tempore, quo scis, fore majoris pretii, aut alibi, ubi pluris valet cum majoribus sumptibus, & laboribus; vel demum ut tibi remittat injuriam, quam aliunde non tenetur remittere. Ratio horum est, quia hæc omnia sunt extrinseca mutuo, & pretio æstimabilia: Croix n. 891. &c.

Non est autem usura, si mutues cum pacto, ut tibi remittat odium, vindictam, aut exequatur aliquid aliunde debitum ex justitia; quia sic petis, quod aliunde debetur: si autem, ne exequatur aliquid debitum tantum ex charitate, Nav. Sal. & alii dicunt, esse usuram, quia superadditur nova obligatio justitiæ, & hæc sententia est probabilior; quia obligatio justitiæ obligat etiam ad damna sequuta, quod non facit obligatio charitatis: sed Pal. & alii negant, quia obligatio justitiæ addita debito charitatis cedit potius in utilitatem ejus, quem obligat, ut contra charitatem non peccet: utramque sententiam vocat probabilem Tamb. apud Croix n. 894. Si vero mutuas cum pacto, ut honoreris, vel commenderis ab illo, est usura; quia, quamvis laus non sit pretio æstimabilis, tamen est talis obligatio ad illam; ideoque, quamvis D. Th. dicat, licere pro mutuo amorem, benevolentiam, & similia; tamen hæc exigere, tanquam debita, est usura, ut notat Val. idemque est, si mutues cum pacto Beneficii Ecclesiastici, Reliquiæ, Sacramenti, &c. in quibus est etiam Simonia.

Quæres demum, Quandonam committatur usura circa alios contractus?

Respondeo, Si petenti mutuum dicas, non mutuo, sed hac pecunia emo operas tuas ad futuram messem, quanti tunc valebunt, non est usura; quia tunc non est mutuum, sed emptio operum cum anticipata solutione pretii: Mol. Laym. & alii communiter. Item, si petenti 100. ducatos mutuo dicas, non mutuo, sed a te emo tuas sex vaccas pro 100. quos trado, easque vaccas tibi iterum loco pro annua pensione 12. ducatorum, non est usura; quia periculum vaccarum spectat ad te Dominum; est tamen periculum usuræ, si non fiat sincere, nec serventur conditiones locationis: Croix n. 895. Si deponas pecuniam apud Titium, data ei facultate utendi cum pacto, ut pro usu solvat aliquid annuatim, est usura palliata; quia videtur reipsa mutuum, ut habetur *l. Certi*, *ff. de Reb. cred.* cum enim detur jus disponendi de re usu consumptibili, reipsa transfertur dominium: Laym. & alii. Idem est, si constituas Titium Procuratorem tuorum redituum, data ei facultate utendi tuis pecuniis cum pacto, ut aliquid amplius solvat: Croix n. 898.

Contractus *Antichriseos*, vulgo *a godere*, est contractus pignoris, vel hypothecæ adjectus mutuo, quo convenitur, ut mutuator tamdiu percipiat fructus rei oppignoratæ, vel hypothecatæ, donec sors restituatur: an autem id liceat, videbimus d. 3.

* Meminisse hic ultimo juvat Epistolæ Encyclicæ Benedicti XIV. editæ hac super re die 1. Nov. 1745. incipientis: *Vix pervenit*, cujus hæc summa:

I. Coacta coram Pontifice Congregatione ex Cardinalibus, Theologis, Virisque Canonum peritissimis, Pontifex præcepit, Doctrinam de Usura exponi. Doctrina unanimi illorum consensu probata hæc continet. Primo: *Quod Usura sit lucrum ultra sortem ratione mutui proveniens*: Secundo: *Quod ad istam labem purgandam nullum accersiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non est magnum, sed exiguum; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; vel datam sibi mutuo summam non relicturus otiosam, sed eam utilissime sit impensurus*. Tertio: *Per hæc non negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos concurrere, aliosque diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus, ex quibus justa causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitum rite exigendi*. Quarto: *In ejusmodi contractibus servari debet æqualitas, itaut ne quid plus justo recipiatur, si minus ad usuram spectans; at certe ad aliam veram injustitiam*. Quinto: *Illud animadvertendum, falso sibi quemquam persuasurum cum divinis Documentis, Ecclesiæ judicio de Usura, sensui communi, & naturali rationi adversetur, reperiri semper titulos justos in mutuo; vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum præsidio semper liceat auctariam moderatum; Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur Homo simplici, ac nudo mutuo alteri succurrere, Christo Domino dicente*: Volenti mutuare a te ne avertaris. Math. 5. 42. *Et quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, justoque contractui locus esse possit*.

II. Pontifex relatam doctrinam probat, eamque doceri, & servari jubet, & eum, *qui parere detrectet, obnoxium declarat, & subjectum pœnis per Sacros Canones statutis in eos, qui mandata Apostolica contempserint, ac violarint. De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil*, ait, *in præsentia statuimus: nihil modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diversas abeant sententias*. *

DISPUTATIO III.

De Contractibus Onerosis.

CONTRACTUS Onerosi præcipue sunt Emptio, & Venditio, Census, Cambium, Societas, Sponsio, & Ludus, Locatio, & Conductio, Emphyteusis, Libellus, & Feudum, Assecuratio, Fidejussio, Pignus, & Hypotheca. De omnibus est hic agendum.

QUÆSTIO I.

De Emptione, & Venditione.

EMPTIO est *Pactio pretii pro merce*: Venditio est *Pactio mercis pro pretio*; ut colligitur ex *l. 1. ff. de Contr. Empt.* Itaque videndum I. de Pretio: II. de Merce: III. de ipsa Venditionis, & Emptionis pactione.

CAPUT I.

Quid de Pretio?

PRETIUM est *Pecunia, quæ pro merce datur*. Hinc ante inventionem pecuniæ non erat emptio, & venditio, sed tantum permutatio rerum per contractum innominatum *Do, ut des*. Quia vero id erat vulgo incommodum, inventa est pecunia, ut esset mensura, & pretium omnium, quæ in contractus humanos veniunt, ut not. Philos. 5. eth. 5.

Quæret primo, Quodnam sit pretium justum?

Respondeo, Esse illud, quod taxatum est, vel a Lege, vel a communi hominum æstimatione: illud dicitur legitimum, seu legale: hoc vulgare, seu naturale. Itaque

I. Pre-

I. Pretium legale consistit in indivisibili, & ex justitia servari debet sub onere restitutionis: desinit autem obligare hæc taxa legalis, si ab initio, vel mutatis deinde circumstantiis fiat certo injusta, hoc est infra, aut supra fines pretii naturalis: Illsun. n. 309. cum communi: aut, si res tuæ sint notabiliter meliores, vel alienæ deteriores, quam quæ communiter in foro venduntur; aut si Superior permittat vendi extra taxam, quamvis unum, vel alterum puniat: Fagund., Tamb., & alii, Potest autem emptor emere infra taxam, si hæc in ejus favorem sit posita, quia nemo obligatur uti tali favore: contra vero peccat v. g. macellarius, si meliores carnes vendat supra taxam, ossa vero, & viliora infra taxam, quia tenetur æqualiter partiri carnes cum proportione partium meliorum, & viliorum: Croix n. 931.

II. Pretium naturale, seu vulgare, quod scilicet seclusa lege positiva res habent ex communi hominum æstimatione, est triplex: infimum, medium, summum. Qua in re, si pretium medium sit 10., infimum erit 8., summum 12. & ita de aliis, servata proportione; semper tamen minuendo, ut putat Mol., ut si medium sit 100. infimum debeat esse 95. summum 105. Notat tamen Spor. pro hoc tempore id dici scrupulose; ideoque, putat standum judicio prudentium, secundum circumstantias fori, & communem sensum negotiatorum: Croix n. 932. Itaque, si pretium non sit taxatum a lege, licite vendi, aut emi potest merx intra latitudinem pretii vulgaris sive summi, sive medii, sive infimi. Noto etiam, hoc pretium secundum suam latitudinem sæpe mutari; nam crescere potest ex penuria mercis; item ex frequentia emptorum, & pecuniarum; item, si res vendatur apud celebrem artificem, quia hujus nobilitas celebrat artefactum; item, qui res minutim vendunt, possunt aliquanto carius vendere, quam, qui in magna simul quantitate, quia majores expensas, labores, &c. expendere debent ad eas conservandas: Salon., Trul., & alii. Item vendi potest res carius pretio currente, si adsint alii boni tituli, & de his emptor moneatur, cum sic non fiat ei injuria; tales sunt lucrum cessans, damnum emergens, incommodum, vel molestia tibi obventura ex rei venditione, &c. Laym. & alii: At non licet vendere rem ultra pretium justum hoc solo titulo, quod videas, emptorem valde ea indigere, aut erga illam affici, quia indigentia illa, vel affectus emptoris non est quid merci intrinsecum: Bon., Less. n. 31., & alii: neque eo titulo, quod ipse venditor circa eam mercem passus sit infortunium; quia res tanti valet, quanti æstimatur communiter, non quanti tibi per infortunium, vel imprudentiam valuit; quod si infortunium multis mercatoribus commune induceret penuriam mercis, jam augeri posset pretium, etiam pro eo, qui infortunium non esset passus: Croix n. 933.

Contra vero, decrescere potest pretium vulgare ex copia mercium; item ex penuria emptorum, vel pecuniarum; item, si emptor multa simul emat ab eodem, quia tunc eum liberat multis curis, & expeditum facit ad alia nova comparanda: Bon., Less. n. 32.; item merces extra officinam ultro oblatæ vilescunt pro tertia parte ex communi proverbio apud Cajet., imo secundum Reb., & alios vilescunt usque ad dimidium; quia signum est, quod sit, vel paucitas emptorum, vel modica mercis necessitas, aut exigua utilitas. Item potest emptor rem emere vilius, quam valeat, si ei non sit commoda, vel emat in gratiam venditoris, aut similes sint circumstantiæ, quæ rem faciant viliorem. Quod autem venditor necessitate ductus vendat vilius, non facit, ut venditio non sit voluntaria, inquit Cajet.; potest tamen peccari contra charitatem, si, quando pauperculi extrema inopia res suas vendere coguntur, nimis viliter ab eis emas: Laym. n. 10.

Quæres secundo; Ad quid teneatur, qui vendidit rem supra summum pretium, vel emit infra infimum?

Respondeo, Si læsio sit ultra, vel infra dimidium justi pretii, dari sæpe, etiam in foro externo, actionem contra lædentem, ut, vel rescindatur contractus, vel reducatur ad æqualitatem: Pal., Illsun. a n. 419. Si autem excessus, vel defectus non attingat dimidium justi pretii, sit tamen extra hujus fines, quamvis aliqui Juristæ dixerint licere; tamen Doctores communiter cum D. Th. docent, certam esse in conscientia obligationem restituendi, quia revera fit injuria. Excipe res, quæ sub hasta venduntur, quæ admittunt totum illud pretium, quod sine fraude haberi potest, ideoque emi, vel vendi possunt pretio parvo, vel magno, etiam infra, vel supra dimidium, quo venderentur in officina; quia ita usus præscripsit: Mol., Bon., Laym., & alii.

Quæres tertio, An, qui scit pretium mercis mox notabiliter augendum, emere eam possit pretio nunc currente multo minore?

Respondeo affirmative, Si id sciat scientia privata: idemque est, si privatim sciat, mercedem, vel monetam aliquam mox prohibendam. Ratio est, quia potest mercem vendere, vel exponere monetam secundum æstimationem præsentem, cum hoc sit justum pretium, aut valor publicus pro nunc, nec ei nocere debeat privata notitia, quam de re aliqua habet: Croix n. 938. Dixi, *Notitia privata*; nam omnes cum Lug. d. 26. n. 140. docent, Magistratus ipsos, qui pretia rerum mutant, vel talia vendi, aut exponi prohibent, non excusari, si studio id faciant, vel expectent, donec ipsi omnia sua vendiderint, aut exposuerint, quia ex officio tenentur impedire damna communia, & facere, ut ex suis legibus, quantum fieri potest, unus non gravetur præ altero. Addit tamen Lug., posse eos non aliter, ac alios, bona fide vendere sua, non obstante tali notitia, quando in eadem quantitate sine tali notitia vendituri fuissent. Item, si quæstor jubeatur a Principe, ut statim vendat 100. modios pretio currenti, v. g. singulos aureo, & sciat, pretium augendum intra mensem, licite facit dando Principi 100. aureos, volendo sibi rem emere cum spe istius lucri post mensem; quia habebat jus emendi non aliter, ac quivis alius: Croix n. 939.

Quæres quarto, An res, quæ non habent pretium legitimum, nec vulgare, possint vendi, quanti volet Dominus?

Respondeo, Has res esse, quæ dicuntur raræ, & peregrinæ, & voluptuosæ, ut gemmæ quædam, insignes canes, falcones, aves indicæ, picturæ veteres, & similia; & de his affirmant Sot., Med., Led., Salon., Valenc., Nav., Sa, Baun., & alii, quia, cum non sint necessaria vitæ humanæ, non veniunt in commercium, & taxationem communem; ideoque, si quis velit ea emere, censebitur sponte velle dare, quantum alter exigit; alioquin enim non emeret, cum nulla necessitas eum ad hoc compellat. E contra Cajet., Mol., Rebel., Less., Sal., Pal., & alii putant, non posse vendi, nisi quantum prudentium arbitrio spectatis circumstantiis censetur, quia non ideo res tanti valet, quia venditori placet eam tanti vendere, sed quia ita judicio prudentium videtur: atque hæc sententia est probabilior, licet illa sit etiam probabilis: Croix n. 941.

Quæres quinto, An liceat vendere rem supra summum pretium præcise ob dilationem solutionis, aut emere infra infimum pretium præcise ob anticipatam solutionem?

Respondeo negative; Quia utrobique habetur implicitum quoddam mutuum, & consequenter usura; dum enim venditor permittit dilationem solutionis, perinde facit, ac si acceptam pecuniam ab emptore eidem mutuet: & similiter, dum emptor anticipat solutionem, implicite mutuat: ergo, dum talis venditor pro dilatione solutionis aliquid accipit ultra pretium summum, est usurarius: & similiter est usurarius talis emptor, dum ei res empta pluris valens traditur: Doctores communiter. Dixi, *Præcise*; nam, si vendendo ad creditum, interveniat titulus lucri cessantis (nisi forte hoc compensetur frequentia emptorum) aut damni emergentis, aut periculi sortis, potest merx vendi carius pretio summo, juxta dicta in de Mutuo; uti etiam, si certum, vel satis probabile sit, rem tempore solutionis pluris valituram, & eam venditor constituerat usque ad illud tempus servare (qua ratione etiam posset præsenti pecunia pluris vendere) secus vero, si non constituerat servare: Less. c. 21. n. 52. Item merces, quæ ingenti copia ex India, aliisque locis deferuntur ad emporia, & communiter vendi solent credito variis mercatoribus ad terminum, ut dicitur, 6. 8. 9. vel 10. mensium, licite carius venduntur; quia hic modus facit, ut plurimi emptores sese offerant, quorum copia auget pretium: Less. n. 57. Similiter contra minui potest pretium in anticipata solutione, si ex modo sic emendi contingat, esse paucos emptores, & multos venditores, vel si interveniant tituli jam dicti.

Quæres sexto, An liceat emere minoris apodixas, chirographa, & credita acerba, quæ scilicet maturescent post annum?

Respondeo, Posse, si ea sint dubia, aut difficilis exigentiæ, &c. Doctores communiter: quod verum est, etsi eadem ob singularem circumstantiam essent facilia ementi; quia eorum æstimatio pendet ex communi æstimatione, licet huic, vel illi aliter contingat: Mol., Less., Bonac., Laym., Lug., & alii probabilius contra alios. Si autem ea credita sint certa, & facilia, nec adsit damnum, nec cesset lucrum emen-

ementi, adhuc posse ea emi minoris, putant Cajet. Ab. & alii, quos sequitur Dian. quia jus recipiendi post annum v. g. 100. videtue quoad humanum usum quid minus, quam 100. præsenses; sed communissime contradicunt D. Th. Lug. Les. & alii, quia committeretur usura ob virtuale mutuum, juxta dicta d. 2. q. 4. c. 3. excipiunt tamen Nav. & Less. nisi talia credita obtendercntur, quia merces ultroneæ vilescunt, & merito tunc præsumitue subesse vitium, vel periculum; ideoque notat Lugo, in praxi veram esse primam sententiam, cum vix sint credita tam certa, ut absit omne periculum sortis, sumptuum, aut molestiarum; additque contra Mol. posse etiam emi minoris ab ipsomet debitore, dummodo ipse non sit causa difficultatum, &c.

Si Cajus habent eedditum annuum 6. aureorum, ob indigentiam pecuniæ eum vendat Titio ad sres annos pro 16. aureis, D. Th. *Opus.* 73. c. 9. recte ais, essa usoram ex parte Titii, quia plus acquirit, aut saltem certo sperat, quam det, estque virtuale mutuom. Si Cajut prætendens deberi sibi 100. a Titio, veodat hanc actionem litigiosam Sempronio pro 40. addens, se gratis ei donare reliquos 60. Justin. *l.* 23. cap. *Mandati* statuit, Titium satisfacere solvendo Sempronio solos 40. quos ie dedit Cajo pro cessione illa, eo quod per istas emptiones litium dantut occasiones vexandi proximum; verum hæc lex, cum sit pœnalis, non obligat in conscientia Sempronium, ot acquiescat, nisi post sententiam Judieis; ut notant communiter cum Haunol. Denique, si Cajos debeat Titio 100. solvendo singulis aonis 5. pro interesse, rogetque Semproniom, ut suscipiat in se debitum ad quatuor annos, promittens ei post 4. annos satisfacere: Sempronius autem primo anno solvat capitale Titio, sicque se liberet ab interesse solveodo, Lug. d. 28. puiat, Cajum post quatuor annos teneri dare Sempronio 120. quia talis contractus fuit ab initio justus.

Quæres demum, An vendens eem frugiferam ad creditum possit contrahere cum emptore de percipiendis fructibue, donec solvatur pretium, vel de peosione solveoda?

Respondeo negative, per se loquendo, quia res vendita eransit io dominium emptoris, cui proinde perit, si pereat; ideoque illi debentur fructus, nec tenetoe ad pensionem præcise ratione dilatæ solutionis: Reb. Les. Laym. Pal. & alii communiter contra Covar. Mol. & alios. Dixi, *Per se loquendo*; nam, si vendisori emergat damnum, vel cesset lucrum ex tali dilatione, aut si suscipiat in se periculum rei venditæ, potest percipere fructus saltem ex paete, uti statuitur a lege: idemque est, si contrahentes velint, tamdiu eem oon ceoseri venditam, sed quasi locatam sub certa pensiooe, usquedum solvatur pretium, quia sic periculum eemanet apud venditorem, tamquam dominum. Præterea Lug. d. 25. n. 140. & alii putant, posse venditorem, translato rei dominio, velle retinere sibi jus ad fructus, dooec ei solvatur peetium, tumque locatis fructibus axigere aliquam pro his peosionem; sed in hoc contradicunt communiter Doctores apud Croix n. 981.

CAPUT II.

Quid de Merce?

MErx vocatur quævis ret vendibilis, tales sunt omnes eet mobiles, & immobiles, actiones, & jura, quæ pecunia æstimari, & comparari solent: item pecunia ipsa, non secundum se, sed eatione materiæ, vel circumstantiæ antiquitatis, novitatis, pulchritudinis, &c. Item omnia bona præsentia, & futura; hæc enim uno actu simul vendi possuos (licet non possint donari, juxta dicta d. 2. q. 1. c. 2.) quia per talem venditionem non impeditue libera facultas testandi. Item merx vendibilis est hæreditas jam delasa, non tamen, quæ expectatur ab homine vivente; hujus enim venditio est irrita, utpote contra bonos mores, juxta dicta d. 5. Neque Beoeficia, & reliquæ res Sacræ, utpoce pretio inæstimabiles, juxta dicenda in de Simonia. Neque demum officia temporalia, quæ jure naturæ iovendibilia dicunt Ande. & Salon. Jure tantum positivo dieit Azor. quod tameo passim non observatue, etiam in Curia Romana, modo vendantur pretio moderato, & iis, qui bene officium administrent.

Quæres primo, An venditor teneatue vitium, vel emptoe bonitatem mercis manifestare?

Respondeo primo, Si visium sit ita manifestum, ut quivis facile possit advertere, non teneri venditorem illud edicere, dummodo rem illam vendat justo pretio etiam considerato tali vitio, quia sibi imputet emptor, quod non adverterit: D. Th. & alii communiter. Excipe, nisi emptor ob imperitiam, aut aliam invincibilem ignorantiam advertere non potuit, quia respectu hujus est, ac si esset occultum, ut recte limitant communiter cum Pal. p. 22. n. 7. Si vitium sit occultum, & emptor interroget, tenetue vendens manifestare, quia secus habetur dolus dans causam contractui: Doctores communiter; quod Sporee putat esse verum, etiamsi vitium esset leve, quia emptoe ioterrogando satis declaravit, se habere voluntatem emendi tantum conditionatam, si nullum vitium inesset, quod scire voluit; quamvis tunc possit venditor tacito vitio dicere, se bona fide vendere, spondendo indemnitatem, ut addit Tamb. apud Croix num. 950. Si vero emptor non interrogee, tuoc, si vitium occultum sit grave relate ad finem ab emptore intentum, tenetur venditor ex se manifestare; quia secus deciperet in re gravi: Salon. Rebel. Pal. & alii communitee contra Gabriel. & sic peccat eum obligatione restituendi, qui frumeotum venditurus ponia prius in loco humido, ot intumescat: si vero vitium illud occultum non reddat mercem inutilem fini ab emptore intento, vel sit admodum leee, satis probabile est, non teneri manifestare, quia sic res non venditur pluris, quam justo pretio, ideoque non fit ementi injuria, licet foete emptio secundum quid sit involuntaria: Sot. Val. Pal. & alii contra Ab. Reb. & alios.

Respoodeo secuodo, Emptorem teneri manifestare venditori simplici, & ignaro bonitatem mercis, puta gemmæ, quam is invenit, & vendere vult nesciens ejus valorem; quia secus non emit pretio justo, seu non taoti, quanti in commuoi æstimatione valet: Doctores communiter eum Pal. n. 4. idque verum est, etiamsi emptor dicat, *Volo tanti emere, si condones, si forte valeat supra*, quia sic venditor non condonat libere, sed involontarie: Mol. Lug. & alii communiter contre Cajet. & Armil. Contra vero, si res in communi æstimatione sit vilis, & pro tali ematue, juste retinetue, etsi deio cognoscatur esse pretiosa, quia empta est justo pretio vulgari, adeoque absque errore in substaotia morali: Doctores communiter cum Tamb. n. 41. Idem dicunt Lug. & Bonac. de illo, qui emeret piscem, in quo reperirat gemmam, aut saccum lanæ hosti ereptum, in quo lateret pecunia, aut fascem herbarum sciens, unam ibi esse pretiosam, & aliis communiter ignotam. Idem dicunt D. Th. Bonac. Lug. & alii multi contra Vasq. Tur. Dian. & alios, si quis emeret agrum communi pretio, sciens, ibi esse occultum thesaurum, vel venam auream, quia juxta communem hominum æstimatiooem illud est justum pretium talis fundi, qui nec emitor eatiooe rei latentis, sed ratione superficiei, nec res latens est pars, aut fructus agri, & hoc daso, tamen pretio æstimari non solet, nisi communiter cognoscatur saltem a venditore: scientia autem privata ementis ei nocere noo debet: secus enim alles deterioris conditionis, quam quicumque alius, qoi ignorans rem ibi lateotem emeret communi pretio, & postea resciens non debet hoc compensare. Denique neque committit dolum, quia otitue jure suo, quod ei dat communis æstimatio: Less. Bon. & alii.

Respondeo tartio, Emptorem, qui solvit pretiom in moneta falsa taotum formalitee, hoc est in mateeia bona, sed cum signo Principis sine ulla auctoritate, non teneei tale vitium manifestare; quia, licet eudens peccaverit, tamen, si ea postea exponatue, habet valorem intrinsecum, & communem. At si est materialitee falsa, hoc est non habane pondus communitee requisitum, aut justam ligam saltem in parte notabili, qui scienter exponit, peccat contra justitiam cum onere restituendi: & qui igooranter exposuit, tenetur, id eesciens, commutare: & similiter, qui ab eo ignoranter accepie, & postea advertens defectum nescias, a quo accepecit, tenetur supprimere, aut vendere, quanti potest, manifestando vitium: Nav. & alii communiter. Hinc non est audiendus Dian. p. 3. t. 6. e. 3. dicens, probabilitee noo obligari ad restitutionem, qui bona fide eam exposuit, vel accepit; non enim ei licet decipere alium, eo qood ipse sit deceptus ab aliis, sed suum detrimentum assignare debet suæ imprudentiæ, vel casui. Denique D. Th. *Opusc.* 73. c. 9. ex Aristotale ait, esse vitium usuræ, si quis cudet monetam, ut seipsum reddat ditiorem, intendendo tantom ejus multiplicationem sine necessitase Reipublicæ.

Quæres secundo, Quid sit dicendum de venditione mercie, in qua iotercedat fraut, vel mendacium?

Respondeo primo, Si fraude, vel mendacio inducas emptorem ad emendam mercem majori pretio, quam em-

pturus

pturus esset, teneris ad restitutionem excessus, quamvis pretium, quod dedit, adhuc fuerit intra fines justi; ratio est, quia agis contra jus, quod quisque habet, ne fraude, vel mendacio inducatur ad aliquod damnum: Pal. p. 35., & alii. Idem est, si fingas literas, vel spargas falsum rumorem de navibus submersis, quæ similes merces vehebant; ideoque carius vendas merces tuas: Pal., Reb., & alii. Si autem pretium sit jam auctum ex falso rumore non causato a te, Med., & Graff. te excusant a restitutione, si fuisti inscius fraudis; secus vero, si fuisti conscius; quamvis in neutro casu te excuset Pal., eo quod pretium falsis, & iniquis rumoribus introductum non sit voluntarie a Republica constitutum, nec approbatum. Cæterum, si ementi tantum diceres, vel etiam jurares, rem tibi pluris constare, pluris vendidisse aliis, te non posse vendere minoris, &c., tuus emens sic inducatur ad plus (intra fines justi pretii) dandum, non est obligatio restituendi, quia, licet peccaveris sic mentiens, aut jurans, tamen satis notum est, talia communiter dici a venditoribus, licet vera non sint; ideoque sibi imputet, qui credit: Rebel., & Pal.

Respondeo secundo, Si vino meliori vinum vilius admisceas, itaut ad commune fori vinum accedas, & hujus pretio vendas, licitum esse, dicunt Doctores communiter: idemque est de alia merce, quæ ex alterius rei mixtione non reddatur deterior, quam illa, quæ simili pretio venditur communiter ab aliis: Mol., Laym., aliique 12. Apud Mendo. At si vino aquam admisceas, absolute non licere, dicunt Tamb., & alii multi, quia sic semper redditur in se deterius, & citius acescit; quamvis Laym. c. 17. n. 15. ex Rebel. excuset, si aliter non possis vendere pretio justo, aut si injuste taxatum sit ejus pretium, & ematur, ut cito bibatur, ut cautius addunt alii, modo medicinæ non deserviat. v. Tamb. Denique, si merx secundum se deterior ita per industriam admisceatur, ut res melius temperetur, posse vendi consueto pretio, dicunt Less., & Lop.; negant tamen Pal., & alii cum Mendo, quia sic daretur occasio injuriis; Croix n. 957.

Respondeo tertio, Si vendas quid pro quo (ut Pharmacopolæ, qui ne cogantur fateri, se non habere certas species petitas, supponunt alias) est injustitia gravis, vel levis, pro ratione damni, vel periculi ægro causati; secus vero, si res sit æquivalens virtute, nec ullum sit tale periculum: Doctores communiter. Si vendas mercem pretio infimo, sed tradas minorem mensuram, ita tamen, ut spectata etiam diminutione mensuræ maneatur intra fines justi pretii, adhuc est injustitia, dicit Spor. apud Croix n. 954., quia non stas contractui, quem iniisti de tradenda integra mensura; imo sic fraudas etiam alios mercatores, qui jus habent, ne ementes per talem fraudem a suis officinis absterreantur. Denique, si Pistores faciant panes minoris ponderis, eo quod alioquin justum pretium secundum magistratus taxationem consequi non possunt, licitum esse, inquiunt Laym., & Rebel.; sed recte notat Pal., non esse facile præsumendam iniquitatem magistratus in taxando pretio, licet forte privatus per accidens patiatur damnum, quod alia via facile compensabitur majori lucro.

Respondeo quarto, Si vendas in fraudem creditorum, quibus re vendita non poteris satisfacere, peccas; venditio tamen est valida, si facta sit nescienti; si tamen facta sit scienti, rescindi potest a creditoribus intra annum, postea vero Mol., Less., & alii dicunt, emptorem esse in conscientia tutum, quod negant Nav., Laym., & alii, & utrumque est probabile: Croix n. 958. Si emas rem obligatam ad debita, teneris ad illa, quia res transit cum onere suo reali; nisi vero vendita fuerit ob extremam necessitatem, ut limitat Lug. d. 17. an. 95., sicut enim poterat tunc consumi, ita alienari tamquam libera onere pro pleno pretio.

Quæres tertio, Quid dicendum de merce furtiva, vel de pretio furtivo?

Respondeo primo de merce: Si scias rem, quæ venditur, esse furtivam, potes modico pretio emere animo reddendi domino suo, si datum pretium refundat, quia sic utiliter geris ejus negotium: Doctores communiter; imo, si prudenter judicasses, illum voluisse refundere etiam magnum pretium, ideoque hoc furi dedisses, potes etiam hoc a Domino exigere, quia censeris utiliter gessisse illius negotium ex præsumpta ejus voluntate: Less., Tamb., & alii plures contra Lug. Contra vero, si eam emas animo retinendi, facis domino injuriam, etiamsi scias, ab aliis emendam, vel consumendam; quia quicumque sic emens cooperatur furi: ergo tu præveniens in emendo prævenis in injuria: idemque est, si prudenter dubites, eam esse furtivam, quia exponis te periculo usurpandi alienum; nisi vero dubium sit leve, cum delicta non præsumantur. Quod si certo sciens, rem esse alienam, tamen præsumeres, a domino haberi jam pro derelicta, potes emere tibi etiam vilissimo pretio, quia sic facis tuam titulo occupationis: domino tamen postea comparenti deberes reddere, si eam reipsa non habuisset pro derelicta: Tamb. c. 8. n. 14.

Si tum venditor, tum emptor sciant, mercem, v. g. equum esse alienum, restitui debet pretium emptori, & equus suo domino, quia contractus ex utraque parte fuit nullus: idemque est, si neuter, vel si solus venditor sciat, equum esse alienum, quia sic emens non vult transferre dominium pretii, nisi obtineat dominium equi, quod in casu non obtinet, contra Less. At, si solus emptor sciat, equum esse alienum, venditor autem bona fide putet, esse suum, hic acquirit dominium pretii jam accepti, quia hoc ille voluntarie transtulit, cum sciret, se non posse acquirere dominium equi: Croix n. 694. ex l. 28. *de Contrah. empt.*

Emptor bonæ fidei, qui eadem bona fide vendidit Cajo equum furtivum, postquam id noverit, tenetur restituere pretium Cajo, si equus a proprio domino repetatur, quia tenetur Cajo de evictione: Doctores communiter; at non tenetur restituere illud pretium domino equi jam mortui apud Cajum, quia illud erat Caji, nec succedis in locum equi, quem bona fide dedit: Sanch., Laym., Lug., & alii contra Sot., Med., Cov., Nav., & alios apud Croix n. *966.* At, si equum dono acceptum a fure vendidisses Cajo pretio summo, teneris pretium saltem medium dare domino equi, quia secus ex re aliena fieres ditior; excessus autem censetur potius fructus tuæ industriæ: Lugo d. 17. n. 105. Idemque probabiliter est, si equum emptum a fure vendidisses Cajo pretio summo, & postea redemisses pretio medio, cum hic etiam excessus sit fructus industriæ, vel fortunæ: Mol., Reb., Less., Laym., Lug. n. 19.

Denique licitum est bona fidelium injusto bello a Piratis capta emere sibi; quia præsumitur voluntas dominorum esse, ut potius fideles ea sibi habeant, quam infideles: requiritur tamen animus restituendi sic empta, si domini compareant, & pretium datum reddant; ita ex Decr. S. C. approb. ab Urb. VIII. apud Croix n. *972.* Idem probabiliter est, si emas bona immobilia Ecclesiastica ab Hæreticis possessa, & retineas usquedum ab Ecclesia occupari possint, quia hic etiam est præsumpta voluntas Papæ, & dominorum; si autem sint bona mobilia, debes, si potes, tradere Ecclesiæ, & datum pretium ab ea repetere: Croix ibid.

Respondeo secundo de pretio furtivo: Si pro venditione tui equi bona fide accepisti pretium furtivum, & deinde compareat dominus pretii, teneris reddere, si adhuc extet; si autem consumpseris, vel immiscueris tuis pecuniis, ut discerni non possit, ad nihil teneris, quia non es factus ditior: Nav., Sanch., Vasq., Laym., & alii communiter. Idem est, si bona fide emisti triticum alienum, & immiscuisti tuo, quia per mixtionem factum est tuum.

Quæres quarto, Quid dicendum de iis, qui vendunt, vel emunt ex mandato alterius?

Respondeo, Si cui datum est aliquid vendendum pretio, v. g. medio, & is vendat summo, Less. negat, posse sibi retinere excessum, quia Dominus sic determinando videtur solum voluisse, ne venderetur infra, non autem, ne supra; sed probabile est, posse, quia sua industria acquisivit: Busemb., & alii; & consentit Less., si ille rem sibi emerit pretio illo determinato, & postea suo nomine venderet pluris. At, si Dominus ei mandasset rem vendere meliori modo, quo posset, tunc, si is sit in ejus famulatu, vel mercede conductus, vel gratis hoc officium præstandum suscepit, quanticumque vendat, nihil potest sibi usurpare: Less. c. 21. n. 138., nisi vero industriam, ac laborem omnino indebitum ea intentione adhibuerit. Eadem dic de iis, quibus mandatur aliquid vendere, & de Proxenetis, vulgo *Sensali*. Denique Sartores pro aliis ementes pannum a suis mercatoribus minoris, quam communiter alii emunt, possunt partem pretii sibi remissam retinere; quia sic nulli fit injuria: Bus., Fil., Dian., p. 1. t. 8. r. 26. contra Sal. Si Cajus ex commissione Titii adhibita debita diligentia comperit, pretium rei offerri 1000., &, dum eam liberat, alius obtulit 1500., ac retinuit sibi 500. bona fide, ex Lug. eruitur posse retinere; quia virtualiter habuit voluntatem sibi prius emendi, &c.

Quæres quinto, Quid dicendum de periculo, & commodo rei venditæ?

Respondeo primo, Si res vendita pereat post traditionem,

nem, perit emptori, etiamsi pretium nondum solverit; at si pereat ante traditionem, tunc, si res sit certa, ac determinata, puta hic equus, hoc dolium vini, etiam perit emptori, adeoque non teneiur venditor ejus pretium restituere; quia talis venditio absolute, & perfecte celebrata sufficiens est jure gentium ad transferendum dominium; quod autem reipsa dominium rei nondum traditæ non transferatur, est ex dispositione juris civilis, quod tamen noluit impedire, ne omnia rei commoda, & incommoda ad emptorem pertinerent: Less. c. 21. n. 96., & alii communiter ex *plur. leg.* Excipe, nisi aliter sit conventum, vel nisi venditor sit in mora tradendi, vel nisi sua culpa res periisset; sic enim teneretur reficere damnum emptori: Less., Croix n. 705. Si autem res vendita sit indeterminata, puta 50. modii tritici ex messe, vel granario, 10. oves ex grege, &c., aut determinata, sed ad mensuram, aut sub conditione, puta totus acervus tritici mensurandus, totum dolium, si degustetur; tunc ante mensurationem, aut degustationem periculum pertinet ad venditorem; quia in his intelligitur tacita conditio, *si res tradatur*; Less. n. 97. ex *iisdem legib.* Deterioratio autem, si sit absque culpa, & mora venditoris, semper pertinet ad emptorem, quia emit rem, prout erit tempore traditionis, exponens se fortuitis eventibus: Sylv., Cov., Less. n. 98.

Respondeo secundo, Si res absolute, & perfecte vendita, nondum tamen tradita, habeat fructus maturos, aut immaturos actu pendentes, hi omnes spectant ad emptorem, etiamsi nondum solverit pretium (nisi aliter sit conventum) quia sic sunt pars rei emptæ: Less. n. 100., & alii communiter ex *cit. leg.* Hinc, si vinea habens uvam vendita sit ante autumnum, traditio autem fiat, postquam uvæ a venditore sunt collectæ, detrahendum est de pretio, quantum uvæ tempore contractus pendentes æstimabantur: similiter pensio domus locatæ pro tempore sequente ad venditionem, etiam ante traditionem spectat ad emptorem, quia se habet per modum fructus pendentis: Mol., Less., & alii. De fructibus vero non pendentibus, sed futuris, Juristæ, quibus accedunt Cov., Mol., Reb., Sanch., Less., & alii dicunt, eos pertinere ad venditorem, etsi res sit tradita, sed pretium nondum sit solutum, aut oblatum, quia videtur iniquum, ut emptor percipiat fructus ex re, & venditor non possit frui pretio. Sed Sylv., Arm., Lop., Pal., & alii probabiliter dicunt, etiam pertinere ad emptorem, quia, cum ei debeatur res, debentur etiam fructus, quandocumque nascantur, tanquam accessorii; quod commodum compensatur incommodo, quod si interim pereat, sibi etiam pereat: pretium autem nondum solutum per se loquendo est ejusdem valoris, ac solutum, juxta dicta de mutuo: hinc etiam, si postea rescindatur contractus, fructus temporis intermedii pertinent ad ipsum: Mol. Similiter ei debetur media pars thesauri a tertio ibi reperti: Ills. n. 414.

Cæterum ex jure positivo dominium rei venditæ nunquam censetur translatum in emptorem, etiamsi res sit tradita, nisi solutum sit pretium; præsertim, si venditor sit Fiscus, Minor, aut Ecclesia; pro aliis enim sufficit, si pretium sit saltem assecuratum per pignus, vel fidejussorem, vel fidehabitionem, vel si recusent pretium oblatum, vel contenti sint promissione: Mol., Lug., & alii. Si autem eadem res sit duobus vendita, tunc, si prior emptor solvit pretium, posterior, qui non solvit, licet rem habeat, non acquirit dominium, nisi sit locus pius, vel Civitas bona fide ementes: Illsun. n. 413.; si posterior emptor solvit, & non sit locus pius, aut Civitas bona fide ementes, prior emptor intra annum a die scientiæ habet jus repetendi rem; quod si intra annum non repetat, secundus emptor in utroque foro est tutus, modo ipse non induxit venditorem: Illf. Laym., & alii.

CAPUT III.

Quid de reliquis pertinentibus ad venditionem, & emptionem?

PERTINENT ad venditionem, & emptionem Pactum retrovendendi, aliave Pacta, Retractus gentilitius, Monopolium, & Negotiatio.

Quæres primo, Quid dicendum de Pacto retrovendendi?

Respondeo primo, Licitam esse venditionem, & emptionem cum pacto redemptionis, vel retrovenditionis, modo fiat justo pretio. Et quidem de venditione cum pacto redemptionis in favorem venditoris est communis Doctorum sententia, quia quivis est arbiter rei suæ, adeoque potest imponere ei modum, quem vult. De emptione autem cum pacto retrovenditionis in favorem emptoris, quamvis aliqui negent, tamen Cov., Less., & alii communius etiam affirmant, quia, sicut justo pretio potest compensari onus, quod venditor imponit emptori, ita etiam onus, quod emptor imponeret venditori, modo utrumque fiat justo pretio. Itaque, quando res venditur cum pacto redemptionis in favorem solius venditoris (quo scilicet fiat ei tantum potestas redimendi, si velit) debet ea vendi minoris, quam per se res æstimetur, quia imponitur emptori onus quoddam pretio æstimabile: quando res emitur cum pacto retrovenditionis in favorem solius emptoris (quo scilicet fiat ei tantum potestas retrovendendi, si velit) debet ea emi pluris, quam ipsa per se valeat, quia imponitur onus venditori pretio æstimabile. Quando vero pactum appositum sit contractui in favorem utriusque, itaut in potestate venditoris sit redimere, & emptoris retrovendere, tunc res vendi quidem debet minoris, quam in se valeat, sed pluris, quam si venderetur cum pacto redimendi in favorem solius venditoris: quare, si res per se valeret 100. cum pacto autem in favorem solius venditoris, 80.; dum apponitur pactum in favorem utriusque, valebit forte 88., vel 90., prout prudens vir arbitrabitur spectatis circumstantiis: Less. c. 21. a n. 113., & alii communiter.

Quæres secundo, Quid dicendum de aliis pactis venditioni, & emptioni adjectis?

Respondeo, Adjici posse primo, *Pactum commissorium*, itaut, si intra certum tempus non solvatur pretium, res censeatur non vendita, sicque emptor dicitur cadere in commissum: &, si hoc pactum sit conceptum verbis directis, quibus scilicet exprimatur, quod contractus ab initio censeatur irritus, omnes fructus rei interim percepti pertinent ad venditionem; quia ea vi talis pacti irritatio retrotrahitur ad tempus contractus: si vero hoc pactum conceptum fuit verbis indirectis, quibus scilicet significetur, contractum esse rescindendum imposterum, vel rem redituram ad venditorem, tunc fructus medii temporis pertinent ad emptorem, quia sic irritatio non retrotrahitur: Less. n. 124. Secundo, *Pactum additionis in diem*, quo scilicet res alicui venditur ea lege, ut si intra certum tempus alius meliorem conditionem obtulerit, non censeatur ei vendita; & quoad fructus idem dicendum hic, ac in pacto commissorio: addo, in neutro deberi vectigal consuetum solvi Principi in venditionibus, si pactum initum fuit verbis directis, quia sic ita dissolvitur venditio, ac si nunquam facta fuisset: Less. n. 127. Tertio, *Pactum mohatra*, quod non licere dictum est de mutuo; ubi alia etiam dicta sunt huc pertinentia.

Quæres tertio, Quid dicendum de retractu gentilitio?

Respondeo, Hunc esse jus, quod habet proximior consanguineus venditoris, ad rescindendam venditionem rei immobilis, oblato pretio, quo ab extraneo, vel a remotiore consanguineo empta fuit, modo id fiat intra annum, & diem a venditione, & in propriam consanguinei retrahentis utilitatem: Doctores communiter ex *l. Dudum*, cap. *de Contr. empt.* Potest etiam retrahens in dubio cogere emptorem ad jurandum, quanti emerit, ut notat Tiraquel.: si autem emptor timens, ne res retrahatur a consanguineo venditoris, cum hujus consensu scribat in instrumento, se solvere, plusquam revera solvat, committit dolum, qui in jure dicitur *Stellionatus*; ait tamen Less. in *Auct.* v. *Contractus*, cap. 7., non facere injuriam illi consanguineo; sed melius contradicit Croix n. 995., quia dolo, & mendacio impedit illum a consecutione boni, ad quod habet jus; & certe, si ille refudisset pretium, quod apparet in instrumento, non posset excessus retineri. v. Laym.

Quæres quarto, Quid dicendum de monopolio?

Respondeo, Monopolium esse, cum unus, vel plures efficiunt, ut ipsi soli aliquod mercium genus vendant, vel certo pretio vendant, quod fit quatuor modis; Primo., Si conspirent inter se de pretio, ut scilicet nemo ipsorum vendat minoris, & hoc, quamvia esse possit contra charitatem, non tamen contra justitiam, si pretium non sit supra legitimum, aut vulgare summum, nec fraude, aut minis impediant alios, ne minoris vendant: similiter non peccant contra justitiam emptores, si conspirent in pretium vulgare infimum, aut rogent alios, ne pluris emant, quam tanti, vel tanti, modo id non sit infra justum, nec fiat fraude, aut minis: Less. c. 21. n. 144. Secondo, Si obtineant privilegium, ut ipsi soli certas quasdam merces vendant, quod dici solet *Jus prohibendi*; & tunc, si privilegium concessum est justa aliqua ratione (quia scilicet aliter

aliter nemo tales merces sufficienti copia inveheret, vel quia Princeps eget pecunia pro bono poblico) est licitum, modo Princeps raxet pretium, si merces sint communiter necessariæ; secus, si sint ad delicias, & luxum, ut sunt picturæ, aleæ, &c. Si vero privilegium sine aliqua justa causa sit concessum, fit injuria tum aliis vendere volentibus, tum emptoribor, qui mitinri pretio emerent: Less. Navar. & alii. Tertio. Si coemant omnes merces certi generis, v.g. frumentum tempore messis, ut ipsi postea pro suo arbitratu vendant; & sic esse contra justitiam docent Sylv. Nav. Laym. & alii passim, quia fit injuria Reip. inducendo caritatem, & compellendo emptorer ad augendum pretium. Contra negant Mol. Bon. Fil. Pal. Tamb. & alii, modo non impedietint alios, quominus emerent tunc, si vellent: nec obest, quod inducatur caritas; quia actio illa, ex qua provenit talis caritas, non est contra jostitiam; neque compelluntur emprores, &c. quia libere postea emunt carius, eo quod neglexerint antea emere vilius. Utraque sententia est probabilis, sed prima probabilior: Croix num. *946.* Quatto, Si impediant, ne major copia talium mercium importetur aliunde in Civitatem: & sie, si vi, & fraude impediant, faciunt injuriam, tum Reipublicæ, quatenus sunt causa injusta majoris pretii, tum Mercaroribus, quos impediunt, quatenus privant eos probabili luero; secus vero, si sine vi, & fraude: Sylv. Les. num. 153, & alii.

Quæres qointo, Quid sir dicendum de negotiatione? Respondeo, Negotiationem esse, cum qois emit mercem eo animo, ot integram, & non mutatam vendendo aliis lucretur, ex cap. *Ejiciens*, *d.* 88. ubi ly *vendendo* accipitur etiam pro permutatione, qua apud Barbaros fit etiam negotiatio, uti etiam apud Campsores permutatione pecuniæ. Negotiatio per se non est illicita, nt ostendit D. Th. est ramen prohibita Clericis, constirutis ramen in Sacris: Doctores communiter; vel in Minoribus eum beneficio, apud Lug. & alios contra Less. & alios. Item Religiosis omnibus (exceptis Novitiis, apud Lug.) sub pœna suspensionis ab officio, ex cap. *Consequens*, *d.* 88. & sub interminatione anathematis, ex cap. *Secundum*, *Ne Clerici*, *vel Monachi;* & ratio prohibitionis est, qnia est valde indecens eorum statui, valde distractiva, & obnoxia periculis peccatorum. Hinc peccant mortaliter, si multum negotiationi dent operam: Less. Laym. & alii communiter. Si vero semel, vel iterum negotientur in materia non gravi, non esse mortale, dicont Fill. Dian. Lug. & alii: quod Cajet. Salas, & alii concedunt etiam semel in materia gravi. Neque, si negotientur per alium, modo se nimium tali negotiationi non implicent: Laym. Pal. & alii; addit tamen Less. id non faciendum absque justa causa. Neque demum, si adsit necessitas propria, vel familiæ, vel pupilli, vidnæ, ane peesonæ miserabilis, quæ aliter non habeat propriam sustentationem ad decenter vivendum: Laym. Pal. Lug. & alii.

Cæterum, si emant eum animo vendendi sine lucro, non est proprie negotiatio, ut patet. Similiter, si Clericus, vel Monachus emerit aliquid, ur consumat, & postea pretium illius crescat, potest vendere sperans, se vilius empturum, nec peccar, quia est actua œconomicæ prudentiæ: D. Th. & alii. Similirer potest emere plura pro securitate suæ provisionis, & quod superfluet, etiam carius vendere, quia emit animo obviandi periculo defectus, qui sæpe multum nocet: Lug. d. 26. n. 32. Similiter non est negotiatio, si emat materiam, ex qua conficiat artefactum, & vendat: si emar equum rudem, ut cultiorem faciendo vendat, aut pecora, quæ pascuis suis saginata vendat; quia vendit fructus suæ industriæ, aut suorum prædiorum, quantum attinet ad excessum: Lug. & alii communiter. Et similiter potest agros proprios colere, ut fructos vendar: lapides, vel metalla ex suis fundis cædere, aot eruere, etiamsi non moter in aliam speciem: greges in suis prædiis alere, & vendere fœtus, lanam, lac, &c.

Si antem conducat aliena prædia, vel similes res fructiferas, ut fructus vendat, & ira quæstum faciat, etsi proprie id non sit negotiatio, tamen specialiter est ei prohibitum in Concil. Carth. 1. & 4. Lessius num. *6.* Similiter Mol. Laym. Pal. dicunt, illicitum ei esse, emere jumenta, ut ea pro pretio locet, quia videtur esse quædam negotiatio; sed de hoc dubitat Lug. num. 34. quia emere potest domum, ut locet, & cum quid emit, facit suum, nec prohibetur sic emptum locare. Si emat uvas, ut vinom ex eis expressum vendat, Mol. Pal. Lug. & alii dicunt, esse ei illicitum, si fiat pet homines conductos: & similiter, si emat lanas, ut vendat pannos ab artificibus conductis faciendos; secus vero, si ipsemet, vel sui familiares vinum exprimant, pannos faciant, ut addit Delb. apud Gob. Si autem ex lana propriorum animalium conficiat pannos per homines conductos ad vendendum, quamvis Mol. Pal. & alii dicant, esse illicitum; tamen de hoc dubitat Lug. quia potest vendere lanam suam, & operas suorum ministrorum; ideoque Gob. putat, in Germania licitum esse Monasteriis per famnlos vendere vinum, & panem, qnia id non est proprie habere tabernam, aut negotiari, sed sua vendere transeuntibus.

Denique dedecet Clericum exercere officium Proxenetæ, hoc est mediatoris inter vendentes, & ementes; quamvis non facile esse mortale, inquit Pal. *n.* 9. Nec potest suscipere administrationem, vel procurationem domus secularis, ex Carthag. cit.

* Huc spectar Epist. Bened. XIV. contra Clericorum negotiationem edita Romæ 25. Febr. 1741. quæ incipit *Apostolicæ*, quæ statuit sequentia: Primo, Confirmat Constitutiones omnes Apostolicas, omnesque pœnas in iis contentas contra Clericos illicite negotiantes: Secundo, Dictas constitutiones, & pœnas expresse extendit etiam ad Clericos illos, qui non suo, sed alieno Laici nomine illicitam negotiationem quomodolibet exercent: Tertio, Bona cuncta illicite acquisita per negotiationem alieno Laici nomine exercitam inevitabili spolii pœnæ subjecta declarat, ad formam Constit. Pii V. quæ incipit, *Decem esse:* Quarto, negotia Clericis illicita, si a Laicis sint inchoata, & ad Clericos deinde quocumque titulo delata, statim ab his sunt dimittenda. Quod, si statim dimitti nequeant sine temporali Clerici detrimento, permittitur continuatio, sed ad tempus dumtaxat, & per interpositam Laici personam, ac de licentia Congr. Card. Trident. Interpretum, si Clericus sit intra Italiam :- si extra, de licentia ejusdem Congr. vel Ordinarii illius loci. Quinto, In hoc casu, si Clericus, vel sine dicta licentia, vel cum hac quidem, sed ultra tempus præscriptum, vel intra hoc tempus quidem, sed per seipsum, non per Laici personam, hæc negotia administraverit, subjicitur omnibus præfatis, etiam spolii, pœnis. Sexto, Dicta spolii pœna quoad bona per illicitam negotiationem acquisita extenditur etiam ad eos, qui a Pio IV. Const. *Romanus Pontifex*, & a Paulo V. Constit. *In Eminenti*, eximuntur a tali spolio, ad effectum testandi, vel transmittendi hanc facultatem iis, qui sibi sunt propinquiores; dictas ideo constitutiones, aliasque omnes in contrarium abrogat quoad hoc, atque abolet. *

Quoad reliqua pertinentia ad emptionem, & venditionem, Noto primo, Principes juxta Adr. & Salen. illicite jure naturæ vendere officia temporalia: tum quia sunt tantum administratores Reip. & officiorum; tum qoia sæpe sic excluduntur aptiores; tum quia sic datur occasio emptoribus emungendi subditos; sed Azor. ait, id tantum prohiberi jure positivo, quod tamen addit passim non observari etiam in Curia Romana. Illf. ait, ex gravibus causis posse id excusari: Haun. ait, prævalere consuetudinem vendendi; addit tamen, fieri debere pretio moderato, & personis aptis, quo servetur jus naturæ. Noto secundo, Gabellas impositas venditioni rerum solvendas esse ab emptore. Noto tertio, venditionem posse rescindi, vel mutuo consenso; vel, si adfuerit pactum commissorium, addictionis in diem, aut retrovendendi; vel privilegium restitutionis in integrum, vel ob læsionem ultra dimidium, quæ durat etiam ad 30. annos: quod si hæc læsio fuerit sine culpa, potest lædens manere in contractu, supplendo defectum; nec tenetur compensare fructus perceptos: hoc autem jus rescindendi est etiam contra tertium, cui res sit alienata: Croix n. 903.

QUÆSTIO II.

De Censibus.

CENSERE est æstimare: unde nomen census varie accipi potest; proprie tamen accipitur pro jure quodam in re alterius, ut ex ea quotannis aliquid solvatur. Itaque videndum Quid, & Quotuplex sit Census? An, & Quomodo sit licitus census realis, personalis, & vitalitius?

CAPUT I.

Quid, & Quotuplex sit census?

Census est *Jus percipiendi pensionem aliquam ex re utili, vel persona alterius:* Doctores communiter.

Dicitur *Jus*, quia census non est ipsa pensio solvenda, sed jus exigendi illam quotannis, cui juri respondet in altero debitum eam solvendi. Dicitur *percipiendi pensionem aliquam*, sive in fructibus, quo sensu dicitur census fructuarius; sive in pecunia, quo sensu vocatur pecuniarius. Dicitur *ex re utili*, quia res, in qua fundatur census, debet esse fructifera, debetque ad minus tot fructus ferre, qui sufficiant ad solvendam pensionem, detractis expensis laboris, & industriæ; at non est necesse, ut ferat fructus naturales, sed satis est, si ferat pecuniarios; unde census constitui possunt in domibus, in molendinis, &c. nec est necesse, ut singulis annis sit actu fructifera, sed sufficit, ut natura sua sit talis, & speretur, ut fructus ex ea percipiantur: si tamen res facta sit infrugifera, nequit in ea constitui census; at non censetur talis, si per unum, aut duos annos non tulit fructus: Val. Regin. Sa, & alii: nequit pariter constitui census super re usu consumptibili, puta super tritico, oleo, &c. quia hæc non sunt frugifera: reliqua de re censui subjecta dicemus infra. Dicitur demum, *vel persona;* ut super persona constituatur census, debet ea posse, & velle sua industria, labore, aut negotiatione lucrari pensiones annuas, aut saltem habere proventus ex aliis bonis; alioquin esset purum mutuum, & palliatio usuræ: Doctores communiter. Excipit Tamb. censum vitalitium, de quo infra.

Quæres primo, Quid sit census reservativus?

Respondeo, Esse, quando quis transfert rem suam in alterum quoad dominium directum, & utile, donando, legando, vendendo, aut permutando, servata tamen sibi pensione annua super eadem re: ut *Dono, vel lego tibi meum prædium, & reservo mihi ex illo certam pensionem, ut scilicet singulis annis solvas mihi, aut meis hæredibus aliquam justam summam, puta* 10. *aureos*. Et de hoc non loquitur Bulla Pii V. de qua infra: unde posset ei apponi pactum legis commissoriæ, idest, ut res, super qua constituitur, cadat in commissum, seu redeat ad eum, qui illam contulit, si biennio, vel triennio non fuerit pensio soluta; secus vero, si hoc pactum non fuerit adjectum: Less. 22. n. 4. Cov. & alii.

Quæres secundo, Quid sit census consignativus?

Respondeo, Esse, quando quis super bonis suis, quorum retinet Dominium directum, & utile, vel etiam super persona sua consignat, seu constituit alteri jus pensionis annuæ; & de hoc est tota difficultas apud Doctores: nam fit per contractum emptionis, quo Titius certo pretio emit jus percipiendi pensionem annuam ex re frugifera Caii, vel ex negotiatione, labore, industria ipsius personæ Caii. Titius emptor dicitur censuista, seu censualista, cui scilicet debetur pensio: Cajus venditor dicitur censuarius, qui scilicet tenetur pensionem solvere.

Quæres tertio, Quotuplex sit census consignativus?

Respondeo, Dividi primo, ratione materiæ, in realem, personalem, & mixtum: realis est, qui immediate constituitur in re aliqua, puta prædio, itaut ex eo pensio debeatur, quæ obligatio proinde est realis, remque ipsam perpetuo comitatur, etiamsi alteri vendatur, quia res transit cum onere suo, donec redimatur. Personalis est, qui immediate constituitur super persona, quæ seipsam obligat ad pensionis solutionem; ita tamen, ut persona, in qua census constituitur, sit fructifera, idest talis, ut aliquem fructum sua industria, ac labore pariat, unde solvat, vel ut aliqua bona fructifera in re, aut in spe habeat, juxta infra dicenda. Mixtus est, qui constituitur immediate super re, & super persona, itaut, etiamsi res pereat, persona tamen maneat obligata, & vice versa.

Dividitur secundo, Ratione pensionis, in certum, & incertum: certus est, cum constituitur pensio annua semper æqualis: incertus est, cum constituitur pensio annua indeterminata, v. g. tertia, vel quinta pars fructuum annuatim productorum.

Dividitur tertio, Ratione temporis, in temporalem, & perpetuum: temporalis est, qui vel extenditur ad certum tempus, v. g. ad 10. aut 20. annos, vel extenditur ad tempus incertum, v. g. ad vitam unius, duorum, aut trium hominum, & sic dicitur census vitalitius. Perpetuus est, qui per se non habet finem: sed huic addi potest pactio, per quam subdividi potest in censum irredimibilem, cum scilicet paciscuntur, ut nec censualista possit repetere pretium emptionis, nec censuarius possit illud restituere; & in censum redimibilem, sive ex una tantum parte, ut cum paciscuntur, ut censualista possit repetere pretium, vel ut censuarius possit pro suo arbitratu illud restituere; sive utrinque redimibilem pro suo scilicet cujusque arbitratu.

Quæres quarto, Quid statutum sit jure positivo circa censum consignativum?

Respondeo, Nicolaum V. ad petitionem Alphonsi I. Regis utriusque Siciliæ ann. 1458. statuisse pro utraque Sicilia: Primo, Ut census possit constitui, aut specialiter super re certa, aut generaliter super omnibus bonis, addita etiam obligatione mobilium, & personæ: Secundo, Ut possit eodem pretio redimi, seu extingui: Tertio, Ut pensio annua non excedat decimam partem pretii, hoc est sit 10. pro 100. Quarto, Ut ad securitatem census apponi possint pœnæ, & pacta juxta arbitrium contrahentium. Hanc Bullam postea approbavit Gregor. XIII. ann. 1574. pro Regno Siciliæ ultra Pharum, non obstante Bulla Pii V. de qua mox dicam; addiditque, ut in constitutione census fiat mentio unius, aut plurium rerum certarum, & nominatarum, addi tamen possit generalis obligatio omnium bonorum.

At Pius V. Bull. *Cum onus* ann. 1569. requirit in constitutione censuum 12. conditiones: I. Ut census statuatur super re immobili, fructifera, & certis finibus designata. II. Ut ab initio ematur pecunia numerata coram Testibus, & Notario. III. Ut nullæ fiant anticipatæ solutiones pensionum ex pacto. IV. Ut censuarius non teneatur solvere pensionem, si casu fortuito non percipiat fructus ex re censuata. V. Ut censuario liceat vendere rem censuatam, prius tamen offeratur censuistæ, ut, si velit, intra mensem emat? VI. Ut non fiat pactum, quo censuarius ob moram solutionis teneatur ad pœnam: item, ut ex pensionibus non solutis non constituatur novus census. VII. Ut censuarius non sustineat onera, quæ ex natura census ad eum non spectant. VIII. Ut re pereunte, aut reddita infructuosa pereat cum proportione census. IX. Ut census semper maneat eodem pretio redimibilis a censuario; moneat tamen censuistam bimestri ante. X. Ut tunc post denunciationem censuista possit eum cogere intra annum ad redimendum. XI. Ut censuarius non cogatur redimere, si nolit. XII. Ut pretium census semel constitutum non mutetur in gravamen censuarii. Addit demum, hæc servanda, si census antehac constituti vendantur, & censum aliter constituendum esse usurarium. Addit tamen Less. cum aliis, has Bullas non esse promulgatas, nec usu receptas in Belgio, Germania, & Gallia; idemque dicit de Bulla Pii V. in Sicilia. Addit Tamb. ex Val. Nav. & aliis contra Less. Fil. & alios, Bull. Pii V. procedere ex præsumptione usuræ, adeoque etiam, ubi est recepta, non obligare in foro conscientiæ eum, qui non omnes ejus conditiones servat (modo servet, quæ sunt requisitæ jure naturæ) sed tantum obligare Judices, ut non admittant in judicio emptionem censuum aliter factam. Addit cum Dian. Mald. & aliis, licitum esse etiam in terminis hujus Bullæ, constituere censum de pecunia antea debita, vel dando merces loco pretii, vel non statim dando pecuniam, imo etiam licitum esse, ex pensionibus census non solutis augere censum antiquum, vel novum constituere. Ratio omnium horum est, quia ideo requiritur a Pontifice, ut pecunia sit numerata, ne fiant fraudes, & usuræ: ergo, si illæ vere absint, hæc numeratio non obligabit in conscientia. Addit demum Farinac. apud eundem, quod, si desit aliqua ex dictis conditionibus non magni ponderis (puta, si contractus censualis non fiat coram Testibus, & Notario, aut non per scripturam publicam, aut non per pecuniam numeratam) adhuc esse validum pro foro externo. Itaque videndum, quid requiratur jure naturæ, ut contractus censualis sit validus?

CAPUT II.

Quid de Censu reali?

Martin. V. & Callist. III. in suis Extrav. approbarunt censum realem, juxta conditiones ibidem positas, tanquam justum, & licitum; ideoque Tambur. ait, sententiam oppositam esse nunc saltem temerariam, & erroneam. Neque obstat, quod pretio finito correspondeant pensiones annuæ, quæ decursu temporis superaturæ sunt pretium; nam non emuntur

ipsæ

ipsæ pensiones, sed emitur jus percipiendi illas ex fructibus rei censuetæ juxta communem sententiam, seu pars usufructus, ut loquitur Lug. d. 37. Quod jus, seu usufructus, est quid eo minus æstimabile, quo pensiones sunt in spe remotiori: &, licet hæ decursu temporis superare possint pretium, tamen periculum amittendi illas, & ipsum pretium (si nimirum res censuata pereat, vel evadat sterilis) est etiam perpetuum: ergo bene omnia compensantur: Croie n. 1011.

Hinc licitus est quovis jure, etiam positivo Pii V. census realis cum pacto, ut sit redimibilis ex parte venditoris, seu censuerii, quandocumque is voluerit: nec est periculum usuræ in emptore recipiente post pensiones suum integrum pretium; quia is non mutuavit, sed emit cum periculo, juxta modo dicta. Contra census realis cum pactu, ut sit redimibilis ex parte tantum empturis, seu censualistæ, quandocumque is voluerit, quamvis non videatur ex netura rei usurarius, si hoc onus juste eb eo compensetur, tamen merito prohibetur a Pio V. nec volunt Doctores, deduci in praxim, utpote valde suspectum de usura: Tamb. & alii.

Cæteri census realet, præscindendo a jure positivo, juste fiunt jure naturæ, si hebeant duas conditiones: Primo, si sit æquelitas inter censum, & pretium: Secundo, Si pacta eis adjecta prudentis arbitrio debite compensentur: Less. c. 22. n. 74. Hinc jure naturæ justus est census realis utrinque irredimibilis, seu cum pacto, ut ex neutra parte possit redimi: item utrinque redimibilis seu cum pacto, ut possit redimi, quandocumque alteruter voluerit: item cum pacto, ut non possit redimi a venditore, nisi post aliquod tempus; postea vero possit, quandocumque voluerit: item cum pecto, ut possit redimi a venditore intra aliquod tempus, quo elapso; amplius non possit; dummodo in his omnibus serventur dictæ duæ conditiones: Less. Tamb. & alii. Diei *Præscindendo a jure positivo*; nem, quamvis Navar. Mol. Less. Sal. & alii contra Bonec. & alios probabiliter putent, hoc ultimum pactum non esse prohibitum per Bullam Pii V. per hanc tamen reliqua jam prædicta certe prohibentur, ob speciem quandam usuræ, & periculum illam palliandi, secundum tamen præsumptionem fori externi, ut addunt Bus. Val. & alii apud Tamb. juxta dicta cap. antecedenti.

Quæres primo, quodnam sit justum pretium census realis?

Respondeo, Prætium census realis redimibilis ad arbitrium censuarii taxatum esse a Carol. V. pro Germania, ad rationem 5. pro centum: e Clem. VIII. pro statu Ecclesiastico, ad rationem 7. pro centum: a Nicol. V. pro utraque Sicilia, ad rationem 10. pro centum; quod deinde Phil. II. restrinxit pro Regno Siciliæ, ad rationem 5. pro centum. Ubi vero non est a Principe taxatum pretium, vel ea taxa non est usu recepta, illud censeri debet pretium justum, quod communi usu Provinciæ, vel Civitatis est approbatum, cum latitudine etiam pretii summi, medii, & infimi; potestque augeri, & minui pro copie, vel inopia emptorum, pecuniæ, &c. juxta dicta de Empt. & Vendit. Itaque, si emas censum infra infimum, teneris in conscientia restituere supplemantum, & demnum, si quod inde passus sit venditor; etsi probabiliter non tenearis etiem restituere excessum pensionum jam exactarum, nisi quendo fuerit pretium lege taxatum: Tamb. Less. n. 107. Ubi vero nec Princeps, nec communis usus pretium taxaverit, illud censebitur justum, quod vir prudens, vel ipsimet contrahentes sine dolo, & perpensis omnibus, determinaverint: Tamb. & alii communiter. Cæterum pretium census a censuario irredimibilis debet esse duplo majus, quam pretium census ab eodem redimibilis, uti omnes fatentur, & servatur in praxi: Lug. n. 138. Unde, quo census magis accedit ad irredimibilem, & recedit a redimibili ex parte censuarii, eo majori pretio emi debet a censualista. Quod, si sit census perpetuus irredimibilis, Mol. & alii dicunt, emi posse eo pretio, quo emeretur res alia tantundem reddens in fructibus, deductis expensis; sed certe verius est, posse paulo minoris emi, cum plus sit plenum dominium rei habere, quam solum usumfructum: Les. & alii. Contra vero, si censuario maneat libertas redimendi, & censuistæ imponatur onus revendendi ad arbitrium censuarii, hoc onus est pretio æstimabile; ideoque juste minuitur pretium census; Laym. Croix n. 1012. & alii.

Denique loco pretii dari possunt merces æstimatæ, quia æquivalent pretio, Pal. p. 22. §. 4. qui §. 5. cum Navar. Mol. Less. & aliis contra Rebel. & alios addit, loco pecuniæ numeratæ dari posse remissionem debiti veri, & legitimi. Imo §. 6. cum Mol. Les. & aliis contra Salon. Rebel. & alios addit, jure naturæ emi etiam posse censum pecunia credite; sed quoad hoc in foro externo recte præsumitur fraus, & usura.

Quæres secundu, In que re fundari possit census realis?

Respondeo, ex Bull. Pii V. fundari tantum posse in re, quæ sit immobilis, frugifera, & certis terminis definita. Et quidem, quod esse debeat immobilis, & frugifera videtur etiam requiri jure naturæ ad censum realem perpetuum, quia debet esse nata pensiones in futurum procreare, ipsa non pereunte: Pal. p. 23. §. 1.

Dicitur primo *Res immobilis*, non solum prædium, sed etiam domus, molendinum, columbaria, & similia: imo etiam census irredimibilis habetur pro re immobili; unde licebit censualistæ super eum constituere alium censum, etiam æqualem: Mol. & alii; sicuti de facto constituitur super jura, & redditus Principum, super gabellas, officia perpetua, &c. imo communior sententia cum Lug. d. 27. n. 8. ait, censum constitutum ad longum tempus esse bonum immobile, nisi forte constitutus sit in re mobili: v. g. in grege ovium, in nevibus, &c. Addunt Less. & alii communiter, censum, spectato jure naturæ, emi posse minori pretio, quam fuerit ab initio constitutus, quia se habet per modum mercis, quæ emi potest pretio etiam medio, vel infimo; unde Dian. p. 2. t. 8. r. 36. excosat illum, qui valde rogatus emit 80. aureis censum 8. annuorum, quie merces ultroneæ vilescunt; & cum Tamb. & aliis ait, posse etiam emi minuris, quamvis pretium fuerit a lege taxatum, quia lex intelligitur de pretio, quo census primum constituitur, non autem de censu constituto, si postea vendatur; dicuntque, id ubique fere in praxi esse receptum.

Dicitur secundo, *Res fructifera*, saltem tantum, quantum pensio exigit, juxta dicta c. 1. tales sunt etiam agri, quamvis tertio, aut quarto quoque anno nihil afferant, quia quiescunt; unde etiam tunc debetur pensio, si aliis annis tantum reddant, ut hoc compensari possit: Less. & alii. Adde, quod, quamvis census sit supra prædium, ejusque fructus, licite tamen potest censualista pacisci pensionem pecuniariam, addendo scilicet contractui emptionis census alterum permutationis, quo scilicet censuarius sibi retineat fructus, & solvat servata æqualitate pecuniam, computando unum annum forte sterilem cum alio: Lug. d. 37. Molin. Tamb. & alii. Adde etiam, quod, licet communiter pensio solvenda sit in fine anni a tempore, quo constituitur census, eo quod fructus perficiuntur singulis annis, tamen potest exigi etiam per partes, & tertiatim, si scilicet prædium fructificet ter in anno, ut si Julio det frumentum, Octobri vinum, Martio ligna: si tamen talis census ante finem anni redimatur, pensio non est solvenda integra, sed ad ratam temporis transacti, ut patet.

Dicitur tertio, *Res certis finibus definita*; ut scilicet cognoscatur, quandiu census obligetio duratura sit: potest tamen ex vi etiam Bullæ constitui census super plures ejusmodi res, modo unaquæque sit suis finibus definita, quia per eam tantum prohibetur constitui generaliter super bona, Nav. Pal. & alii. Una tamen ex illis rebus certis pereunte, perit pensio pro rata, nisi additum sit aliud pactum, sive pignus, sive assecuratio, de quo cap. sequ. ubi videbimus, hanc conditionem non requiri jure naturali, nisi ad censum mere realem. Cæterum nullus census constitui potest super re feudali, vel emphytheutica, vel dotali, vel vinculata; quia res, in qua constitui potest census, esse debet sub vero, & libero dominio censuarii: Tamb. §. 3. n. 15. Si autem super eadem re constitutus sit duplex census a censuario; tunc, si ejus fructus sufficiant, solvenda est duplex pensio; si non sufficiant, non est solvendum pro rata, sed priori censualistæ, quia, *Qui prior est tempore, potior est jure*, ex *Reg. Jur.* potest tamen pretio secundi census extinguere priorem, si erat redimibilis, & majorem exigebat pensionem; si autem fingat, se velle eum redimere, & sic inducat censuistam ad minuendam pensionem, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, quia facit dolum, qui dat causam contractui diminutionis: Lug. d. 22. num. 177. Denique, si res censui subjecta dividatur in plures hæredes, itaut quivis habeat partem sufficientem ad solvendam pensionem, poterit censuista hanc totam a quovis hærede exigere, & ita usu receptum testatur Less. quidquid dicant Bonacin. & Lug. quia illa divisio (nisi aliter

ter sis conventum) non debet facere censuistam pejoris conditionis, qui ante talem divisionam poterat ex quavis parte illius rei sufficienter pensionem suam exigere.

CAPUT III.

Quid de Censu Personali?

NOMINE census personalis non intelligitur census, qui ita constituatur in persona, ut si non sit solvendo pensionem, possit vendi, aut trahi in servitutem; hoc enim certe non licet; sed intelligitur census, qui tantum ponas in censuario obligationem personalem pensionis solvendæ, sive ex lucro sui laboris, & industriæ, sive ex proventibus suorum bonorum; itant interdum ad securitatem censuistæ fiat etiam hypotheca in omnibus bonis censuarii, quæ transis ad hæredes: hunc censum personalem Pius V. non declaravit esse illicitum, sed ad vitandum periculum usuræ statuit, ne constituatur: Pal. p. 11. n. 3.

Jure autem naturæ videtur justus, si servetur justum pretium. Nec obstat primo, quod in emptione census personalis exigatur hypotheca generalis, vel specialis, securitatis causa; quia, sicut in reliquis contractibus licite exigi potest, aur non etiam in censibus? Neque obstat secundo, quod sic posteri quoque obligentur; nam aliæ obligationes personales ex aliis contractibus ortæ transeunt ad hæredes, eosque obligant lege justitiæ, cur non etiam hæc obligatio solvendæ pensionis, etiamsi mere sit personalis? Less. c. 22. a n. 19.

Hinc etiam licita videtur jure naturæ emptio census mixti, idest, qui partim sis personalis, partim realis: v. g. si emas censum super prædium ea lege, ut, si prædium nihil, vel parum aliquando ferat, teneatur nihilominus venditor totam pensionem solvere: quo casu, si prædium vendatur tertio, poteris pensionem exigere, tum a venditore census ratione obligationis personalis, tum a tertio ratione obligationis realis, quæ est in prædio. Item, si emas censum super domu ea lege, ut venditor obligetur ad pensionem, etiamsi domus pereat: Item, si emas censum in prædio, cujus fructus non sufficiunt, ea lege, ut tota pensio solvatur: quo casu est realis ad fructus prædii, personalis ad reliquam partem: Less. n. 13.

Objicies: Primo, Si tibi darem mille aureos ea lege, ut quotannis pro usu mihi solveres 50. committerem usuram; sed ita sit in emptione census personalis: ergo, &c. Secundo, Emptio census personalis non est aliud, quam emptio personalis debiti successive solvendi, & juris personalis ad illud exigendum; sed tale jus, & debitum non minus valet, quam pensiones ipsæ solvendæ, cum in censu personali, præsertim cum hypotheca generali, caveatur omne probabile periculum: ergo non potest emi minoris, quam sint omnes pensiones speratæ.

Respondeo, Ad primum, nego min. In censu personali non venditur a censuista usus pecuniæ, sed emitur jus super alterum, qui potest sibi obligationem personalem imponere ad solvendas pensiones, quod jus minus valet, quam ipsæ pensiones, juxta dicta cap. antecedenti. Ad secundum, nego min. tale enim jus non pluris valet, quam jus reale in optimo, & securissimo agro, quod tamen minoris æstimatur, quam ipsæ pensiones. Cum ergo utrumque jus, utpote disjunctum a possessione, fere semper cum aliquibus periculis, & difficultatibus sit conjunctum, merito poterit communi hominum æstimatione certo pretio emi, quod pretium a quovis exigi possit, etiamsi forte eæ circumstantiæ in ipso locum non habeant: Less. n. 31.

Dices: Si hoc jus minoris vales, quam pensiones speratæ: ergo, qui dat mutuos 1600. aureos, potest exigere 1700. per partes reddendos, ita ut quotannis solvantur 100. nam mutuans solum acquirit jus ad 1700. sic solvendos, quod jus valeret minoris.

Respondeo: Nego consequentiam. Qui mutuat, non intendit emere aliquod jus, nec mutuatarius intendit id vendere; sed tantum intendunt celebrare contractum mutui, ex quo solum potest exigi res ejusdem speciei, & bonitatis; at in censu, sive reali, sive personali, exponitur jus aliquod per modum mercis venale. Cæterum una, eademque res secundum varios contractus variam æstimationem recipit: sic, si mutues 30. aureos operario, ea lege, ut justo pretio pro te laboret, eris usura, ut plerique Doctores fatentur: si vero anticipato pretio eadem pecunia emas, seu conducas ipsius operas, non erit; & tamen idem consequeris, etiamsi, non plus pecuniæ exponas: similiter, si mutues 1000. aureos, accepto agro in pignus, non potes fructus percipere, nisi velis eos computare in sortem; si autem eadem pecunia agrum emas cum pacto retrovendendi, potes omnes fructus percipere, & postea totum pretium: Less. n. 33. & alii communiter.

Illud hic iterum notandum, quod persona, super qua creatur census, debeat posse, & velle lucrari pensiones ex suo labore, aut suis bonis; alioquin erit purum mutuum, & palliatio usuræ: Doctores communiter. Cæterum, quamvis nescias modum contrahendi per censum, vel alium contractum licitum, si tamen videas viros probos, & prudentes passim contrahere hoc, vel illo modo, & velis contrahere modo optimo; si modus sit, quo excusantur alii, etiam tu excusaberis, licet illum explicite nescias; quia in his intentio implicita idem operatur, ac intentio expressa, ut jura loquuntur. Dicitur tamen etiam alter contrahens saltem virtualiter, & implicite consentire in alterum justum modum: Croix n. 1024.

CAPUT IV.

Quid de Censu temporali, & vitalitio?

CENSUS temporalis dicitur, *Qui constitutus est ad certum, vel incertum tempus, in cujus termino sponte extinguitur, sorte non refusa.* Itaque

I. Census temporalis ad certum tempus, v. g. ad 50. annos, probabile est, quod possit minoris emi: v. g. si quis velles vendere pensionem 10. aureorum ad decennium, probabile est licere emere pro 90. & similiter pensionem annuam 10. aureorum ad quindennium pro 100. Nav. Less. n. 42. & alii, quod de censu reali non videtur dubium: de personali est probabile, quia non potest dari sufficiens ratio, cur non possit aliquod certum pretium imponi Juribus personalibus, quod pretium minus sit, quam res, quæ in futurum expectatur: Doctores cit. Hinc, si dicas, *Do tibi* 180. *ea lege, ut per annos* 20. *solvas quotannis mihi* 10. tunc, si intendas emere censum, seu actionem personalem, quæ non pluris æstimetur communiter, est licitum: secus vero, si intendas tantum dare mutuum, quod non datur utique pro jure, sed pro alia re simili in specie, & valore. Censet tamen Less. omnino dissuadendum, si quis hoc modo vellet contrahere.

II. Census vitalitius potest esse personalis, ut *Do tibi* 100. *ea lege, ut tu des mihi* 5. *in singulos annos, donec ego vixero, vel donec vixerit meus filius, vel nepos, vel uterque.* Potest etiam esse realis, ut *Do tibi* 100. *ea lege, ut tu ex fructibus talis tui prædii des mihi* 5. *in singulos annos, donec vixeris, vel donec vixero, &c.* Tales census vitalitii sive reales, sive personales non prohibentur a Bulla Pii V. quia non innituntur in eo, quod per eos ematur jus ad fructus; sed in contractu sortis, & ludi inter specialiter contrahentes, qui se exponunt periculo lucri, & damni, cum mors sit incerta: ergo constitui possunt non solum supra rem, v. g. prædium, sed etiam supra personam, etiamsi hæc nulla ratione ex sua arte, & industria sit fructifera: Tamb. c. 2. §. 2. D. Th. & alii.

Quod autem attinet ad pretium, debet hoc relinqui arbitrio prudentium, habita ratione ætatis, complexionis, ac modi vivendi illius personæ, ad cujus vitam constituitur; minoris enim emi debet, si constituatur super vita juvenis, vel hominis robusti, quam si senis, vel infirmi; & fieri posset, inquit Less. *in auct. v. Societas*, ut aliquando 16. in 100. constituerentur. Non potest tamen huic censui addi pactum, ut si redimatur, refundatur idem pretium a Censuario, quo ab initio venditus fuit, quia, quando postea redimaretur, jam transissent aliquot anni de vita, ideoque pauciores pensiones restarent solvendæ, quam ab initio: Tamb. c. 3. n. 5. Croix n. 1023.

Occurrit hic casus: Titius 1. Jan. anu. 1721. dedit Cajo 5000. ad censum vitalitium, vita sua durante, cujus primam pensionem lavaret in termino 1. Jan. 1723. sed moritur die 1. Nov. 1722. quæritur, an ejus hæredi debeatur pars illius pensionis pro rata temporis decursi? Equidem, quidquid sit de consuetudine opposita, si qua sit alicubi recepta, dico cum Pal. p. 37. §. 4. & aliis contra alios, probabilius deberi; sicuti, si quando intra annum redimitur census ordinarius, debetur pars pensionis pro rata temporis decursi: & ratio a priori est, quia omnis censuarius debet pensionem ob interusurium pecuniæ a censuista ei traditæ; sed hoc interu-

terusurium incipit a die constituti census, & dividitur pro divisione temporis, cum possit Censuarius ab initio uti, & per totum decursum temporis lucrari ea pecunia : ergo dicendum, quod etiam pensio habeat eandem divisionem temporis, & consequenter currit, & cedit censuistæ cum lapsu temporis, adeoque debetur ejus hæredi pro rata temporis decursi. Neque dicas, jus illud ad pensionem esse personale, quod proinde non transit ad hæredem, & talem censuistam esse veluti usufructuarium, qui proinde gaudere debet solis fructibus actu collectis; Nam primo, etiam pensio Clerici mortui est personalis, & tamen pro rata temporis solvenda est hæredi : secundo, falsum est, esse usufructuarium, alioquin neque hæres posset gaudere pensione totius anni jam decursi : v. Croix n. 1026.

C A P U T V.

Quæ pacta adjici possint censui?

QUÆRES primo, An censui reali licite adjiciatur pactum commissurium?

Respondeo affirmative, Quantum est ex jure naturæ; ut scilicet, si Censuarius pensionem non solvat intra certos annos, res censui subjecta cadat in commissum, seu fiat illius, qui emit censum : dummodo tres conditiones adsint : Primo, quod Censuarius culpa sua non solverit : Secundo, ut pœna illa proportionetur culpæ; nam pro parva pensione non soluta, non potest prædium magni valoris cadere in commissum : Tertio, ut pro onere talis pacti augeatur pretium : Tol., Pal. p. 24. §. 5. Tamb. c. 4. §. 4. Croix n. 1025. Dixi, *quantum est ex jure naturæ*; nam jure positivo prohibetur per Bul. Pii V. saltem pro foro externo, juxta dicta c. 1. Cæterum, etsi nullum ejusmodi pactum sit oppositum, jure naturæ tenetur Censuarius resarcire omnia damna, quæ Censuista pateretur, & expensas, quas forte faceret ad suas pensiones acquirendas. Tamb. c. 5. n. 12.

Quæres secundo, An licite addatur censui personali pactum rescissurium?

Respondeo affirmative, Ut scilicet Censuarius, si intra certos annos non solverit pensiones, teneatur totum pretium restituere Censualistæ rescisso contractu. Neque ob hoc pactum opus est augere pretium, quia de jure naturæ fit, ut des mihi meum pretium, si servare non vis id, quod per illud emo: Tamb. c. 4. §. 5. Mol. Med. & alii.

Quæres tertio, An licite addatur censui pactum, ut non redimatur per partes, aut nisi in eadem moneta?

Respondeo primo, Licere pactum, ut non possit redimi per partes, sed tantum totum simul, nec ideo videtur remittendum de pretio, quia similiter fit in emptione rei cum pacto retrovenditionis. Nec Bull. Pii V. tale pactum prohibuit : Tamb. Lop. Garc. & alii contra Bann. Si autem non sit additum tale pactum, Nav. & alii multi apud Tamb. putant, posse redimi per partes notabiles, ut per tertiam, per quartam, &c. non autem per partes minutas; servanda tamen est consuetudo loci.

Respondeo secundo, Per se loquendo, non licere pactum, ut non possit redimi, nisi in eadem moneta, quia satis est venditori, si justa, & æquivalenti moneta retrovendat. Si autem sit æquale periculum, quod crescat, vel decrescat valor monetæ, tunc licitum est tale pactum, etiam in terminis Bullæ Pii V., quia sic est novus contractus sortis : Less. Tamb. Lug. d. 27. & alii.

Quæres quarto, An licite addatur pactum solvendi pensionem, etiamsi res censuata pereat?

Respondeo, Licere jure naturæ; sicut licite addi potest hoc pactum in aliis contractibus; dummodo tamen hoc onus compensetur augendo pretium census, vel designetur minor pensio: Val. Tamb. Less. Addit tamen Tambur. esse dissuadendum propter periculum usuræ, ob quod prohibetur etiam in Bul. Pii V., at, si res censuata pereat culpa Censuarii, tenebitur ad pensionem, etiamsi nullum de hoc fuerit pactum : Doctores communiter. Similiter, quamvis Censuario liceat vendere rem censuatam tertio, præmunendo tamen Censuistam, si velit ipse emere intra mensem, ex Bul. Pii V.; tamen non venderetur licite tertio, a quo difficulter, aut minus secure acciperetur pensio a Censuista, nisi in id forte ipse consenserit: Val. Pal. p. 24. §. 6. Similiter, quamvis ex Bul. Pii V. non possit fieri pactum, ut res censita tradatur Censuistæ, ut ex ejus fructibus pensionem accipiat, &, quod superest, tradat Censuario (quod nec jure naturæ fieri posse, inquit Pal. nisi aucto pretio, vel diminuta pensione) tamen, si Censuarius sit suspectus, nec det fidejussionem, aut assecurationem, tunc tale pactum non videtur alienum a censu, cum solum spectet tuam indemnitatem : Pal. Rodr. & alii. Similiter, quamvis ex Bul. Pii V. non possit constitui census super omnibus bonis Censuarii generaliter, tamen censu constituto super re certa in specie, non improbat Pontifex obligationem generalem, seu hypothecam omnium bonorum ad securitatem pensionis, donec illa res perseveret : Pal. p. 27. Imo jure naturæ constitui potest super omnibus bonis generaliter, nullo designato, cum sic fiat census personalis. Denique illicitum est pactum solvendi decimam, seu laudemium emptori census, casu quo Censuarius rem censitam alienaverit, tum ex Bul. Pii V. tum etiam jure naturæ, nisi augeatur pretium, vel pensio minuatur, ut addit Pal. p. 24. §. 6. Item pactum deferendi pensionem in domum Censuistæ, si sit in diverso foro, aut sit pensio fructuaria, est illicitum; cum satis sit, si Censuarius paratus sit domi solvere; at licitum est, etiam vi Bul. Pii V. cum pensio est pecunia, & uterque est ejusdem fori, quia natura contractus eam solutionem exigit : Pal. §. 7.

Cætera pacta, quæ censui addi possunt, videre est apud Pal. p. 24. Illud noto, quod, si censui nullum additum sit pactum de redimibilitate; vel, si dubium sit, an census constitutus sit redimibilis, necne; censendum irredimibilem, quantum est ex jure naturæ, quia, cum constet de venditione census, & non constet de pacto retrovendendi, venditio præsumitur absoluta; cum factum illud novi pacti non præsumatur, nisi probetur : Lug. d. 27. num. 7., Covarr., Croix num. 1017.

Q U Æ S T I O III.

De Cambiis.

CAMBIUM est *Permutatio pecuniæ pro pecunia aliquo pacto diversa*; ideoque differt a mutuo exigente similitudinem dati, & redditi; & accedit ad emptionem, in qua pecunia, pro qua fit cambium, se habet, tanquam merx. Itaque, qui petit cambium, emit, & vocatur *Campsarius*; qui cambit, vendit, & vocatur *Campsor*. Dividitur Cambium in *Reale*, & *Siccum*. Cambium reale est *Legitima permutatio pecuniarum*, ex qua Campsor potest aliquid lucri accipere ratione alicujus diversitatis, sive pecuniarum, sive loci; ideoque subdividitur in cambium *minutum*, & cambium *locale*; seu *per literas*. At cambium siccum, cum nullam ejusmodi diversitatem habeat, si quid lucri afferat, est ex dicendis mera usura.

C A P U T I.

Quid de Cambio minuto?

CAMBIUM minutum est *Permutatio pecuniarum diversæ rationis, & speciei*: puta majoris pro minori, vel contra: argenteæ pro aurea: novæ pro veteri: usualis in hac Provincia pro usuali in alia Provincia, &c. Et hoc vocant aliqui ex Val. apud Tamb. Cambium *simplex*, *purum*, *manuale*; quia fit de manu ad manum, & quidem regulariter in eodem loco.

Dico primo : In cambio minuto licitum est publico nummulario exigere a Campsario aliquod moderatum pretium : Doctores communiter. Ratio est, quia adsunt justi tituli ad tale lucrum; nimirum diligentia, periculum, & expensæ Campsoris in conquirendis, & custodiendis pecuniis varii generis, ut Campsariis quibusvis sit paratus : item labor in numerandis pecuniis in gratiam campsariorum, & non in gratiam sui, ut not. Less. n. 69. item conductio officinæ, transportatio pecuniarum ex aliis locis, ubi fortasse pluris valerent, &c. Ex quibus omnibus, vel singulis fit, ut ii, ex officio ipso cambiendi, aliquod lucrum juste recipiant : moderatum tamen, quod scilicet taxatum est a Principe, vel legitima consuetudine inductum, vel a prudenti viro, hic & nunc determinatum, spectatis tum prædictis circumstantiis, tum etiam multitudine, vel paucitate petentium : &c. Tol. Rod. Tamb. c. 3.

Dico secundo : Licitum est etiam homini privato exigere a Campsario aliquod moderatum, & exiguum lucrum ob aliquod ex prædictis titulis : Less. Tamb. & alii. Ratio est, quia hic etiam se aliquo commodo,

vel

vel emolumento privat in gratiam Campſarii, quod eſt pretio æſtimabile: ut ſi det pecuniam pretioſam, pulchram, ſplendidam, raram, antiquam, &c. & recipiat minutam, detonſam, æream, &c. Quod ſi lege poſitiva prohibitum ſit, ne homines privati hæc cambia minuta exerceant, probabilius eſt, eos, ſi exerceant, non teneri ad reſtitutionem Campſariis, quia non plus ab eis recipiunt, quam omnibus perpenſis valeat pecunia, quam dant: Mol., Leſs. num. 17. Nec peccant graviter, ut addit Mol. quia, cum damnum alteri non faciant, ſolum venialem inobedientiam committunt: Tamb. cap. 3. §. 2. Addunt aliqui apud eundem, quod, ſi lucrum in cambiis taxatum ſit a Principe, vel uſu recepto, tantumdem poſſint exigere, qui ſponte exercent Campſariam, quantum, qui ex officio publico. Obſtat tamen huic ſententiæ, quod, qui ex officio id præſtant, conantur congregare varietatem monetarum, ſubire pericula, expenſas, labores, &c. quæ ſaltem omnia, & neceſſario non ſubeunt, qui non ſunt deputati: ergo minus hi exigere regulariter poſſunt: v. Tambur. loc. cit.

Quæres primo, quid ſit dicendum de cambiis minutis, addita pecuniæ cuſtodia?

Reſpondeo, Deponi aliquando pecuniam apud Menſam, ſeu Bancum, a quo deinde redditur non eadem numero, ſed alia; unde videtur eſſe quoddam cambium minutum, quod cambium cuſtodiæ appellant, & certum eſt, Tabularios, ſeu Miniſtros ad hoc ex officio deputatos, per ſe loquendo, poſſe aliquid moderatum accipere a deponentibus ob ſumptus, & labores in conſervandis pecuniis, in exſcribendis libris, &c. Val. Lop. Lug. d. 28. Verum alicubi nihil ſolvitur a deponentibus, vel extrahentibus pecuniam a Banco, ne propter numerationem quidem pecuniæ; eo quod tales Deputati non ſint mere Depoſitarii, ſed poſſint uti ea pecunia ad licitas negotiationes, & ſic multum lucrari: alicubi etiam reſidua pecunia, imo tota, de qua non diſpoſuit, qui eam depoſuit, aut ejus hæres, attribuitur Banco: quare hæc, & ſimilia emolumenta compenſant laborem cuſtodiæ, &c. unde nihil pro his ſolvi conſuetum eſt: Tamb. §. 3.

Quæres ſecundo, Quid dicendum de eo, qui ex induſtria cambit monetam alterius?

Reſpondeo, Famulum v. g. qui accipit a Domino 20. v. g. monetas argenteas, ut cum illis ſatisfaciat Domini creditoribus, vel emat ei vinum, &c. ſi utatur hac induſtria, ut illas antea permutet in monetam æream, & recipiat ex ſingulis monetis moderatum quid, puta unum granum, licite poſſe ſibi retinere hoc lucrum, dummodo per monetam æream placitum Domini bene impleverit, nec ullum detrimentum fiat creditori; quia tale lucrum eſt fructus induſtriæ: Mol. Leſſ. Bon. Lug. Tamb. & alii. Contra vero, ſi a debitore acceperit pecuniam deferendam Domino, non poteſt eam permutare, quia hoc ipſo, quod ei traditur, acquiſitum eſt jus Domino: Laym. c. 19. n. 5.

C A P U T II.

Quid de Cambio locali, ſeu per literas?

DUPLICITER fieri poteſt hoc cambium: I. Cum Campſor hic Neapoli recipit pecuniam a Campſario, ut eam ſolvat alibi, ubi Campſarius indiget, puta Romæ. II. Cum Campſor hic ſolvit pecuniam Campſario hic indigenti, ſed habenti eam alibi, ubi reddet Campſori; quod aliquando fit etiam cum recambio, & vocatur cambium *Recurſæ*; aliquando fit ad tempus determinatum, & vocatur cambium *ad Nundinas*, vel *ad Terminos*, ut infra explicabimus.

Dico primo: Poteſt campſor exigere aliquod moderatum lucrum ex eo, quod recipiat hic pecuniam, ut ſolvat alibi, ſive extra, ſive intra eandem Provinciam: Doctores communiter. Ratio eſt: Primo, quia transfert æquivalenter pecuniam campſarii in locum, ubi is ea indiget; pro quo obſequio, quamvis non poſſit exigere, quantum ſi reipſa transferret, poteſt tamen, quantum bona fide æſtimatur ipſa facilitas operæ, & commoditas, quam inde percipit campſarius: Secundo, quia aſſecurat ejus pecuniam alibi, itaut, ſi ibi pereat, non campſario, ſed ſibi pereat; quamvis valde parum exigere poſſit hoc titulo, cum valde commodum ei ſit, eam hic accipere: Tertio, quia ſæpe minoris pretii eſt hic pecunia, quam alibi; vel quod hic major ſit ejus copia, ideoque merx iſta vileſcit; vel quod alibi habeat meliorem ligam; ideoque intercedit etiam cambium minutum: Quarto, quia campſor publicus debet ratione officii eſſe paratus cuique campſario; ideoque ſubit labores, expenſas, & pericula in comparanda, & conſervanda pecunia apud correſpondentem, in ſcribendis rationibus, litteriſque, &c. Ex quibus omnibus, vel ſingulis titulis fit, ut campſor publicus poſſit aliquid exigere, juxta taxam Principis, vel juxta id, quod currit in foro bona fide, & ſine fraude: item campſor privatus, qui tamen minus exigere poteſt, quam campſor ex officio, ut patet ex dictis: Val. Leſ. Tamb. & alii. Si autem alicubi ſit juſta lex, ne quis lucretur ex cambio intra eandem Provinciam, eſt quidem ſervanda; ſed, ſi quis ex eo lucretur ob obſequium, per ſe mercede dignum, non videtur obligatus ad reſtitutionem ante ſententiam Judicis: Molin. Tamb. c. 6.

Dico ſecundo: Poteſt campſor exigere aliquod lucrum ex eo, quod ſolvat hic pecuniam, ubi indiget campſarius, & eam recipiat alibi, ubi campſarius habet: Mol. Cajet. Val. Lug. Leſ. & alii communiter. Ratio eſt, quia non diſſimiles tituli adſunt in hoc cambio: Primo, Virtualis tranſlatio pecuniæ abſentis in locum, ubi deſervit campſario, per quod eum liberat ab onere transferendi realiter: Secundo, Major æſtimatio pecuniæ hic, quam alibi, ſive ea æſtimatio ſit intrinſeca ob meliorem ligam, ſive extrinſeca ob ejus inopiam, multitudinem petentium, paucitatem dantium, &c. Tertio, Periculum, ne alibi reſtituatur: item privatio commoditatis aliter negotiandi, &c., qua ratione campſores eo plus exigunt lucri, quo longius eſt tempus, in quod pecuniam concedunt, juxta infra dicenda. Quarto, Labores, & expenſæ in comparanda pecunia, in procurando correſpondentem, in tranſcribendis rationibus, literis, &c. Quod ſi non omnes, aliquis tamen titulus ex dictis concedet etiam campſori privato aliquod parvum lucrum arbitrio prudentis. Noto tamen, Pium V. vetuiſſe, ne ab initio aliquid in pactum determinatum deducatur titulo lucri ceſſantis, ſed ſolum ex eventu ſecuto conſtituatur: Leſs. num. 42.

At quid, ſi cambium proſit utrique? v. g. Si Titius cupiat habere hic 100. aureos, quos habet Romæ, & Cajus cupiat habere Romæ 100. quos habet hic; cujuſnam horum invicem cambientium erit lucrum? Dico, fore illius, qui prævenitur, itaut, ſi Titius prior petat, ipſe debebit lucro Cajo; quia ſic Cajus præventus præſtat ei obſequium virtualis tranſlationis pretio æſtimabile; per accidens autem eſt, quod id aliunde cedat etiam in ejus commodum: Molin., Sylv., Tamburin., & alii. Si tamen Titius ſciat tale commodum Caji, poteſt cum eo convenire, ut vel gratis, vel cum aliquo utriuſque lucro fiat tale cambium, ut addit Molin.

Dico tertio: Poteſt campſor exigere aliquid ob cambium *ad nundinas*, vel *ad terminos*: Leſs. c. 23. Nav. Lug. d. 28. Vocatur cambium ad nundinas, cum campſor dat pecuniam ſolvendam ſibi poſt aliquod tempus, ubi fient nundinæ, quæ in urbibus Italiæ fiunt quater in anno poſt ſingula trimeſtria: hinc fit hoc cambium ad primas, vel ſecundas, vel tertias, vel quartas nundinas. Similiter, ſi fiat ad locum, ubi non ſint nundinæ, dicitur ad primos terminos; puta ad trimeſtre, vel ad ſecundos, tertios, quartos terminos. Certum eſt autem, non poſſe exigi lucrum in hoc cambio præciſe ratione temporis longioris, quia in cambiis non requiritur temporis intervallum, niſi quatenus id neceſſarium ſit ad tranſlationes literarum, & præparationem ſolutionis, ut ea commode in loco diſtanti fieri poſſit: quare, ſi plus temporis concedatur ad ſolutionem, id non fiet ex vi cambii, ſed taciti cujuſdam mutui, in quo recipere aliquid ratione temporis longioris eſt uſura, juxta dicta de mutuo; ideoque Bul. Pii V. *Pro noſtra paſtorali* prohibet, ne fiant hæc cambia, niſi pro primis, ſeu proximis nundinis. Cæterum licite exigitur lucrum ob alias circumſtantias temporis adnexas, præſertim, quia ob dilatam ſolutionem major ſit numerus petentium, & minor dantium, & pecuniæ, cujus etiam ſubitur periculum; amittitur opportunitas, & libertas interim negotiandi, & lucrandi, &c. quibus titulis campſores etiam probi, & conſcientiæ religioſæ aliquid lucrantur juxta taxam, quæ communiter fit in nundinis.

Hinc infert Tamb. ex Leſs. quod, ſi quis plus exigeret dando primo menſe ante nundinas, quam, ſi daret ſecundo, aut tertio menſe, licite exigeret; quia in longiori tempore majora ſubit pericula, diutius privatur pecunia ſua, qua negotiari poſſet, major eſt numerus peten-

tentium, &c. unde pretium cambii crescit. Imo ex iisdem titulis ait, posse plus exigere, si daret ad secundas, ad tertias, ad quartas nundinas, non quidem ratione præcisa temporis longioris, sed ratione circumstantiarum, & veri interesse, quod pateretur, præsertim ob plura virtualiter cambia, quæ facit eidem; neque obstare Bull. Pii V. quam paucis in locis, aut certe nusquam, ait, esse usu receptam: addit demum, quod, quamvis Bulla etiam prohibeat, ne fiat ab initio pactum de certo interesse casu, quo non fieret solutio tempore præfixo, tamen non prohibera pactum de lucro incerto pro interesse, quod pateretur campsor ex non soluto cambio; imo nec de lucro certo ad arbitrium tertii, quia Bulla solum prohibet fieri ad arbitrium campsoris.

Denique illud maxime servandum in hoc cambio, ut campsor sciat, vel rationabiliter existimet campsarium habere in loco destinato ad solutionem pecuniam saltem in credito, quia secus contra justitiam peccat, si ei ad illum locum cambiat: Doctores communiter cum Less. n.68. Potest tamen cum eo convenire, ut ipsemet inveniat in loco nundinarum aliquem correspondentem, qui ejus nomine solvat, & ita esse in usu, ait Tamb. c.5. justa mox dicenda.

Dico quarto: Licite saltem speculative fit cambium cum recambio, seu, ut dicitur, *Recursæ*; Less. Dian. Nav. Tamb. c. 5. §. 3. & alii contra Mol. Con. & alios. Fit autem hoc modo: Titius campsor hic Neapoli dat Cajo 100. solvendos in proximis nundinis Salerni; sed, cum Cajus non habet Salerni correspondentem, qui suo nomine solvat, Titius offert ei (nunquam tamen cogendo) ibi correspondentem, ut solvat nomine ipsius Caji, qua oblatione acceptata e Cajo fit secundum cambium, seu ut dicitur, recambium solvendum e Cajo hic Neapoli, ubi solvere daber 100. & insuper lucrum utriusque cambii. Rursus, si Cajus ne Neapoli quidem habet hanc summam, potest se obligare ad eam solvendam cum lucro iterum Salerni, ut supra, & sic continuare per multos aliquando annos cambia, & recambia, donec reipsa solvat Titio totum capitale cum omnibus lucris intercurrentibus; ideoque vocatur cambium recursæ; item Bisuntinum, & Placentinum, quia in his Civitatibus cœpit celebrari.

Ratio autam, cur liceat, est, quia, quod idem fit correspondens utriusque, non vitiet primum cambium; ut anim correspondens Caji solvit ejus debitum, ita correspondens Titii accipit ejus creditum, transfertque in libris dati, & accepti, quod italice dicimus *Passar le partite*. Neque vitiatur secundum cambium; eo quod Cajus illud solvere debeat hic Neapoli, ubi primo accepit pecuniam; nam non solvit pecuniam hic acceptam, cum primum cambium extinctum jam sit per illum correspondentem Salerni, sed solvit hic pecuniam Salerno acceptam per recambium; ideoque non est cambium siccum, ut dicam infra. Hinc, si talis correspondens utriusque fugeret, aut decoqueret, Titius non habebit actionem directam in Cajum, quia hoc ipso, quod acceptavit obligationem correspondentis liberavit Cajum, & solum potest in hunc agere indirecte, nomine scilicet correspondentis, ut sui debitoris: Less. n. 72. addens tamen, hanc speciem cambii non esse permittendam, quia inducit præsumptionem juris, & de jure usurarum, ut patet ex Bul. Pii V. unde talis in foro externo plecti posset tanquam usurarius, quamvis Tamb. approbet etiam in praxi; dummodo correspondens habeat aliam pecuniam præter creditum Titii.

Dico quintu: Omnino illicitum est cambium siccum, seu fictum: Doctores communissime. Ratio est, quia tale cambium illud est, in quo exigitur lucrum ex titulo omnino ficto, ac sterili: v. g. Si Cajus indigens pecunia petit hic a campsore 100. & campsor non aliter dat, nisi solvendos alibi, puta Romæ, cum lucro, quod solet dari pro simili loco; Cajus ergo accipit, & tamen vere non cogitat solvere Romæ, & forte nec habet ibi correspondentem, idque constat campsori, qui proinde præsumitur eam velle recipere etiam hic. Talis contractus est cambium fictum, seu siccum, & revera mutuum, adeoque ejus lucrum est palliata usura. Cæterum, si lucrum illud exigatur titulo lucri cessantis, excusetur ab usura: Tol. Bon. Busemb. & alii.

QUÆSTIO IV.

De Societate.

VIDENDUM, Quid, & Quotuplex sit Societas? Quid de rebus in ea collatis? Quid de lucro? Quid de damno, & expensis? Quid de contractu trium? Quid de Societatis dissolutione?

CAPUT I.

Quid, & Quotuplex sit Societas?

CONTRACTUS Societatis est *Conventio duorum, vel plurium habilium contribuendi ad communem quæstum, vel usum, & commune damnum sustinendum*: Doctores communiter apud Pal.

Dicitur *Conventio, &c.* quia hic contractus solo consensu perficitur; unde etiam inter absentes, & sine scriptura perfici potest: Mol. d. 411. Dicitur *Habilium*, multi enim jura sunt inhabiles ad hunc contractum, juxta dicta d.1. quibus adde, medicum jure positivo non posse inire hunc contractum cum infirmo durante infirmitate, nec advocatum cum cliente, nec tutorem, aut curatorem cum pupillo, aut minorenni. Dicitur *Contribuendi*, sive sortem capitalem, puta pecuniam, pecora, merces, sive operam, sive industriam, sive naves, currus, jumenta, cæteraque instrumenta, itaut quivis socius aliquid horum de suo contribuat. Dicitur *Ad communem quæstum, vel usum*; quia finis societatis est lucrum, quod debet esse commune, ut fit in negotiatione; vel usus tantum, ut contrahunt milites, qui ex communi marsupio expensas faciunt; vel lucrum simul, & usus, ut est societas matrimonii. Dicitur demum *& ad commune damnum*, quia, si in societate unus lucrum tantum, alter damnum tantum reportaret, non esset societas humana, sed leonina; ut dicitur *l. Si non fuerint, ff. pro socio*: nisi aliter fiat compensatio, ut dicemus infra.

Societas variis modis contrahi potest, tum ex parte finis, tum ex parte materiæ, tum ex parte formæ, tum ex parte temporis, ex quibus diversæ existunt species.

I. Ex parte finis, alia est societas ad lucrum tantum; alia ad usum tantum; alia ad utrumque, ut explicatum ast.

II. Ex parte materiæ, alia est societas omnium bonorum, ut inter conjuges, in qua omnia bona sive præsentia, sive futura, quocumque titulo fuerint acquisita, durante societate, communicantur æqualiter; nisi aliud ab initio conventum fuerit; alia est absoluta, hoc est neque expresse dicens omnia bona, nec aliquid in specie determinans; & hæc extenditur ad bona præsentia, & futura, ex *l. Si quis Societatem, ff. pro socio*; sed non ad acquisita, vel acquirenda titulo gratuito, scilicet donatione, legato, hæreditate, &c. etiamsi occasione societatis pervenerint, *l. Socium, ff. eod.* alia demum est specialis pro aliquibus bonis, prout conventio designaverit.

III. Ex parte formæ, alia est, cum fit contributio ex animo, ut non solum lucra, & damna, sed etiam res contributæ fiant communes, itaut earum possessio quadam fictione juris transferatur in omnes socios, etsi singulis traditæ non sint, ex *l. 1. ff. eod.* & in fine contractus omnibus pro rate sint dividendæ; alia est, in qua sola lucra, & damna sint communia, sed singuli socii retineant dominium rei a se contributæ; alia demum, in qua pars lucri tantum communicatur, nullo communicato damno, juxta varias pactiones societati adjectas, de quibus infra.

IV. Ex parte temporis, alia est societas ad vitam, alia ad tempus determinatum, seu usque ad finem alicujus negotii, ex *l. 1. cit.* Nunquam taman contrahi potest, ut perseveret post alicujus mortem, quia hic contractus non transit ad hæredem (nisi in aliquibus casibus, de quibus infra) sed morte unius socii tota societas dissolvitur, *Instit. de Societ.*

CAPUT II.

Quid de rebus in Societate collatis?

QUÆRES primo, An in contributione servari debeat æqualitas?

Respondeo affirmative; Quia aliter lucrum non posset æqualiter dividi. Hinc, si unus pecuniam, puta 100. aureos, alter operam contribuit, ut hæc sit illi æqualis,

comparari debet, quanti valeant in ordine ad finem societatis: si ergo in ordine ad negotiationem societatis 100. aurei valent 10. & opera alterius etiam 10. habetur æqualitas. Pro praxi autem consulendi sunt mercatores ejus negotiationis, qui, utpote experti, spectatis omnibus æstimabunt pretium pecuniæ, & operæ, quanti valeant in ea negotiatione, & quæ rata lucri singulis sit distribuenda. Putavit Sotus, pro hac æqualitate satis esse comparare opera solum ad periculum, quo 100. illi aurei possunt in negotiatione deperdi; itaut, si periculum sit tantum ut tria, satis sit opera, quæ æstimetur tantum ut tria, & ratio ipsius est, quia pecunia ex se est sterilis, opera vero ex se fructifera. Sed communiter rejicitur a Doctoribus, & praxi Fidelium, quia pecunia, ut substans negotiationi est fœcunda, & præcipua radix lucri; adeoque æstimari debet ejus usus in ordine ad illud.

Idem proportionaliter dicendum, si unus conferat pecuniam, alter operam, seu industriam, alius instrumenta, scilicet equos, navigium, molendinum, &c. alius materiam, ut lapides, cæmenta, ligna, &c. ad susceptam negotiationem necessaria; nisi enim in his sit æqualitas, lucrum non erit æqualiter commune, sed pro rata distribuendum. Idem, quando fit societas in animalibus, v. g. si unus oves, alter vero operam, seu industriam conferat; vel si uterque contribuatis æqualem partem industriæ, & parem numerum ovium ad fructus inde æqualiter dividendos, de qua re plura dicentur infra.

Quæres secundo, Quis sit Dominus rei in societatem collatæ?

Respondeo, Præciso alio peculiari pacto, vel modo contrahendi, qui confert v. g. pecuniam artifici ponenti operam, dominium illius pecuniæ apud se retinere; quia confert illam solum ad usum negotiandi, adeoque solum illius usum facit communem cum socio: D. Th. & alii. Hinc finita societate summa capitalis tota debetur illi, qui posuit, & solum lucrum est dividendum: Val. Nav. Sa, Fil. Tamb. & alii: & probatur ea praxi, quam esse de jure communi ait Bonac. contra Mol. Lug. & alios putantes, etiam eam summam esse dividendam, eo quod alias non servaretur æqualitas, cum artifex amitteret totam suam operam, & conferens pecuniam nihil amitteret. Sed rejiciuntur; quia opera, cum in casu nunquam sit reditura, sed omnino peritura, absolute, & simpliciter tanti valet, quanti valet solus usus pecuniæ: unde etiam fit, ut, si pecunia collata ab uno interim crescat, vel decrescat in valore extrinseco, crescat, vel decrescat ei, qui illam contulit; nisi vero commixta jam fuerat cum aliis pecuniis sociorum, itaut discerni nequeat, vel ea ea emptæ jam erant merces; tunc enim domina est societas, ideoque augmentum erit commune lucrum, decrementum commune damnum. Dixi, *Præciso alio peculiari pacto, &c.* Nam potes contrahere societatem cum pacto, ut pecunia, quam confers, sit communis socio ponenti solam operam; itaut, dum viget societas, ea sit sub dominio utriusque; finita societate, sit dividenda, uti etiam lucrum. Sed hoc pactum compensare debet e socio: & sane compensaretur, si opera ejus esset magni momenti ad lucrum consequendum; tua autem pecunia esset modica, vel quid simile: Tambur. & alii.

Similiter, *Præciso alio peculiari pacto*, si post contractam societatem pereat talis pecunia, sine ulla culpa socii, perit ei, qui illam contulit, sive perierit ante, sive post inceptam negotiationem, seu operam socii; quia semper perit domino suo: Tol. Nav. Sylv. Tamb. & alii contra Mol. Covar. & alios. Si autem unus socius conferat 100. aureos, & alter alios 100. ex quibus omnibus 100. ponerentur in una navi, & alii 100. in alia, quarum deinde una submergeretur, tunc ex 100. salvis dimidium esset unius socii, & dimidium alterius; quia in tali casu illi 200. erant communes utrique, ideoque in una navi non erant 100. unius, sed utriusque, & consequenter utriusque esse debent alii 100.

Dixi rursum, *Præciso alio peculiari pacto*; possunt enim socii pacisci, ut damnum pecuniæ collatæ ab uno sit commune; itaut, si casu pereat, dimidium tantum ei pereat, & dimidium sit ei resarciendum ab altero, quod, ut sit licitum, conjungi debet cum pacto: ut, si pecunia maneat integra, dividatur cum socio. Sic enim est æquale periculum, ut socius acquirat dimidium, vel ut illud amittat, & solvere de suo debeat: Nav. asserens, esse communem. At si periculum non sit æquale, vel velis pacisci primum, non secundum, es injustus, nisi forte aliunde onus impositum socio compenses; & cum hac compensatione solum approbat in jure Pontifex: Tamb. c. 5. §. 2. n. 5.

CAPUT III.

Quid de damno, & expensis communibus?

Certum est, socium in conscientia teneri de damno ex sua culpa societati secuto. Culpa autem ad id obligans est: *Quando is non adhibuit eam diligentiam in negotio societatis, quam poneret, si illud negotium ad se solum pertineret*; quia, præscindendo ab alio pacto peculiari, nemo intendit se, suamque operam magis obligare pro re aliena, quam pro sua. Si autem defecit quidem a tali diligentia, sed absque culpa gravi theologica, probabile est, non teneri in conscientia, etsi inde secutum sit damnum; nisi vero societati additum sit pactum assecurationis, de quo c. 5.

Quæres primo, Cujus sit damnum absque illius culpa secutum in frumento, aut alia merce empta ex pecunia unius, & opera alterius socii pro negotiatione facienda?

Respondeo: Esse commune utrique; quia frumentum illud fuit emptum cum pecunia unius, & cum opera alterius: ergo ad utrumque socium pertinet damnum, sicut pertinere debet & lucrum; hinc, si vitientur tales merces, vel pereat navis, in qua vehebantur, &c. in utriusque damnum vitiantur, vel pereunt: Bonac. Lug. & alii communiter. Excipe semper, nisi additum sit pactum assecurationis, quo damnum conjiciatur in unum ex sociis; de quo infra.

Quæres secundo, ad quem pertineat damnum secutum uni ex sociis, vel ejus necessario ministro pro communi negotiatione?

Respondeo: Primo, Si damnum illi evenit ex societate, tanquam ex causa proxima (puta si exercens societatem naufragium patiatur, vel, ut defendat merces, vulneretur, &c.) tale damnum debere esse commune, ex *l. Cum duobus*, & *l. Fratres*, *ff. pro socio*: sicut enim lucrum ex societate est commune, ita æquum est, ut damna ex eadem societate proxime provenientia sint communia. Cæterum hoc damnum resarciri debet ex bonis societati subjectis, & non ex aliis bonis: Navar. Rodr. Bonac. & alii: Secundo, Si damnum socio evenit ex societate, tanquam ex causa remota (puta si exercens societatem in via vulneretur a suo inimico, vel non instituatur hæres a suo amico, &c.) tale damnum non debet esse commune, sed ipsius tantum, quia non est proprie ex societate, neque adeo censentur socii in illud consensisse: Navar. Mol. Less. num. 37. Idem est, si exercens societatem incidat in febrim, &c. quia id non provenit ex societate, tanquam ex causa, sed potius ex conditione personæ: & ita in praxi servari judicat Tambur. num. 11. Excipe; nisi alia sit alicubi consuetudo, vel pactum justum in contrarium.

Quæres tertio, Quid sit dicendum de expensis communibus?

Respondeo primo, Si expensæ sint proxime, & immediate necessariæ ad communem sociorum negotiationem (ut jumenta conducere ad merces deferendas, vel domum ad easdem conservandas, solvere gabellas, & similia) eas debere esse communes sociorum, præscindendo ab alio pacto, vel justa consuetudine in contrarium; quia negotiatio communis est earum causa proxima: Mol. Less. num. 35. Idem dicit Tamb. de eleemosynis moderatis ab uno socio factis intuitu societatis, ut scilicet prosperum exitum habeat, vel de ejus voto in tempestate pro incolumitate mercium, &c. Idem de expensis pro victu socii, etsi ponentis tantum operam, sed proficiscentis extra domum suam ad negotia societatis, ex *l. Cum duobus*, & *l. Si Fratres*, *ff. pro socio*: & ratio est, quia qui locat operam suam extra domum, a conductore, cui servit, est merito alendus; unde inferunt Mol. Less. Bon. & alii contra Bald. Nav. & alios, non esse deducendas expensas, quas ille faceret pro victu domestico, si etiam societatem non inivisset. Secus vero dicendum, si domi suæ suam operam poneret, quia, qui locat operam suam non discedens domo sua, sibi consuevit alimenta præstare: Mol. Tamb. c. 8. n. 9. Secundo, Si expensæ factæ sint a socio, qui suam promisit operam, ut suam ponat operam, eas non debere esse communes, sed illius tantum; quia, qui promittit operam, debet adhibere ea, quæ adhiberet in rebus suis, & ad conservanda sua quisque facit expensas ordinarias. Dixi *Ordina-*

dinariis, quia ad extraordinarias non præsumitur quis se obligare, præscindendo a speciali pacto, vel justa consuetudine, ut sæpe diximus, in contrarium: Tamb. n. 2.

Extracta summa capitali, id, quod remanet deductis ex eo omnibus expensis, est lucrum inter socios dividendum æqualiter arithmetice, si partes collatæ fuerunt æquales; æqualiter vero geometrice, si sit major, & minor æstimabilitas partium collatarum.

Hinc, si Petrus in societatem confert 100. aureos, quorum usus prudentium arbitrio valeat 10. Paulus vero confert operam valentem prudentum judicio item 10. lucrum vero totum sit, deductis expensis communibus, 4. aureorum; finita societate, Petrus primo loco extrahet suos 100. deinde accipiat 2. & Paulus alia 2. quia sic æquale lucrum respondet. Idemque est, si uterque æqualem pecuniam, & æqualem operam conferat; sic enim uterque primo extrahet pecuniam suam, & deinde lucrum æqualiter dividet: si autem in negotiatione notabiliter plus conducat opera unius, quam alterius, debet illi ex lucro aliquid amplius proportionatum accedere, quia sic censetur, plus conferre in Societatem: Val. Nav. Tamb.

Si autem Petrus confert 100. Paulus 50. & operam; tunc Petrus extrahat suos 100. & Paulus suos 50. deinde si opera Pauli in tali negotiatione valet, quanti 50. redituri ad Petrum, dividendum est lucrum æqualiter; at si valeat plus, vel minus, dandum est Paulo aliquid plus, vel minus geometrice proportionatum: Molin. d. 416.

Si vero Petrus, & Paulus nihil pecuniæ conferendo, conveniant, ut omnia lucra, quæ per 10. annos acquirent ex sua arte v. g. navigandi, fiant communia; tunc, si Petrus acquisivit 1000. Paulus vero 100. totum hoc dividendum est æqualiter æqualitate arithmetica, itaut singuli habeant 500. quia æquale erat periculum, ut Petrus, vel Paulus plures haberent, vel pauciores occasiones lucrandi, ut supponimus: Tambur. ex Lug. d. 30. num. 27. Hinc, si antequam fluat tempus illud 10. annorum, Petrus videat, se plus acquirere, quam Paulus, non potest dissolvere societatem; quia hæc fuit, ut supponimus, juste contracta, & Paulus ex se paratus est ad ponendam operam, quam promisit.

Quæres quarto, Quænam pacta circa lucrum, aut damnum societatis sint injusta?

Respondeo, Esse illa, quæ inæqualitatem inter socios afferunt; quia par esse debet utriusque socii sors, periculum, lucrum, & damnum. Cæterum pactum, quod se solo inæqualitatem affert, evadere potest licitum, & justum, si aliunde ea inæqualitas compensetur; quia sic æquatur justitia. Hinc, si Cajus tradat Titio 10. gallinas eo pacto, ut singulis diebus reddat ei unum ovum, & teneatur integrum numerum gallinarum servare; ideoque, si una moriatur, vel eripiatur, substituere aliam, Laym. Pal. & alii contra Med. Rebel. & alios dicunt, esse licitum, & justum; quia, quamvis Cajus habeat lucrum certum, & Titius totum periculum sortis cum onere etiam alendi gallinas, tamen periculum compensatur Titio per plures fructus, & onus alendi compensatur per longe plura ova ex reliquis gallinis habenda. Hac ratione etiam licite, & juste fit societas in pecoribus, interdum ita, ut tam pecora ipsa, quæ alteri pascenda traduntur, quam fructus, scilicet lac, lana, fœtus, &c. nec non damna, communia sint danti, & accipienti: interdum vero ita, ut pecorum dominium, damnum, & periculum, seu casus fortuiti spectent ad solum dantem: fructus autem spectent ad utrumque; interdum vero ita, ut pecora in principio æstimata tradantur, eorumque pretium, vel ex fructibus, vel ex venditione pecorum extrahat dans; reliqua vero emolumenta ipsi cum recipiente sint communia: quem modum contrahendi, quamvis improbent Sylv. & alii, tamen approbant Navar. Molin. d. 410. Laym. & alii, dummodo tanta pars fructuum relinquatur pastori, quanta ipsi debetur; spectata cura, expensis, &c. ac loci consuetudine; nec teneatur præstare casus fortuitos.

Noto demum, interdum videri contractum societatis, cum revera sit alius contractus: v. g. si ineas cum nauclero pactum, ut asportet tuum frumentum in locum, ubi pluris venditur, pro qua opera ei solvas partem aliquotam, puta septimam lucri, quæ pars judicetur æqualis æstimabilitati talis operæ; damna vero omnia, sicut & reliqua omnia lucra tibi cedant; hic contractus non est societatis, sed locatio, & conductio, in qua nauclerus non habebit, nisi mercedem justam suæ operæ. Idem est, si conferas Petro 10. aureos ad negotiandum cum pacto, ut ille certam partem lucri habeat, quanti scilicet æstimatur ejus opera, sive ex negotiatione pariatur lucrum, sive non, sive casu pereat pecunia, sive non: Molin. d. 411. Idem, si ineas hoc pactum, si societas bene succedat, dabo tibi mercedem longe majorem, si male, longe minorem: v. Tamb. c. 9. Idem denique, si tradas oves pastori, ut eas custodiat, data illi parte fructuum, quæ dictam custodiam compenses: si autem tradas, ut ipse fructum sibi accipiat, soluto tibi ejus pretio, est venditio.

CAPUT IV.

Quid de Contractu Trium?

DICITUR Trium, cum ad contractum Societatis adjunguntur duo alii contractus, scilicet assecurationis sortis, & assecurationis lucri sperati: v. g. Tradis Paulo 300. aureos contractu Societatis ad negotiandum; itaut tua pecunia sit æque æstimabilis ad eam negotiationem, ac opera Pauli, & insuper spes lucri judicio prudentis sit de 60. aureis: quare ex vi contractus Societatis deberentur tibi una cum sorte 30. aurei, qui sunt dimidium lucri sperati; sed quia in te est periculum amittendæ sortis, contrahis secundo cum eodem Paulo, ut in se suscipiat tale periculum, pro cujus assecurationis compensatione das ei tertiam partem lucri sperati, itaut maneant tibi certi 20. una cum sorte; denique, quia adhuc in te manet periculum, & incertitudo lucri, contrahis tertio cum eodem, ut & hoc periculum in se suscipiat, pro cujus assecurationis onere das ei dimidium lucri remanentis sperati. Itaque, ex 30. tibi speratis pro lucro, remanent tandem tibi 10. certi, quæ est tertia illius pars tibi danda una cum sorte, sive adsit, sive non adsit revera lucrum in ea negotiatione: item, sive pereat, sive non pereat sors.

Hi tres contractus sicuti licite celebrantur cum tribus personis, ita etiam cum eadem persona, quia nec unio eorum, nec personæ identitas destruit substantiam contractus: Sylv. Cov. Nav. Val. Mol. Med. Lop. Tol. Less. Laym. Bon. Dian. Lug. & alii contra Cajet. Sot. Azor. Rebel. Fil. & alios dicentes, hoc aliud non esse quam subtiliter palliare usuram, sed immerito, cum *l. 29. ff. Pro socio* dicatur, conveniri posse societatem, itaut nullam partem damni alter sentiat, quod certe aliter non potest fieri, nisi assecurando sortem, & lucrum. Neque obstat Sixt. V. Bul. 45. *Detestabilis*, damnans omnes pactiones, quibus cavetur, ut capitale salvum maneat, sive contrahatur ad certum, sive ad incertum lucrum: nam Less. num. 33. ait, Pontificem tantum improbare, si ex vi ipsius contractus Societatis exigatur assecuratio, cum esse debeat socio liberum inire societatem absque contractu assecurationis, &c.

Similiter iniri potest contractus trium in Societate circa greges animalium: potest enim tradi grex 100. ovium pascendus ea lege, ut pastor in fine anni præstet illum salvum, quod vulgo dicitur, *A capo salvo*, supplendo, si quid etiam fortuito perierit: & præterea quotannis solvat aliquid certi pro fructibus. Ut tamen hic contractus sit justus, necesse est, ut spes fructuum ex illo grege sit tanta, ut judicio prudentium æquivaleat oneribus, quæ pastori imponuntur, præstandi scilicet integrum numerum, & solvendi quotannis certam pensionem: Less. n. 33. Addit Tamb. ex Valent. in contractu trium illud lucrum censeri justum, quod est utrique contrahenti commodum.

CAPUT V.

Quot modis dissolvi possit Societas?

QUINQUE modis dissolvi licite potest: mutuo consensu, finito tempore designato, finito negotio, morte civili, & morte naturali, ex *l. Verum, ff. Pro socio.*

I. Mutuo consensu, quia res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur (excipe societatem matrimonialem, utpote indissolubilem) Quod si unus Socius inciderit in amentiam, non dissolvitur Societas, neque ex consensu Curatoris, nisi in casibus, in quibus ille, si fuisset sanus, voluisset: quare continuanda est tunc Societas, & lucrum dividendum cum curatore amentis, ex *l. ult. C. Pro Socio*. At, si quis ex sociis renuntiet, alii invitis, tunc damnum, quod ex tali

renunciatione subsequetur, ad ipsum solum spectabit; si vero nihilominus habebitur lucrum, ipse non erit particeps, quia cessit juri suo, & subivit obligationem ad interesse sociorum. Cæterum in quatuor casibus potest aliis invitis impune recedere: primo, si socii non servent pacta: secundo, si sint damnosi: tertio si omnino cesset spes lucri: quarto, si debeat Reipublicæ causa abesse, nec commode aliis, aut sociis committere partes suas possit: Tamb. c. 10. n. 5. II. Finito tempore designato, quia ulterius non se extendebat contractio; nisi vero tacito consensu innovetur, seu continuetur societas, quia tunc novus censetur advenire contractus. III. Finito negotio. Finiri dicitur negotium: primo, si totum capitale, vel magna ejus pars casu pereat, aut ita mutetur, ut aptum non sit ad negotiandum: secundo, si in agro a sociis excolendo auctoritate publica extruatur Ecclesia: tertio, si socius non possit contribuere suam partem, ut si incidat in paupertatem, ægritudinem, vel sit in carcerem conjectus, vel ejus bona fuissent publicata, vel quid simile. IV. Morte civili unius socii, quæ pro hac re est triplex: primo, Capitis diminutio, idest deportatio in insulam cum amissione libertatis, vel etiam sola deportatio in insulam, vel exilium absolute acceptum ut addit Bonac. secundo, Cessio bonorum: tertio, Professio in Religione: Molin. d. 9. V. Morte naturali unius socii; unde societas non transit ad ejus hæredem. Quod si affuerit pactum, ut ad hæredes transiret, remanet societas quoad socios superstites, si velit hæres defuncti; at non remanet quoad ipsum, si nolit. Quod si tale pactum fuerit juratum, tunc, qui docent, juramentum firmare contractum, affirmant, tale pactum juratum obligare hæredem ad prosequendam societatem; negant vero, qui putant juramento non firmari contractum. Vide, quæ dicta sunt d. 1. q. unic. c. 8.

QUÆSTIO V.

De Ludo, Sponsione, & Sortibus.

HI contractus jure naturæ liciti sunt, modo debitæ conditiones adsint, & aliunde non interveniant scandalum, occasio peccati, aut justa prohibitio. De singulis seorsim est hic agendum.

CAPUT I.

Quid de Ludo?

LUdus est Contractus, *quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit.*

Finis ludi est honesta recreatio. Hinc Sylv. & alii damnant peccati mortalis eum, qui principaliter luderet ob lucrum præsertim magnum. Sed communiter rejiciuntur, quia non videtur mortale velle per justum contractum acquirere rem proximi. Addunt tamen Nav. & alii contra Lug. d. 31. n. 4. esse veniale, quia est invertere finem ludi; nisi forte ludas ob lucrum ad subveniendum alicui necessitati.

Quæres primo, quot sint species ludorum, & quinam sint prohibiti?

Respondeo, Esse tres species: Primo, solius ingenii, industriæ, aut virium, ut cursus, saltus, lucta, pila, hastiludium, ac torneamenta, agitatio taurorum, & ferarum, &c. Secundo, solius fortunæ, ut taxilli, &c. Tertio, mixtus, qualis est alea, &c.

Ex his torneamenta prohibentur, c. 1. *de Torn.* ubi, qui occisi fuerint, privantur Ecclesiastica sepultura. Sub eadem pœna prohibentur agitationes taurorum, & ferarum a Pio V. ubi etiam excommunicantur ipso facto Principes, sive Ecclesiastici, sive Seculares eas permittentes; & jubet, excommunicandos Ecclesiasticos sive Regulares, sive Seculares in Sacris constitutos, aut Beneficiatos interessentes: sed Gregor. XIII. abstulit excommunicationem quoad Principes laicos permittentes, modo non permittant die Festo, & caveant, quoad fieri possit, periculum mortis, & Clem. VIII. abstulit pro Regnis Hispaniæ excommunicationem ferendam quoad Ecclesiasticos seculares interessentes, & privationem sepulturæ quoad occisos, ut addit Rodr.

Ludi taxillorum, & alearum prohibentur etiam Laicis, *l. 2. cap. de Aleat. & l. fin. Cod. de Relig. & sumpt. funer.* ubi additur, ut, qui sic ludendo perdidit, non cogatur solvere: &, si solverit, habet jus repetendi: sed, cum tales leges sint solum comminatoriæ, & mere pœnales, non obligant laicos sub gravi; imo nec nunc sub levi, ut addit Lugo, cum sint per desuetudinem abrogatæ. Maxime vero prohibentur Clericis, cap. *Cleric. 2. de vit. & honest. Cler.* ne his ludant, nec assistant, quæ prohibitio non extenditur, nisi ad Clericos in Sacris, vel Beneficiatos: Cajet. Less. & alii. Putat etiam Salas, non extendi ad Religiosos, & laicos, sed communiter rejicitur, præsertim in Religione ab his ludis maxime abhorrente.

Si quis teneat domum ludo illicito expositam, aut instrumenta subministret, peccat mortaliter, ut & Princeps permittens; quia directe, & proxime cooperatur ad blasphemias, rixas, &c. non aliter, ac qui subministrat ensem occisuro: Dicast. & alii communiter cum Dian. p. 2. t. 15. r. 63. Unde Sanch. & alii putant hunc teneri ad restitutionem, tanquam cooperantem ad injuriam, si ludentes per fraudem perdant. Ludere autem in Ecclesia ludos, qui specialiter ibi non sunt prohibiti, secundum se non est, nisi veniale, si fiat sine causa; sufficit tamen honesta recreatio pro Clericis, qui v. g. in Ecclesiam confugerunt: Cajet. Nav. Dian. r. 38. Denique ludere pro Psal. Oratione Dominica, &c. non est irreverentia, nec peccatum: Nav. Sanch. Dian. & alii: si autem tu spondeas Missam, & Collusor carolenum, vel aliud temporale. Lug. n. 5. dicit, posse esse periculum Simoniæ; sed negant Rodr. Dian. r. 41. quia non æstimatur res spiritualis pro temporali, si exhibetur executio rei spiritualis loco temporalis: ut, si tibi debeam carolenum, licite offero Missam pro te dicendam: Croix n. 1096.

Quæres secundo, An, qui perdit in ludo prohibito, teneatur in conscientia solvere?

Respondeo, Laym. Lug. & alios affirmare, quia contractus ludi jure naturæ est validus, nec videtur irritari jure positivo: sed Dian. Croix, & alii probabiliter negant; quia, cum lex det ei actionem repetendi, quod solverat, consequenter etiam dat exceptionem, antequam solvat. Si autem solvit, & antea promiserat non repetere, adhuc potest repetere, quia lex ei favet. Nisi vero juraverit, non repetiturum; quod juramentum probabilius non est relaxandum, cum confirmet contractum: Mol. Less. Lug. n. 66. contra Val. Nav. Sal. Dian. & alios. Similiter neque potest uti favore legis, si promissio non repetendi facta fuit post solutionem, quia esset veluti nova donatio independens a ludo: Croix n. 1089.

Quæres tertio, Quid dicendum de eo, qui lucratus est in ludo prohibito?

Respondeo, posse retinere in conscientia, quia lex præcipit restitutionem tantum post sententiam Judicis: ergo non debet restituere, etsi petatur extrajudicialiter: Sanch. Less. & alii communiter contra D. Th. D. Bonav. Sylv. & alios. Imo, si sine vi, vel fraude efficiat, ne a Judice damnetur ad restitutionem, non peccat: si tamen juridice interrogetur, probabilius tenetur fateri, quia lex non est mere pœnalis, sed dispositiva: Lug. Less. & alii contra Mol. Sanch. Dian. & alios. Si autem ipse luserit cum animo repetendi per Judicem, quod perderet, & lucratus est, Molin. Less. & alii dicunt, debere in conscientia restituere, quia fecit dolum dantem causam contractui, & posuit inæqualitatem. Sed probabiliter negant Sanch. Dian. Lug. n. 53. & alii, quia, nec ludus est invalidus, nec habetur inæqualitas, cum etiam alteri competat favor legis. Denique potest victus terrere victorem de adeundo Judicem, & sic pacisci de parte restitutionis: si autem ficte minetur, Sal. Molin. & alii putant, non esse tutum in conscientia; sed Less. Tamb. & alii dicunt, esse tutum, quia, cum habeat jus, dolus non est injustus. Nunc de ludi conditionibus aliquid addemus, atque ut distinctius procedatur, sit

§. UNICUS.

Quænam sint conditiones justi ludi?

QUatuor sunt conditiones justi ludi: Prima est, Ut sit sine vi: Secunda, sine dolo, & fraude: Tertia, Ut ludens possit disponere de re, quam ludo exponit: Quarta, Ut sit æqualis conditio colludentium. Itaque

Quæres primo, Quid dicendum de vi adhibita ad ludendum?

Respondeo, Qui injuste coactus ludit, & lucratur, non teneri restituere, quia ludus ex parte ipsius est justus, & inæ-

inæqualitatem tollit injuria coactionis: Doctores communiter. Idem de cogente dicunt Trul. Dicast. Hurt. Dian. r. 32. quia coactio non fuit ei causa victoriæ. Sed probabilius contradicunt Meld. Croix, & alii, quia ex coactione, utpote injuriosa, debetur compensatio damni secuti; si autem victus cogat vincentem, ut ulterius ludat, & victus recepeis amissis adhuc lucretur, Tol. Mol. & alii dicunt, non teneri restituere, nisi ad summum hæc postrema: quam sententiam Less. & Dian. dicunt probabilem. Diceris autem cogere, si conviciis lacessas, ad quæ vitanda alter consentit in ludum, alias non lusurus: Molin. Laym. Bonac.

Quæres secundo, Quid dicendum de dolo, & fraude adhibita in ludo?

Respondeo, Si ludens fecit fraudem, & sine fraude eventus ludi fuisset dubius, teneri restituere lucrum, ut patet. Addit etiam Mol. contra Lug. aliquid etiam debere dare de suo pro spe lucri, quam habebat alter, quæ erat pretio æstimabilis, & ipsi per injuriam fuit sublata. Cæterum, si dubitet, an per fraudem lucratus fuerit, debet saltem restituere lucrum; quia in dubio de justo titulo alter manet in possessione: Croix n. 1081. Hinc, si pactum fuerit, ut, qui plus lucretur, solveret chartas, candelas, &c. & Titius lucretur per fraudem, non potest ex lucro deducere illas expensas, sed sibi imputare debet, vel procurare, ut fiat id, quod factum fuisset, si nullus lucratus esset: Lug. n. 31. At quid, si quod lucratus est per fraudem, iterum ludens cum eodem perdat? Armil. dicit, nil ultra teneri restituere, si in eodem ludo continuato iterum perdat, quia id tantum dicitur lucrum, quod in fine ludi reportatur: annuit Sanch. & alii; sed oppositum communiter dicunt alii cum Lug. n. 39. quia, quot novi sunt jactus, tot novi sunt contractus: a fortiori vero, si in ludis diversis, ut dicunt omnes.

Dicitur autem hic dolus, & fraus, si simulet te plane ignarum ludi, & sic alterum multo imperitiorem inducas, qui alioqui ludere noluisses: si manum non debitam prior quasi de jure usurpes; si e tergo collusoris habeas amicum, vel speculum, ex quo chartas ejus scias, & similia. Secus vero, si collusorem non admoneas de errore, v. g. si non recte numeret sua puncta, quia ludens ipse debet attendere ad suum negotium; neque, si non admoneas concedentem tibi primam manum; neque si sis eo peritior; neque, si meliores chartas habens simules metum, aut minuas sponsionem; neque, si viliores chartas habens dissimules, aut augeas sponsionem, ut sic relinquatur tibi, quod erat appositum; neque, si videas chartas alterius ex sola ipsius negligentia, & absque fraude, aut eas e tergo noveris inter ludendum, modo ante non signaveras, nec noveras; neque demum, si utaris astutiis illis, quas regulæ lusus, & consuetudo recepta patitur, cum uterque sciat, tales astutias esse solitas, & sic tacite in illas libere consentiat: Less. num. 15. Bon. & alii. At quid, si Titius non ludens, sed videns viles chartas Caji volentis per auctionem deterrere te a lusu, tacite te moneat, ne deterrearis, sicque tu ludas, & vincas? Dico: si ante monitionem nolebas ludere, teneris, & in tui defectu Titius tenetur restituere, ut patet. Si ante monitionem decreveras ludere, nihil est restituendum, quia monitio se habuit per accidens ad damnum; si vero antea eras dubius, restituenda est pars pro ratione dubii. Si demum post monitionem adhuc fuit dubius eventus ludi, Sanch. probabiliter excusat a restitutione.

Quæres tertio, Quid dicendum de eo, qui non potest disponere de re, quam ludo exponit?

Respondeo, Qui non est rei Dominus, aut eam alienare non potest, neque posse de ea ludere; peccat ergo, si sciens ludat, nec quidquam valide lucratur, quia nihil exponit, quod alter acquirere posset; si autem habuerit aliquid aliud proprium, quod traderet, si collusor vinceret, non peccat, & valide lucraretur, quia tunc esset fructus industriæ; Mol. Sanch. Lug. num. 13. Similiter, si exponat monetam falsam, valide lucraretur, si habeat bonam, quam substitueret in casu, quo perderet: Dian. r. 25. & alii. Si non poteras exponere, nisi carolenum, & uno jactu spondeas duos, & sic lucreris duos a Titio, facis injuriam, & teneris restituere unum; si autem sic spondeas cum Titio, & Cajo, & singuli exponant duo carolenos, poteris uno jactu lucrari duo; quia unum tuum exponis duplici periculo: Croix num. 1074. Cæterum filius familias non habens castrensia, vel quasi castrensia (idem de Religioso ait Navar. apud Less. num. 27.) potest exponere ludo honesto, quidquid habet a Patre concessum ad animi oblectamentum. Item, quod parcius vivendo reservat ex pecunia sibi ad victum e parentibus missis; ac præterea, quidquid etiam lucratus inde fuerit, cum ad hæc etiam Parens censeatur tacitam facultatem dare: Laym. Bon. & alii juxta dicta d. 1. c. 5.

Qui autem ludit cum impotente alienare, & lucretur debet restituere. Si autem ludas cum fure exponente pretium rei furtivæ antea venditæ, potes hoc lucrum retinere, si fur ex aliis adhuc sit potens restituere; quia erat dominus illius pretii; at, si perdito hoc pretio sit impotens restituere, teneris tu, si mala fide luseris, quia cooperatus es damno domini; si autem bona fide, Mol. Less. & alii contra Sanch. Bonac. Tamb. & alios probabiliter te excusant: Croix n. 1078.

Quæres quarto, Quid dicendum de æqualitate colludentium?

Respondeo, In ludo, ut in aliis contractibus, debere esse æqualem conditionem colludentium, quia aliter non servaretur justitia. Hæc æqualitas esse debet circa jus lucrandi, & periculum perdendi, quod esse debet par in utroque. Hinc, si ludens habeas animum non solvendi, quod perdis, & vincas, non potes retinere: potes autem, si uterque habuistis animum non solvendi, quia sic compensatur injuria; potes etiam, si non tu, sed ille habuit animum non solvendi, quia ludendo censetur consentire, & remittere: Tamb. & alii. Item, si ludas pro te, & pro Titio cum pacto, ut si perdas, Titius solvat dimidium, si vincas, habeat tertiam partem lucri, probabilius est licitum, quia in contractu societatis, qui apponit dimidium capitalis, & insuper operam, potest plus lucri reportare: Lug. num. 52. contra Sanch. Cæterum, si sis excellenter peritus ludi, & nescias, collusorem esse ita imperitum, potes totum lucrum retinere, quia nulla intercessit deceptio: Dian. r. 30. & alii communiter: itemque, si ille hoc sciens adhuc velit ludere, quia volenti, & consentienti non fit injuria: Sanch. & alii. Si autem tu scias, illum esse multo imperitiorem, & ille id nesciat, communis sententia apud Lug. n. 81. te obligat ad restitutionem, & quidem totius lucri secundum Bon. quia es causa injusta totius damni: partis tantum secundum Dian. pro qualitate periculi, cui te exponis; nec desunt, qui omnino te deobligant, ut Tol. Cov. Sal. ubi etiam in ludo certus de victoria potes licite augere sponsionem, & lucrari.

CAPUT II.

Quid de Sponsione?

SPONSIO est *Contractus, quo duo de veritate, aut eventu alicujus rei certantes sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit.*

Per se loquendo licitus est hic contractus, modo sit de re honesta. Imo, etsi sponsio sit illicita, v. g. plus altero potaturum, ideoque non obliget, tamen, quod ea lucratus es, potes retinere: Sanch. Dian. & alii. Si vero sponsio fiat de futuro eventu mortis, v. g. Petrum intra annum moriturum, quamvis jure naturæ sit licita, jure tamen humano sæpe prohibetur; Lug. n. 74. & est excommunicatio reservata Papæ contra facientes sponsiones super vita, morte, aut futura electione Summi Pontificis aut super promotione Cardinalium, ex Bul. Greg. XIV. *Cogit nos.*

Quæres, Quot, & quæ sint conditiones justæ sponsionis?

Respondeo, Esse quatuor: Prima, Ut fiat super re dubia: Secunda, Ut sit dubius eventus in utroque spondente: Tertia, Ut eodem sensu uterque accipiat id, de quo certatur: Quarta, ut sit æqualitas in re, quæ spondetur cum æquali incertitudine: Mol. Less. Lug. d. 3. c. 5. 6.

Hinc, si sis certus de rei eventu, Mol. Lug. n. 81. & alii negant, te posse sponsionem facere, & lucrari; quia in sponsione emitur spes lucri pro periculo amittendi: ergo, si nullum sit periculum amittendi, nihil emitur, adeoque contractus est nullus. Sed contradicunt Navar. Tol. Hurt. Laym. Dian. & alii: maxime si dicas, te certo scire, aut alter advertere possit, te scire, & tamen velit spondere, quia tunc nulla adest fraus, sed ille conscius censetur cedere juri suo; quam sententiam Filliuc. dicit satis probabilem, sed priorem magis justam, & tutam: addit tamen Mol. d. 508. quod possis spondere, si certus de rei eventu dubitare tamen incipias, eo quod alter oppositum assereret:

ret: quia sic in tua existimatione exponis te aliquali periculo. Item, si certus spoponderis, & viceris, & postea comperias, non fuisse tunc omnino certum, potes retinere lucrum; quia, etsi peccaveris spondendo, tamen in se habebatur æqualitas.

Si tres sint, qui sperent aliquod v. g. Officium, & Titius pro 100. aureis certet seorsim cum singulis, quod non sint obtenturi, Dian. Villal. Ledes. & alii dicunt, non licere; quia Titius in hoc casu est certus, se lucraturum a duobus, & uni tantum esse perditurum, adeoque est inæqualitas inter periculum sortis, & spem lucri: quamvis contradicant Sanch. Lug. n. 87. & alii, quia cum singulis est dubius de futuro eventu, & singuli contractus sunt liciti, si fiant a tribus aliis personis; quod autem fiant ab uno Titio, non impeditur æqualitas, nec ostendi potest, cujus e tribus sperantibus jus lædatur?

CAPUT III.

Quid de Sortibus?

SORTES, aliæ sunt divinatoriæ, scilicet ad occultum aliquid cognoscendum, & hæ sunt superstitiosæ, quasi sortibus divina vis insit; aliæ sunt consultoriæ, quibus inquiritur, quid in hac, vel illa re sit agendum? & hæ fere sunt etiam superstitiosæ, nisi fiant ex necessitate, aptiorque modus evincendi dubium non appareat, ut, si quis hærens in bivio non possit aliter se determinare; tunc enim præmissa oratione cum debita reverentia, & expectans indicium a solo Deo licite potest sortes conjicere: aliæ demum sunt divisoriæ, quæ sine superstitione, & plerumque licite fiunt, sive ad honestum ludum, sive ad hæreditatis divisionem, sive ad litis compositionem, dummodo litigantes æquale jus habeant, & consentiant, & de his est hic sermo.

Quod autem hæ sint licitæ, patet; quia nihil aliud continent, quam contractum inter eos, qui ad aliquam rem jus habent, ut illius sit, cui sors obtigerit: sic etiam, si plures mortem meriti sint, nec expediat omnes puniri, sorte definiri potest, quis ex iis sit occidendus: In electionibus autem Ecclesiasticis sunt illicitæ: Laym. Bonac. & alii; Item officia secularia, non sorte, sed secundum personarum aptitudinem sunt dividenda; si tamen sint plures æque apti, & digni, sorte agi potest: Less. c. 43.

Quæres, Quid dicendum de ludo sortium, qui vulgo dicitur *Lotto?*

Respondeo, Debere institui auctoritate publica, & esse duplicem. I. Contribuentibus seorsim multis ad res aliquas inæqualis pretii emendas, circa quas sortes in ter ipsos sunt mittendæ, in quo certe intervenit contractus emptionis simul cum sortibus. Hinc a Ministris publicis prius taxandum est rerum pretium: deinde videndum, an contributiones sint æquales pretio taxato simul cum stipendio sufficienti pro illis detrahendo. Si ergo contingat, ut contributiones sint longe majores, intervenit injustitia cum onere restituendi contribuentibus & in eorum defectu, pauperibus pro eorum animabus: Molin. d. 509. Interdum autem fit hic ludus ea lege, ut ex his contributionibus aliquid operi pio applicetur; sed id promulgandum prius est, ut, qui contribuunt, sibi consulant, num ad id velint etiam contribuere: Mol. ibid.

II. Fit, cum contribuitur utrinque pecunia: itaut ex una parte sint, qui simul spondeant ingentem summam, ut solvant, si perdant: ex altera parte multi seorsim deponant parum pecuniæ, plus, vel minus quisque suam, & quisque etiam nominabit binos, vel ternos numeros: tum ex pluribus numeris v. g. 90. in urnam conjectis extrahuntur solum quinque: si ex his quinque, bini, vel terni respondeant numeris deponentium, eorum erit lucrum proportionatum. In hoc ludo, qui minus sunt expositi periculo perdendi, magisque commodo lucrandi, injustitiam committunt: Mol. ibid. nisi vero id aliunde compensetur: unde videndum in caso, an periculum longe remotius perdendi multum cum spe longe probabiliori lucrandi etiam multum ex parte spondentium æquiparetur periculo probabiliori perdendi parum cum spe longe remotiori lucrandi proportionaliter ex parte deponentium. Denique addendum etiam est ex parte spondentium stipendium, quod solvunt Ministris publicis, & quandoque etiam tributum, quod inde solvunt Principi.

QUÆSTIO VI.

De Locato, & Conducto, Emphyteusi, Feudo, & Libello.

HI contractus sunt inter se valde similes; nam in his retento dominio rei, utilitas, & fructus transferuntur in alterum, pro aliqua pensione, vel obsequio præstando domino directo.

CAPUT I.

Quid de Locato, & Conducto?

LOCATIO, & conductio sunt *Unicus contractus, quo quis personam, aut rem aliquam mobilem, vel immobilem alteri ad tempus utendam, vel fruendam concedit, certo pretio, aut mercede, seu pensione sibi constituta:* unde is est locator; alter vero conductor, seu locatarius.

Dicitur *Personam*, quia huc spectant contractus, per quos Medici, Chirurgi, Ministri, Famoli, Mercenarii diurni, &c. operas, vel labores suos locant. Dicitur *Aut rem*, &c. puta domum, agrum, equum, oves, &c. Dicitur *Utendam, vel fruendam*; utenda enim conceditur domus, equus, servus; &c. fruenda vero conceditur ovis, fundus, pomarium, &c. item jura, ut redditus, vectigalia: unde prior conductor potest tantum habere usum rei locatæ, non autem percipere fructus, si quis ex ea nascantur: at posterior conductor extendit se etiam ad percipiendos fructus, puta lanam, lac, & fœtum ovis locatæ, &c. Uterque autem subit obligationem, seu subjectionem Domino rei locatæ, quæ obligatio, seu subjectio vocatur *Servitus*. Dicitur *Certo pretio*, &c. pretium enim proprie dicitur pro usu rei mobilis, merces pro labore, opera, vel obsequio hominis conducti: pensio vero pro jure concesso utendi, aut fruendi re immobili. Debent autem hæc solvi in pecunia, alioqui erit contractus innominatus; ideoque non potest locator cogi, ut acceptet, nec conductor, ut solvat res alias, præterquam pecuniam: Nav. Laym. & alii communiter.

Quæres primo, Quænam locatio, & conductio sit jure positivo prohibita?

Respondeo, Jure civili prohiberi, ne locetur prædium militi, vel curialibus: *l. Milites, & l. Curiales, ff. Locati*. Item, ne domus scholæ vicina locetur fabro, vel alteri, per cujus pulsum, aut tumultum impediantur res scholasticæ, *l. 1. de stud. liter.* id tamen notat Bonac. non esse in usu, nisi reclamet Magister scholæ. Jure autem Canonico prohibetur: Primo, Ne locetur domus publico usurario alienigenæ, cap. 1. *de usur.* in 6. similiter Nav. dicit, illicitum esse locare domum meretrici, saltem in ea parte urbis, ubi non permittuntur eæ habitare, ut limitant alii; sed Major, & alii tenent oppositum, quia illa locatio proxime tendit ad dandam habitationem, remote vero dat occasionem peccandi: Croix n. 1042. Secundo, prohibetur Clericis, ne conducant prædia quæcumque negotiandi causa, licet iidem succedere possint conductori, c. 1. *de Vit. & honest. Cler.* Tertio, prohibetur omnibus Ecclesiasticis sub clausula irritante, ne locentur bona immobilia, aut mobilia pretiosa Ecclesiæ, ultra triennium, Extr. Pii II. *Ambitiosæ, de reb. Eccl. non alien.* juxta dicta d. 1. c. 4. Cæterum, si ager Ecclesiæ non fructificet, nisi alternis annis, potest locari ad sexennium; si nonnisi ternis annis, potest locari ad novennium, quia illud *Triennium* intelligitur de triennio utili: Cov. Azor. Vasq. Less. Barb. & alii: Si autem loces fundum Ecclesiæ ad 12. annos cum clausula, quod velis, esse quatuor locationes, singulas pro singulis trienniis, licet Bald. & alii hoc defendant, tamen communius rejiciuntur, quia clausula illa apponitur in fraudem legis, cum reipsa sit locatum ad 12. annos; ideoque talis contractus ne valebit quidem pro triennio, nisi addideris, quod saltem valeat ad triennium: Bart. Ab. Cov. Pal. & alii contra Tusch. Reb. & alios. Potest tamen locatio facta ad triennium renovari cum eodem conductore post elapsum secundum annum ad novum triennium, quia prius triennium censetur elapsum; si autem fiat prius, præsumitur fraus, & locatio ad quinquennium: Molin. Pal. & alii. Item præsumitur fraus, si te personaliter obliges ad locandum eundem fundum eidem sequentis trienniis: Wading. contra Delb. Cæterum non prohibetur locatio diuturnior fru-

ctuum

fructum pertinentium ad ipsum beneficiatum, quia is est Dominus illorum: nec locatio finitur morte Locatoris, sed tantum fundi, unde ei stare tenetur Successor: Mol., Pal., & alii apud Croix l. 4. n. 1368. contra Bon., & alios.

Quæres secundo, Quid sit dicendum de Locatore?

Respondeo: Primo, Debere manifestare vitia rei locatæ, juxta dicta in de emptione; aliter tenetur de damnis secutis conductori. Bon., & alii; item ad ipsum spectant expensæ in rem locatam, quæ duraturæ sunt: v. g. conservare sarta tecta; præstare tributa, & onera publica, nisi aliter conventum sit, aut consuetudo ferat: Laym. c. 22. n. 4., & alii: Secundo, Non potest ante tempus præfinitum privare conductorem re conducta, nisi vel pensionem non solvat; vel accidit casus improvisus, ob quem res locata sit ipsi necessaria; vel necesse sit, eam reficere, nec possit refici eo v. g. inhabitante; vel demum conductor ea abutatur, destruendo, alendo ibi meretrices: Laym. c. 22. n. 9., & alii: Similiter successor locatoris, si sit hæres universalis, non potest ante tempus præfinitum expellere conductorem; at, si sit successor partialis (puta legatarius, donatarius, emptor, &c.) quamvis, per se loquendo, non teneatur stare contractui locatoris, tamen non potest expellere conductorem, si is cum locatore convenerit, ne durante tempore locationis res alienetur; nec potest cum gravi ejus incommodo expellere, v. g. ab agro conducto jam seminato; sed expectare debet, donec colligat fructus, quia aliter is pateretur jacturam: Spor., Croix n. 1047. Tertio, Nuncius, mercede conductus a Titio, ut eat Romam, potest eandem operam præstare alteri, recipiendo ab eo alteram mercedem, quia per accidens est, eandem operam fuisse præstandam priori: Less. c. 24. n. 28. Idem dic, si propter propria negotia statuisset ire Romam, & alter eum mercede conduceret ad eundem locum: imo, si Auriga conductus a Titio vehendo Romam, a quo etiam mercedem habuerit, tanquam rediturus vacuus, adhuc potest aliam simul mercedem accipere ab aliis, quos ibi, vel in via invenerit vehendos, quia hoc assignandum est casui, vel ejus industriæ: Croix n. 1046.

Quæres tertio, Quid dicendum sit de Conductore?

Respondeo: Primo, Posse (nisi aliter conventum sit, vel consuetudo ferat) rem sibi locatam sublocare tertio, qui ei tenebitur solvere pensionem: ipse vero Locatori, ex *l. Nemo 6., C. de Locato*. Hinc, si pauper obtinuit jus mendicandi in Civitate, Sanch. lib. 1. *Consil.* c. 7. d. 2. ait, posse hoc jus locare alteri non pauperi; sed probabilius negat Lug. d. 29. n. 9., quia fieret fraus populo danti eleemosynam non pauperi, qui, quamvis teneretur solvere pensionem pauperi, tamen peteret eleemosynam nomine suo; non sic vero, si dives peteret eleemosynam nomine illius pauperis, quia sic revera daretur pauperi: Secundo, Conductor potest quidem ante tempus præfinitum renunciare rem locatori, sed de pensione nihil ei remittitur: at successori locatoris potest semper renunciare absque obligatione pensionis, quia non huic, sed illi se obligavit: Croix n. 1047. Contra vero beneficiarius tenetur stare conductioni sui antecessoris: Uxor conductioni mariti mortui, &c., quia jura statuunt, ut hæres perficiat negotium a defuncto inchoatum, & nondum finitum: Lug., Pal. p. 28., & alii: Tertio, Conductor, si privetur re conducta, eo quod impotens sit solvere pensiones, non tenetur ad pensionem sequentis temporis; at, si privetur, eo quod abutatur re conducta, tenetur ad pensionem usque ad terminum locationis: Less. n. 38. Quarto, In dubio, an conductor pensionem solverit, adhuc tenetur, quia locator est in possessione crediti contra illum. At, si quis ostendat, se tribus annis proximis solvisse, in dubio præsumitur etiam antea semper solvisse, nisi clare probetur oppositum, *l. quicumque, C. de Apochis publicis*.

Quæres quarto, ad quem spectent expensæ circa rem locatam?

Respondeo: Primo, Expensæ necessariæ ad conservandam substantiam rei locatæ (nisi aliter sit pactum, vel ferat consuetudo) spectant ad locatorem, v. g. reparare fenestras, fornacem, puteum, &c., facere fossas, & aggeres in agro, sternere vias ante domos, instruere equum soleis, vel extraordinario medicamento curare, &c., quia locator tenetur facere rem aptam usui conductoris, aut si aptitudinem amiserit, eandem reddere, cum ad hoc acceperit pensionem, ut ei usum procuret: modicæ tamen, & ordinariæ expensæ necessariæ ad hoc, ut res conducta conservetur, spectant ad conductorem: si autem is fecit notabiles expensas in melioramenta, sperans, se v. g. saltem post 4. annos recepturum eorum fructum, & locatio casu citius finiatur, æquum est ei compensari has expensas: Lug. n. 70. Si autem tales expensæ fuerint mere voluntariæ, vel ad ornatum, has ferre debet conductor, nisi locator in eas saltem tacite consenserit: Croix n. 1051. Secundo, Si famulus mercede conductus ægrotet, Dominus non tenetur ad speciales sumptus pro curatione, nec ad expensas ægro, nisi modicas: Bas., Reb., Lug. n. 60., sed non ideo posse ei aliquid detrahi de stipendio, docent D. Anton., Innoc., Gras., & alii; oppositum tamen tenent Covar., Mol., Laym., Lug., & alii: & probabilius est posse detrahi, si ægritudo sit temporis notabilis: Bas., & alii. Si autem nihil detrahat dominus, non ideo tenetur famulus postea tempus ægritudinis supplere: Lug. d. 29. n. 61.

Quæres quinto, Ad quem spectent pericula rei locatæ?

Respondeo: Primo, Quamvis jure naturæ deberet conductor ferre omnes casus fortuitos rei conductæ, tamen ex benignitate juris introductum est, ut ob magnam cladem fortuitam remittatur ei pensio, vel saltem pars pensionis, nisi omne periculum in se sumpserit: Doctores communiter. Dicitur magna clades, tempestas, grando, &c., quæ omnem fere fructum devastet: item sterilitas, ita ut deducto semine, aliisque impensis, ne dimidium quidem solvendæ pensionis supersit, ut dicunt Less. n. 17., Lug. n. 43.; vel si colonus vix colligat tertiam partem soliti, v. g. vix 5., cum alias soleret 15., ut Abb., & alii; vel si vix colligat duas tertias, ut Nav., & alii; sed in hoc attendendus est communis usus locorum, ut recte notant Laym., & alii. Duo addit Less. Primo, Si fructus jam collecti casu pereant, antequam commode potuerint invehi, (secus, si sint invecti arg. l. 12. *C. de Locat.*) remittendum esse de pensione, non aliter, ac si fuisset sterilitas; sed limitant Mol., & Lug., nisi ubertas proximorum annorum hoc damnum compenset: & universim ait Laym., si antecedentium, vel sequentium annorum fertilitatem compenset præsens sterilitas, pensiones non remitti: Secundo, Colono partiario, qui aliquotam partem fructuum, v. g. tertiam partem pendere debet, nihil remitti ob anni sterilitatem, quia hic, tanquam in contractu societatis, tenetur damnum, & lucrum cum Domino dividere: Abb. Gloss., Nav., & alii.

Si absque culpa conductoris cessent usus, vel fructus rei, v. g., quia domus conducta minatur ruinam, infestatur spectris, vel ob periculum pestis, aut belli totam habitationem non præstet, liberatur conductor a solvenda pensione pro tempore, quo non potest habitare, vel re conducta uti, aut frui: Laym., Less. c. 24. d. 2. Si domus conducta incendio pereat, nec constet, utrum casu, an culpa cujusquam acciderit, conductor est absolvendus: at, si constet, accidisse culpa alicujus determinati de familia conductoris, tenetur conductor (nisi famulus ille pro fideli, & diligenti habitus fuerit) de damno: Dian. p. 9. t. 7. r. 31. Si autem non constet de aliquo determinato, conductor absolvendus est, nisi locator ostendat culpam; quia, quamvis in dubio contra inhabitantes sit præsumptio, tamen Paterfamilias non tenetur præstare culpam famulorum. Laym. n. 6.

Denique, si conductor non possit uti re, vel persona conducta, & impedimentum oriatur ex parte ipsius etiam involuntarie (ut si ob ægritudinem, aut incarcerationem non potuit colere agrum conductum, assignare laborem mercenario, &c.) adhuc, per se loquendo, tenetur totam pensionem, vel mercedem solvere; quia non stat per locatorem, aut per rem locatam, sed per solum conductorem, quominus habeatur usus, vel fructus: nec obstat, quod conductor sit sine culpa; nam etiam locator est sine culpa, & in pari causa æquius fuit, ut hoc onus sumeret in se conductor præ locatore: Mol., Nav., Less., Laym. n. 27. Excipe, nisi res, vel opera sit interim alteri locata sine damno locatoris, vel conductoris: Croix n. 1050.

Quæres sexto, Ad quem spectent fructus rei locatæ?

Respondeo, Fructus v. g. agri locati, si sint adhuc pendentes, spectare ad locatorem, ut Dominum agri, quia sunt adhuc pars agri, seu faciunt quid unum cum illo. Hinc, si laicus emat fructus pendentes agri Ecclesiastici, vel Religiosi, etsi elocati laico, non tenetur pro ea emptione solvere gabellas: Dian. p. 3. t. 1. r. 19. Econtra, fructus jam separati a fundo, & a conductore collecti sunt ipsius, etiamsi is pensionem nondum solverit: quia, quamvis maneant hypothecati, aut velut tacite subjecti in pignus pro pensione, tamen ex vi contractus habet conductor jus fruendi re, adeoque faciendi fructus suos etiam ante solutam pensionem: hinc ait

Dian-

Dian. ibid. colonos Ecclesiasticorum, vel Religiosorum teneri solvere gabellam ex fructibus collectis, si eos alienent; nam collecti spectabant ad laicos.

CAPUT II.

Quid de emphyteusi?

EMPHYTEUSIS est *Contractus, quo retenta proprietate conceditur alicui in perpetuum, vel ad vitam unius, aut plurium, vel saltem ad decennium, dominium utile in rem aliquam immobilem cultura meliorandam cum onere, ut quotannis solvat canonem, seu pensionem realem in pecunia, vel fructibus Domino proprietatis, vel ejus legitimo hæredi.* Hinc Emphyteusis differt a locatione: Primo, quia est tantum circa rem immobilem, quæ cultura possit meliorari, ut sunt domus, ager, vinea, &c. Secundo, quia dat alteri dominium utile, cum locatio nullum det dominium, sed tantum jus ad fructus, retinetur tamen proprietas, ideoque, qui dat in emphyteusim, dicitur Dominus directus, possessor, & proprietarius; qui vero accipit, dicitur emphyteuta: Tertio, quia non potest esse infra decennium: ideoque absque speciali licentia S. Congregationis res Ecclesiasticæ non possunt dari in emphyteusim, juxta dicta d. 1. ex Bull. *Ambitiosæ*: Quarto, quia minorem pensionem exigit, eo quod ferat secum onus meliorandi rem emphyteuticam, nisi vero deinde sit forte satis meliorata; sic enim dari etiam solet in emphyteusim, quasi continuetur præcedens contractus, & quidem dari potest sub majori pensione: Tamb. c. 2.

Quæres primo, Quid possit Emphyteuta circa rem emphyteuticam?

Respondeo, Primo: Graves Doctores putare, eum teneri illam meliorare; ideoque, si illam postea dimittat; non posse pretium meliorationis repetere. Sed Reb. Mol. Less. Pal. & alii probabilius negant, teneri meliorare, nisi id expresse sit deductum in pactum; ideoque, si dimittat, posse expensas meliorationis repetere, nisi vero fuerint modicæ, & ordinariæ, vel nisi fuerint superfluæ, & inutiles: Secundo, Si reddat rem deteriorem, debet Domino compensare: Doctores communiter. At si quis accepit in emphyteusim vineam, Velasc. putat, posse eradicare vites, & fundum commutare in agrum, qui futurus sit utilior; sed probabilius negant Mol. Pal. & alii, quia sic destrueret hanc emphyteusim, quæ erat in cultura vineæ, & cogeret Dominum ad instituendam novam emphyteusim: Tertio, Non potest rem emphyteuticam, seu jus suum utile, quod in ea habet, vendere, nisi prius moneat Dominum proprietarium, qui tamen tenetur consentire, eique solvi debet laudemium, hoc est certum pretium in novo possessore, quod laudemium de jure esse potest quinta pars æstimationis rei: ex consuetudine autem potest esse tertia pars, aut secunda, aut etiam decima: Less. c. 24. n. 57. Si ergo vendat inconsulto Proprietario, cadit in commissum, &, si venditio sit traditione perfecta, potest spoliari re emphyteutica, & omnibus melioramentis: Croix n. 1059. secus vero, si titulo gratuito donet, leget, vel si locet infra decennium, vel similiter concedat in servitutem, aut subjiciat hypothecæ: Lug. d. 29. n. 89. Rodr. Croix ibid. Nec solvendum est laudemium, si translatio rei in alterum est necessaria; ut si filius succedat patri, non autem filia, quæ in emphyteusi non succedit, nisi exprimatur: Bonac. & alii; vel si pater aliud non habens eam det in dotem filiæ, vel si reddit ad primam emphyteutam dissoluto contractu, secus vero per novum contractum; vel si plures habentes rem in communi, eam inter se dividant: Tamb. c. 5.

Quæres secundo, Quid sit dicendum de canone, seu pensione solvenda?

Respondeo, Primo: Si magna accidat clades in fructibus, remitti debet aliquid de pensione magna, juxta dicta de conductore: Doctores communiter cum Lug. n. 88. contra Pal. secus vero, si pensio respectu fructuum sit valde modica, quæ solvi solet tantum in recognitionem dominii: Croix n. 1061. Quod si tota emphyteusis pereat, nulla debetur pensio: si pars tantum pereat, itaut maneat saltem octava, solvi debet aliquid: Jul. Clar. Si autem tota emphyteusis occupetur ab hostibus, Mol. & alii dicunt, debere saltem aliquid solvi; sed negant Clar. Ab. Pal. & alii, quia tunc emphyteuta eam non possidet: Secundo, Si emphyteuta laicus ad triennium, vel Ecclesiasticus ad biennium continuum non solvat canonem, amittit emphyteusim; sed praxis est, ut semel admoneatur, & si statim solvat, purgat moram; si non solvat, cadit in commissum, & Reb. Sa, Fachinet. & alii contra alios probabiliter dicunt, ad hanc caducitatem requiri sententiam Judicis: & leges, quæ videntur contrariæ, cum sint pœnales, intelliguntur post sententiam saltem declaratoriam Judicis: Pal. 8. n. 3. Quod si Dominus a tali emphyteuta recipiat aliquam pensionem sequentis temporis, censetur remittere caducitatem, licet protestetur in oppositum: Clar. Mol. Reb. & alii; secus autem, si recipiat tantum pensiones antecedentis temporis: Pal. p. 12. n. 6.

Denique Servitus Originariorum habetur ex contractu quodam emphyteutico olim inter Dominos, & Majores Originariorum inito, per quem hi, vel certa prædia propria Dominorum acceptarint colenda, vel propria sua prædia, suasque etiam, & posteras personas Dominis transcripserint simul cum onere certi servitii personalis, & canonis suis temporibus præstandi; Domini autem vicissim se obligarunt ad eos regendos, tuendos, ac relinquendos in possessione suorum prædiorum, quamdiu superesset aliquis de familia, & manerent fideles: Laym. c. 23.

CAPUT III.

Quid de Feudo?

FEUDUM est *Concessio rei immobilis pro homagio*. Differt ergo ab emphyteusi in hoc, quod, loco canonis, seu pensionis realis, exigit homagium, hoc est obsequium personale, quale est associare ad bellum, convenire ad publica comitia, &c. ideoque feminæ excluduntur a feudis, nisi expresse admittantur: si autem in feudo aliquid etiam reale persolvi debeat in recognitionem Domini directi, tunc ex hac parte decidit a feudo in emphyteusim. Qui feudum concedit, vocatur Dominus directus, & Princeps; qui recipit, Feudatarius, & Vassallus. Si autem dubium sit, quale sit prædium, an feudale, an vero allodiale, seu liberum? Judicandum allodiale, nisi clare contrarium probetur, quia prius est, rem esse sui juris, quam alieni, ex *l. Latius*, *l. In ædibus*, *C. de Servitutibus*.

Quæres primo, Quid dicendum de Feudatario?

Respondeo: Primo, Feudatarius, & ejus successor investiri debet a Domino directo; ipsique juramentum fidelitatis præstare, idemque debet successori Domini directi; si tamen plures simul sunt Domini directi, satis est, si uni præstetur juramentum, quia nemo cogitur habere plures Dominos: Jul. Clar. Azor. apud Tamb. c. 8. Secundo, Præstare debet ei obsequium, quando illud requirit; si tamen adsit in feudo obligatio etiam solvendi aliquid reale, hoc solvendum erit sine requisitione: Tertio, Non potest alienare feudum sine Domini consensu, quem dare non obligatur; hinc sine tali consensu non potest donare, nec in emphyteusim tradere, nec gravare; imo nec inter multos filios dividere feudum habitum a Rege, vel Imperatore, quamvis possit alia minora feuda habita ab aliis. Si autem alienet cum consensu Domini, requiritur etiam consensus agnatorum, quibus competit jus succedendi: Jul. Clar. apud Tamb. Quarto, Bart. Jason. Tiraqu. & alii putant, Vassallum, & Emphyteutam gaudere privilegiis Domini directi, itaut, si hic sit Ecclesiasticus, ille non teneatur ad gabellas, &c. sed urgent Mol. Less. Laym. Pal. & alii, quia usufructus, & dominium utile, quod habet, non est res Ecclesiastica: Quinto, Potest abdicare a se feudum relinquendo illud Domino: in quo etiam differt ab emphyteusi, & conductione; quia feudum datum est in utilitatem Feudatarii; at emphyteusis, & locatio est in utilitatem dantis, cui solvenda est pensio.

Quæres secundo, Quomodo amittatur Feudum?

Respondeo, Amitti post sententiam Judicis in tribus casibus: Primo, Ob gravem ingratitudinem etiam Vassalli contra Dominum directum, si scilicet eum accuset apud Judicem etiam ex justa causa, excepto crimine hæresis, vel læsæ Majestatis, vel si fugiat relicto Domino in periculo belli justi, quem juvare sine sua morte potuisset, vel si sciens pararas ei insidias, non admoneat, & a fortiori, si ipse insidias paret, aut rebellis sit suo Domino, vel si turpiter aget cum ejus filia, sorore, nepte ex filio, uxore etiam vidua: Jul. Clar. & alii: Secundo, Si non servet pacta, sub quibus feudum accepit, si scilicet ipse, aut ejus hæres non petit a Domino investituram intra annum, & unam diem, nisi sit graviter impeditus, vel si alienet feudum in extraneum secuta traditione sine debito Domini consensu; si vocatus a Domino ad curiam, nolit accedere: Tertio,

tio, Si occiderit suum proprium fratrem, præsertim spe obtinendæ hæreditatis, ex *l. 2. de Feud.*, *tit. 37.*, vel, ut addit Sylv., patrem, aut fratris filium; item, si occiderit quemcumque alium proditorie, ex *ead. leg.* Quarto demum amittitur ipso jure, vel lapsu termini præscripti in investitura, vel morte Feudatarii sine filiis, & agnatis, vel professione in Religione incapaci, vel Clericatu, quando in investitura Clericus excluditur, vel præscriptione legitima 30. ann., vel si bona devolvantur ad Fiscum.

Denique nota, Si amittatur feudum lapsu termini, aut devolutione bonorum ad Fiscum, redit ad Dominum directum: si morte naturali, vel civili per professionem, transit ad filios, vel agnatos: si ob aliquam ex prædictis culpis, excluduntur filii, non tamen agnati; & si feudum sit novum, seu cœpit in ipsa persona, exclusis omnibus, redit ad Dominum. Sed de his fusius Jurisperiti de feudis late tractantes.

CAPUT IV.

Quid de Libello?

LIBELLUM, seu livellum, seu contractus libellarius, proprie est *Contractus subfeudalis, seu subemphyteuticus, quo quis feudum, vel emphyteusim ab aliis acceptam, alteri tradit sub justa, & mensurata pensione.* De hoc nihil superest dicendum, quod ex dictis colligi non possit; quod si inquiras, a quo solvi debeat laudemium? Dico, a novo subemphyteuta, vel subfeudatario solvendum Domino directo, qui etiam approbare debet talem contractum, novamque investituram concedere.

QUÆSTIO VII.

De Pignore, Hypotheca, Assecuratione, Fidejussione, Compromisso, Transactione, & Compositione.

HI contractus sunt adminiculo cæteris contractibus suntque onerosi; ideoque de singulis hic seorsim agendum.

CAPUT I.

Quid de pignore, & Hypotheca?

PIGNUS est *contractus, quo res consignatur creditori in securitatem crediti.* Hypotheca est *Contractus, quo res obligatur creditori in securitatem crediti.* Itaque, si res consignetur in manu creditoris, ut communiter fieri solet, quando res est mobilis, vocatur proprie *Pignus*; si remanet in manu debitoris, obligata tamen creditori, ut communiter fieri solet, quando res est immobilis, dicitur proprie *Hypotheca.* Hinc Pignus communiter dicitur de re mobili, Hypotheca de immobili; quamvis, si hæc consignetur, dici potius debeat pignus; si illa retineatur, dici potius debeat hypotheca. Utrovis autem modo res dicitur oppignorata, ejusque dominium perfectum remanet apud debitorem.

Hypotheca, Alia est expressa, quæ scilicet habetur ex partium conventione, qua obliges rem tuam alteri: & hæc potest esse specialis, cum scilicet obligas rem determinatam, v. g. talem fundum; vel generalis, qua scilicet obligas omnia bona: Alia est tacita, quæ scilicet implicite involvitur in aliquo contractu ex dispositione juris: & sic ex dispositione juris invenitur tacita hypotheca in bonis mariti, quæ tacite sunt hypothecata pro dote: in bonis ministrorum Ecclesiæ pro administratione: in bonis promittentis dotem, donec eam solvat: in bonis contrahentis cum Fisco: in bonis patris administrantis bona filii: in bonis Tutoris, & Curatoris administrantis bona Pupilli, vel Minoris: in fructibus feudi locati pro pensione solvenda, & pro damno forte facto a conductore: in rebus invectis, ac permansuris in prædio rustico, etiam Domino ignorante, vel in prædio urbano, Domino tamen sciente, pro pensione, & damnis prædiis: denique in omni re, pro cujus conservatione mutuatur pecunia: Mol., & Bon., & alii ex jure.

Quæres primo, Quæ res non possit oppignorari?

Respondeo: Primo, Non posse oppignorari res, quæ non possunt vendi, ut sunt Ecclesiæ: Cæterum immobilia, vel mobilia pretiosa cultui divino dicata, ut Calices, Casulæ, &c., possunt oppignorari in casu necessitatis, ut scilicet subveniatur Ecclesiæ, vel Indigentibus; quia tunc possunt etiam vendi: Less. c. 28., Bon., Nav., & alii: Secundo, eadem res non potest oppignorari pluribus, nisi sit sufficiens ad solvendum omnibus, vel posteriores de priori hypotheca admoneantur: Azor., Fil., Bonac., Bus., & alii: Tertio, Si oppignoretur fundus, cui sit adnexum jus patronatus, hoc jus non oppignoratur, sed manet Domino; quamvis, si vendatur ea res, jus patronatus transeat in emptorem: Lug. d. 32. ex jure. Si autem fundus oppignoratus melioretur apud creditorem, plantatione v. g. vineæ, hæc etiam manet oppignorata, quia accessorium sequitur principale, & dum restituitur, solvi a debitore debet etiam pretium meliorationis: secus vero, si hæc sit inutilis, aut superflua: Tambur., & alii: Quarto, Si res oppignorata destruatur, quidquid de illa remanet, manet oppignoratam: v. g. si domus corruat, fundus manet obligatus: si sylva comburatur, manent obligata solum & ligna, si quæ supersunt; at si ex istis lignis fiat navis, aut aliud artefactum, jura disponunt, ut desinat oppignoratio: Bon., & alii.

Quæres secundo, An creditor retinens pignus possit illud oppignorare, vel vendere?

Respondeo: Primo, Posse oppignorare alteri, sed non pro majori quantitate debiti, quam sit suum creditum; nec pro majori tempore, quam sibi satisfactum sit a suo debitore; quia non potest majus, nec diuturnius jus conferre, quam ipse habet: Bonac., & alii communiter: Secundo, Quamvis in foro externo non possit vendere pignus, nisi post biennium, & admonito prius debitore, nisi a judice obtinuerit facultatem prius vendendi, tamen in foro conscientiæ, debitore non solvente tempore præfixo, potest vendi post trinam monitionem: Bonac., & alii; imo, si sit conventum, ut vendatur, nisi certo tempore redimatur a debitore, potest vendi, eo etiam non admonito: Nav., Azor., & alii; quod tamen de pretio superest supra debitum, restitui debet debitori. At, si conventum esset, ut pignus non venderetur, Vasq., Sa, & alii putant, non posse vendi: Azor., Regin., & alii communiter putant, adhuc posse post trinam monitionem, quia hæc est natura pignoris, alioquin frustra datum esset; quare conventio tantum obligavit ad non vendendum absque præviis monitionibus.

Quæres tertio, An creditor possit uti, vel frui pignore?

Respondeo, Non posse sine tacito saltem consensu debitoris, quia pignus ad securitatem tantum, non ad usum est traditum, juxta dicta de deposito. Imo, etiamsi utatur pignore cum consensu debitoris, tamen debet valorem talis usus computare in sortem, ac demere de credito; quia secus ob concessam dilationem ad solvendum acciperet aliquid supra sortem, quod esset usurarium. Excipe, nisi præsumatur debitor gratis concedere talem usum, sicut potest præsumi in iis rebus, quorum usus gratis concedi solet, ut est usus libri: Bonac., & alii. Hinc, si utatur equo, quem retinet in pignus, debet valorem usus computare in sortem, deductis expensis forte factis in eo alendo, cum equus pignori datus alendus sit expensis debitoris: similiter, si percipiat fructus ex re frugifera, debet deductis expensis eos computare in sortem. Si vero ager oppignoratus erat incultus, Sot., Sa, & alii putant, posse frui fructibus non computando in sortem, quia videntur fructus industriæ, sed cum Nav., Mol., Lop., Bon., & aliis dicendum, non posse, quia sunt fructus naturales agri, ad quem tantum accessit industria; quare poterit tantum expensas, & labores subducere. Denique Vasq., Sal., Pal., & alii dicunt, etiam illos fructus esse domino pignoris compensandos, quos ex culpa lata, aut levi colligere omittit, quia tenebatur addere diligentiam, tamquam prudens, & vigilans custos.

Quæres quarto, Quid sit dicendum de contractu antichriseos?

Respondeo, Hunc esse, cum in contractu pignoris convenitur, ut creditor utatur pignore, aut fructus inde tamdiu lucretur, donec debitum ipsi restituatur. Hic contractus jure civili toleratur; tamen merito reprobatur jure Canonico, tamquam usurarius, ut patet ex dictis d. 2. q. 4. c. 3. §. 3. idem dic, si hic contractus addatur emptioni, ut scilicet venditor tamdiu percipiat fructus rei venditæ, donec persolvatur pretium: idem, si addatur mutuo, scilicet mutuans tamdiu fruatur pignore, donec res restituatur. Cæterum excusatur ab usura, si accedant tituli justi lucrandi tales fructus sine diminutione sortis:

Et primo, Si alioquin lucrum cesset, aut damnum emergat, dum differtur debitum; unde non facile dam-

nan-

nandi sunt illi, qui a Principe in locum debitorum, agros, officia, &c. in antichrysin habent: Laym., Bus., & alii: Secundo, Si marito aliquid fructiferum detur in pignus pro dote uxoris, ex *cap. Salubriter*, *de usur.*, quia tunc fructus illi constituuntur in partem dotis necessariæ pro alenda uxore: Tertio, Si oppignoretur feudum domino proprietario, ex *cap.* 1. *De Feudis*, & *cap. Conquestus*, *de Usur.* tenetur tamen tunc dominus remittere servitium, vel pensionem, cujus loco fructus ei e jure subrogantur: Quarto, Idem dicunt Doctores communiter in emphyteusi, si domino detur in pignus: non tamen de usufructuaria, usuaria, vel conductoria, si domino directo detur in pignus, cum de his nihil statuant jura, neque habeatur consuetudo: Pal., & alii communiter: Quinto, Si in venditione contrahentes velint, rem tamdiu non censeri venditam, sed quasi locatam, usquedum solvetur pretium, potest venditor accipere pensionem locationis, & postea integrum pretium, sed tunc periculum rei remanet apud venditorem: Croix n. 981.

C A P U T II.

Quid de Assecuratione?

ASSECURATIO est *Contractus*, *quo quis aliena rei periculum in se suscipit, obligando se ad eam compensandam, etiamsi casu perierit*. Hoc, si fiat gratis, est gratuita promissio: si fiat pretio, est quasi emptio, qua assecurans vendit suam obligationem præstandi alteri rem ejus indemnem: sed tunc ad justitiam duo requiruntur: Primo, Æqualitas inter pretium, & susceptionem talis periculi, seu obligationis: & communiter, ut notat Azor. in quibusdam locis accipi solent quinque, vel sex pro 100. At Mediolani, ut notat Bon., accipiuntur tantum duo, præsertim in contractu societatis pro assecurando capitali, cum in tali casu assecurator non exponat se magno periculo. Cæterum consulendi sunt periti, ut attentis periculis pretium taxent: Secundo, Requiritur, ut eventus rei sit incertus utrique, saltem quoad notitiam, quam de eo habent, quia alioqui non servaretur æqualitas: Bonac., & alii.

Hinc, si assecurans sit certus, rem esse in tuto, injuste petit pretium, & tenetur restituere. At, si res nondum est in tuto, sed assecurator scientia privata sciat, non fore periculum, Less. c. 28. n. 27. dicit, licere ei pretium ordinarium assecurationis accipere, quia illa obligatio ob pericula ordinaria magni æstimatur, & causæ occultæ, quæ periculum minuunt, non imminuunt communem æstimationem, quamvis Bonac., Tamb., Lug. d 31. id rectius negent. Similiter, si volens rem suam assecurari, & certo sciat, eam periisse, non potest paecisci de ejus assecuratione, nec petere, ejus æstimationem sibi restitui: Less. n. 25. A fortiori vero, qui fingens, se habere merces in navi, petit, illas sibi assecurari, & deinde navis pereat, non potest petere æstimationem mercis, quia dolo dat causam contractui; nisi vero assecurator sciebat, vel suspicabatur, nullas esse ejus merces, quia tunc esset contractus sponsionis super navis mersione: Less. n. 28. Demum, si plures sint assecuratores, quorum singuli solum pro parte aliqua spondeant, & dimidium mercium pereat: tunc, si partes singulorum designatæ fuerint, illi tantum tenentur, quorum partes pereunt; si autem non fuerint designatæ, tunc omnes tenentur contribuere pro rata ad partem, quæ periit: Less. n. 3.

C A P U T III.

Quid de Fidejussione, Compromisso, Transactione, & Compositione?

FIDEJUSSIO est *Contractus*, *quo quis in se suscipit obligationem debiti alieni implendam, si debitor principalis non solverit.*

Quæres primo, Quis possit fidejubere?

Respondeo, Eos, qui habent bona, & liberam eorum administrationem: hinc repelluntur a munere fidejubendi pupilli; item filiifamilias, nisi habeant castrensia, vel quasi castrensia: item Religiosi, itaut ex fidejussione propria auctoritate facta monasterium non obligetur, nisi quatenus in ejus utilitatem versum sit, ex Less., Laym. Repelluntur etiam Clerici a fidejubendo pro Laico, tenet tamen fidejussio, si fidejubeant, ex cap. ult. *de Fidejuss.*; imo usu receptum videtur apud Less., & Bon., aliquando eos posse etiam licite, modo id faciant de suo patrimonio, vel fructibus beneficii sine damno Ecclesiæ, & sine periculo depauperationis. Repelluntur etiam mulieres, itaut uxor invalide fidejubeat pro marito, valide tamen pro filiis, modo fiat instrumento publico, adhibitis tribus testibus cum subscriptione: potest tamen hanc fidejussionem rescindere, si voluerit uti privilegio, cap. *Vellejani*, sed ante sententiæ executionem: Lug. d. 32. n. 15.; at nequit uti hoc privilegio, si pretio conducta fidejubeat; vel si ei renunciet coram magistratu, aut cum juramento; vel si fidejubeat pro dote, aut pro suo creditore, aut pro libertate servi; vel si fidejubeat in fraudem, vel si post annum a fidejussione pignus dedit, aut obligationem iterum suscepit: Mol., Less., Bon., & alii.

Quæres secundo, Ad quid teneatur fidejussor?

Respondeo, Teneri in utroque foro ad suam fidejussionem implendam, si debitor principalis non solverit: qua in re nota, aliud esse fidejubere, aliud assecurare. Qui fidejubet, non plus obligatur, quam debitor; ideoque si hujus obligatio sit nulla, nulla pariter est fidejussio, & similiter, si liberatur debitor, liberatur & fidejussor: imo qui fidejussit pro reo capitis, si hic aufugit, non est ejus loco plectendus, quia non præsumitur sic se obligare; imo nec potest, cum non sit dominus suæ vitæ: Sylv., Bon., Less., & alii. At, qui assecurat, firmam facit obligationem alterius etiam alias claudicantem; unde, etiamsi hæc per se fuerit nulla, vel si is ex aliqua justa causa liberetur, non tamen liberatur assecurator; quia hic non adhibetur in subsidium, sed ut principalis: Tamb., & alii.

Hinc fidejussor (nisi intenderit expresse se obligare ad solvendum ante sententiam Judicis) non tenetur in conscientia, nec potest cogi apud Judicem, nisi postquam facta est discussio in bonis debitoris non solventis: Tamb., & alii ex jure, modo tamen ipse fidejussor tali privilegio non renunciaverit, vel clare appareat, non posse præmitti dictam discussionem, vel ipse fidejussor neget, se esse fidejussorem, ex *l. Dubitetur*, *ff. de Fidejuss.* Cæterum, si debitor sua culpa non solvit, tenetur fidejussor non tantum ipsum debitum, sed etiam damna, & expensas omnes creditori compensare: sicuti etiam debitor tenetur de omni damno sua culpa accidente fidejussori; si vero sine culpa, v. g. ob impotentiam debitor non solvit, ad solum debitum videtur teneri fidejussor: Azor., Mol., Bon. n. 14., & alii. Successor autem fidejussoris non obligatur ejus fidejussione, nisi sit hæres, vel ille in officio v. g. Decani constitutus fidejusserit cum consensu, & nomine Capituli: Mol., Sa, & alii. Si vero plures in solidum fidejusserint pro debitore, quilibet potest excipere contra creditorem, ne solus conveniatur, sed ut alii cogantur stare pro parte; & si unus coactus fuisset solvere totum, posset a creditore petere jus agendi contra alios: Lug. n. 55. Denique, si fidejussor erat potens, postea vero evadat impotens, non tenetur debitor substituere alium, quia reliquum periculum fidejussionis est penes creditorem admittentem: Bart., Surd., Pal. n. 1.

Quæres tertio, An fidejussor aliquid exigere possit a debitore pro fidejussione?

Respondeo affirmative; Quia fidejussio est pretio æstimabilis. Si autem nullum timeatur periculum, & molestia, probabiliter etiam posse aliquid moderatum exigi, putant Bonac., Nav., Azor., Fil., Busemb., & alii, quia obligatio ipsa de se est pretio æstimabilis; sed Cov., Moy., Croix n. 1106. probabilius putant oppositum: Primo, quia difficulter dari potest disparitas, cur etiam mutuum non sit de se pretio æstimabile, præciso quovis periculo lucri cessantis, damni emergentis, & ipsius sortis; ideoque cur etiam non possit pro eo aliquid exigi: Secundo, quia, si fidejussor sciat, nullum esse periculum, & molestiam, obligatio illa nullum affert onus: ergo nihil aptum est compensari.

Cæterum creditor potest exigere aliquod moderatum pretium, ut liberet fidejussorem a fidejussione periculosa, & molesta, quam suscepit pro debitore: Mol., Sa, Rodr., & alii. Idem fidejussor potest aliquando, licet non ordinarie, cogere debitorem, ut eum liberet a Fidejussione, v. g. si debitor sit potens solvere, & non solvat, si incipiat dilapidare bona sua, &c. Lug. d. 32. n. 20. At creditor cogi non potest, ut habito uno fidejussore admittat alium, quia habet jus standi primo contractui: si autem admiserit alium, liberatur primus: Pal. n. 5., & 6. Denique, si creditor proroget tempus debitori: tunc, si fidejussor indefinite fidejusserat, pergit obligari: si fidejusserat v. g. ad annum, cum anno cessat ejus obligatio: sicuti, si fidejusserat pro capitali, non obligatur ad interesse, quia obligatio non se extendit ultra intentionem: Azor., Croix n. 1107.

Com-

Compromissum est contractus, *quo aliqui mutuo consensu in sententiam arbitri, seu arbitratoris rejiciunt controversiam aliquam dirimendam, spondentes, se illi parituros*; & est contractus onerosus innominatus, & solo consensu perficitur. Licet autem, antequam fiat, liberum sit tum ex parte compromittentium, tum ex parte arbitri, ut acceptetur, tamen post acceptationem standum judicio arbitri, qui etiam tenetur arbitrare. De arbitro dicam d. 4.

Transactio est de re dubia, lite, aut controversia jam mota pactio onerosa. Præter rei dubietatem requiritur, ut non sit circa rem, de qua lata est sententia, quæque in rem transierit judicatam, ex *l. Sub prætextu* 29. *Cod. de transactionib.* v. Croix n. 464.

Compositio est *Pactio de re aliqua, vel circa quam nulla controversia fit, vel circa quam sit, aut esse possit*.

Porro de his postremis contractibus, si quid dicendum superest, addemus suo loco in de Restitutione.

DISPUTATIO IV.

De quasi Contractibus.

QUASI contractus sunt obligationes, quæ tacite oriuntur ex aliqua actione, officio, acceptatione, &c. Præcipuæ sunt negotia gesta, mandatum, & officium Judicis, quibus nos addimus etiam tributa, & gabellas.

QUÆSTIO UNICA.

CAPUT I.

Quæ sint obligationes ex negotiis gestis?

NEGOTIA gesta dicuntur, cum absque alterius mandato negotium ejus utiliter geritur: v. g. si equum Titii absque ullo ejus mandato redimas de manu furis exiguo pretio, tanquam ejus negotium gesturus.

Quæres primo, Quænam sit obligatio ejus, cujus negotium geritur?

Respondeo, Teneri, rem sibi utiliter gestam ratam habere, expensas necessarias, & utiles solvere negotiorum gestori, necnon compensare ei damnum, lucrum cessans, & labores: ratio est, quia negotiorum gestor ob rem utiliter gestam acquirit ad hæc omnia actionem contra illum, ex *l.* 2. *de Negotiis gestis*. Idque verum est, etiamsi negotii eventus non feliciter succedat ex casu fortuito: v. g. si equum jam redemeris de manu furis in gratiam Titii, & dum equus ad Titium reducitur, fortuito casu pereat, tenetur Titius solvere tibi expensas, & pretium, modo hoc fuerit exiguum; quia adhuc rem ejus utiliter gessisti, nec tenebaris præstare casus fortuitos: Doctores communiter.

Quæres secundo, Quænam sit obligatio gerentis negotium alterius?

Respondeo, Teneri illud diligenter administrare, ac semel cœptum perficere: item reddere rationem eorum, quæ gessit, &, si quid ad ipsum pervenit ex negotio gesto, restituere alteri: Doctores communiter. Quoad labores vero, & expensas sibi reficiendas, distinguendum; si enim eas expendit animo non donandi gratis, sed repetendi, potest juste eas exigere: sic, si inveneris rem alienam, quamvis non possis mercedem inventionis, tanquam jure tibi debitam, exigere, cum ex justitia tenearis rem inventam domino restituere, tamen potes juste exigere laboris compensationem, & expensas factas, si animo minus gratuito feceris: Laym. c. 30. Similiter, si quis sponte se obtulit ad fidejubendum, & solvit pro principali, habet contra illum actionem ex negotio gesto, ex *l. Sed videamus*, *ff. de Negotiis gestis*, modo animo non gratuito id fecerit.

At, si quis animo omnino gratuito, & ex mera liberalitate, aut pietate negotium alterius gessit, vel aliquid pro eo expendit, non potest deinde mutato animo labores, & expensas jam factas repetere, ex *l. Si alimenta*, cap. *de Neg. gest.*, quia fuit liberalis donatio. Hinc, si ad curandum famulum domi tuæ ægrotantem aliquid expendisti animo liberali, aut pio, non poteris postea id de constituta mercede detrahere: similiter, si mater, vel avia præbentes alimenta filiis, vel nepotibus animo gratuito (ut communiter censentur ex affectu materno, & pietate ea conferri) non possunt deinde ea repetere; nisi vero magnas expensas pro iis fecerint, vel contrarium protestatæ sint, aut ex circumstantiis colligatur.

CAPUT II.

Quæ sint Obligationes ex Mandato?

MANDATUM est *Officium ab eo, qui gratis suscipit, exequendum*: Doctores communiter apud Laym.

Dicitur primo *Officium*, quia imponitur a mandante, sive expresse, sive saltem tacite: ut si videas, in tui gratiam aliquid a me fieri, neque prohibeas, cum possis, tacite mandare censeris, ex *l. Si remuneratio*, *ff. Mandati*: & similiter acceptari debet, vel expresse, vel saltem tacite a mandatario: tale est officium Procuratoris, Advocati, &c.

Dicitur secundo *Gratis*, quia, si mandatum suscipiatur ex promissione mercedis, aut salarii, non est purum mandatum, sed potius conductio, & locatio operæ. Si ergo sit purum mandatum, seu gratis susceptum, quamvis post præstitum officium a mandatario maneat mandans obligatus ex gratitudine ad remunerandum, tamen id stricte debitum non est; ideoque neque esse potest locus occultæ compensationi. Idemque est, etiamsi suscipiatur mandatum animo quidem mercenario, sed qui constare non poterat mandanti, qui forte inveniret alium gratis id præstantem: at, si constare ei poterat, ut si mandatum dedit Procuratori, vel Advocato, quos communiter constat, laborem suum gratis non præstare, tunc habetur tacita promissio salarii; ideoque, si hoc non fuerit certum constitutum, judicis erit designare, ex *l. Si salarium*, *ff. Mandati*.

Infers primo, Stipendium pro executione mandati deberi, si ex circumstantiis intelligendum erat, talem mandatarium non exercere ea mandata gratis: qualia sunt obsequia præstita a famulis, qui serviunt nullo constituto stipendio, imo designantur servire pro certa mercede. Cæterum, Pueris honorariis, vulgo *Paggi*, quando nullum neque expresse, neque tacite taxatum est stipendium, censetur competens retributio victus, vestitus, & bona educatio secundum suum statum, quibus insuper solent Magnates procurare aliquod officium a Principe. Item Præsules Ecclesiastici solent eos, qui in eorum obsequio sunt, remunerare beneficiis, & pensionibus Ecclesiasticis, non ex justitia, sed ex gratitudine; nam justa eorum merces esse solet victus, & vestitus, & nonnullis aliquod etiam stipendium certis anni temporibus: notatque Less. apud Trull., minui aliquando posse justum stipendium, quando famulus illud non exigit, ut hac ratione alliciat dominum ad procurandum aliquod officium, vel beneficium, vel benevolentiam; censetur enim tunc sponte dare: si tamen intenderet obligare hoc pacto Episcopum ad conferendum sibi Beneficium Ecclesiasticum, committeret Simoniam, juxta dicenda d. 5., & dominus teneretur defectum stipendii supplere.

Infers secundo, Famulis, aliisque officialibus stipendium justum esse, quod passim solet dari hujusmodi operariis; quod etiam potest decrescere: Primo, Si non desint multi alii, qui minori pretio inservirent, quia decrescit pretium mercium ex copia vendentium: Secundo, Si famulus ipse roget dominum, ut emat suum famulatum, quo forte non indiget; quia merces ultroneæ vilescunt saltem pro tertia parte, & juxta nonnullos etiam pro medietate: Tertio, Si cum minori pretio adjungantur honores, & alia emolumenta apud talem dominum: Fillinc., & alii communiter. Præcisis his circumstantiis standum est pretio justo, quantum scilicet alii communiter recipiunt; si ergo tunc per vim, aut dolum cogitur famulus injusto pretio inservire, potest uti occulta compensatione, si aliter nequeat justum sui famulatus stipendium habere: sicut etiam, si dominus non solvit, quod tenetur ex pacto: at si non per vim, & dolum, sed sponte, vel paupertate coactus contraxit famulus de pretio injusto, tunc non est ei licita compensatio; ut patet ex Prop. 37. damnata ab Innoc. XI. *Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt*. Addit tamen Carden., eos posse, quando judicio Confessarii, aut alterius valde periti perspicuum est pretium esse injustum, aut operam suam esse longe majorem salario; quia Pontifex solum contendit, id non posse fieri ab ipso famulo, qui per se judicium ferat de injustitia pretii, cum facile deludi possit in propria causa.

Quæres primo, Quotuplex sit mandatum?

Respondeo, Mandatum esse duplex: Alterum est mandatum speciale, quod scilicet de re aliqua certa, ac determinata imponitur: Alterum est generale, quod scilicet imponitur procuratori ad negotia gerenda; & tunc

domi-

dominus ratum habere cogitur, quidquid mandatarius negotiatus fuerit; quia mandatum generale ad omnia se extendit, sicut speciale ad quædam; Sylv., Laym. c. 26. Excipe tamen hic ea, quæ speciale mandatum ex jure exigunt: qualis est alienatio, transactio, oppignoratio, juramenti delatio adversario, & matrimonium, ex cap. 4., & 5. *de Procur. in 6.*, nisi vero generalé mandatum fiat *Cum potestate plena, & libera*; quia sic æquiparetur speciali, excepta donatione, & matrimonio, ex *l. Procurator*, *ff. de Procurat.* Cæterum mandatum, sive speciale, sive generale non potest esse de re illicita; ideoque tenetur mandatarius illud non admittere, & in conscientia restituere, quidquid acceperit pro eo faciendo, antequam mandatum impleat: quamvis post mandatum impletum possit retinere in conscientia, juxta dicta d. 1. c. 4., damna vero, quæ intulit, restituende sunt principaliter a mandante, & in ejus defectu ab ipso mandatario; si autem hic excedit fines mandati, non tenetur mandans, nisi ad partem judicio prudentis: Mol., Trul., & alii.

Quæres secundo, Quandonam expiret mandatum?

Respondeo, Mandatum extingui sex modis: I. Revocatione mandantis, si res est integra, idest ante litem contestatam, vel negotium cœptum; postea vero non potest revocari, nisi subsit aliqua justa causa, vel scilicet quia procurator inimicus factus esset, vel adversario affinitate conjunctus, vel alia similis. Quod si revocatione facta, sed nondum significata procuratori is contrahat, valide plerumque contrahit nomine principalis, excepto matrimonio, ex cap. fin. *de Procur. in 6.* II. Morte mandantis, si res est integra, secus, si non sit integra; imo neque in aliquibus casibus etiam re integra, puta in dotibus, in manumissis, in causis piis: Laym. n. 6., & alii, vel si per potestatem legislativam ei tribuatur stabilitas, qualem in Societate Jesu habent præcepta Superiorum: III. Morte mandatarii præsertim, si res sit integra; imo aliquando, etiamsi res non sit integra, si nimirum personæ industria specialiter electa erat: Laym., & alii: IV. Si mandans evadat furiosus: V. Si transactum sit tempus mandati: VI. Si mutetur status rerum. Vide Trul., Fil., Azor., & alios.

Quæres tertio, Quid sit dicendum specialiter de Procuratore, & Syndico?

Respondeo, Procuratorem esse, qui aliena negotia ex mandato domini administret, & est duplex: Alius dicitur Procurator ad negotia, & hic habere debet 17. annos completos, & potest alium substituere, nisi id ei prohibitum sit, vel nisi specialis negotii gravitas permittere non videatur, ut in matrimonio, ex cap. fin. *de Procur.*; denique tenetur ex culpa tantum lata, nisi negotii qualitas exactam diligentiam requirat: Laym. c. 26., & alii: Alius dicitur Procurator ad lites, & hic habere debet 25. annos completos, nec potest alium substituere, nisi id in mandato sit ei concessum, vel postquam lis ab eo sit contestata, vel nisi in propriam utilitatem datum fuerit; demum tenetur ex culpa etiam levi, imo secundum aliquos etiam levissime: Laym. ibid. Cæterum Clericus in Sacris, vel Beneficiatus non potest esse Procurator, vel Advocatus coram Judice Seculari, imo nec Sacerdos coram Judice Ecclesiastico, nisi causam suam, vel suorum, vel Ecclesiæ, aut personarum miserabilium suscipiat, ex cap. 1., & 3. *de Postulando*: Religiosis vero munus Procuratoris, & Advocati omnino prohibetur, nisi in causa sui monasterii jubente Prælato, aut ejus abbatis voluntate præsumpta: Ab., & alii ex *Clem.*, *Religiosus*.

Procurator, si constitutus sit, ut merus internuncius domini, cujus nomine agat tanquam instrumentum (qualis est Procurator ad matrimonium contrahendum, ad prolem e baptismate levandam, &c.) non acquirit sibi ipsi actionem, & obligationem, sed domino; secus vero, si constitutus sit, ut eas obligationes, & actiones sibi acquirat, quas deinde domino cedere debeat, qualis plerumque est Procurator ad lites; tunc enim non dominus, sed ipse Procurator damnatur, etsi executio sententiæ ordinarie fiat in bonis domini: v. Laym. n. 14.

Denique, quæ dicta sunt de Procuratore, dic pariter de Syndico, qui est Procurator, non a domino particulari, sed ab universitate, ejusve administratore, v. g. Episcopo, Capitulo, Prælato monasterii constitutus: &, si ad unam tantum causam, dicitur Actor.

Quæres quarto, Quid sit dicendum specialiter de Advocato?

Respondeo, Advocatum esse, qui certæ Personæ, aut Communitati, quæ seipsam defendere satis non potest, patrocinium suscipit, qui etiam compelli potest a Judice, & officio advocationis privari, si absque justa causa renuat postulare pro altero, ex *l.* 1., *ff. de Postulando*, & *l. providendum*, *C. eod.*, quod dici nequit de Procuratore, cum nemo invitus cogi possit suscipere Procuratoris officium, nisi in extrema necessitate, ex *l. Invitus*, cap. *de Procur.* Advocato invalida est pactio de *quota litis*, ut scilicet pars ejus, quod ex lite proventurum est provocatori, sibi cedat, ex *l.* 7., *ff. Mandati*; valet tamen pactum non expresse de *quota litis*, sed certa aliqua summa, seu de certo præmio præter justum stipendium dando in casu victoriæ, modo sit moderatum, nec lege speciali prohibitum: Laym. n. 10. Denique peccat Advocatus contra justitiam, si suscipit, vel protrahit causam, quam scit, esse injustam; ideoque tenetur Clienti restituere, ex peccato omissionis, quia ex officio tenebatur monere ignorantem de injustitia causæ: tenetur etiam restituere parti contrariæ ex peccato commissionis, quia fuit ei causa positiva damni; si vero causa sit utrinque probabilis, & dubia, quamvis Sylv., Vel., Arriag., & alii negent posse eam suscipere, saltem si certus sit, oppositum esse probabilius, & tamen credat, se victorum; tamen Navar., Sanch., Less., Laym., & alii communius affirmant, quia tantum proponit argumenta Clientis habentis jus proferendi suas rationes, etiamsi minus probabiles, & decisionem relinquit Judici. Cæterum in causa criminali potest reum etiam sontem defendere, ut mortem, aliamve pœnam evadat, quia reus ad hanc non tenetur, nisi convictus; non potest vero in causa criminali dubia tueri partes actoris, qui in tali casu graviter peccat contra reum: v. Busemb., & alios.

CAPUT III.

Quid sit Officium Judicis?

JUDEX ex mandato Principis tacite contrahit cum illo, ejusque subditis de justitia recte administranda; ideoque præter jurisdictionem, quam accipit a Principe, debet in se habere scientiam legum, procedere secundum allegata, & probata, & excludere munera, & pretium sententiæ dicendæ. Itaque

I. Quoad scientiam: Qui petit, aut suscipit officium Judicis carens scientia, qua scire deberet suo munere recte fungi, peccat graviter, nec est absolvendus, nisi renunciet, aut saltem proponat renunciare: D. Th., & alii communiter. Si autem cum magna imperitia male judicet, tenetur ad interesse parti læsæ, & ad expensas litis; uti etiam, quoties notabile damnum propter ejus culpabilem ignorantiam partibus litigantibus accidit: Bonac., Lug., & alii. Si vero deinde cognoscat errorem commissum sine sua gravi culpa in præjudicium Partis, tenetur (si potest citra infamiam) impedire errorem, v. g. monendo occulte partem læsam, ut sibi appellatione, aut aliter consulat; quia id pertinet ad debitam muneris executionem: Lug., & alii communiter. Tenetur expedire celeriter causas, quia ex officio tenetur tribuere cuique jus suum; hinc differendo valde notabiliter causæ expeditionem sine justa causa, peccat graviter, & tenetur restituere parti læsæ damna, & expensas, quæ ex iniqua dilatione sequutæ sunt: Sylv., Nav., Bon., & alii communiter. Tenetur etiam judicare secundum leges; quare non potest relaxare, aut minuere pœnas lege taxatas, etiamsi actor consentiat, nisi aliquando ad bonum Reipublicæ necessarium esse, dictaret Epikeja, vel nisi de privata tantum Actoris injuria ageretur; si vero mulctam pecuniariam, quam lege, vel consuetudine debebat imponere Reo, remisit, tenetur ipse restituere Fisco: D. Th., Sylv., Laym., & alii contra Azor., nisi vero ipse sit supremus Judex, qui auctoritatem habet in legem. Tenetur demum non solum Judex Ecclesiasticus (quod omnes Catholici fatentur teste Tanner.) sed etiam Judex in foro civili judicare de dispositionibus ad pias causas, secundum Canones, & non secundum leges civiles; ideoque stare debet pro testamento ad piam causam signato tantum manu defuncti, aut condito sine institutione hæredis, & pro legatis piis insertis testamento profano non habenti solemnitates juris: Tiraq. Priv. 15., & 17.

II. Judicare debet secundum allegata, & probata; quia judicat, ut persona publica, & consequenter sequi debet scientiam publicam. Hinc, si scientia privata sciat, aliquem esse nocentem, qui juridice sit probatus innocens, non potest eum damnare: D. Th., & alii communiter. Si vero scientia privata sciat, aliquem esse innocentem, qui juridice probatus sit nocens, tenetur omni modo,

quo

quo poteſt, eum liberare, v. g. impediendo accuſationem, differendo judicium, aperiendo carcerem, ſi ſine majori malo fieri poteſt, remittendo cauſam ad Superiorem, &c. Si autem nihil horum efficere poſſit; tunc, ſi cauſa ſit civilis, aut agatur tantum de pœna pecuniaria, poteſt procedere ſecundum allegata, & probata, quia Reſp. habet poteſtatem in bona ſuorum Civium, quando bonum publicum id requirit, ut in caſu, ne ſcilicet forma publica judiciorum cum ſcandalo populi evertatur. Idem probabiliter dicunt plurimi Doctores cum D. Th. in cauſa etiam capitali ob eandem rationem; ſed verius videtur oppoſitum, quia directe occidere innocentem eſt intrinſece malum: Leſſ. l. 2. c. 29. Fil. Bon. Tol. & alii.

Ex dictis infers, Innocentem, qui ſecundum allegata, & probata damnatus eſt ad mulctam pecuniariam, ad ſolvendum aliquid, &c. non teneri in conſcientia ſolvere, niſi tantum ratione ſcandali, quod pareret non obediendo ſententiæ; ideoque is, cui talis pecunia applicata eſt, ſi ſciat, ſententiam falſo fundamento niti, tenetur in conſcientia reſtituere. Neque obſtat, quod Reſp. poſſit de bonis ſubditorum diſponere, ut publica judiciorum forma ſervetur; nam, quamvis hæc ratio ſit forte ſufficiens ex parte Judicis ad Judicandum ſecundum allegata, & probata, non tamen ex parte innocentis, ut in foro conſcientiæ teneatur cedere rem ſuam; hoc enim ad bonum publicum non eſt ullo modo neceſſarium: Leſſ. l. 2. c. 31. n. 25. Ubi tamen cum communi limitat de Beneficio, & Officio, quo innocens privatus eſſet a Judice ſecundum allegata, & probata; ſitque collatum eſſet alteri, quia in hæc, utpote bona communia, majorem auctoritatem habet Reſp. quam in bona privatorum, &c. Addit demum, Innocentem non poſſe per vim ſe defendere contra Judicem, aut Miniſtros, ne ſententiam ſecundum allegata, & probata exequantur, quia eſſet bellum utrinque juſtum abſque ignorantia; quamvis Vict. dicat, poſſe, ſi abſit ſcandalum, & alioqui ipſe eſſet morte plectendus; verum ſcandalum vix abeſſe poſſet.

Quæres, Quid agere debeat Judex, quando pro utraque parte litigante ſunt rationes probabiles?

Reſpondeo, Si videat unam partem probabiliorem, debere omnino pro ea ferre ſententiam, & nullatenus pro parte minus probabili, ut conſtat ex Prop. 2. damnata ab Inn. XI. *Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem;* & ratio damnationis eſt, quia ex vi officii ſuſcepti iniit tacitum pactum cum Republica, ut ſententiam ferat ſecundum majora motiva rationum. Hinc, ſi Judex ſuperior mandet inferiori, ut ferat ſententiam ſecundum opinionem, quam ipſe inferior judicat minus probabilem, ſuperior autem judicat probabiliorem, tunc, ſi inferiori ſit certum, ſuam opinionem eſſe probabiliorem, non poteſt obedire, quia mandatum eſt de re illicita; ſi vero inferiori non ſit certum, tenetur obedire, quia in dubio ſtat præſumptio pro Superiore: Croix l. 4. n. 1481. Cæterum in cauſis criminalibus Judex tenetur favere Reo ſecundum opinionem probabilem illi faventem, etſi ſit minus probabilis, quam oppoſita: Doctores communiter ex *Reg. Jur. in 6. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda*. Si autem rationes utriuſque litigantis ſint æque probabiles, vel utrinque ſit æquale dubium: tunc, ſi dubium ſit circa factum, favendum eſt potius Reo, quam Actori, juxta *Reg. Jur.* & in cauſis pupilli, viduæ, loci pii, matrimonii, dotis, libertatis, peregrini, &c. ferri debet ſententia pro his a jure privilegiatis. Si dubium ſit circa jus, favendum eſt potius poſſeſſori, cum in dubio melior ſit conditio poſſidentis; at, ſi neuter poſſideat, res eſt dividenda: &, ſi ſit individua, ejus pretium eſt dividendum: Doctores communiter contra Ledeſ. niſi vero ſit Beneficium Eccleſiaſticum, vel quid ſimile, quod ne ſecundum æſtimationem quidem dividi poteſt, ideoque poterit tunc alterutri ex æque dignis conferri ad arbitrium Epiſcopi.

Quæ dicta ſunt de Judice, dic pariter de Arbitro, & Arbitratore, qui omnes peccant, & ad reſtitutionem tenentur, ſi opinioni minus probabili ſe accommodant, tollendo ab alterutro ex litigantibus id, quod illi debetur ob rationem, quam habet probabiliorem, quod eſt jus proprietatis. At Epiſcopus conferens Beneficium Eccleſiaſticum minus digno omiſſo digniori peccat quidem, non tamen tenetur ad reſtitutionem, quia nemo ad hæc bona habet jus ſtrictum proprietatis; ſolum ergo tenetur compenſare damnum communitati ex hac prava electione ſequutum: Leſſ. & alii communiter.

III. Quoad munera: Quamvis Judex acceptare poſſit leviora munuſcula, in quibus ſcilicet non eſt periculum corruptionis judicii, quæque ex urbanitate offeruntur, nec niſi inurbane recuſari poſſunt, ut docent Mol. Lug. & alii, ex cap. *ſtatutum de reſcr. in 6.* ubi permittitur eſculentum, vel poculentum, quod intra paucos dies proximos conſumi poteſt. Tamen jure, tum Can. cap. 10. *de vit. & honeſt. Cleric.* tum Civ. *l. 28. ff. de Off. & Præſid.* tum etiam naturali, ut addunt Lug. & alii, illicitum omnino eſt acceptare munera in ea quantitate, quæ de ſe apta eſt, &, ut plurimum, inducit corruptionem judicii; ideoque peccat, tum qui ea dat, ſive ſit ipſa pars litigans, ſive alius pro ipſa, tum Judex acceptans, etſi ſibi perſuadeat, ſe non ideo corrumpendum, cum ſaltem ea motivo gratitudinis illa reddant animum propenſum danti, & inadvertenter trahant ad partialitatem: Lug. n. 131. Quod ſi data ſint, ut Judex majorem diligentiam adhibeat, quam teneatur, vel ut celerius, quam debet, expediat cauſam, vel ob alium extraordinarium laborem, quamvis excuſent Verric. & Dian. p. 3. t. 5. r. 45. tamen communiter alii negant, quia adhuc lege poſitiva prohibentur in conſcientia, ob pericula, & damna regulariter adjuncta, ut notat Moy. & alii. Excuſat etiam Verric. ſi non dentur ut Judici, ſed ex alio titulo, ex Sanch. Lug. & aliis; ſed hi intelligunt ſpectato jure naturæ, non autem poſitivo, quod prohibere potuit ob periculum fraudulentorum prætextuum. Similiter, quamvis ſpectato jure naturæ non audeat Laym. damnare Judicem, qui ex pacto pro munere expediat prius hanc, quam alias cauſas, quarum in ejus arbitrio erat, quam prius expediret, tamen hoc etiam videtur jure poſitivo illicitum ob eandem rationem. Denique præſcindendo etiam a lege poſitiva, ſæpe per acceptionem munerum peccatur, vel ratione ſcandali, eo quod ipſimet dantes credunt, Judicem inflecti, vel ratione periculi pervertendæ juſtitiæ, vel quia dantur involuntarie, eo quod ſcilicet timent, ne Judex alioqui plus faveat parti adverſæ, aut moras trahat; quod maxime valet, ſi munera dentur lite pendente: Sanch. Mol. & alii communiter.

Ex dictis infers, munera acceptata a Judice, ſi tantum jure poſitivo ſint prohibita, probabiliter non eſſe reſtituenda in conſcientia, antequam de hoc talis Judex damnetur; quia leges non reddunt inhabilem accipientem: Mol. Leſſ. Lug. & alii; quod verum reputat Lug. etſi Lex forte dicat, quod teneatur ante reſtituere, quia requiritur ſaltem ſententia declaratoria delicti: ſimiliter, quamvis Sanch. dicat, Secretarios judicum ex juramento teneri ante talem ſententiam reſtituere quadruplum illius, quod acceperint, tamen Moy. & alii probabiliter dicunt, requiri talem ſententiam. At munera, ſi ſint illicita jure naturæ, in conſcientia, & ante talem ſententiam reſtituenda ſunt danti: qualia ſunt, ſi data ſint ex timore, ne Judex alioqui plus faveat parti adverſæ, vel ne injuſte moras trahat; quia ſic data ſunt involontarie. Similiter tenetur Judex in conſcientia reſtituere pretium, quod indebite accepit a parte pro ferenda ſententia juſta, quia talis ſententia erat parti aliunde debita; quare pro ſuo pretio nihil accepit a Judice. Idem eſt, ſi litigantes habeant pro ſe quiſque rationes æque probabiles, itaut res ſit omnino individua, adeoque liberum ſit Judici eam rem alterutri adjudicare, ut conſtat ex Prop. 26. damnata ab Alex. VII. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio*. Et ratio damnationis eſt, quia ratione officii tenetur tunc Judex rem alterutri gratis adjudicare: quod valet etiam de Arbitro conſtituto ad eligendum alterutrum ex æque dignis, quem maluerit: de Œconomo habente a patrefamilias poteſtatem conferendi officium domus: de hærede, qui ex voluntate teſtatoris tenetur diſtribuere dotes virginum, vel alia legata pia juxta ſuum prudens judicium: & maxime de Collatore Beneficii Eccleſiaſtici, ut patet ex cit. Prop. 26. damnata ab Alex. VII. Et ex prop. 22. damnata ab eodem, quæ ſic habet: *Non eſt contra juſtitiam, beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*. At, ſi judex accepit pretium iniquum pro ferenda ſententia injuſta, de jure naturæ non tenetur ad ejus reſtitutionem; quia non tenebatur ad ferendam illam ſententiam injuſtam; imo nec teneri jure poſitivo, docent Sylv. Nav. Mol. Laym. Leſſ. & alii. Tenetur tamen reſarcire omne damnum injuſte illatum parti læſæ, ut patet.

CAPUT IV.

Quid sint Gabellæ?

EX acceptatione alicujus in Principem tacite oritur obligatio solvendi gabellas, quæ sunt *Exactiones publicæ Principi, vel Republicæ solvendæ ad onera communia sustinenda;* Et varie appellantur: ut tributum, quod solvitur juxta cujusque facultates præsertim prædiales: vectigal, quod solvitur pro rebus, quæ exportantur, vel importantur in Civitatem, aut Provinciam: portorium pro transportatione mercium per pontes, per flumina: pedagium, seu guidagium, a transeuntibus, pro custodia viarum: item tallia, præstantia, impositio, collecta, duana, & similia imposita pro venditione, & emptione rerum, &c. Præter hæc sunt quædam onera, quæ a jurisperitis vocantur munera: & alia sunt realia, ut obsequia præstanda Principi ex rebus subditorum, puta jumentis, plaustris, canibus, &c. alia sunt personalia, quæ per ipsas personas exhibentur, quod dicitur angaria; alia demum mixta, quæ utroque modo exhibentur, quod dicitur perangaria. Vide Sylv. v. *Gabella*.

Quæres primo, Quis possit imponere gabellas?

Respondeo, Posse tantum Principes Supremos, & Respublicas, quæ superiorem non agnoscunt; quia hi immediate habent auctoritatem a populo, a quo proinde accipere debent, quæ necessaria sunt ad sui status dignitatem, & ad rectam eorum administrationem. Hinc Proreges, aliique Gubernatores non possunt imponere novas gabellas: item nec Comites, Marchiones, aliique Domini a Principe absoluto constituti; quia ab eo habent, quæ sunt necessaria ad sui dignitatem, ideoque, si absque ejus consensu novas gabellas imponerent, incurrerent in 5. Excommunicationem Bullæ Cœnæ; nisi vero essent in consuetudine immemorabili eas imponendi, cum sic supponant titulum seu auctoritatem Principis: Less. c. 33. Summus vero Pontifex, & Concilium Generale, etsi directe non possit eas imponere in locis Principi Seculari subjectis, potest tamen indirecte, si scilicet necessarium sit ad defensionem rerum spiritualium: Less. n. 10. Denique Universitati, vel Civitati licitum est de communi consensu imponere sibi tributa, quæ *Assisia* vocant, ad communes, & ordinarias populi necessitates; id enim dictat recta, & naturalis ratio, & approbat communis usus, & praxis: Less. n. 15.

Quæres secundo, Quæ sint gabellæ justæ?

Respondeo, Esse illas, quæ habent has conditiones: Primo, Ut sint impositæ per legitimam auctoritatem, juxta modo dicta: Secundo, Ut adsit justa causa eas imponendi, quæ esse debet *Necessitas publica, cui aliter commode succurri nequeat:* hinc injustum est imponere tributum, si certum, aut saltem probabilem non sit adesse hanc causam, cum Princeps hic agat, ut Judex, ut ait Mendo; vel si insumatur in alienos usus, ut in prodigas largitiones, in expensas inutiles publicas, vel privatas; vel si majus sit, quam causa postulet; qua parte enim excedit, est iniquum; vel demum, si diutius duret cessante causa, nisi forte nova causa supervenerit, ob quam imponi de novo potuisset, aut sit periculum, ne cedeat, puta ad vindicandum mare a piratis, &c. Tertio, Ut imponantur proportionate ad facultates subditorum, secundum æqualitatem, seu proportionem geometricam, quantum fieri potest; iniquum enim esset, si pauperiores magis, quam ditiores gravarentur: & a fortiori, si absque rationabili causa reddantur aliqui immunes ab his solvendis, unde alii, magis gravarentur: Suar. Less. & alii communiter: Hinc Cajet. & alii 12. Doctores apud Lug. d. 36. n. 24. dicunt, injustam esse gabellam, si imponatur in rebus victui, & vestibus necessariis, ut pane, vino, carnibus, oleo, tritico, &c. quia habetur inæqualitas, cum pauperiores non habentes ex suis bonis cogantur plura emere, quam divites, adeoque plus graventur, & hanc sententiam putant probabilem Mol. Bon. Dian. Sed alii 18. Doctores cum Lug. merito contradicunt, quia servatur sufficienter æqualitas per hoc, quod divites propter majores familias plura emant, aut plus graventur aliis tributis propter plura bona immobilia. Neque obstat, *l. 5. & 6. cap. de Vectigal.* prohibens, exigi vectigalia pro usualibus; nam hæ leges sunt consuetudine abrogatæ; docet tamen cum aliis Sanch. l. 2. *Consil.* c. 4. d. 44. n. 7. non facile injiciendum scrupulum defraudantibus vectigalia ob res usuales, nisi constet de eorum justitia, quod admittit Lug. n. 27. quoad pauperes, qui res communes ad proprium usum emunt, vel apportant.

Quæres tertio, An sit peccatum fraudare gabellas justas?

Respondeo, Nav. Sa, Angel. Bejam, & alios multos docere, leges de solvendis gabellis esse tantum pœnales, & non obligare in conscientia: quam sententiam Less. n. 55. Bon. & alii dicunt, esse probabilem. Sed probabilius, & communius reliqui Doctores cum eodem Less. & Bon. docent, obligare in conscientia, adeoque defraudantes in materia notabili gabellam justam peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem; quia gabellæ non debentur, ut pœnæ; sed, cum serviant ad publicam necessitatem, Princeps, & Respublica habent jus strictum ad eas exigendas: ergo, qui hoc jus fraudat, facit injuriam.

Addunt tamen Henr. Fill. Hurt. Moy. & Sanch. l. 2. *Consil.* c. 4. d. 10. non esse obligationem sponte sua offerendi gabellas, nisi petantur, dummodo non abscondantur merces, nec decipiantur quæstores, in quam sententiam multum inclinat Lug. n. 40. saltem ne pœnitens postea cogatur restituere; imo addit n. 44. cum Mol. & Sanch. esse probabile, quod nec teneatur restituere, quamvis occultaverit se, & merces, & ideo nihil sit petitum. Sed Cov. & alii absolute dicunt, esse obligationem solvendi, quamvis non petantur, saltem si moraliter constet de earum justitia. Cajet. & alii dicunt, antiquas deberi, licet non petantur, non, autem novas; quia contra has est quædam præsumptio quod sint injustæ; sed Less. & alii cum Bon. melius dicunt, in hoc servandam esse consuetudinem locorum: v. Croix l. 3. p. 2. n. 271.

Contra vero, si gabella sit injusta, non solum non obligat, sed & Princeps imponens, & exactores peccant cum obligatione restitutionis, & incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ: Less. n. 47. In dubio autem, num sit justa, necne, Sanch. l. 2. *Consil.* c. 4. d. 10. & alii 16. cum Mendo dicunt, non obligare; sive dubium sit positivum, itaut probabilis sit utraque pars, quia licitum est sequi opinionem probabilem relicta alia; sive dubium sit negativum, itaut pro neutra parte appareat ratio, quia in dubio possessio videtur esse ex parte subditorum. Sed probabilius contradicunt alii Doctores communiter, quia in dubio præsumendum est pro justo præcepto Superioris, cujus auctoritas est in certa possessione præcipiendi; nec semper licitum est sequi opinionem probabilem, si nimirum propter eam is, qui merito prævalere debet, cogeretur cedere certa possessione juris sui, ut in casu; quamvis enim subditi sint in certa possessione rerum suarum, tamen etiam Princeps est in certa possessione juris præcipiendi gabellas, & ubi duo possident, melior est conditio ejus, qui habet jus majus, & pro quo magis præsumitur, qualis est superior: v. Croix l. 3. p. 2. n. 277.

Cæterum ex tanta varietate sententiarum monet n. 282. cum Dicast. prudentis Confessarii esse, non semper secundum opiniones rigidissimas obligare pœnitentes ad restitutionem gabellæ: & cum Mol. & Lugo, antequam fiat defraudatio, standum esse potius pro eo, quod subditi teneantur solvere; postquam vero facta est, si pœnitens merito credat, exactionem esse injustam non facile damnandum ad restitutionem. At, si quis cum quæstore contraxisset de solvendis v. g. 50. aureis pro omnibus vectigalibus totius anni, omnes docent, fieri injuriam, si de his 50. aliquid fraudet, quod proinde restituere tenetur in conscientia; quia hos debet non tam ex lege vectigalium, quam ex contractu: Mol. & Lug. n. 48. Idem est, si tributum sit incapitatum, hoc est quando mercatores convenerunt cum exactoribus gabellarum ad solvendam certam summam, itaut singuli teneantur ad portionem, quo casu, si quis eorum per incuriam exactorum relinqueretur, deberet ipse se manifestare, ne reliqui graventur: Lug. n. 16.

Quæres quarto, Quid sit dicendum de officialibus pro exactione gabellarum, & de mercibus inductis cum fraude gabellæ?

Respondeo primo: Officiales, qui exigunt gabellas justas nomine Principis, si aliquid accipiant a subditis, ne eas exigant, quamvis non teneantur restituere acceptum, peccant tamen, & tenentur eas resarcire Principi; quia ex officio, quod est quasi contractus cum Principe, tenebantur eas exigere; nisi vero rationabiliter præsumant mentem Principis, ut si merces erant amicorum ejus, aut pauperum, vel ideo minus exigunt, ut sic melius inhibeant frequentiam fraudum, vel quia mercator ob frequentiam mercium dignus est aliqua remissione: Trul. l. 7. *Decal.* c. 12. d. 4. n. 13. quia sic utiliter gerunt ejus negotium: v. Fil. l. 4. *Decal.* c. 49. n. 11. Actor autem mercatoris, qui transigit cum gabellariis, si proprie sit actor,

non

non potest sibi retinere pretii excessum, quia ex officio debet utiliter gerere negotia mercatoris: secus vero, si non sit actor, aut mandatarius, quia tunc videtur esse fructus suæ industriæ: Less. n. 81.

Respondeo secundo: Merces, sive inductæ sint contra prohibitionem sub pœna aliqua (quæ quidem solvenda non est, nisi post sententiam, ut notat Lug. n. 70.) sive inductæ sint cum fraude gabellæ justæ, adhuc probabiliter vendi possunt pretio communi, quo venduntur aliæ passæ gabellam, quia hoc pretium taxatur communi æstimatione secundum onera, quæ communiter omnes subeunt, etsi talis fraudator hic & nunc non subeat: Less. contra Mol. Similiter emptor talium mercium, etsi sciat, fraudatam esse a venditore gabellam, non tenetur hanc pro eo solvere, quia talis merx manet tantum obligata pro gabella, si fiat excussio, seu intentetur actio: Mol. Bon. Less. & alii contra Sylv.

Quæres quinto, Quinam sint immunes a gabellis?

Respondeo, Non esse immunes exteros, quia etiam respectu eorum videtur inducta obligatio per consuetudinem, quam rationabilem esse ostendit Lug. n. 29. & alii communiter; potestque præterea Rex exigere gabellam ab incolis hujus Regni ad defendendum alterum Regnum, ut sic mutuo defendi possint, magisque florere: Vasq. Lug. n. 36. At immunes sunt: Primo, qui a Rege per privilegium eximuntur ex justa causa, veluti in remunerationem meritorum: Secundo, Pauperes, qui eas solvendo non possent alere se, & suos; quia debent prius necessitati propriæ consulere: Sanch. d. 15. n. 69. & alii: Tertio, Creditores Regis, qui non possunt aliter creditum recuperare, possunt id sibi compensare non solvendo gabellas: Doctores communiter: quod si Rex locavit, aut vendidit alteri gabellam, adhuc potest creditor Regis sic sibi compensare; tum quia conductores ob id minoris conducunt gabellas, quod sciunt a pluribus non solvi; tum quia talis locatio, aut venditio gabellæ imbibit conditionem, quod sit justa, & respectu talis creditoris non est justa; tum quia conductor, aut emptor non acquirit majus jus jure Regis, quod non est contra talem creditorem. Excipe, si creditum fuerit post talem locationem, aut venditionem, vel si gabella fuerit incapitata; sic enim gabellam uno non solvente fit damnum aliis sociis: Sanch. d. 48. & alii: Quarto: Demum immunes a gabellis præcipue sunt Ecclesiæ, earumque bona, & personæ Ecclesiasticæ, earumque bona patrimonialia, ex *cap. Non minus*, *cap. Adversus de imm. Eccl. cap. Quamquam de censibus*, *cap. 5. de imm. Eccl. in 6.* Unde in Bulla Cœnæ n. 18. excommunicantur ipso facto quicumque eas personis Ecclesiasticis, ac earum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, absque speciali, & expressa licentia Summi Pontificis, imponunt, & exigunt, aut imposita etiam a sponte dantibus, & concedentibus recipiunt, qua in re

Noto primo, Nomine Ecclesiæ venire etiam loca pia, & res deputatas in eleemosynas, pauperum substentationem, & pia opera, necnon monasteria Regularium utriusque sexus: Nomine personæ Ecclesiasticæ venire omnes Clericos, dummodo non sint actu conjugati, ex cap. un. *de Cl. Conjug. in 6.* Clerici autem minorum Ordinum, si beneficium non habent, sunt quidem jure exempti a gabellis, sed consuetudine aliqua ex tacito summi Pontificis consensu alicubi non sunt immunes: Lug. d. 37. n. 114. & alii communiter. Veniunt eodem nomine etiam omnes Regulares utriusque sexus, eorumque Novitii, imo etiam Oblati, non tamen Eremitæ, qui ad nullam Religionem approbatam pertinent: Lug. n. 102. Similiter coloni Regularium pro portione colonica liberi sunt a tributis, ex *Bul. Pii Quinti* apud Dian. p. x. t. t. r. 19. quod certum est, quando fructus nondum sunt separati a solo Ecclesiastico, ut decisum fuit contra gabellarium Panormi apud Graff. si autem portionem suam jam collectam deferant de loco ad locum, aut alienent, tenentur ad gabellas: Trull. & alii communiter. Idem dic in praxi de emphyteuta rei Ecclesiasticæ.

Noto secundo, Bona Ecclesiasticorum immunia a gabellis esse etiam bona eorum patrimonialia; quia Canones expresse, & generaliter loquuntur de bonis non solum Ecclesiæ, sed etiam Ecclesiasticorum; unde non solum in bonis proprie patrimonialibus hoc locum habet, sed etiam in bonis ex donatione, emptione, vel alio titulo ad personam Ecclesiasticam pertinentibus; statutum autem hujus Regni Neapol. quod Clerici de bonis sibi donatis debeant gabellam solvere, sustineri potest, si habeat consensum expressum (ut nunc habet) vel tacitum summi Pontificis: Lug. n. 108. Idem dic de bonis propriis Novitiorum Regularium: Doctores communiter contra Rodr. apud Lug. n. 106. Addit tamen n. 109. cum Sanch. & aliis; quod, si bona ista, antequam ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticam personam perveniant, habeant onus, vel tributum adnexum perpetuum, & mere reale, cum eodem onere transeunt ad illas; secus vero, si onus illud non erat reale, sed ratione personæ, ut si solvebatur ex eis tributum ex generali lege, qua bona omnia subditorum sunt obligata pro tributis Principi debitis. Addit demum n. 105. cum eodem Sanch. Laicum habentem in familia Clericos, non posse extrahere ex gabella partem juxta id, quod Clerici illi consumunt, quia non solvit gabellam, qui comedit, aut consumit res illas, sed qui eas emit, vel affert: & pater solus est, qui emit, vel affert, & qui est earum dominus: sicut e contrario Clericus nihil gabellæ solvit de iis, quæ emit, licet id consumi debeat ab ejus famulis, vel amicis laicis, quos ad prandium invitat.

Noto tertio, Ecclesiasticos in aliquibus casibus non esse immunes a gabellis: Primo, In iis rebus, quæ afferunt, extrahunt, emunt, aut vendunt negotiationis causa, ex cap. *Quamquam*, *& Clem. ult. de Censibus*, etiamsi semel negotientur: Lug. n. 520. quo tamen casu, si renuant, cogi non debent a Judice laico, sed ab Ecclesiastico: Doctores communiter contra Baldum. In Regnis Hispaniæ exportans aliquid tenetur manifestare gabellariis, & eo non manifestante tenetur mulio; quod, si non fecerit, incurrit pœnam: ita Barbosa. Si autem ter moniti ab Episcopo non desistunt a negotiatione, perdunt privilegium exemptionis a gabellis etiam quoad alia bona, dummodo non sint Beneficia Ecclesiastica: Lug. n. 118. quando autem dubitatur, an, quod Ecclesiasticus affert, emit, aut vendit, sit ad negotiandum, an ad usus proprios, standum est ipsius juramento, nisi contrarium probetur: Sanch. d. 52. Secundo, Solvere debent collectam, quando id, pro quo imponitur, æque immediate, & directe tangit in particulari Ecclesiasticos, & laicos: v. g. pro reparando flumine, quod perderet agros vicinos, quorum aliqui sunt Ecclesiasticorum, aliqui laicorum; tunc enim, si Ecclesiastici, quorum interest, consentiant, non est necessarius consensus Pontificis, imo nec Episcopi; quia non est proprie gabella, sed contributio, quam ipsimet ex pacto sibi imponunt propter interesse particulare, quod habent; si vero nolint consentire, vel non omnes, tunc pro his requiritur consensus Pontificis, quia tunc videtur esse obligatio, & species tributi: Lug. n. 129. & alii: Tertio, Si imponatur gabella pro aliquo bono Communitatis, cujus ipsi Ecclesiastici sunt partes, puta ad reficiendos muros Civitatis, &c. tunc non debet, nec potest exigi ab Ecclesiasticis, quia, si in his casibus non essent immunes, fere ad nihilum eorum immunitas reduceretur, cum communiter gabellæ ad has, vel similes necessitates imponantur; quare, si bona laicorum non sufficiant sine magno eorum gravamine, requiritur consensus Episcopi, Capituli, & Cleri, ut velint contribuere; imo etiam consensus summi Pontificis, si periculum non sit in mora: Lug. n. 127. ex cap. *Adversus*, *de Imm. Eccl.* Vide dicta tom. 1. d. a. q. 3. c. 5.

Noto quarto, Verba illa Bull. Cœn. *Etiam a sponte dantibus*, intelligi de tributo Clericis imposito, quod Clericus ad vitandas contentiones sponte solvat, etiamsi absque vi, vel petitione prævia; sic enim imponentes, & exigentes excommunicantur: & Clericus, nisi cogatur, peccat solvens, cum præbeat ansam præscribendi, & scandalizandi: Suar. Bonac. & alii. Secus vero dicendum, si tributum neque directe, neque indirecte fuerit impositum Clericis, & illud Clericus sponte velit solvere. Dicitur autem impositum indirecte, cum licet directe non tendat ad gravandos Clericos, tamen ex intentione Legislatoris, & ex circumstantiis ostenditur exigi a laicis ad finem gravandi Clericos: ac si imponatur gabella mercatoribus afferentibus in specie libros Ecclesiasticos: v. g. Missalia, est præsumptio, quod Princeps velit hoc modo gabellam ab Ecclesiasticis; secus vero, si imponatur gabella in genere afferentibus alios libros: etsi enim Ecclesiastici etiam hos emant a carius vendentibus ratione gabellæ, hoc tamen est per accidens; dummodo Ecclesiastici libertatem habeant, eos libros aliunde sibi transferre, emere, &c. Similiter, si augeatur pretium carnium, vini, &c. ut illud augmentum applicetur necessitati publicæ, gravantur indirecte Clerici, nisi eximantur; si vero fiat protestatio, ut in fine anni reddatur Clericis, quod solverunt per modum gabellæ, excusant aliqui cum Dian. apud Lug. n. 541.

Ex dictis demum infers, Quando non ex fine exigendi a Clerico indirecte imponitur gabella aliqua venditori laico, probabilem esse sententiam communem, posse exigi ab eo, etiam quando vendit Clerico; quia tunc non a Clerico, sed a laico exigitur, qui debet solveee e bonis suis: Lug. n. 141. debet tamen esse liberum Clericis aliunde sibi ea comparare: similiter, si Rex reservet sibi jus vendendi chartas carius, debet Clerico esse liberum, eas sibi aliunde comparare. Infers iterum, Quando non ex dicto fine, neque ex circumstantiis, &c. imponitur gabella omnibus laicis ementibus earnes, vinum, &c. probabilem esse communem sententiam, non esse contra immunitatem exigere a laico, quando emit etiam a Clerico: similiter, quando exigitur ab extrahentibus ex confinio non ex fine, ut Clerici solvant; nam, licet ea occasione hi vilius vendant res suas, id tamen est per accidens: Lug. n. 144.

DISPUTATIO V,

De Simonia, & Beneficiis.

QUon est Usura in mutuo, fere est Simonia in rebus spiritualibus, præsertim in Beneficiis Ecclesiasticis. Videndom nunc I. Quid de Simonia in genere? II. Qnid de Beneficiis Ecclesiasticis? III. Quid de Simonia in re beneficiaria? IV. Quid de pœnis simoniacorum? Porro de oneribus, ae fructibus Beneficiorum apcius in de Restit. disp. 2. q. 1. cap. 1.

QUÆSTIO UNICA.

CAPUT I.

Quid de Simonia in genere?

SIMONIÆ erimen Saerilegium est a Simone Mago derivatum, qui emere volebat potestatem conferendi Sp. Sanctum, ut dieitur *Actor.* 8. De ea videndum I. Quid sit? II. Quotuplex sit?

§. I.

Quid sit Simonia?

SIMONIA est *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali adnexum:* Doctores communiter cum D. Th. ex cap. *Qui studet.* 1. *q.* 1.

I. Dicitur *Studiosa*, idest deliberata *Voluntas*; quia simonia magna ex parte pendet ex intentione operantis, quæ exercite tanti æstimat rem spiritualem, quanti temporalem, ex ca. *Tua nos, de Sim.*

II. Dicitur *Emendi, vel vendendi*; quia tam a vendente, quam ab emente committitur simonia: per hæc autem verba intelligitur quivis contractus onerosus, sive venditionis, sive locationis, sive permutationis, & quævis stricta obligatio dandi spirituale pro temporali, & contra, & ratio est, quia malitia simoniæ consistit in æquiparanda re spirituali, quæ prætio æstimari non potest, eum ee temporali; ideoqoe est sacrilegiom, cum virtuti Religionis opponatur hoc, quod est res sacras æstimare, tamqoam profanas. Hinc contra non est simonia commutare rem spiritualem eum spirituali, nisi tantum io Beneficiis Ecclesiasticis ob specialem prohibitionem Ecclesiæ, ex dicendis c. 3. Per temporale autem intelligitur non solum pecunia, sed quodcumque pretio æstimabile, quod dici hic solet munus, sive a manu, sive a lingua, sive ab obsequio: munus a manu est pecunia, vestis, equus; & similia, quæ vendi solent: munus a liogua est laus, vel vituperatio, commendatio apud Principem, patrocinium Advocati, preces, &c. munus ab obsequio est ministerium in rebus temporalibus, ut est famuli, œconomi, &c. hæc omnia dicuntur pretium temporale.

III. Dicitur *Aliquid spirituale, &c.* quo nomine intelligitur res sopernaturalis ad salutem ordinata, sive sit formaliter talis, ut Gratia, & Dona Sp. Sanct. &c. sive causaliter, ut Sacramenta, Sacramentalia, Concio Preces, &c. sive sit ejus effectus, ut usus potestatis spiritualis, nempe absolutio, sive a censuris, sive a peccatis, dispensatio, consecratio, benedictio, excommunicatio, &c. item alectio, confirmatio, & collatio Beneficii Ecclesiastici; item collatio Ordinum, etiam primæ Tonsuræ, & acceptatio in Religionem, administratio Sacramentorum, & Sacramentalium, cæterique actus jurisdictionis, vel potestatis Ecclesiasticæ. At non est simonia pretinm aceipere pro officio magistri in Theologia, in Jure Canonico, in Interpretatione sacræ Scripturæ, in Doctrina Christiana, quia, etsi istæ scientiæ versentur circa res supernaturales, tamen sola instructio discursiva magistri per se, & ex fine intrinseco non ordinatur ad salutem, neque immediate, & principaliter dirigitur ad movendam volnntatem, sed tantum ad illuminandum intellectum: v. Illsung.

IV. Dieitur *Vel spirituali adnexum*, ad comprehendendum ea, quæ spiritualia non sunt, sed ad ea ordinaotur, iisque adnectuotur, sive antecedenter, nt sunt Juspatronatus respectu Beneficii, vasa, & vestes Sacræ, &c. respectu Sacramentorum; sive eoncomitanter, ut labor in administratione Sacramentorum, juxta infra dicenda; sive demum consequenter, ut Beneficium, seu jus percipiendi fructus, quod consequitue ad Officium Sacrum, propter quod datur. Hoe etiam reducuntur Reliquiæ Sanctorum, aliæque res benedictæ, consecratæ, & aliæ similes.

Quæres primo, An sit simonia vendere, vel locare res benedictas, consecratas, aliasque similes?

Respondeo primo, Si vendantur pluris ob benedictionem, vel consecrationem, &c. certe esse simoniam, quia sic venderetur res spiriroalis, qua talis; ideoque Reliquiæ SS. nullatenus vendi possont, eum nihil habeant, quod non sit Sacrum, idemque est, si sic emerentur. Addo tamen, lieitum esse emere Reliquias, aliasve res sacras quantiplurimi ab infidelibus, vel hæreticis, quia sie non esset emptio rei saeræ, sed redemptio injostæ vesationis, & indignæ tractationis: similiter in extrema, vel etiam gravi necessitate, licitum est ad obtinendum Sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ dare pretium ei, qni non vult ea administrare gratis; quia tone non datur, ut pretium Sacramenti, sed ad removendam injustam vexationem, seu ad tollendum impedimentum pravæ voluntatis alterius, quod Suar. probabilitee extendit etiam ad necessitatem sumendi Viaticum: Croix l. 3. p. 1. n. 159.

Respondeo secundo, Si vendantur res consecratæ, quanti valet præcise earum materia, quæ sit quid temporale, non esse simoniam, qoia temporale illud non fundatur io spiritnali adnexo, sed potius antecedit; ideoque vendi potest secundum suum valorem intrinsecum citra simoniam: sic vendi possunt Calices etiam consecrati, vestes sacræ, eappellæ, templa, &c. modo non vendantur pluris ob eonsecrationem: neque requiritur juxta nonnullos Canonistas, ut frangstur calix, sicque amittat consecrationem, antequam vendatur; nam praxis est in contrarium, & similiter servus baptizatos retinet baptismum, dum venditur. Canones autem, dum vetant, vendi quasdam res sacras, ut agnos Dei, oleum sanctum, intelligendi sunt, si vendantur ut sacræ, ut notat Sanch. l. 2. *Dec.* c. 43. n. 29. vel si in his fiat mercatura, aut si adsit scandalum: Croix n. 154. probibentur etiam vendi res sacræ Judæis ob periculum irreverentiæ, & abusus; ideoque etiam Laym. putat, Calicem consecratum non debere vendi integrum laico, nisi pro aliquo Oratorio, eo quod laicus rem talem sacram possidere non debeat: idemque est de lignis, & lapidibos Ecelesiæ dirutæ, in quibus ex declaratione speciali juris manet consecratio: Croix n. 155. Dixi, vendi posse temporale spirituali adoexum, *Si non fundatur in illo*, sed potius antecedie. Nam contra, si temporale fundetur in spiritnali, & oriatur ex illo, tanquam ex causa morali, simoniace venditur, etiam quanti ipsum præcise valet: sie beneficinm, seu jus percipiendi fructns clericales, cum fondetur in officio spirituali tanquam in radice, non potest vendi eitra simoniam (secus die de fructibus Beneficii; sunt enim quid omnino temporale) quia, cum non possit possideri sine tali officio, sequitur, ut si possideatur per emptionem, ipsum etiam officium ematur; & de his cap. *Si quis* q. 2. dicitur, *Qui horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Hinc etiam Soar. cum aliis communiter dieit, esse simoniam vendere jus sepulturæ, quamvis pretium daretur pro loco in quantum honoratior est, quia id, in qun fundator talis honor, est sacrum; licet Barb. & alii apud Dian. p. 1. t. 15. r. 57. probabiliter dicant oppositum, & omnes fatentur, pretium accipi posse pro fundo, & expensis; usi etiam pro onere non sepeliendi alium in tali loeo, quam v. g. Cajum, & familiares ejus, quia onus illud nec est spirituale, nec spirituali adnexum. Quando autem locus sacer est communis pro sepultura fidelium, simonia est saltem juris humani exi-

gere

gere aliquid pro ſepultura in illo, ex c. *Abolenda de ſepult.*, niſi excuſet conſuetudo legitime introducta, ut ſcilicet aliquid fabricæ Eccleſiæ applicandum detur pro loco ſepulturæ, uti etiam pro ſede, vel loco honoratiori in templo: Croix n. 185.

Reſpondeo tertio, Eſſe ſimoniam locare rem ſacram, puta calicem, paramenta, &c. pro pretio (niſi pretium petatur præciſe pro damno, ſeu detrimento, quod paterentur) quia non locatur, niſi eorum uſus, & uſus rei Sacræ eſt ſacer: Suar., Croix n. 154., & alii communiter.

Quæres ſecundo, An ſit ſimonia accipere aliquid pro adminiſtratione Sacramentorum, Litaniis, aliiſque actionibus ſpiritualibus?

Reſpondeo primo, Eſſe ſimoniam, ſi accipiatur in pretium illius adminiſtrationis, ſeu laboris; quia talis labor eſt intrinſecus, & inſeparabiliter conjunctus cum rebus ſpiritualibus, imo eſt intrinſeca pars ipſius functionis ſpiritualis, ut notat Suar. ex D. Bonav. Secus vero eſt de labore extrinſeco, ſeu non eſſentialiter requiſito, puta celebrare tali hora, in loco valde diſtanti, cum cantu in Miſſa, divinis Officiis, &c., quia hæc per accidens connectuntur cum re ſacra; ideoque pro his poteſt aliquid etiam ultra ſtipendium accipi: Suar., Fil., Leſſ., Val., & alii: ſic etiam multi excuſant, qui aliquid accipit in pretium laboris in paranda concione, memoriæ mandanda, aut in concionando magna aliqua contentione, quamvis Suar., & Fill. id non admittant, cum ſit labor neceſſarius ad exercendum miniſterium ſpirituale, prout humano modo exerceri ſoles: ſimiliter Nav., Leſſ., Bon., & alii contra Suar., Pal., & alios apud Croix n. 562. excuſant, qui accipit pretium pro obligatione exercendi aliquid ſpirituale, quia hæc obligatio diſtinguitur a functione ſacra, ſicut obligatio mutuandi diſtinguitur a mutuo: ſimiliter Suar., & alii excuſant, qui accipiunt pretium, ut ſint teſtes matrimonii, non vero Parochum; quia aſſiſtentia teſtium ſpectat præciſe ad rationem contractus civilis (quo ſenſu etiam in matrimonio paciſcuntur de dote, &c.) neque eſt actus alicujus officii ſpiritualis, ſicut eſt aſſiſtentia Parochi, ut Parochus eſt, qui proinde per modum tantum ſtipendii accipere aliquid poteſt.

Quod dictum eſt de actione ſpirituali, dic pariter de omiſſione talis actionis: nam ſimonia eſt, ſi accipias pretium pro omiſſione alicujus actionis procedente a poteſtate ſpirituali, puta pro omiſſione abſolutionis audita confeſſione, quia non ſolum abſolvere, ſed etiam ligatum detinere eſt exercitium juriſdictionis ſpiritualis, ideoque pretio invendibile: ſecus vero, ſi pretium accipias, ut non audias confeſſionem alicujus, quia talis omiſſio eſt tantum pravus non uſus voluntatis; ideoque pretium, etſi ſit turpe lucrum, & aliquando etiam injuſtum, non eſt tamen ſimoniacum: Suar., Croix a n. 175. contra Ugolin., ſi tamen omittas audire miſſam pro pretio, quod æſtimas æquivalere bono ſpirituali, quod haberes audita miſſa, eſt ſimonia, ut patet: ita Doctores cit.

Reſpondeo ſecundo, Non eſſe ſimoniam, ſi in adminiſtratione Sacramentorum, aliiſque functionibus ſpiritualibus accipias aliquid, non in pretium earum, ſed in eleemoſynam, aut in ſtipendium pro ſubſtentatione, quia ſubſtentatio cuivis Operario jure naturæ eſt debita, juxta illud Matth. 10. *Dignus eſt operarius cibo ſuo*. Quod verum eſt, etiamſi Sacerdos aliunde habeat, quo ſubſtentetur, quia id eſt per accidens, nec derogat juri naturæ: Suar., & alii communiter contra Azor.; neque hinc fit, ut non det gratis Sacrificium, ut ibidem vult Chriſtus, *Gratis accepiſtis, gratis date;* nam, ut bene ait Lugo, etiam pictor dicitur gratis pingere, ſi accipiat ſolam ſubſtentationem, & ſumptus neceſſarios ad colores. Hinc poteſt etiam de tali ſtipendio paciſci, ſicut paciſci poteſt de candelis, vino, alioque neceſſario ad Sacrificium. Neque obeſt, quod cap. ult. *de Pactis*, & cap. *Tua nos, de Sim.* generaliter prohibeatur omne pactum in Spiritualibus; nam non debet intelligi de ſubſtentatione, utpote debita jure naturæ: Suar., Bon., & alii contra Cajet., & alios. Excipiendæ hic ſunt aliquæ functiones ſpirituales, in quibus nihil omnino accipi poteſt, ex prohibitione ſpeciali Eccleſiæ, puta in ordinatione, in examine ad beneficia, & in viſitatione, in quibus adhuc Pal. ait, non prohiberi ſtipendium, aut gratuitam donationem, ut ſimoniacam.

Quæres tertio, An in ſimonia detur parvitas materiæ?

Reſpondeo negative, Loquendo de ſimonia juris naturalis (nam de ſimonia juris eccleſiaſtici probabile eſt oppoſitum: v. Croix l. 4. n. 632.) Ratio eſt, quia talis parvitas non poteſt provenire ex vilitate ipſius rei ſpiritualis, quæ, quantumcumque videatur exigua, eſt ex natura ſua ordinis ſupremi: ergo eſt gravis irreverentia eam pretio æſtimare, cum hoc ſit infinities vilius: neque provenire poteſt ex parvitate pretii, quia, quo minus eſt pretium, eo minor fit æſtimatio rei ſpiritualis: DD. communiter cum Croix n. 198., Suar., contra Reg., Mer., & alios apud Dian. p. 5. t. 5. r. 2. putantes, dari poſſe hic parvitatem, ut in modico furto rei Sacræ. An autem ſit irreverentia ludere pro re ſpirituali, quæ utrinque ſpondeatur, vel pro re ſpirituali, ſi ſpondeat alter rem temporalem, dictum eſt d. 3. q. 5. c. 1.

§. II.

Quotuplex ſit Simonia?

SIMONIA eſt triplex, Mentalis, Conventionalis, & Realis, ad quas etiam reducitur Simonia Confidentialis; atque hæ omnes eſſe poſſunt, vel juris naturalis, vel tantum juris Eccleſiaſtici.

I. Simonia mentalis apud Canoniſt. & Theol. non ſolum eſt propoſitum mere internum eam committendi, ut propoſitum furandi dicitur furtum mentale; ſed vere & proprie eſt propoſitum internum prodiens in actum externum, ſine ullo tamen pacto externo explicito, vel implicito: ſic, ſi tradens ſtipendium pro miſſa tradis illud animo emendi Sacrificium, ſimoniam mentalem committis: ſimiliter, ſi des aliquid, vel præſtes obſequium temporale, intendens per id ſtricte obligare alterum ad dandum determinate ſpirituale, quantumvis ſine ullo pacto prævio, ne implicito quidem, ſimoniam mentalem committis: & ſimiliter ille ſimoniam mentalem committit, ſi dans illud ſpirituale putet dare ex obligatione juſtitiæ ratione illius obſequii, quamvis a te omnino liberaliter præſtiti.

Contra vero non committis ſimoniam mentalem, ſi abſque ullo pacto prævio des aliquid, aut præſtes obſequium temporale animo liberali, & gratuito, ea tamen intentione, & ſpe, ut alter moveatur ex ſola gratitudine ad dandum ſpirituale, quia ſic non intendis in illo ſtrictam obligationem, ſed tantum expectas naturalem gratitudinem, ſeu obligationem antidoralem, ad quam quiſque tenetur poſt acceptum obſequium, remunerando quovis modo ipſi placuerit, juxta dicta in de mutuo: neque obſtat Prop. 45. damnata ab Inn. XI. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut contra;* nam hæc merito damnatur; loquitur enim, quando temporale datur ut compenſatio, hoc eſt adæquatio æſtimabilitatis rei ſpiritualis, in quo certe eſt ſimonia; at tu in caſu noſtro non intendis movere alterum ad dandum ſpirituale pro compenſatione obſequii, ſed ad dandum, ſi ei placuerit, ut aptum extinguere obligationem antidoralem gratitudinis, cui aliter etiam ſatisfacere poterit: Croix n. 74., ubi addit Rain. te poſſe etiam monere illum de gratitudine; ſed ſapienter monet Suar., id cavendum ob periculum, & ſpeciem pactionis.

Denique nec committis ſimoniam mentalem, ſi abſque ullo pacto des temporale habens pro fine ſecundario, & extrinſeco aliquid ſpirituale, vel contra: v. g. ſi gratis inſervias Epiſcopo ad obtinendum ex mera ejus gratitudine beneficium, principaliter quidem ob tuam idoneitatem, ſecundario vero, & occaſionaliter ob talem famulatum: ſi exponas reliquias principaliter quidem ad devotionem populi, ſecundario vero, & occaſionaliter ad obtinendam eleemoſynam largiorem: ſi ſacrifices, eas ad Chorum, & principaliter quidem ad dandum cultum Deo, ſecundario vero ob ſtipendium, diſtributiones, &c. quia non eſt peccatum ordinare rem ſpiritualem etiam ad finem temporalem honeſtum, dummodo in hoc non ſiſtatur, ut in motivo principali, ſeu fine poſitive ultimo: Sanch., Suar., Con., Croix n. 62. Quod verum eſt, etiamſi aliter non eſſes hodie v. g. celebraturus, & oblato ſtipendio celebres, dummodo finis celebrationis principalis ſit cultus Dei: ſic ex metu naufragii elicia hic & nunc contritionem, quamvis aliter non eliceres; & tamen motivum intrinſecum contritionis eſt amor Dei, & metus naufragii eſt tantum motivum extrinſecum, &, ut dicitur, impulſivum. Hinc dominus poteſt allicere ſervum muneribus, ut ſuſcipiat baptiſmum, pater filium, ut ſuſcipiat Sacramentum pœnitentiæ, &c., ſolum enim vult, motivum intrinſecum in iis eſſe ſalutem æternam, & munus illud motivum extrinſecum, & impulſivum.

Secus vero dicendum, ſi des temporale, quod ſe habeat ut motivum intrinſecum, finale, & principale ponendi ſpiritua-

tuale, aut contra; ut constat ex cit. prop. 45. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conscrendi, vel efficiendi spirituale;* intelligitur enim de motivo principali, ut videtur explicare idem Inn. XI. damnando propos. 46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo, etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis;* sic esset, qui serviret Episcopo ad obtinendum beneficium propter famulatum principaliter, & tamquam propter motivum intrinsecum, quamvis non propter pretium; quod fere semper contingit, quando temporale, quod datur, non est levis momenti; sic enim solet animum pervertere; non vero, si sit levis momenti, ex cap. *Etsi, de Simon.*

II. Simonia conventionalis est, quæ mentali conventionem externam addit; ut si cum altero conventionem, seu pactum expressum, vel tacitum ineas de dando temporali pro spirituali, aut contra, quin tamen adhuc sequuta sit traditio; nam, si hæc sequatur, simonia erit realis, juxta dicenda n. 3. Habetur autem pactum tacitum, seu implicitum ex circumstantiis: ut si acceptet tuam promissionem ille, quem scis, non solere gratis dare spiritualia: vel si ante dationem muneris promissi excitet illum ad dandum spirituale, quod ipse annuat dare; vel si dones temporale magni momenti, & non adsit alius titulus, ob quem dones præter Beneficium Ecclesiasticum, quod desiderat, & ille tale munus acceptet, & similia. Hinc, cum ad simoniam conventionalem requiratur etiam alterius promissio, multi censent, illum hoc ipso, quod acceptat tuam promissionem, tacite repromittere; quamvis alii probabilius negent, quia ex eo, quod quis acceptet tuam promissionem onerosam, non sequitur, quod ipse velit se obligare, sed solum, quod velit, te manere obligatum, ut ait Sanch. *de Sponsal.* l. 1. d. 5. Cæterum, si fiat utrinque promissio externa dandi v. g. beneficium pro pecunia, aut contra, sed sine voluntate te obligandi, & observandi pactum post acceptam pecuniam, peccas quidem graviter, utpote inducens alterum ad malum, & ponens opus externum simoniacum, sed non committitur simonia conventionalis, quia non habetur vera conventio: Suar. Less. n. 11. contra Nav. apud Croix n. 200.

Si promittas temporale sub conditione, *Si alter ponat spirituale:* tunc, si spirituale cedit etiam in utilitatem ipsiusmet tantum promissarii, non est simonia: sic licite promittere potes servo libertatem, si suscipiat Baptismum; pauperi eleemosynam, si suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ; reo vitam, si ingrediatur Religionem: quia ex una parte nullum imponitur ei onus ex tua promissione conditionata, & ex altera parte ille ponit spirituale cedens in suam tantum utilitatem: Laym. Sanch. l. 1. *Matr.* d. 39. At si illud cederet in utilitatem tuam, aut tertiæ personæ, quamvis aliqui eum Pal. p. 4. speculative loquendo excusent a simonia, tamen in praxi absolute dicenda est simonia ob magnam suspicionem intentionis obligandi; &, si ille repromittat, omnes affirmant, cum sit tunc conventio utrinque onerosa.

III. Simonia realis est, quando pactio utrinque realiter completur traditione rei temporalis, & spiritualis: & censetur etiam realis completa, si data re spirituali detur tantum pars etiam minima pretii temporalis, aut contra, si dato pretio temporali detur quæcumque pars rei spiritualis promissæ: v. g. si pactum fuerit de dandis Ordinibus Minoribus, & unus tantum Ordo sit collatus; vel de duobus Beneficiis pro 20. aureis, & unum tantum Beneficium, & unus nummus tradatur: Sanch. l. 2. *Consil.* c. 3. d. 106. Contra vero, si facta sit traditio solius pretii temporalis, non autem rei spiritualis, nondum reputatur commissa simonia realis, quia nondum est complete talis: Doctores communiter. Si autem facta sit traditio solius rei spiritualis, nondum autem pretii temporalis, Pal. p. 22. n. 5. affirmat, esse simoniam complete realem, ejusque pœnas incurri; sed alii communius cum Less. n. 149. Suar. c. 56. negant, quia significatum vocis pœnalis, cum sit odiosum, debet esse stricte completum, nisi aliud expresse statuatur in jure, & non est stricte completa traditio, nisi sit etiam tradita res temporalis; ideoque infert Fill. quod recipiens simoniace Ordines, vel aliud spirituale, si postea nolit dare temporale promissum, non incurrat censuram, nec alias pœnas latas in simoniacos reales.

De simonia confidentiæ, de simonia juris Ecclesiastici dicam cap. 3. Demum de pœnis simoniacorum dicam distinctius cap. 4.

CAPUT II.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

VIDENDUM: I. Quid, & Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum? II. Quando acquiratur, vel deperdatur?

§. I.

Quid, & Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?

BENEFICIUM Ecclesiasticum est *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter Officium Spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum*, ex cap. *Relatum, de Præbendis.*

Dicitur *Jus perpetuum*, ob duplicem scilicet perpetuitatem beneficio necessariam, & ut perpetuetur in persona provisa, itaut sine causa privari non possit, & ut perpetuetur in seipso, itaut ea mortua exigat, ut alteri conferatur; ideoque dicitur beneficium tunc vacare, non extingui. Hinc beneficia manualia, non sunt vere beneficia, quia non perpetuantur in persona, sed ad nutum auferri possunt etiam sine causa, modo non fiat ex odio, & calumnia, vel cum magno dedecore amori: Sanch. Castr. & alii contra Less. Tales sunt Vicariæ temporales, Cappellaniæ manuales sic fundatæ absque auctoritate Episcopi; si autem auctoritate Episcopi sint creatæ, & dotatæ, dicuntur Vicariæ perpetuæ, & Cappellaniæ collativæ, & vere Beneficia: Garz. Luc. & alii apud Croix l. 4. n. 235. Item pensio (quæ est jus percipiendi fructus ex alieno beneficio) revera non est beneficium, quia, si est imposita ab Episcopo, ordinarie exigit extingui morte beneficiati: si est imposita a Papa, etsi perpetuetur in pensionario, tamen eo mortuo exigit extingui, adeoque nunquam perpetuatur in seipsa: idque verum est non solum de pensione laicali, quæ scilicet datur tantum laico propter ministerium temporale, v. g. cantori, æditúo, patrono, & defensori Ecclesiæ, sed etiam de pensione clericali, sive, quæ fundatur in statu simul, & officio spirituali, quæ proinde dicitur spiritualis, ut quæ datur Concionatori, Coadjutori Episcopi, Parocho, &c. sive quæ fundatur in statu tantum spirituali, quæ proinde dicitur media, ut quæ datur Clerico, ut pauperi, Parocho seni ad sustentationem, causa resignationis, & litis componendæ; hinc nemo potest super pensione promoveri ad Sacros Ordines, nisi erigatur in titulum, instar patrimonii secularis: Croix n. 1119.

Dicitur *Percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ;* quare patrimonium Clerici non est beneficium, cum non sit ex bonis Ecclesiæ. Proventus autem ex bonis Ecclesiæ in quatuor partes dividi cœperunt in Concil. Rom. 1. quarum Prima erat pro mensa Episcopi: Secunda pro fabrica Ecclesiæ: Tertia pro pauperibus: Quarta pro mensa capitulari, ex qua ultima portione, tempore Sylv. Pap. erecta sunt beneficia; quia vero successu temporis portio pauperibus debita confusa est cum portione beneficiatorum, ideo quæritur hic, an beneficiarii sint Domini fructuum beneficii, an vero tantum administratores, & usuarii? de quo agam in de Restit. loco supra cit.

Dicitur *Propter Officium Spirituale;* duo enim oportet in beneficio considerare: Primum est jus officii, seu potestas, & obligatio exercendi functionem spiritualem, v. g. recitandi horas, celebrandi, ministrandi Sacramenta, &c. & est omnino spirituale, nec dicitur beneficium, nisi tantum fundamentaliter, eo quod sit radix, & causa beneficii: Secundum est jus percipiendi certos redditus, seu fructus ex bonis Ecclesiæ; & hoc est proprie Beneficium, quod præsertim in Canonicatibus dici solet Præbenda. Hinc Superioratus Regularium, ut Generalatus, Provincialatus, Prioratus, & alia eorum officia, ac dignitates non sunt in rigore beneficia, quia non habent jus perpetuum percipiendi fructus propter officium, &c. ideoque est quæstio, an pœnæ latæ in obtinentes simoniace beneficia incurrantur etiam ab obtinentibus simoniace officia Regularium? cujus solutionem vide ap. Pal. hic p. 25. n. 1.

Dicitur demum *Auctoritate Ecclesiæ constitutum;* quia nullum esse potest Beneficium Ecclesiasticum, nisi auctoritate Papæ, vel Episcopi sit erectum; quare nec Cappellaniæ laicales sunt beneficia. Quid autem possit Pontifex, quid Episcopus, aut habens jurisdictionem quasi Episcopalem in certo territorio circa erectionem, mutationem, unionem, divisionem, dismembrationem, & suppressionem beneficiorum, v. Croix l. 4. a n. 271.

Illud

Illud hic notandum, Commendas Equitum Jerosolymitarum, etsi Ecclesiasticas, tamen non esse Beneficia; quia licet dentur solis Professis, tamen dantur titulo laico, & pro temporali militiæ ministerio; professio vero est solum conditio, sine qua non; onde nec sunt materia simoniæ: Sanch. Lezan. & alii communiter cum Dian. p. 2. t. 15. r. 54.

Quæres, Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?

Respondeo, Dividi: Primo, In simplex, & duplex. Simplex est, quod solum est institutum ad preces Deo persolvendas, & ad Altaris servitium absque ulla administratione, aut eminentia singulari. Tale est, quod obligat tantum ad Horas Canonicas: item simplex Canonicatus, etiam Ecclesiæ Cathedralis, ex Navar. & Less. item Cappellaniæ collativæ, auctoritate Episcopi, aut Papæ arectæ: item Præstimonia, quæ sunt beneficia instituta pro Clericis, ut studiis vacent, quibus Pius V. addidit pensum recitandi Horas Canonicas, quando dantur in titulum, & vacant morte possidentis; v. Scort. *Theor.* 321.

Duplex beneficium dicitur, quod habet præterea præeminentiam, jurisdictionem, & administrationem Ecclesiasticam. Si sit cum præeminentia, & jurisdictione in foro externo, dicitur Dignitas, ut Papatus, Cardinalatus, Episcopatus, quæ dicuntur Beneficia majora, & quasi culmina dignitatum: item Præpositura, Decanatus, & Abbatiæ, quæ dicuntur Beneficia media. Si sit cum præeminentia, & jurisdictione in foro tantum interno, dicitur Curatum, quod etiam dicitur Beneficium minus, ut Parochi. Si sit cum præeminentia, sed sine jurisdictione, dicitur Personatus, ut Cantoriæ, & similes, quæ honorificum locum habent in Ecclesia, Processionibus, &c. Si sine præeminentia & jurisdictione, sed cum administratione aliqua, dicitur Officium, ut est Commenda Spiritualis, in qua alicui commendatur administratio aliqua spiritualis, & aliter vocatur Vicaria perpetua: item officium Thesaurarii Ecclesiæ, Sacristæ, Primicerii, qui Diaconis præest, Archipresbyteri, qui Presbyterorum curam habet, eorum confessiones audiendo, Custodis, &c. de quibus omnibus standum est consuetudini locorum. In dubio autem, an beneficium sit simplex, an curatum, censeri debet simplex, quia tot sunt qualitates requisitæ ad curatum, ut merito præsumi non debeant, nisi probentur: Gott. Dian. Croix n. 228.

Dividitur secundo, In Beneficium Seculare, & Regulare. Seculare est, quod pro secularibus tantum est institutum, ideoque vacat per professionem Religionis, nisi Papa dispenset; non autem vacat in Novitiatu, neque in Scholasticis Societatis Jesu ante professionem. Beneficium Regulare est, quod pro Regularibus tantum est institutum, ideoque nec potest conferri seculari, nisi Papa dispenset; ex cap. *Cum de beneficio*, *de præb. in 6.* Vide tamen Croix n. 225. ubi etiam not. ex Laur. Beneficium Regulare unius ordinis, vel monasterii non posse conferri Regulari diversi ordinis, aut monasterii. Cæterum in Ecclesia Seculari possunt esse Beneficia Regularia, & in Regulari Secularia; imo in eadem Ecclesia possunt esse duo Capitula, unum seculare, alterum regulare: item collator potest esse Regularis, & Beneficium Seculare, itaut non possit conferri regulari: in dubio autem præsumitur beneficium esse seculare, nisi aliud probetur vel ex sui prima institutione, vel per possessionem pacificam 40. ann. quo tempore completur legitima præscriptio adversus Ecclesiam.

Denique aliud dicitur Beneficium Monoculare, quod scilicet est unicum in Ecclesia, vel unice potest quis conferre. Aliud beneficium titulare, quod scilicet datur in titulum Ordinis.

§. II.

Quomodo acquiratur, vel amittatur Beneficium?

SUPPONO, aliud esse jus in re, seu in beneficio: aliud jus ad rem, seu ad Beneficium: per primum acquiritur actualis potestas utendi, & administrandi beneficium tanquam proprium; per secundum acquiritur tantum jus, & potentia ad illud habendum. His suppositis

I. Acquiritur beneficium per *Collationem*, quæ est concessio Beneficii non patronati facta ex solo jure, & libertate concedentis, unde dicitur Beneficium collativum, & liberum; & in qualibet Diœcesi Episcopus Ordinarius est Collator talium Beneficiorum, nisi ex legitima præscriptione hoc jus alteri competat; supremus vero collator omnium beneficiorum non patronatorum est Papa. In Concordatis autem inter Sedem Apostolicam, & Fridericum Imperatorem, per Constitut. Nicol. V. *Ad Sacræ*, alterni menses collationi Papæ reservantur, scilicet Januarius, Martius, &c. reliqui vero Ordinariis collatoribus relinquuntur, imo, si per tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii nulla dispositio, vel gratia a Papa appareat, Ordinarius conferre potest, & similiter mortuo Papa, quamdiu Sedes vacat: Less. c. 34. Denique, si in ultima nocte mensis Episcopalis Beneficium cœperit vacare, & dubitetur utrum ante, an post mediam noctem, præsumptio juris est pro Ordinario, nisi facta sit etiam provisio a Papa: Gonzal. Barb. & alii.

Collatio Beneficii simplicis ordinarie non prærequirit examen, si notum sit, petentem esse sufficienter literatum: Gonzal. Felin. Less. & alii; putat tamen Pal. p. 11. Episcopum debere conferre digniori, quia aliter violaret justitiam distributivam in re gravi. Collatio Beneficii Curati prærequirit certe examen, & conferri debet digniori, ex Trid. *sess.* 24. *c.* 16. Peccat ergo graviter Episcopus conferens minus digno, etsi non teneatur ad restitutionem, digniori omisso, nisi præcesserit concursus, juxta alibi dicenda. Inter plures vero æque dignos potest conferre, cui libuerit, & quidem omnino gratis, ut constat ex nuper cit. prop. 22. & 26. damnatis ab Alex. VII.

Collatio Beneficii non solum debet fieri gratis, sed etiam libere, itaut sit nulla, si extorta sit per vim, vel metum, uti etiam, si sit subreptitia, & per fraudem obtenta, Garz. Croix num. 384. Debet etiam esse certa ita, ut si non sit determinata ad unam personam, sit invalida: Log. Laym. & alii communiter. Debet etiam esse absoluta; unde non valet: *Confero Parochiam, si intra annum fiat Sacerdos*; nam sic suspenditur collatio; quare debet absolute conferri cum obligatione, ut intra annum fiat Sacerdos: Garz. Croix n. 380. Si autem fundatio Beneficii dicat, ut collatio fiat cum consensu, vel ex consilio alterius, sine hoc facta erit nulla: v. Croix n. 386. Debet demum Collatio fieri personæ a collatore distinctæ; unde Episcopus invalide sibi conferret Beneficium, etiamsi sibi conferret per suum Vicarium generalem, aut Provicarium; quamvis hic posset Vicario conferre: Croix n. 377.

Collatio beneficii non potest fieri ab Episcopo, antequam vacet, imo nec promitti, itaut nulla sit talis promissio etiam jurata: Doctores communiter ex cap. *Tua*, *de Præb.* ne scilicet præbeatur occasio captandi mortem, vel per vias illicitas aperiendi sibi aditum ad beneficia vacatura. Postquam autem vacaverit, conferri potest ab Episcopo intra sex menses a die vacationis cognitæ, aut juris ad conferendum acquisiti, ex cap. *Nulla*, *de Concess. Præb.* & si intervenerit impedimentum, indulgetur iterum semestre integrum, uti etiam a tempore, quo providendus moritur, aut collationem non acceptaverit: Croix n. 379.

Denique, si Episcopus conferat beneficium absenti, non potest, antequam ille acceptet, variare collationem, ex cap. *Si tibi absenti*, *de Præb. in 6.* quia non decet, Episcopum variare. Hinc talis collatio nondum acceptata dat jus ad rem: acceptata vero, vel per se, vel per procuratorem, dat jus in re, etiamsi nondum data sit ei *Possessio*. Requiritur autem *Possessio*, ut tale jus sit efficax, uti etiam aliquando *Investitura*, quæ fieri solet in absentia per annulum, vel impositionem bireti; & loco investituræ quandoque est *Installatio*, seu *Inthronizatio*, assignandum ei proprium stallum.

II. Acquiritur beneficium patronatum per *Præsentationem*, qua patronus beneficii exhibet, seu nominat certam personam ad illud. Hæc præsentatio fit Episcopo, seu ei, ad quem spectat instituere, qui proinde tenetur præsentatum instituere, hoc est concedere ei tale beneficium; præsentatus ergo ante institutionem habet jus ad rem; post institutionem habet jus in re, ad quam inde sequitur possessio, ut supra. Si autem patronus, antequam beneficium vacet, promittat promissione jurata Cajo, se illum præsentaturum, quando vacabit, talis promissio est irrita, & graviter peccaminosa, cum graviter prohibeatur ab Ecclesia, ne detur ansa captandi mortem, &c. Croix n. 302.

Dicitur autem patronus beneficii is, cui ab Ecclesia concessa est potestas præsentandi, eo quod Ecclesiam, Beneficium, aut Cappellam fundaverit, ædificaverit, aut dotaverit cum consensu Diœcesani ex Trident. *sess.* 14. c. 12, & talis potestas dicitur juspatronatus, quod competere

petere potest etiam feminæ, infanti, pupillo, illegitimo, necnon etiam irregulari, non autem infideli, hæretico, aut axcommunicato vitando: Sanch. Garz. & alii communitee. Hoc jus est etiam triplex, laicum, ecclesiasticum, & mixtom: laicum est, noo quod laicis competit, sed quod bonis patrimonialibus est acquisitum: ecclesiasticum est, non quod acclesiasticis competit, sed quod bonis ecclesiasticis est comparatum: ut, si quis pecunia ex bonis Ecclesiæ percepia novam Ecclesiam fundet, ædificet, aot dotet: mixtom est, quod ex patronis laicis simul, & Ecclesiasticis coalescit. Potest autem patronus ecclesiasticus a die cognitæ vacationis beneficii intra sax menses præsentare (uti etiam patronus mixtus) alitet pro illa viea amittit jus præsentandi; patrono vero laico id solum intra quatuor menses permittitur: rursus, si patronus ecclesiasticus præsentet indignum, probabilitee ea vice amittit jus nominandi alium, secus vero patronus laicus: tenetur autem quivis patronus sub gravi præsentare dignum, imo & digniorem absoluta ad beneficium curatum, ex Trid. *sess.* 24. c. 16. Ad beneficium vero simplex variant Doctores: utarque etiam debet præsentare intra 20. dies ad beneficium coratum ex Bull. Pii V. & uterque nequit præsentare, si sit hæretieus, aut excommunicatus vitandus: de tolerato variant Doctores apud Sanch. l. 3. *Matr.* d. 22. n. 31. Deoique patronus Ecclesiasticus, postquam aliquem præsentavit, non potest variare præsentando alium; patronus vero laicus potest deinde alium præsantare, non quidem excludendo primum, sed relinquendo arbitrio Episcopi, utrum illorum velit instituera: Less. & alii. Illud autem hic notandum, juspatronatus aliquando esse personale, eo quod tali personæ est affixum, & hoc sine consenso Episcopi non potest per donationem transire ad laicum: aliquando esse reale, eo quod tali rei sit affixum, & ratione talis rei potest per accidens transire ad emptorem: ita tamen, ut non vendatue pluris res illa ob juspatronatus ei affixum, juxta dicenda cap. 3.

Patronus non potest præsentare seipsum ad beneficium, ex cap. *Per nostras, de Jure patr.* imo nec Procurator, aut Substitutus poterune seipsos, aut patronum præsentare, ex cap. *Didicimus*, 24. q. 1. poterunt tamen, si plures sint patroni, unus præsentare alium, qoi, si consentiat, hic consensus facit, ut habeat duo vota; item, si patronus sit pauper, & beneficium sit simplex, potest ab ordinario pee viam deprecatioois illud obtinere: Abb. Luc. Croix num. 316. Denique debet patronus præsentare personam non habentem impedimeotum canonicum, juxta dicenda.

III. Acquiritur beneficium per *Electionem*, quæ fit ab aliqua Communitate habente jus eligendi pee suffragia aliquem ad beneficium, quod proinda dicitue electivum. Si ergo persona electa nullum habeat impedimentum canonicum, tunc absolute dicitur electio, & dat jus ad rem, cui ordinarie succedere debet confirmatio Superioris, quæ dat jus in re; si vero habeat aliquod impedimentum canonicum, tunc non dicitue electio, sed *Postulatio*, qua scilicet Electores postulant a Superiore, ut dispenset in impedimento; ideoque, antequam admittator postulatio, possuot Electores variare, & alium eligere. Noo potest aotem electio, aut postulatio valide fieri, antequam vacet Beneficium; imo illicite fieret, valide tamen, ante sepulturam beneficiati defuncti; quamvis licite tunc fieret præsentatio, & collatio: Croix num. 307. Denique inter alactores invalide qois dat sibi suffragiom; item excommunicatus vitandus non habet jus suffragii, uti nec interdictus denunciatus, nee suspensus ab Officio: quare si scientee admittatur, electio est nulla: Croix n. 401.

Electio fieri potest Primo, Per scrutiniom secretum, sive per sottes, sive per calculos, aut fabas, sive ad aurem: Secundo, Per compromissum, si scilicet Electores communi consensu aliquibus Clericis idoneis committant, ut eligant, quem judicaverint aptiorem: Tertio, Per communem inspirationem, nemine non consentiente in eandem personam. In electione requiritur majoritas votorum absolure, seu respective ad totum capitulum, itaut, si in capitulo sint 12. debeat valide electus habere plura, quam sex vota, ex cap. *Ecclesia* 48. non sic aotem in præsentatione, in qua, si plores patroni plures nominent, ille prævalet, qui a pluribus respectiva ad alios nominatur: v. Croix n. 312. Votom autem datom extra Capitulum per literas non valet; si ergo quis ex legitima causa sit absens, potest dare votom per procuratorem, ex cap. *Si quis justo, de Elect.* exeepto Capitulo Regularium, ex Trid. *sess.* 25. c. 8. Ceterum pro præsentibus habentut etiam legitima impediti in vicinia loci electionis, & ad eos mitti debent scrutatores pro audiendo voto: Croix a n. 390. ubi plura in hanc rem habebis.

Quæres primo, Quis sit inhabilis ad acquirendum Beneficium?

Respondeo, Esse inhabilem laicum, & Religiosum (excepto Professo militari) Clericum uxoratum, Excommonicatum excommunicatione majori, etsi toleratum, & irregularem, sive ax delicto, sive ex defectu: idemque est de inhabili ad acquirendam pensionem clericalem, juxta suse dicenda io de Censuris. Noto tamen, quod, quamvis præsentatio, aut electio alicujus non actu Clerici sit ipso jure nulla, nec validetur per supervanientem Clericatum, (quod verum est etiam de tonsurato ab alieno Episcopo sine dimissoriis) tamen posset laicus præsentari in tempus habile, dicendo sic: *Præsento hunc, quamprimum fuerit tonsuratus:* vel, *Præsento, & peto ei dari tonsuram, dummodo hanc recipiat intra tempus præsentatori concessum:* Croix n. 742. ubi etiam ex aliis ait, quod, si quis præseotetur per literas, satis est, esse Clericum, quando præsentatio axhibetur: item Rotam aliquando resolvisse, quod sufficiat, si præsentandus fuerit proxime clericandus, quia tunc non est penitus iodignus, cum anta institutiooem sit tonsuratus; item, fuodatorem Beneficii posse disponeee, ut infans usque ad Cleticatum habeat illud titulo secolari, item Papam posse concedere Beneficiom laicis, & feminis. Quid autem possit Episcopus dispensare super irregulares ex defectu ætatis, & illegitimitatis, dicetur in Tract. eit. de Censur.

Quæres secundo, Quomodo amittatue, seu vacet Beneficiom?

Respondeo: Amitti primo, Per mortem Beneficiati naturalem: Secundo, Pee mortem eivilem, seu professiooem Religiosam, per quam ipso jure vacant omnia Beneficia in saculo obtenta, cap. *Beneficium de Reg. in 6.* item jus ad Beneficium, & pensiones ecclesiasticæ: Lug. & alii: idemqoe est de Coadjutoribus formatis in Societata Jesu: Tertio, Pee militiam secularem, si tamen exercuerit militaria; secus probabile est non vacare ipso jure: Azor. & alii; addit etiam Barb. Clericum in Sacris venire tantum privaodum: Quarto, Per matrimonium, etiamsi tantum ratum, ex cap. 1. & 3. *de Cler. conjug.* pee sponsalia autem venire tantum privandum, ait Less. v. Croix n. 931. Qointo, Per commissionem criminis, cui amissio Beneficii ipso jure est adoexa, ut est hæresis, schisma, sodomia sæpius exarcita: v. Croix a n. 940. obi habentue alia etiam delicta, ob quæ amittitur Beneficium post sententiam Judicis: Sexto, Per liberam resignationam, hoc est spootaoeam proprii Beneficii renunciationem factam coram legitimo soperiore eam acceptante. Hæc si fiat coram Episcopo, aut Prælato Papa inferiore, debet esse clara, & absolota; qoamvis probabiliter fieri possit modo non obligatorio, sed tantum deprecatorio in favorem tertii, juxta diceoda c. 3. Septimo demum, Ob novum Beneficium incompatibile simplicitee cum priore. Porro de hoc

Quæres tertio, Quæ sint beneficia incompatibilia, itaut neqoeat quis plura eorum simul habere?

Respondeo, essa talia tripliciter: Primo, Ex munere: Secundo, Ex Jure: Tertio, Ex Persona: Pal. hic d. 6. p. x. §. 6.

I. Ex munere, seu officia sont incompatibilia, qoæ officia habent incompatibilia simul, ut duo beneficia curata, vel obligantia ad residentias diversas, val quid simile. Qua in re pro certo tenendom, contra Nav. Less. Genueos. &c. vacare ipso jure, quodeumque Beneficium etiam simplex axpostulans præcisam residentiam, per obtentionem pacificam secundi incompatibilis, ut ex *plurib. decisionib. Rota, & S. C. declarationibus* testaror Gonzal. apud Pal. ibid. quia Trid. *sess.* 7. *c. 4. de Refor.* axpresse decernit, *Plura beneficia curata, aut alias incompatibilia retineri non posse.* Hinc, si utrumque retinere præsumpseris, privaris utroque; quia Trident. absque distinctiooe primi, vel secundi dicit, te esse Beneficiis privatum ipso jure: Pal. ibid.

II. Ex jure sont, quæ licet cæteroqoi compatibilia ex munere, jus tamen vult incompatibilia: ut sunt Primo, doo Beneficia simplicia uniformia in eadem Ecclesia, seu sub eodem tecto, ut loquitur cap. *Literas, de Concess. Præb. & Clem. fin. eodem tit.* talia sunt sita

in

in eadem Ecclesia, Cappella, seu Cœmeterio illi contiguo, & habent idem omnino ministerium, & exercitium, & eandem Congregationem constituunt: non sic autem, quæ diversa munera obeunt (v. g. si una Cappellania instituta est cum obligatione dicendi singulis mensibus 14. missas, alia cum obligatione dicendi duas, aut aliud onus subeat) nam sunt difformia. Itaque uniformia sub eodem tecto utraque vacant ipso jure, si ea simul retinere præsumpseris: Pal. ibid. Secundo, ex Jure compati etiam nequeunt quævis alia Beneficia cum Episcopatu (non quidem mere titulari, sed frugifero) vel cum Abbatia habente jurisdictionem quasi Episcopalem, itaut omnia antecedentia ipso jure vacent, si promovearis ad illum, post ejus pacificam possessionem, ex Trid. *sess.* 7. cap. 9. & cap. *Licet Episcopus*, *de Præb. in 6.* Quid autem in hoc possit Papa, præsertim de Beneficiis conferendis post adeptionem Episcopatus, v. Croix hic n. *996.*

III. Ex Persona incompatibilia sunt, si alterum eorum *Sufficiat ad ejus vitam honeste substentandam*, ex Trid. *sess.* 24. c. 17. *de Reform.* spectata scilicet ejus personæ, & Beneficii ipsius qualitate prudentis arbitrio designandum; Beneficiato enim simplici minus designari debet, quam Canonico, & Canonico minus, quam Dignitati, & Dignitati minus, quam Episcopo: item Beneficiato infimæ sortis minus, quam nobili, illiterato minus, quam docto, & hæc ex usu, & consuetudine timoratorum juxta alibi dicta.

Itaque, si duo Beneficia, quæ habes, non possunt singula, seu unita simul ad talem substentationem sufficere, poteris retinere absque dispensatione, modo non sint incompatibilia munere, vel jure juxta modo dicta; & modo etiam non sint plusquam duo; nam triplex in una Ecclesia jure ipso prohibetur, & absque Pontificis dispensatione nequis simul habere. Si autem unum eorum sufficiens sit, non potes absque Pontificis dispensatione alterum sufficiens simul retinere, ex Trid. cit. Si ergo Ordinarius de facto conferat Beneficium sufficiens tibi habenti alterum sufficiens, teneris primum resignare; quamvis enim non vacet ipso jure, venit tamen vacandum: Pal. num. 10.: si autem velis retinere utrumque, nulla erit ab Episcopo collatio posterioris, utpote in persona inhabili, & incapaci: Pal. ibid. Si autem tibi habenti sufficiens, alterum non sufficiens conferat, primum sufficiens non vacat ipso jure, venit tamen vacandum: Idem ib. Contra vero, si tibi habenti insufficiens conferat aliud sufficiens; Idem ib. contra Garz. probabilius putat, alio obtento non vacare primum, ex Trid. cit.

Nota demum: Beneficium litigiosum vacat ipso facto obtentione pacifica secundi incompatibilis; quia nulla est ratio, quare retineas: Pal. ibid. Contra vero non vacat primum pacificum obtentione secundi litigiosi, ne scilicet periculum subeas manendi absque ullo: id. ibid. Si vero obtento titulo unius, ante ejus possessionem, obtineas secundum litigiosum, & durante litigio secundi accipias possessionem primi, probabilius ex Pal. ibid. non vacat ipso jure secundum litigiosum; quia jus solum induxit vacationem primi obtentione pacifica secundi; quod non de sola possessione, sed de possessione, & titulo intelligendum est. Si autem duo incompatibilia ex dispensatione habeas, iisque retentis, aliud litigiosum tibi collatum sit, nulla est hæc collatio sine dispensatione Pontificis, ex cap. *Ordinarii*, *de Off. ord. in 6.* Denique, si electo tantum, vel tantum præsentato ad Beneficium Parochiale conferatur aliud Beneficium incompatibile, vacat ipso jure primum (modo expeditæ sint jam literæ, & Capitulo ostensæ) quamvis secundi possessionem nondum acceperis: Pal. ibid. ex *Clem. Gratiæ*, *de Reserv.*

CAPUT III.

Quid de Simonia in materia Beneficiaria?

IN materia Beneficiaria alia est simonia juris divini, ac naturalis, quæ scilicet prohibite est, quie intrinsece mala, ut venditio officii spiritualis, propter quod datur beneficium, & ex communi sententia contra Canonistas venditio ipsius Beneficii, cum ex proposit. 22. damnata ab Alex. VII. contra justitiam sit illud non conferre gratis, adeoque contra Jus naturæ; unde nec potest Pontifex in hoc dispensare, nisi prius illud separet, ut potest, ab officio spirituali, & sic illud extinguere.

Alia est simonie juris mere Ecclesiastici, quæ scilicet mala est, quia prohibita est ab Ecclesia ex motivo Religionis, & hæc maxime versatur circa Beneficia, Ordines, & Professionem Religiosam. Quare simoniacum est jure saltem Ecclesiastico quodcumque pactum, conditio, aut modus appositus in collatione, præsentatione, electione, institutione, investitura, aliave provisione Beneficii: Doctores communiter ex cap. ult. *de Pactis*, & cap. *Quæsitum*. Imo simonia etiam juris saltem Ecclesiastici est dare aliquid Titio, ut intercedat, seu roget collatorem ad conferendum tibi, vel amico Beneficium, ex Extrav. *Cum detestabile*, *de Sim.* quia eo pretio paratur via ad Beneficium; idemque est de pecunia data intercessori apud patronum, electorem, ut præsenteris, eligaris, &c. Si autem des aliquid Titio, ut intercedat apud Cajum, qui postea gratis intercedat apud Episcopum collatorem Beneficii, aliqui apud Dian. p. 4. t. 4. r. 151. censent, non esse simoniam, quia eo pretio emitur tantum intercessio mediata, ac remota ad Beneficium; sed longe probabilius, & omnino tenendum est oppositum; quia, cum intercessio illa mediata sit etiam causa moralis obtinendi Beneficium, hoc per eam virtualiter emitur: Croix num. *90.* & alii communius. Si autem des aliquid Intercessori, sive mediato, sive immediato, non quidem pro intercessione, sed pro labore, lucro cessante, damno emergente, dispendio temporis, &c. in eundo, & redeundo, non est simonia, quia ista sunt quid temporale omnino extrinsecum: Croix n. *91.* & alii communiter: idemque est, si quid des Titio, non ut intercedat, sed ut aditum aperiat, facilem ingressum concedat, vel ut certiorem te faciat de primo Beneficio vacante, aut Episcopum de tuis meritis; quamvis hoc ultimum sit in praxi valde periculosum; Suar. Azor. Sanch. Bonac. & alii.

Quæres primo, An sit simonie dare aliquid ad redimendam vexationem in materia Beneficiaria?

Respondeo, Esse simoniam juris naturalis, si des aliquid ad redimendam vexationem justam: puta, ne tibi juste denegetur beneficium, ne juste manifestentur Episcopo tui defectus occulti, &c. ne alius competens concurrat ad Beneficium: Doctores communiter cum D. Thom. contra Pasqual. apud Croix lib. 3. part. 1. n. 142. Si autem des ad redimendam vexationem injustam, tunc distinguendum: si, cui das, potest tibi obesse simul, & prodesse relate ad beneficium, v. g. das Episcopo, qui potens tibi digno conferre Beneficium, vellet conferre indigno, est simonia juris Ecclesiastici, ex cap. *Sicut tuus*, *de Sim.* quia vexatio in hoc casu, nihil aliud est, quam negatio collationis Beneficii, adeoque dans pecuniam, ut ea vexatio tollatur, das, ut tibi conferatur Beneficium. Dixi, *Relate ad Beneficium*; nam relate ad alia, puta ad baptismum, absolutionem, &c. non est simonia, juxta dicta c. 1. imo neque relate ad Beneficium, si des aliquid Episcopo, non quatenus tibi prodesse potest, sed quatenus est persona privata volens te infamare, subornare electores, &c. quia sic potest tantum obesse. Itaque non est simonia, si des temporale ad redimendam vexationem injustam ab eo, qui potest tantum obesse etiam relate ad Beneficium, quia sic vere non das pro Beneficio, sed pro amovenda injuria: potes ergo dare temporale Titio, ne subornet Episcopum ad conferendum Beneficium Cajo minus, aut æque, ac tu, digno, vel ne te injuste infamet apud Episcopum, vel ne precibus, aut muneribus pervertat illum in te propensum, vel ne te injuste detineat, ne concurras, vel ut testetur apud illum veritatem: Suar. Less. Bonac. & alii. Noto tamen, quod, si in his casibus des aliquid spirituale, puta, des Beneficium, ne quis tibi mortem injuste inferat, ne injuste impediat assequutionem beneficii pinguioris, &c. committis simoniam juris naturalis, quia das spirituale pro temporali, hoc est pro tollenda vexatione injusta: Bonac. & alii communiter. An autem sit simonia, dare aliquid ad redimendam vexationem injustam ab Episcopo, qui post institutionem inique nolit dare possessionem Beneficii, est dubium: Probabiliter negant Suar. Less. & alii: ex cap. *Dilectus*, *de Sim.* quia beneficii possessio secundum se non est aliquod jus spirituale, quod supponit, sed est factum temporale. Sed probabilius affirmant Sot. Bon. & alii, quia possessio saltem reddit jus in re firmum, & efficax; secus vero dicendum, si Episcopus inique vellet deturbare te a possessione jam obtenta, quia sic nihil spirituale redimitur: DD. commun. contra Hugol.

Quæres secundo, Quando sit Simoniaca permutatio Beneficiorum?

Re-

Respondeo, quamvis non sit Simoniaca permutatio rei spiritualis cum spirituali, ut jurispatronatus cum alio, tamen permutationem unius Beneficii cum alio factam propria auctoritate inter ipsos Beneficiarios esse Simoniam juris Ecclesiastici, ex cap. *Majoribus*, *de Prabend.* possunt tamen se invicem obligare ad permutandum sub conditione, *Si Superior consentiat*: Suar. & alii communiter. Itaque requiritur ad permutationem Beneficii auctoritas Papæ: quando utrumque Beneficium, vel saltem alterutrum eorum est ei reservatum, ut sunt quædam dignitates: item quodvis Beneficium non Patronatum vacans in mense Papali, eo vivente, aut vacans per obitum Beneficiarii in Curia Romana, vel Curialis Papæ ubicumque moriatur, aut vacans in pœnam delicti per sententiam declaratoriam criminis. Si autem Beneficia non sint reservata, sufficit ad permutationem auctoritas Episcopi, ad quem eorum collatio pertinet, ex cap. *Quæsitum*, *De rer. permut.* quod, si Beneficia sint in diversis Diœcesibus, utrinsque Episcopi auctoritas requiritur: Suar. Sanch. & alii communiter: uti etiam requiritur consensus saltem quæsitus, etsi injuste negatus, Patronorum, vel Electorum, si Beneficia sint patronata, vel electiva: Croix l. 4. n. 1091. At permutatio jurium ad Beneficia, v. g. inter duos tantum præsentatos, aut electos requirit omnino auctoritatem Papæ, quia lex solum concedit Episcopo permutationem Beneficiorum jam obtentorum: Sanch. Fel. & alii: idem est de permutatione Beneficii cum pensione, jurepatronatus, aliave re spirituali alterius; & de permutatione beneficiorum compensata fructuum inæqualitate, vel pensione imposita extra casum litis componendæ; & de permutatione cum pacto, ut recipiens pinguius Beneficium solvat expensas, aut Bullas utriusque, quia permutatio apud Episcopum fieri tantum potest absolute; neque is extra casum litis componendæ imponere potest onera, & pensiones in Beneficiis.

Quæres tertio, Quando sit simoniaca resignatio Beneficii?

Respondeo, Esse simoniacam, si fiat coram Episcopo cum pacto, ut sibi solvatur pensio, aut ut illud conferatur tertio; quia resignatio coram Episcopo fieri debet pure, & absolute, & sic Episcopus valide acceptat, & confert alteri quocumque mense: Croix n. 511. licitum tamen est resignanti offerre humiles preces, ut illud conferat tertio, si ei placuerit. Similiter simoniacæ sunt coram Episcopo resignationes reciprocæ, v. g. *Ego resigno Beneficium tuo amico, & tu tuum meo nepoti*: item resignationes triangulares, aut quadriangulares, v. g. *Ego resigno Beneficium meum Cajo, Cajus suum Titio, & Titius suum mihi*, &c. Bon. Less. & alii communiter. Censet Covar. Episcopum posse acceptare resignationem factam in favorem tertii, rejecta hac clausula, tamquam turpi: atque adeo, cui maluerit, Beneficium illud conferre; sed Sanch. docet, talem resignationem post motum Pii V. *Quanta Ecclesia*, esse simpliciter irritam, & nullam. At si resignatio in favorem Tertii, vel cum reservatione pensionis fiat coram Papa, erit licita; quia ejus præsentia, ut loquitur Rebuff. simoniam juris humani purgat, & veluti sol tenebras dispellit. Cæterum, si quis in infirmitate constitutus resignaverit sive in Curia Romana, sive extra illam, & postea intra 20. dies de ipsa infirmitate decesserit, nulla est ejus collatio intra id tempus facta: Doctores communiter ex Reg. Cancell.

Quæ dicta sunt de permutatione, & resignatione, dic pariter de transactione in materia Beneficiaria, qua scilicet ad litem dirimenda fit pactio, ut alter beneficium v. g. dubium pacifice possideat, alteri vero aliquid solvat; si enim id fiat auctoritate propria litigantium, est simonia ex cap. *Cum quidem*, *de Pactis*; secus vero, si fiat auctoritate Episcopi, ex cap. *Nisi esset*, *de prabend.* qui tunc posset etiam pensionem imponere ob bonum pacis, quamvis ob alias causas non possit: Suar. cap. 11. addens probabiliter, transactionem fieri posse per arbitros electos ab ipsis colligantibus, quia hoc ipso, quod eliguntur, habent a jure auctoritatem, ex cap. *De arbitris*.

Quæres quarto, Quando committatur simonia confidentialis, seu confidentia beneficiaria?

Respondeo, Ex Bull. Pii V. *Intolerabilis* 6. Aug. 1579. committi, cum quis sine expressa licentia Papæ resignat, præsentat, eligit, confirmat, instituit, aut confert alteri Beneficium cum certa confidentia, ut ab eo postea sibi, vel alii illud renuncietur, aut detur pensio, aut pars fructuum ejusdem Beneficii: & committitur, sive per accessum, cum scilicet hac confidentia præsentas, confers, &c. alteri beneficium, sive per ingressum, cum scilicet eadem confidentia procuras alteri Beneficium, quod nondum pacifice possides; sive per regressum, cum scilicet eadem confidentia resignas alteri Beneficium possessum. Porro, si talis confidentia nullo pacto manifestetur alteri, erit simonia confidentiæ solum mentalis; si aliquo pacto manifestetur alteri expresse, erit conventionalis; si demum ultra manifestationem sequuta sit resignatio, præsentatio, collatio &c. Beneficii, erit simonia confidentialis realis, etiamsi ex parte alterius nondum sequuta sit renunciatio, aut solutio pensionum, aut fructuum illius Beneficii; & in hoc differt hæc simonia a reliquis realibus, habetque pœnas speciales, de quibus infra.

Quæres quinto, Quando committatur simonia in iis, quæ non sunt proprie Beneficia?

Respondeo, Capellanias manuales, commendas Militares, administrationes hospitalium sine auctoritate Episcopi erectorum posse pecunia obtineri sine ulla simonia: Gonzal. Pal. & alii; qui tamen notant, non posse sine Injustitia vendi, quippe quæ gratis sunt conferenda: contra vero est simonia juris naturalis emere commendam spiritualem, coadjutoriam spiritualem, administrationem spiritualem Hospitalium auctoritate Episcopi erectorum. At emere horum administrationem temporalem, uti etiam officia Œconomi, Sacristæ, Custodis, Thesaurarii, & similium administrantium res Ecclesiasticas, est simonia juris Ecclesiastici, si exerceri soleant per Clericos; secus vero, si exerceri soleant etiam per laicos: Croix num. 197. ex cap. *Salvator* 1. q. 3.

Item emere officia Regularium est simonia juris naturalis; at probabilius nulla est simonia, si duo Religiosi inter se conveniant, ut se invicem eligant in Superiores, quia non sunt proprie beneficia: Sanch. apud Dian. p. 4. t. 4. res. 156. contra Peregr. & alios. Item, si Episcopus vendat suam judicaturam relate ad Clericos, est simonia juris naturalis; at nulla est simonia, licet sit injustitia, si vendat judicaturam temporalem relate ad laicos, in quos habet dominium temporale Episcopatui adnexum, quia per accidens adnectitur: Pal. p. 12. pro dispensationibus autem, si sit consuetudo, Episcopus tantum exigere potest pecuniam per modum sustentationis, aut mulctæ, ne facile jus commune relaxetur, ex Trid. *sess.* 25. c. 18. Item simonia juris naturalis est vendere jus patronatus, cum procedat a potestate spirituali Ecclesiæ: si ergo sit personale, seu personæ affixum, simoniace venditur, aut locatur, & invalide, quamvis non simoniace, donatur laico sine consensu Episcopi, ex *Decis. Rot.* apud Barb. si vero sit reale, seu affixum rei, potest hæc vendi, sicque illud transire ad emptorem: item transit ad conductorem, si res locetur ad longum tempus, ut decennium: secus, si ad modicum: Abb. & alii: Si tamen pluris res venderetur ratione juris, est simonia, & amittitur jus, & pretium ei respondens: Croix l. 3. p. 1. n. 129. Denique venditio pensionis, sive laicalis, sive Clericalis, ex stylo Curiæ Romanæ requirentis auctoritatem Papæ, est simonia juris saltem Ecclesiastici: item pactum de ea redimenda, quando agitur de ea obtinenda, cum tunc esset pactum circa ipsum Beneficium. At probabile est, posse postea redimi a Beneficiario certa pecunia, quæ esset veluti anticipata solutio pensionum futurarum: item probabile est, pensionarium posse retento jure pensionum transferre totum commodum temporale in alium, quamvis non pro pretio, cum id prohibeat Pontifex: v. Croix l. 4. n. 1182.

CAPUT IV.

Quid de pœnis Simoniacorum?

SOLA simonia realis, & confidentialis in Beneficio, Ordine, & professione Religiosa inducit ipso facto pœnas juris, quæ sunt tres, & prima est excommunicatio ipso facto reservata Papæ, a qua nullus privilegiatus extra Urbem intra Italiam absolvere potest, imo nec Episcopus, nisi delictum sit occultum, juxta dicenda in de Censuris. At non incurritur, nisi ob simoniam realem, aut confidentialem, in Beneficio, Ordine, & professione Religiosa. Itaque completa simonia reali hanc pœnam incurrit tum dans, tum accipient

cipiens, tum mediator, nisi excuset ignorantia: completa simonia confidentiali per solam receptionem Beneficii, non incurrit hanc pœnam dans, neque mediator, sed tantum recipiens (si sit inferior Episcopo; si enim sit Episcopus, incurrit tantum interdictum ab ingressu Ecclesiæ: Suar. & alii) modo certo animadverterit verum animum confidentialem dantis, quia sic recipiendo intervenit pactum tacitum, & implicitum, etiamsi receperit sine animo annuendi illi, ut probabilius docet Bonac. ex Bul. Pii IV. *Etiamsi sola dimittentis intentione receperit*. Completa simonia reali in Ordine, vel prima Tonsura incurrit hanc pœnam tum Ordinans, tum Ordinatus, tum Mediator; & insuper Ordinans suspenditur a Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ, ordinatus vero ab ordine suscepto, & a suscipiendis, ex Bull. Sixti V. Completa simonia reali in professione Religiosa (non autem in admissione ad novitiatum, si factum ante professione retractetur) itaut vendita sit ipsa professio, incurrit hanc pœnam tum admittens, tum admissus ad professionem, non autem mediator; quod si admittens sit Capitulum, suspenditur, ex cap. *Sane, de Sim.*

II. Pœna est Nullitas actus simoniaci, & hæc solum est in simonia reali, vel confidentiali Beneficii, ex cap. *Sicut*, & cap. *Matth. de Sim.* Ideoque Beneficium sic obtentum est ipso jure nullum, & vacans, & reservatum Papæ, etsi crimen simoniæ sit occultissimum, in quo casu, quamvis Beneficiarius non teneatur se infamare, tenetur tamen quæsito prætextu, aut colore beneficium cum fructibus perceptis dimittere, vel a S. Pœnitentiaria dispensationem obtinere; idque verum est, etiamsi simonia facta sit a tertia persona inscio Beneficiario (dummodo ea persona id non fecerit in odium Beneficiarii, aut ipso contradicente) quia ignorantia, etsi excuset a culpa, non tamen ab invaliditate actus: potest tamen hic elapso bona fide triennio gaudere regula triennalis possessionis, itaut turbari nequeat circa illud Beneficium. Imo si beneficium sit simplex, potest Episcopus post factam liberam ejus resignationem dispensare cum illo, qui bona fide processit, eidemque statim illud iterum conferre: Croix, Pal. & alii: si autem simonia fuerit tantum materialis, itaut bona fide processerint omnes ignorantes peccatum simoniæ, probabiliter beneficium valet: Less. & alii. Nota demum, quod recipiens per simoniam confidentialem Beneficium incurrit etiam inhabilitatem ad illud iterum, & ad alia obtinenda, & privationem omnium beneficiorum, & pensionum quamvis post sententiam declaratoriam criminis: Pal. & alii contra nonnullos.

III. Pœna est Onus restituendi. Et primo, Pretium simoniace acceptum, si res spiritualis nondum sit tradita, in conscientia restituendum est danti, cum contractus de re illicita sit nullus: idem est, etiamsi tradita sit res spiritualis, si hæc nullum ferat incommodum temporale tradenti, excepto tamen pretio collationis Beneficii, quod ex cap. *De hoc, de Sim.* dandum est probabilius Ecclesiæ, vel pauperibus: DD. communiter contra Dian. Moy. & alios. At, si res spiritualis ferat incommodum temporale tradenti, non est in conscientia restituendum pretium, nisi in simonia Beneficiaria, puta, si accepisti pretium pro resignatione proprii Beneficii, ex c. *Cum detestabile de Sim.* Secundo, Res spiritualis simoniace accepta non est in conscientia restituenda, nisi post sententiam Judicis, quia absolute, & gratis est collata ex voluntate supremi Domini. Excipe tamen Beneficium simoniace acceptum, quod in conscientia dimitti debet una cum fructibus perceptis, nec redit ad simoniace resignantem, quia vacat ipso jure; idque verum est non solum, si simonia sit juris naturalis ex omnium sententia; sed etiam, si sit juris Ecclesiastici: Doctores communius contra Pal. Sanch., & alios.

Verum de his restitutionibus, uti etiam de oneribus Beneficiatorum, nec non de fructibus Beneficiorum fusius, Deo dante, in de Restit. De Contractibus autem huc usque dixisse sit satis.



TRA-

TRACTATUS IV.

Theologico-Moralis

DE RESTITUTIONE.

NIVERSAM hanc tractationem tam multiplicem, tam variam, tamque implexis casibus passim expositam in duas disputationes distribuam, quarum prior erit De Restitutione in genere, posterior De Restitutione in specie.

DISPUTATIO I.

De Restitutione in genere.

OCTO quæstiones hæc disputatio continet: I. est De Jure, & Injuria: II. De Natura Restitutionis: III. De Radicibus Restitutionis: IV. De Re restituenda: V. De Persona restituente: VI. De Persona, cui restituendum: VII. De Circumstantiis Restitutionis: VIII. De Causis excusantibus a Restitutione.

QUÆSTIO I.

De Jure, & Injuria,

CUM restituere sit reparare jus læsum alterius, nequit digne tractari de restitutione, quin ei præmittatur notitia juris, dominii, & injuriæ. Itaque videndum hic I. Quid, & quotuplex sit jus, & injuria? II. Quid, & quotuplex sit dominium? III. Quomodo acquiratur dominium?

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit jus, & injuria?

JUs per apocopen idem est, ac justum. Hinc accipitur I. Pro Lege, quæ est regula justi; & sic dividitur in naturale, & positivum. Jus naturale est *Lex necessario orta a natura*; cui etiam adhæret Jus gentium, seu *Lex, quam omnes nationes amplectuntur*: Jus positivum est *Lex orta a libera voluntate Legislatoris*; sive is sit Deus, quo modo dicitur jus positivum Divinum; sive sit homo, quo modo dicitur Jus humanum, quod vel est Civile, vel Canonicum, seu Ecclesiasticum. Porro ex jure sic accepto derivatur jurisdictio, quod est *Dominium politicum Superioris in subditos, quos legibus gubernat in ipsorum commodum.*

II. Accipitur jus pro facultate circa rem aliquam in proprium commodum; & sic dividitur in jus latum, seu improprie dictum, & jus strictum, ac proprie dictum. Primum est, quod non respicitur a justitia, sed ab aliis virtutibus: tale est jus, quod habent parentes ad obedientiam filiorum, majores ad obsequia minorum, benefactores ad remunerationem pro collatis beneficiis, cives ad officia publica, &c. hæc enim non debentur ex justitia, sed ex pietate, observantia, gratitudine, congruitate, &c. ideoque ad hæc habetur jus valde latum, & improprie dictum. Secundum est, quod respicitur a justitia, ideoque, si lædatur, committitur injustitia, & rigorosa injuria per restitutionem reparanda, & de hoc loquimur in præsenti. Itaque

Quæres primo, Quid sit jus strictum?

Respondeo, Est *Facultas legitima disponendi de re in proprium commodum, & obligandi alios, ne huic facultati contraveniant.*

Explico definitionem: Dicitur primo, *Facultas legitima*, hoc est moralis, seu a lege concessa; quod enim secundum legem non competit, non est jus, sed vis, & injuria: Less. l. 2. c. 2. num. 3. Dicitur secundo, *Disponendi de re*, sive corporea, qualis est ager, vestis, pecunia, servus, &c. sive incorporea, qualis est census, redditus, creditum, actio, omissio actionis, &c. Dicitur tertio *In proprium commodum*; unde vocatur etiam jus proprietatis; differtque in hoc a jure jurisdictionis, quod præcipue disponere debet in commodum subditorum, quamvis ob honorem, & alia commoda sibi adnexa participet etiam de jure proprietatis, itaut injuste impediretur Princeps ab usu, & exercitio suæ jurisdictionis. Dicitur demum, *Et impediendi alios, &c.* quia hujus juris natura est favere uni, & gravare alios, ne scilicet eo invito disponant de re sua, neve illum a sua dispositione impediant, in quo stat justitia reddens unicuique jus suum: & e contra injustitia, seu injuria realis lædens jus strictum alterius.

Hinc tale jus dicitur activum, tum quia potest disponere de re, tum quia obligat alios, ne eo invito disponant: eique proinde respondet jus passivum in aliis, seu obligatio, ne ei controveniant, itant, si eo invito disponant, aut impediant, faciant ei injuriam strictam, seu injustitiam; ideoque teneantur ad restitutionem.

Quæres secundo, Quotuplex sit jus strictum, seu proprietatis?

Respondeo, Esse duplex: alterum inchoatum, quod dicitur *Jus ad rem*: alterum actuale, quod dicitur *Jus in re*. Jus ad rem est *Facultas legitima disponendi, nondum quidem immediate de re, sed de persona aliqua in ordine ad ipsam rem*: tale jus habet donatarius, vel emptor ante rei traditionem, v. g. emisti servum a Titio, qui tamen, antequam tradat tibi, eum vendit, ac tradit Cajo; tu habes jus strictum, sed ad rem; quia potes legitime agere in personam Titii de damno in ordine ad talem servum; at non potes hunc tibi vindicare, unde diceris habere tantum actionem personalem. Jus in re est *Facultas legitima immediate disponendi de ipsa re*; ideoque parit actionem realem, qua potes rem, ubicumque sit, tibi vendicare; & hoc idem est, ac dominium; quod etiam dividitur in dominium perfectum, & imperfectum, & rursus imperfectum vel est directum, vel utile, seu ususfructus, vel habitatio, vel usus, vel servitus, vel possessio, de quibus c. seq.

Quæres tertio, Quomodo intelligatur Regula illa 27. Jur. in 6. *Scienti, & consentienti non fit injuria?*

Respondeo, Intelligi de eo, qui omnino voluntarie cedit juri suo, in quantum suum est. Ratio est, quia hic suum jus vere ponit in aliorum arbitrio, adeoque non eos obligat, ne sibi controveniant, & consequenter, si ab illis damnificetur, nullam patitur injuriam, cum nullum ejus jus, in quantum ipsius est, lædatur; Ut si sciens, & volens expresse, vel tacite consentiam, ut utaris mea veste, ut comedas, vendas, projicias meum frumentum &c.

Dixi 1. *Qui omnino voluntarie cedit*; quia, ut recte notat Less. l. 2. c. 7. n. 12. cessio juris, quæ tollit injuriam, debet esse plene liberalis, ac libera. Hinc, qui solvit usuras, cum non solvat voluntarie, nec velit donare, sed quia aliter mutuum obtinere non potest, non dicitur cedere juri suo: similiter, neque is, qui vi, aut dolo indoctus consentit: similiter neque is, qui vult quidem eam suam esse Titii, sed Titius hanc voluntatem ignorans clam eam furatur; quia consensus Domini est tantum comitans, & non voluntarius in furtum: Croix n. 11. Denique neque Christus, & SS. Martyres cesserunt juri suo; quia etsi libere passi sunt, & pati desiderarunt, eamen non cupiebant sibi ab impiis illa mala irrogari, sed solum permissive se habebant, non repugnando; unde retinent actionem injuriarum in illos coram Tribunali Divino.

Dixi 2. *Juri suo, in quantum suum est*; quia posita tali cessione, etsi non violetur jus præcise, qua suum est, tamen potest aliquando violari, in quantum pertinet ad alium. Sic, qui ultro se interficit, etsi injuriam sibi ipse non faciat, eamen facit injuriam Reipublicæ, cujus ipse est pars, & Deo, qui est vitæ humanæ Dominus. Similiter, qui volentem interficit, aut mutilat, facit injuriam Reip. & Deo; probabiliter tamen non facit injuriam illi, utpote omnino libere, ut supponitur, cedenti juri suo, quod habebat ad usum vitæ, & membri, atque ideo nec tenetur ei quid-

quidquam restituere : Less. Lug. & alii contra Hann. Croix n. 4. & alios : videtur tamen probabilius contra Less. teneri ejus filiis, uxori, parentibus, & creditoribus, utpote habentibus jus ad alimenta, & ad solutionem debitorum, cui ille non poterat cedere, juxta dicenda d. 2. c. 5.

Si laicus percutiat, vel trahat ad suum forum Clericum volentem; vel si quis adulteretur cum Berta consentiente ipsa, ejusque marito, Less. Lug. & alii contra alios pariter docent, hunc non teneri eis ad restitutionem, utpote sponte cedentibus juri suo, in quantum ad se pertinet; tenetur tamen ad restitutionem, seu satisfactionem Ecclesiæ, quia fit injuria statui Clericali, & Sacramento matrimonii, cui juri nec Clericus, nec conjuges cedere possunt. Impuberi autem, & in aliquibus casibus Pupillo, & Minorenni scienti, & consentienti in contractum sibi noxium semper fit injuria, quia talis consensus per leges irritatur, estque moraliter nullus, ac si physice non esset.

C A P U T II.

Quid, & Quotuplex sit Dominium?

Dominium, ex dictis, idem est, ac jus in re; & dividitur in dominium perfectum, & imperfectum, quod est vel directum, vel ususfructus, vel habitatio, vel usus, vel servitus, vel possessio; de quibus hic agendum, Itaque

Quæres primo, Quid sit dominium plenum, seu perfectum?

Respondeo, Est *Jus perfecte disponendi de re in proprium commodum, nisi obstet aliqua lex, vel conventio.* Hæc definitio patet ex dictis: Per ly *perfecte* innuitur ipsa plenitudo dominii, quo Dominus potest pro libito rem suam destruere, alienare, servare, eaque frui, & uti ad omnem usum sibi, & rei physice possibilem. Per ly *Nisi obstat, &c.* innuitur impediri aliquando Dominum ab aliqua dispositione rei suæ; sive per legem, qua scilicet prohibetur pupillus, ne alienet res suas immobiles, civis ne in caritate annonæ extrahat suum frumentum, &c. sive per conventionem, seu pactum, quo v. g. Dominus pignoris prohibetur disponere de illo, quousque manet apud pignoratarium, &c. Verum neque talis lex, neque pactum minuit plenitudinem dominii; nam lex ei non obsistit in gratiam alterius, sed potius in gratiam ipsius Domini, vel boni communis, cujus ipse est pars: conventio autem est *Lex, quam ipse Dominus sibi imponit*; ideoque est potius quidam usus sui dominii. Similiter non plenitudini dominii, quod habes v. g. in tuum equum, obstat dominium Divinum, utpote quod est alterius ordinis, neque demum obstat dominium altum, quod habet Princeps, vel Respublica in bona subditorum; quia hoc est tantum sub conditione, in casu scilicet publicæ necessitatis, qua conditione posita cessat dominium privatum, seu passum, ut loquuntur Juristæ.

Contra vero obstat plenitudini dominii dominium privatum ejusdem rei penes duos simul, & in solidum; quia sequeretur per se loquendo bellum utrinque justum, simul, & injustum, quod implicat saltem naturaliter; uterque enim dominus posset juste uti re illa invito altero, cui tamen simul, & semel injuste inferretur injuria, dixi *per se loquendo*; nam per accidens, & ratione ignorantiæ, aut opinionis probabilis, potest contingere bellum utrinque justum, v. g. si tu pugnes pro re, quæ vere sit tua, & alter pro eadem re, quam invincibiliter ignorat esse tuam, aut bona fide probabiliter putat esse suam: Azor. Cov. Pal. & alii.

Rogabis hic, quinam esse possit dominus, & quarum rerum? Dico, eum tantum posse esse dominum, qui libere potest disponere de re in proprium commodum: hinc præter Deum, & Christum omnium dominum, Angeli habent tantum dominium suarum actionum, rerum vero corporalium sunt administratores; ideoque si cui dæmon det pecunias, si eas surripit alteri, huic sunt restituendæ; si eas accipit ex thesauris derelictis, retineri juste possunt titulo occupationis, juxta dicenda cap. seq. Homo autem non est dominus suæ vitæ, aut membri, bene tamen usus istorum; uti etiam sui honoris, & famæ: esse item potest dominus cujuscumque rei corporeæ sublunaris, juxta illud Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves, &c.* Cœlestium autem tantum quoad commoditates, quæ inde percipiuntur, puta ex eorum luce, calore, &c.

Ex dictis infers primo, etiam infantes, & amentes posse esse dominos, quia habent usum rationis, & libertatis saltem in radice, & potentia remota; unde patet, non potuisse Hispanos tuta conscientia auferre bona ab Indis, eo quod dicerent esse amentes; tum quia revera non erant; tum quia etsi erant, manebant tamen veri domini suarum rerum: Mol. Ledes. Salon. & alii. Peccatores etiam retinent dominium suarum rerum, ut definitum est in Concil. Constant. ses. 8. err. 15. Ex similiter infideles, etsi non subditi Principibus Christianis, ut docent communiter apud Trull. itaut oppositum sit temerarium. Hæretici etiam, & rei læsæ majestatis, etsi jure positivo priventur dominio suarum rerum in pœnam, tamen illud retinent, donec condemnentur per sententiam declaratoriam criminis, quæ etiam retrotrahitur ad diem commissi delicti, & ejus vi rescinduntur omnes contractus ab eo tempore facti: Filliuc. apud Trull. l. 7. *Decal.* c. 2. d. 2. Denique de Religioso, servo, filiofamilias, uxore, Clerico dictum est d. 1. *de Contractibus*, & plura dicentur hic d. 2.

Infers secundo, Secluso bello justo, non licere Christianis privata auctoritate bona infidelium surripere, vel deprædari, vel damnum aliquod eorum bonis inferre; quia sunt vere domini: Sot. Sanch. & alii communiter. Dixi *Secluso, &c.* nam tempore justi belli certum est licere, eos bonis spoliare. Dixi, *Privata auctoritate*; nam de licentia Principis Christiani possumus bona Infidelium terras Christianorum Principum injuste occupantium surripere; quia potest Princeps ille ea juste auferre, & bellum indicere, ut notat Sanch. l. 1. *Consil.* c. 1. Item potuit Alex. VI. concedere Hispanis potestatem deponendi Reges Indorum, non quidem absolute, sed in casu, quo inique agerent contra Fideles sibi subditos, ut notant Trull. & alii.

Quæres secundo, Quid sit dominium directum, & ususfructus?

Respondeo, Dominium directum est; *Quod continet solam rei proprietatem, commodum vero, seu rei utilitatem habet alius*: tale dominium habet, qui rem suam alteri concessit in usumfructum, vel in feudum; ideoque manet ejus dominus tantum directus, qui dicitur etiam proprietarius, & absolute dominus. Ususfructus est *Jus utendi, & fruendi re aliena, salva ejus substantia*: dicitur *Jus utendi*, quale non habet creditor in pignore, qui proinde nullo pacto est ejus dominus; dicitur *& fruendi*, hoc est percipiendi, & alienandi omnes fructus ex ea re, quale non habet merus usuarius, de quo quæs. sequ. Dicitur *Salva ejus substantia*, quia res debet integra proprietario servari; unde est, ut ususfructus non possit constitui super re unico usu consumptibili, aut alienabili, puta in frumento, vino, oleo; pecunia, &c.

Itaque usufructuarius habet dominium utile rei, seu rei commodum, & utilitatem, qualis est feudatarius, emphyteuta, pater in bonis adventitiis filii, &c. ideoque hoc ipso, quod colligit ex fundo v. g. fructus, acquirit plenum eorum dominium, & consequenter injuriam ei faceret dominus directus fundi, si eos ipse colligeret. Si vero, antequam eos colligat, usufructuarius moriatur, tunc sunt domini directi, quia quamdiu adhærent plantis, censentur unum cum fundo, adeoque cedunt ejus domino. Quare morte naturali usufructuarii (uti etiam capitis diminutione, aut etiam præscriptione non usus) amittitur ususfructus, nec transit ad ejus hæredes; quia alias frustranea esset proprietas domini directi: Doctores communiter. Similiter, quamvis possit usufructuarius rem locare aliis, si tamen vendat ipsum usumfructum absque consensu domini directi, illum amittit, ex *l. Usufr. ff. de Jur. dom.* Denique, si constituatur ususfructus in grege animalium, debent in locum capitum demortuorum, vel inutilium substitui ab usufructuario alia capita, quæ sic constituta cadent sub dominium proprietarii: & similiter substitui debent aliæ in locum arborum frugiferarum demortuarum ab usufructuario fundi; nisi vero vi tempestatis, vel simili casu sint eversæ: similiter usufructuarius ædum tenetur ad moderatam earum reparationem, ut integræ domino permaneant: Lug. n. 58.

Quæres tertio, Quid sit habitatio, & usus?

Respondeo, Habitatio est *Jus utendi domo aliena, salva ejus substantia, cum facultate alienandi talem usum*: Usus vero est *Jus utendi tantum re aliena, salva ejus substantia*. Differunt hæc duo ab usufructu per hoc, quod non sint jus fruendi, sed tantum utendi re

differunt vero inter se per hoc, quod habitatio det facultatem habitandi in ædibus alienis, & pro libito talem usum alienandi usque ad dies vitæ suæ; ideoque non amittitur ex non usu, nec capitis diminutione, sed tantum morte, ex *l. Si habitatio*, *ff. de Usu*, *& habitatione*. Usus vero conceditur in hunc solum finem, ut quis utatur re aliena, itaut nullatenus possit talem usum locare, alienare, aut liberaliter aliis concedere.

Usus autem, ut sit jus, debet esse absolutus, seu non revocabilis ad nutum; ideoque vocatur *Usus juris*, quia secus nullum conferretur dominium usuario, si esset revocabile ad arbitrium concedentis; sed diceretur potius *Usus facti*, qualem habent etiam Bruta, quæ utuntur herbis, & paleis ad nutum domini, & qualem habent subditi Regulares, qui utuntur rebus Monasterii ad nutum Superioris. Itaque usuarius, qui habet usum juris, injuste impediretur a domino rei in usum concessæ; secus vero usuarius habens tantum usum facti: ut patet in commodato, & precario; in illo enim conceditur usus juris, in hoc usus facti. Si ergo detur ibi fundus ad usum residendi in illo, potes cum tua familia inhabitare, imo etiam cum admisso inquilino extraneo, at non potes ei seorsim locare: similiter, si detur ad usum alendi, potes ex ejus fructibus necessaria tibi, tuæque familiæ sumere, at nihil potes vendere, donare, vel alio modo aliis concedere; uti nec potest dominus ante tempus concessum te expellere, ex *l. 2. ff. de Usu*.

Infere ex dictis, Usum juris constitui non posse in re unico tantum usu consumptibili, vel alienabili; hoc ipso enim, quod in tali re conceditur usus juris, conceditur etiam dominium plenum, ut patet in mutuo. An autem in tali re separari possit usus a dominio, itaut concedatur tantum usus facti, celebris est quæstio apud Fr. Minores, qui (approbante Nicol. IV. licet reprobante deinde Joan. XXII. sed iterum approbantibus Martin. V. & Paul. III.) profitentur, non solum singulos suos Religiosos, sed etiam ipsum Monasterium, ac Religionem carere dominio rerum, quæ ipsis donatæ sunt, etsi unico usu consumptibilium; itaut earum dominium maneat penes dantes, ex Nicol. IV. imo penes solum Papam, ex Mart. V.

Equidem respondeo affirmative, cum Sot. Val. Mol. Suar. Less. Sanch. & aliis contra Sylv. Cajet. & alios. Et ratio est, quia sicut singulis Religiosis cujusvis ordinis concedi tantum potest usus facti, revocabilis ad nutum, etiam in re unico usu consumptibili; ita etiam concedi potest toti Religioni Fr. Minorum, itaut possit Pontifex sine ulla injustitia tollere v. g. panem etiam ab eorum manibus tum, cum illum ori admovent, ut manducent; ut etiam potest Superior Regularis a suo subdito. Sic etiam dominus convivii sine injustitia, quamvis cum summa inurbanitate, potest ab invitatis auferre cibos appositos, donec consummantur, licet postea ex defectu materiæ jam consumptæ desinat ejus dominium, ut recte notat hic Tamb.

Quæres quarto, Quid sit servitus?

Respondeo, est *Jus in re alterius, ut ipsa quodammodo serviat alteri*; uti est v. g. jus transeundi per alienum fundum. Dividitur in realem, personalem, & mixtam. *Servitus realis* est, *qua a re debetur immediate alteri rei*, sic si ager meus habet jus, ut per agrum tuum possit duci plaustrum in meum, ager tuus immediate servit meo. *Servitus personalis* est, *qua a persona immediate debetur personæ*; *mixta vero*, *qua a re immediate debetur personæ*. Porro servitus realis subdividitur in urbanam, quæ prædio urbano, & in rusticam, quæ prædio rustico debetur. Prædium urbanum dicitur omne habitaculum, etiamsi in villa, & hortus adnexus causa amœnitatis. Prædium rusticum dicitur quodvis aliud, ut stabulum, horreum, ager, &c. Hinc servitutes urbanæ sunt, v. g. ut ædes tuæ non possint altius attolli, ne officiant luminibus vicini, ut in tuum parietem possit immitti tignum a vicino, &c. Rusticæ sunt; v. g. ut liceat tibi per fundum alterius ducere currum, jumentum, aquam, &c. frumentum in alterius horreo servare, & similia. Si ergo alter impediat, injuriam tibi facit, & ad restitutionem tenetur.

Quæres quinto, Quid sit possessio?

Respondeo, Si accipiatur pro ipso actu possidendi, qui dicitur possessio facti, est *Detentio rei, corporis, animi, & legis adminiculo*; si accipiatur pro jure possidendi orto ex tali actu, quod dicitur possessio juris, est *Jus insistendi rei, tanquam suæ, non prohibitæ possideri*: & hoc jus est dominium quoddam imperfectum, cum formaliter, & præcise acceptum hoc tantum ferat, ut possessor possit rem pacifice tenere, ut mox explicabitur.

Itaque ad acquirendam possessionem tria requiruntur, nempe detentio adminiculo corporis, animi, & legis. Detentio adminiculo corporis est corporalis apprehensio rei, sive vera, sive ficta: ad possessionem enim rerum non habentium dominum, ut ferarum, thesaurorum, &c. requiritur vera apprehensio, manibus, scilicet, pedibus, &c. & similiter ad possessionem rerum immobilium requiritur, ut aliqua saltem earum pars contigua vere apprehendatur. Sed ad possessionem reliquarum rerum sufficit apprehensio ficta, si scilicet a tradente tibi oculis exhibeantur, vel si tradatur tibi scriptura, claves, aliudve, in quo res continetur; vel si rei emptæ, & nondum traditæ signum aliquod a te imponatur. Ad possessionem autem hæreditatis, præsertim in Italia, sufficit sola acceptatio; ideoque dicitur hæc possessio civilissima.

Adminiculum animi est, quod velis apprehendere rem tanquam tuam, itaut velis saltem apparere, & ab aliis haberi pro domino. Hinc nec depositarius est possessor depositi, nec pignoratarius pignoris, nec tutor bonorum pupilli; sed potius contra hi possident per illos. Noto hic, posse inchoari, & manuteneri possessionem etiam per alium: sed ut dicaris sic possidere per alium, requiritur, ut ille habeat etiam animum detinendi saltem apparenter pro te; nam si intendat pro se, non possides per illum, nisi sit tuus servus, vel filiusfamilias, qui, quidquid juste acquirunt, acquirunt tibi, etiamsi talem animum manifeste non habeant, ex *l. Quod servus*, *ff. de Acquir. Possess.*

Adminiculum legis est, quando nulla lex obsistit tollens privilegia possessionis; nam aliquæ res, etiamsi apprehensæ corpore, & animo, tamen ex legum dispositione nullatenus dicuntur possideri; ut decimæ, & bona sacra a laico, bona publica a privato, & quorum possessione (nisi forte sit immemorabilis) nullum acquiritur privilegium.

Privilegia veræ possessionis sunt quatuor: Primum, Ut possessor possit rem tueri, non solum remediis juris, sed etiam aliquando armis contra perturbantes: v.g. si domum rediens invenias illam ab injusto invasore occupatam, potes illum armis expellere, quia sic non est offendere, sed possessionem tuam tueri, ne ab ea decidas, ut mox patebit: similiter potes furem armis insequi, etsi fugientem cum re tua, modo id fiat confestim, & in continenti. Secundum est, ut possessor non teneatur probare in judicio rem esse suam: Tertium, Ut in dubio, semper melior sit conditio possidentis: Quartum demum, Ut possessor bonæ fidei evadat aliquando dominus rei alienæ per præscriptionem, juxta dicenda cap. seq.

Hæc privilegia debentur possessori; sive possessio sit *Naturalis simul*, *& Civilis*, qualem habet, qui corpore simul, animo, & lege pergit rem detinere; sive possessio sit tantum *Civilis*, qualem habet, qui postea animo tantum, & lege pergit detinere, corpore autem nec per se, nec per alium detinet, sed est absens: At non debentur, si possessio sit tantum *Naturalis*, qualem habet, qui injuste occupat rem tuam immobilem; tunc enim in te remanet possessio civilis.

Denique amittitur possessio, ejusque privilegia: Primo, Propria voluntate, si scilicet nolis rem amplius possidere, exceptis iis, qui sunt sub Tutore, Curatore, &c. Secundo, Amittitur possessio rei mobilis per furtum (etiam depositarii, modo is rem loco dimoveat, ut addunt Mol. & alii) fur autem, etsi tunc possideat civiliter, in conscientia tamen injuste possidet; ut patet: similiter amittitur possessio per amissionem v. g. bursæ, annuli, &c. item per fugam, ut si animal aberraverit a grege, si gallinæ domesticæ avolarunt, &c. excipe tamen servum, cujus fuga possessio non amittitur: Tertio, Amittitur possessio rei immobilis, si possessor absit longo tempore, nec per alium detinet, nec protestatur, se nolle amittere possessionem, item si sciat rem ab alio occupatam, & negligat; vel timens repulsam non audeat repetere, aut invadere; vel ab eo repulsus non audeat resistere; vel si res sit ita occupata, ut non sit possibilis reparatio; vel demum si ignoret, rem esse suam: v. Less. c. 3.

CAPUT III.

Quomodo acquiratur dominium?

AD acquirendum dominium, seu quodcumque jus in re requiritur titulus, tanquam basis, radix, seu causa moralis dominii. Potest tamen titulus esse duplex, scilicet verus, & coloratus: tunc est verus, cum reipsa valide existit, ut si res valide reipsa sit empta: tunc est coloratus, cum existit quidem, sed ob ignoratam causam est invalidus, ut, si bona fide ematur res furtiva. Si autem quis bona fide putet, rem a patre suo esse emptam; cum is furto acceperit, nullum habet titulum, nisi putatum; si vero ab immemorabili possidet rem, cujus ignoratur titulus, prudenter præsumi potest adfuisse. Cæterum omnis titulus, sive verus, sive coloratus, reduci potest vel ad contractum, vel ad occupationem, vel ad unionem, vel ad præscriptionem, de quibus hic agendum. Itaque

Quæres primo, Quomodo acquiratur dominium per contractum?

Respondeo, Acquiri per quemcumque contractum translativum dominii de uno in alterum: qualis est donatio, emptio, permutatio, mutuum, ludus, solutio, &c. Item hæreditas, legatum, fideicommissum, de quibus actum est in de Contract. quibus etiam addi potest adjudicatio per sententiam Judicis. Illud hic notandum, in translatione dominii de uno in alium per contractum requiri præter titulum etiam traditionem rei; ante hanc enim jure positivo habetur tantum jus ad rem, juxta jam dicta; exceptis tamen aliquibus casibus, in quibus ex eodem jure positivo acquiritur dominium, seu jus in re etiam ante traditionem, posita tantum acceptatione.

Hi casus sunt quinque: Primo, Si quid donetur, aut vendatur Ecclesiæ, loco pio, Civitati, aut pro captivo redimendo: Secundo, Si sit hæreditas, vel legatum: Tertio, Si sit electio, præsentatio, aut collatio Beneficii Ecclesiastici: Quarto, Si quid donetur a Principe volente dare dominium ante traditionem: Quinto demum, Si quid donasti, & tradidisti alteri sub conditione, ut tibi præbeat alimenta, & ille non præbeat. In his ergo casibus ante acceptationem habetur jus ad rem; posita tamen acceptatione, habetur dominium, seu jus in re etiam nondum tradita, necdum possessa; traditio autem, & possessio requiritur tantum, ut possis actu percipere ex ea fructus. Imo in ultimo casu, altero non præbente alimenta, statim recuperas rei donatæ dominium: Less. & alii ex *pluribus juribus*.

Quæres secundo, Quomodo acquiratur dominium per occupationem?

Respondeo, Res, quæ nullius domini sunt, fieri primi occupantis, qui proinde earum hoc uno titulo legitime evadit dominus. Nota hic, jure naturæ (non quidem jubente, sed tantum permittente) omnia esse communia, ex cap. *Jus naturale d.* 1. exceptis tamen propriis actionibus, fama, honore, uxore, & familia, ut notant Salon. Sayr. & alii communiter. Post peccatum autem jure gentium facta est rerum divisio per occupationem, nimirum ut quisquis primus aliquid occupasset, evaderet illius dominus; tum facta multiplex subdivisio, & multiplicatio dominiorum per contractus, leges, &c. Multa tamen adhuc manent sub nullius dominio, quæ proinde evadunt primi occupantis. Tales sunt feræ, lapilli, gemmæ, ambarum, corallium, & similia, quæ in littore maris, in promontoriis, vel fluminibus inveniuntur; item venæ metallicæ, & Thesauri; item res, quas dominus ea mente abjicit, ut in numero suarum rerum esse nolit, quæque proinde dicuntur haberi pro derelictis. Hæc enim omnia jure naturæ, & gentium fiunt primi occupantis, nisi quid obstet jus positivum, de quo agemus, q. 3. ubi fusius singula enodabimus.

Quæres tertio, Quomodo acquiratur dominium per unionem?

Respondeo, Acquiri, cum res aliena unitur tuæ, sive id fiat mixtione, aut confusione, sive fiat specificatione, sive fiat accessione. Mixtio dicitur de rebus solidis, & confusio de liquidis: itaque, si pecuniam alienam immisceas tuæ, acquiris dominium totius cumuli, ex *l.* 78. *ff. de Solut.* quia, ut ait Glos. talis mixtio habet rationem consumptionis; idem est de cumulis frumenti, de gregibus ovium, cæterisque rebus miscibilibus; item cum ex duobus liquoribus fit unum, ut ex vino, & melle mulsum, ex stanno, & argento poculum, &c. duo tamen requiruntur: Primo, ut talis sit mixtio, seu confusio, ut non possint amplius ab invicem discerni, quia sic mixtio habet rationem consumptionis: Secundo, ex Lug. & aliis, ut pars tua non sit admodum exigua relate ad alienam, quia sic pars major trahit ad se minorem; ideoque hæc potius transit in dominium alterius. His suppositis, si mixtio, seu confusio rei alienæ cum tua fiat a te, sive bona, sive mala fide, sed sine consensu alterius, evadis quidem dominus rei alienæ, sed alter habet actionem personalem in te, juxta dicende q. 3. si autem fiat cum consensu alterius, aut casu, tunc totus cumulus est indivisim utriusque, ex *Instit. de rer. dom.* Croix n. 118.

Specificatio habetur, cum mutatur materie in novam speciem, ut cum ex uvis fit vinum, ex auro vas, ex lana pannus, ex asseribus navis, &c. Sed ad acquirendum hac via dominium tria requiruntur: Primo, Bonæ fides: Secundo, Ut in humano commercio fiat nova res, quæ vocetur novo nomine substantivo: Tertio, Ut non possit reduci ad priorem statum. His suppositis, si bona fide ex meis uvis expresseris tibi vinum, aut ex meo frumento feceris tibi farinam, aut ex mea farina panem, aut ex meis lanis pannum, acquiris eorum dominium, & mihi competit tantum actio personalis in te. Contra vero maneo ego dominus, si mala fide hæc feceris; vel etiamsi bona fide meas lanas albas feceris nigras, ex meis spicis excusseris tibi triticum, &c. quia non fit nova species, sed manet idem substantivum, aut præjacens detegitur; vel si ex meo auro feceris tibi poculum, quia potest resolvi in prius aurum, quod verum est, etiamsi immiscueris aurum tuum, aut aliud metallum arte separabile: similiter, si ex meis asseribus facias navim, asseres manent mei, quia in eos reduci potest navis: si vero ex mea quercu scindas bona fide asseres, & ex his facias navim, acquiris dominium navis, & asserum, quia hi non possunt amplius reduci in quercum: Croix n. 118. ex *plur. jurib.* & alii.

Accessio habetur, cum rei tuæ tamquam principali adjicitur aliquid alienum, quod absque detrimento ab ea separari non possit; & sic illud aliud cadit sub tuum dominium, etiamsi mala fide feceris: ut, si vesti tuæ addas texturam alienam, quæ, absque detrimento separari non possit, evadit tua, quia accessorium sequitur principale, ex *l.* 23. *ff. de rei vindicat.* alteri tamen competit actio personalis in te, tuosque hæredes. Si scripseris, vel pinxeris in charta, vel tabula aliena; scriptura, vel pictura ex jure deberet cedere domino chartæ, vel tabulæ: verum ex consuetudine charta, & tabula cedunt tibi cum obligatione solvendi pretium chartæ, & tabulæ: Croix n. 134.

Ad accessionem reduci possunt plantatio, ædificatio, & alluvio: si enim plantes arborem alienam in tuo solo, vel tuam in alieno, acquiritur domino soli: similiter planta in confinio posita ejus soli erit, in quo principalius radices egerit; si utrobique æqualiter, erit utriusque. Item, si ædifices in tuo solo ex materia aliena, vel in solo alieno ex tua materia, ædificium acquiritur domino soli, utrobique autem restituenda est æstimatio materiæ, & expensarum, juxta dicenda q. 3. Item, si alluvio fluminis paulatim adjecit tuo fundo aliquid ex fundo alieno, evadit tuum, nec teneris quidquam compensare alteri, cum sit incrementum latens, ex *Instit. de rer. divis.* at, si magnam partem simul adjecit, manet alterius, quia est incrementum patens, ex *Text. citat.*

Denique, si fluvius mutet alveum, tunc, si fiat tua arte, compensare debes damnum ex novo alveo proveniens domino fundi; si fiat naturaliter, novus alveus fit publicus: sed, si iterum deseratur a fluvio, redit saltem ex æquitate ad priorem dominum: alveus vero antea derelictus, quamvis ex jure dividendus est inter possidentes ripas, tamen ex æquitate etiam fit illius, in cujus fundo novus alveus est factus. Nova insula nata in fluvio, si in ejus medio, dividenda est utrique possidenti ripas pro earum latitudine; si sit alteri proximior, erit illius; at si nata sit in medio mari, erit primi occupantis: v. Croix n. 139.

Quæres quarto, Quomodo acquiratur dominium per præscriptionem?

Respondeo: Præscriptio est *Acquisitio dominii rei alienæ per possessionem bona fide cum titulo, & tempore debito continuatam:* hæc in rebus immobilibus dicitur præscriptio, in rebus mobilibus dicitur etiam usucapio. Itaque, si quis legitime præscripsit rem alienam, si postea constet, fuisse alienam, non tenetur quidquam restituere, quia acquisivit ejus dominium, quod perdidit alter,

qui proinde neque poterit sibi compensare, legibus sic disponentibus etiam in conscientia, ob bonum pacis: nisi tamen alter gaudeat privilegio restitutionis in integrum, vel si probet præscriptionem esse factam se inscio; his enim conceditur spatium 4. an. a die notitiæ ad repetendam rem suam apud Judicem, ante cujus tamen sententiam non est restituenda: Less. l. 2. c. 6. Videndum nunc superest, quænam conditiones requirantur ad legitime præscribendum; sunt enim quatuor, titulus, possessio, bona fides, & tempus statutum a lege. Itaque

I. Titulus alicujus, scilicet contractus debet esse cum bona fide coloratus (si enim sit verus, certe dat dominium, sed sine præscriptione) imo nec requiritur simpliciter ad præscribendum titulus coloratus, sed tantum, ut ordinario tempore præscribatur, juxta mox dicenda.

II. Possessio debet esse civilis, & quidem continuata usque ad certum tempus statutum a lege. Sola autem possessio naturalis non sufficit, cum nullum det privilegium, quale scilicet habere tantum potest Religiosus professus, utpote incapax possessionis civilis; vel laicus in bonis Sacris, aut jure decimarum; vel privatus in locis publicis, utpote quæ incapacia sunt possideri civiliter.

III. Bona fides, qua scilicet prudenter judices, rem a te possessam esse tuam, vel ignores, esse alienam, quæ dicitur ignorantia facti, modo non sit crassa, & supina, cum hæc potius faciat malam fidem. Ignorantia autem juris, etiamsi sit invincibilis (ut si acquisivisti rem contractu usurario invincibiliter putans, licitas esse usuras) non sufficit, ex *l. Nunquam, ff. de Usucap.* nisi vero jus sit incertum, seu dubium apud Doctores, ut excipiunt Less. & alii. De dubio autem circa factum nota, si dubium præcedat possessionem, cum scilicet emis rem dubitans, esse furtivam, non inchoas possessionem bona fide; ideoque non potes præscribere: si superveniat possessioni bonæ fidei, eam non violat, quia in tali dubio melior est conditio possidentis: si Titius, a quo rem accipis, bona fide possederit, tu autem ab initio dubites, teneris inquirere: secus inchoas mala fide; at, si post inquisitionem non potes deponere dubium, potes pergere possidere, quia acquisivisti jus, quod habebat Titius, qui suborto dubio potuisses pergere: si demum bona fide succedas possessori malæ fidei; tunc si succedas, ut hæres immediatus, non potes præscribere, quia hæres facit unam personam cum defuncto, quod Lugo, & alii contra Less. & alios dicunt etiam de hærede mediato: si succedas, non ut hæres, sed ut donatarius, legatarius, emptor, aliove titulo, potes ex tua bona fide præscribere. In dubio autem, an incœperit bona, an mala fide, præsumendum pro bona, quia delicta non præsumuntur: Lug. d. 18. n. 16. si vero sit actu mala fides, & nesciat, quando cœperit, præsumitur ab initio mala, quia semel malus semper præsumitur malus, ex *Reg. 8. Jur. in 6.* Croix n. 567.

Ex dictis infers, nunquam cum mala fide posse aliquid præscribi; nam leges civiles statuentes aliquid oppositum sunt abrogatæ *Jure Can. C. fin. de Præscr.* Hinc quamvis creditor non meminerit debiti, vel nunquam petat, non ideo debitor sciens potest quovis tempore elapso præscribere: item, quamvis alicubi sit statutum, ut famuli, nisi intra triennium a die dimissionis petant salarium, non possint deinceps petere, tamen est in conscientia solvendum a domino sciente. Contra vero, si tua bona per legem pœnalem addicta sint Fisco, potes tamen alia bona præscribere; quia, quamvis ea tunc non essent absolute tua, tamen, cum non tenearis offerre Fisco, procedit cum bona fide præscriptio: Less. n. 20. item, si habeas jus servitutis in meo fundo, & certo tempore non utaris, possum etiam sciens præscribere; quia, cum non tenear te monere, non mala, sed bona fide procedit præscriptio: Medin. *de Restit.* q. 7. secus vero ait, si tu habeas jus, ne ego aliquid faciam, v. g. ne altius ædificem, ne fenestras in hortum tuum faciam, &c. tunc enim requiritur, ut bona fide faciam contrarium, & tu non contradicas: Less. n. 20.

IV. Tempus ad usucapionem rerum mobilium cum titulo sufficit possessio triennalis inter præsentes, quadriennalis inter absentes: sine titulo requiruntur 30. anni. Hæc vera sunt, etiamsi res mobiles sint Ecclesiæ Romanæ; non autem, si sint pupillorum, contra quos, quamdiu sunt ejus ætatis, præscribi non potest; si autem sint minorennium, semper requiruntur 30. anni.

Ad præscribendas res immobiles contra personas privatas (exceptis, ut supra, pupillis, & minorennibus) requiruntur cum titulo 10. anni inter præsentes: 20. inter absentes: sine titulo, vel si res immobilis sit furtiva, aut accepta a possessore malæ fidei, 30. anni. Nota, eos dici præsentes, qui sunt in eadem Regni Provincia: absentes, qui in diversis Regni Provinciis, quocumque loco sita sit res: hinc, si, postquam septem annis mihi præsens possedisti meum fundum, egrediaris, indiges sex aliis annis ad præscribendum, quia tres anni, qui supererant inter præsentes, debent duplicari ratione absentiæ; unus enim annus præsentiæ æquivalet duobus absentiæ, ex *l. Quod si quis, C. de Præscr.* & sic proportionaliter de reliquis.

Ad præscribendas res immobiles contra Ecclesiam Romanam requiruntur 100. anni; contra Ecclesias inferiores, & loca pia, 40. anni; contra PP. Benedictinos, aliosque, qui cum his communicant, 60. anni; ut ex jure ostendit Trull. Si autem cum titulo possedisti fundum privati per 5. annos inter præsentes, & nunc fundus evadat Ecclesiæ Romanæ, satis erit pergere possidere 50. aliis annis, ut præscribat, quia solum deerat dimidium temporis ad præscribendum contra privatum, & similiter, si evadat Ecclesiæ inferioris, satis erunt 20. alii anni: Less. l. 2. c. 6. n. 25. Cæterum ad præscribendum beneficium ecclesiasticum contra quemcumque competitorem satis est possessio triennalis cum titulo absque simoniaco ingressu, ex *Regul. Cancel.* 33. quæ regula etiam procedit de eo, qui bona fide illud possidet per simoniam, se inscio, ab aliis factam: Sanch. l. 7. *Consil.* c. 9. n. 91. qui autem cum titulo colorato illud possides bona fide, non potest præscribere, nisi 10. annis inter præsentes, 20. inter absentes; & sine titulo nunquam præscribere potest, quia sine institutione non stat possessio: Trul. & alii communiter.

Ad præscribendas res immobiles Civitatis requiruntur 100. anni; & similiter contra Principem in bonis coronæ adnexi, ut sunt prata regia, &c. At contra tributa, quæ non sunt imposita in recognitionem Principis, sed pro aliqua necessitate, præscribi potest 40. annis cum titulo, sine titulo vero requiritur tempus immemorabile: & eadem die de bonis Principis Fisco incorporatis: at, si non sint incorporata, præscribuntur 4. vel 5. annis, si Fiscus sit secularis, 40. annis, si sit Ecclesiasticus: v. Less. n. 38. Contra leges autem civiles, & probabiliter etiam Ecclesiasticas legitime præscribit consuetudo contraria 10. annorum: si autem legislator sciens non contradicat, sufficit, si bis, aut ter contra actum sit: v. Less. Suar. & alios apud Trul.

Denique contra debita præscribit bona fides debitoris post 30. annos contra quemcumque creditorem: & similiter præscribuntur legata, fideicommissa, & majoratus, contra legatarium, &c. Si autem res hypothecata possideatur bona fide a debitore, vel ejus hæredibus, non extinguitur actio creditoris, nisi post 40. annos. Cæteræ autem actiones, accusationes, aut inquisitiones criminis, decursu 10. annorum a die commissi criminis tolluntur; imo sunt quædam crimina, ut adulterium, in quibus spatio quinquennii præscriptio absolvitur: Laym. Less. Trull. & alii.

Rogabis hic, quando dicatur præscriptio non procedere, aut dormire, aut interrumpi?

Dico primo, Præscriptionem non procedere, si non potuit inchoari possessio civilis ex defectu requisiti, puta bonæ fidei, capacitatis, &c.

Dico secundo, Præscriptionem dormire, seu non currere, si bene incœpta pro aliquo tempore deinde suspendatur, itaut tale tempus intermedium non computetur, sed perinde se habeat, ac si non interfuisset, ideoque tempus prius, & posterius moraliter continuetur: contingit hoc, quando is, contra quem præscribitur, agere in judicio non potest, sive ob defectum judicis, quamdiu scilicet tempore pestis, belli, aut hostilitatis jus dici non potest; sive ob legitimum ipsius impedimentum, quia actore impedito non currit præscriptio; hinc præscriptio contra Ecclesiam dormit, quamdiu ejus Prælatus est excommunicatus, suspensus, aut alio impedimento detentus: item, quamdiu ipse vivit, a quo læsa est Ecclesia: similiter dormit præscriptio contra Ecclesiam Romanam, quamdiu vacat sedes, vel est schisma: contra Imperium, quamdiu vacat thronus, quod Mol. & Lug. dicunt etiam de throno Regis: similiter dormit contra pupillum durante pupillari ætate, quod Laym. & Lug. extendunt etiam ad filiumfamilias quoad bona adventitia, & ad uxorem quoad fundum dotalem vivente marito.

Dico tertio, Praescriptionem interrumpi, si ita desinat, ut se habeat, ac si nunquam antea coepta fuisset. Et sic interrumpitur, si desinat possessio civilis; & haec desinit, si rem alienam, quam bona fide possides, concedas domino in pignus, vel ei loces, vel des precario, ex *l. 33. de Usucap.* Item, si desinat bona fides; quod si haec postea redeat, Doctores communiter contra Felin. dicunt, non solum dormisse, sed etiam esse interruptam, adeoque de novo inchoandam. Item interrumpitur contestatione litis praescriptio major triennali (triennalis enim sic non interrumpitur) imo sola citatione, quando citantis silentium erat fundamentum praescriptionis; & similiter per libellum supplicem porrectum Principi, aut in defectu ejus Episcopo, aut in horum defectu per protestationem factam in loco publico, ubi possessor habet domicilium, de qua tabellio, aut in hujus defectu tres alii testentur ex *l. 2. C. Annual. except.* Si autem contestatio litis non fiat animo eam prosequendi, aliqui affirmant, aliqui negant, interrumpi praescriptionem; sed Molina tantum negat, si de hoc sit vehemens suspicio; si autem post contestationem litis actor succumbat, vel pacto, aut transactione cesset, censetur praescriptio non fuisse interrupta; at, si bona fide a lite tantisper cesset, potest iterum instaurare ante triennium, & ita efficere, ut alter nunquam praescribat; imo, quamvis non possit instaurare elapso triennio, tamen alter non praescribit, nisi ex nunc pergat possidere per 4. annos, ex *l. 9. C. de Praescr. 30. ann.* Si autem alter bona fide rem venderet, aut aliter transferret in alium, hic posset praescribere tempore ordinario.

QUÆSTIO II.

De Natura Restitutionis.

VIDENDUM I. Quid sit Restitutio, & quae ejus obligatio, & necessitas? II. An Restitutio sit actus justitiae commutativae? III. An Restitutio esse possit actus virtutis a justitia distinctae?

CAPUT I.

Quid sit Restitutio, & quae sit ejus obligatio, & necessitas?

DIco ptimo: Restitutio stricte accepta est *Actus Justitiae commutativae, quo quis reparat ad aequalitatem jus alterius a se laesum.*

Haec definitio patet ex dictis, & clarius ex dicendis. Per ly *Jus alterius* intellige jus strictum, sive sit jus in re, sive sit jus ad rem, cum hoc uno discrimine, quod, si laesum sit jus in re, restitui debet solidus valor rei, quia tanti valet jus in re, quanti ipsa res; si laesum sit jus ad rem, restitui debet, non solidus valor rei, sed quanti erat ejus spes spectatis circumstantiis, prout scilicet spes est proximior, vel remotior: v. g. occidisti equum; si hic erat donatus, & traditus Titio, teneris Titio de solido valore equi; si donatus, sed nondum traditus, teneris Titio restituere, quanti erat ejus spes orta ex tali donatione. Per ly *A se laesum* intellige, ad actum restitutionis requiri, ut, qui damnum intulit, ipsemet, vel per se, vel per alium resarciat; nam, si per te resarcias damnum non a te, sed ab alio illatum, facis solum actum liberalitatis, vel eleemosynae, non restitutionis, & justitiae.

Infers primo, Ad actum restitutionis requiri, ut vere, & realiter damnum sit illatum alteri, sive per injustam ablationem, aut detentionem, sive per injustam destructionem rei suae. Hinc, si Judex ferat sententiam putatam injustam in Titium, quam deinde deprehendat justam, nihil tenetur ei restituere; quia, quamvis peccaverit contra justitiam, tamen vere, & realiter nullum ei damnum injuste intulit. Similiter, cum nullum Deo damnum possit inferri, non potest restitutio exerceri erga Deum, sed tantum satisfactio pro dehonoratione; in hominibus vero, qui dehonoratur, hoc ipso damnificatur, & ideo, qui honorem ablatum reddit alteri, unico actu, & satisfacit, & restituit.

Infers secundo, Restitutionem stricte acceptam differre a satisfactione, quia satisfactio est quid generalius, & respicit personam, ejusque honorem violatum, & fieri debet etiam pro damno irreparabili; restitutio vero respicit rem ablatam, & solum fit pro damno reparabili. Differt etiam a solutione, quia solutio v. g. ex debito voto, juramento, &c. per se non supponit injuriam; restitutio vero per se supponit jus laesum alterius. Et ob eandem rationem differt a restitutione late accepta, qua dicimur restituere pignus, depositum, &c. domino suo; quo sensu restituere est in pristinum statum reponere, ex *l. Restituere, ff. de V. S.*

Dico secundo: Restitutio rei gravic est necessaria ad salutem necessitate praecepti, non autem necessitate medii.

Ratio primae partis est, quia extat praeceptum restituendi, tum naturale fundatum in illo naturae dictamine, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris;* tum positivum divinum, ex illo ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita;* tum Ecclesiasticum ex cap. *Si res aliena* 14. q. 6. *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Neque obest, quod Christus Pharisaeis plenis rapina solummodo dixerit, *Quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*, Luc. 1c. nam, ut explicat Less. n. 47. Christus suasit iis eleemosynam, quae est restitutio pauperibus facienda, quando propriis dominis exhiberi non potest. Praeceptum autem restituendi ex genere suo obligat sub gravi, nisi venialem reddat talem obligationem parvitas materiae: ergo restitutio rei gravis est necessaria ad salutem necessitate praecepti.

Ratio secundae partis est, quia illud dicitur necessarium ad salutem necessitate medii, quod ita est necessarium, ut eo etiam inculpabiliter omisso salus obtineri non possit, qualis est fides, baptismus, &c. illud vero est necessarium necessitate tantum praecepti, quod, si ex ignorantia inculpabili, aut impotentia omittatur, adhuc salus obtineri possit; atqui hujusmodi est restitutio: ergo est necessaria necessitate tantum praecepti, non medii. Neque obstat, quod, qui non potest, vel immemor est restituere, teneatur habere propositum, seu votum saltem implicitum restituendi; sicut, qui non potest suscipere baptismum, vel Sacramentum poenitentiae, tenetur habere ejus votum; & consequenter utrobique habetur necessitas medii, vel in se vel in voto. Nam disparitas est, quia baptismus, vel Sacramentum poenitentiae est id, quod per se sanctificat, & ideo ejus votum est votum medii positi a Deo ad salutem obtinendam; at restitutio per seipsam non sanctificat, & ideo, quamvis ad salutem requiratur etiam ejus votum, hoc autem non est votum ponendi medium collativum salutis, & consequenter non dicitur restitutio necessaria necessitate medii in se, vel in voto, sed tantum necessitate praecepti.

Infers ex dictis, eum, qui injuste damnificavit alterum, obligari ex praecepto ad restitutionem externam, seu realem, si possit; si non possit, ad restitutionem internam, seu propositum restituendi, si quando poterit; & quidem sub gravi, vel levi, prout gravis, vel levis est damnificatio. Ratio est, quia non restituere, cum possis, est voluntarie nocere alteri; cum vero non possis, ad remissionem peccati pro damno illato requiritur poenitentia, quae involvit propositum emendationis, adeoque restituendi. Notat hic Trul. d. s. n. c4. ex Salon. & Sayr. Animam defuncti non detineri diutius in Purgatorio, eo quod haeres, cui imposuit restitutionem, eam differat; quia solum punietur pro sua negligentia non restituendi in vita, aut etiam si haeres differat satisfactionem Deo, quae fit per Missas.

Quaeres primo, An praeceptum restituendi sit affirmativum, an vero negativum?

Respondeo cum D. Th. & aliis communiter contra Lug. Dicastil. & alios, formaliter acceptum esse potius affirmativum; quia praecipit actum positivum, scilicet redditionem rei injuste ablatae: &, quamvis obliget semper, non tamen ad semper, seu pro omni tempore, sed tantum, quando est opportunitas restituendi. Notat tamen Less. c. 7. n. 50. hoc praeceptum etsi formaliter acceptum sit affirmativum, involvere tamen aliud praeceptum negativum, ex quo ipsum oritur, scilicet *Non furtum facies;* quia detinere rem alienam, cum possis reddere, idem fere est, ac continuate furari; & ideo praeceptum restituendi obligat semper: quia tamen non obligat ad semper, sed tantum pro tempore opportuno, ideo formaliter loquendo dicitur potius affirmativum: v. Tambur. hic c. 1. n. 8.

Quaeres secundo, Quot peccata committat, qui pluries oblata opportunitate restituendi non restituit?

Respondeo, Tot peccata numero distincta committere, quot sunt actus intentionis, seu voluntatis non restituendi moraliter interrupti. Certum est autem, interrumpi moraliter per actum contrarium, seu propositum restituendi; quoties ergo post tale propositum reditur ad voluntatem non restituendi, toties multipliratur numerus peccatorum in confessione explicandus. Præter hanc interruptionem, Petrus Nav. l. 4. c. 1. putat, non dari aliam, adeoque unum tantummodo peccatum committi ab eo, qui per multum temporis potens non restituit, si tale peccatum per propositum restituendi nunquam retractaverit. Sed communis sententia Doctorum docet, hoc peccarum interrumpi, nun solum per actum contrarium, sed etiam per quamcumque aliam interruptionem, per quam censeatur prior intentio non amplius virtualiter perseverare; sive id accidat per distractionem voluntariam ad alia negotia incompossibilia; sive per involuntariam, ut multi docent, puta per somnum; sive per hoc, quod eesset hic, & nunc obligatio restituendi ex impotentia, aut alio capite, & deinde reviviscat; sive per hoc, quod iterum abutatur re aliena, aut illam donet, vendat, &c. sive demum per hoc, quod appareat novum damnum consurgere creditori ex omissione restiturionis, puta si in carcerem sit detrudendus, eo quod non habeat, unde alteri solvat, quod debet, &c. sic enim voluntas causandi novum damnum non continetur moraliter in illo peccato retentionis rei alienæ, sed est novum peccatum in confessione aperiendum.

Cæterum notat hic Bonac. q. 7. ex Mol. & aliis, Confessarium non debere esse nimis scrupulosum in investigando numero actuum internorum moraliter interruptorum; quia non conveniunt Doctores in assignanda ratione hujusmodi interruptionis. Quare, nisi novum damnum secutum sit creditori, vel habiti sint actus contrarii, satis erit investigare, quantum temporis res aliena detenta sit; sic enim facile plus minus cognoscetur numerus peccatorum, & status pœnitentis.

C A P U T II.

An Restitutio sit actus Justitiæ commutativæ?

SUPPONO celebrem divisionem Justitiæ in commutativam, distributivam, legalem, & vindicativam; quæ tamen divisio non est generis in species rigorosas, & univocas, sed valde analogas; nam commutativa solum participat nomen, & rationem strictæ, & rigorosæ justitiæ, quæ ex Ulp. *l. Justitia, ff. de Just. & Jure* definitur *Constans, & perpetua voluntas Jus suum cuique tribuendi:* Itaque

Justitia commutativa est, quæ jus strictum, & rigorosum cuique tribuit, seu adæquat arithmetice, ita ut nec plus, nec minus tribuat, quam quod præcise exigit jus in re, vel jus ad rem alterius, sive illud præstando, sive non lædendo, & consequenter consistit in indivisibili. Vocatur autem *Commutativa*, quia præcipui ejus actus in mutua rerum commutatione consistunt; vocatur etiam *Justitia particularis*, quia exercetur inter personas particulares, vel instar particularium se habentes: vocatur etiam *Justitia vulgaris*, quia passim vulgo exercetur; absolute autem, & simpliciter venit sub nomine Justitiæ. Hinc dicitur servare *medium rei*, hoc est æqualitatem rei ad rem, seu ad jus alterius, quæcumque sit persona, cujus sit ea res: cum reliquæ virtutes dicantur servare *medium rationis*, hoc est, quod juxta dictamen rationis proportionatur qualitati personæ; sic e. g. in Gratitudine, quod est æquale respectu unius, est nimium, vel minus respectu alterius, &c.

Justitia distributiva est, quæ distribuit particularibus proportionaliter bona Communitatis, puta Officia, Beneficia, aliaque bona ad totam Communitatem spectantia. Atque hæc est justitia minus proprie dicta, quia non respicit, per se loquendo, jus strictum particularium; sed jus quoddam congruitatis, & convenientiæ; cum enim hæc bona sint propria Communitatis, sequitur, ut nemo in particulari habeat jus proprietatis ad illa, sed tantum congruitatem majorem, vel minorem, prout magis, vel minus dignus, seu aptus extiterit.

Justitia legalis est, per quam Princeps condit leges respiciendo bonum publicum, & quas subditi tenentur servare; ideoque vocatur etiam justitia communis, & generalis, qua scilicet quilibet tenetur conformare se moribus, ac legibus universalibus propter bonum commune: sed neque hæc est justitia stricte accepta, quia non respicit jus strictum Legislatoris, aut Communitatis, ideoque ejus violatio non dicitur injustitia, sed inobedientia.

Justitia vindicativa est, per quam commensuratur pœna delicto; & huic per excessum opponitur Crudelitas, per defectum nimia Remissio, seu Conniventia: sed neque hæc est justitia stricte accepta, cum nec Judex habeat jus proprietatis ad exigendam pœnam, nec delinquens ad dandam.

Dico primo: Restitutio est actus Justitiæ commutativæ: Doctores communiter. Ratio est, quia Justitiæ commutativæ est reddere cuique jus suum: ergo ejusdem est jus alterius læsum reparare, quod idem est, ac restituere, & consequenter ex violatione justitiæ commutativæ oritur obligatio restituendi, seu ponendi æqualitatem inter ablatum, & redditum, inter damnum, & compensationem, sicque injuriam realem illatam tollere. Noto tamen, non omnem actionem contra justitiam commutativam inducere onus restitutionis, sed eam tantum, quæ vere, & realiter intulit damnum alteri, juxta dicta cap. antec.

Dico secundo: Qui non servat justitiam distributivam, per se loquendo, non tenetur ad restitutionem: Doctores communiter. Ratio est, quia nullum violat jus strictum alterius: Hinc, si Princeps in distributione officiorum civilium, puta Præfecturæ, Gubernatoris, Judicis, &c. præferat minus dignos dignioribus, per se loquendo, non tenetur, quidquam his restituere, quia non habent ad illa jus proprietatis, neque in re, neque ad rem, sed tantum majorem quandam aptitudinem, seu congruitatem, unde nulla fit eis injuria. An autem tunc Princeps teneatur quidquam restituere ipsi Communitati, distinguendum; si enim contulit officium positive indigno, seu inepto ad illud exercendum, peccat graviter, & tenetur resarcire omne damnum, quod inde secutum est Communitati; quia hæc habet jus strictum ad talia officia, ut in suum commodum bene administrentur: si autem contulit officium minus quidem digno, sed tamen apto, posthabitis aptioribus, probabile est apud Ills. *de Justit.* num. 9. cum aliis contra alios, non teneri de damno, si quod inde forte sequatur Communitati; quia sic etiam apte providit bono communi; ut etiam pater de Œconomo, qui communiter non obligatur ex justitia commutativa ad constituendos operarios optimos, sed tantum ad aptos. Hinc communis etiam timoratorum praxis est, ut damna ex tali electione secuta absque remorsu conscientiæ non resarciantur Communitati, sed tantum, si sequantur ex electione ineptorum.

An autem sit licitum Principi vendere officia secularia? dubitant Doctores, & mordicus negant Adt. Salon. Azor. & alii, quia Principes non sunt Domini, sed tantum administratores Reipublicæ, & Officiorum; sed Haunol. apud Croix l. 3. p. 2. num. 991. ait, consuetudinem prævalere in contrarium etiam in Curia Romana; ideoque curandum, ut serventur, quæ jure naturæ sunt servanda, nempe ut vendantur pretio moderato, & personis cæteroqui aptis, quæque prudenter judicantur officio bene functuræ; si secus fiat, peccatur graviter contra justitiam commutativam debitam Communitati. Officia vero Ecclesiastica, puta Œconomi, Custodis, Sacristæ, aliorumve administrantium res temporales Ecclesiæ, si exerceri soleant a solis Clericis, simoniace venderentur ex jure saltem Ecclesiastico, juxta dicta in de Contract. d. 5.

Cæterum notat Less. num. 23. justitiam distributivam aliquando includere etiam commutativam respicientem jus strictum particularium in distributione bonorum communium: quod jus oriri potest, vel ex lege Superioris, aut consuetudine, vel ex conventione, seu pacto, vel ex intentione institutoris talium bonorum. Sic lege, vel consuetudine tenetur Dux ex justitia etiam commutativa distribuere spolia hostium militibus juxta proportionem meritorum, itaut quisque miles habeat jus proprietatis ad illa commensuratum suis meritis, adeoque inducens onus restitutionis, si in tali distributione lædatur: Ills. n. 8. Similiter in collatione Beneficii Ecclesiastici, si fiat per concursum, & prævio examine, quisque concurrens ex tacito pacto cum examinatoribus, & collatore acquirit jus proprietatis ad illud obtinendum, si inventus sit dignior; ideoque, si postponatur minus digno, obligat illos ad restitutionem, quanti scilicet erat ejus spes; at, si fiat collatio absque examine, & concursu, quamvis sit

lex

lex Ecclesiastica graviter obligans, conferri absolute digniori, maxime, si sit beneficium Curatum (nam de simplici est dubium) tamen, cum hæc lex non obliget ex justitia commutativa, nihil videtur restituendum digniori posthabito, neque Ecclesiæ, seu Communitati, nisi minus dignus sit positive ineptus, ut dictum est de officio seculari. Denique, si quis legaverit v. g. 100. aureos distribuendos annuatim Studiosis Academiæ pro cujusque habilitate, vel inopia, tunc distributor etiam ex justitia commutativa tenetur ad talem distributionem itaut, si habiliori, vel pauperiori minus dederit, teneatur ei restituere ad justam proportionem, ad quam is acquisivit jus proprietatis ex intentione legantis: idemque est de eleemosynario Principis, dum jubetur distribuere eleemosynam certis pauperibus secundum proportionem indigentiæ: unde etiam sequitur, ut, qui ultra suam proportionem accepit, teneatur excessum restituere: v. Less. n. 23.

Ex dictis infers, tunc haberi peccatum acceptionis personarum, cum obligatur distributor ex justitia commutativa, contra quam graviter peccat eligendo minus dignos, vel ineptos. Si vero nulla admisceatur justitia commutativa, non habetur rigorosa acceptio personarum in electione minus digni, modo sit aptus, quia tunc revera non habetur rigorosa injuria, peccatur tamen saltem venialiter contra jus congruitatis, & convenientiæ, quod habet dignior posthabitus; & quoad beneficia peccatur graviter, ratione legis Ecclesiæ graviter obligantis, juxta modo dicta: v. Laym. Less. c. 34. num. 67.

Dico tertio: Qui non servat justitiam legalem, per se loquendo, non tenetur ad restitutionem: Doctores communiter. Ratio est eadem, quia non facit contra jus strictum alterius. Hinc, si in publica Patriæ necessitate extraxeris tuum frumentum contra legem prohibentem, non teneris post transactam necessitatem illud, etiamsi possis, restituere Patriæ; quia, etsi peccaveris contra pietatem debitam Patriæ, & obedientiam debitam legi, non tamen contra justitiam commutativam; quod enim debent Cives Reipublicæ, quousque apud ipsos manet, non est Reipublicæ appropriatum. Ideoque nec innocens non se tradens hosti tenetur restituere damna Reipublicæ, si ob id hæc oppugnetur, & pereat. Nec privatus non prohibens Reipublicæ incendium, aut aliud damnum, tenetur illud resarcire: Less. l. 2. c. 1. d. 11.

Similiter, qui contra edictum Principis extrahit merces, non tenetur ad restitutionem, etsi ex violatione talis legis augeatur notabiliter pretium illarum, quia solum violat justitiam legalem, & publicam: Item nec tenetur Reus quidquam restituere, si juridice interrogatus taceat veritatem, unde damnum Fisco, vel alteri sequatur, quia peccat solum contra justitiam legalem, cum non teneatur ex justitia commutativa dicere veritatem, & procurare utilitatem alterius: Tamb. c. 2. Ex idem probabiliter Less. Sanch. & alii apud Trull. dicunt de Testibus; secus vero, qui falsum dixit in damnum alterius, quia sic facit contra jus strictum, quod quisque habet, ne falso damnificetur. An autem fraudantes gabellas teneantur ad restitutionem, dictum est in de Contr. d. 4. Demum noto, in Principe cum justitia legali fere semper conjungi commutativam, si scilicet ferat leges noxias bono communi, quia violat jus strictum Communitatis, in cujus commodum cedere debent leges; ideoque tenetur ad restitutionem: Trull. & alii.

Dico quarto: Qui non servat justitiam vindicativam, per se loquendo, neque tenetur ad restitutionem. Ratio est eadem, quia, per se loquendo, non lædit jus strictum alterius; justitia enim vindicativa per se spectat æqualitatem pœnæ cum culpa, non vero cum jure Communi, aut personæ læsæ. Hinc Reo licet fugere pœnam: &, quamvis id faciat effringendo carceres, non tamen tenetur eas reficere, neque resarcire damnum, quod inde custos carceris pateretur, neque compensare damnum Reipublicæ, si alii captivi per effractum carcerem elabantur: Lug. d. 40. s. 4. ratio horum est, quia utitur jure suo, & nulli facit injuriam; secus vero, si vim inferret custodi, aut satelliti, eos vulnerando, percutiendo: Less. c. 31. n. 51. Similiter, qui non est minister justitiæ, potest juvare reum, ut fugiat, suppeditando consilia, & instrumenta; si tamen ipse effringat, tenetur ad restitutionem damni secuti, quia effractio soli reo est licita: Less. n. 40. Bon. & alii. Denique reus mulctam pecuniariam non tenetur ipse per se præbere, nisi cogatur a Judice; quia nemo tenetur in se exequi pœnam. Si autem ad eam damnatus est revera injuste, sed juste secundum allegata, & probata, potest uti occulta compensatione, & is, cui talis pecunia applicata est, id resciens, tenetur in conscientia restituere, juxta dicta de Contract. d. 4. c. 3. n. 2.

Quoad Judicem, si infligat penam majorem delicto, peccat etiam contra justitiam commutativam obligantem ad restitutionem, quia facit contra jus strictum delinquentis; si minorem, vel nullam, facit tantum contra justitiam vindicativam: &, si ipse sit supremus Judex, seu Princeps, non peccat; si vero sit Judex inferior, & remittat Reo pœnam pecuniariam, quam lege, vel consuetudine debebat Actori, vel Fisco, tenetur ipse hanc restituere, quia ratione salarii, & pacti obligatur ex justitia commutativa tum communitati, tum subditis: Mol. Reb. Med. Suar. & alii; quamvis contradicant probabiliter Vasq. Dian. Less. & Lug. d. 37. n. 112. apud Croix n. 83.

Quæres hic, An liceat vindicta privata?

Respondeo, Per se loquendo, licere læso appetere, & cuivis alii gaudere de observata debita æquitate pœnæ cum delicto, modo absit odium in delinquentem; & similiter licere etiam curare, ut id fiat per potestatem publicam. At illicitum est, sumere vindictam auctoritate privata, quia est usurpare potestatem Superioris, ex Ep. ad Rom. 12. *Non vosmetipsos defendentes*, idest ex Græco, *ulciscentes*. Permittuntur tamen in Republica aliquæ vindictæ privatæ, modo sint parvæ, pro quibus non solet ad Superiorem recurri; quia hoc reputatur necessarium, tum ad publicam pacem, ut quisque a minoribus injuriis, quæ ad Tribunalia non solent deferri, tutus sit; tum simul ad justam sui defensionem, ne scilicet alter injuriam inferre pergat: Less. l. 2. c. 47. n. 13. Hoc modo quidam Doctores apud eundem putant, eum, qui percutit alterum pugno, vel baculo, posse statim, & incontinenti repercuti, ne scilicet alter audacior in posterum ad similia evadat, & sic esset hoc genus quoddam defensionis.

CAPUT III.

An Restitutio esse possit actus alterius virtutis a Justitia commutativa distincta.

COMMUNIS sententia contra Ricch. & alios est negativa; quia nulla alia virtus a justitia distincta (quamvis sit virtus ad alterum, ut est Religio, Pietas, Gratitudo, &c.) respicit jus strictum alterius: ergo, si violetur, non obligat ad restitutionem. Ut id melius intelligas

Quæres primo, An dans operam rei illicitæ, quæ non sit contra justitiam, ex ea tamen sequatur damnum alteri, teneatur restituere?

Respondeo negative cum communi Doctorum sententia apud Croix n. 165. v. g. si noctu labores die festo, & ita incendas tuam, & alterius domum, nihil teneris restituere, quia non peccasti contra justitiam, sed contra Religionem: Gob. & alii communiter. Imo, etiamsi aliunde des operam rei illicitæ contra justitiam, & inde casu sequatur aliud damnum, non teneris hoc restituere: v. g. si noctu volens cum lumine accenso ingredi domum Titii ad furandum, casu accenderis horreum Caji, non teneris hoc damnum compensare Cajo, quia non est secutum ex actione injusta contra Cajum: Croix n. 166. Similiter, si noctu volens furari Titio pannum, & cum lumine accenso ingressus casu incendas ejus domum, neque teneris ei compensare damnum domus incensæ, quia tale incendium non prævidisti, ut supponimus, & gestatio luminis non erat actio de se læsiva juris, quod habebat Titius ad suam domum: imo, si apprehenso panno, dum alia vis surripere, sequatur illud casuale incendium, quo etiam pannus te invito comburatur, neque teneris panni damnum compensare, quia tua apprehensio panni non fuit causa efficax ejus combustionis; nam eodem modo fuisset comburendus, quamvis non apprehendisses: Lug. d. 18. Croix n. 169. & alii qui idem dicunt cum Dicast. contra Mol. si ingressus domum ad furandum, præter intentionem allisisti pedem in aliquod vas, & fregisti.

Similiter discurrendum de omissione actionis: si enim videas segetem, aut domum ab alio incensam, & potens extinguere incendium non extinguas, non teneris de hoc damno, quia peccas tantum contra charitatem; nisi vero eras custos publicus, aut aliunde tenebaris impedire incendium ex officio, quia sic omittendo peccas contra justitiam. Similiter, si ægrotus moriatur ex incuria Medici, qui nullum stipendium est pactu, Medicus non tenetur ad restitutionem, quia peccat tantum

contra

contra charitatem; secus vero, si esset stipendiatus, quia sic peccaret contra justitiam; uti etiam, si promiserit operam suam, cum sic non observando promissionem esset causa injusta damni: Less. l. 2. c. 18. n. 57. Ubi addit, eum, qui nun observat promissionem, quamvis non teneatur restituere lucrum cessans, teneri tamen compensare damnum emergens, cujus est causa non servando promissum.

Qui omittit succurrere proximo in extrema necessitate, nihil deinde tenetur ei restituere, vel ejus hæredibus, quia ex communi sententia apud Dian. p. 5. t.8. r.2. contra Nav. Cajet. & alios, non peccat contra justitiam, sed tantum contra charitatem. Idem est, etiamsi ille erat suus parens, vel filius, quia peccavit tantum contra pietatem; secus vero dicendum, si ex officio, aut pacto tenebatur eum alere, quia sic peccavit contra Justitiam.

Quæres secundo, An turpe lucrum, quod scilicet acquiritur per actionem peccaminosam contra virtutem a Justitia distinctam, sit restituendum?

Respondeo, Si pretium sit datum pro actione mala nondum posita, puta pro Assassinio patrando, esse omnino restituendum, quia actio illa non debet, nec potest poni: ergo nec retineri potest pretium pro ea ponenda: si vero liberaliter donatum sit munus ad alliciendum animum, v.g. feminæ honestæ ad peccandum, posset hoc ab ea retineri, sed adhuc omittendum esset peccatum, ad quod nunquam potest quis obligari: Lug. d. 18. n. 49.

Si actio mala jam sit posita, & pro ea acceptum sit pretium, non est saltem de jure naturæ restituendum: Doctores communiter contra Medin. & alios apud Dian. p. 2. t. 16. r. 38. quia tale pretium est acceptum sine ulla injuria; non enim dantis, quia hic sponte dedit pro actione sibi utili, vel delectabili, & gratis ab eo non præstanda, neque alterius, ut suppono; nam, si actio fuisset damnosa alteri, esset ei satisfaciendum, non ratione turpis lucri, sed ratione damni illati. Dixi *Saltem de jure naturæ*; nam aliqui putant, jus positivum statuisse, turpe lucrum restituendum; sed Sa, Less. Lug. & alii plurimi probabiliter dicunt, leges illas, cum sint pœnales, non obligare ante sententiam Judicis. Vide, quæ diximus in de Contract. d. 4. c. 5.

Si actio mala jam sit posita, propter quam erat contractum de pretio, tenetur alter ex justitia dare pretium promissum, nisi leges positivæ aliter statuant: Sanch. Less. Tamb. Lug. n. 59. & alii contra Nav. & alios: quia impleta jam ex una parte conditione, sub qua contractum erat de pretio, hoc debetur, non ratione peccati, sed ratione utilitatis perceptæ. Unde, qui eam actionem posuit, juste petit pretium, nec ideo approbat peccatum patratum, ut putat Nav. sed illo supposito, quod jam detestatur, urget, ut impleatur altera pars contractus conditionati, quæ sine peccato impleri potest: Croix n. 290. Quod verum est, etiamsi illa actio vel omissio fuerit contra justitiam, ut adulterium, assassinium, sententia injusta, omissio sententiæ justæ, &c. Excipe tamen, nisi fuerit contra justitiam præcise ratione ipsius pretii ob eam pacti, ut in usuris, & simonia, quia sic ipsum pretium injuste accipitur: etsi ergo usurarius dederit jam mutuum; vel simoniacus rem spiritualem, tamen non teneris pretium pactum solvere: unde, si usurarius illud acceperit, tenetur in conscientia, & ante sententiam Judicis restituere: & similiter tenetur simoniacus, si ex officio tenebatur conferre rem Spiritualem, ut Parochus; vel si conferre poterat absque suo damno temporali, ut Elector, Præsentator, & Collator Beneficii Ecclesiastici; si autem cum aliquo incommodo temporali (ut resignator beneficii) probabiliter non tenetur restituere ante sententiam Judicis, quia sic, etsi acceperit simoniace pretium, non tamen injuste: Less. c. 35. ubi idem probabiliter dicit de privante se commodo Reliquiarum, &c.

Quæres tertio, An sit restituendum, quod acceptum est pro re, vel actione aliunde debita?

Respondeo: Si ex justitia erat debita illi, qui dat pretium, restitui debet: Doctores communiter contra Nav. Sot. & alios; quia dans pretium pro re, ad quam habet jus, æquivalenter emit rem suam, ut redimat injustam vexationem: ergo pretium injuste acceptaretur: ergo restituendum: ut loc. cit. de Contractibus diximus de Judice accipiente pretium pro ferenda sententia justa, aut quam gratis adjudicare debet alterutri parti. Si autem actio, vel res ex justitia sit debita, non tibi, sed alteri: tunc dubium est apud Doctores, an possit retineri tuum pretium: e. g. Titio debita est vita sua, ideoque debetur illi omissio suæ occisionis, nunc quæritur, si tu scias ei intentari mortem a Cajo, ideoque des Cajo pretium, ne eum occidat, an Cajus possit hoc pretium retinere? Affirmant Sot. Ban. & alii; quia, quamvis Titius habeat jus ad illam omissionem, tu tamen non habes jus ad illam, & acquirere pretio hoc jus, potest tibi esse utile: ergo poteris hoc emere, & consequenter Cajus retinere pretium. Hanc sententiam Tamb. vocat non improbabilem; sed Less. n. 67. Lug. d. 37. n. 116. & alii communiter negant, quia non potest a Cajo vendi id, cujus Titius est Dominus: sed Titius est Dominus talis actionis, vel omissionis; illi enim debetur ex justitia: ergo non potest vendi tibi a Cajo, qui proinde restituere debet pretium.

Si autem actio, vel omissio sit debita ex alia tantum virtute distincta a justitia, non est obligatio restituendi pretium pro ea acceptum: Sot. Ban. Dian. Lug. n. 67. & alii contra Medin. Covar. Less. & alios apud Croix n. 295. Ratio est; quia, quando id, pro quo datur pretium, non erat debitum ex justitia (v. g. si accipiam pretium, ut deponam odium erga alterum) huic pretio respondet jus justitiæ, quod acquiritur, & non habebatur, antequam dares pretium, Neque obstat, quod illud des ex metu ad redimendam vexationem; nam neque metus, aut vexatio erat contra justitiam, uti nec odium; sed tantum contra Charitatem: ergo, qui accepit pretium non peccavit contra justitiam, & consequenter non tenetur restituere. Contra vero, qui accipit pretium pro mutuo, pro testimonio ferendo, pro collatione Beneficii, Ordinis, &c. tenetur restituere; quia, etsi non teneatur ex justitia mutuare, conferre beneficium, tamen hoc ipso, quod vult mutuare, conferre, &c. tenetur ex justitia gratis id præstare, juxta dicta de Contract. d. 2. q. 4. & d. 5. c. 3.

Quæres quarto, An teneatur restituere, qui aliquem impedivit a consecutione boni?

Respondeo, Qui impedivit alium a consecutione alicujus boni, ad quod habebat jus in re, vel ad rem, tenetur compensare damnum, quamvis fecerit sine vi, fraude, detractione, mendacio, &c. & quamvis fecerit sola suasione, vel precibus: ita tenent omnes; & ratio est, quia fuit causa efficax, cur alter non haberet id, quod suum erat, vel sibi debebatur. Contra vero non tenetur ad restitutionem, qui alium impedivit ab assecutione boni, ad quod non habebat jus neque in re, neque ad rem; nisi ex officio, aut contractu tenebatur non impedire, vel nisi impedierit vi, fraude, detractione, aut mendacio; ratio est, quia his præcisis nulli fit injuria; si enim principalis negans tale bonum ad nihil tenetur, neque tenetur, per se loquendo, impediens. Neque obstat, quod forte impediat ex intentione damnificandi alterum, quia sola hæc intentio non ponit obligationem restituendi: si autem impedierit vi, fraude, &c. tenetur compensare non solum illi, qui erat accepturus tale bonum, sed etiam illi, qui erat daturus; quia unusquisque habet jus strictum, ne vi, fraude, mendacio, aut detractione impediatur sua libertas: Sanch. l. 2. *Consil.* c. 1. d. 49. n. 9. & alii communiter. Quod uterque Nav. & Cov. dicunt etiam de impediente precibus importunis, utpote quæ æque, ac minæ, & metus vim inferre solent, & quia preces Superioris æquivalent jussui, æquiparantur etiam vi, & metui gravi.

Hinc non tenentur quidquam restituere mercatores, qui sine vi, fraude, detractione, aut mendacio invitant emptores ad suas officinas, etiamsi faciant ex intentione sic damnificandi alium mercatorem vicinum, quia is nullum habet jus ad omissionem talis actionis externæ; & illa intentio, quamvis injusta, cum se sola non sit damnificativa, non obligat ad restitutionem: Doctores communiter apud Croix n. 548. ex quo etiam infers cum Nav. Vasq. Sanch. contra Lug. quod si absque vi, fraude, &c. persuaseris Titio, ne faciat testamentum, quod prævidebas facturum in favorem Caji, nihil tenearis Cajo restituere: etiamsi id feceris ex intentione nocendi Cajo. Neque obest, quod dicitur *l. 2. ff. de aqua pluvia arcenda*, contra eum, qui fontem, vel aquæductum avertit, posse agi, si fecerit animo nocendi; nam quisque habet jus, ne ejusmodi bona naturalia sibi impediantur sine ulla tua utilitate; unde est, quod si id feceris non animo nocendi, ad nihil tenearis, ut ibidem dicitur: at in casu nostro Cajus nullum habet jus, ne sibi impediatur voluntas Testatoris: nisi id fiat dolo, fraude, mendacio, detractione, amovendo Notarium, &c. Neque obstat iterum paritas arreptionis libri alieni, quæ per solam intentionem furandi fit injusta; nam hæc actio externa de se est materialiter læsiva juris, & per eam intentionem fit formaliter talis; non sic autem est ea suasio, utpote nullius læsiva

juris:

juris: similiter, cum nullius sit læsiva juris manifestatio injuriæ mihi factæ a Titio, in circumstantiis petendi consilium, non pecco contra justitiam, etsi tunc simul habeam animum infamandi Titium, neque adeo teneor ad restitutionem, juxta dicenda d. 2.

Religiosus, qui sine vi, dolo, &c. suadet Testatori, ut potius suo Monasterio, vel Religiosis relinquat legata, quam Matrici Ecclesiæ, peccat quidem graviter contra *Clement.* t. *de Privil. in 6.*, ubi etiam excommunicatur: tamen non tenetur restituere, ut probabilius docent Sanch., & Lug. d. 18. n. 95. contra Molin., quia Ecclesiæ Matrici nullum erat acquisitum jus in re, vel ad rem, nec peccatum est, nisi contra obedientiam debitam Pontifici, qui non præcipit reparationem damni: Croix n. 74.

Si precibus non importunis, hortationibus, pollicitationibus impedias, ne Titius conferat Beneficium Ecclesiasticum Cajo extra concursum, ne det tali pauperi eleemosynam, &c., non teneris ad restitutionem Cajo, aut pauperi, etiamsi ex odio illorum facias; teneris vero, si mendaciis, dicendo v. g., Cajum esse indignum, illum non esse pauperem, eum tamen sit dignus, sit pauper, &c. Sanch., Croix n. 70. At, si impedias, ne Titius conferat beneficium indigno, eleemosynam pauperi ficto, &c., etiamsi vi, fraude, aut mendacio id facias, non teneris quidquam restituere, quia indignus nullum habere potest jus: Doctores communiter cum Dian. p. 3. t. 6. r. 33. Sicuti contra, si precibus obtineas beneficium, aut officium indigno, teneris de damno secuto Ecclesiæ, aut Reipublicæ, cui fit injuria; &, si per fraudes, teneris etiam dignis posthabitis, quibus pariter fit injuria, juxta dicta c. antecedenti. Demum si fraude, vel mendacio declines mulctam pecuniariam imponendam a Judice tibi, vel aliis ob aliquod delictum, probabile est ex Sanch., Less. c. 11. n. 136. Lug., Dian., & aliis contra alios multos, non teneri quidquam restituere Fisco, aut alii, cui erat applicanda, quia, cum pœna non sit debita ante sententiam, impedis, ne acquiratur jus; fraus autem, & mendacium in casu adhibentur ad tuenda propria bona, ad quæ habes jus: jus autem, quod habet quisque, ne tua fraude, aut mendaciis impediatur a consecutione boni, tunc est, cum bonum illud non est tuum proprium: v. Less. c. 11., Croix n. 82.

Si alterum impedias a consecutione boni revelando verum, sed occultum crimen, teneris ad restitutionem tum famæ, tum damni ex bono impedito; quia peccasti graviter tum contra ejus famam, tum contra jus, quod habebat, ne per detractionem impediretur. Idem est, si per effractionem litterarum alienarum fuisti causa impediens alterius bonum; & idem est, si detinueris litteras alienas, quando ex officio, vel contractu tenebaris tradere: Lug., Mol., Croix n. 76. Si tamen per artificium legeris, aut effractas iterum clauseris, & debito tempore tradideris, Less. c. 12. n. 131., Pal., & alii dicunt, non teneri restituere, quia tunc damnum indirecte, & per accidens sequitur ex revelatione secreti; directe autem ex jure, quod habebas ad instantem pro illo bono post obtentam eam notitiam: idem dicunt Pal., & alii apud Croix n. 77. contra Lug., & Rebell., si fragmenta litterarum ab altero dilaceratarum collegisses, & in ordinem redactis secretum perlegisses.

Si aliquo modo occupes procuratorem Titii, v. g. invitando ad prandium, ne sic posset obtinere Titio aliquod bonum, tunc, si procurator ex officio, vel contractu tenebatur illud procurare, teneris resarcire Titio, quia fecisti fraudem in damnum, ad quod vitandum procurator ex Justitia tenebatur: si vero procurator erat voluntarius, & sponte, vel ex amicitia volebat servire Titio, tunc, si is sciverit tuam intentionem, ad nihil teneris, quia deceptus non est, sed libere abstinuit a procuratione; si vero eam ignoraverit, teneris. qui adfuit fraus: Lug. d. 18. n. 103.

Quæres quinto, An teneatur restituere, qui facit aliquid, quod imputabitur alteri, qui ideo damnum patiatur?

Respondeo cum Mol., Sanch., Less., & aliis communiter contra Vasq. non teneri; quia si damnum non sequatur ex natura sua regulariter ex positione talis actionis, sed ex ignorantia, vel malitia alicum, talis actio non censetur injuriosa alteri, cui non sit proprie causa, sed tantum occasio illius damni, quod ex Justitia non tenetur impedire, sed tantum ex charitate. Hinc, si occidas Titium, etiam intendens, ut hoc homicidium imputetur Cajo; ideoque Cajus patiatur damna, probabile est, te non teneri quidquam restituere Cajo, quia sola intentio et dictis non esthausativa damni, & hoc secutum est ex errore aliorum, qui ex conjecturis imputarunt homicidium Cajo: Sanch., Less., Tamb., Dian. p. 11. t. 2. r. 34., Croix n. 156., teneris tamen compensare Cajo, quidquid ipse solverit hæredibus Titii, quia tu tenebaris ea solvere: Doctores communiter cum Lug. n. 84.

Si autem te induisses vestibus Caji, aut usus fuisses ejus gladio, quam adhuc sanguinolentum posuisses in ejus vagina, & inde ipse habitus esset ut homicida, teneris reparare ejus damna, quia moraliter influxisti in talem imputationem; tunc enim censetur tua actio influere moraliter in imputationem, cum ex illa ut plurimum sequitur imputatio, ut in casu posito: Less. l. 2. c. 9. n. 114. Limitat Tambur. apud Croix n. 157., nisi in ejusmodi actione utaris jure tuo, puta si te induisses vestibus Caji, ut effugeres mortem. Si cadaver Titii occisi ponas ante damum Caji, intendens, ut Cajo imputetur homicidium, & ideo patiatur damnum, Tamb. dicit, te non teneri resarcire, quia non videris moraliter influxisse in imputationem, cum ea sit tantum levis occasio inquirendi in Cajum, ut addit Lugo; sed oppositum probabilius tenet Sanch. l. 1. *Consil.* c. 5. d. 5. n. 72., quia saltem ex parte cooperaris imputationi, & per fraudem videris inducere Cajum ad hæc damna. Si infantem ante tuum ostium inventum ponas ante ostium Titii, qui ideo facere debet expensas, non peccas contra Justitiam, quia non inducis Titio obligationem Justitiæ ad providendum infanti, sed tantum das occasionem exercendæ misericordiæ: Sanch., Lug. d. 18. n. 114. Si autem tantum ne patiaris infamiam, noctu exponas tuam prolem, ut inventa ferri debeat ad hospitale, ex communiori sententia teneris compensare hospitali expensas, quia talia hospitalia sunt instituta pro infantibus egenorum; quamvis Henr. putet, esse instituta etiam ob periculum prolium, quæ ob tegendam infamiam sæpe occiderentur, quod videtur probabile apud Croix n. 159.

Quæres demum, **An aliquando sit obligatio restituendi eleemosynas?**

Respondeo, Qui se pauperem finxit, & ita accepit eleemosynam, tenetur restituere: Vasq., Lug., Dian., & alii communiter; quia, qui dedit, erravit in substantia, seu in motivo dandi eleemosynam, quod est paupertas. Notant tamen Mol., Sot., Fagund., & alii, esse plurimos, qui, licet non darent, si fictionem scirent, si tamen dederint modica, præsertim quæ consumpta sunt, nolint restitui. Addit Dicast. apud Croix n. 161., quod, si fraus sit tantum circa modum, puta si se fingat pauperiorem, vel falso dicat, se fuisse captivum apud Turcas, non tenetur restituere, quia datio eleemosynæ manet simpliciter voluntaria quoad substantiam. Si autem fingas te v.g. Italum, quales tantum admittuntur ad certa hospitalia, teneris restituere, quia hæ eleemosynæ ex fundatione solis Italis debitæ sunt. Si actu non egeas ad victum, si tamen immineat necessitas proxima, potes nunc petere, & accipere eleemosynas; quia, quod in proximo est, reputatur præsens: sic ex Baldo docet Diana p. 2. t. 5. r. 8., pauperem posse petere eleemosynam pro filia dotanda, etiamsi non desint necessaria ad suam vitam, & filiæ: idem est, si alicui incumbat onus alendi matrem, quod Lugo extendit etiam ad eum, qui peteret pro fratre, vel sorore indigente, pro quibus Sanch. agnoscit aliquam obligationem legalem. Imo Cajet., Valent., & Sanch. dicunt, posse divitem petere eleemosynas, quando similes eleemosynas ex suis bonis erogat in pauperes, quod permittit Lugo, si eroget pauperi extraneo, non tamen si fratri, vel sorori, quia hi habent jus aliquod petendi a fratre; & consequenter, si talis frater est dives, ipsi non censentur pauperes.

Si Eremita petierit eleemosynas pro sacello, cujus ædificium ipsi est demandatum, potest etiam ipse inde vivere, quia inter necessaria illi loco etiam est ipse victus: Lug. l. 6. *Resp.* d. 17. Quod, si aliqua supersint, potest dare pauperibus, nisi datum esset ex speciali devotione ad locum. Demum in casu, quo debetur eleemosynæ restitutio, Cajet., & Nav. dicunt, faciendam danti: Sotus, & alii dicunt, faciendam aliis pauperibus: Vasq., Pal., Tamb. dicunt, posse fieri vel danti, vel pauperibus, prout volet: Mol. Lug., Dian. distinguunt, si unus multum dedisset, huic restituendum; si multi dederint modica, restitui posse pauperibus, quia talis prudenter præsumitur voluntas eorum, qui dederunt.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Radicibus Restitutionis.

Ex communi post D. Thom. sententia duæ sunt radices, seu capita, ex quibus oritur obligatio restitutionis stricte sumptæ, nimirum *Injusta acceptio*, & *Res accepta*. Per rem acceptam, intellige rem alienam, quomodocumque etiam bona fide apud te existentem, sive in seipsa, sive in æquivalenti. Per injustam acceptionem, intellige actionem peccaminosam, qua accipis, detines, vel destruis rem alienam. Hinc, qui bona fide rem illam apud se habet, sive in seipsa, sive in æquivalenti, dicitur possessor bonæ fidei, & tenetur ex re accepta; qui vero mala, vel dubia fide accipit, detinet, aut destruit, dicitur acceptor, possessor, aut damnificator malæ fidei, & tenetur ex injusta acceptione, &, si res extet, etiam ex re accepta. Præter has radices est tertia, nimirum ex Contractu, quæ tamen pertinet ad restitutionem late sumptam, & de his omnibus hic agendum.

CAPUT I.

Ad quid teneatur possessor, seu destructor bonæ fidei ratione rei acceptæ?

Dico: Tenetur, statim ac scit, rem esse alienam, restituere eandem numero; si non extet, æquivalens, in quo ex ea factus est ditior. Si autem legitime præscripserit, ad nihil tenetur: Doctores communiter. Ratio est, quia possessor bonæ fidei debet servari indemnis ex communi Doctorum sententia: ergo, si quando scit, rem fuisse alienam, legitime præscripsit, potest in conscientia retinere ut suam, juxta dicta q. 1. c. 3.; si nondum legitime præscripsit, debet restituere eandem in specie, si extet (ut loquuntur Juristæ) hoc est eandem numero rem, quare non potest tunc juste restitui alia numero distincta loco illius, etiamsi sit ei æquivalens; quia res ipsa clamat ad dominum, & hic non potest cogi, rem suam permutare, si rationabiliter nolit; quod verum est, etiamsi superaddatur aliquid supra justum pretium, ut ex communi sententia notat Dicastill. contra Valerum apud Croix num. 115. Excipe tamen, nisi res sit pecuniaria, aut alia unico usu consumptibilis, in qua sola diversitas numerica nullam faciat inæqualitatem, nec rationabilem reddat affectionem domini ad suam in individuo; tunc enim potest juste restitui æquivalens: Dicastill., & Croix ibidem contra Covar., Med., & alios.

At, si res non extet, possessor bonæ fidei solum tenetur ad æquivalens, in quo ex ea factus est ditior: hoc est, si ex ipsa habeat nunc aliquid, quod alioqui non haberet; ut, si illam vendidit, & nunc habet ejus pretium, aut rem aliam, cum qua permutavit; si eam consumpsit, & sic pepercit suæ rei, aut pecuniæ nunc existenti. Si autem nihil horum existat, ad nihil omnino tenetur, quia secus non servaretur indemnis: idemque est, si dubitet, an factus sit ditior, quia melior est conditio bona fide possidentis: Sanch. l. 2. *Decal.* cap. 25. num. 37., Bonac., Trull., & alii. Hinc resolvuntur sequentes casus.

I. Si quis bona fide utens aliena veste pretiosa pepercit vesti sua viliori, tenetur tantum restituere valorem ejus, quod de sua attrivisset, quia in hoc tantum factus est ditior ex aliena. At, si sua, cui pepercit, erat pretiosior, tenetur tantum restituere valorem ejus, quod de aliena attrivit, quia non est factus ditior ex aliena, sed tantum occasione illius pepercit suæ, & alter accipit, quod sibi erat consumptum: Lug. d. 17. num. 11. Si demum vestem alienam putans esse suam, casu, aut voluntarie, aut etiam culpabiliter combussit, ad nihil tenetur, quia nihil ex ea factus est ditior: Doctores communiter contra Adrian., & Sot. Idemque est, si eam alteri donavit; nisi quod tunc tenetur monere donatarium, ut eam reddat Domino, &, si aliquid ab eo redonatum habeat, restituere debet Domino vestis, si non possit hic eam habere a donatario.

II. Si quis per annum bona fide comederit laute apud furem ex rebus furtivis, tenetur, cum rescierit, restituere Domino solum valorem ejus, quod ipse eo anno expendisset juxta suum statum domi suæ comedens, quia in hoc tantum factus est ditior parcens rei suæ; imo probabile etiam est, neque ad id teneri, si res furtiva erat unico usu consumptibilibus, & fur sit potens aliunde restituere, quia Dominus sic non habet jus ad eandem numero rem: Sayr., Trull., & alii cum Dian. p. 2. t. 5. r. 45. Similiter, si quis pecuniam furtivam a fure donatam bona fide accipiens expenderit in usus extraordinarios etiam peccaminosos, quos ipse juxta suum statum alioqui non decreverat facere, ad nihil tenetur, quia nihil ex ea factus est ditior; imo nec tenetur, etiamsi factus sit ditior, vel eam nondum expenderit, si fur eam prius miscuerat cum sua, itaut discerni non posset, & nunc sit aliunde potens restituere Domino; quia sic non donavit ex alieno, sed de suo, juxta dicta q. 1. c. 3..

III. Si bona fide emeris a fure equum Titii, & bona fide vendideris Paulo, & postea scias, fuisse Titii, non teneris ex justitia monere Titium, nec Paulum; si non possis recuperare pretium, quod furi bona fide dedisti; quia potes te servare indemnem: Less. c. 14. num. 30. Similiter, si compareat Titius, & Paulus non inveniatur, ad nihil teneris Titio, quia neque habes equum, neque ex eo factus es ditior, cum tanti vendideris, quanti emisti: Less. num. 29.; imo, si pluris vendideris, probabile est ex Mol. contra Less., & Sanch. apud Dian. p. 3. t. 5. r. 41. quod nec tenearis hunc excessum reddere Titio, quia videtur fructus industriæ. Similiter, si Paulus equum restituat Titio, antequam tibi exhibeat, probabiliter non teneris ei reddere suum pretium, si ideo non possis recuperare tuum a fure; quia aliter non servareris indemnis: Less. num. 28. contra Sanch. l. 1. *Decal.* c. 13. num. 28.

At, si Paulus comparente Titio exhibeat tibi equum ei reddendum, petens rescindi contractum, & reddi sibi suum pretium Navar., Sylv., Cajet., Lop., & alii apud Sanch. num. 16., & apud Dian. p. 2. t. 15. r. 11. probabiliter putant, te non teneri in conscientia rescindere, sed posse cedere Paulo actionem tuam in furem, si prudenter ab eo recuperare possit suum pretium, ut limitat Lopez; quia non teneris tu, neque ex injusta acceptatione, neque ex re accepta. Sed probabilius dicendum oppositum cum Sot., Sanch., Less., Bon., Busemb., & aliis communius ex D. Th., quia teneris Paulo de evictione non solum pro foro externo, sed etiam in conscientia, ut notat Sanch. num. 18. contra Navar.; neque pro ea potes remittere ad furem, cum quo Paulus nullum negotium gessit: neque obstat, quod non sis factus ditior, quia obligatio reddendi pretium oritur in casu ex contractu venditionis ferente natura sua evictionem; ideoque, si nequeas pretium tuum recuperare a fure, tribuendum fortunæ, & casui.

Quæres primo, An possessor bonæ fidei teneatur, præter rem alienam, restituere etiam fructus inde perceptos?

Respondeo, Fructus alios dici naturales, alios industriales, alios mixtos. *Naturales* sunt, qui ex natura ipsius rei proveniunt absque ullo fere labore, vel industria humana; ut sunt fœtus animalium, fructus arborum, herbæ pratorum, sylvæ cæduæ, pretium elocationis, quod dicitur etiam fructus civilis, &c. *Industriales* sunt, qui non ex ipsa natura rei, sed præcise proveniunt ex industria hominis utentis re, tamquam instrumento; ut sunt omnia instrumenta artium, item pecunia, utpote natura sua sterilis; quare lucrum reportatum ex usu instrumentorum, ex pecunia negotiationi exposita, dicitur fructus industriæ: at non item est secundum Mol., Less., & alios communiter contra Nav., & Lop. de lucro reportato ex torque aureo elocato ad usum, quia sic non se habet, ut instrumentum, sed veluti domus locata. *Mixti* demum sunt, ad quos notabiliter concurrit tum natura ipsius rei, tum hominis industria, ut segetes ex agro, vinum ex vineis, &c. v. Croix n. 105.

His expositis, Dico primo, Possessorem rei alienæ bona fide nullatenus teneri restituere fructus industriales, sive extent, sive non extent, sive etiam ex his factus sit ditior; quia non sunt fructus rei, sed propriæ industriæ: Doctores communiter. Dico secundo, Teneri restituere fructus tum naturales, tum mixtos, si extent (nisi forte eos legitime præscripserit juxta dicta q. 1. c. 3.) quia res, ubicumque sit, fructificat Domino suo: cæterum detrahere sibi potest valorem expensarum, laborum, &c.; imo ex mixtis retinere potest, quantum lucri respondet suæ industriæ, itaut, si hæc plus contulit, quam natura, plus retinere possit; si mi-

si minus, minus: Croix n. 124. & alii communiter: Dico tertio, Si tales fructus non extent; tunc, si ideo non extent, quia eos vendidit; vel quia ipsemet consumpsit, tenetur restituere tantum, in quo factus est ditior, deductis deducendis; si autem ideo non extent, quia liberaliter donavit, vel quia culpabiliter etiam dis perdidit, vel quia etiam culpa sua eos non percepit, & Dominus percepturus fuisset, non tenetur pro iis quidquam restituere, quia non inde factus est ditior, & ratione bonæ fidei debet servari indemnis: Less. c. 14. n. 12.

Quæres secundo, An possessor bonæ fidei teneatur restituere etiam melioramenta in re aliena facta?

Respondeo, Melioramenta alia esse intrinseca rei, alia extrinseca. *Intrinseca* dicuntur, quæ separari a re non possunt, ut implantatio arborum, inædificatio domus, specificatio, accessio, alluvio, &c. juxta dicta q. 1. c. 3. *Extrinseca* dicuntur, quæ salva re separari possunt, ut tabulæ, januæ, fenestræ, torcular, &c. Dico nunc, melioramenta extrinseca posse retineri, intrinseca vero debere reddi una cum re Domino rei; quia hæc, & non illa evadunt idem cum re, & cedunt Domino rei, juxta ibid. dicta. Potest tamen possessor bonæ fidei exigere a domino expensas pro his factas, etiamsi non erant melioramenta necessaria, nec utilia, sed voluntaria, & ad meram voluptatem facta, ut deambulacra, aliave ad ornatum, & delicias; quia debet etiam in his servari indemnis. Hinc, si ea magni valeant, & Dominus compensare nolit, poterit retineri res, donec compensentur, vel cogi Dominus ad rem sibi vendendam justo pretio. Noto tamen, eorum valorem non pluris æstimandum, quam est, & manet nunc auctus, quando ad Dominum redeunt, quia hoc tantum habet Dominus ex ejus expensis; quare non debet compensare, quantum olim fuerit expensum, sed quantum valent in præsenti; reliquum vero tribuendum fortunæ, & casui: Mol. Sanch. Lug. & alii communiter ex *l. in fundo, ff. de rei vindicat.*

Quæres tertio, An possessor rei alienæ bona fide teneatur restituere Domino etiam lucrum cessans, aut damnum ei emergens ex carentia rei suæ?

Respondeo negative; quia neque horum est culpabilis causa, neque ex his factus est ditior. Imo, etsi ipse ditior sit factus ex negotiatione alienæ pecuniæ, quod lucrum cessaverit Domino, neque tenetur de isto lucro; quia, ex jam dictis est fructus industriæ. Similiter, si pecuniam alienam bona fide immiscuerat suæ, itaut discerni non possit, & nunc ejus valor creverit, non tenetur restituere augmentum, quia crevit ipsi, tanquam Domino, nec fuit in culpa, cur non creverit alteri. Similiter, si valor decreverit, & ea pecunia immixta jam fuerit cum sua, itaut discerni nequeat, non tenetur restituere, nisi secundum valorem præsentem; quia debet servari indemnis.

Excipe tamen primo: Si possessor bonæ fidei, postquam certo scit, rem esse alienam, sit in mora culpabili restituendi, tenetur ad lucrum ex nunc cessans, & damnum Domino emergens; quia ex nunc incipit esse malæ fidei: Secundo, si successerit, tanquam heres immediatus, possessori malæ fidei, tenetur loco illius de damnis, & lucris; quia ex jure repræsentat ejus personam, adeoque sibi non suffragatur sua bona fides: Lug. d. 17. n. 79. secus vero, si successerit quovis alio titulo, juxta dicta q. 1. c. 3. Tertio, si rem bona fide vendiderit tertio, tenetur huic de damnis, & lucris, si ea res postea a Domino suo per Judicem evincatur; quia sic tenetur, non ex re accepta, neque ex injusta acceptione, sed ratione evictionis: Croix n. 18.

Quæres quarto, Ad quid teneatur, qui dubia fide possidet rem alienam?

Respondeo, Possessorem dubiæ fidei non esse, qui probabiliter putat, rem, quam possidet, esse suam, quamvis probabiliter, imo etiam probabilius putet, esse alienam; sic enim est possessor bonæ fidei. Dicitur ergo possessor dubiæ fidei, qui nullam habet pro se rationem solide probabilem, sed tantum leves conjecturas. Hoc supposito, qui bona fide cœpit rem possidere, & deinde incipit dubitare, tenetur ex justitia inquirere Dominum, & interim servare rem una cum ejus fructibus. At, si post factam diligentiam adhuc perseveret dubium, remanet possessor bonæ fidei. Unde poterit rem sibi retinere, consumere, imo etiam alienare, admonendo tamen emptorem de tali dubio, utpote de vitio rei, & cum animo, ut, si deinde compareat Dominus, restituat id, in quo factus est ditior. Ratio horum est, quia *in dubiis melior est conditio possidentis*, ex *Reg. jur. in 6.* Neque obstat Regula illa *C. Ad audientiam, de Homic. In dubiis tutior pars est eligenda*; Nam hæc tantum in irregularitate est præceptiva, in reliquis est solum consultiva, ut notat Suar. *de Censur.* d. 24. sect. 6. Si autem dictam diligentiam non adhibuit, peccavit contra justitiam, & consequenter a tempore dubiæ fidei tenetur ex injusta acceptione, ut inferunt Mol. Sanch. Lug. d. 17. n. 34.

Si quis dubia fide incipit possidere animo sibi rem retinendi, incipit mala fide, quia peccat contra justitiam, exponens se periculo injustitiæ; ex quo tenetur diligenter inquirere dominum, eique rem cum fructibus, &c. restituere: Less. c. 14. n. 25. & alii communiter. Quod si post adhibitam diligentiam remanet aliquid dubii, quod sit alterius, tenetur eam cum altero, de quo dubitat, dividere, plus vel minus ei assignando pro ratione dubii, qui, si sit persona nota, ei sua pars est tribuenda, si vero sit ignota, pauperibus: Cajet. Sot. Med. Less. ibidem. Cæterum, si dubitans acceperit rem animo tradendi domino, non peccavit; quia sic fecit ei beneficium potius, quam injuriam: quamvis nec possit sic præscribere, cum noluerit absolute possidere: tenetur ergo inquirere dominum, a quo exigere potest pretium moderatum, quo forte rem eo animo emerit; &, si post moralem diligentiam dominus non inveniatur, probabile est, posse retinere, juxta dicenda q. 4. c. 1.

Quæres quinto, Ad quid teneatur, qui partim bona, partim mala fide possedit rem alienam?

Respondeo, Si mala fide prius possedit, sed nihil consumpsit, nisi postquam supervenit bona fides, non tenetur restituere, nisi ex re accepta, quantum ex ea re factus est ditior, & lucrum cessans, damnumque emergens pro tempore malæ fidei: Croix n. 241. Si vero tempore malæ fidei consumpsit rei partem, & postea in bona fide consumpsit reliquum, ad illam partem tenetur ex injusta acceptione, ad reliquum ex re accepta: Croix n. 240. Contra vero, si bona fide prius possedit, & postea in mala fide consumpsit, pro tempore bonæ fidei tenetur tantum ex re accepta, pro reliquo ex injusta acceptione: Doctores communiter ex *cap. Vergo 34. q. 1. & l. 23. ff. de acquir. dom.* Hinc, si possessori bonæ fidei moveatur lis, quæ postea evincatur ab actore, huic tenetur in conscientia restituere fructus rei a se consumptos, aut percipiendos a tempore motæ litis, etiamsi ex his non factus sit ditior; quia tenetur ex injusta acceptione: Doctores communiter apud Illsun. ex *l. 25. ff. de hæreditatis petitione*, ubi dicitur, post motam litem omnes incipere esse tanquam possessores malæ fidei; ex fructibus autem consumptis ante motam litem restituere tantum debet id, in quo factus est ditior, quia ad hos tenetur tantum ex re accepta.

CAPUT II.

Ad quid teneatur Possessor, seu Damnificator malæ fidei, ratione injustæ acceptionis?

POSSESSOR, seu damnificator malæ fidei in hoc maxime differt a possessore bonæ fidei, quod, cum sit causa formaliter culpabilis damni alterius, tenetur ex injusta acceptione, seu damnificatione servare dominum indemnem, etiam cum suo æquali damno, & a fortiori, etiamsi in nullo factus sit ditior: Doctores communiter ex jure naturæ. Hinc

I. Restituere debet rem inique possessam, & quidem eandem numero, si extet, juxta dicta c. 1. nisi vero non possit eandem numero restituere sine manifestatione delicti occulti, aliave infamia, aut longe graviori suo incommodo, juxta dicenda q. 8. tunc enim, si potest, debet restituere æquivalens: uti etiam, si res ipsa non extet, etiamsi ex ea nihil factus sit ditior, nihilque ad ipsum pervenerit: imo, etiamsi deinde apud ipsum casu forte perierit, juxta infra dicenda: Doctores communiter cum D. Th.

II. Restituendi sunt omnes fructus (non quidem industriales, cum hi ex dictis non sint fructus rei) sed naturales, & mixti: etsi a possessore malæ fidei sint consumpti, venditi, donati, non collecti, aut per negligentiam amissi, nec ex his factus sit ditior; imo etiam eos, quos dominus per suam diligentiam ex re percepturus fuisset, & ipse non percepit, nec percipere potuit: ratio est, quia horum omnium fuit causa culpabiliter damnosa Domino, cui proinde restitui debent, vel in se, si extent, vel, si non extent, in æquivalenti, etiamsi

in

in nullo factus sit ditior: Croix n. 216. cum aliis communiter, addens etiam, restituendos eos, quos ipse ex re percepit, quamvis Dominus per se percepturus non fuisset, quia res fructificat Domino suo: deducere tamen potest valorem expensarum, laboris, & industriæ, & ex mixtis probabiliter etiam deducere potest lucrum respondens industriæ: Croix num. 213. Notat tamen n. 224. inter expensas non esse computandos casus fortuitos, v. g. si inter labores in colendo agro alieno mortui sint boves, valor boum deduci non potest, cum non pertineat ad expensas ordinarias in ea cultura; quare non plus deduci potest, quam Dominus ipse fuisset ordinarie expensurus: Dicastil. Tamb. apud eundem. Contra vero non sunt restituendi fructus, quos nec ipse percepit, nec Dominus percepturus fuisset, quia sic nec tenetur ex injusta acceptione, neque ex re accepta. Neque sunt restituendi, quos minus illicite ex re sua percepisset, puta ex turpi lucro suæ ancillæ, nisi eam furatus fuisset; quia nullum habet jus ad fructus illicitos, ex *l. 38. ff. de rei vindic.* si tamen fur tales fructus percepit, tenetur restituere; quia res, quamvis illicite, valide tamen fructificat Domino suo, ex *l. 27. ff. de Heredit. petit.* Qua ratione Lug. n. 57. Sanch. Bon. & alii contra Sot. & Covar. idem dicunt de fructibus, quos iniquus possessor culpa sua non percepit ex melioramentis a se factis in re aliena, quia debebantur Domino rei. Deoique, si fur alienum triticum seminavit in agro suo, non tenetur restituere fructus segetis; quia sunt industriales, & potius agri, quam seminis, quod per se mortuum est, & ab agro vivificari debet: Lug. Dicast. Croix n. 214. Similiter, si fur alienum triticum aliò deportavit, & ideo carius vendidit, non tenetur restituere hunc excessum; quia quod carius sic vendiderit, est fructus industriæ: idem dic de lucro acquisito a fure ex negotiatione pecuniæ alienæ, ex usu alieni instrumenti, &c. Solvere tamen debet attritionem instrumenti; uti etiam lucrum cessans Domino in his omnibus, damnumque emergens, juxta mox dicenda.

III. Restituenda sunt omnia melioramenta, non extrinseca; sed intrinseca facta in re aliena inique possessa, quia cedunt domino rei, juxta dicta c. 1. Sed dubium est; an pro his teneatur Dominus aliquid compensare possessori malæ fidei? Negant Sanch. l. 2. *Dec.* c. 23. n. 143. & alii, quia hic debet culpæ suæ hoc damnum imputare; ideoque *l. 7. ff. de acquir. dom.* negatur ei actio in foro externo; cui legi putant Lug. & alii apud Croix n. 221. posse Dominum etiam pro foro interno se accomodare, itaut nihil solvat de expensis, si res jam ad ipsum redierit. Equidem cum Less. c. 8. n. 113. & aliis probabilius censeo, aliquid in conscientia ei compensandum; minus tamen, quam valent arbitrio prudentum, & quidem non solum pro melioramentis necessariis, ut communius fatentur, sed etiam pro voluntariis, ad ornatum scilicet, & delicias factis, quia semper verum est, quod res redit ad dominum pretiosior; &, cum fur teneatur tantum restituere damnum per injuriam illatum, hoc restituto, æquum est, ipsi cætera arbitrio prudentium compensari: nisi vero ea ideo fecerit, ut dominus impotens compensare cogeretur ipsi relinquere; sic enim dolus non debet ei patrocinari: Croix n. 228.

IV. Restituendum est lucrum cessans, quod scilicet dominus ex sua re percepturus fuisset negotiatione, locatione, seminatione, cultura, &c. prout prudenter censeri possit, quod esset facturus, si suam rem habuisset: Item damnum emergens, quod scilicet interim ex carentia rei suæ est passus, accipiendo v. g. ab aliis cum interesse, non solvendo debita, &c. Dubium est primo, An possessor malæ fidei teneatur hæc solvere, si nullatenus prævidit, nec prudenter suspicari potuit? Negant Pallav. & Espar. apud Ills. n. 22. quia sic non videtur esse eorum causa culpabilis. Sed oppositum ab eodem ostenditur ex communi sensu, & praxi continuata utriusque fori, condemnantis reum ad valorem, tum lucri cessantis, tum damni emergentis, etiamsi hæc, aut eorum æstimatio sæpe sit ignorata, cum satis sit, si prævisa sint saltem confuse, itaut causando culpabilem injuriam ad hæc omnia saltem implicite se exposuerit. Dubium est secundo, An possessor malæ fidei teneatur etiam de his pro eo tempore, quo rem restituere non potuit? Affirmant Mol. Laym. Rebel. Lug. d. 21. n. 17. Less. c. 16. n. 32. Tamb. & alii communius, quia injusta acceptio, quæ præcessit, adhuc est illorum causa pro dicto tempore. Sed Nav. Dian. p. 1. t. 2. r. 34. & alii probabilius putant, tunc solum teneri, cum prævidens reddidit se voluntarie pro eo tempore impotentem; si secus, non videtur esse eorum causa culpabilis; quam sententiam Dicast. apud Croix n. 252. vocat probabilissimam, præsertim, si causa non restituendi fuit gravis necessitas, periculum infamiæ, &c. quia sic ea damna proveniunt non ex injusta acceptione, sed ex justa dilatione restitutionis. Eadem ratione, inquit Croix n. 288. Fur, si postea incidens in extremam necessitatem, consumat rem, tenetur compensare sola lucra, & damna usque ad tempus necessitatis, & nihil aliud, nec ipsum valorem rei, nisi antea immiscuerat cum sua, quia sic consumpsit rem suam. Unde etiam fit, ad nihil teneri eum, qui furatus est aut equum, sed in via aggressus ab hostibus illum insiliat, itaut in fuga perimatur. Eadem ratione, ait Lug. d. 18. n. 43. quod, si res restituenda valebat 100. quando non poterat restitui, & postea, quando post justam dilationem restituitur, valet 80. satis est restituere valorem 80.

Quæres hic primo, Præcisa dicta impotentia, quantum restituendum sit pro re mala fide possessa, si ejus valor creverit, aut decreverit tunc, cum fit restitutio?

Respondeo, Id esse satis implexum. Equidem cum Mol. Vasq. Rebel. Tamb. & aliis cum Croix n. 230. censeo, taxandum esse ex damno illato, attendendo ad tempus, quo damnificator iniquus rem consumpsit, aut alienavit, & etiam ad tempus, quo a domino fuisset consumenda, aut alienanda: v. g. Titius furatus olim est pullum equinum valentem 10. qui postea factus equus valuit 50. nunc vero factus senex valet 8 & nunc velit restituere.

In hoc casu dico, quod, si dominus fuisset illum pullum apud se usque nunc servaturus, satis est, equum adhuc extantem ei reddere (compensando tamen lucrum cessans, & damnum emergens intermedii temporis, juxta jam dicta) quia dominus non videtur passus aliud damnum: Doctores communiter contra Navar. Si autem fur equum illum alienavit, vel disperdidit tunc, cum valebat 50. tenetur nunc pro eo reddere 50. etiamsi dominus fuisset eum servaturus usque nunc, quo valet 8. aut venditurus tunc, cum valebat 10. quia, quando fur vendidit, aut disperdidit, adhuc erat domini: ergo 50. spectabant ad ipsum: Croix n. 232. & alii communiter contra Bon. cujus sententiam Dian. vocat probabilem, Lug. improbabilem. Idemque est ex communi sententia, si dominus venditurus fuisset eo tempore, quo valebat 50. quamvis fur servaverit usque nunc, quia sic dominus esset damnificatus in 50. Idemque dicunt Lug. Tamb. Croix, & alii communius contra Vasq. & Turrian. si dominus tunc, cum valebat 50. esset donaturus; quia fur fuit causa culpabilis, ne ille sic uteretur re sua, qui usus tanti valet, quanti ipsa res.

Eadem proportione discurrendum de frumento, pecunia, aliisque rebus, quæ crescunt, vel decrescunt in valore extrinseco: v. g. Si Titius olim furatus est triticum, quod dominus servaturus esset usque nunc, satis est, nunc restituere eandem numero mensuram, quia in ea tantum damnificatus est dominus: Doctores communiter. At, si fur illud consumpsit, vel vendidit tempore intermedio, quo valebat pluris, quam nunc, probabilius debet restituere secundum illum majorem valorem; quia illa major valor, etsi extrinsecus, tunc etiam spectabat ad dominum, ut recte dicunt Lug. Tamb. Croix n. 233. contra Laym. Dicast. & Less. c. 12. n. 105. quod certum communiter est, si dominus fuisset triticum consumpturus, aut venditurus, aut donaturus eo tempore, quo valebat pluris, sive fur tunc illud consumserit, sive usque nunc servaverit; quia semper verum est, quod damnificaverit in eo majorem valorem. Vice versa discurrendum est, si tunc valebat minoris, nunc pluris.

Si autem dubitetur, quanti res fuisset valitura, aut an a domino fuisset servanda usque ad tale, vel tale tempus, &c. Azor. Rebel. Vasq. & alii putant, judicandum esse in favorem domini, quia videtur possessio esse pro ipso. Sed Lug. d. 18. n. 133. Less. Tamb. & alii apud Croix n. 576. probabilius dicunt, esse restituendam partem summæ pro ratione dubii, judicio prudentium: addit Less. non credendum domino dicenti, se rem hoc, vel illo tempore venditurum fuisse, aut servaturum, &c. nisi adsint aliæ conjecturæ.

Quæres secundo, An iniquus possessor, seu fur teneatur restituere valorem rei alienæ apud se pereuntis, si eodem modo apud dominum fuisset peritura?

Respondeo primo, Si apud illum v. g. furem perierit, non solum absque ulla nova ejus culpa, sed communi

muni incendio, terræmotu, alluvione, aliove communi casu, aut justa hostium incursione, itaut eodem prorsus modo peritura certo fuisset apud dominum, satis probabile est, non teneri restituere valorem talis rei; quia sic sine cujuspiam culpa periit; ideoque periit domino suo: Less. c. 12. n. 92., & alii communiter contra Palud., & alios juristas: quare satis erit restituere valorem usuum, & fructuum, si quos dominus antea habuisset, quamdiu res fuit in manu furis. Dixi primo *Vel justa hostium*, *&c.*, nam si fuerit injusta contra Dominum, tenetur fur de valore rei, quia sic obligatio, quam alius injustus invasor subiisset, translata est in ipsum furem ratione furti, & culpæ detentionis adhuc præseotis: Less. ibidem. Dixi secundo *Peritura certo*, *&c.*; quia si erat dubium, vel dominus erat antea alienaturus, consumpturus, &c., tenetur fur de valore rei; quia in dubio melior est conditio innocentis, &c. Less. ibidem.

Respondeo secundo, Etsi res periit culpa furis, si tamen periit eo loco, & tempore, quo alioqui absque ullius culpa peritura fuisset apud dominum, tunc, si fur certo, & infallibiliter id præviderit, adhuc probabile est, non teneri de ejus valore; quia res in eo statu considerata domino nullius est pretii: Less. n. 93., Bonac., Tamb., & alii contra Mol., Laym., Lug., & alios: v. g. si incendas segetes alienas, quas certo vides mox alluvione obruendas, si interficias equum alienum, quem nullatenus salvare potes a justo hoste mox interficiendum, &c., nihil teneris restituere domino, & ob eandem rationem, inquit Less., si occidas hominem, qui certissime paulo post vi morbi, vel justa sententia erat moriturus, quamvis sis verus homicida, & irregularis, tamen non teneris de damno familiæ, &c. Dixi primo, *Eo loco*, *& tempore*, *&c.*; quia si furatus es v. g. equum e domo Titii, quæ paulo post casu conflagravit, cum qua etiam equus conflagrasset, teneris de ejus valore, si culpa tua, vel etiam casu apud te pereat, quia extra illud periculum mansit Titio, cœpitque rursus ei valere: idem est, si illum ex eo incendio eripias, & deinde perimas, vel iterum eo injicias: idem est, si annonam e naufragio eripias, & consumas, quia sic mansit in loco tuto, ut suppono, adeoque mansit domino suo: Less. n. 96. Dixi secundo, *Absque ullius culpa*; quia, si perimas equum Titii, occidas Titium, &c., quem certo scis alioqui perimendum, occidendum injuste ab alio, teneris restituere, quia, qui prævenit injuria, prævenit & obligatione restituendi: Bonac., & alii communiter. Dixi tertio, *Si certo præviderit*, *&c.* quia, si non prævideris dictum incendium, teneris, valorem rei a te peremptæ restituere; quia absque tali prævisione res valebat justo pretio: Less. n. 95. Si autem aliquod ejus periculum subodoratus fueris, Tamb. l. 8. t. 3. c. 2. §. 8. n. 11. putat, teneri ad minus, quantum scilicet judicabitur a viro experto, ex illo periculo pretium rei diminui.

Denique noto cum eodem Tamb., quod, si fur possit rem a se ablatam eripere a communi incendio, tenetur eripere, non tantum ex charitate, ut putat Less., sed etiam ex justitia; quia, quamvis fur non sit custos, vel depositarius rei ablatæ: tamen, quia ex justitia tenetur eam restituere, ex eadem virtute tenetur non permittere impedimentum ad restitutionem, & consequenter tenetur de ejus valore, si potens a communi v. g. incendio, naufragio, &c. non eripiat.

Quæres tertio, Quantum restituere debet pro rei valore, qui culpabiliter occidit v. g. pullum equinum, aut ovem, quæ allatura erat multos fœtus, aut præcidit arborem teneram, quæ productura erat multos fructus, aut conculcavit segetem in herba, &c.?

Respondeo cum Lug. d. 18. n. 81., satis esse restituere, quanti res illa æstimabatur tempore damni illati, puta 10., quanti tunc valebat ille pullus, &c.; modo tamen dominus hoc pretio comparare sibi possit pullum similem, vel erat illum hoc pretio tunc venditurus; quia sic datur æquale, & reparatur damnum illatum. At, si dominus non erat equum tunc venditurus, & eo pretio nequeat similem comparare, restituendum est, quanti valet spes, quod equus valiturus fuisset tempore futuro, deductis expensis, & periculis judicio viri prudentis; quia sic dominus injuste pateretur damnum futurum, & lucrum cessans ex causa illius pulli. Eadem dic de ove, planta, segete, &c.

CAPUT III.

Ex qua culpa injustæ damnificationis teneatur damnificator malæ fidei?

Ut quis obligetur ad restitutionem ex injusta damnificatione, certum est, requiri culpam contra justitiam commutativam, quæque non solum affective, sed etiam effective fuerit causa efficax damni injuste illati, ut dictum est q. 2.

Quæres nunc primo, An, ut injustus damnificator teneatur in conscientia, & ante sententiam Judicis restituere, requiratur culpa theologica?

Respondeo affirmative cum Mol., Less. c. 7. n. 21., & aliis communiter, quia culpa theologica idem est, ac peccatum, quo offenditur Deus; ad differentiam culpæ juridicæ, quæ potest esse sine peccato, juxta dicenda c. seq. atqui tota obligatio restituendi ex injusta damnificatione oritur præcise ratione peccati, quod committitur contra justitiam; ergo, ubi in conscientia peccatum non committitur, etiamsi sit damnum secutum, nec onus restitutionis ex hac radice consurgit. Et ratio ulterior est, quia sic læsus non potest esse rationabiliter invitus, nam sicut quisque potest inculpabiliter pati damnum, ita & potest inculpabiliter illud inferre. Hinc, si ex subita ira correptus omnino inculpabiliter apud Deum occidas Titium, ad nihil teneris in conscientia ante sententiam Judicis, idemque est, si omnino inadvertenter sis causa cujusvis damni alterius, quia nulla interfuit culpa theologica.

Objicies primo, qui alium inculpabiliter infamavit, tenetur ad restitutionem famæ, statim ac deinde advertit, ex communi Doctorum sententia; ergo non requiritur culpa theologica.

Respondeo, Nego consequentiam: tenetur enim talis infamator, non quidem quia peccavit infamando, sed quia peccat, si, statim ac scit, non reparat infamiam a se positam; incipit enim tunc esse possessor, seu damnificator malæ fidei, si relinquat in aliorum animis pravam opinionem a se injectam. Sic, qui inculpabiliter incendit segetem alienam, si, statim ac advertit, non extinguit incendium, cum possit, tenetur de damno secuto, juxta dicta q. 2. c. 3. v. Lug. d. 15.

Objicies secundo, Multæ leges statuunt, reparari damnum, quamvis causatum absque culpa theologica: ut si tuum animal, vel mancipium inferat damnum alicui, teneris damnum restituere, vel animal, aut mancipium tradere, t., & 2. Instit., & similiter si leonem deduxisti per viam, nec custodisti, ne noceat equo meo; si fodisti puteum in via, nec monuisti, ut caveam; si domo, vel e navi tua aliquid sit effusum, vel projectum, quod nocuit transeunti, si non fuit clamatum, teneris reparare damnum, & quidem in duplum, & aliæ similes leges apud Lug. d. 8. sect. 3., & 4.

Respondeo, Has leges probabilius non obligare in conscientia ante sententiam Judicis, quia non sunt acceptæ in hoc rigore, cum nemo videatur obligari ad exequendam in se talem pœnam propter actionem non imputabilem ad culpam: Croix n. 173. & alii. At post sententiam Judicis obligant in conscientia ad reparandum damnum secutum, & ad pœnam, etiamsi non adfuerit culpa theologica, quia sunt leges, non mere præsumptivæ, sed dispositivæ, ut docent communiter contra Rebel. Qua in re nota, leges tunc dici præsumptivas, quando fundantur in præsumptione damni; quare si in casu damnum non sit secutum ex tuo animali, aut mancipio, sed omnino aliunde, non teneris in conscientia restituere etiam post sententiam Judicis contra te præsumensis, quia præsumptio cedit in foro conscientiæ veritati, ut bene notat Suar.; ideoque, si cogaris restituere, potes uti occulta compensatione, & alter non potest in conscientia retinere. Contra vero teneris in conscientia post sententiam Judicis restituere, si revera damnum secutum sit ex tuo animali, aut mancipio, &c. etiam absque tua culpa theologica, quia sic dictæ leges sunt dipositivæ, utpote quæ posita tali sententia, juste transferunt dominium rei tuæ in alterum ex voluntate Legislatoris sic disponentis ob bonum commune: v. Croix n. 175.

Quæres secundo, An ad obligandum damnificatorem ad restitutionem sufficiat culpa theologica venialis?

Respondeo, Culpam damnificatoris posse esse venialem ratione parvitatis materiæ, seu parvi damni illati, & posse esse venialem ratione semiplenæ advertentiæ, deliberationis, motus iræ secundo primi, &c., etiamsi damnum illatum sit grave. Si primo tantum modo sit venialis, certe obligat etiam sub veniali ad restitu-

tionem, ut si quis culpabiliter occidat gallinam divitis. Si sit venialis secundo modo, probabilius non obligat sub mortali ad restitutionem, etiamsi damnum fuerit grave; quia jure naturæ ex culpa tantum veniali non potest nasci onus tam grave obligans sub mortali ad restituendum; ideoque si ex semiplena deliberatione, aut motu iræ secundo primo occidisti Titium, non teneris in conscientia, & ante sententiam Judicis sub mortali de damno illato: Sot. Nav. Sylv. Less. & alii apud Croix n. 185. contra Bon. Adrian. Covar. Vasq. Med. Pallav. & alios.

Addunt probabiliter Suar. Sanch. Less. c. 7. n. 28. neque in casu teneri sub veniali quidquam restituere, quia neque promissio facta homini, neque votum factum Deo, neque juramentum, neque contractus, si procedant ex imperfecta deliberatione, ullam inducunt obligationem, utcumque eorum materia sit gravis: ergo neque in casu injusta damnificatio, si sit imperfecte deliberata, potest esse causa obligationis perfectæ, qualis est certa obligatio restituendi sub levi: quamvis Sot. Croix num. 191. & alii probabilius putent, dari in casu obligationem sub levi ad partem damni proportionatam culpæ secundum judicium prudentium. At in dubio, an culpa in casu fuerit venialis, an mortalis; Less. apud Croix n. 186. dicit, censendam esse mortalem, nisi aliud constet: Bon. dicit, restituendum esse dimidium damni. Tamb. l. 1. c. 3. §. 7. v. *Depositum* citans Sanc. & D. Th. ait, probabile esse, ad nihil teneri, quia in dubio nemo præsumitur graviter peccare, quod a fortiori procedit, si dubites, an adfuerit simpliciter culpa theologica.

Quæres tertio, An ad obligandum damnificatorem sub gravi ad restitutionem requiratur culpa externa gravis?

Respondeo affirmative, quia obligatio restitutionis oritur ex damno effective illato: ergo, ut ea sit gravis requiritur peccatum externum grave, seu actio externa sufficiens ad tale damnum grave. Hinc inferunt Sanch. l. 1. *Consil.* c. 4. d. 5. n. 4. Less. c. 9. n. 219. Tamb. *de Restit.* c. 2. §. 5. n. 13. contra Lug. & alios, quod, si actio externa fuerit secundum se tantum venialis, quamvis adfuerit intentio mortalis, non obligat sub gravi ad restitutionem gravis damni secuti: v. g. inquit Tamb. si fureris quatuor obolos ab avaro, eo animo, ut ille ex mœrore amissæ pecuniæ conficiatur, qui de facto conficitur, non teneris, nisi sub levi ad obolos, quia actio externa secundum se non fuit causa sufficiens ad causandam talem mortem, & illa intentio neque per se est causa mortis, neque ut inducens illam actionem externam, utpote insufficientem: unde etiam sequitur contra ipsum Tamb. quod neque in casu incurri debeat irregularitas, aut alia pœna ecclesiastica, cum culpa externa sit de se levis.

Similiter, si adhibita sufficienti diligentia ad vitandum mortale, sed non tanta, ut sufficiat etiam ad vitandum veniale, in venatione etiam per canones prohibita occidas feram putatam, animo tamen occidendi inimicum, si ibi adesset, qui de facto ibi adest, & occiditur, non teneris de damno secuto; quia actio externa, etsi fuerit graviter peccaminosa contra obedientiam Canonis, non tamen contra justitiam; intentio vero non influxit absolute in homicidium, cum fuerit mere conditionata: *Doctores* cit.

Similiter, inquit Tamb. si veneno infeceris poculum vini animo occidendi Titium, sed illud posueris in loco remotissimo, quo prudenter non putabas, Titium accedere; sed Titius aliud agens eo accessit, sumpsit, ideoque mortuus est, tu ad nihil teneris; quia tua actio externa non fuit de se causa sufficiens talis mortis, imo si illud posueris quidem ante Titium, sed Cajus id ignorans illud præripiat, & tu, ne scelus tuum prodas, non impedias, non teneris de morte Caji, quia in effectu non es ejus homicida, cum ejus mors non fuerit tibi voluntaria; non enim id prævidere potueras, ut suppono, nec tenebaris impedire cum tanto periculo: Croix n. 202.

Quæres quarto, Ad quid teneatur, qui damnum intulit Titio, putans, & volens inferre Cajo?

Respondeo, Si volens v. g. incendere domum Caji, incendas domum Titii putans, eam esse Caji, communis sententia cum Sanch. l. 2. c. 23. n. 157. Bonac. Haun. & aliis contra Mol. Tamb. & alios docet, teneri ad restitutionem Titio ex injusta acceptione, quia formaliter es injustus damnificator, & error est tantum circa circumstantiam dominorum; si occideris Titium, putans eum esse Cajum, quem intendebas occidere, Fagund. Lug. Tamb. dicunt, probabile esse, quod ad nihil tenearis, quia error personæ est hic error circa substantiam: Mol. & Rebell. dicunt, teneri ad partem restitutionis, quia minor fuit injuria, quam si scivisses esse Titium; sed Bonac. Busemb. Haun. & alii communius, & probabilius dicunt, teneri ad totam restitutionem; quia vere gravis damnificatio externa oritur a voluntate absoluta occidendi hominem injuste; ideoque incurritur etiam irregularitas, &, si erat Clericus, excommunicatio, juxta dicenda de Censuris: Similiter, si videns Titium, & putans esse Cajum, ex odio in Cajum, dicas, *Iste homo est adulter*, teneris restituere famam Titio: Croix n. 203.

Quæres Quinto, An damnificans ex ignorantia teneatur ad restitutionem?

Respondeo, Si ignorantia sit culpabilis, utique teneri; quia ea reddit actionem peccaminosam in causa. Qua ratione etiam qui per experientiam scit, se inebrietate, vel somno solere causare damna, & se inebriet, vel indormiat non ponendo sufficientem cautelam, tenetur ea resarcire, si in ebrietate, vel somno causaverit; quia sic censetur ea culpabiliter velle in causa: non vero, si ea non fuerint prævisa: aut si sufficiens cautela fuerit adhibita: Croix n. 193. Si vero ignorantia fuerit inculpabilis, non teneris ad restitutionem damni secuti, quia excusat a peccato actionem damnificativam: idque verum est apud omnes, si talis ignorantia fuit antecedens, hoc est talis, ut nisi adesset, damnificatio certe non fieret; si autem sit comitans, hoc est talis, ut si non adesset, adhuc damnificatio fieret, etiam satis probabile est, non teneri ad restitutionem, ut dictum est de eo, qui occidit feram putatam, etsi habeat animum etiam occidendi inimicum, si ibi adesset, qui tamen adsit, & occidatur: Less. & Mol. Tamb. Bonac. & alii.

At quid dicendum de eo, qui scienter intulit damnum, quod in se est grave, sed invincibiliter ignoravit, esse tam grave? v. g. Si Titius projecit in mare gemmam Caji valentem 100. quam tamen ipse putabat non valere, nisi 10. Lug. d. 8. n. 63. Pallav. & alii putant teneri restituere integros 100. Sed probabilius Croix n. 194. & alii apud Dian. p. 11. t. 2. r. 34. putant, non teneri, nisi ad 10. quia non fuit causa culpabilis nisi illorum 10. excessum autem ne confuse quidem novit, aut nosse potuit, ut suppono; etsi etiam teneatur de lucro cessante, & damno emergente ex illis 10. cum id confuse saltem noverit, juxta jam dicta. Neque obstat huic sententiæ, quod justitia respiciat medium rei; nam respicit medium rei ut cognitæ: qui ergo ignoraverit rem, seu jus alterius valere 100. sed 10. non tenetur, nisi ad 10. cum in hoc tantum formaliter læserit: Croix n. 194.

CAPUT IV.

Ex qua culpa teneatur quis restituere ratione contractus, aut quasi contractus?

EX contractu tenetur commodatarius, depositarius, pignoratarius, conductor, &c. de re commodata, deposita, pignorata, conducta, &c. Ex quasi contractu tenetur custos, tutor, curator, procurator, artifex, mandatarius, officialis, &c. de rebus sibi commissis. Certum autem est, hos omnes ad nihil teneri, si res v. g. commodata, deposita, &c. apud eos perierit casu, & fortuito absque ulla eorum culpa, nisi aliter expresse pactum sit de assecuratione; quia quæque res domino suo perit, si nulla intercessit alterius pactio, aut culpa: Doctores communiter, ex *c. un. de commodato*.

Culpa autem alia est theologica, alia juridica. Theologica ex dictis est eadem, ac verum peccatum, quo in conscientia offenditur Deus sive mortaliter, sive venialiter. Culpa juridica est omissio diligentiæ jure debitæ, ex qua omissione sequatur damnum, sive ea omissio fuerit culpabilis, sive inculpabilis theologice, & in conscientia apud Deum; & hæc culpa esse potest triplex, lata, levis, & levissima: *Culpa lata* est omissio diligentiæ adhiberi solitæ ab hominibus ejusdem conditionis, v. g. si librum commodatum relinquas ante ostium, & sic deperdatur; quod si relinquas in domo furis, dicitur, & culpa latior, & dolus præsumptus: &, si in manu furis, dicitur quoque culpa latissima, & dolus apertus. *Culpa levis* est omissio diligentiæ adhiberi solitæ ab hominibus diligentioribus, seu prudentioribus ejusdem conditionis; ut si eum librum relinquas domi, sed aperto ostio. *Culpa levissima* est omissio diligentiæ adhiberi solitæ ab hominibus ejusdem conditionis

dili-

diligentissimis, seu prudentissimis, ut si eum librum relinquas domi clauso ostio, sed deinde non tentes manu, an bene sit clausum.

His expositis, si contractus sit in commodum solius dantis, alter, qui rem accipit, tenetur juridice tantum ex culpa lata: v. g. Depositarius, qui gratis suscepit rem apud se depositam, tenetur tantum ad ejus valorem, si eam ante fores reliquit, & sic deperdatur; non vero, si reliquit domi, quamvis aperto ostio, &c. Si contractus sit in commodum solius accipientis, is tenetur juridice ex culpa lata, levi, & levissima, ut commodatarius, cui gratis res commodatur: excipe tamen precarium, quod, licet sit in bonum solius accipientis, tamen, cum sit ad nutum dantis, obligat juridice tantum ex culpa lata, ut notat Croix n. 179., ex *l. Quæsitum, ff. de Precario*. Si demum contractus sit in commodum utriusque, qui accipit rem, tenetur juridice ex culpa lata, & levi, ut conductor, socius, &c. Cæterum in quasi contractibus, ut in officio Advocati, Medici, Curati, Artificis, Consultoris, Judicis, &c. probabile est, obligationem restituendi juridice esse tantum ex culpa lata; quia nemo tenetur in officio, vel artificio esse diligentior, quam passim homines ejusdem conditionis esse solent: Less. c. 7. n. 2., Bonac., & alii: limitat Nav., nisi sint stipendiati, cum sic videantur etiam teneri ex levi; quod verum est, inquit Bon. q. 2. p. 7. n. 20., si quis professus sit se aliis diligentiorem, ideoque alterum ad se pertraxit; sic enim implicite promittit, se præstare plus, quam alii præstant; si secus, quamvis ratione stipendii teneatur ad diligentiam majorem, non tamen absolute de levi.

Quæres nunc primo, An, si res per contractum accepta pereat apud accipientem ex ejus culpa juridica, sed absque culpa theologica, teneatur is ad restitutionem?

Respondeo, Tres esse hac in re sententias. Prima docet, teneri in conscientia, etiam ante sententiam Judicis, imo etiam antequam alter exigat: ita Less. cap. 7. Vasq., Oun., Bonac., & alii, quos refert, & sequitur Fagun. Secunda docet, non teneri in conscientia ante sententiam Judicis, aut saltem non prius quam alter exigat: ita Croix n. 177. & alii apud ipsum. Tertia docet, non teneri in conscientia, nisi post sententiam Judicis: ita Sot., Henr., Lug., Tamb., & alii, quos refert, & sequitur Illf. dicens, esse tutam in praxi, & Less. ait, non esse improbabilem: & ratio hujus sententiæ est; quia, si non adfuit culpa theologica, leges de culpa juridica, vel sunt pœnales, vel non sunt in usu ante sententiam Judicis receptæ; cum lumen naturæ dictet, non esse ex se ipso damnandum ad restitutionem rei gravis eum, qui graviter non deliquit. Neque dicas, obligationem in casu oriri ex contractu, quo contrahens implicite saltem se adstrinxit his legibus; nam etiamsi radicaliter ex contractu, tamen formaliter oritur ex delicto, nec contrahens videtur tacite se obligare ad restitutionem rei apud se pereuntis sine suo delicto, ut ait Tamb.

Hinc, si depositum pereat apud depositarium, eo quod omnino inadvertenter illud reliquit ante ostium, juxta hanc sententiam non tenetur compensare ejus valorem domino, nisi post sententiam Judicis; quia, etsi adfuit culpa lata juridica, non tamen theologica, cum non peccaverit in conscientia apud Deum: idem dic proportione servata in reliquis contractibus. De quasi contractibus est magis commune etiam secundum Less., Vasq., & alios contra Dicastill., cum in his adsit solum pactum implicitum de bene administrando officio, artificio, &c., sive hæc quis exerceat gratis, sive cum stipendio, salario, &c.

Quare ante sententiam Judicis non tenetur de damno secuto famulus, qui omnino inadvertenter reliquit fores domini apertas, unde fures domum expoliarunt. Nec Tutor, Medicus, Judex, Custos, Procurator, & similes ex officio tenentur compensare, si absque culpa theologica permiserunt alterius damnum. In dubio autem, an adfuerit culpa theologica, Merol., & alii apud Croix n. 573. obligant ad restitutionem; sed Lug. d. 18. n. 14. cum aliis excusat, quia delicta non præsumuntur; ideoque est, si dubium sit, an culpa theologica fuerit mortalis, an venialis, juxta dicta cap. ant.

Excipe tamen primo, Si quis rem ex contractu detinens sit in mora culpabili restituendi tempore debito; si enim in tali mora casu res pereat, tenetur de ejus valore, &c., quia sic est causa culpabilis in mora. Secundo, Similiter tenetur, si usus sit ea re contra voluntatem Domini, vel non eo loco, quo erat conventum, sed alio, ubi erat majus periculum, & ideo periit: v. g. si accepisti vas argenteum, ut utaris domi tuæ, & foras extulisti, ubi casu periit; quia sic peccasti in causa contra justitiam: Doctores communiter. Tertio, si aliter expresse conventum sit, ut scilicet tenearis etiam de casu fortuito, &c., ut initio est dictum. An autem contrahens teneatur solvere pœnas impositas non servantibus contractum, officium? &c. Dico, si pœna sit legalis, hoc est imposita a lege, non esse solvendam, nisi post sententiam Judicis, etiamsi adfuerit culpa theologica: imo post sententiam satis est, esse paratum solvere, cum nemo teneatur esse ipse executor. Si pœna sit mere conventionalis, hoc est imposita sibi a contrahentibus, nullatenus est solvenda, nisi adsit culpa theologica: si hæc adsit, probabile est, neque esse solvendam, nisi post sententiam Judicis, quia videtur debitor tantum dedisse alteri jus ad se cogendum coram Judice: Sanch., Pal., & alii contra Suar., Mol., Bonac., & alios, juxta dicta de Contr.

Quæres secundo, An, qui habet rem alienam ex contractu, teneatur ejus valorem restituere, si ea perierit, eo quod non poterat eam servare absque jactura rei propriæ?

Respondeo cum Lug. d. 8. n. 139., Bon., Tamb., & aliis: si v. g. in incendio, tempestate, &c. negligas res tibi commodatas, depositas, &c. ut serves res tuas pretiosiores, vel etiam æque pretiosas, non teneris ad restitutionem, quia nullus tenetur ad expensas extraordinarias pro conservatione rei alienæ, quocumque tandem contractu apud se habeat, nisi expresse pactum sit de assecuratione: ergo non tenetur servare rem alienam cum detrimento rei suæ æque, vel magis pretiosæ, quando non sperat rei suæ pretium recuperare. Si tamen res tua sit vilior, tunc debes rem alienam pretiosiorem præferre tuæ, saltem si per jacturam tuæ non sis incursurus notabile detrimentum, quia semper in prædictis contractibus more humano factis imbibitur aliqua obligatio servandi rem cum aliquo incommodo, v. g. ad alendum equum tibi commodatum: unde infertur, te obligari ex justitia præferre in casu equum cum jactura rei tuæ, quæ æquivalet illis alimentis; & sic proportionaliter in reliquis contractibus. Dixi *Saltem, si per jacturam rei tuæ, &c.* Nam, si per eam incursurus sis notabile detrimentum, non teneris præferre rem pretiosiorem alterius, ob datam rationem; quia nemo intendit in contractu se obligare ad notabiles, & extraordinarias expensas, nisi expresse id exprimat, vel prudenter censeat, se recuperaturum a domino rei, &c. Lug. n. 140. addens, hæc omnia recte procedere pro foro conscientiæ ante sententiam Judicis, quidquid sit pro foro externo, cui nonnisi post sententiam parendum.

Ex dictis infers, quod, qui in tempestate projicit merces alienas, si nullas proprias habet, ad nihil tenetur, etiamsi eas habeat apud se depositas ex contractu (excepto pacto assecurationis) quia jure naturæ quisque potest a se repellere impedimentum, ne se possit salvare in extremo periculo: sic, si quis fugiens perfodiat parietem, vel conculcet segetes, aliter se salvare non valens, non tenetur restituere; nec ille, qui, ut hostem fugiat, insilit in equum alienum, qui in fuga perimitur; non enim hi tenentur ex re accepta, quia nec extat, nec facti sunt ditiores; neque ex injusta acceptione, quia jus habent ad accipiendum: Less. c. 12. n. 138.

Si autem, qui projicit alienas, habeat etiam suas, quas non projicit, tunc, si alienas habeat apud se ex delicto, tenetur integras restituere: si habeat ex contractu, recurrit doctrina jam posita in responsione ad quæsitum: si neque habeat ex delicto, neque ex contractu; tenetur pro sua parte ad restitutionem, itaut omnes, qui ibi habent merces, teneantur pro sua parte; quia omnes cooperantur ad navis depressionem ex *l. 2. ff. de Jactur.* Sed dubium hic est, an teneantur pro suarum mercium pondere, an pro æstimatione? v. g. si eæ sint gemmæ, alienæ vero triticum, &c., Less. n. 137. ait, quod attento jure naturali tantum habenda est ratio ponderis, quia hoc est, quod affert navi periculum; attenta vero lege positiva habenda est ratio æstimationis, itaut quisque pro mercium suarum pretiositate conferat ad compensandum ei, cui merces sunt projectæ; quia, quo magis merces sunt pretiosæ, eo pluris interest ejus, cujus sunt, ut navis salva fiat: quæ ratio certe habet aliquid æquitatis. Si tamen hæc lex absit, alterum videtur servandum: ita Less. ibid.

QUÆSTIO IV.

De Re restituenda.

IN rebus restituendis specialem difficultatem habent Primo, Bona incerta, seu quorum dominus est incertus, vel ignoratur: Secundo, Bona adespota, seu quorum nullus est dominus: Tertio, Bona communia, seu nullius particularis propria, & de his omnibus est hic agendum.

CAPUT I.

An Bona incerta sint restituenda?

BONA incerta dicuntur, quæ dominum habent, sed vel incertum, vel ignotum. Incertum dominum habet res, quæ certo scitur, deberi uni, vel aliquibus ex pluribus, sed nescitur cui, vel quibus illorum determinate debeatur. Ignotum dominum habet res, quæ certo scitur, deberi alicui determinate, sed ignoratur, quis ille sit, vel ubi sit: & hæc res potest esse restituenda, vel ratione injustæ acceptionis, ut si eam furatus es a viatore tibi incognito; vel ratione tantum rei acceptæ, puta ratione contractus justi, bonæ fidei, aut inventionis; ut annulos inventus in platea, qui præsumitur sine dubio habere dominum, sed ignoratur, quis sit, ideoque in jure dicitur haberi *Pro deperdito*. His expositis

Quæres primo, An restituenda sit res habens dominum incertum?

Respondeo affirmative, Quia potest aliquo modo resarciri jus domini: hinc, si scias, eam pertinere ad unum v. g. ex duobus, vel tribus, sed ignores, ad quem eorum determinate pertineat, dividenda est inter illos, si consentiant; si non consentiant, deponenda est, ut a Judice uni assignetur, vel dividatur.

Si vero res pertineat ad multos particulares ejusdem Communitatis, qui tamen cognosci nequeunt, Vasq., & Escob. apud Busemb. dicunt, posse distribui pauperibus ejusdem Communitatis: sed communis sententia docet, dividendam esse in singulos illius Communitatis pro damno accepto, quantum fieri potest. Sic venditor, qui in pretio, vel mensura fraudavit multos ementes minutiores cibos, nec potest scire, quem in particulari læserit, scit tamen, fuisse ex hac vicinia, ex hac Civitate, &c. potest minori pretio, aut pinguiori mensura vendens iisdem, vel fere iisdem satisfacere, vel alio simili modo, quousque judicio prudentis damnum compensetur.

Similiter, quando in bello injusto Civitas deprædatur, restitutio fiet, vel Magistratui, vel Episcopo, vel Viro probo, qui dividet in singulos cives pro damno accepto, quantum fieri potest. Eadem dic de usurario, qui plures læsit, sed nunc incertos: Lug. d. 6. n. 148. Addo tamen, in his casibus fieri posse compositionem cum Papa, juxta dicenda q. 8.

Quæres secundo, An restituenda sit res injuste accepta, cujus Dominus ignoratur?

Respondeo affirmative; Quia injusta acceptio nunquam facere potest rem tuam. Hinc ante omnia adhibenda est moralis diligentia pro inveniendo Domino, eique tradenda; si autem is inveniri nequeat, distribuenda est pauperibus, ex cap. *Cum tamen, de Usur.*, potestque peti, ex dicendis, compositio cum Papa. Nomine autem pauperum veniunt hic non solum mendici, sed etiam, qui non habent decentia ad suum statum: item loca pia: item Animæ Purgatorii; imo etiam ipse restituens, si sit pauper, itaut posset etiam sibi retinere, si debitis ultra vires gravatus esset: Lug. d. 20. n. 8. Si autem alicubi sit speciale statutum, ut fiat talis restitutio secundum dispositionem Episcopi, vel Confessarii (ut Mediolani ait esse Bonac.) standum ibi est statuto.

Ad quid agendum, si postquam res pauperibus est applicata, Dominus compareat? Ut hoc dubium recte decidatur, videndum, an applicatio facta sit ante, an vero post adhibitam debitam diligentiam pro eo inveniendo? Si primo modo; tunc, si res extat apud pauperes, locum pium, &c., hi tenentur eam reddere Domino, & in horum defectu tenetur ille, qui applicavit; quia sic non poterat transferri dominium, cum Dominus esset rationabiliter invitus de omissa diligentia. Similiter, si res bona fide sit consumpta jam a pauperibus, nec aliquis ex ea factus est ditior, tenetur, qui sic applicavit, restituere ejus valorem, quia fecit injuriam sic applicando: quod verum est, etiamsi ipse fur, non præmissa dicta diligentia, bona fide applicavit, quia tenetur ratione injustæ acceptionis: Doctores communiter. Ex qua ratione idem ait Croix n. 97., etsi furi Confessarius bona fide, sed non præmissa debita diligentia, dixerit, ut rem daret pauperibus, si data sit, & consumpta; quamvis in hoc contradicat Tamb., juxta dicenda q. 8. Si vero res applicata sit pauperibus secundo modo, Sot., Nav., Henr., Ledes., & alii cum Lug. d. 11. n. 101. dicunt, non esse quidquam restituendum Domino, quamvis res adhuc existat: quia pauper acquisivit dominium, cum applicata sit, quando Dominus non poterat censeri rationabiliter invitus. Contradicunt Mol., Laym., Pal., & alii cum Dian. p. 11. t. 8. r. 12.; quia ea applicatio adhuc videtur facta conditionate, *Si non compareat Dominus*; alioquin ejus negotium fuisset male gestum. Utraque sententia est probabilis, quamvis secunda videatur probabilior: Croix n. 95.

Quæres tertio, An restituenda sit res inventa, cujus Dominus ignoratur?

Respondeo, Inventorem ante omnia teneri ex Justitia adhibere moralem diligentiam pro inveniendo Domino, ad quem res deperdita clamat. Hæc diligentia debet esse humano modo major, vel minor secundum majus, vel minus rei pretium; itaut, si res sit magni momenti, teneatur inventor facere, ut aliquoties promulgetur e pulpito, ut affigatur schedula publice id notificans, aut ut imprimatur in novellis publicis: Lug. d. 6. n. 138. Si autem sit res minoris pretii, curet, ut promulgetur v. g. per scholas, in vicinia, in Tribu, aut ubi est frequentia hominum, & probabiliter potest adesse rei Dominus. Non debet autem statim credere dicenti, esse suam, nisi ex aliis signis sit prudenter credibile; quia, si plures æque credibiliter dicant, esse suam, dividenda inter illos, si consentiant; si non consentiant, deponenda apud Judicem, vel in pauperes distribuenda, ut addit Bonac. Pro inventione autem ipsa nihil debetur inventori ex justitia, nisi expensæ, & labores ab eo facti pro custodia, pro diligentia, &c.; quia res integra mansit domino. Si tamen sit consuetudo, vel lex, vel promissio aliquid amplius dandi, quod vulgo dicitur *Beveraggio*, tenetur ex æquitate dominus dare: Bon., Dian., & alii apud Croix n. 88.

At quid, si adhibita jam morali diligentia, dominus non inveniatur? Communior sententia cum D. Thom. Mol., Less., & aliis docet, dandam esse pauperibus pro domino, qui tunc sic velle præsumitur. Sed Sot., Ledes., Sa, Mend. Escob., Tamb., & alii apud Croix n. 89. probabiliter dicunt, posse tunc retineri, & consumi ab ipso inventore; quam sententiam Dian. p. 2. t. 3. r. 5. dicit in praxi tutam: & ratio est, quia potius prudenter præsumitur dominus, qui sciri nequit, velle, ut inventor rem sibi retineat, & consumat, cum obligatione restituendi saltem, in quo factus est ditior, si deinde ipse resciatur; nam, si inventor nihil ex ea habere possit, nisi molestiam in inquirendo domino, in distribuendo pauperibus, &c., facile fiet, ut rem relinquat, ubi jacet; quod cederet in damnum domini. Neque obstat cap. *Si quid*, 14. q. 5. c. 6. *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti*. Nam secundum Trul., & alios intelligitur de eo, qui retinet animo non reddendi domino noto: item de eo, qui retinet non præmissa prius diligentia pro eo inveniendo: item de eo, qui præmissa etiam diligentia retinet, & consumit, sed animo non reddendi, in quo factus est ditior, si dominus postea compareat; quia in his omnibus peccat contra justitiam. Cæterum, si juste secundum dicta retineat, aut consumat, non peccat, & elapso tempore præscribere potest, tanquam possessor bonæ fidei.

Quæ dicta sunt de inventore, dic pariter de habente apud se rem alienam ex contractu justo v. g. depositi, cujus dominus ignoratur; si enim facta morali diligentia dominus inveniri nequeat, probabile etiam est, retineri, & consumi posse, cum animo tamen reddendi, in quo factus sis ditior, juxta jam dicta: Tamb. *de circumst. restit.* c. 1. §. 3. n. 31., qui etiam §. 8. n. 7. idem probabiliter ait, etiamsi sciatur dominus, sed ignoretur, ubi sit, nec spes sit, ut redeat, nec admoneri, nec expectari possit; quia tunc res comparatur rei habenti dominum ignotum. Suadet demum Lug. d. 6. n. 155., quod, si dominus rei præsumi possit esse mortuus, procurari ex re inventa, aut juste habita missas pro eo; quia talis tunc ejus voluntas præsumitur.

CA-

CAPUT II.

An sint restituenda Bona Adespota, seu quæ dominum non habent?

HÆc bona alia sunt, quæ unnquam habuerunt dominum, ut feræ, venæ metallicæ, rudes lapilli, gemmæ, corallia, & similia inventa in insulis, promontoriis, littore maris. Alia sunt, quæ dominum habuerunt, sed nunc non habent, ut thesauri, bona vacantia, aliaque, quæ in jure dicuntur *pro derelicto*.

Quæres primo, An sint restituendæ feræ, quæ venatione, piscatione, aucupio accipiuntur?

Respondeo negative, dummodo adhuc naturam, & libertatem ferinam retineant; quia sic domino carent, ideoque fiunt primi occupantis, ex *l. 1. ff. de Acquir. possess.* quod verum est sive in tuo, sive in alieno fundo, sive in mari capias, tametsi ibi prohibita sit venatio, piscatio, aucupium, &c. Tamb. Less. c. 5. & alii. Hinc, si feram vulnerasti, & sic fugientem insequeris cum spe eam consequendi, tua est, & non alterius, qui forte sic vulneratam præripiat, quia sic censetur quasi a te capta, & occupata: si autem vel non vulnerasti, vel vulneratam non insequeris, vel dubium sit, an sit a te evasura, fit alterius præripientis, tanquam primi occupantis: Less. Bon. & alii. Eadem dic de fera tuo laqueo, rete, aliove instrumento intercepta in loco publico; si enim spes erat, quod ante tuum adventum non fuisset se liberatura, ad te spectat; si secus, ad præripientem: At, si in meo prædio, absque meo consensu, sit laqueo tuo etiam inextricabiliter intercepta, probabile est, esse alterutrius nostrum, qui præoccupaverit; quia sicut tu ratione laquei, ita ego habeo jus ad illam ratione injuriæ mihi illatæ: idemque est, si meo instrumento absque meo consensu ea fuerit a te vulnerata, aut intercepta: Illſ. n. 241.

Nomine ferarum veniunt omnia animalia, sive terrestria, sive aquatica, sive aerea, quæ naturali indole non sunt mansueta, nec ab aliquo ita mansuefacta, ut consuetudinem habeant ex libera vagatione redeundi ad illum. Hinc injuste a te caperentur, vel interficerentur Cervi, Columbæ, Apes, &c. ab alio jam mansuefactæ, & consuetudinem habentes redeundi ad illum: si vero eædem per liberam vagationem amiserunt dictam consuetudinem, juste a te capiuntur; quia sic ad sylvestrem suam indolem rediisse censentur, & carere domino. Hinc examen apum avolans a tuo alveari tamdiu censetur tuum, quamdiu ita versatur in tuo conspectu, ut prosequi possis cum spe assequendi: si secus, evadit primi occupantis. Similiter columbæ alieni columbarii evadunt tuæ, si priorem consuetudinem alieni commutent cum tuo, ad quod potes eas etiam attrahere bonis artibus, melius nempe alendo, commodiorem locum aptando, &c. non autem malis artibus, & fraude: uti nec potes eas interficere: Less. n. 28. Tamb. & alii. Contra vero animalia natura sua mansueta, ut Bos, Canis, Gallina, &c. per fugam non acquirunt libertatem, ideoque nec fieri possunt primi occupantis, quantumcumque longius aberraverint: Less. & alii communiter ex jure. Porro in Regno ex Pragmatica, & Capitulationibus potes occidere columbas existentes extra spatium 50. passuum a columbario.

Ex dictis infers, quod, si capias pisces in vasta palude, apros in vasta sylva, etsi venationi Regiæ reservata, & contra prohibitionem Principis, aut alterius domini, aut etiam Ecclesiæ, non teneris ad restitutionem ferarum; quia, cum adhuc retineant naturam sylvestrem, suamque libertatem, nullius sunt, ideoque primi occupantis: satis ergo erit solvere pœnam, si deprehendaris: Less. n. 40. nisi vero ingentem sobolem ferarum extinxisti, vel aquas veneno infecisti, unde mortua sit magna piscium vis cum Reipublicæ, vel Domini damno notabili, ad quod certe teneris: Tamb. n. 4. Contra vero teneris semper restituere feras, si hæ custodiebantur in loco parvo, ut pisces in vivariis, quia sic non retinent suam libertatem, ideoque spectant ad dominum custodiæ: Bon. Trul. & alii.

Quæres secundo, An sint restituenda metalla, quæ eruuntur ex suis venis metallicis?

Respondeo negative; Quia, quousque sunt in suis venis, sunt adespota, & jure naturæ sub nullius sunt dominio, ideoque fiunt primi occupantis: Sot. Less. c. 5. n. 51. unde infert, quod, si quis eruisset aurum, vel argentum in agro alieno, etiam invito domino, non tenetur ei restituere, nisi æstimationem damni agro per effusionem illati; quia metalla in venis probabiliter non pertinent ad dominum fundi, ut dicemus de thesauris. Si autem pars aliqua auri, vel argenti eruti per Leges esset attributa Principi, ea esset persolvenda secundum Less. sed adhuc probabile est, non ante sententiam Judicis, juxta dicta de tributis. Lapidicina autem, uti etiam fodina cretacea, carbonaria, pertinent ad dominum fundi, ut ostendit Covar. ex *l. Vir in fundo, ff. de Fundo*; quia sunt viles; ideoque cedunt fundo: non autem venæ metallicæ, quæ, utpote maximæ æstimationis, non est æquum cedere vilissimo fundo: Les. n. 53. contra Mol. Lug. & alios.

Denique lapilli pretiosi, gemmæ, ambarum, corallia, &c. quæ rudia inveniuntur in insulis, promontoriis, littore maris, sunt etiam adespota, ideoque, qui prior invenerit, titulo occupationis evadit eorum dominus: Doctores communiter. Debent tamen ab eo apprehendi; nam si Titius prior vidit talem lapillum v. g. voluitque esse suum, sed Cajus illum prior apprehendit animo habendi, ut suum, lapillus est Caii, quia primus occupavit: Lug. d. 6. n. 98.

Quæres tertio, An restituendus sit thesaurus inventus?

Respondeo, Leges ita statuere: si thesaurus inveniatur in loco proprio, totus est inventoris: at, si inveniatur in loco alieno, sive hic locus sit privati, sive Principis, sive Ecclesiæ; tunc, si inventus sit casu fortuito, dividatur inter inventorem, & dominum fundi; si de industria absque domini consensu, totus sit domini; denique, si inveniatur per artes magicas, aut malas, ubicumque inveniatur, Fisco Regio totus applicetur: v. Les. c. 5. n. 57. citantem leges; imo hodie Principes, aut Respublicæ magnam partem, vel totum thesaurum sibi vindicant: v. Lug. d. 6.

Cæterum thesaurus proprie dictus jure naturæ est inventoris, ubicumque, & quomodocumque inveniatur; quia, cum nulla extet memoria ejus, qui illum deposuit, habetur pro derelicto: Doctores communiter cum Less. c. 5. n. 58. nec refert, inquit Less. quod forte posset sciri, a quorum majoribus sit positus; nam, quod tanto temporis spatio desiit possideri, desiit etiam esse in dominio cujuspiam: An autem servandæ sint in conscientia, & ante sententiam Judicis leges positivæ citatæ? Affirmant Less. & alii communius, quia sunt leges dispositivæ: sed negat Sylvest. apud Tamb. l. 8. t. 4. *de Circumst. Restit.* c. 1. §. 3. n. 35. cui favent ex parte Bann. aliique: propendet Less. n. 66. citans Sylv. & Sot. quibus additur Trull. & Lopez dicens, inventorem non obligari quid dare Principi, antequam exigatur. An autem emere possis fundum, quanti valet, præciso thesauro ibi abscondito, si privatim id scias? Affirmavimus in de Contractibus; quia regula constituens pretium rerum est communis existimatio. Dixi, *Thesaurus proprie dictus*; nam, si ibi depositus sit causa metus, ne scilicet rapiatur ab hostibus, vel ut tutius custodiretur, vel causa lucri, aut honoris, ut in sepulchris defunctorum, est illius, qui deposuit, adeoque successorum; quia sic non habetur pro derelicto, neque adeo est proprie thesaurus; hic enim debet esse depositus animo, ut ibi lateret imposterum, & pateret nemini; vel nulla extet memoria ejus, qui deposuit; vel quamvis sciatur, quorum majores deposuerunt, tamen ex tam diuturno tempore colligi possit, dominum voluisse derelinquere: Les. Tamb. & alii.

Quæres quarto, An restituenda sit res, quæ habetur pro derelicto?

Respondeo negative; fit enim primi occupantis *l. 1. ff. Pro derelicto*. Talis est res, quam dominus eo animo abjicit, ut in numero rerum suarum esse nolit; ideoque non peccant famuli, qui calceos v. g. dominorum ejectos accipiunt, cum jam habeantur pro derelictis, & fere semper domini in his consentiunt saltem tacite: Trull. & alii. Habetur pro derelicta res, quam dominus potens facile recuperare negligat, vel non inquirat, modo sit parvi momenti, inquit Haunol. apud Croix n. 90. Addit etiam Les. c. 5. n. 67. rem abreptam a fluctibus, si dominus sciret, ubi esset, nec curaret recipere, vel quia parvifaceret, vel quia, etsi posset, fugeret tamen expensas, haberi pro derelicta. Denique, si tanta sit diuturnitas temporis, ex quo perdita est, ut dominus, vel ejus hæredes non possint moraliter eam recognoscere, nec aliquis sit, qui sciat ad ipsos pertinere, haberi potest pro derelicta, quia sic nullo pretio est æstimabilis illis: Haunol. Croix n. 90.

Contra vero, quæ in tempestate projiciuntur causa levandæ navis, vel naufragio deperduntur, non habentur pro derelictis, sed pro deperditis; quia dominus libentissime servaret, si posset, & summe desiderat recupe-

rare. Hinc, qui bona naufraga Christianorum occupant, incurrunt excommunicationem Bull. Cœn. n. 14. & qui domino repetenti ea non reddit, tenetur ad quadruplum, & publicatione omnium bonorum mulctatur *l. 44. ff. de Acquir. rer. dom.* Unde injusta esset lex, vel consuetudo, ut fierent illius, ad cujus fundum appellarent: Trull. & alii communiter. At, si res erat omnino peritura, nisi tu eripuisses, ut saccarum, farina, papyrus, &c. Navar. c. 17. n. 99. ait, posse retineri, si cum aliquo vitæ periculo ex undis eripueris, nec ulla erat domino spes recuperandi, quod probabile ait Trul. sed probabilius negat Less. c. 5. n. 67. quia ex *l. Pomponius, ff. de Acquir. rer. dom. Res mea, quantumcumque periclitetur, manet mea, ut si ovis mea e faucibus lupi eripiatur*; nisi vero, ut concedit idem Less. rationabiliter credi posset, dominum rem permittere ei, qui se periculo voluerit exponere, ut si periculum tanti æstimetur, quanti res ipsa; tunc enim, si dominus nihil dicat, potest retineri tanquam ratione periculi concessa. Ligna autem, fruges, & similia, quæ vi fluminum, præsertim si inundent, asportantur, an habeantur pro derelictis, judicandum arbitrio prudentis pro eorum qualitate, ut si magni, vel exigui sint pretii: item pro distantia domini, pro industria apposita ad illa eripienda: Trull. n. 2. In dubio autem, an sint derelicta, præsumendum est, non esse; quia in dubio nemo præsumitur res suas abjicere: Bon. & alii. Demum Petr. Nav. l. 4. c. 1. n. 58. putat, haberi pro derelicto rem, quam dominus ita projecit, vel reliquit, ut nulla sit ei spes, eam industria aliqua, vel casu aliquo recuperandi: ideoque, si ego industria mea salvem, efficio meam, quod Less. tunc solum concedit, quando dominus significaverat, se eam eripienti concedere, vel si æstimatio industriæ sit fere par illi rei.

Quæres quinto, An sint restituenda bona vacantia?

Respondeo, Bona vacantia dici res defuncti absque hærede, qui saltem ab intestato succedat. Hæc jure quidem naturæ habentur pro derelicto: jure tamen positivo debentur Fisco laico, si ille erat laicus: Ecclesiastico, si Ecclesiasticus: & mobilia peregrini morientis in hospitali distribuenda sunt per Episcopum in causas pias, & jure particulari ipsi hospitali addicuntur, uti etiam bona advenarum redemptioni captivorum: Croix n. 104. referens Amicum putantem, posse hæc retineri ante sententiam Judicis.

Quoad Beneficia autem vacantia, eorum fructus a die vacationis spectant, per se loquendo, ad successorem, quia nova provisio beneficii per retrotractionem censetur facta a die vacationis; ideoque cap. *Quia sæpe, de Elect. in 6.* suspenduntur ab officio, & beneficio Capitulares, qui occupant, aut dividunt inter se fructus, qui restant, vel obveniunt, sede Episcopali vacante. Fructus tamen primi anni vacationis, etiamsi nondum exacti, relinquuntur hæredibus defuncti habentis annum gratiæ; qualis est Parochus, & probabiliter etiam, qui habebat beneficium simplex; non autem, qui habebat beneficium Cathedralis, vel collegiatæ, ex Bull. Inn. XII. *Ecclesiæ* 1695. apud Croix l. 4. n. 673.

Si beneficium pensione gravatum vacet, & pensiones non sint solutæ a Beneficiato, tenentur ejus hæredes; at, si hi non possint, & Pensionarius suo tempore monuit Beneficiatum, Pal. & alii apud Croix n. 1162. putant, solvendas a successore. Contra, si Pensionarius moriatur ante terminum solvendæ pensionis, Beneficiarius tenetur solvere ejus hæredibus pro rata fructuum perceptorum vivente Pensionario: Ricc. Tusc. & alii apud Croix n. 1164. Sed de his fusius d. 2. q. 2.

CAPUT III.

An restituenda sint bona communia, seu nullius particularis propria?

HÆc sunt pascua, & sylvæ ad Rempublicam pertinentia: item redditus spectantes ad Communitatem secundum se: item flumina, viæ publicæ, &c.

Quæres primo, Ad quid teneantur lignantes, vel pascentes in loco ad Rempublicam spectante?

Respondeo primo, Si lignans, vel pascens sit pars illius Reipublicæ, per se loquendo, ad nihil teneri: quod verum est, etiamsi prohibitum sit civibus ibi lignari, vel pascere; quia sic venialiter tantum peccat, & leges talia prohibentes solum obligant ad pœnam post condemnationem, cum sint mere pœnales: Sanch. l. 1. *Consil.* c. 5. idem dic de glandibus, aliisque fructibus sylvestribus talium locorum: Villal. & alii,

Excipe tamen primo, Nisi lignando, vel pascendo, enorme detrimentum inferat Communitati; ut si stipes multas notabiles incidat; vel si grandiores arbores ædificiis idoneas sternas; addit tamen Sanch. probabiliter non teneri, si in monte communi magnam faciat arborum stragem, nisi post condemnationem. Excipe secundo, Nisi Respublica sylvam alioqui communem locavit privato; sic enim, qui in ea lignatur, &c. tenetur ei restituere non aliter, ac si lignaretur in sylva propria privati; Respublica enim locando transtulit jus suum in illum, non aliter, ac si pro tempore vendidisset: Doctores communiter apud Croix *de Restit.* n. 453. contr. Sot. & Toler.

Respondeo secundo, Si lignans, vel pascens non sit pars illius Communitatis, Dicastil. & alii adhuc dicunt non peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem, nisi magnam stragem fecerit, quod admittit Illſ. si lignetur in sylva Communitatis vicinæ, quia sic talia damna mutuo compensantur, & censentur Communitates vicissim condonare, quod ereptum fuerit, contentæ mulcta, si quis in furto capiatur, ut ait Less. c. 5. n. 55. Oppositum tamen tenet Croix n. 454. tanquam probabilius; quia quævis Communitas habet jus strictum ad suas sylvas contra alias Communitates, & Capita Communitatum procul dubio contradicerent, si interrogarentur. Hinc, ait, si lignans cædat in sylva suæ Communitatis, quæ sit assignata singulis pro parte, etiam facit injuriam ob eandem rationem. Cæterum attendenda est consuetudo propria locorum.

Quæres secundo, Cui facienda sit restitutio, quando quis redditus v. g. alicujus Communitatis læsit?

Respondeo, Faciendam esse ipsi Communitati, non autem pauperibus civibus; quia Communitas ipsa læsa fuit: Vasq. Reb. Less. c. 14. & alii communiter. Hinc si quis ex magistratu sibi retinuit aliquos redditus publicos, non satisfacit distribuendo illos pauperibus illius Urbis, quia in eos redditus non majus jus habent inopes, quam locupletes; sed restitui debent ærario publico. Similiter, qui fraudavit Montes Pietatis, Seminaria, Hospitalia, &c. non satisfacit restituendo eorum alumnis, convictoribus, infirmis, sed restituendum est ipsis locis defraudatis: Less. c. 14. Tamb. *de circ. rest.* c. 1. n. 18.

Quæres tertio, Ad quid teneatur qui flumen avertit, ne ad vicinum perveniat? &c.

Respondeo, ex *l. 1. & 2. ff. de Aqua fluvial. arcenda*, si fontem, vel aquæductum avertas animo nocendi alteri, teneris de damno secuto, secus vero, si non feceris animo nocendi, sed animo, ne tibi noceat. Ubi nota, obligationem restituendi non oriri præcise ratione intentionis, sed ex jure alterius; quisque enim habet jus, ne sibi hujusmodi bona communia impediantur a privato sine ulla ipsius privati utilitate. Idem dicitur, si sine tua utilitate attollas altius tuum ædificium, quo lumen ædificiu vicino impediatur; aut si impedias, ne venæ aquarum in puteum alterius decurrant, quia quisque habet jus, ne ejusmodi bona communia impediantur sine propria utilitate: secus, si impediantur animo, ne tibi noceant.

QUÆSTIO V.

De Persona Restituente.

PRÆTER eum, qui immediate damnum infert proximo, tenentur etiam ad restitutionem novem cooperatores, quorum sex cooperantur positive, reliqui tres negative, & omnes continentur his versibus,

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, non Obstans, non Manifestans:

CAPUT I.

Ad quid teneatur Mandans, seu Jubens?

MANDATUM dicitur, quod injungitur alicui in gratiam ipsius mandantis; qui, si potestatem habeat in mandatarium, dicitur jubere: si potestatem non habeat, dicitur absolute mandare, quod fit v. g. rogando, promittendo, blanditiis alliciendo, aut quovis verbo, signo, scripto innuendo, se velle, ut in gratiam sui id fiat: puta dicendo, *Utinam quis hoc mihi obsequium, vel favorem præstet: Charus mihi erit, qui hoc fecerit, &c.* Less. c. 13. n. 11. Ubi tamen addit, quod mandans obligationem quandam, & necessitatem imprimit alteri, sive expresse, sive tacite, ac implicite; ideoque solæ preces, & promissiones decidunt a mandato, & accedunt ad consilium, ut dicam cap. seq. His suppositis

Dico:

Dico: Mandans, seu Jubens damnum proximi tenetur ei restituere, dummodo effectus sit secutus, & mandatum, seu jussio fuerit causa efficax illius damni: Doctores communiter. Ratio est, quie *Dans causa damni, damnum dedisse videtur*, cap. *Si tua, de injuriis*: ergo mandans tenetur tanquam ex injusta acceptione restituere omnia damna secuta, dummodo illorum fuerit causa efficax suo mandato.

Quæres primo, An mandans teneatur de damno, quod mandatarius intulit excedendo fines mandati?

Respondeo negative, si in potestate mandatarii erat eos fines servare; quie sic mandatum non fuit causa efficax talis excessus: sic si mandas tantum verberari, & ipse volens occidit; si mandas occidi, & ipse, potens aliter occidere, occidit comburendo etiam ejus domum, tu teneris de sola verberatione, vel de sola occisione; quia hoc tantum provenit ex tuo mandato, reliqua ex malitia mandatarii, Bon. Dicastil. Croix n. 26.

At, si in potestate mandatarii non erat eos fines servare, tenetur mandans etiam de excessu, quia sic provenit ex ipso mandeto: sic si mandas, occidi Titium, & mandatarius non possit eum aliter occidere, quam occidendo etiam Cajum, teneris etiam de damno Caji, quia ex tuo mandato id sequitur: Suar. & alii: idem dicunt Sayr. Bon. & alii apud Trull. si mandas vulnerari Titium, & ille occidit; quia mors secuta est ex mandato periculoso: idem dicunt communiter epud Dian. p. 8. t. 7. r. 33. Si mandas, occidi Titium, & mandatarius per errorem occidit Cajum, putans esse Titium, quia ex tuo mandato, & non ex ejus malitia id sequitur, quidquid dicat Tamb. secus vero dicendum, si Titio declinante ictum, sagitta omnino per accidens occidat Cajum, quia sic est casus nullatenus prævisus, ut supponitur; idem demum communiter dicunt, si mandas, occidi sclopo, tali die, tali loco, &c. & ille occidat veneno, alio die, alio loco, &c. quia mandatum vere influxit in substantiam occisionis, cujus variatio fuit tantum in modo.

Quæres secundo, An mandans teneatur etiam de damno, si quod forte ex tali mandato secutum sit ipsi mandatario, puta si ipse prius occidatur ab occidendo?

Respondeo affirmative, Si mandans sit superior; quia, cum hic mandando jubeat, subditus non videtur voluntarie facere, sed coacte: Doctores communiter. At, si mandans non sit superior, quamvis communior sententia etiam affirmet; tamen Bonac. q. 2. p. 7. n. 18. & alii probabiliter negant, quia tunc mandatarius omnino libere mandatum acceptat, & exequitur, nisi vero mandans admiserit culpam, ad quam præcavendam tenebatur ex contractu, in admonendo de futuris periculis, ut bene limitat Bonac.

Quæres tertio, An, si mandans revocaverit mandatum, & nihilominus mandatarius intulit damnum, teneatur ad restitutionem?

Respondeo negative, Si revocatio pervenit ad aures mandatarii ante damnum illatum; quia sic non ipse mandans fuit causa damni, sed malitia mandatarii: hæc autem revocatio sufficit, etiamsi fiat tacite: ut si mandans redeat in amicitiam cum occidendo, vel contrahat cum eo affinitatem; quare, si hoc innotuit mandatario, mandans excusatur a restitutione damni postea secuti: Doctores communiter. At, si revocatio non innotuit mandatario, ideoque secutum sit damnum, tenetur de hoc mandans, etiamsi pœnitens, & confessus sit, quia adhuc damnum secutum est ex vi mandati; ideoque incurrit etiam irregularitatem, si secuta sit occisio, vel mutilatio; quamvis probabile sit, non incurrere excommunicationem, juxta dicende in de Censur. Eadem dic, si revocatio innotuit quidem mandatario, sed ab eo per errorem non judicata fuit serio facta, ideoque patravit scelus; vel si postea ejus immemor damnum intulit, quia sic damnum adhuc secutum est ex actione præterita mandantis: Lug. d. 19. s. 2.

Quæres quarto, An mandans teneatur restituere in dubio, an mandatum fuerit causa damni secuti?

Respondeo, Si facta debita deligentia maneat adhuc dubium, an mandatarius intulit damnum ex vi mandati, an ex privata inimicitie, vel ex alia causa, probabile esse, non teneri ad restitutionem; quia in dubio melior est conditio possidentis, & qui sic dubitat, ipse possidet suam libertatem, & pecuniam, quamvis sit irregularis, si secuta sit occisio, vel mutilatio, quæ irregularitas in dubio etiam incurritur ex lege positiva S. Canonum, juxta dicenda in de Censur. At, si dubium sit, an revocatio mandati innotuit ante, vel post damnum illatum, tenetur mandans restituere; quia sic est in possessione mandatum: Doctores communiter.

Quæres quinto, An ratum habens damnum nomine suo illatum teneatur ad restitutionem?

Respondeo negative, Si nec tacite, nec expresse antea mandavit, quia mera ratihabitio post effectum non est causa effectiva damni, etiamsi nomine tuo facti. Quod autem ille idem fecit, quia putabat, rem tibi gratam facere, solum evincit, quod tua ratihabitio futura fuerit ei causa finalis, quæ tamen non sufficit, ut sit causa moralis efficiens, ut requiritur ad restitutionem: Less. c. 13. n. 13. Regula autem illa Jur. in 6. *Ratihabitio æquiparatur mandato*, vere quidem est quoad contractus, & quoad peccatum, pœnamque aliquam in foro exteriori, puta excommunicationem (non autem irregularitatem) si scilicet ratihabeas occisionem Clerici nomine tuo factam, ex cap. *Cum quis, de Sent. Exc.* falsa tamen est quoad restitutionem; quæ unice oritur vel ex injusta acceptione, vel ex re recepta. Cæterum si Titio v. g. serio dicenti, se in gratiam tui velle occidere tuum inimicum, tu nec contradicas, nec impedias, cum possis, teneris de damno secuto; quia sic censeris tacite mandare. Idem est secundum Tamb. *de Homic.* in fine, si te rixante cum Cajo amici tui superveniant, & tu his non indigens ad tui defensionem non prohibeas, quin eum in gratiam tui occidant.

CAPUT II.

Ad quid teneatur Consulens?

CONSULENS apud Morales est, qui excitat, incitat, annuit, hortatur, suadet, instruit, dirigit, suggerit motiva, ostendit modum, quo fiat damnum tertio. Huc etiam pertinent preces, & promissiones: Less. l. 2. c. 13. n. 14. Atque hic certe tenetur de hoc damno, si ex suo consilio sit jam secutum; quod verum est, etiamsi ipso non consulente alius consilium dedisset, quia, qui prævenit injuria, prævenit & restitutione: Less. c. 13. n. 2. & alii communiter. Imo etiam tenetur, si suum consilium non sit se solo efficax, ut moveat, movet tamen ut conjunctum cum aliis; quia, licet se solo non fuisset, tamen in his circumstantiis fuit de facto causa efficax damni, ut dicitur de ultimo vulnere, quod si minus se solo, cum aliis tamen causat mortem: Lug. d. 19. s. 8. Contra vero, consulens fere nunquam tenetur de damno secuto ei, cui suasit damnum tertii, quia ei liberum semper fuit sequi, vel non sequi consilium in gratiam sui datum, in quo consilium maxime differt a mandato: Less. c. 13. n. 8. Nisi vero sit in officio, & rogatus det culpabiliter consilium petenti damnosum: Less. c. 7. n. 33.

Quæres primo, An, qui Titio ex se parato, aut aliunde jam determinato occidere Cajum, id ipsum suadeat, teneatur de tali occisione?

Respondeo negative; Quia, quamvis peccet contra justitiam ratione consilii injusti, tamen sic non est causa effectiva damni; causa enim antea posita erat, nisi vero animosiorem tua suasione reddas, juxta mox dicenda: Less. c. 13. n. 4. Si autem sic parato superaddas consilium de tempore, loco, aut modo occidendi; tunc distinguendum; & quoad tempus, si parato occidere cras suadeas occidere hodie, teneris de substantia damni, quia ille interea potuisset impediri, aut mutare simpliciter voluntatem: Mol. d. 736. cum communi: contra vero ad nihil teneris, si parato occidere hodie suadeas occidere cras, quia sic utiliter geris rem tertii: quoad locum, & modum, si parato occidere in via, sclopo, &c. suadeas occidere domi, veneno, &c. tunc, si prævideas illud, non hoc fore impediendum, teneris de substantia occisionis; secus vero contra. At, si tuo consilio reddas illum animosiorem, aut obfirmes in proposito, quod jam habebat occidendi, teneris de substantia occisionis, quie sic ad hanc certe concurris; si vero tantum consilio tuo es causa, ut occidat atrocius, turpius, &c. probabile est, non teneri de substantie occisionis, sed tantum de circumstantiis: Les. c. 13. n. 6.

Quæres secundo, An, qui parato inferre damnum majus, suadeat inferre damnum minus, peccet, & teneatur ad restitutionem?

Respondeo negative, Dummodo non possis aliter eum avertere a malo majori, & suadeas malum minus inferendum eidem tertio, quia sic hujus rem utiliter agis, & dictum illud, *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona*, intelligitur solum de iis, quæ sunt in nostra potestate: Bonac. & alii communiter. Imo in casu, in quo potes consulere malum minus, potes etiam ei operam ferre ad hoc inferendum, dummodo id sit necessarium ad evitandum malum majus, & dummodo actio tua

non

non sit intrinsece mala: v. g. parato occidere si nequeas aliter disuadere, nisi suadendo verberationem, potes ad id ei etiam ministrare instrumentum: non autem juvare, tenendo, aut verberando; quia hæc, non illa, est actio intrinsece mala contra justitiam: Sanch. Mol. & alii apud Bonac.

At quid dicendum, si parato inferre damnum majus uni, suadeas inferre damnum minus alteri? v. g. parato furari 100. Titio pauperi, suadeas furari 10. Cajo diviti? Dico, te peccare, & teneri restituere Cajo, si secutus sit effectus tui consilii; quia Cajus habet jus, ne suadeas suum damnum ad vitandum damnum alterius; nisi vero suum sit ita leve, ut teneretur ex charitate illud pati ad vitandum longe majus alterius, ut recte limitant Bon. Vasq. Less. n. 21. Si vero fur erat omnino determinatus furari vel Titio, vel Cajo, potes in genere suadere minus damnum, dummodo non dicas in particulari, ut furetur Cajo; quia sic non facis ei injuriam, cum non inducas ad furandum ei potius, quam alteri, sed in genere suadeas minus malum: Bonac. Dian. p. 2. t. 5. r. 37. Similiter, si parato furari utrique determinate, suadeas uni tantum furari, non peccas, nec teneris restituere, quia suades minus malum parato facere utrumque: Bon. Les. n. 21. Similiter, si parato furari in communi, & non in particulari suadeas furari tantum a divitibus, & non a pauperibus, probabiliter non peccas: Nav. & Salon. Hæc omnia semper intellige, si alia via non possis eum a majori malo avertere.

Quæres tertio, An, qui rogatus dat consilium, teneatur ad restitutionem damni secuti ratione suæ ignorantiæ crassæ, vel culpæ latæ?

Respondeo affirmative, Si erat ejus professionis, ad quam talis consultatio spectabat; ut Confessarius, Jurisconsultus, Consiliarius, &c. quia talis ex officio, & professione tenebatur hoc scire, & in respondendo, hunc errorem, vel negligentiam vitare: Less. c. 7. n. 33. modo adsit culpa theologica, juxta dicta q. 3. c. 4. Si autem non erat ejus professionis, & alter sciens ejus insufficientiam petat consilium, huic non tenebitur ille ad restitutionem, quia alter debet sibi imputare, si damnum ex illo consilio capiat; scienti enim, & volenti non fit injuria; tenebitur tantum de damno tertii, quia eo malo consilio illi tertio invito damnum infert: Less. c. 7. n. 34.

Quæres quarto, An Consulens teneatur de damno secuto, si revocaverit consilium, quod innotuit, antequam damnum illud sequatur?

Respondeo negative, Si consilium erat simplex assensus, nec suggerent etiam motiva, vel modum inferendi damnum; quia sic non censetur amplius consulens causa damni, sed malitia alterius: Less. Lug. & alii, qui idem dicunt, etiamsi additum sit motivum, sed falsum; tunc enim, si antea aperueris veritatem, non tibi, sed ejus malitiæ tribuitur damnum: Less. c. 13. n. 15.

At, si consulens dedit motivum verum, vel modum, quo damnum inferret, tunc non sufficit revocare consilium, sed oportet eum effective dissuadere, & efficere possibilia, ut mutet voluntatem. Quod, si ille tuis rationibus non dissuasus a priori consilio infert damnum, Nav. Mol. Salon. & alii putant te liberum a restitutione, quia tunc videtur ille moveri potius ex sua malitia, & pervicacia: quam sententiam Les. Dian. Laym. dicunt non improbabilem. Sed oppositum est verius, & communius, quia motivum illud, aut modus, aut utilitas suggesta adhuc pergunt movere, adeoque adhuc es in causa; in quo, ut vides, maxime differt consilium a mandato. Addunt tamen Sylv. & alii apud Trul. te posse liberari a restitutione, si præmature moneas tertium, ut sibi caveat.

Quæres quinto, An Consulens teneatur restituere, si dubitet, an suum consilium moverit ad damnum jam secutum?

Respondeo, In tali dubio interrogandum esse alterum, qui, si serio dicat, non esse motum ex tuo consilio, eris liber in conscientia a restitutione; dummodo, ut limitat Sanch. ille in hoc sit fide dignus. At, si talis interrogatio non sit possibilis, colligenda est veritas ex circumstantiis: si enim statim post tuum consilium secutum est damnum, præsumptio est contra te; secus vero si post multum tempus: Salon. & alii. Quod si omnibus tentatis, adhuc manet dubium, declinari potest in favorem tui, ut dictum est de mandante: Med. Henr. & alii.

Quæres sexto, An, qui suo malo exemplo movet, aut inducit alium v. g. ad furandum, teneatur ad restitutionem talis furti?

Respondeo negative, Etiamsi hac intentione malum exemplum dederit, ut ille ex eo moveretur, dummodo tamen non etiam consilium dederit, aut alia via animaverit, aut debens ex officio impedire non impedierit illius furtum. Ratio responsionis est, quia, qui tantum dat malum exemplum, non peccat, nisi contra Charitatem ratione scandali, & aliunde intentio illa se sola non inducit obligationem justitiæ: Sanch. l. 1. c. 6. Bonac. & alii. Neque obstat Prop. 39. damnata ab Innoc. XI. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Nam, ut explicat Carden. ille dicitur hic movere, qui mandat, consulit, consentit, adulatur, &c. & de his loquens merito damnatur hæc propositio; nam sunt veræ causæ morales damni illati tertio, adeo ut hoc eis tanquam auctoribus imputetur. At, qui suo tantum exemplo movet ad inferendum damnum tertio, non dicitur in moralibus vere causa talis damni, neque hoc imputatur ei tamquam auctori; secus, qui suo exemplo movet alium ad ludos noxios, faceret ei injuriam, & teneretur ad restitutionem, quod nemo dixit.

CAPUT III.

Ad quid teneantur Consentiens, & Palpo?

Consentiens dicitur, qui suo suffragio injustæ actioni consentit. Palpo dicitur, qui adulando movet ad talem actionem.

Dico primo: Consentiens damno tertii tenetur ad ejus restitutionem: Doctores communiter. Ratio est, quia suo consensu, seu suffragio est vere causa efficax actionis injustæ secutæ, ut qui suo voto consentit sententiæ injustæ, injustæ electioni, injusto bello, &c. Secus vero, si non sit causa, sed mera complacentia illius: v. g. dum in Capitulis, Collegiis, Electionibus, Sententiis conferuntur iniqua suffragia; si hæc conferuntur publice, & antequam tu consentias, vel subscribas, completus jam est numerus suffragantium illi actioni injustæ, peccas quidem addendo tuum votum, non tamen teneris de damno secuto, quia non es ejus causa; nisi vero notitia tui posterioris suffragii antea eos animaverit, vel illud vim habeat confirmandi vota præcedentium, vel spes erat tuo contrario suffragio posse damnum impedire: uti etiam teneris, si prius aliis dederit tuum suffragium, etiamsi sciveris, alios etiam absque tuo complete suffragaturos; quia sic suffragium tuum vel non impedivit, vel in damnum influxit: Less. c. 13. n. 22. At, si suffragia ferantur secreta, tunc fere semper teneris restituere; nisi certo aliunde scias, tuum positum esse post completum numerum sufficientium ad illam actionem. De quo proinde si dubites, adhuc teneris restituere, quia possessio stat pro damno illato, & non est major ratio de alienis, quam de tuo suffragio: Bonac. Nav. Rebel. & alii.

Ex dictis infers, quid sit dicendum de Consiliariis Principis volentis v. g. movere bellum injustum: si enim Princeps ad id erat omnino determinatus, tunc consentientes in illud peccant quidem, sed non tenentur ad restitutionem; tenentur vero, si ille ex eorum suffragiis pendebat ad decernendum; quia hi, non illi, sunt causa damni injuste illati: Cajet. Bon. & alii communiter.

Dico secundo: Palpo, seu adulator, si sic incitavit ad inferendum damnum tertio, tenetur ad ejus restitutionem: Doctores communiter. Ratio est, quia se habet ad modum consulentis: Les. c. 13. n. 25. Talis est, qui laude, vel plausu incitat, provocat, vel qui exprobrat, vituperat, deridet ignaviam ejus, qui non ulciscitur, non occidit, vult restituere, &c. & sic eum movet ad ulciscendum, occidendum, non restituendum, &c. Si vero talis adulatio non fuit causa damni, sed vel adhibita sit post damnum jam illatum, vel tantum inducat lætitiam in alterius animum, tunc non obligat ad restitutionem; quia supponit damnum jam aliunde causatum: Less. Mol. Croix n. 36.

CAPUT IV.

Ad quid teneatur Præbens recursum?

Ille dicitur præbere recursum, qui receptat, vel occultat malefactorem, aut ejus instrumenta, vel furta, ut sic ejus rapinas foveat.

Atque hic etiam tenetur ad restitutionem, si receptet illum formaliter qua malefactorem, hoc est ut eo recursu tutius male agat, ac damnum inferat; quia sic est

causa

causa injustæ acceptionis; suo enim auxilio, seu securitate animum ei directe præbet ad malefaciendum. Hinc Magnates tenentur ad restitutionem damnorum illatorum a suis subditis, famulis, &c. fidentibus suæ protectioni, & potentiæ, dummodo id advertant, & dissimulent: Bon. & alii communiter.

At, si quis malefactorem receptet tantum materialiter, seu non qua talem, sed qua consanguineum, amicum, hospitem, &c. nec, ut ejus rapinas foveat, sed ne a satellitibus capiatur ob rapinas jam factas, it non tenetur ad harum restitutionem, quia sic non est causa damni jam illati; unde etiam potest eum juvare ad fugiendum, cum sic neque ipse sit causa, cur talis fur non restituat. Qui autem accipit in custodia rem furtivam, ut furi eam servet, tenetur restituere domino, quia aliter cooperaretur ejus damno, nisi vero notabile incommodum sibi timeret ex tali restitutione; tunc enim satis esset, restituere furi: Les. c. 13. n. 7.

Denique Cauponarii, Mercatores, & alii similes recipientes pecuniam a filiisfamilias, vel a famulis surreptam domino rationabiliter invito, tenentur eam huic restitoere, ratione injustæ acceptionis, aut rei acceptæ; quod verum est, etiamsi eam receperint in pretium rerum venditarum; sic enim tenentur in defectu illorum: Doctores communiter contra *Sayr*. Si autem solum permittant, eos in sua officina ludere, ita tamen, ut eos non occultent, nec quasi defendant, ad nihil tenentur, quia sic non videntur proxime cooperari ad damnum, seu deperditionem illius pecuniæ: Mol. Reb. Bon. p. 9. n. 3. Qui autem emit a sutoribus fragmenta pannorum, seu vestium, &c. Villal. apud Dian. p. 4. t. 7. r. 176. dicit, peccare, & debere restituere; sed Sanch. excusat eos, qui ista emunt a sutoribus magistris; quia his plerumque detrahitur plus a justa mercede, quam valeant ista fragmenta: Busemb. & alii.

CAPUT V.

Ad quid teneatur Participans?

Dico: Participans in re tantum accepta tenetur ad partem acceptam; participans vero in injusta acceptione, seu in ipso delicto tenetur ad totum: Doctores communiter. Ratio est, quia participans in re tantum accepta est, qui e re jam ab aliis erepta partem accipit, & hic certe tenetur solum restituere, quod accepit. Participans in delicto est, qui adjuvat delinquentem in ipsa injusta acceptione, ut qui est socius, comes, explorator, mediator, excubias agit, literas conficit, instrumenta suppeditat, scalas apponit, aut substentat, aut quomodocumque sua præsentia auxilium, vel animum præbet v. g. furanti; atque hic, etiamsi nihil prædæ ad eum pervenerit, tenetur in solidum restituere, juxta dicenda c. 7. At, quid dicendum, si talis gravi metu coactus in tali delicto participaverit? Dico cum Les. c. 13. n. 29. etiam teneri ad restitutionem, si ejus actio fuerit intrinsece mala; secus vero, si non fuerit per se intrinsece mala: v. g. peccant, & tenentur ad restitutionem Christiani captivi apud Turcas, si ex gravi metu, ne scilicet ab his occidantur, explodant bombardas in Christianos, quia hæc est actio intrinsece mala per se damnificativa Christianorum: secus vero, si eodem metu cogantur remigare contra Christianos, sarcinas advehere, bombardas aptare, &c. quia hæ actiones sunt per se indifferentes, quibus Turcæ possent bene uti, si vellent: Less. Sanch. Bonac. & alii. Similiter, qui gravi metu a fure coactus effringit arcam, vel res foras projicit, peccat, & tenetur ad restitutionem, quia præstat opus intrinsece malum contra justitiam, nisi vero damnificatus teneretur ex charitate non esse rationabiliter invitus, ut limitant Doctores cum Pal. *de Char.* t. 6. d. 6. p. 11. Secus vero, si eo metu coactus præbet tantum claves, vel instrumenta furi, quibus ille arcam confringat, vel scalas tenet, dum fur murum ascendit, quia sic ex justa causa, gravis scilicet metus, actiones per se indifferentes exercet: Less. Bonac. & alii. Dixi *Gravis metus*; nam, si non sit gravis, sed ne famulus v. g. male tractetur a domino, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur, peccat sic proxime auxiliando, ut eruitur ex Prop. 51. damnata ab Inn. XI. alibi cit.

Qui autem gravi metu coactus juvat in asportanda re, postquam sublata est a fure, non peccat, nec ad restitutionem tenetur: ut sunt v. g. Rustici, qui prædas injustas militum coguntur avehere, vel pecora sublata deducere, &c. quia talis asportatio in tali eventu non videtur intrinsece mala, nec injuriosa Dominis, qui non censentur irrationabiliter inviti: Less. n. 19. Bon. & alii. Imo ipse fur, si gravi metu urgeatur, potest eam de loco ad locum asportare: ergo a fortiori id poterit innocens, qui rem non surripuit. Denique, qui vendit arma, venena, &c. machinanti mortem; si vendat ei expresse ad hunc finem petenti, certe participat in ejus delicto, & tenetur de damno secuto; secus vero, si vendas ei dicenti, se petere ad alium finem, etiamsi suspiceris, eum malo fine revera petere; quia sic vendis eo modo, quo vendi solet aliis, & talis venditio est indifferens ad usum bonum, & malum, nec de se determinatur ad finem, quem alter occulte intendit. Sic nec censetur cooperari ad superstitionem, qui vendit agnum Judæo, quem putat sacrificii causa emere: Less. n. 31.

CAPUT VI.

Ad quid teneantur Mutus, non Obstans, non Manifestans?

Hi tres negative, seu permissive cooperari dicuntur damno tertii, quatenus non impediendo permittunt, ut illud aliunde sequatur; ideoque communi vocabulo dicuntur *Non impedientes*. Videndum primo de iis, qui ex officio tenentur impedire: secundo de reliquis, qui non tenentur ex officio.

Dico primo: Qui ex officio tenentur impedire damnum proximi, &, cum possint, non impediunt, tenentur ad restitutionem totius damni secuti: Doctores communiter. Ratio est, quia ratione officii obligantur ex justitia impedire, ne damnum illud sequatur. Hinc *Mutus* dicitur Custos, qui videns v. g. furem non clamat, Consiliarius, qui videns injustitiam non loquitur, vel se abscondat, &c. *Non obstans* dicitur Princeps, Judex, Dux, &c. qui negligunt impedire assassinia, furta, injusta monopolia, &c. *Non Manifestans* dicitur quivis minister justitiæ, aut publicus officialis, qui non manifestat damnificatorem, sive ante factum, quando damnum erat impediendum, sive post factum, quando damnum est resarciendum: eadem dic de omnibus iis, qui tenentur ex contractu, aut quasi contractu; sive etiam ex speciali alia obligatione, ut patres non impedientes filios, servos, famulos, aut animalia, ne alios lædant, &c.

Atque hi omnes ratione officii tenentur impedire damnum alterius, etiam cum periculo proprii damni, dummodo hoc non sit majus, vel etiam æquale damno, quod tenebantur ex officio impedire; quia ex communi sensu ad illud tantum subeundum censentur tacite se obligare, nisi expresse aliter sit conventum, juxta dicta q. 3. c. 3. Addit tamen Less. c. 13. n. 70. Principes, Magistratus, &c. teneri etiam cum periculo vitæ impedire damna gravia, non quidem privatorum, sed Communitatis, ut proditiones Reipublicæ, hæreses, seditiones, &c. quia talia longe præponderant cuivis damno ipsorum proprio.

Quæres primo, Ad quid teneantur, qui tenentur ex officio manifestare delinquentem, & non manifestant?

Respondeo, Teneri compensare damnum ab eo factum; non tamen solvere mulctam pecuniariam, ad quam ille jure erat damnandus: v. g. Custodes nemorum, qui non deferunt cædentem ligna, vel venantem contra prohibitionem, tenentur compensare damna inde enata domino nemoris, quia ex officio tenentur deferre, & ad hoc sunt conducti; At non tenentur restituere pœnas, quas dominus nemoris accepisset ex tali delatione a delinquente; quia officium illorum non est locupletare dominum ex lucro pœnarum, sed tantum conservare res sibi commissas: Lug. d. 37. n. 102. Imo, si talis custos acceperit a delinquente pretium, ut non accusaret, neque tenetur hoc dare domino; quia non apparet, unde oriatur talis obligatio, ut notat idem Lug. Eadem dic de illis officialibus, qui permittunt, defraudari gabellas, & telonia, & de satellitibus, qui non capiunt gestantem noctu arma contra prohibitionem pœnalem, &c. Nav. Silv. Bon. Less. n. 73. & alii cum Dian. p. 2. t. 5. r. 54. contra Salon. Sayr. Villal. & alios.

Si autem Judex, accepta tali, vel simili delatione, id non notificet parti læsæ, ut sibi satisfieri exposcat, Sanch. l. 1. *Concil.* c. 5. ait, hunc teneri compensare ei damnum, quia ex officio tenebatur notificare; verum in hoc consulenda est praxis Curiæ, in qua officium Judicis plerumque non procedit sine partis petitione, ideoque, si pars nihil petat, ad nihil tenetur Judex, ut ait Gratian. apud Trul. Similiter, si Procurator Fiscalis, Judex, &c. sint causa, cur Fiscus non accipiat mulctam,

pee

per leges impositam delicto, Less. Dian. Sal. Lug. d. 37. n. 112. contra Med. Reb. Mol. & alios probabiliter dicunt, non teneri restituere; tum quia officium eorum primario est, ut delicta non fiant, & secundario tantum ordinantur ad emolumenta Fisci; tum quia hæc mulcta debetur tantum ex justitia vindicativa, non autem commutativa: v. Croix n. 83.

Denique testis juridice interrogatus, si taceat veritatem, secundum Nav. Sot. Sanch. l. 6. *Consil.* d. 3. & alios communius tenetur in civilibus restituere parti læsæ omnia damna ex tali taciturnitate provenientia, quia testis per mandatum Judicis est parti applicatus, ac proinde pars tunc habet jus in eum: item est causa, cur Judex ferat sententiam in damnum partis: ergo tenetur ad restitutionem. Contradicunt tamen Mol. Bon. Dian. p. 2. t. 5. r. 111. nec improbabile dicit Less. c. 30. num. 50. quia Testis non est officialis, adeoque tacendo non est injustus, sed inobediens, & contumax; addit etiam Less. n. 60. etiamsi juraverit, se dicturum veritatem, non teneri ex justitia eam dicere, nisi id etiam promiserit; sed contrarium in casu dicit Bonac. quia hoc juramentum est promissorium, ex quo consurgit obligatio justitiæ.

Quæres secundo, An Parochus non monens in Confessione Pœnitentem de restitutione, ad quam is tenebatur, teneatur ipse restituere?

Respondeo, Nav. & alios apud Bon. docere, ipsum teneri, si pœnitens non restituat; quia ex officio Parochi tenebatur eum monere. Sed probabile est, non teneri restituere; quia, quamvis peccet contra proprium officium, quo tenetur prospicere bono spirituali pœnitentis, at non tenetur ex proprio officio consulere bono ipsius temporali, & multo minus alterius: idque a fortiori procedit de simplici Confessario: Sanch. Suar. Less. c. 13. n. 78. Bon. & alii cum Dian. p. 1. t. 2. r. 1. Tenetur tamen ex charitate erga tertium monere in confessione sequenti pœnitentem de restitutione facienda, vel extra confessionem, si commode potest, petita prius ab eo licentia loquendi, quam tamen si ille neget, cessat obligatio charitatis.

At, si Parochus, vel quivis alius Confessarius, non solum non monuit, sed positive deobligavit pœnitentem, dicendo, eum non teneri restituere, tunc tenetur ipse restituere tertio, tanquam consulens, & similiter tenetur restituere ipsi pœnitenti, si hunc obligavit ad restitutionem, ad quam vere non tenebatur. Satisfacit tamen huic oneri, si in confessione sequenti reparare possit tale damnum; aut etiam extra confessionem, petita licentia; quam tamen, si ille neget, vel si damnum ille reparare non possit, tenetur ipse Confessarius ex suo restituere, dummodo culpabiliter antea deobligaverit; quia sic tenetur ex injusta acceptione, seu damnificatione; secus vero, si inculpabiliter deobligaverit: Bon. & alii communiter.

Dico secundo: Qui non tenetur ex officio, vel contractu, vel stipendio impedire damnum tertii, etiamsi potens non impediat, non tenetur ad restitutionem damni secuti: Doctores communiter. Ratio est, quia sic non peccat, nisi contra Charitatem, cujus violatio non obligat ad restitutionem. Quod verum est, etiamsi potens facile impedire, tamen pravo animo omiserit impedire, eo scilicet fine, ut damnum sequatur; quia solus pravus animus non fert onus restitutionis, ex sæpe dictis. Addit Less. c. 13. n. 56. quod nec teneatur restituere, qui pravo animo impedit alium volentem ex charitate impedire damnum tertii; quia sic impedit solum actum charitatis illius, & ad quem damnificatus non habebat jus strictum; excipit tamen, nisi illum impedierit vi, aut fraude, quia damnificatus habebat jus, ne vi, & fraude impediretur talis actus charitatis, ex dictis q. 2. c. 3.

Ex dictis infers primo: Si famulus, cui non est specialiter commissa cura, vel custodia rerum domini, videat, alium famulum, aut domesticum furari ex illis rebus, & taceat, non tenetur de damno secuto; quia non tenebatur impedire ex officio; ex charitate autem tenetur, si commode potest, corripere furem; &, si is monitus perseveret, eum detegere custodibus; &, si adhuc perseveret, pandere tandem domino: Doctores communiter apud Lug. d. 19. n. 105. At, si fur sit extraneus, Less. c. 13. n. 75. Lug. Sot. & alii contra Mol. Rebell. Bon. & alios, probabilius dicunt, talem famulum, si taceat, teneri restituere; quia ratione famulatus omnes famuli, quasi de jure gentium, censentur tacite obligari, res domini ab injuriis externorum tueri: idem dicit Lugo in casu, quo alius famulus furetur, & vellet fugere, quia tunc censetur esse velut extraneus.

Infers secundo: Si scias, Titium emisse sive bona, sive mala fide a fure equum Caji, & non manifestes Cajo, nihil teneris ei compensare; quia non teneris, ut suppono, ex officio, sed tantum ex charitate, contra quam unice peccas, si commode potens non manifestes; imo, si delictum sic occultum, non potes illud revelare: Salon. & alii.

Infers tertio: Si fur, ut taceas, donet tibi pecuniam, tunc, si eam acceperis post furtum jam secutum, non teneris eam restituere, quia turpe lucrum post opus impletum teneri potest: Lug. d. 19. n. 104. nisi forte ea pecunia fuerit pars prædæ; sic enim restituenda esset Domino, ratione rei acceptæ. Si autem acceperis pecuniam, antequam sequatur furtum, teneris eam statim restituere furi, quia contractus fuit nullus, utpote de re illicita saltem contra charitatem; imo, si eam non restituas, & sic furtum sequatur, teneris de ipso furto, quia sic fur factus fuit animosior, & securior ad furandum: Salon. Bonac. Less. n. 68. contra Sot. quod a fortiori procedit, si te obtuleris dicens, *Non te manifestabo*: v. Dian. p. 2. t. 5. r. 54.

Infers quarto: Si scias Titium velle in gratiam tui damnum inferre tertio, & taceas; tunc, si Titius omnino ignorabat, suam voluntatem esse tibi notam, probabile est ex Reb. apud Dianam p. 4. t. 4. r. 64. te non teneri de damno secuto, quia non tenebaris ex officio, ut suppono, obstare. Secus vero dicendum, si Titius sciebat, suam voluntatem esse tibi notam, quia sic tua taciturnitas fuit ei quidam veluti consensus, & approbatio: Croix n. 43.

Infers quinto, Si in via adverteris esse prædones, & ab occurrentibus interrogatus neges, te advertisse, ideoque hi quasi securi pergant ire, & sic ab illis spolientur, teneris hæc damna compensare; quia, quamvis ex justitia non tenebaris manifestare prædones, tamen ex justitia tenebaris interrogatus non occultare, seu non asserere, nullos esse prædones, & non inducere alios per mendacium, ut pergerent: Sylvius apud Croix n. 47.

CAPUT VII.

Quo ordine prædictæ personæ teneantur restituere damnum sequutum?

SUPPONO, damnificationem aliam esse lucrosam, qua scilicet aliquid ablatum sit, & extet, sive in se, sive in æquivalenti; aliam esse non lucrosam, qua scilicet damnum tantummodo irrogatum sit, puta incendium domus, homicidium, vulneratio, &c. His suppositis

Dico primo: Si damnificatio sit lucrosa, primo, & principaliter tenetur restituere is, apud quem res extat sive is sit mandans, sive exequens, sive consulens, sive quivis alius: Doctores communiter cum Less. c. 13. n. 39. Ratio est, quia is, apud quem res extat, tenetur non tantum ex injusta acceptatione, sed etiam ex re accepta, qui titulus est major, cum jus domini constanter adhæreat rei. Quare hoc restituente cæteri ad nihil tenentur, quia jam satisfactum est domino ad æqualitatem. Si autem singuli acceperunt suam partem, & unus eorum restituat totum, tenentur reliqui partes suas acceptas restituenti reddere.

Dico secundo: Si damnificatio non sit lucrosa, tunc primo loco tenetur mandans, secundo loco exequutor, tertio loco alii concurrentes positive, quarto demum loco reliqui concurrentes negative: Less. c. 13. & alii apud Croix a n. 55. Ratio est, quia, qui mandat, vult damnum nomine suo fieri: ergo totum onus, quod sequi posset, in se suscipit: ergo ipse ante omnes tenetur illud resarcire. Atque hoc verum est inquit Lug. contra Vasq. & Turrian. etsi mandans non sit superior, nec habeat vim coactivam; quia semper est causa principalis damni facti nomine suo. Hinc eo restituente, cæteri in tali damnificatione non lucrosa ad nihil tenentur; quia solum tenebantur in defectu illius. Contra vero, si cæteri restituant, tenetur mandans eis totum refundere. Doctores communiter apud Croix loc. cit.

In defectu autem principalis, seu mandantis, tenetur secundo loco restituere exequutor, qui immediate damnum intulit; quia sic se habet tanquam instrumentum morale mandantis, estque ei cæteris proximior: Less. c. 13. n. 44. Sayr. Bon. & alii communiter. Si autem exe-

executor non solo jussu mandantis, sed suo etiam nomina executus est damnum, tenetur æque primo, ac mandans, ad partem damni, secundum modum, quo operatus est ex proprio motivo, Croix n. 55. In defectu etiam executoris, seu inferentis immediate damnum, tenentur tertio loco reliquæ causæ positivæ, scilicet consulens, consentiens, palpo, receptans, & participans in delicto. Sed inter has causas, Nav. quem sequitur Bonac. adhuc agnoscit aliquem ordinem, itaut prius teneatur consulens, & in hujus defectu receptans, tum palpans, &c. Sed hunc ordinem rectius negant Mol. Vasq. Lug. & alii cum Less. c. 13. n. 49. quia nulla harum causarum operatur, ut instrumentum aliarius, ut supponitur: ergo, si executor non restituat, omnes ejus loco immediate tenentur pro rata restituere, plus, vel minus, prout magis, vel minus eum moverint; & quilibet ad totum, in defectu reliquorum, juxta dicenda c. seq. Denique in defectu omnium causarum positive concurrentium, tenentur ultimo loco reliquæ causæ negativæ; quia hæ reipsa non inferunt damnum, sed tantum non impediunt, cum ex officio deberent impedire. Inter causas negativas dari etiam ordinem putat Nav. itaut prius teneatur Princeps non impediens, tum custos non loquens, &c. Sed hunc ordinem melius negant alii cum Less. Trul. Illſ. &c.

Infers ex dictis, Primo, damnificatum non habere jus primo exigendi restitutionem a causis negativis, sed tantum in defectu omnium causarum positivarum, & similiter nequit exigere a concurrentibus positive, nisi in defectu executoris, neque ab hoc, nisi in defectu mandantis. Si autem res ablata extet, a quocumque, apud quem extat, potest illam exigere.

Infers secundo, Quod, si damnificatus condonet restitutionem principali, seu mandanti, reliqui ad nihil tenentur: contra vero, si his condonaverit, mandans, seu principalis non ideo manet liber: & ratio est, quia ruente principali ruit accessorium, non contra: Laym. Less. & alii. Denique, si condonet uni ex iis, qui in eodem gradu, seu loco tenentur, non liberat alios, nisi ab ea parte correspondente illi, cui facta est condonatio; quod, si illi non solum condonet, sed etiam concedat actionem, ac si revera solvisset, acquirit ille jus contra alios ad repetendum id, cujus facta est ei remissio; quia sic succedit in locum damnificati. Vide Less. Nav. Bon. & alios.

Quæres, Quid sit dicendum, quando plures sunt causæ damni æque principales?

Respondeo, Si plures sint causæ æque principales, eum primo loco teneri restituere, qui immediate etiam intulit damnum suo solo nomine: v. g. plures ex conspiratione aggrediuntur Titium, sed unus tantum eorum infert ictum suo solo nomine; hic primo loco tenetur restituere, reliqui vero in ejus defectu; quia hic plus omnium influxit suo solo nomine: Vasq. Mol. Less. Lug. & alii: si autem intulit ictum non suo tantum, sed omnium nomine, tunc omnes æque primo tenentur: Less. n. 47. Eadem dic, si commune est consilium de damno inferendo, sed hoc ab uno tantum eorum infertur; si enim proprio tantum nomine, ipse tantum primo loco tenetur, ac proinde eo restituente, reliqui ad nihil tenentur; secus vero, si executus est damnum nomine omnium.

Quæres iterum, Quid sit addendum de consulente?

Respondeo: Primo, Si quis per fraudem, aut culpabilem ignorantiam consulendo induxit Titium ad inferendum ignoranter damnum: v. g. si Confessarius mala fide suasit pœnitenti, ut non restituat, Consiliarius Principis culpabiliter ei suasit condemnare innocentem, &c. tunc talis consulens tenetur primo loco restituere, quia injusta damnificatio ipsi tantum fuit voluntaria; alter enim operatus est, ut supponitur, ignoranter, & bona fide, ideoque non tenetur ex injusta acceptione, sed tantum ex re accepta, si extet: Croix n. 60. Secundo, Si Titius suasit Cajo, ut suaderet Semprunio inferre damnum Petro, Sempronius primo loco tenetur restituere Petro, ut patet ex dictis; at secundo loco tenetur Cajus, quia influxit immediatius Titio, qui proinde ultimo loco tenebitur: Croix n. 61. Tertio, Si consilium sit utile ipsi tantum Consultori, ipse tenetur primo loco, quia sic se habet tanquam mandans: contra vero, si sit utile tantum executori, ut patet ex dictis: at, si sit utile utrique, uterque tenetur æque primo pro rata: singuli autem in solidum in defectu alterutrius: Less. c. 10. n. 41. Lug. d. 13. n. 9. quidquid sit de foro externo, ex *l. 2. ff. Mandati* apud Croix n. 56.

CAPUT V.

An prædictæ Personæ teneantur singulæ in solidum?

RESTITUERE in solidum, seu in integrum idem est, ac totum damnum illatum integre resarcire. Ut autem teneatur quis in solidum restituere, debet esse causa totius damni secuti, si minus totalitate causæ, saltem totalitate effectus: v. g. Plures personæ suo quæque nomine mandant Petro occidere Cajum, singuli illi mandantes tenentur in solidum de morte Caji, quia singuli fuerunt causa sufficiens, cui totus tribueretur effectus; ideoque singuli tenentur ad partem, si reliqui mandantes restituant; ad totum vero, si reliqui non possint, vel nolint restituere. Idem est de pluribus simul exequentibus, consulentibus, consentientibus etiam in idem damnum, juxta jam dicta suo cujusque loco. Ex quibus infers, quod, si tres v. g. communi consensu furati sint 300. aureos, & unus restituit totum, alter vero nolit, vel non possit reficere illi suam partem, tertius tenetur eidem reficere non solum suam partem, sed insuper etiam dimidium, nimirum 150. quia sic tota obligatio manet apud duos, quibus proinde æqualiter est dividenda: Sayr. Bon. & alii.

De participantibus in delicto manent hic plures difficultates enodandæ; pro quibus nota, quod damnum, cui plures auxiliantes cooperantur, vel est idem, & individuum, vel est divisum, & diversum: deinde vel omnes simul unanimi consensu concurrunt, vel unusquisque seorsim. His notatis

Quæres primo, An, si plures unanimi consensu concurrunt ad idem damnum inferendum, teneantur singuli in solidum restituere?

Respondeo affirmative, Quia sic singuli influunt in totum damnum; singuli enim suo consensu, præsentia, operatione, &c. adjuvant, animant, ac securos reddunt alios, sicque concurrunt etiam ad eorum actiones: ergo singuli tenentur in solidum, itaut quilibet teneatur ad totum in defectu sociorum, etiamsi partem per se tantum destruxerit, aut sibi acceperit, aut nihil ad eum pervenerit: ut, si adjuvas ad eandem domum incendendam, ad idem pondus auferendum, ad eundem gregem animalium abigendum, ad eundem hominem occidendum, &c. sive comitando furem, sive ostendendo iter, sive tenendo scalas, sive agendo excubias, sive præbendo sarcinas, ignem, instrumenta, &c. Nec refert, quod damnum sine te auxiliante adhuc fieret, sive quia socius constituerat se solo facere, sive quia alius tuo loco similem operam conferret; nam de facto verum est, te auxiliante fieri: Less. n. 35. Excipit Nav. c. 17. n. 17. nisi solum mediate cooperatus sis, v. g. præbendo instrumenta, juvando conscendere, tenendo scalas, &c. si enim sine hoc auxilio fur æque inferret damnum, non teneris, inquit Navar. ad restitutionem, quia es tantum causa modi; sed verius, & communius est, teneri, quia es causa totius actionis, ut hic & nunc fit.

Sed adhuc dubium est, an singuli teneantur in solidum, si singuli non fuissent causa per se sufficiens ad totum damnum, v. g. ad auferendum idem pondus, simul tamen sumpti fuerunt causa sufficiens? Qua in re dicendum cum Lug. d. 19. n. 82. singulos teneri in solidum, si singuli movent alios ad ponendum illud damnum, aut si singulis non concurrentibus damnum non poneretur; quia sic singuli sunt moraliter causa adæquata totius damni; singuli enim potuissent, ac debuissent impedire non dando suum concursum: contra vero, si singuli non movent alios, & singulorum concursu sublato adhuc fieret totum damnum, singuli tenentur tantum ad partem; quia sic singuli non fuerunt ne moraliter quidem causa totius, nec illud poterant, aut saltem non tenebantur impedire: v. Croix n. 53.

Quæres secundo, An, si plures unanimi consensu inferunt, non idem, sed distinctum damnum diversis, puta alius furetur Titio, alius Cajo, &c. singuli teneantur in solidum?

Respondeo, Sylv. Nav. & alios apud Trul. docere, non teneri in solidum, sed tantum ad suam partem; quia sic nemo est causa totius, nec damni ab altero illati, sed solius suæ partis. Sed hoc intellige, nisi forte alius alium impulit, ut citius, aut alacrius faceret, vel nisi se invicem promoverint, aut animaverint; sic enim in solidum tenetur unusquisque restituere, quia singuli censentur causa totius damni: Less. num. 36.

num. 36. Hinc patet responsio ad casum de militibus Civitatem injuste deprædantibus; si enim singuli ad suam tantum partem concurrunt, ad eam solum tenentur, ut inquit Less. n. 37. ex Nav. Sayr. & aliis apud Bon. & Dian. p. 2. t. 5. r. 8. Verum, cum id vix accidat absque mutua animatione, &c. ideo vix liberari quivis eorum potest a restitutione in solidum; quare melius ab hac excusantur per accidens, tum quia non possunt totum restituere, tum quia læsorum voluntas, & expectatio non est, ut plus restituant, quam partes suas; ideoque, si has possunt, ad id tantum tenentur, vel etiam, si quid adhuc reliquum habent ex iniquo: in solidum autem tenetur dux, qui mandavit, non prohibuit, &c. Laym. ex Cajet. Mol. & aliis apud Busemb. dub. 3.

Quæres tertio, An, si plures absque mutuo consensu, sed quisque per se seorsim, damnum intulerunt Titio, teneantur singuli in solidum restituere?

Respondeo negative, Quia nullus eorum concurrit ad totum damnum, vel ad damnum ab altero illatum. Sic, si supervenias Titio jam ab aliis lethaliter vulnerato, & interficias, non teneris ad restitutionem totius damni, sed solum quatenus mortem acceleras, vel quatenus es causa alicujus particularis damni; quia mors adhuc absque tua cooperatione erat mox futura: incurris tamen irregularitatem, quia revera mortem acceleras: Reginal. Bon. q. 2. p. 1. n. 19. & alii. Si plures seorsim, & absque mutuo consensu, ac notitia vineam Titii deprædati sunt, singuli tenentur tantum pro sua parte: idque verum est primo, etsi singuli advertant ad damnum causatum ab aliis, quia, quod advertant, non ideo evadunt causa physica, aut moralis damni ab aliis illati: Less. & alii. Verum est secundo, etsi alter moveatur exemplo alterius, quia, qui movet tantum suo pravo exemplo, solum peccat contra charitatem, Less. Sel. Tamb. Lug. d. 16. n. 159. contra Laym. Ovied. & alios apud Croix n. 1000. An autem hi peccent mortaliter, si singuli levem uvæ quantitatem comederint, videbimus commodius d. 2. cum de furtis minutis.

Ex dictis infers, quid sit dicendum de comedente agnum furtivum? Si enim non est cooperatus ad furtum, tunc etsi ignoranter comedit, tenetur tantum, in quo factus est ditior; si vero scienter comedit, tenetur ad valorem partis, quam ipse consumpsit; etsi non factus sit ditior. At, si cooperatus est ad furtum, vel si aliis volentibus restituere ante comestionem suasit comedere, tenetur in solidum, quia sic cooperatur ad totum damnum: Bonac. & alii communiter.

QUÆSTIO VI.

De Persona, cui restituendum.

HÆc persona communi vocabulo dici potest creditor. Videndum, Primo, Cui creditori facienda sit restitutio? Secundo, Quis ordo servandus sit inter plures creditores? Tertio, An creditor uti possit occulta compensatione?

CAPUT I.

Cui creditori facienda sit restitutio?

DIco: Ordinarie loquendo, facienda est ei, qui juste eam rem detinebat: Doctores communiter. Ratio est, quia restituere est in pristinum statum reponere, *l. Restituere, ff. de verb. sign.* ergo, &c. Hinc, qui furatur rem a Sartore, Depositario, Commodatario, Pignoratario, Tutore, Œconomo, Procuratore, &c. his tenetur restituere, & non domino, quia hi juste detinebant, sicque reponit in pristinum statum justum. Si ergo restituat immediate domino, peccat; facit enim eis injuriam privando justa detentione; quamvis nihil deinde teneatur eis restituere; nisi forte aliquod inde damnum ei sequatur, v. g. si a depositario furatus es pecuniam, qua etiam licite lucrabatur, teneris de hoc lucro, si ei cesset, eo quod domino restituas: Sayr. Cajet. Salon. & alii; qui etiam bene monent, quod, quando res ablata non redditur his, sed domino, debes eos monere, quod dominus rem suam habeat. At, si is, cui res est ablata, non sit capax ejus dominii, aut administrationis, v. g. si a Religioso, Uxore Titii, Mancipio, Filiofamilias, vel Clerico surripueris aliquid, quod erat Monasterii, Patrisfamilias, vel Ecclesiæ; tunc non illis, sed istis debes restituere. Nisi vero prudenter judices, quod illi statim restituent istis; vel si non possis istis immediate restituere sine gravi tuo damno; sic enim nulla istis infertur rationabilis injuria. Ut etiam illis, non istis, debet restitui, si quid ablatum sit v. g. ex paraphernalibus uxoris, castrensibus, vel quasi castrensibus filii, concessis ad usum Religioso, &c.

Denique, quando res pecuniaria restituenda est domino, satisfacies Justitiæ, si eam restituas ejus creditori: v. g. si debeas 100. Titio, qui tantundem debeat Cajo, satisfacis dando Cajo; quia solvendo creditori tui crediroris, transfers in te jus, quod ille habebat in tuum creditorem, & consequenter nihil ei amplius debes. Atque hoc recte procedit in foro conscientiæ, in quo satis est, si utrumque debitum sit ex justitia, sit æquale, & sit certum; quidquid sit de foro externo, quod aliter in aliquibus casibus decernit: v. Less. c. 16. n. 61.

Quæres primo, Cui restituenda sit res Caji, quam accepisti a Titio possessore bonæ fidei, vel fure?

Respondeo primo: Si rem Caji accepisti a Titio possessore bonæ fidei; tunc, si dubites, quis eorum sit dominus, restituere debes Titio; quia in dubiis melior est conditio possidentis: idemque est, etiamsi certo scias, esse Caji, sed id probari certò non possit: quia, cum Titius bona fide possideat, non potest re spoliari, nisi ei constet, esse Caji. Si vero id probari certo possit, tunc admonendus est Titius, ut rem recuperans restituat Cajo; quod, si admonitus noluerit, debes Cajo immediate restituere; quia jam Titius incipit esse possessor malæ fidei Sayr. Nav. Trul. & alii. Secundo, Si rem Caji accepisti donatam, vel depositatam a Titio fure, teneris eam restituere immediate Caju domino, sive bona, sive mala fide eam acceperis; itaut, si sciens esse furtivam restituas furi, qui deinde non reddat domino, tenearis huic compensare damnum, cujus es causa; nisi vero certus moraliter eras, quod fur ipse restitueret domino: Less. c. 16. num. 13. & c. 27. n. 15. Croix n. 98.

Si vero eam emeris a fure, tunc, si prudenter judices, ab eo restituendam domino, & te non posse aliter recuperare tuum pretium, nisi eam restituendo furi, potes huic restituere, sive bona, sive mala fide emeris; quia sic dominus non potest esse rationabiliter invitus: Croix n. 99. & alii. At, si prudenter prævidras, a fure non restituendam domino, tunc, si non potes aliter recuperare tuum pretium, Sylv. Alens. Haunol. Dian. p. 5. t. 14. r. 87. & alii dicunt, etiam posse restituere furi, sive bona, sive mala fide emeris; quia restituendo furi, reponis rem in eo statu, in quo ante emptionem erat, nec ad amplius teneris. Contradicunt Cajet. & Medin. Sot. Mol. Laym. Croix n. 100. & alii, quia res apud te existens acquisivit meliorem statum, qui spectabat etiam ad dominum rei: ergo, si restituas furi, facis domino injuriam, cum e statu meliori in deteriorem dejicias. Sed Less. c. 13. a n. 14. Mald. Turrian. Dicastil. & alii rectius distinguunt, dicendo, posse reddere furi, si bona fide emeris, & aliter pretium recuperare non possis; quia sic, cum nullam injuriam feceris domino in emptione rei suæ, non potest esse rationabiliter invitus, si eam, ne pretium amittas, reponas in eo statu, in quo erat antea. Secus vero dicendum, si mala fide emeris; sic enim ratione injustæ acceptionis teneris eam restituere domino, etiam cum periculo tui pretii. Dominus autem nihil tenetur tibi refundere, si mala fide emeris; teneretur enim solum ad parvum aliquod pretium, si emeris bona fidè, vel cum animo eam ipsi reddendi: Less. n. 20.

Cæterum, sive emeris, sive donatum habeas a fure frumentum, aut aliud miscibile furtivum, quod cum aliis ejus rebus propriis erat jam mixtum, nullatenus teneris restituere, etiamsi illud apud te adhuc extet, & etiamsi scienter acceperis; quia sic non accepisti rem furtivam, sed propriam ipsius furis, contra quem prior dominus habet actionem tantum personalem: Less. n. 22. juxta dicta q. 1. c. 3.

Quæres secundo, Cui facienda sit restitutio, si dominus rei sit mortuus?

Respondeo, Faciendam esse ejus hæredibus, utpote succedentibus in jus defuncti: quare injuste tunc daretur res pauperibus, vel sacrificantibus pro ejus anima, quia defunctus per mortem amisit jus civile in sua bona (etsi illud recuperaret, si resurgeret) quod transiit jam ad hæredes: Trul. ex D. Th. & aliis. Hæredibus autem non existentibus, probabile est posses-

sorem

fuerim bonæ fidei posse sibi eam rem retinere ante sententiam Judicis: possessor vero malæ fidei tenetur in conscientia eam erogare in pia opera pro anima defuncti, juxta dicta q. 3.

At, quid dicendum de hoc casu? Titius mandavit famulo suo, ut ferret Cajo donatam a se gemmam, famulus autem per fraudem, & ex gravi culpa distulit eam ferre usque ad mortem Titii, nunc vero mortuo Titio gemmam illam perdit; quæritur, quid, & cui famulus teneatur restituere? Mol., Sanch., Less. c. 18. num. 46., & alii dicunt, teneri duplicem valorem gemmæ restituere duobus; unum scilicet hæredibus Titii, quia, cum donatio non fuerit perfecta, mandatum expiravit morte mandantis, & consequenter gemma mansit hæredum Titii: alterum valorem debet Cajo; quia per dilationem culpabilem fuit ei causa damni, seu non habendi gemmam jam donatam: sed Sa, Tamb., & alii dicunt, satis esse, si restituat tantum Cajo, quia probabile est, mandatum favorabile, & gratiosum non expirare morte mandantis: sicut Sanch. l. 8. *Matr.* d. 28. num. *66.* dicit, morte concedentis non expirare gratias, v. g. concessionem privilegii, dispensationis, indulgentiæ, &c., & juxta hanc sententiam gemma, si extet, potest dari Cajo. Prima tamen sententia videtur probabilior: Croix num. 220. Sed melius distinguendum cum Less., qui adhæret primæ sententiæ, si mandans ipse donavit; secundæ vero, si mandavit donationem faciendam.

Quæres tertio, Cui restituere debet, qui falsificavit monetas?

Respondeo, Falsificantem monetas peccare mortaliter, quia sibi usurpat jus Principis, quod est quid grave: Doctores communiter. Porro falsificans monetam ex parte materiæ, vel scilicet de justo pondere minuendo, vel minoris valoris metallum miscendo, vel aliam materiam cudendo, peccat dupliciter contra justitiam, & tenetur restituere: Primo Principi, quem privat justo lucro, quod ei competit ex monetæ cusione: Secundo his, quibus ea moneta est in solutione data, pro damno eis illato. Quod, si ii ignorantur, talis restitutio fieri debet Communitati læsæ, vel pauperibus, juxta dicta q. 4. c. 1. de Restitutione incertorum. Eadem dic de circumcidentibus, radentibus, vel aliter extenuantibus publicam Principis monetam, itaut justum pondus amittat; est enim falsificatio ex parte ponderis: Doctores communiter cum Nav., Sylv., & aliis: si autem talis moneta justum pondus non amittat, quamvis non sis proprie falsarius, peccas tamen mortaliter, eo quod tibi jus alienum usurpas, & teneris restituere Principi id, quod abraserit, eo quod fuit per errorem appositum: Villal., Trull., & alii.

At, quid, si falsificet monetam tantum ex parte sigilli, itaut materia sit integra, & perfecta? Peccat secundum omnes, eo quod usurpas tibi jus Regium sigilli. Sed secundum Sylv. nihil teneris restituere; secundum Navar., Villal. rectius teneris saltem Regi, eo quod hic minus veram monetam expendat; ideoque etiam suo lucro privatur: qua ratione, qui libros sine licentia imprimit, qui nives privatim vendit, &c., tenetur restituere ei, qui habebat privilegium imprimendi, vendendi, &c. quantum ei impedivit lucri: Trull., & alii. Denique, qui accipit tales monetas adulterinas, vel accipit bona fide, & bona fide etiam expendit, probabile est, comperta postea falsitate, ad nihil teneri secundum Sylv., & Dian. p. 2. t. 5. r. 3. Sed verius secundum Navar., Villal., Trull., & alios est, teneri restituere ei, cui dedit; non enim excusatur, eo quod ab alio acceperit; nam suus error non debet nocere aliis. Si vero mala fide accepit, vel postea novit, esse adulterinam, peccat utique expendendo, & tenetur reficere damnum accipienti, nisi et forte fuerit idem ille, qui dedit. Si quis vero pecunias diminuti ponderis, ubi minus valent, emit justo pretio, & defert ad locum, ubi indifferenter expenduntur, non videtur peccare, quia nulli damnum infert, & sibi labore, & industria lucrum quærit: Sylv., Villal., Trul., & alii. An autem, cui restituenda sint bona incerta, dictum est q. 4. c. 1.

CAPUT II.

Quis ordo servandus sit inter plures Creditores?

CERTUM est, non opus esse servare ullum ordinem, si bona debitoris certo sufficiant ad satisfaciendum omnibus creditoribus; quia, cum omnibus integre satisfieri possit, nulla fit injuria creditori anteriori, si postremo loco ei satisfiat. Loquimur ergo, quando bona debitoris non sufficiunt, vel dubium est, an sufficiant ad satisfaciendum omnibus creditoribus, in quo casu.

Dico primo; Præferendus est reliquis omnibus creditor, cujus res apud debitorem extat in specie, necdum ejus dominium translatum est in debitorem: Doctores communiter. Ratio est, quia in hanc rem nullum jus habent alii creditores, utut anteriores, & privilegiati. Hinc, si res furtiva, locata, deposita, &c. adhuc extet apud debitorem, nec sic mixta cum aliis ejus rebus, est ante omnia restituenda vero domino, quamvis reliqua bona debitoris non sufficiant. Idem est de re empta ad creditum pretio nondum soluto, quia sic nondum translatum est dominium in emptorem, dummodo adhuc extet, nec sic permixta cum aliis: Doctores communiter cum Navarr., Bonac., & aliis.

Dico secundo: Ex reliquis bonis debitoris prius solvenda sunt debita certa, quam incerta, dummodo hæc non extent in specie: Less. c. 15, Bonac., & alii communiter. Ratio est, quia debita certa sunt, quorum sciuntur creditores; incerta, quorum creditores ignorantur, juxta dicta q. 4. c. 1., atqui illa jure naturæ debentur, hæc vero jure solo positivo debentur pauperibus, vel locis piis: ergo illa sunt præferenda. Hinc, si bona debitoris non sufficiant ad solvenda debita certa, poterunt ex debitis incertis solvi creditoribus certis, quia his sunt obnoxia. Nisi vero, ut dixi, *Extent in specie*; si enim debitor habeat equum furtivum, cujus ignorat dominum, debet illum erogare pauperibus, quia creditoribus certis non potest solvere ex re aliena: nisi vero eam sibi tanquam pauperi applicaverit, quia sic non amplius censetur aliena: Less. num. *6.*

Dico tertio: Inter debita certa, prius solvenda sunt debita contracta pro expensis funeris moderate factis: Doctores communiter. Ratio est, quia tales expensæ sunt ante omnia privilegiatæ, ex *l. penultim.*, *ff. de Religiosis*, *& sumptibus funerum*. Huc etiam spectant debita ab hærede, vel alio contracta præcise ratione defuncti, scilicet pro medicamentis ejusque infirmitate, pro conficiendo testamento, inventario, pro custodia supellectilis, & similibus opportunis restitutionibus faciendis. Unde, si quis has expensas fecerit pro debitore, aut pro funere illius, quem debitor sepelire debuisset, ut uxoris, filii, vel mancipii, ei jure naturali restitutio facienda est, ex *l. t. c. penult.*, *ff. de Religiosis*, *& sumptibus*. At, si omnia, quæ relicta sunt, sint aliena, & in specie debita aliis, non potest ex his sine licentia creditoris sumi ad expensas funeris, nisi simpliciter esset necessarium ad sepeliendum moderatissime defunctum; nam censetur tunc extrema necessitas: Sayr., Nav., Bonac., & alii.

Dico quarto: Post expensas funeris, inter reliqua debita certa prius solvenda sunt, quæ habent hypothecam, idest obligationem realem fundatam in aliqua re, ut in fundo, domo, &c.: Less. c. 15. n. 4., Bon., & alii communiter. Ratio est, quia hæc duplici obligatione debentur, reali nempe, & personali, & ideo datur creditori hypotheca ob securitatem, ut in omni eventu possit ex ea re curare sibi satisfieri. Si autem plures sint creditores hypothecarii super eadem re, prius solvendum est iis, qui tempore sunt priores, ordinarie loquendo, ex illa Reg. Jur., *Qui prior est tempore, potior est jure*; quæ regula intelligitur communiter de iis, qui in eadem re habent hypothecam, sive hypotheca sit tacita, sive expressa, sive generalis, sive specialis, ut addit Less. n. 22.; unde hypotheca dotalis, quamvis tacita, si sit prior, præfertur expressæ posteriori, & similiter generalis prior præfertur speciali posteriori. Hinc, si debitor, vel ejus hæres solvat posteriori, omisso eo, qui habet hypothecam priorem, vel privilegiatam, sciens, id fieri cum damno prioris, peccat, & tenetur priori de damno, & potest prior a posteriore recuperare, quod solutum est: Less. n. 38. ex *l. Scimus*, *ff. de Jure deliberandi*.

Dixi, *Ordinarie loquendo*; nam dantur octo casus, in quibus ex privilegio posterior tempore præfertur priori habenti hypothecam: Primo, Mutuator pro refectione, aut conservatione rei alteri antea hypothecatæ: Secundo, Mutuator pro vectura mercium, aut conductione ædium, in quibus asservantur: Tertio, Dos, cui omnia mariti bona tacite sunt hypothecata uxori, ejus filiis, & descendentibus; hi tamen, etsi præferuntur omnibus creditoribus habentibus tacitas hypothecas etiam priores, non tamen hypothecæ expressæ prio-

ri: Quarto, Res empta ex pecunia pupilli, huic manet obligata ante omnes, ut scilicet possit pretium recuperare: Quinto, Mutuator pro emptione rei cum pacto expresso, ut maneat ei hypothecata, præfertur anterioribus habentibus hypothecam generalem in bonis mutuatarii: Sexto, Fiscus in bonis ejus, qui cum eo contraxit, præfertur anterioribus hypothecis tacitis, non tamen expressis: item doti, si bona viri erant ante dotem Fisco hypothecata, non vero si post dotem: Septimo, Qui dat credito pecuniam alicui pro militia, præfertur & doti priori; unde huic ex bonis mariti est solvendum, etiamsi dos sit peritura: Octavo, Fructus terræ conductæ sunt specialiter hypothecati conductori, etiamsi non fuerit expressum: v. Less. l. 2. c. 15. a num. 26. citantem jura.

Dico quinto: Post habentes hypothecas solvendum est creditoribus personalibus, idest, qui solam personam debitoris, & non ejus rem habent obligatam: Doctores communiter. Ratio est, quia hæc simplici obligatione personali debentur, unde merito solvi debent ultimo loco. Inter hos autem primo loco solvendum est iis, qui habent privilegium prælationis absque hypotheca, quale habet sponsa de futuro in bonis sponsi, ratione scilicet dotis traditæ non secuto matrimonio: item, qui deposuit pecunias apud nummularium non recipiens inde usuras, quod extendunt Doctores ad omnia deposita, & ad commodatum, & pignus, si culpa debitoris perierint, & ad pecuniam depositam in societate mercatorum; imo, si hæc extet, & sit mixta cum alia, restitui debet ante hypothecas, cum sit specie aliena: Less. num 34., & alii. Secundo loco solvendum est creditoribus Chyrographariis ex titulo honesto, cuique pro rata, non habita ratione temporis prioris, vel posterioris. Addit hic D. Th., Chyrographarios pauperiores præferri posse ditioribus, quia plus sunt læsi; sed negant Less., Nav., & alii, nisi sint in extrema, vel gravi necessitate. Tertio loco creditoribus ex titulo gratuito, ut si defunctus alicui piæ causæ voverit: reliqua autem erunt pro hæredibus, ita tamen, ut hæredes præcedant legatarios ad suam legitimam obtinendam, si sint hæredes necessarii; si non necessarii, ad quartam bonorum, quæ dicitur falcidia: Less. num. 35.

Putant aliqui cum Cajet. apud Trull., inter debita personalia præferenda esse ea, quæ debentur ex contractu oneroso, iis, quæ debentur ex delicto; alii cum Fill. e contra; sed Sylv., Nav., Less. n. 16., Bonac., & alii communius dicunt, in hoc nullum esse jus prælationis, sed omnibus esse pro rata restituendum (modo res non extet juxta sæpe dicta) quia nullo jure deducitur inter hæc prælatio. Dixi *Ex contractu oneroso*; nam, quæ debentur ex contractu gratuito, legato, &c., merito postponuntur omnibus debitis ex justitia: Doctores communiter.

Putant etiam D. Th., Suar., Salon., & alii apud Croix num. 403. inter creditores personales ejusdem ordinis, priorem præferendum posteriori, ex regula cit. *Qui prior est tempore, potior est jure*, quod conforme rationi etiam existimat hic Villalob. Sed probabilius videtur oppositum, quia ea regula servanda est tantum inter creditores habentes eandem rem sibi hypothecatam: Sylv., Laym., Less. num. 44., Bon., & alii. Quare ex æquo pro rata satisfaciendum est arbitrio prudentis, qui poterit plus dare juxta majorem rationem debiti, temporis, & injuriæ: erit autem contra justitiam uni in integrum solvere, aliis manentibus insolutis: Villalob., Trull., & alii.

Quæres primo, An, si sint plures creditores personales non habentes privilegium prælationis, & aliquis ex illis petat ante alios, possit debitor illi integre solvere?

Respondeo affirmative, etiamsi ille petat extrajudicialiter, ut addunt Laym., & alii contra Mol., Vasq., Pal., & Lug., & etiamsi ille tempore esset posterior; quia diligentia posterioris facit eum potiorem, ut faceret hypotheca, vel privilegium: Nav., Sylv., Bonac., & alii communiter ex *l. Pupillus, ff. Quæ in fraudem*; unde debet ei solvi, & is licite poterit integrum debitum petere, & retinere etiam, quando credit, debitorem non fore omnibus solvendo, modo alii non habeant jus prælationis: Bon. Less. n. 39. Contra vero, si creditor non petat, non potest debitor sciens statum suum labentem, ei integre solvere, sed tenetur pro rata modo dicto: Bonac., & alii: si tamen creditor non petens integram solutionem accepit, potest in conscientia retinere, quia non accepit rem alteri hypothecatam, ut suppono: Less., Trull., & alii contra Bonac., Sylv., Rebel., Azor., & alios. Ex quibus Diana cum Comit., Homob., Fernandez, & aliis infert, quod, si habeas rem aliquam defuncti debentis tibi v. g. 100. aureos, possis in hoc casu facere compensationem, etiamsi sint alii creditores personales anteriores, non habentes tamen specialem in ea re hypothecam: v. Dian. p. 2. t. 5. r. 10.

Quæres secundo, An, qui accipit aliquid donatum a Titio, quem scit non esse solvendum omnibus suis creditoribus, peccet, & teneatur ad restitutionem?

Respondeo negative, Si prudenter judicet, quod Titius possit laborando, vel alia via facile satisfacere suis creditoribus, quia sic Titius non est impotentia solvendi, ut recte ait Lug. d. an., ideoque, si postea non satisfaciat, non est ideo, quia alienavit sua, sed quia fuit negligens. Si autem accipiens non poterat id prudenter judicare, tunc est distinguendum; si enim Titius non poterat juxta suum statum abstinere absque magno dedecore a talibus sumptibus, aut etiam a talibus donationibus gratuitis, Lug. etiam dicit, posse ab eo fieri, & ab alio acceptari absque onere restitutionis, quia sic creditores non habent jus, ne debitor ita expendat, & consequenter neque, ne alter accipiat: si vero non adsint dictæ circumstantiæ, peccat quidem Titius contra justitiam, reddendo se impotentem solvere creditoribus: accipiens vero etiam peccat, & tenetur ad restitutionem, seu ad resarcienda damna creditoribus, si incitaverit Titium ad talem contractum injustum, &c. si autem ad id non incitavit, Molin., & Less. probabiliter dicunt, non teneri de jure naturæ ad restitutionem, quia tantum usus est peccato alterius ad suum commodum (uti mutuatarius utitur peccato usurarii) & res non erat hypothecata, ut supponimus. Lug. tamen cum communi docet probabilius oppositum; quia semper verum est, quod injuste cooperatur illius impotentiæ. Quidquid autem sit de jure naturæ, tamen de jure positivo, si alienatio est facta in fraudem creditorum, datur his actio intra annum a notitia facti, qua actione rescinditur contractus, debetque res etiam vendita restitui debitori, etiam non restituto pretio, nisi quatenus extet, vel ex eo debitor factus sit ditior: Croix num. 383.

Ex dictis infers primo, Debitorem impotentem solvere, peccare contra justitiam, si nolit admittere aliquam donationem, vel hæreditatem sibi oblatam, qua habita solvere posset; quia, qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ordinaria, vel sine gravi incommodo ponibilia: Mol., Bonac., Luc. num. 137., & alii communiter: hinc successor illius hæreditatis repudiatæ, si induxerit ad repudiandum, tenetur restituere creditoribus, tanquam injustus cooperator: secus vero, si non induxit, quamvis ut addit Lug. num. 159., peccaverit contra charitatem non impediendo repudiationem.

Infers secundo, Uxorem, filios, & famulos necessarios posse vivere, & de præsenti acceptare salarium ex bonis domini impotentis solvere suis creditoribus; quia dominus debet illis alimenta, nec aliter subsistere potest; unde creditores essent irrationabiliter inviti quoad dilationem solutionis: idem ait Laym. de mercedibus operariorum ad necessarios usus conductorum, quas vult præferri etiam debitis hypothecatis, quia fiunt non in fraudem, sed ad utilitatem potius creditorum, ut debitor fiat potens solvere, & alioqui nemo talibus debitoribus ære alieno gravatis serviret: Croix num. 387.

Infers tertio, Si contraxeris cum Titio, quando erat potens satisfacere suis creditoribus, & postea ante traditionem fiat impotens, poteris rem illam accipere, sicut alii creditores, servato tamen ordine creditorum, & proportione quoad solutionem. At, si tempore contractus erat impotens, & tempore, quo accipis rem, sit potens; aut si tempore, quo contraxit, & tradidit, erat impotens, & tempore intermedio potens, peccat quidem Titius sic contrahens; sed tu non peccas accipiens rem, nec teneris restituere; quia, quando aderat potentia, justificabatur contractus: Lug. num. 120., Croix num. 385.

CAPUT III.

An possit Creditor uti occulta compensatione?

Communis Doctorum sententia est affirmativa, dummodo adsint conditiones sequentes, quarum aliquæ, si desint, compensatio erit injusta, adeoque invalida; si desint aliæ, erit quidem justa, & valida, sed aliquando illicita contra alias virtutes. Conditiones sunt

I. Ut

I. *Ut debitum sit ex justitia*: quia sic creditor jus stricte suum compensat. Hinc, si quis vovit dare aliquid pauperibus, vel Ecclesiæ, non potest Pauper, vel Ecclesia id ab eo surripere, quia debetur illis tantum ex Religione, nec ex tali voto acquisitum est jus strictum tertio: Doctores communiter contre Nav. l. 3. *de Restit.* num. 393. Similiter, si quis tibi debeat tantum ex Gratitudine, quod dicitur antidorale, non potes illud occulte tibi compensare: si quid dedisti Titio titulo amicitiæ, consanguinitatis, vel paupertatis non potes ab eo, si postmodom fiat locupletior, aliquid in compensationem tibi sumere: si quid in hæreditatem, vel legatum reliquisti Cajo sub spe, ut subveniat tuis consanguineis, non possunt hi aliquid a Cajo clam sumere, etsi Cajus spem illam defraodavit, vel ingratus extitit: Sayr., Trul., & alii communiter.

II. *Ut debitum sit certum*; quia contra justitiam est pro debito tantum probabili certam sibi solutionem propria auctoritate attribuere; sic enim non servatur æqualitas; hinc dicitur compensatio fieri debere de liquido ad liqoidum. Neque obstat, quod possit, ac debeat Judex tibi adjudicare rem ab alio possessam, si probabilius ad te pertineat; nam hoc fit ex communi consensu, ut tollantur discordiæ, & dominia rerum reddantur certa: quod fieri non potest propria auctoritate; quia contra possessionem nulla valet probabilitas, etiamsi major, nisi accedat auctoritas Judicis. Hinc ab Innoc. XI. damnata est hæc Prop. 37. *Famuli, & famulæ domestica possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiant*. Et ratio damnationis est, quia, cum salarium, quamvis parvum, possit esse justum ex diversis capitibus, quæ ipsi regulariter scire nequeunt, non possunt certo judicare, operem suam esse majorem. Atque hæc vera communissime sunt contra Sancium, si habeas pro te tantum probabilitatem facti; at, si habeas probabilitatem juris, Tambur. l. 1. *Decal.* c. 3. §. 2. a num. 15. admittit opinionem Sancii, quod possis tibi compensare in aliquibus casibus, ut in testamento minus solemni; in quo cum Mol., & Lessio putat, posse legatarium occulte surripere legatum hæredi necessario; quia probabile est, quod in eo testamento valeat legatum: & similiter, quod possit hæres ab intestato hæreditatem eripere ab hærede per tale testamentum instituto, quia probabile est, illud esse nullum: sed merito hæc rejicit Ills. apud Croix l. 3. p. 1. n. 962. ob rationem jam datam.

III. *Ut debitam sit præsens*; si enim debitum sit futurum, injuste cogitur debitor ad anticipatam solutionem. Cæterum Tamb. citans Tann., & alii cum Dian. p. x. t. 16. r. 46. docent, quod, si v. g. hinc ad annum tibi aliquis debiturus certo sit 100. & prudenter judices, quod non sit tunc soluturus, potes eos tibi hodie per compensationem retinere, aut surripere; quia cuilibet licet, quando res sua est in periculo, illius assecurationem, vel pignus inquirere: teneris tamen et de lucro inde cessante, & damno emergente, quia secus ille subiret pœnam ante peccatum.

IV. *Ut fiat compensatio æqualis debito, & de rebus debitoris*; injuste enim surriperes plusquam tibi debetur, vel rem tertii existentem apud tuum debitorem titulo v. g. commudati, depositi, pignoris, &c.; illud enim esset contre jus debitoris, hoc contra jus tertii. Si autem tertius mittat v. g. in donum, vel in solutionem aliquid ad tuum debitorem, tunc, si illud acceptatom est jam a tuo debitore, potes clam surripere, dummodo sit æquale debito; secus vero, si nondum ab eo est acceptatum, quia sic nondum est tui debitoris; sicuti neque potes surripere a debitore tui debitoris id, quod ei debet, sed nondum solvit: Vasq., Lug., Tamb., & alii apud Croix num. 964. Similiter e converso potes surripere rem, quam tuus debitor mittebat ad aliom in donum, aut in solutionem debiti, si nondum sit acceptata ab alio; secus vero, si sit jam ab eo acceptata sive per se, sive per suum famulum a se missum: Doctores cit. Si vero apud alium sit res tui debitoris titulo commodati, locati, aut pignoris, non potes ei surripere, quia facis ei injuriam: Doctores communiter. Si autem sit titulo puri depositi, itaut tum quoad usum, tum quoad administrationem sit tui debitoris, Tamb., & alii putant, te posse ab eo surripere, quia sic materialiter est, quod inveniatur apud alium. Si demum tuus debitor rem suam tibi commodavit, aut apud te deposuit, quamvis ex *c. Bona fides, de depositis, & l. ult. c. eod.* non possis eam tibi retinere in compensationem, tamen Nav., Sa, Tann. Less. c. x7. n. 16., & alii probabiliter has leges intelligunt tantum pro foro externo, non autem pro foro conscientiæ. Ex quibus infert Tamb. §. 1. n. 6., & §. 7. num. 1., quod, si apud te inveniatur aliqoid tui debitoris defuncti, non hypothecatum aliis, possis illud tibi retinere in compensationem crediti, etiamsi talis retentio sit in præjudicium aliorum creditorom defuncti, qui essent magis privilegiati, seu anteriores, nec ejus hæreditas sufficeret pro omnibus; quia ea res apud te inventa videtur esse veluti pignus pro credito tuo, ideoque posse retineri, donec solvatur debitum: secus vero dicendum, si ea res apud te non esset; sic enim cum præjudicio magis privilegiatorum, vel aliorum, surripere nunquam posses, quia sic clare surriperes alienum, nullo modo tuum, saltem titulo pignoris.

V. *Ut creditam non possis alia via obtinere*, ex *l.* 13. *ff: quod metus causa*. Sed hæc conditio non est requisita ex justitia commucativa, sed tantum legali, nec obligat sub mortali secundum Dian. p. 1. t. 2. r. 48. & alios. Et Tamb. n. 4. ait, in praxi vix in nostra ætate locum habere, cum semper sit difficile, suum recuperere per auctoritatem Judicis. Illud hic notandum cum Less. c. 12. o. 64. quod, si tuum creditom non possis alia via obtinere, nisi per vim, & rapinam, aliquid debitoris auferendo, peccas contra Justitiam; quia ille, etsi tuus debitor, est tamen dominus rerum suarum, adeoque habet jus tibi resistandi, & consequenter tu es injustus aggressor; solum ergo uti potes occulta compensatione, non autem vi: nisi vero res tua extet in specie apud debitorem, & non possis eam recuperare ob Reipublicæ perturbationem, itaut nemo jus suum obtinere per Judicem valeat, quia sic habes jus per te recuperandi rem tuam.

VI. *Ut postea moneas debitorem, ejusque hæredes, ne iterum solvant*, quod fiet, fingendo condonationem, vel similem aliam æquivocationem. Sed neque hæc conditio est requisita ex justitia, sed tantum ex charitate; compensando enim uteris jure tuo: si ergo sine tuo gravi incommodo non possis monere, non peccas non monendo Lug. d. 16. n. 87. Similiter, si in compensationem tui crediti surripias rem debitoris apud tertium depositam, ex charitate tantum teneris cavere damnum, quod tertius pateretur coactus a Judice ad valorem depositi tuo debitori solvendum; quia hoc per accidens, & indirecte provenit ex tua compensatione, nec tibi utenti jure tuo imputabitur: Tamb. §. 1. num. 4., & §. 4. num. 2. Similiter, quamvis compensatio regulariter fieri debeat in re simili, puta in pecunia pro debito pecuniario, &c., tamen, si fiat in re diversa, puta in veste pro pecunia debita, non peccas, si non sequitur inde damnum grave debitoris; imo, si non habes alium modum tibi compensandi, neque videris teneri de tali damno, quia sic debitori potius imputabitur non volenti solvere debitum: Tamb. §. 3. num. 1. Similiter demum ex charitate teneris cavere, ne ratione tuæ compensationis tertius patiatur tamquam fur, cum id per accidens, & indirecte ex tua actione sequatur: Tamb. §. 1. num. 4.

Ex dictis infers primo, quod, si feratur excommunicatio in omnes, qui surripuerunt bona Titii, non comprehenditur is, qui in compensationem aliquid ab eo surripuit, etiamsi poterat alia via facile suum creditum recuperere: Less. c. 1x. num. 61. Imo, quamvis sententia excommunicationis dicat, *Non obstante, quod in compensationem acceperint*, adhuc Nav. docet, non comprehendi, quia excommunicatio fertur pro peccato futuro, & qui retinet in futurum id, quod juste accepit, non peccat, etsi forte de præterito in accipiendo peccaverit contra justitiam legalem.

Infers secundo, quod, si juste tibi compensaveris, & interrogeris a Judice, num scias, quis acceperit, vel an ipse acceperis, potes negare etiam cum juramento: quod probabile, inquit Less. n. 6x., etiam est, quamvis per compensationem acceperis id, quod poteras alia via facile recuperare; quia respondes secundum mentem rationabilem Judicis interrogantis, quæ semper videtur esse, an male acceperis, non quoad modum, sed quoad justitiam acceptionis.

Infers tertio, quod in omnibus casibus, in quibus recompensans non tenetur restituere, nec etiam tenetur alius revelare de illo, etiamsi excommunicatio specialiter feratur contre scientes, & non revelantes, quia, cum non comprehendat principalem, nec etiam comprehendit alios scientes; ideoque possunt hi uti etiam æquivocatione jurando, ut dictum est de ipso recompensante. At, si forte dubites, an recompensans juste acceperit, teneris revelare, nisi ille

sit tantæ auctoritatis, & fidei, ut ei merito credi possit: Nav. Sayr. Trul. & alii.

QUÆSTIO VII.

De Circumstantiis Restitutionis.

Videndum I. Quando? II. Ubi, & quibus expensis? III. Quo modo facienda sit restitutio?

CAPUT I.

Quando facienda sit Restitutio?

Suppono primo ex dictis q. 3. obligationem restituendi oriri, vel ex injusta acceptione, seu ex delicto, vel ex re accepta, etsi absque delicto, vel damno ex contractu, ut est solutio debiti, &c. Suppono secundo ex dicendis q. 8. obligationem restitutionis realis, & effectivæ ex quocumque dictorum capitum oriatur non urgere, quandiu ea commode, seu moraliter fieri non potest. Solum ergo hic quærimus, quando sit ea facienda ab eo, qui commode potest?

Dico primo: Debitor ex injusta acceptione, seu ex delicto, restituere debet, statim ac potest: Doctores communiter. Ratio est, quia secus est in actuali peccato injustæ detentionis: sicut, qui injuste aliquem detinet in carcere, continenter peccat. Hinc talis debitor tenetur etiam ad totum interesse lucri cessantis, & damni emergentis causatum domino ex tali mora culpabili. Addit tamen Lug. d. 18. n. 32. ex Azor. apud Tamb. contra Navar. Dian. & alios, quod, si dominus potens facile petere, & obtinere a tali debitore rem sibi restituendam, non petat, probabiliter non teneatur is debitor morosus ad illud interesse, dummodo sit ita dispositus, ut rem petenti statim daret; quia in tali casu ipse dominus censetur causa voluntaria sui interesse: verum, ut notat idem Tamb. talis casus in tali debitore est rarissimus. Noto demum, illud *Statim*, non debere accipi mathematice, sed moraliter, hoc est spectata absque dolo, & fraude opportunitate restituendi. Hinc, si decumbens in lecto, sedens ad mensam, assistens ad missam, &c. recorderis restitutionis faciendæ, non teneris statim surgere, ut restituas, sed sufficit tunc, cum primum nactus fueris opportunitatem: Navar. c. 17. n. 54. Addit Bon. non peccare mortaliter, si habens opportunitatem, differas tamen per horam; nisi vero interim creditor grave damnum pateretur.

Dico secundo: Debitor ex re accepta, seu absque culpa formali, restituere debet, etiam statim ac scit, & potest restituere: Doctores communiter. Ratio est eadem, quia ex eo puncto incipit injusta acceptio, si non statim restituat, adeoque est in mora culpabili, ex qua tenetur etiam ad interesse consequens Domino: nisi vero Dominus sciens, & potens te de interesse, quod patitor, admonere, non admonere curaret, juxta modo dicta.

Dico tertio: Debitor ex contracto, vel quasi contractu, restituere, seu solvere debet, statim ac elapsus est terminus solutionis præfixus: Doctores communiter. Ratio est, quia dies definita interpellat pro domino, etiamsi is non petierit: Doctores communiter, ex *c. Potuit, de locato, & conducto*. Verum non censetur hic notabilis mora unius, vel alterius diei; imo nec unius septimanæ, nisi aliter postulet gravitas negotii, indigentia creditoris, aut qualitas contractus: Less. c. 20. n. 134. Idem est de pœna conventionali imposita contrahenti non solventi tempore præfixo. Imo hæc pœna non debetur, nisi petatur, & probabiliter, nisi petatur judicialiter, ut docent Sanch. Pal. & alii contra Suar. Bon. & alios. Denique, si debitor anticipet solutionem, tenetor creditor acceptare, si terminus sit præfixus in favorem debitoris, secus vero, si sit præfixus in favorem creditoris: Bon. q. 6. p. 1. n. 21.

At, si nullus sit præfixus terminus ad solvendum, non censetur debitor esse in mora, seu graviter peccare, si potens non solvat, antequam petatur; quia in casu petitio æquivalet termino præfixo: si ergo creditor sciens, & potens petere non petat, censetur dilationem concedere. Secus vero dicendum est, si non petat ex timore, verecundia, impotentia, aut oblivione; tunc enim debitor etiam ex contractu dicitur alienum retinere invito domino: Bon. q. 6. p. 5. Si ergo talis creditor ex dictis motivis non possit petere, terminus erit, qui prudenter judicabitur esse ex ipsius intentione rationabili, post quem, si debitor sit in mora culpabili, tenetur etiam ad interesse: Tambur. & alii; etiamsi debitum sit ex emptione, & venditione, ut addit Lug. d. 18. n. 28. contra Molin. cum leges in hoc contrariæ sint tantum pro foro externo.

Addit tamen Bon. q. 6. p. 1. n. 4. non facile condemnandum de mortali eum, qui debens solvere ex contractu est in mora absque damno creditoris, etiamsi elapsus sit terminus, vel sit sæpe petitus; dummodo habeat intentionem solvendi, nec creditor subeat periculum amittendi suum creditum. Ratio ipsius est, quia sic talis mora non videtur adeo injuriosa creditori; unde etiam addit Dian. p. 2. t. 3. r. 3. non esse negandam absolutionem viro nobili, qui est in mora solvendi v. g. 100. aureos ex contractu, qui sæpius confitetur, & non restituit; dummodo ipse habeat animum restituendi, & creditor damnum ex hac dilatione non patiatur. Sed Tamb. l. 7. *Decal.* c. 3. c. 2. §. 6. n. 8. hos, & alios tantum excusat, vel ex implicito consensu creditorum, si bona fide putentur non esse graviter inviti; vel quia non commode possint, juxta dicenda q. 8.

Quæres, Quomodo se gerere debeat Confessarius cum Pœnitente obligato ad restitutionem?

Respondeo, Posse eum absolvere, etiamsi semel, vel bis ipsi, aut alteri Confessario promiserit restituere, & potens non restituit; dummodo nunc firmiter proponat statim restituere, nec sit publicus usurarius, aut raptor, qui nec prima vice absolvi potest, nisi prius tollat scandalum: Nav. c. 17. n. 59. Si autem ter, aut quater eidem, vel diverso Confessario promisit, & potens non restituit, regulariter non est absolvendus, nisi prius restituat, si possit, quia tunc præsumptio ex plerumque contingentibus est contra ipsum, quod scilicet non sit dispositus: nisi vero adsint tales circumstantiæ, & sit talis persona, cui merito adhiberi possit fides, quod statim restituet: Bon. Nav. n. 59.

Simpliciter autem non est absolvendus, qui potens restituere in vita vult differre ad articulum mortis; quia est in actuali peccato. Et idem dic de eo, qui dubitans, an res, quam possidet, sit aliena, differt usque ad mortem dubium dirimere, existimans, satis esse, si illud proponat suis hæredibus dirimendum, Sayr. Salon. Sot. Bon. n. 15. Idem de eo, qui potens in articulo mortis restituere, vult tamen relinquere in testamento ut hæredes restituant, nisi vero non possit ipse tunc sine infamia, vel scandalo; vel si deberet tunc res suas vilissime vendere, ut satisfaciat; vel demum, si creditor sit absens: Sa, Con. Sayr. Nav. Bon. & alii. Item nequit simpliciter absolvi pœnitent, qui potens totum, non vult solvere, nisi per partes, eo quod creditor ex hoc non patitur grave damnum, quia respectu illius residuæ partis est injustus detentor, & manet in peccato mortali: nisi vero pars residua sit levis; sic enim absolvi potest, etiamsi eum affectu ad veniale; vel nisi prudenter præsumatur consensus dilationis in creditore: Salon. Sayr. Bon. Tamb. & alii. Addit tamen Dian. p. 2. t. 6. r. 5. ex utroque Nav. non videri improbabile, posse absolvi illum, qui potens simul totum, non vult, nisi per partes, ob aliquod emolumentum sibi inde proveniens, si creditor nolit concedere dilationem parum sibi noxiam, & Confessarius credat, quod negata absolutione, & tali dilatione, nunquam, vel non ita facile restituet.

CAPUT II.

Ubi, & quibus expensis facienda sit Restitutio?

Dico primo: Restitutio a possessore bonæ fidei fieri potest in loco, ubi res est: Doctores communiter. Ratio est, quia debet ipse servari indemnis: ergo non tenetur eam mittere domino propriis expensis, sed expensis illius, si monitos velit: tenetur ergo rem fideliter custodire, & interim illum monere. Si autem interim debeat alio migrare, nec possit tuto rem apud aliquem deponere, potest expensas in ea secum adducenda factas a domino repetere, uti expensas etiam custodiæ: Less. c. 15. n. 51. At, si dominus sit longissime absens, nec speretur reversurus, nec rem suam recuperaturus, nisi expensis majoribus, quam ipsa valeat, tradi potest ejus consanguineis; in horum autem defectu, Nav. Bon. n. 2. & alii volunt dari pauperibus; sed probabile etiam est, posse retineri, juxta dicta q. 4. c. 1.

Dico secundo: Restitutio a possessore malæ fidei facienda

cienda eſt in loco, ubi dominus habitat, adeoque expenſis debitoris: Doctores communiter cum Leſſ. c. 15. n. 48. Bon. n. 4. & aliis. Ratio eſt, quia ſic dominus debet ſervari indemnis: ergo, ſi uterque ſit in eadem Civitate, tenetur debitor rem deferre in domum creditoris, ſaltem per Confeſſarium, &c. ſi ſint in diverſis locis, debet eo ſimiliter deferre ſuis expenſis: niſi vero dominus erat aliquas expenſas facturus in re ſecum aſportanda; hæ enim poſſunt deduci, cum non teneatur talis debitor ei reſtituere cum ejus lucro: Bon. n. 6.

Dubium eſt, an talis debitor teneatur etiam ad magnas expenſas, ſi neceſſariæ ſint pro tali reſtitutione? Cajet. putat, teneri etiam ad quadruplum, quam valeat ipſa res; cui favere videtur Nav. et Sylv. Salon. Bon. n. 5. dicunt, non teneri plus expendere, quam ipſa res valeat. Sayr. ait, non teneri ad expenſas æquivalentes, vel paulo minores, ſed Leſſ. n. 50. concludit, quod, ſi tantæ fere eſſe deberent expenſæ, quanti res valet, monendus eſt dominus: &, ſi id fieri nequit, deponenda eſt res in loco tuto, ſi ſperetur venturus; ſi neque id ſperetur, danda eſt ejus hæredibus; nam, quamvis Villal. putet, loco hæredum dandam eſſe in miſſas, & pia opera, eo quod vivente adhuc domino hæredes non ſuccedant, tamen hoc, etſi videatur æquius, non tamen neceſſarium, maxime, ſi hæredes ſint pauperes; quia in hoc caſu dominus cenſetur mortuus. In defectu autem hæredum, utique reſtituendum eſt pauperibus, &c. Trull. & alii.

Dico tertio: Reſtitutio, ſeu ſolutio ex contracto juſto facienda eſt, ubi contractus eſt celebratus, niſi aliter inter partes juſte ſit conventum: Leſſ. n. 35. & 36. Bon. n. 9. Nav. & alii communiter. Ratio eſt, quia, quando locus non deſtinatur, ea cenſetur voluntas contrahentium, ut ibi reſtituatur, ubi fit contractus, vel ubi coram Judice competente res petitur, ut not. Nav. Hinc, ſi talis debitor ante reſtitutionem recedat a loco, ubi fit contractus, tunc tempore ſolutionis debet propriis expenſis rem mittere; uti pariter, ſi fuerit in mora culpabili a tempore ſtatuto ad reſtitutionem; dummodo majores non ſint, quam res valeat, juxta jam dicta. Contra vero, ſi ante tempus reſtitutionis diſcedat creditor, tunc hujus expenſis res eſt mittenda: Nav. Lop. Sayr. & alii communiter: ideoque infert Leſſ. c. 15. n. 60. quod, quando res eſt mittenda expenſis talis creditoris, poteſt debitor eas ex ipſa re deducere, ſi alia via commodior non ſuppetat; ideoque, ſi opus fuerit, poterit rem vendere, vel ejus partem, ut reſiduum reſtituat creditori. Hæc omnia procedunt in quavis reſtitutione, vel ſolutione ex contractu juſto, puta emptione, venditione, conducto, commodato, mutuo, depoſito, &c. niſi forte aliter inter contrahentes juſte ſit conventum. Itaque, qui emit rem hic Neapoli, non poteſt obligari ad ſolvendum pretium Romæ; niſi forte aliter fiat ei compenſatio: Leſſ. n. 58. Qui conducit equum Neapoli, hic illum reſtituere tenetur, mittendo eum in domum locatoris, niſi aliter juſte inter eos conventum ſit: ſi autem locator alio diſceſſit, non tenetur conductor ſuis expenſis eo mittere. Eadem dic de Depoſito. Similiter mutuatarius non poteſt obligari, ut alibi reſtituat mutuum; niſi vero mutuator erat rem ſecum deportaturus in eum locum ſine expenſis, & de hoc ante mutuum monuerit mutuatarium; ſic enim mittenda eſt eo reſtitutio mutui expenſis mutuatarii, ne mutuator ex mutuo ſentiat gravamen: Sayr. Bonac. & alii. Cenſus autem ſolvendus eſt, ubi eſt res cenſui obligata; nam penſio eſt veluti fructus hypothecæ, qui ex natura contractus non eſt tradendus, niſi ubi naſcitur; quod, ſi cenſus ſit perſonalis, ſolvendus eſt, ubi juſta pactione fuerit conſtitutum; ſi vero id non ſit in pactum deductum, ſolvendus eſt, ubi debitor commoratur, quia immediate in ipſius perſona eſt conſtitutus; niſi vero tam longe ipſe diſcedat, ut grave incommodum oriatur creditori in penſione exigenda; ſic enim tenetur debitor mittere ad locum priorem: Leſſ. c. 15. n. 58. Denique, quæ debentur ratione donationis, teſtamenti, legati, &c. reddenda ſunt in loco, ubi erant, cum donabantur, niſi aliter in ipſa donatione ſit expreſſum; & per conſequens expenſis ejus, cui donata ſunt; quia qui gratis donat, non intendit ſe, vel ſuos hæredes ad amplius obligare. Si vero hæres alio rem transferret, teneretur eam ſuis expenſis remittere, ubi prius erat: Leſſ. n. 59.

CAPUT III.

Quo modo facienda ſit Reſtitutio?

MODUS reſtitutionis eſt. Primo: Si fiat publice, vel ſecrete: Secundo, Si fiat per ipſum debitorem, vel per tertiam perſonam: Tertio, Si fiat per realem traditionem, vel per compenſationem.

Dico primo: Reſtitutio ex delicto facienda eſt publice, ſi delictum ſit publicum: occulte, ſi ſit occultum: Doctores communiter. Ratio eſt, quia reſtitutio facienda eſt eo modo, quo poſtulat cauſa, cur res debeatur: ſi ergo res debetur ex delicto notorio, palam debet reſtitui, ut ſatisfiat etiam publico ſcandalo: hinc diximus, non abſolvendum publicum uſurarium, niſi prius reſtituat; imo, neque, ſi occulte tantum reſtituit; quia, quamvis ſatisfecerit juſtitiæ, nondum tamen charitati, ob ſcandalum nondum publice ſublatum: & ſimiliter, ſi nequeat reſtituere, debet publice conſtare hæc impotentia, ut abſolvatur. Contra vero, ſi delictum ſit ſecretum, non tenetur debitor reſtituere cum ſui infamia, ſed tenetur tantum reſtituere ſecreto; quia ſic ſervatur æqualitas. Si autem non poſſit per ſeipſum ſecreto, reſtituere debet per Confeſſarium, aut virum fidelem, quamvis debeat huic manifeſtare ſuum delictum; quia hoc non cenſetur detrimentum notabile, ut communiter Doctores docent contra Bejam apud Croix n. 304. Si autem nequeat reſtituere rem in ſpecie abſque delicti manifeſtatione ſuo creditori, ſatis eſt, ſi reſtituat æquivalens, juxta dicta q. 3. c. 2.

Dico ſecundo: Quæcumque reſtitutio fieri poteſt per tertiam perſonam: Doctores communiter. Ratio eſt, quia *Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur*, ex *Reg. Jur. in 6.* Quod verum eſt in omnibus actionibus realibus, qualis eſt reſtitutio, eleemoſyna, &c. quamvis non in actionibus perſonalibus, qualis eſſet recitatio Horarum, ſatisfactio Sacramentalis, &c. Hæc autem tertia perſona, quæ dicitur lator, poteſt eſſe ad id deſignata, vel ab ipſo creditore, vel ex mero arbitratu ſolius debitoris: hinc

Quæres primo, An debitor teneatur iterum reſtituere, ſi miſit rem reſtituendam per latorem ab ipſo creditore ad id deſignatum, qui tamen ſibi retinuit, conſumpſit, diſperdidit, aufugit, aut ſpolietur a furibus?

Reſpondeo negative; Quia in tali caſu idem eſt, ac ſi reſtituerit immediate ipſi creditori, quem talis lator repræſentabat, adeoque ipſi creditori res periit. Idem eſt, ſi creditor commiſit debitori, ut ipſe eligeret aliquem, cui traderet, & debitor elegit latorem expertum fidelem (ſecus vero, ſi infidelem; nam ſic eſt in culpa) qui tamen non detulit. Idem eſt, ſi mulam v. g. cum ſervo tibi commodatam remittas cum eodem ſervo, qui tamen cum ea aufugiat, quia præſumere poteras, illum eſſe fidelem, & ad id deſignatum a domino. Idem demum eſt, ſi conveneras cum creditore, ut mitteres rem ſuam per nuntium tradito certo quodam ſigno: ſed accidit, ut alius hoc audito dederit tibi illud ſignum, & re accepta aufugiat, quia perſona, quæ ſignum dedit, repræſentabat creditorem, dummodo fraudem advertere non potueris: Mol. Reb. Bon. q. 3. p. 9. Croix n. 363. Contra vero, ſi creditor miſit famulum, tantum ut te admoneret de reſtitutione facienda, non exprimens ut rem famulo tradas, ſed tu eam tradis famulo, qui cum ea aufugit, aut ſpolietur a furibus; teneris iterum reſtituere, quia ſic nec famulus facit unum cum creditore, nec tu, ut ſupponimus, exploratam habes ejus fidelitatem: Bon. n. 12. Similiter, ſi non miſiſti rem per latorem, per quem ex deſignatione creditoris, aut ex conventione utriuſque erat deferenda, ſed per alium propria auctoritate electum, utcumque alias exploratum fidelem, qui tamen aufugiat, teneris iterum reſtituere, quia non ſervando pactum, aut deſignationem creditoris, es in culpa: Bon. n. 13. contra Vaſq. & Reb.

Quæres ſecundo, An tenearis iterum reſtituere, ſi nulla facta deſignatione a creditore miſiſti rem reſtituendam per latorem tuo tantum arbitratu electum, qui tamen aufugiat, aut aliter rem non deferat?

Reſpondeo affirmative, Si negligens fueris, culpamve admiſeris in exploranda prius fidelitate latoris, quia ex tali culpa teneris de damno ſecuto, quod verum eſt, etiamſi rem illam habueris ex contractu. Si autem exploratam prius habueris latoris fidelitatem: tunc, ſi res reſtituenda erat in ſpecie aliena, & juſte a te detinebatur titulo v. g. commodati, conducti, depoſiti, aut pignoris, non teneris denuo ejus

valorem restituere; quia sic erat res in dominio creditoris, & juste a te detinebatur, & consequenter eum sine tua culpa perierit, non tibi, sed creditori periit tanquam domino: Doctores communiter cum Less. & Bon. n. 10. Contra vero in restitutione mutui solutione pretii ex emptione; hoc enim, si pereat apud talem latorem, tibi periit: quia tu adhuc eras ejus dominus, & consequenter teneris iterum solvere creditori: Doctores cit.

At quid, si restituenda erat res ex delicto occulto, quam tu ipse non tenebaris immediate restituere ob periculum infamiæ; ideoque misisti restituendam per Confessarium, aut virum expertum, probum, ac fidelem, qui tamen eam sibi retinuit, aut aliter disperdidit? Scot. Gabr. Reginal. & alii quos citat, & sequitur Dian. p. 2. t. 17. r. 2. cum Cenedo *de Paupert. Religios.* dub. 34. n. 8. dicunt, te non teneri iterum restituere, sive res erat eadem in specie, sive in æquivalenti restituenda; & ratio ipsorum est, quia fecisti, quantum in te erat, ut restitutio ad dominum perveniret, & aliunde talis præsumebatur rationabilis voluntas Domini, ut sic ei mitteretur, cum non posset rationabiliter te obligare ad aliter restituendum cum jactura tuæ famæ, & consequenter censendus est talis Confessarius, aut vir probus ab eo interpretative electus, ac designatus. Afferunt paritatem; si enim ex voto, vel juramento rem debitam mittas Ecclesiæ, & in via pereat, probabile communius est, te non teneri aliam mittere: ergo neque in casu. Hanc sententiam Less. dicit non omnino improbabilem, Rodr. Fill. & alii dicunt probabilem: Tamb. & alii non audent damnare.

Sed oppositum docet communis sententia cum Bon. n. 8. Less. n. 67. & aliis apud Croix n. 422. quia debitor ex delicto tenetur dominum efficaciter reddere indemnem; quamvis ergo feceris in casu, quantum in te erat ad vitandum peccatum detentionis injustæ dando rem Confessario, non tamen ad extinguendum debitum; si res apud hunc periret, & quamvis dominus præsumatur consensisse, ut mitteretur sibi per Confessarium, tamen non cedebat juri suo læso ad eam repetendam, si forte modus ille non succederet. Paritas autem allata non est ad rem, quia, qui libere vovit, non censetur, se voluisse obligare ad talem duplicatam solutionem, ut notat Tancr. apud Dian. p. 10. t. 16. r. 97.

Dico tertio: Quæcumque restitutio fieri potest per compensationem, qua debitor per aliud creditum compensat suum debitum: Doctores communiter.

Ratio est, quia, si tibi debeam 10. aureos ex delicto, & tu totidem mihi debeas ex emptione, ego juste possum retinere mihi 10. tibi debitos, loco 10. quos tu mihi debes: ergo possum per talem compensationem extinguere obligationem restituendi etiam absque tuo consensu. Et, quamvis jura dicant, non posse fieri compensationem in aliquibus debitis; qualia sunt debita Regi, vel Reipublicæ titulo pensionis ob publicam utilitatem, debita titulo depositi, vel commodati; item res aliena debita ex furto: tamen hæc jura non videntur obligare in conscientia: v. Croix n. 455. Requiritur ad justitiam talis restitutionis per compensationem, ut utrumque debitum sit ex justitia commutativa, sit certum, seu, ut dicitur *De liquido ad liquidum*, & sit æquale, juxta dicta q. 6. c. 3. Requiritur insuper, ut utrumque sit in eodem genere; si enim tu mihi debeas restitutionem famæ, probabilius non possum in compensatione mihi retinere pecuniam aliunde tibi debitam, juxta dicenda q. 8. c. 2. Si autem talem pecuniam non restituam tibi debenti mihi vestem, vel e converso, probabiliter possum sic compensare in diversa specie: nisi vero damnum grave tibi sequatur, vel non sit alius modus recuperandi vestem, juxta dicta q. 6. c. 3.

Quæres, An, si debeam tibi 100. ex justitia, & gratis tibi confero obsequium ejusdem valoris, aut rem æquivalentem titulo donationis, possim postea id in extinctionem debiti per compensationem adscribere?

Respondeo negative, Si quando contuli gratis obsequium, vel donationem, eram memor mei debiti ex justitia; quia sic omnino gratis, ac liberaliter donavi; titulus autem donationis, & titulus justitiæ sunt omnino diversi, & invicem incompensabiles. At, si quando gratis contuli donum, aut obsequium, ignorabam, aut eram immemor mei debiti ex justitia, Rodr. p. 2. c. 49. concl. 2. cui favet Laym. probabiliter asserit, quod postea, quando debiti ex justitia recordor, possum illud in compensationem talis debiti adscribere; quia præsumendum est, quod non fuissem tam liberalis, si debiti fuissem memor. Oppositum tamen probabilius tenent Sanch. l. 1. *Consil.* c. 13. n. 11. Bon. & alii; quia oblivio, vel ignorantia debiti, non facit, ut illa donatio non habeat titulum donationis; nec illa voluntas conditionata tollit, quin actu sit absoluta voluntas donandi. Media via melius incedit Lug. apud Croix n. 451. si enim donando eras ita animo dispositus, ut quamvis fuisses memor debiti, nihilominus donare voluisses, & sic sentiendum cum Sanch. si vero eras ita dispositus, ut noluisses donare, sed dare pro debito, & sic sentiendum cum Rodr. talis autem animus colligendus est ex circumstantiis, considerata causa donandi, & in dubio favendum est tibi. Neque dicas, debito certa non satisfieri solutione tantum probabili; nam, ut bene Carden. in casu nostro, solutio est certa quoad æqualitatem rei datæ cum debito, quamvis sit probabilis quoad voluntatem satisfaciendi per eam debito; prior certitudo sufficit ad delendum debitum certum, etsi dubium sit de voluntate satisfaciendi. Denique, si ex justitia debeas 100. Petro, non satisfacis huic obligationi, si illi in compensationem conferas Beneficium Ecclesiasticum; quia hoc gratis omnino est conferendum, & caret pretio, & esset Simonia; quamvis posset Petrus accepto gratis Beneficio in animi gratitudinem remittere tibi debitum. At, si conferas Officium seculare, & ex illis, quæ vendi possunt, bene potes, proportione servata, per talem collationem compensare debitum: idemque est, si ei procures ejusmodi officium, quia hæc omnia pretio æstimantur: Rodr. loc. cit.

QUÆSTIO VIII.

De Causis excusantibus a Restitutione.

HÆ causæ, aliæ esse possunt ex parte debitoris, aliæ ex parte creditoris, vel aliorum; & aliquando excusare possunt simpliciter, & in perpetuum, aliquando tantum ad tempus, & pro dilatione restitutionis.

CAPUT I.

Quæ Causæ ex parte Debitoris excusare possint a Restitutione?

HÆ possunt esse sex: Prima, Debitum dubium: Secunda, Impotentia: Tertia, Necessitas extrema: Quarta, Necessitas gravis, vel communis: Quinta, Cessio bonorum: Sexta, Ingressus in Religionem.

§. I.

De Debito dubio.

HOc dubium potest esse duplex: Primo, An debitum fuerit olim contractum? Secundo, An sit ei jam satisfactum? Et in utroque casu dubium potest esse, vel positivum, itaut habeat debitor pro se aliquam rationem solide probabilem, etsi probabile etiam appareat oppositum, & sic dicitur opinio; vel mere negativum, itaut nulla utrinque appareat ratio solide probabilis, sed leves tantum conjecturæ, & sic dicitur proprie, & simpliciter dubium.

Dico primo: Si dubites, an olim contraxeris debitum, non teneris restituere: Doctores communiter. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis, & in casu possidet tua libertas a debito, quæ certe prior est illo. Hinc, si tale dubium sit negativum, teneris quidem morali diligentia inquirere veritatem, sed postea, adhuc perseverante dubio, es tutus in conscientia: uti pariter es tutus, si dubium sit positivum, itaut habeas pro te rationem solide probabilem, etsi probabile, imo etiam probabilius sit oppositum: Sanch. & alii communiter. At, si probabile tantum sit oppositum, quod scilicet debitum fuerit contractum, & pro te nulla sit probabilitas, quod scilicet non fuerit contractum, teneris restituere dimidium pro quantitate dubii; quia, cum pro opposito non sit certitudo, non teneris ad totum; &, cum pro eo sit probabilitas, & pro te nulla, teneris saltem ad partem; sic enim servatur æqualitas: Less. & alii.

Dico secundo: Si certus de debito olim contracto dubites nunc negative, an ei satisfeceris, teneris satisfacere: Doctores communiter. Ratio est, quia in tali dubio possidet vinculum debiti certo jam contracti. Neque

que obstat, quod tu etiam possideas tuam pecuniam; nam contra tuam possessionem pecuniæ prævalet possessio actionis, quam creditor habet contra te; certum est enim, quod debueris; dubium, an solveris: ergo debitum, seu actio debiti te prævalet.

Dico tertio: Si certus de debito olim contracto, probabiliter nunc putes, te etiam ei satisfecisse, teneris satisfacere: Doctores communiter apud Croix num. 571. contra Schild. citantem pro se Boss. Ratio est, quia debito certo non satisfit per solutionem incertam, seu mere probabilem; non enim ponitur æqualitas: & ratio ulterior est, quia ex parte creditoris est certa possessio crediti, & possessio prævalet omni probabilitati in oppositum: hinc talis debitor, etsi probabile sit, solvisse, condemnatur tamen in foro externo ad solvendum: ergo sic etiam fieri debet in foro interno, nisi appareat falsitas præsumptionis, in qua se fundet externum. Neque obstat paritas aliarum virtutum, puta, si certus de voto jam emisso probabiliter putes, esse etiam adimpletum, non teneris implere: si certus de peccato commisso probabiliter putes etiam subjecisse clavibus, non teneris subjicere, &c.; nam reliquæ virtutes respiciunt tantum medium rationis: sola autem Justitia commutativa respicit medium rei, juxta dicta q. 2. c. 2.

Quæres, An talis debitor in casu teneatur restituere totum, an vero partem debiti?

Respondeo, Duas esse hac in re sententias: Prima communius docet, teneri ad restituendum, vel solvendum totum, ob rationem jam datam: ita Sanch., Vasq., Rebell., Bard., Dicastill., Lug. d. 18. n. 12. Croix n. 571. & alii. Secunda probabiliter putat, teneri tantum ad partem pro qualitate dubii; quia æquitas non patitur, ut debitor exponatur periculo solvendi bis, nec creditor periculo habendi nihil: ergo in tali casu tenetur debitor tantum ad partem pro qualitate dubii: ita Dian. p. 4. t. 3. r. 33. citans alios, quam sententiam probabilem dicit Tamb. *de Consc.* num. 9., & admittit Laym., præsertim, si uterque, tam scilicet debitor, quam creditor positive dubitent de solutione jam facta. Prior tamen sententia in rigore juris videtur præferenda. v. Croix num. 571.

Ex dictis resolvitur hic casus: Titio debitore, & Cajo creditore defunctis, hæredes Titii inveniunt in ejus libro debitum jam solutum: hæredes autem Caji inveniunt chirographum Titii, & debitum in Caji libris nondum extinctum, Less. putat, hæredes Titii non teneri ante sententiam Judicis; sed probabilius ex dictis est oppositum, cum debitum sit certum, & solutio incerta: debent ergo saltem petere compositionem judicio viri prudentis; neutri tamen parti licebit occulta compensatio, quia pro neutra est jus certum: Croix num. 572.

§. II.

De Impotentia.

IMPOTENTIA debitoris ad restituendum potest esse physica, cum scilicet non habet simpliciter, unde restituat; & potest esse moralis, cum scilicet, etsi forte habeat, unde restituat, hoc tamen est illi valde incommodum, ideoque dicitur, non commode fieri posse, eo quod affert ei notabile detrimentum in suis bonis, sive fortunæ, sive famæ, sive vitæ, &c. Jam vero

Dico primo: Qui simpliciter non potest restituere, tenetur tantum habere propositum restituendi tum, cum in meliorem fortunam venerit: Doctores communiter. Ratio est, quia ad impossibile nemo tenetur; ergo, cum is physice non possit, sufficit, si proponat restituere, cum primum commode poterit, juxta dicenda §. sequ.

Quæres, An impotens restituere in uno genere bonorum, puta in fama, teneatur restituere in alio bonorum genere, puta in pecunia?

Respondeo, Probabilius non teneri; quia, cum restitutio sit actus Justitiæ commutativæ, respicere debet æqualitatem arithmeticam cum debito, vel saltem cum aliqua parte debiti; sed talis æqualitas nullatenus obtineri potest in casu nostro, v. g. dando pecuniam, si non possit restitui fama, aut e converso conciliando famam, si non possit restitui pecunia debita: ergo &c. Ita probabilius tenent plusquam 40. graves Doctores cum Magist. Sent. apud Croix num. 299. contra Cajet. & multos alios antiquiores apud Turrian. Hinc nihil videtur restituendum præcise pro oculo, pro membro, pro vita secundum se spectatis, cum hæc sint damna in suo genere irreparabilia; restitui tamen debent damna in bonis fortunæ inde secuta, juxta dicenda d. 2.

Dico secundo: Qui non potest restituere sine majori suo damno, quam sit creditoris, potest differre restitutionem: Doctores communiter. Ratio est, quia non tenetur subire, nisi damnum æquale damno illato, ut servetur justitiæ æqualitas. Hinc, si non possis restituere, nisi tuum prædium, vel domum hic & nunc vendas multo minoris, quam valet, potes differre restitutionem: similiter non tenetur artifex, ut statim restituat, vendere instrumenta artis, aut operimenta lecti, &c.; quia creditor tenetur ex charitate pati potius parvum damnum ex dilatione, ne debitor subeat magnum, hoc est duplo majus, ut explicant Reb., & alii apud Bonac. At, si creditor æquale damnum pateretur ex tali dilatione, teneris in pari detrimento restituere, quia sic in pari causa melior est conditio creditoris: Doctores communiter.

Infers primo, Debitorem non teneri restituere in bonis fortunæ cum gravi detrimento suæ famæ; quia nemo tenetur restituere bona inferioris ordinis cum detrimento in bonis ordinis superioris; bona autem fortunæ sunt inferiora, bona famæ superiora, & his etiam superiora sunt bona vitæ, salutis, libertatis, & membrorum; ideoque nec tenetur debitor restituere famam cum periculo vitæ, salutis, libertatis, aut membrorum. Cæterum debet, si potest, restituere per Confessarium, aut Virum fidelem, quamvis huic innotesceret proprium delictum, quia hoc non censetur detrimentum notabile: Doctores communiter contra Bejam apud Croix n. 304.

Infers secundo, Matrem non teneri publica manifestatione sui adulterii impedire, ne illegitimus succedat cum legitimis, etiamsi in Regnum; quia non tenetur se infamare: imo nec tenetur privatim se manifestare ipsi illegitimo, utpote, qui nec tenetur ei credere contra se: solum ergo tenetur, si potest absque suspicione sui delicti, donare ex bonis propriis majorem partem legitimis, ut sic aliquo pacto compenset eorum damnum.

Infers tertio, Falsum testem, vel notarium conficientem scripturam in damnum bonorum fortunæ Titii, non teneri se publice retractare; etsi teneantur per Confessarium, aut Virum fidelem tale damnum Titio resarcire. At, si his falsitatibus injecerint Titium in periculum vitæ, tenentur etiam cum infamia, & periculo vitæ se retractare, quia in pari causa melior est conditio innocentis: dummodo tamen in ea falsitate peccaverint, & credant, se tali retractatione ei profuturos; nam, ut bene notat Bon., si tunc non peccaverint, non tenentur cognita deinde veritate, se retractare cum tanto suo incommodo, utpote innocentes; & similiter, si credant, se nihil ei profuturos retractatione, non tenentur ad opus inutile, etiamsi tunc peccaverint, sed tantum tenentur ad secretam restitutionem damnorum: Bon., Lug. d. 30. a num. 24. & alii.

Infers quarto, Famam restituendam esse cum periculo famæ, dummodo hoc non sit duplo majus illo: similiter libertatem cum periculo libertatis, &c.; quia in pari damno melior est conditio innocentis: Doctores communiter.

Quæres iterum, An, qui non potest commode hic & nunc restituere, possit differre, etiamsi prævideat, quod nisi fiat nunc restitutio, nunquam postea fieri poterit tali creditori?

Respondeo probabiliter affirmative cum Salon., Mol., Bon., & aliis contra Less. dicentem, esse hic & nunc restituendum etiam cum magno suo damno, si sit debitor ex justa acceptione. Ratio autem nostra est, quia si creditor hic & nunc æquale damnum non patitur, ut suppono, ex tali dilatione, satis est, si postea fiat restitutio ejus hæredibus, & in horum defectu pauperibus pro ejus anima; quia sic esse debet in tali casu rationabilis ejus voluntas. Si autem non possit quis commode restituere, non ratione magni damni sibi emergentis, sed ratione magni lucri sibi cessantis ex re aliena, regulariter non potest differre, nisi rationabiliter præsumat consensum tacitum creditoris juxta dicta q. 7. c. 1.; vel nisi speret, tantum lucraturum, ut sic possit omnibus creditoribus satisfacere; sic enim charitas postularet, ut creditor permitteret dilationem, ut satisfieret aliis: Less. num. 24.

§. III.

De Necessitate gravi, vel Communi.

GRAVIS necessitas est indigentia alicujus rei ad vitandum periculum decidendi a suo statu juste acquisito: itaut, si rem illam restitueret, ægre, & cum magna difficultare conservaretur in suo statu, vel ex eo dilabens cogeretur ducere statum longe inferiorem, vel immineret ei periculum gravis morbi, carceris diuturni, aut miseriæ valde molestæ spectata qualitate personæ, aut demum subire gravem infamiam.

Communis necessitas est indigentia rerum, quam habent pauperes ostiatim mendicantes, quorum vita non est nimis molesta juxta eorum statum, cum soppetant passim eleemosynæ.

Dico primo: Gravis necessitas, quamdiu durat, excusat a restitutione: Doctores communiter contra Med., Ricc., & alios. Ratio est, quia in tali necessitate debitoris, creditor ex charitate renetur permittere aliquam dilationem restitutionis, cum alioqui ex charitate etiam teneretur dare ei eleemosynam: ego non potest esse rationabiliter invitus, si a tali debitore retineatur res sibi debita, cum obligatione restituendi, transacta necessitase. Non tamen hine sequitur, quod, sicuti potest quis in gravi necessitate non restituere, ita posset furari. Nam hoc secundum damnatum est ab Inn.XI. Propos. 36., quæ sic habet: *Premissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Et ratio damnationis est, quia, quamvis non restituere idem moraliter sit, ac continoato furari, non tamen, si superveniat rationabilis caosa gravis necessitatis, ratione cujus præceptum restituendi, utpote affirmativum, non ita obligat, ut præceptum non furandi, utpote negativom: sic magis obligat præceptum non vulnerandi, quam curandi volnus: Bon., Less., c. 6. n. 27., Croix n. 436., & alii.

Quæres primo, An, si necessitas gravis sit perpetoo duratura, liber sit debitor in perpetuum a restitutione?

Respondeo cum distinctione: Si sit debitum incertum, quod scilicet dandom est pauperibus, est in perpetuum liber; quia potest in tali continuata necessitate applicarè illud sibi tanquam pauperi; & quidem sine obligatione restituendi pauperibus, etiamsi deinde ad pinguiorem fortunam insperato pervenerit: Laym. c. 12. n. 3. Si debitum sit certum, tenetur in ea continuata necessitate esse parcissimus in rebus etiam statui necessariis, ut saltem per vices restituat partes debiti, quas potest: Doctores communiter: quod si neque id potest; tunc, si damnom ab eo subeundum ex tali restitutione esset notabiliter majus damno creditoris in perpetuum frustrato tali restitutione, probabiliter erit liber hac restitutione; quia nemo tenesur restituere cum suo damno notabiliter majori, quam sit commodum creditoris: Lug. d. 21. n. 19., Laym., Ills., & alii apud Croix n. 431.

Quæres secundo, An, si tum debitor, tum creditor sint in pari, aut fere æquali necessitate gravi, teneatur debitor restituere?

Respondeo, Si obligatio restituendi est ex delicto, teneri omnino restituere; quia iniquum est, ut talis debitor ex suo delicto reportet commodum contra innocentem pari necessitate gravatum. Idem est, si res restituenda extet in specie sub dominio creditoris, ut si bona fide, vel ex contractu commodati, locari, aut depositi, habeas equum Titii; quia in pari necessitate (excepta extrema, de qua infra) melior est conditio domini: Doctores communiter. In reliquis vero debitis, puta ex mutuo, &c., in quibus res restituenda est in dominio debitoris absque delicto, probabile est, debitorem in gravi necessitate constitutum posse non restituere, etsi creditor sit in pari necessitate, quia sic videtur melior ejus conditio, utpote possidentis: Croix n. 430. ex Less. c. 16. n. 19. & Ills. n. 247.

Quæres tertio, An debitor teneatur restituere, cum jactura status injuste acquisiti?

Respondeo affirmative; Quia sic non amitteret statum suum, sed alienum dimitteret, revertendo ad suum: v. g. si quis ex furtis, usuris, aut ficta paupertate, &c. statum amplum acquisivit: Doctores communiter. Excipe tamen primo, Si talis debitor communiter existimetur vir probus, & non possit subito mutare illum statum, nisi se infamet, quia nemo tenetur restituere bona inferioris ordinis cum jactura boni ordinis superioris: Less. n. 29., Bon., Sayr., Nav., & alii. Excipe secondo, Si bona fide comparavit illum statum pecuniis alienis, quas putabat suas: ut si spurius bona fide honorificum statum hæreditario jure acquisivit; si filius usurarii bona fide in honorificum patris statum successit, &c. Salon. & alii, quamvis Bonac. hoc neget, nisi sit periculum infamiæ. Excipe tertio, Si statum suum juste jam acquisitum, puta hæreditate, officio, &c. injuste nunc conservet bonis alienis, ob debita scilicet contracta ratione delictorum, commessationum, ludorum, &c.; quia his jam suppositis, & non perseverantibus, adhuc creditor esset irrationabiliter invitus, si vellet, eum decidere e stato suo justo, ut sibi restitoat: Less. c. 16. n. 26.

Ex dictis infers primo, In quibus casibus potest debitor non restituere ratione gravis necessitatis propriæ, posse etiam ratione necessitatis gravis suorum, vel proximi; quia his etiam renetur creditor ex charitate dare eleemosynam, & consequenter permittere dilationem crediti, ne decidant e statu suo juste acquisito; dummodo Ipse non sit in pari, vel fere æquali necessitate gravi, juxta jam dicta: Secundo, Debitorem in gravi necessitate constitutum, etsi possit differre restitutionem, tamen teneri, quantum commode fieri potest, minnere victum, & vestitum suum, & familiæ, item numerum famulorum, aliasque expensas non adeo necessarias, ur scilicet possit paulatim, & per partes restituere: Doctores communiter.

Dico secundo: Communis necessitas pauperum ostiatim mendicantium non excusat eos a restitutione, si physice possint. Ratio est, quia, cum fere semper habeant, unde ostiatim vivant, non decidunt a statu suo, si restituant, quod furantur; ideoque, si illud consumpserint, renentur ex eleemosynis aliquid, si fieri potest, subtrahere, ut restituant, saltem ex parte.

§. IV.

Dr Necessitate Extrema.

EXTREMA necessitas est indigentia rei ad vitandum periculum mortis imminentis, cui aliter non possit occurri. Hoc pericolum intelligitur a Doctoribus communiser, non solum si mors sit jamjam imminens, sed cum aliqua etiam latitudine, si scilicet sis moralis certitudo, vel prudens timor intra aliquod tempus, puta intra tres menses, secundom Ledes., vel etism multo post secundum Csjet., dummodo non appareat alia via ei occurrendi: & ratio est, qoia sic irrationabile esset expectare mortem proxime postea imminentem: atque hæc moralis certitudo dicitur a D. Th. necessitas urgent, ab aliis quasi extrema, & æquivalens extremæ; quia est indigentia rei ad vitandum malum æquivalens morti.

Talis est, si indigeas re, sine qua certo moraliter incideres in morbum mortalem, aut perpetuum, vel in mutilationem membri principalis, in amissionem alicujus sensus, in perpetuum carcerem. Item, si sine ea re esset periculum proximum labendi in peccatum mortale, quo scilicet parens filiam ob inopiam cogeretur prostituere, &c. Item, si sine ea re in talem miseriam e tuo statu decideres, ut cogereris mendicare, aut laborare, aut famulari cum magna tua ignominia, quam ferre nullatenus posses, vel in desperationem rueres; in hit enim casibus merito diceris esse in extrema necessitare; nam præstat mori, quam vitam sic miserabilem ducere, juxta illud Eccl. 30. *Melior est mors, quam vita amara:* denique necessitas gravis Communitatis, v. g. Reipublicæ propter famem æqoivalet extremæ particularium, quia illa non erit sine ista: Cajet., Suar., & alii communiter.

Dico: Extrema necessitas tua, vel tuorum, vel etiam proximi excusat a restitotione, si aliter ei subveniri non potest, quam per detentionem debiti: Doctores communiter. Ratio est, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, saltem quod usum, itaut licite, & valide quivis possit alienam rem occupare, ut sibi, aut proximo extreme indigenti succurrat: ergo a fortiori potest non restituere, seu debitum retinere. Hinc, etiamsi juraveris, te tali die restituturum, seu debitum soluturum, si tamen eo die incidas in extremam necessitatem, liber manes, inquit Sot.: idque verum est, etiamsi juraveris, quod etiam in extrema necessitate esses restituturus, quia tale juramentum est contra tui ipsius charitatem, adeoque non renes: Trull. contra Sayr.

Quæres primo, An, si tum debitor, tum creditor sint in extrema necessitare constituti, teneatur debitor restituere?

Respondeo negative, Quia, cum in extrema necessitate omnia sint communia, melior erit conditio debitoris possidentis, quam creditoris in eadem necessitate constitu-

stituti: Bon. Less. n. 13. & alii communiter contra Vasq. Idque verum est, etiamsi debitor sit ex delicto, quia superveniente extrema necessitate evadit justus rei possessor, saltem quoad ejus usum: idque verum est, etiamsi res extet in specie; quia tunc, saltem quoad ejus usum, cessat jus, & potestas alterius dominii jure gentium introducta. Hinc, si antea surripueris equum Titio, & postea urgeat utrumque extrema necessitas fugiendi ab hostibus, potes equo fugere, relicto Titio in extremo vitæ periculo: imo potes tunc ei præferre etiam tuum parentem, uxorem, ac liberos pariter extreme indigentes, quia censentur una tecum persona: Less. n. 14. quod Tol. & Bonac. extendunt etiam ad fratres; quamvis non possis tunc ei præferre alium proximum pariter extreme indigentem, quia tunc melior est conditio tui creditoris. Contra vero existens in extrema necessitate non potes aliquid auferre alteri in pari necessitate existenti; quia tunc in pari causa melior est ejus conditio, utpote possidentis; ideoque subtrahere tunc rem, qua ille extreme indiget, idem est, ac occidere: Less. n. 13. & alii communiter.

Quæres secundo, An transacta extrema necessitate teneatur debitor restituere?

Respondeo cum distinctione; Si enim res restituenda adhuc extet in specie; ut si eguisti usu equi alieni ad fugam, si postea adhuc extet, teneris restituere; quia tunc teneris ex re accepta, & extrema necessitas non tribuit tibi jus ad amplios, quam opus sit, ut te eo periculo eripias; unde, si quid superest, est restituendum: Less. c. 16. n. 3. Bon. & alii communiter. At, si res sit jam in extrema necessitate necessario consumpta; tunc, si rei antea erat apud te per contractum collativum dominii, puta ex mutuo, teneris, transacta necessitate, restituere ratione talis contractus; quia sic rem propriam, non alienam, consumpsisti: Less. n. 4. Bon. & alii: si vero erat apud te per contractum non collativum dominii, puta ex commodato, locato, pignore, deposito, Less. n. 5. cum Nav. probabiliter putat, non teneri restituere; quia non teneris ratione rei acceptæ, cum non est; non ratione injustæ acceptionis cum juste acceperis; neque demum ratione contractus, quia isti contractus non obligant, nisi tua culpa res perierit: idem a fortiori dicunt Nav. Bon. & alii contra Less. n. 8. si rem in ea necessitate acceperis, & necessario consumpseris, quia res sic erat communis.

Denique, si rem antea injuste acceperis, & postea superveniente extrema necessitate consumpseris, Croix n. 288. ex Petr. Nav. l. 4. cap. 4. n. 21. etiam dicit te liberum a restitutione; quia in tali necessitate licite potuisses accipere, si non habuisses antea, & consumere: oppositum tamen docent Sylv. Bon. Less. & alii quia obligatio antea contracta ex injusta acceptione non extinguitur per necessitatem supervenientem, sed manet sopita, donec in meliorem statum veneris. Cæterum probabilius videtur non teneri de interesse creditori, pro tempore extremæ necessitatis, juxta dicta q. 3. c. 2.

§. V.

De Cessione Bonorum.

Cessio bonorum excusat in foro externo debitorem a solvendis debitis; quia lex eam concedens supponit, illum non esse solvendo. At non excusat in foro conscientiæ, nisi vere impotens sit, aut in gravi, vel extrema necessitate constitutus, juxta jam dicta: Doctores communiter.

Cæterum, qui cedit bonis, potest in foro etiam conscientiæ retinere, & occultare, quantum necessarium est, ut tenuiter vivat juxta suum statum juste acquisitum, ad sui, suorumque sustentationem; sive id accipiat ex bonis, quæ habebat ante cessionem, sive ex acquisitis postea; quia nemo tenetur restituere cum periculo gravis necessitatis, juxta jam dicta. Idque verum probabiliter est, etiamsi sit debitor ex delicto occulto, quia non tenetur se infamare; si vero ex delicto notorio, non potest tantum retinere, sed minus judicio prudentium: Less. c. 16. n. 43. Similiter uxor, & filii possunt ex bonis a viro, vel patre debitis gravato relictis occultare, quantum sufficit ad suum statum honeste conservandum; circa quod a Judice requisiti possunt jurare, se nihil occultasse, nec incurrunt excommunicationem latam contra occultantes, Cœlest. Dian. & alii apud Tamb.

Quæres primo, An, qui post cessionem redit ad pinguiorem fortunam, teneatur solvere, seu restituere?

Respondeo affirmative cum Nav. Mol. Less. Bonac. aliisque communiter contra Hurt. & alios paucos apud Dian. p. 3. t. 4. r. 78. quia, qui cedit bonis etiamsi cum actibus ignominiosis juxta consuetudinem loci, liberatur quidem a carcere, nec amplius potest molestari in foro externo; tamen hæc cessio non subit vicem restitutionis, aut solutionis, neque adeo extinguitur obligatio, sed sopitur: Less. n. 48. Unde infert Tamb. n. 10. quod, si ille sit artifex, tenetur artem suam, ut antea, exercere, quo aliquid (præter victum juxta statum suum) acquirat, ac debitis saltem ex parte satisfaciat: & similiter, si ei obveniat hæreditas, legatum, donatio, &c. peccat contra justitiam in suos creditores, si eam recuset. Hinc etiam fit, ut si debitor principalis cesserit, non ideo liberentur fidejussores: Lug. d. 21. n. 39. & similiter, qui est debitoris debitor tenetur solvere ministris justitiæ, ut detur creditoribus secundum æquitatem: Sylv. apud Croix n. 441.

Quæres secundo, Quinam gaudeat beneficio cap. *Odoardus, de Solutionibus?*

Respondeo, Clericum, sive sit in Sacris, sive Beneficiatus, sive habeat solum habitum & tonsuram, modo non sit conjugatus, & inserviat alicui Ecclesiæ, aut studiis incumbat ex facultate Episcopi. Beneficium hujus capitis est, ne Clericus inops possit cogi cedere bonis, nec ob debita civilia in carcerem conjici, nec conveniri possit, nisi quatenus solvere potest, deductis necessariis alimentis, juxta suum statum: v. Less. c. 16. n. 50. Similiter mulieres honeste viventes, milites actu pugnantes, nobiles, & alicubi Doctores, non possunt mitti in carcerem ob debita civilia; ideoque nec est eis necessaria cessio bonorum; modo justum valorem suorum redituum, & rei familiaris a Judice requisiti exprimant, nec occultent superflua statui tenuiter conservando: Trul. & alii. De Privilegio autem, quod Cæsar, vel Rex Hispaniæ quibusdam confert, ut non possint conveniri de debitis, nisi quantum commode possunt, v. Dicastil. d. 10. n. 68. & Haun. n. 433.

§. VI.

De Ingressu in Religionem.

Dico primo: Debitor, si non habet, unde solvat, potest licite ingredi in Religionem: Doctores communiter. Ratio est, quia talis perinde se habet, ac si cedat bonis: ergo, sicuti cuilibet licita est cessio, ita a fortiori ingressus in Religionem ad vitam Deo perpetuo dicandam. Si quid autem habet, debet relinquere creditoribus; ideoque, si quid ferat secum in Religionem, hæc obligatur illud solvere. Si autem possit intra breve tempus, puta unum, vel duos annos, satisfacere creditoribus, Sanch. Mol. Dicast. Lug. d. 21. n. 63. dicunt, non posse licite ingredi, antequam satisfaciat; sed D. Th. D. Anton. Sylv. Palud. Caj. Tamb. & alii dicunt, absolute licere, nisi fiat consulto ob finem non solvendi, & non ob finem serviendi Deo; quia debitor non tenetur restituere cum periculo amittendi bonum superioris ordinis, puta committendi interim peccata, quæ inhabilitare poterunt ad Religionem, vel amittendæ occasionis, ut admittatur, &c. Cæterum, si non sit tale periculum, & aliunde sit spes, posse brevi satisfacere, saltam ex parte, debitis, rationabilius debet differre ingressum, ut concludit Illsun.

Hæc procedunt de quovis debitore, spectato jure naturæ; sed spectato jure positivo, Sixt. V. Bul. 1587. prohibet, & inhabilitat (quam tamen inhabilitatem sustulit postea Clem. VIII.) ingressum eorum, qui ob dilapidatam rem suam familiarem reddiderunt se impotentes solvere magna debita creditoribus, vel obligati reddendis rationibus, non reddiderint. Hæc tamen Bulla non habet locum in Monialibus, nec in Equitibus ordinum militarium, quia in odiosis non veniunt nomine Religiosorum; nec illis, qui non habent magna debita, aut habent debita incerta, aut absque culpa gravi reddiderunt se impotentes, aut in pœnam delicti damnati sunt ad aliquid solvendum, aut quibus creditores permittunt. Demum quoad rationes reddendas intelligitur de rationibus valde intricatis, litigiosis, fraudulentis, daturis causam litium: v. Croix n. 444.

Objicies contra hactenus dicta. Obligatio solvendi debitum est juris naturalis: ergo prævalet intentioni ingrediendi Religionem, quod est tantum consilii. Confirmatur primo: Qui defloravit Virginem sub spe matrimonii, non potest ea invita ante matrimonium ingredi Religionem: Secundo, Nec potest ingredi Religionem, qui ex pietate tenetur alere parentes inopes: ergo nec, qui ex justitia tenetur solvere creditoribus:

Ter-

Tertio, Nemo potest surripere rem alienam ad acquirendum bonum Spirituale: Quarto, Nemo potest se addicere servitio pauperum in hospitali, si per hoc impediatur a solvendis debitis: ergo, &c.

Respondeo: Distinguo antecedens: est juris naturalis absoluti, nego; conditionati, si scilicet solvi possit absque notabili damno in bonis superioris ordinis, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad primam Confirmationem disparitas est, quia talis deflorator obligationem habet immediate in seipso, & immediate in persona deflorata; ideoque non potest ea invita ingredi Religionem; at creditori magis obligantur bona, quam persona debitoris; ideoque manere potest personæ libertas ingrediendi statum vitæ perfectum. Ad secundam, pietas in parentes tanta est, ut excuset etiam a solutione debitorum ex justitia, & ideo prævalet etiam statui Religioso. Ad tertiam; Surripere alienum est contra jus actu possidentis, quod eo invito prævalet cuivis bono etiam Spirituali alterius. Ad quartam, Illud servitium potest compensari per alia opera, imo per ipsum laborem in solvendis debitis; non ita status Religiosus.

Dico secundo, Debitor impotens solvere creditoribus, valide profitetur in Religione, & post Professionem probabiliter ad nihil amplius tenetur. Ratio est, quia inhabilitas debitoris ad professionem posita a Sixt. V. sublata est jam a Clem VIII. juxta jam dicta: ergo gravatus ære alieno adhuc valide profitetur. Quod autem jam professus non teneatur amplius ex justitia restituere, est, quia professus in omnibus subditur obedientiæ sui superioris, & quidquid acquirit, acquirit monasterio: ergo, sicut Superior potest prohibere, ne ille laboret, ita nec tenetur ei dare licentiam, ut laborando acquirat aliquid, quo debitis satisfaciat, ut infert Tamb. contra Lug. Similiter, si qua hæreditas, legatum, &c. obveniat tali professo, cum immediate cedat Religioni, non debetur ejus creditoribus, ut infert idem Tamb. cum Pal. contra Sanch. conveniens tamen est, ut omnes fatentur, Religionem ex his bonis, aliisve acquisitis a Professo, solvere saltem ex parte ejus debita, cum possit, absque periculo contraveniendi Bullis *de Largit. Mun.* juxta probabilem sententiam Sanch. Religiosi autem militares, cum habeant tam amplam suorum bonorum administrationem, tenentur solvere debita; quia non censentur cedere bonis, cum profitentur: Doctores communiter.

Quæres, An Professus contrahens nova debita teneatur ipse, vel Religio restituere?

Respondeo, Si contrahit ex delicto, puta furando, plus justo vendendo sæcularibus, &c. teneri ad restitutionem, si extet res, vel aliquid, in quo ipse, vel Religio facta est ditior. Si vero nihil extet; tunc, si delictum commissum est capitulari nomine Religionis, tenetur Religio. At, si delictum sit nomine proprio, tenetur tantum ipse, si habeat peculium, vel si potest detrahere sibi de necessariis, nisi contradicat superior; quia, cum injustitiam commiserit, tenetur eo modo, quo potest, reddere æqualitatem. Quod autem non teneatur ad debita contracta ante professionem est, quia ea purgavit per professionem: Tamb. ex Sanch. l. 7. *Decal.* c. 19. n. 112. Si vero professus init contractum onerosum, vel gratuitum cum aliquo, unde oritur obligatio restituendi; tunc, si init legitime nomine Religionis, tenetur Religio: si non nomine Religionis, tenetur ipse, ut supra, non autem Religio, etiamsi Superior licentiam dederit, quia in hoc Professus non comparatur servo, sed filiofamilias, cujus delicto non tenetur pater: Sanch. l. 7. *Decal.* c. 21. n. 40. Similiter professus debet stare contractui, sive cum, sive sine licentia inito, ut probabilius docent Doctores, quia est obligatio naturalis; imo Superior, qui concessit, non potest illum irritare, sicuti potest irritare votum, quia ibi est acquisitum jus tertio, hic Deo: & Superior potest agere nomine Dei, non tertii: Sanch. l. cit.

CAPUT II.

Quæ causæ ex parte creditoris, vel aliorum, excusare possint a Restitutione?

HÆ possunt esse septem: Prima, Restitutio rei nociturae: Secunda, Remissio, compositio, transactio, vel assignatio debiti: Tertia, Excomunicatio, vel pœna-capitalis: Quarta, Compositio per Bullam: Quinta, Consilium Confessarii: Sexta, Auctoritas Judicis: Septima, Lex, vel Præscriptio.

§. I.

De Restitutione rei nocituræ.

DIco primo: Si debitor prævideat, rem allaturam damnum spirituale creditori, potest, imo debet ejus restitutionem differre: ita Nav. Sot. Mol. Lug. Less. c. 16. & alii communius contra Azor. Sanch. Bon. & alios apud Croix n. 426. Ratio est, quia debitor prævidens, creditorem abusurum re ad peccandum: v. g. ad fornicandum, tenetur ex charitate impedire ejus peccatum, nec positive cooperari subministrando materiam. Neque dicas, creditorem habere jus repetendi rem suam, & ea abutendi; nam non habet in casu jus proximum, cum irrationabiliter petat; ideoque non fit ei injuria non reddendo, sed potius fideliter geritur ejus negotium, quamvis fieret ei injuria tunc auferendo per vim, non tamen aliis modis: Less. c. 16. Neque obstat paritas Parochi, qui tenetur dare Communionem subdito petenti, etsi sciat, eum petere in peccato; nam tenetur dare peccatori occulto, non quia is habet jus ad Communionem, sed quia habet jus, ne infametur.

Cæterum, si ex dilatione oriatur debitori aliquod grave incommodum, puta si illius amicitiam, vel quid simile amitteret, non tenetur, quamvis possit, differre, quia charitas non obligat cum gravi incommodo, quando proximus libere vult subire suum damnum. Similiter, si dilatio non impediret peccatum, sive quia creditor aliunde haberet rem similem, sive quia per Judicem cogeret, &c. non potes differre; quia sic dupliciter ille peccabit: Mol. Lug. d. 21. n. 28. Ex quibus infert Less. c. 16. n. 57. ob spei incertitudinem, & proprii incommodi frequentiam raro debitorem obligari sub gravi ad talem dilationem: uti etiam uxor, quamvis teneatur negare debitum marito petenti in voto Castitatis, tamen quia plerumque est periculum aversionis animi, incontinentiæ, &c. ideo potest, atque adeo regulariter debet dare, seu melius debet ipsa tunc petere, juxta dicenda in de Matrimonio.

Si autem debitor prævideat, restitutionem allaturam damnum tantum temporale creditori, quia scilicet rem illam expenderet in conviviis, aliisve superfluis, &c. tunc, si creditor sciens, & volens optaret tale damnum subire, tenetur debitor restituere, quia sic non impeditur ex præcepto charitatis; si vero creditor ex defectu usus rationis optaret tale damnum, tenetur debitor differre, & quidem non tantum ex charitate, sed etiam ex justitia, ut notat Pal. quia, si tunc restitueret, ipsi tribueretur principaliter tale damnum, ideoque ad novam restitutionem teneretur, si res alio modo recuperari non posset.

Dico secundo: Si debitor prævideat, restitutionem allaturam damnum aliis, seu creditorem abusurum re in damnum alterius, tenetur omnino differre: Doctores communiter. Ratio est, quia quilibet habet jus, ne tu positive cooperetis suæ damnificationi injustæ: ergo peccas, si id prævidens restituas, & quidem non solum contra charitatem, secundum Mol. & Dicast. sed etiam contra justitiam secundum Less. n. 59. & alios communiter. Hinc, si restituas gladium domino furioso, seu volenti occidere Titium, peccas contra justitiam debitam Titio, & teneris de damno ei secuto; quia id prævidens cooperaris positive reddendo gladium creditori. Excipe primo, Si ex tua dilatione grave damnum tibi impenderet; tunc enim ensem reddere, vel tuum commodare, non censetur cooperari, quia est actio per se indifferens: Less. c. 16. Imo, si reddas pecuniam promissam usurario, quam scis, illum daturum ad injustas usuras, valde remote cooperaris; ideoque excusaris quavis ex causa, ne scilicet habearis infidelis, ne oriantur rixæ, ne priveris novo mutuo, &c. Ita Tamb. Excipe secundo, Si incertum sit damnum proximi, quia in dubio melior est conditio creditoris, adeoque teneris restituere; nisi vero ille sit furiosus, cui, qua tali, hic & nunc non videtur fieri injuria, & forte consulitur alteri innocenti: idem Tamb. & alii.

§. II.

De Remissione, Compositione, Transactione, & Assignatione debiti.

DIco primo: Remissio creditoris excusat debitorem a restitutione, si sit omnino libera, & legitima: Doctores communiter. Ratio est, quia remissio est quædam debiti donatio. Requiritur tamen primo, ut sit omnino libera, hoc est scienter facta, & absque metu, vel

vel fraude; quia debet esse omnino liberalis, & voluntaria, & consequenter, si aliqua ex parte sit involuntaria, est nulla. Requiritur secundo, ut sit legitima, hoc est juxta leges; sunt enim ex mox dicendis quinque casus in jure eam irritantes.

Infers primo: Si debitor probabiliter tantum existimet, quod, si manifestaret suum debitum, vel rogaret remitti, creditor liberaliter remitteret, non excusatur; quia creditor est in possessione sui crediti. Si autem certo moraliter existimet, quod, si per se, vel per alium manifestaret suum debitum, aut rogaret remitti, creditor liberaliter remitteret, est tutus in conscientia; quia tunc adest voluntas præsumpta creditoris sufficiens, ut retentio non fiat eo invito saltem quoad substantiam: at, si revera creditor sit invitus, & id postea sciatur, debet restitui, ut patet; quamvis non esset tunc obligatio restituendi etiam damna ex tali retentione orta: Mol. & alii apud Croix n. 462.

Infers secundo, Si debitor, vel expresse, vel implicite minetur creditori, nisi remittat, remissio est nulla, utpote metu extorta. Si autem blanditiis, aut precibus obtineat remissionem, valet: nisi forte sint preces Superioris, ut dici solent, *armatæ*, vel nisi sint nimis importunæ, itaut creditor malit sua pecunia privari, quam tanta importunitate solicitari; quia sic etiam involuntarie remitteret.

Infers tertio, Si debitor fingat se longe pauperiorem, quam revera sit, remissio est nulla, quia adest fraus tollens voluntarium. Si autem ita sit animo dispositus, ut nollet restituere, si ille non remitteret, vel si fingat animum restituendi, quem tamen non habet, & tamen creditor remittat, valet; quia hæc fraus non reddit actum creditoris involuntarium: Mol. Less. Lug. Sanch. l. 4. *Matr.* d. 9. n. 17.

Denique leges irritantes remissionem sunt: Prima, Si pupillus, aut minorennis remittat sine consensu tutoris, vel curatoris; & similiter, si filiusfamilias remittat creditum patris, aut uxor mariti, *ex jure civili*. Secunda, Si Episcopus visitans accipiat aliquid præter victualia, tenetur intra mensem restituere duplum, nec valet remissio, ex cap. *Exigit, de Censib.* Tertia, Si Judex delegatus accipiat a partibus aliquid (præter esculentum, & poculentum mera liberalitate donatum, paucisque diebus consumptibile) tenetur restituere, nec valet remissio, ex cap. *Si tantum, de Rescript. in 6.* Quarta, si Inquisitores prætextu S. Officii pecunias extorserint, tenentur restituere, nec valet remissio, ex *Clem. Nolentes, de Hæret. in 6.* Quinta, si Canonicus non assistens Divinis Officiis acceperit distributiones, tenetur eas restituere, nec valet remissio ex Trid. *sess. 24. c. 22. de Reform.*

Dico secundo: Compositio cum creditore excusat debitorem a reliqua restitutione, si sit pariter omnino libera, & legitima: Doctores communiter. Ratio est, quia compositio cum creditore est amicabilis remissio partialis debiti certi: ergo, ut valeat, debet fieri omnino libere. Hinc non excusantur Magnates extorquentes a mechanicis, a mercatoribus, &c. ut ex parte remittant debitum, si alias eos cogerent subire multas molestias in solicitando, sæpe venire frustra, diu expectare, &c. Similiter invalida est remissio partis debiti, eo quod timeat creditor, aliter se amissurum totum culpa debitoris. Si autem debitor offerat partem, ut sic inducat creditorem ad remittendum reliquum, Bon. dicit, esse tutum in conscientia; sed melius Sanch. Lug. & alii apud Croix n. 458. negant; præsertim, si creditor ideo remittat reliquum, ut saltem illam partem recuperet; solumque affirmant, si offeratur pars major, & creditor ex affectu, aut commiseratione remittat reliquum.

Si creditor componitur cum debitore, qui cedit bonis, ut parte remissa aliquid accipiat, talis remissio censetur conditionalis; unde debitor meliori fortunæ redditus tenebitur reliquum dare: Less. apud Croix n. 457. Quamvis Trul. d. 4. n. 3. eum omnino liberet, si non adsit fraus, aut metus. Denique, si major pars creditorum remittat debitori partem debiti, ut reliquum accipiant, Nav. Sa Lug. d. 21. n. 50. dicunt, reliquos creditores non hypothecarios teneri stare eorum conventioni; quod tamen negant Bonac. & Ricc. nisi horum consensus esset omnino necessarius ad aliquid recuperandum.

Quæres, Quid sit dicendum de transactione, & assignatione debiti?

Respondeo, Transactionem cum creditore fieri, cum debitum non est liquidum, sed controversum, sive quoad substantiam, sive quoad quantitatem, &c. facta ergo transactione sine vi, aut fraude, liber erit debitor ab ulteriori restitutione, dummodo res non fuerit antea adjudicata creditori per sententiam ex l. 29. cap. *de Transact.* Quod, si unus sine onere cedat prætensionem suam, non erit transactio, sed amicabilis compositio. Denique assignatio debiti fit, cum debitor vice sua alium dat reum creditori; si ergo hic libere in talem delegatum consentiat, remanet principalis liber a restitutione: v. Onn. *de Contract.* d. 21. f. 10.

§. III.

De Excommunicatione, vel Pœna capitali.

DIco primo: Excommunicatio etiam vitanda creditoris non excusat in foro conscientiæ debitorem a restitutione, & a fortiori neque excommunicatio ipsius debitoris. Ratio est, quia, quamvis cap. *Pia, de Except. in 6.* creditori excommunicato negetur actio judicialiter petendi, tamen permittitur privatim petere, nec ei prohibetur communicare cum aliis ex necessitate, vel magna utilitate, ex cap. *Quoniam multos*, 11. q. 3. ergo tenetur debitor ei solvere: ita communiter Doctores apud Croix n. *466.* contra aliquot apud Lug. d. 21. n. 150. quorum sententiam Mol. & Dicast. dicunt probabilem. Similiter excommunicatio debitoris eum non excusat a solvendo, cum per excommunicationem cogi possit etiam solvere, ut docent Doctores communissime. Si autem excommunicationem incurrit, eo quod non solvit, nec possit nunc solvere, debet præstare Confessario cautionem pignoratitiam, vel fidejussoriam, vel juratoriam, ut absolvatur ab excommunicatione, & a peccatis, ut docent communiter ex *Jur. Canon.* probabile tamen est, in foro conscientiæ satis esse propositum; quia cautio juratoria videtur requiri tantum pro foro externo in casibus jure expressis: Dian. p. 1. t. 2. r. 44.

Dico secundo: Si debitor morte plectatur ob damnum illatum, ejus hæredes non excusantur a restitutione talis damni: Doctores communiter contra Scot. Salon. & alios. Ratio est, quia Respublica per justitiam tantum vindicativam punit illud delictum; neque ideo præjudicat juri, quod habent damnificati, aut alii hæredes, etsi ad eorum instantiam ille morte plectatur. Docet tamen Less. c. 9. d. 22. cum Sot. & aliis, quod, si non exigatur compensatio horum damnorum, propter quæ ille punitur, probabiliter possit omitti restitutio; quia illi, quibus facta est injuria, censentur tunc acquiescere, & condonare: v. Croix n. 405.

§. IV.

De Compositione per Bullam.

COMPOSITIO per Bullam est conventio debitoris cum Papa, qui ei indulget, seu dispensat, ut major pars debiti mutetur in minorem: v. g. ut pro 20. aureis dentur 20. caroleni ad usum pium: reliquum autem sibi retineat debitor, sive debebat ex contractu, sive ex delicto: & hæc facultas conceditur præsertim per Bul. Cruciatæ cum duabus tantum conditionibus: Prima, Ut facta debita diligentia dominus certus, vel ejus hæres non appareat: Secunda, Ut bona ablata non fuerint ex confidentia hujus Bullæ: v. Tamb. tr. *de Bull. Cruc.* c. 17. Papa autem juste, & licite potest eam concedere, quia habet jus altum indirecte in res omnium temporales, quando scilicet id necesse est ad bonum spirituale: Lug. d. 6. n. 150. An autem possit eam concedere Episcopus in sua Diœcesi, vel Princeps secularis in suo Regno? Communiter negant Doctores cum Mol. Lug. & aliis contra Hent. & alios apud Croix n. 413. quia, quidquid sit de jure, certe praxis ostendit, non posse: & ratio ulterior est, quia nec Episcopus habet jus altum in res temporales subditorum, nec Princeps secularis potestatem indirectam ob bonum spirituale.

Quæres primo, Super quæ debita concedatur Bulla compositionis?

Respondeo, Super debita incerta, quorum scilicet ignoratur dominus; ait enim Bulla, *Dum sciri non possunt ii, quibus legitime debebat, & posset fieri restitutio*: si autem dominus sit notus, sed ita longe absit, ut ex præsumpta ejus voluntate restitui possit pauperibus, Cov. Rodr. Turrian. & alii contra Sot. & Hent. probabiliter putant, etiam licere talem compositionem, quia ex verbis citatis dominus in tali casu non scitur, itaut debeat, & possit ei restitui. Similiter Lop. & alii apud Dian. p. 4. t. 4. r. 46. putant, mercatores, venditores, &c. qui per parva furta defraudarunt ementes ex eadem

Com-

Communirate, qui nunc in particulari ignorantur, posse petere hanc compositionem: quamvis in hoc contradicant communius Doctores, eo quod defrandata est Communitas certa: v. Croix n. 417. An autem possit Papa concedere talem compositionem debitori pro debitis certis? Certum est, sine legitima causa non posse, quia non potest absolute disponere de bonis aliorum: cum causa vero potest, ut, si quid debeas, sive ex contractu, sive ex delicto hæreticis formalibus: v. Less. c. 16. dub. 11. Hinc concedi soler compositio: Primo, Pro fructibus Ecclesiasticis male perceptis, quamvis sciatur, cui Ecclesiæ debeantur: Secundo, Pro medietate legatorum, si non sciantur legatarii: Tertio, Pro acquisitis ex contractu injusto ex utraque parte: Quarto, Pro acquisitis illicite ex utraque parte: Quinto, Pro aliis bonis incertis etiam licite acquisitis: v. Lug. d. 21. a n. 111. ubi addit, in quibus casibus, & pro quibus summis fieri non possit talis compositio.

Quæres secundo, An debitor habens multa debita partim certa, partim incerta, si compositionem obtineat super incertis, teneatur id, quod ex his sibi retinet, dare creditoribus certis?

Respondeo affirmative; Quia id, quod per compositionem sibi retinet ex incertis, evadit proprium ipsius: Bon. & alii communiter. Hinc, si Titius habens facultatem componendi per Bullam moritur, & hæres ejus loco componat (quod facere posse, ait Lug. d. 21. n. 143.) debet, quod retinet ex incertis, expendere in alia debita certa defuncti; quia non agit causam suam, sed defuncti: &, quod retinet, haber ut persona civiliter eadem cum defuncto: Mol. Croix n. 419. contra Lug. cujus sententia valeret, si hæres compositionem petierit pro se, itaut non agat ut hæres.

Quæres tertio, An, si post compositionem, & persolutam partem designatam in pia opera compareat dominus, teneatur debitor residuum ei dare?

Respondeo, Tres esse sententias: Prima affirmat, quia Papa non intendit, nec potest extinguere jus domini, si compareat: ita Covar. Mol. Rodr. & alii. Secunda negat, quia hæc compositio æquivalet præscriptioni, itaut per illam ex voluntate Supremi Principis transferatur dominium: ita Sot. Henr. Trul. Dian. p. 4. t. 4. r. 112. & alii. Tertia distinguit, & affirmat, si compositio facta sit, priusquam præmittatur moralis diligentia pro inveniendo domino: negat vero, si facta sit post talem diligentiam: quia hic, non ibi, præsumitur voluntas creditorum: Croix n. 412. & videtur probabilius, juxta dicta q. 4.

§. V.

De Consilio Confessarii.

SI Confessarius, non præmissa debita diligentia pro inveniendo domino, dixerit debitori, non teneri ad restitutionem, hic per se loquendo non excusatur, saltem in defectu Confessarii, juxta dicta q. 5. c. 7.

Quæres primo, An si Confessarius imprudenter dixerit tibi fori, ut rem debitam Titio des pauperibus, vel pro Missis, &c. & sic res sit data, & consumpta, tenearis iterum dare pretium Titio?

Respondeo, Duas esse sententias: Prima putat, non teneri; quia, cum ex tali præcepto Confessarii tenereris dare pauperibus, non debuit Titius in tanta tua pietate esse invitus, ut non consenserit illi eleemosynæ pro se factæ: ita Tamb. l. 8. t. 4. c. 1. §. 5. n. 8. quam sententiam probabilem putat Sporer apud Croix dicens, se non audere obligare ad iterum solvendum. Secunda communior, & probabilior docet, teneri; quia, quamvis in illis circumstantiis ex præcepto Confessarii tenebaris dare pauperibus, tamen non censetur creditor consentire, quia præceptum fuit imprudens, & ejus causa fuit præterita injuria a te commissa: Croix n. 481.

§. VI.

De Auctoritate Judicis.

AUCTORITAS Judicis excusat a restitutione in tribus casibus: Primo, Si Judex in pœnam delicti per sententiam imponat Titio mulctam in favorem Caji, qui injuriam passus est, potest Cajus non solvere tantundem, quod aliunde debebat Titio, dummodo sententia veritati, & non falsæ præsumptioni innitatur. Secundo, Si Titius per sententiam cogatur resarcire Cajo damnum sine gravi culpa theologica, sed solum juridica illatum, Cajus potest acceptare, & retinere; quia auctoritate Judicis juxta leges transferri potest dominium unius in alterum ob bonum commune. Tertio, Si Titius, juste secundum allegata, & probata, sed reipsa injuste privatus sit officio, vel beneficio, vel hæreditate, & tu bona fide acceperis, si postea privatim scias, illum injuste privatum fuisse, non teneris restituere, modo non fueris causa talis sententiæ: v. Less. l. 2. c. 16. d. 7.

§. VII.

De Lege, & Præscriptione.

SI Minorennis acceperit pecuniam mutuam, quam totam in luxum, & lasciviam profuderit, nihil tenetur restituere, ex *l. 2. cap. de Filiofam.* v. Less. *In Auctar. verbo Sponsalia cas.* 2. De præscriptione autem, & usucapione quomodo excusent a restitutione, sufe dictum est q. 1. c. 3.

DISPUTATIO II.

De Restitutione in specie.

SPECIES restitutionis sunt quatuor, juxta quatuor genera bonorum, quæ lædi possunt; nimirum bona fortunæ, quæ sunt infima; bona famæ, & honoris, quæ sunt media; bona corporis, quæ sunt superiora; & bona animi, quæ sunt suprema. Quatuor ergo quæstiones continet hæc disputatio: Prima est De restitutione bonorum fortunæ: Secunda, De restitutione famæ, & honoris: Tertia, De restitutione bonorum corporis: Quarta, De restitutione bonorum animi.

QUÆSTIO I.

De Restitutione Bonorum fortunæ.

DE his multa passim dicta sunt disputatione antecedenti. Superest specialiter dicendum: Primo de restitutione ex furto: Secundo de restitutione ex rebus Ecclesiasticis.

CAPUT I.

De Restitutione ex Furto.

VIDENDUM Primo, Quæ sit natura, & species furti? Secundo, Quæ quantitas requiratur ad furtum mortale? Tertio, Quid de furtis minutis? Quarto, Quid de furtis domesticorum?

§. I.

Quæ sit Natura, & Species Furti?

FURTUM est *Ablatio rei alienæ invito rationabiliter Domino:* Doctores communiter ex *l. 1. ff. de Furtis.*

Explico definitionem. Dicitur primo, *Ablatio*, hoc est actio lucrativa, qua res aliena, vel apprehenditur animo non reddendi, vel diutius detinetur, vel adhibetur in usum non concessum: hinc, si commodatarius rem diutius detineat, si creditor utatur pignore, si usurarius rem aliis commodet, tenentur etiam furti, *ff. eodem.* Dicitur secundo, *Rei*, sive mobilis, sive immobilis, sive corporeæ, ut equus, servus, &c. sive incorporeæ, ut jura, census, servitutes, &c. Dicitur tertio, *Alienæ*, hoc est quomodocumque ad alium pertinentis; nam furtum committis etiam contra depositarium, commodatarium, conductorem, &c. si ab eis auferas rem depositam, commodatam, conductam, &c. furaris enim illis custodiam, vel usum; unde etiam sequitur, quod, si ipsemet dominus eam ab illis auferat, teneatur furti: Lug. d. 16. f. 8. Croix n. 938. Dicitur quarto, *Invito Domino*, eo scilicet, ad quem res quomodocumque pertinet, juxta modo dicta. Dicitur quinto *Rationabiliter;* si enim eo invito auferas ad compensandum tuum creditum liquidum, non es fur, quia sic non est rationabiliter invitus: similiter potest uxor auferre marito pecunias, ne ludat: potest quisque auferre a domino gladium, ne alium injuste occidat, &c. modo id fiat sine vi, quæ a privato inferri nequit domino rei: Bon. d. 2. q. 8. p. 1.

Infers primo: Si dominus omnino libere, ac legitime consentiat, sive expresse, sive tacite, sive saltem interpretative, ut res sit tua, non es fur auferendo: v.g. si videat te rem suam auferentem, & absque ullo metu, aut vere-

eundia

cundia taceat, habetur consensus tacitus, & consequenter non teneris furti: secus vero, si videns taceat ex metu, aut verecundia: Bonac. n. 1. Similiter, si, eo etiam non vidente, prudenter tamen judices, illum esse contentum, ut auferas, vel certo moraliter scias, daturum, si peteres, non peccas, saltem graviter, auferendo; quia sic habetur consensus præsumptus; præsumitur enim ille non esse invitus saltem quoad substantiam, quamvis forte invitus sit quoad modum; & aliunde ad excusandum a furto non requiritur positiva voluntas domini, sed satis est, eum non esse positive invitum: Lug. d. 11. n. 54. Less. c. 11. n. 4. Cæterum, si postea advertas, eum revera non fuisse contentum quoad substantiam, teneris restituere, quia præsumptio cedit veritati, etsi non tenearis de interesse ob bonam fidem: Croix *de Furto* l. 3. p. 1. n. 946.

Infers secundo: Si dominus consentiat, rem esse tuam, tu vero ignorans talem consensum eam auferas, communis sententia contra Mol. ap. Croix *de rest.* n. 15. docet, te esse reum furti; quia, quamvis ejus consensus existat, tamen, cum tu illum non præsumpseris, es ei formaliter injuriosus, auferendo; ille enim consensus non fuit, ut tu rem habeas, putans, eum non consentire, seu ut accipias, sive consentiat, sive non consentiat, ut tu facis in casu. Si autem scias postea ejus consensum, potes retinere, quia non es amplius injuriosus formaliter, modo certo moraliter scias; quia in dubio etiam positivo melior est conditio domini.

Quæres primo, Quot sint species furti?

Respondeo, Dividi primo, & principaliter in furtum simpliciter dictum, & rapinam. *Rapina* est ablatio rei alienæ facta cum vi: per vim autem intellige non solum violentiam, seu impetum illatum corpori domini, quo pacto, si ille sit Clericus, committitur etiam sacrilegium, sed etiam metum gravem injuste incussum, ut si latro minetur mortem, nisi extrahas pecuniam: Lug. d. 16. n. 11.; & ob utramque vim furtum mutat speciem in confessione explicandam, quia est cum vilipendio, & injuria personæ: ideoque in rapina, præter rei restitutionem, compensanda est etiam injuria personæ: Doctores communiter: si autem unus fur alterum vi impediat, ut ipse primus rem auferat, vel si noctu violenter effringat ostia, & nemine præsente rem auferat, non erit rapina, sed simplex furtum: Croix n. 941. *Furtum simplex* est Occulta ablatio rei alienæ, &c.; per ly *Occulta* intellige sine vi illata domino; ideoque, etiamsi eo præsente, & vidente auferas ejus pecuniam in mensa positam, & fugias, non est rapina, sed simplex furtum, quia fit sine vi: Croix n. 939.

Dividitur secundo, In furtum *Diurnum*, quod fit ea luce, qua fur dignosci possit, & sic dicitur latro; & in *Nocturnum*, quod fit in eis tenebris, ut fur agnosci non possit, & sic proprie dicitur fur. Dividitur tertio, in *Manifestum*, cum scilicet præsente adhuc insecutione, aut in clamatione deprehenditur eodem die fur, antequam perveniat ad locum, quo destinaverat rem deferre, & in *Non manifestum*, cum scilicet fur non ita deprehenditur. Dividitur quarto in *Qualificatum*, quod in jure habet speciale nomen, & punitur specialibus pœnis; sicque furtum ex bonis publicis dicitur *Peculatus*; & furtum ex gregibus, dicitur *Abigeatus*; furtum hominis liberi dicitur *Plagium*; furtum hominis ad abutendum dicitur *Raptus*; furtum rei Sacræ dicitur *Sacrilegium*; furtum cum vi dicitur *Rapina*: cætera dicuntur furta non qualificata: Croix n. 944.

Sed circa furtum sacrilegum nota primo, committi tripliciter, ex *cap. Quisquis* 17., q. 4. c. 21. *Auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro*. Si ergo fureris rem sacram de loco sacro (quo nomine venit hic Ecclesia cum Cœmeterio, & Sacristia) probabilius duplex sacrilegium committis: si rem non sacram de loco sacro, tunc sacrilegium committis, cum res illa erit ibi deposita in custodiam, &c. pura aulæum, &c.; si vero in Ecclesia auferas crumenam personæ ibi orantis, probabile est, non fore sacrilegium; quia, quamvis *in sacro* non tamen furaris *de Sacro*, Lug., & alii contra Suar., & alios.

Nota secundo: Ex *cap. Conquesti*, *de Sent. Excomm.* *Si Ecclesiam violenter confringas, eamque spolies*, incurris excommunicationem, ob tale sacrilegium, reservatam Papæ, si fuerit per Episcopum denunciata. Sed, ut bene Bonac., particula illa *Eamque*, utpote copulativa, requirit utramque simul actionem, & particula illa *Violenter* denotat effractionem muri, fenestræ, valvarum, ferarum, &c. & particula illa *Ecclesiam* denotat Ecclesiam cum Sacristia, non tamen Oratorium privatum, neque Arcam, in qua res Ecclesiæ alibi detinentur. Hinc non incurris hanc excommunicationem, si effringas, sed non fureris; vel si fureris, sed non effringas; vel si falsis clavibus aperias, & fureris, vel si effringas Oratorium privatum, aut Arcam, & rem Sacram fureris: v. Bonac. *de Censur. in particulari*.

Quæres secundo, An furtum aliquando sit licitum?

Respondeo negative, Quia furari est auferre rem invito rationabiliter domino, adeoque est contra jus, & justiam, quod est intrinsece malum, & consequenter nunquam licitum: Doctores communiter cum D. Th. 2. 2. q. 65. n. 5. Neque obstat, quod licitum fuit Hebræis surripere vasa ab Ægyptiis invitis, *Exodi* 11.; Nam illud non fuit furtum; quamvis enim ablata fuerint vasa invitis Ægyptiis Dominis, non tamen invito Deo omnium rerum domino, qui proinde concedens facultatem Hebræis abstulit ab eorum actione rationem furti, & ab Ægyptiis rationem dominii. Licitum tamen est in extrema, vel quasi extrema necessitate tua, vel proximi, surripere tibi, vel illi necessaria a Domino etiam invito. Sed hoc nullatenus est furtum, quia dominus tunc non est dominus, cum res ejus jure naturæ evadat communis tecum, juxta dicta d. 1. q. 8. c. 1. Addunt Con. Less. c. 12. n. 69. & alii apud Croix n. 950., quod in tali necessitate potes etiam occidere illum, qui impediret, ne surriperes rem tibi extreme necessariam: sicuti occidere potes eum, qui per vim auferret bona magni momenti tibi necessaria.

At, si dominus sit in pari tecum necessitate extrema, non potes ab eo surripere, quia in pari causa melior est conditio possidentis: Less. n. 70. & alii communiter, addentes tamen, posse retinere, si antea acceperas, quia sic tu possides. Item, si extreme indigens posses habere necessaria petendo ab aliis, fur es, si ab hoc surripias, quia sic non es extrema indigens; si autem posses habere petendo ab hoc, peccas tantum venialiter surripiendo, quia sic est rationabiliter invitus quoad modum: Croix *de Furto* n. 952. Item, si extreme indigens, surripias plusquam est necessarium, es fur quoad excessum; si autem prævidens, tuam extremam necessitatem indigere re valde pretiosa, puta 3000. aureis, probabile est etiam, posse surripere, quamvis ob probabilitatem etiam oppositi dominus non teneretur ex charitate dare: Croix n. 953. contra Lug. & alios. Denique, si sis juste damnatus, ut fame pereas, probabile est, te non posse surripere necessaria ad vitam conservandam, quia, cum non tenearis tunc eam conservare, amisisti jus ad surripiendum: Croix n. 954. contra Lug., & alios. In gravi vero necessitate, quamvis dominus ex charitate teneatur dare, non potes unquam licite surripere; quia, cum gravis necessitas non sit malum morti æquivalens, bona non fiunt communia, ideoque dominus est rationabiliter invitus, juxta dicta loc. cit. Hinc damnata est ab Inn. XI. citat. Prop. 36. *Permissum est furari, non tantum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*. Ubi ly *furari* idem sonat, ac surripere; hoc enim permissum est in extrema necessitate, illud vero nunquam: Croix n. 959. Cæterum in gravi necessitate permissum est non restituere, juxta dicta q. 8. c. 1.; in communi autem necessitate neutrum permittitur, ex ibidem dictis.

§. II.

De Quantitate rei requisita ad Furtum mortale.

QUAMVIS furtum sit peccatum minimum omnium mortalium contra proximum, cum bona fortunæ sint omnium bonorum infima; tamen est ex genere suo mortale, utpote contra justitiam, nisi ratione parvitatis materiæ reddatur per accidens veniale. Sed difficultas apud Doctores est decidendo, quænam quantitas materiæ requiratur, ut furtum sit mortale? Loquimur autem hic de re unico furto sublata, & quidem a persona externa; nam de furtulis minoris, & de furtis domesticorum dicemus infra.

Itaque pro statuenda quantitate requisita ad furtum mortale, noto primo, Eam debere esse gravem, seu notabilem, ex qua scilicet ablata dominus rationabiliter esse possit graviter invitus, ac dissolvere amicitiam, & pacem. Noto secundo, Hanc quantitatem esse posse duplicem: Prima enim dicitur notabilis absolute, & respectu omnium, itaut cuicumque ea surripiatur, sit mortale; & hanc aliqui cum Tol. Mol., & Less. statuunt, esse duorum regalium, seu juliorum; alii cum Nav. medii regalis; alii cum Sot. duorum aureorum; quæ sententiæ, nisi intelligantur respective, vel nimis laxæ sunt, vel nimis scrupulosæ: Secunda ergo dicitur quantitas

notabilis respective; alia scilicet pro aliis juxta conditiones personarum diversas, itaut, quæ sufficit pro paupere, non sufficiat pro divite, &c. qua in re quinque personarum conditiones statui possunt, nempe Pauperum, qui mendicando vivunt, Operariorum, qui vivunt labore, Mediocrium, seu communiter Divitum, qui suis redditibus, valde Divitum, qui splendide alunt familiam, & Ditissimorum Principum, qui splendore magno alunt quamplurimos.

Dico: Quantitas notabilis, ac sufficiens ad furtum mortale respectu pauperis probabiliter est unus carolenus; respectu operarii, duo caroleni; respectu personæ communis, quinque caroleni; respectu valde divitis, decem; respectu ditissimi Principis, probabiliter viginti, & secundum Laym. triginta, quæ proinde erit quantitas absolute gravis respectu omnium: Bon., Tamb., Croix *de Furto* n. 987., & alii. Ratio est, quia dictæ quantitates consideratæ cum respectu ad diversas conditiones dictarum personarum, censeri prudenter possunt inferre dominis respective grave detrimentum, atque adeo eos reddere respective rationabiliter graviter invitos, itaut merito dissolvere possent amicitiam, & pacem: ergo sunt respective notabiles, & sufficientes ad furtum mortale. Neque dicas, jus, & æstimabilitatem rei pendere a re, ut est in se, & non a circumstantiis personarum; nam pendet etiam partialiter ab his, juxta necessitatem, ac utilitatem, ad quam tali, vel tali personæ res deservit: v. Croix num. 988. Hinc, quia unus carolenus respectu pauperis, duo respectu operarii, quinque respectu communiter divitis, notabiliter nocent in iis, quæ pertinent ad victum diurnum respective, merito censentur respectu illorum materia notabilis. Similiter, quamvis unus aureus respectu valde divitis, duo, vel tres respectu ditissimi Principis non videantur notabiliter nocere in iis, quæ pertinent ad proprium victum, tamen censentur notabiliter nocere in iis, quæ inserviunt ad alendam familiam, & ad alia onera, &c., quibus etiam indigent divites, & ditissimi: Bonac., & alii.

Quæres primo, An dictæ quantitates sufficientes respective ad furtum mortale consistant in tanto determinate, seu in indivisibili?

Respondeo, Duas esse sententias. Prima cum Haunol., Card. & aliis affirmat, itaut, si minimum desit a quantitate statuta, non sit peccatum mortale furti. Secunda communior, & probabilior cum Bon., Less., Croix n. 1001., & aliis negat, docens, accipiendas eas quantitates circiter, & moraliter, & consequenter cum quadam proportione quasi geometrica judicio viri prudentis: itaut censeatur moraliter carolenus, etiamsi desit unus obolus; duo caroleni, etiamsi desint tres oboli: quinque caroleni, etiamsi desint quatuor oboli; unus ducatus, etiamsi desint sex oboli, &c. Et ratio ex Less. c. 12. n. 32. est, quia, quæ parum distant, nihil distare videntur: v. Croix loc. cit.

Quæres secundo, An sit mortale in ratione furti, si rem minimam, puta acum, surripias Sartori, qui ea amissa non habeat, unde se substentet?

Respondeo, Esse quidem mortale, non tamen in specie furti, cum non sit ablatio quantitatis notabilis, sed in ratione damnificationis inde secutæ: Bonac., Tamb., Trull., & alii. Hinc non incurris excommunicationem, si forte lata sit contra furantes, quia non est furtum grave; bene tamen, si lata sit contra damnificantes, juxta dicenda in de Censur. Similiter, si auferas alicui rem minimam, quam tamen ille maximi faciat, ideoque blasphemet, &c., erit mortale, non specie furti, sed scandali. Similiter, si cum animo furandi rem notabilem fureris minimam, peccas graviter, non ratione furti, sed intentionis: idemque est, si habeas animum furandi nihil cogitans de notabili, vel parva quantitate, quia saltem implicite vis notabilem: Cajet. apud Trul. Denique, si minimam fureris, sed cum notabili violentia, erit mortale, non ratione furti, sed violentiæ personalis, seu rapinæ.

Quæres tertio, An dictæ quantitates sufficiant etiam ad furtum mortale, si res ablata pertinebat ad plures?

Respondeo negative, Quia, quo plures sunt domini, eo damnum divisum in plures est minus, & eo minus, cæteris paribus, sunt inviti: Rebell., Sanch. l. 7. *Decal.* c. 21. n. 17. Ideoque, si furtum fiat iis, qui unam communitatem efficiunt, sufficere inquiunt unum aureum; imo probabile est, inquit Croix n. 1012., quod, si communitas sit magna, & dives, possit quandoque extendi ulterius, dummodo non ultra duos ducatos; quamvis Moya apud eundem dicat, furtum circa bona publica non esse mortale, nisi attingat 40. solidos, seu julios; eo quod minor quantitas non videatur opponi bono communi, & rectæ gubernationi Reipublicæ: Croix ibid., ubi ait cum Esparsa, probabiliter vix peccari mortaliter, si singuli, a quibus furaris modica, non constituant unam communitatem, & tu non intenderis conflare unam summam: quia sic nullum grave damnum sentitur; nec singuli, aut illi omnes, qui ad invicem non communicant, videntur posse esse graviter inviti; sed in hoc probabilius contradicunt Less., Tamb., Busemb., & alii, ob periculum scilicet, quod imminet, ut sic multi fures inveniantur; quod esse grave Reipublicæ malum per se patet: Bonac. tamen citans Less. excusat a mortali pauperem, qui tempore messis accumulat sibi quantitatem notabilem tritici auferendo modicum quid singulis, eo quod domini non censeantur inviti, supposita illius paupertate: v. Tamb. §. 2. n. 2.

Quæres quarto, Quomodo determinanda sit quantitas notabilis in furto sacrilego?

Respondeo, Si materia furti sacrilegi sit res, quæ pretio æstimari possit, ut calix, &c., gravitatem determinandam esse proportionaliter ad rem profanam, attento ejus valore secundum æstimationem communem. Si vero res sit adæquate sacra, ut Reliquiæ Sanctorum, &c., aliqui putant, non dari parvitatem materiæ, sed semper esse mortale, quodcumque parvum quis furetur; nam Clem. VIII., & Paul. V., & Urb. VIII. excommunicant ipso facto extrahentes sine licentia in districto Romano minimas etiam Reliquias: sed Sanch., Bon., Pal., & alii cum Dian. p. 5. t. 5. r. 35. pro aliis locis docent, dari parvitatem materiæ; ut si quis e corpore alicujus Sancti furaretur capillum, aliquid pulveris, aut aliud quid, quod nec deformet ipsam reliquiam, nec ipsius æstimationem minuat; secus, si sit perrarum, aut maxime dignum, ut capillos Beatæ Virginis, minima pars S. Crucis, &c.: v. Croix n. 1003.

§. III.

De Furtis minutis.

CERTUM est, peccare mortaliter illum, qui primum furtulum committit cum animo ulterius furandi, ac perveniendi per alia furtula ad summam notabilem, quamvis obligatio restituendi sit semper sub levi, quousque ad eam summam non sit perventum; & ratio est; quia sola intentio fuit graviter peccaminosa, damnum autem illatum ante eam summam est leve; unde etiam fit, ut sit idem numero mortale continuatum, si eadem intentione perseverante (secus vero, si fuerit moraliter interrupta) committatur furtulum secundum, &c. Si autem furtula fiant absque tali animo, sed veluti casu, & ex occasione, quæ per accidens se offert, peccatur singulis vicibus tantum venialiter, quousque ad summam notabilem non sit perventum: Doctores communiter cum Less. c. 12. n. 40.

Certum est secundo, Ad hanc summam notabilem conflatam ex pluribus furtulis requiri majorem quantitatem ea, quæ requiritur ad grave furtum una vice factum; quia in hoc dominus rationabiliter est magis invitus, majusque detrimentum sentit, quam in illis, in quibus res aufertur per partes: Tamb. *de Furt.* c. 3. n. 4., ideoque aliqui apud illum requirunt dimidio majorem: quod non videtur improbabile; si intervallum temporis inter furtula sit plurium dierum, & maxime si furtula facta non sint ex intentione, sed casu, & ex occasione: si autem inter furtula parum temporis intercedat, minor quantitas sufficit; & consequenter, si tempus sit adeo parvum, ut moraliter censeatur successive auferri, sufficit aliquando quantitas, quæ simul sublata sufficeret; quia sic censetur fieri eodem moraliter tempore: Croix n. 1011., id statuens, si unus, vel alter dies inter furtula intercedat. E contra vero, si intervallum temporis inter furtula sit magnum (puta unius anni secundum Sanch. l. 7. *Decal.* c. 21. n. 10., vel unius mensis, aut etiam dimidii secundum Dian. p. 1. t. 6. r. 34. ex Filiuc.) nunquam censentur illa, moraliter loquendo, conjungi ad conflandam unam summam, & consequenter nunquam pervenitur ad peccatum mortale furti; ideoque neque ad obligationem restituendi sub gravi.

Certum est tertio, Quantitatem adhuc majorem requiri, si dicta furtula non eidem, sed pluribus dominis fiant; ut nuper præmonuimus §. superiori quæsito 3.

Quæres primo, An peccet mortaliter, qui post multa furtula furatur ultimum, quo completur dicta notabilis summa?

Respondeo, Si tunc non advertit ad priora furtula, non peccare mortaliter, quia sic neque intentio, neque

actio

actio externa est mortalis: Doctores communiter: idemque probabiliter est, si advertens quidem in ultimo furtulo ad dictam summam consumpseris tamen, quæ prius surripueras, nec habeas, unde ea solvas: Granad. apud Dian. p. 3. t. 4. r. 25., vel habeas animum restituendi, eum primum commode poteris; quia sic nec accipis, nec habes animum retinendi summam notabilem: Less. num. 42. Si autem, & advertat ad priora furtula, & habeat animum restituendi summam conflatam ultimo furtulo, certum est, peccare mortaliter ratione detentionis injustæ in materia gravi: negant tamen Nav., Veg., Less., & alii peccare mortaliter in ratione furti, quia ultimum furtulum de se est leve, nec dicit ordinem ad illam pravam intentionem; sed communius affirmant Sot., Mol., Sanch., Lug., Tamb., & alii; quia ultimum furtulum, ut unitum cum voluntaria detentione præcedentium, culpabiliter affers damnum notabile: unde etiam infertur contra Sal., Mol., & alios, quod, si post semel completam quantitatem notabilem advertenter adhuc fureris modicum, erit novum mortale in ratione furti, & quidem toties quoties, si illa furtula fiant intentione moraliter interrupta; si autem moraliter continuata, erit unum mortale jam ceptum: Sanch. ex Less. num. 36.

Quæres secundo, An, qui per multa modica pervenit jam ad notabilem summam, teneatur sub gravi restituere.

Respondeo affirmative; quia jam incipit detinere alienum in quantitate notabili: hine ab Inn. XI. damnata est hæc Propos. 38 *non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit summa totalis*. Hine teneris sub gravi restituere non solum, si furtula facta sint in eodem genere negotii, vel animo ditescendi; verum etiam, si in diversis negotiis, nec animo ditescendi, vel si ea consumpseris, nec inde factus sis ditior: Doctores communius apud Croix n. 5000. contra Ovied., Reb., Tann., Bonac., Dian., & alios; & ratio est, quia semper militat ratio damni notabilis. Addit tamen Lug. d. 16. n. 41. cum aliis, quod, si restituas tantum id, quod ultimo complevit quantitatem notabilem, probabiliter non obligaris amplius sub gravi, sed tantum sub levi, ad restituendum reliquum, utpote quid leve.

Quæres tertio, An graviter peccent multi furantes singuli modicum eidem domino?

Respondeo, Si id faciant communi consilio, vel comitatu; itaut unus alium excitaverit, aut animaverit, &c.; singulos peccare graviter, ac teneri in solidum ad totam summam notabilem ex illis modicis conflatam, etsi modicum quisque pro se acceperit; quia sic singuli in reliquos influunt, juxta dicta d. t. q. 5. Si autem singuli seorsim suum modicum furati sunt, nullus peccavit mortaliter, quia non cooperatus est furtis aliorum: Doctores communiter. Quod probabiliter verum est: Primo, etiamsi unus motus sit exemplo alterius, quia movere tantum suo exemplo est tantum contra charitatem ratione scandali, juxta dicta d. t. q. 5. c. 2. Verum etiam probabiliter est secundo, etiamsi quisque advertat, quod per aliorum furtula simul cum suo causetur damnum grave domino; quia talis sola advertentia non efficit, ut quis eorum esset causa physica, aut moralis damni ab aliis causati; aliter, qui alicui diviti auferret modicum, credere deberet, se peccare mortaliter, cum moraliter certus sit, alios eidem fecisse multas similes injurias: Sanch., Sal., Less., Tann., Ovied., Lug., & alii contra Suar., Vasq., Reb., Filliuc., & alios multo apud Croix n. 1010.

Hinc, si plures seorsim absque mutuo consensu, animatione, &c. ingredientes vineam Titii, singuli racemum surripiant, nemo peccat mortaliter, etiamsi sic tota vinea devastetur, & etiam quisque sciat, alios similiter furatos esse; aliter enim, si post direptam vineam ab aliis unicam uvam furaretur, peccaret graviter, & quidem longe gravius reliquis, quod nemo dixit. Neque obstat, quod peccet graviter, qui homini vulneribus aliorum læso addat vulnus leve, ex quo tamen cum reliquis moritur; vel qui homini jam fere ebrio dat parvum poculum, quo plene inebrietur. Nam ultimum vulnus, aut poculum, etsi per se leve, tamen est causa novi effectus gravis, scilicet mortis, vel ebrietatis, qui effectus consistit in indivisibili, nec erat positus a prioribus; at furtulum ultimum in casu nostro auget tantum damnum illatum, nec est causa novi effectus: v. Croix ibid. Cæterum, qui seorsim per modica notabile damnum intulerunt, quamvis venialiter tantum peccaverint, & sub levi tantum teneatur ad restitutionem, tamen possunt obligari sub gravi, ut, si non restituat unusquisque modicum, quod accepit, incurrat excommunicationem, quia potest quisque sub mortali cogi ad id, ad quod alias non tenebatur, cum ad hoc sufficiat justa causa præcipiendi, etiamsi talis causa ex se, & absque præcepto Ecclesiastico non sufficeret ad obligandum sub gravi: Less. n. 52. Bon. Villal. & alii communiter contra Tamb.

§. IV.

De Furtis domesticorum.

DOMESTICI sunt uxor, filii, propinqui in eadem familia inhabitantes, & famuli. Porro certum est, plus requiri ad furtum mortale famuli, quam extranei; plus ad furtum propinqui inhabitantis, quam famuli; plus ad furtum filii, quam propinqui; plus demum ad furtum uxoris, quam filii; quia minus solet esse invitus dominus, si aliquid ab eo auferat famulus, quam si extraneus; minus etiam si propinquus, quam si famulus; minus si filius, quam si propinquus; & minus si uxor, quam si filius: ubi autem dominus est minus invitus, ibi major requiritur quantitas ad furtum mortale. His suppositis

Quæres primo, Quandonam famuli surripientes hero committant furtum mortale?

Respondeo, Regulariter excusari a mortali, si hero surripiant, ut ipsimet consumant, esculenta, & poculenta ordinaria, quæ non solent ab eo accurate concludi; idque verum est, etiamsi successive, ac minutatim surripiendo pervenerint ad quamcumque quantitatem. Ratio est, quia heri non solent esse omnino inviti de substantia talis acceptionis, sed tantum de modo accipiendi; cujus signum est; quod, si rogarentur, concederent: Nav., Busemb., & alii. At, si hæc surripiant, ut vendant, vel ut expendant in compotationes, ludos, meretricia, &c., sunt veri fures; quia sic herus nullo modo ea concessisset: Cajet., Nav., Fill., & alii.

In aliis heri rebus, si aliquid accipiant ultra salarium jam pactum, peccant, ut constat ex Prop. 37. damnata ab Inn. XI., quam exposuimus d. 1. q. 6. c. 3. Sed, ut hoc furtum sit mortale, major ex dictis requiritur quantitas, quam si furentur extranei. Quanta autem requiratur, remittendum est judicio prudentis Confessarii, qui considerare debet heri divitias, liberalitatem, & amorem in famulum: item hujus utilitatem, servitutem, & officia exhibita, &c. sic enim major, & major requiritur quantitas, ut præsumatur herus rationabiliter graviter invitus: v. Tamb. *de Furt.* c. 3. §. 3. Addit tamen idem Tamb., heros tacite videri consentire in furtulis famulorum alioqui non valde gravibus; quia sciunt, hæc ab ipsis committi, & tamen eos conducunt, quamvis id viro prudenti decidendum in praxi committat. Addit Croix n. 1038. ex D. Th., & aliis, posse famulos e rebus heri aliquid erogare, si sit modicum, nec admodum frequenter; vel, si ille non sit rationabiliter invitus, nisi si res alioqui male periret. Denique, si famuli furantes non possint sine magna difficultate restituere, jubeantur compensare officiis, & obsequiis extraordinariis, quantum possunt: Laym., Bus., & alii.

Quæres secundo, Quandonam filii surripientes patri committant furtum mortale?

Respondeo filios, quamvis juste possint disponere ex castrensibus, vel quasi castrensibus invito etiam Patre, tamen esse reos furti, si eo invito disponant de adventitiis, vel profectitiis, quorum pater est saltem administrator, vel de aliis patris rebus: Doctores communiter. Pro determinanda autem quantitate requisita ad furtum mortale filii (quæ certe major esse debet furto mortali famuli) considerandum est, an pater sit dives, an pauper, an habeat paucos, an multos filios, an sit bene, an male effectus in furamem, & an is sit ei utilis, an inutilis, an surripiat simul, an successive, an ad proprios usus, an ad dandum extraneis, &c. Ex his enim judicari debet, quod pater præsumatur rationabiliter graviter invitus quoad substantiam: Lug. d. 16. num. 64.

Hinc Cenedo apud Croix n. 1032. absolute ait, non fore mortale, si filius furetur a patre octo, vel novem carolenos bis in anno. Less. ait, duos, vel tres aureos non sufficere respectu patris valde divitis; ideoque Sanch. extendit etiam ad quinque, vel sex: sufficere vero respectu patris mechanici. Salas ait, quod, si filius sit unicus, & pater habet 5500. ducatos annuos, requiruntur 20. vel 30. in annum; quod etiam admittit Lug. si filius sit adolescens, pater non senex, & expendantur in usus non turpes. Denique Bann. ait, respectu patris valde

divitis requiri 50. aureos, sed hoc admittit Lug. tantum in filio ditissimi Principis: ex quibus sententiis patet, non posse generalem regulam constitui, sed prudentiæ Confessarii remittendum, consideratis dictis circumstantiis.

Ceterum multum præsumi potest de voluntate patris erga filium, præsertim, si sit liberalis, & bene affectus in illum. Quare is non tenetur furti, si ei surripiat, quidquid prudenter præsumit, non negaturum, si peteret; quia sic, etsi peccet venialiter rationi modi, nunquam tamen mortaliter quoad substantiam, nisi vero surripiat ad ludos vetitos, ad commessationes, vel luxus, ad quos nullo modo pater concessisset: Less. c. 12. n. 30. Similiter, si pater filio in studiis profecto mittat v. g. annuatim 100. aureos, Nav., Laym., Sot., & alii dicunt, contentum esse, ut quinque insumat in honestas recreationes more aliorum similis conditionis. An autem filio in domo paterna laboranti debeatur salarium, & an hoc possit talis filius sibi occulte compensare, si negetur, vel si petere erubescat, videtur satis probabile, quod possit, juxta dicta de Contract. d. 1. c. 5. Demum filius, qui plus justo furatus est patri, ut obligetur ad restitutionem, determinandum est ex præsumpta patris voluntate, attentis ejus facultatibus, liberalitate, & amore in filium, ex quibus, si credatur condonaturus pater, non est obligandus filius: secus vero contra; tunc enim restituendum est patri ex castrensibus, vel quasi castrensibus, vel compensandum aliis obsequiis, laboribus, & officiis, & eo defuncto, compensandum est fratribus: nisi vero hi scientes non petant; sic enim censentur condonare: v. Croix n. 1033.

Quæres tertio, Quandonam uxor surripiens marito committat furtum mortale?

Respondeo, quando in notabili quantitate surripiat ex bonis communibus, quorum maritus est dominus, vel saltem administrator (qualia tamen non sunt bona paraphernalia, quæ scilicet uxor attulit extra dotem, vel acquirit sui laboribus non debitis familiæ, vel ei aliunde obveniunt sine mariti opera, vel ab hoc ei dantur, tum quoad jus, tum quoad usum) DD. communiter. Cæterum potest uxor, etiam inscio, vel invito marito, expendere ex bonis communibus ea, quæ sunt necessaria pro victu, vestitu, cultu suo, & familiæ: item pro eleemosynis, remunerationibus, & donationibus, juxta statum aliarum suæ conditionis mulierum: atque hæc omnia facere potest, etiamsi habeat paraphernalia, quibus parcit: & ratio est, quia non tenetur hæc expendere in dictos suos, & maritus non potest esse rationabiliter invitus, cum teneatur eam sinere, ut ex bonis communibus vivat juxta statum suum: Mol., Less., Bonac., & alii apud Croix n. 1021. Quantum autem in hæc expendere possit uxor, remittendum est judicio prudentis Confessarii, qui considerare debet viri divitias liberalitatem, familiam, & amorem ejus in uxorem. Quod vero dicunt Bann., Ledesm., Veg., Carden., & alii cum Dian. p. 2. tit. 15. r. 14. posse uxorem divitis expendere singulis annis vigesimam partem redditaum annuorum in eleemosynas, largitiones, &c. universaliter improbat Lug. d. 16. n. 64., ideoque ad aliquando minorem summam restringit Temb., ad duos scilicet aureos quotannis ex aureis 100. annuis: ad quatuor ex 200., &c., quia pro tali summa vir non est rationabiliter invitus. Si plus ergo uxor expenderit, viro invito, tenetur furti: uti etiam, si dictam summam non expendat, sed sibi congregat; quia tantum expendere potest ad decentiam status. Imo nec potest eam totam dare suis consanguineis indigentibus, quia decentia status fert, ut det etiam aliis, & consequenter, si totam aliis dedit, tunc suis det ex paraphernalibus: quod, si nec iste habeat, dare quidem potest adhuc ex communibus, sed cum obligatione, ut post matrimonium restituat ex sua dote hæredibus mariti: Lug. d. 16. n. 72. Tamb., & alii cum Croix n. 1105.

Quæres quarto, Quid sit dicendum de furtis Religiosorum?

Respondeo, Si Religiosus furetur ab extraneis, se habere, ut cæteros fures dictos §. 1. Si furetur ex bonis sui Conventus, Rebell., Ledes., Fagun., & Caram. apud Tamb. *de Furto* c. 4. putant, comparandum filio patris mediocriter divitis. Sed. Suar. Sanch., & alii communiter apud eundem docent, eandem quantitatem sufficere ad furtum mortale, ac si furaretur ab extraneo; quia Superior esse debet rationabiliter invitus, non solum quoad substantiam rei ablatæ, sed etiam quoad disciplinam, & perfectionem Religionis, secundum quem finem regulari debet licentia sive expressa, sive tacita, sive interpretativa, ac præsumpta: si tamen Religiosus surripiat parva comestibilia, ut ipsemet consumat, non peccat graviter; etsi ab initio esset animus illa prosequendi, & etiamsi ex his modicis ad quamcumque summam pervenerit; quia nunquam coalescunt: secus vero, si ea surripiat ad dandum, vel vendendum; quia ibi, non hic, habetur voluntas Superioris præsumpta: v. Pelliz. t. 4. c. 2. n. 257.

CAPUT II.

De Restitutione ex rebus Ecclesiasticis, vel Sacris:

AGENDUM specialiter est de restitutione: Primo, Fructuum Beneficii: Secundo, Distributionum Chori: Tertio, Stipendiorum Missæ: Quarto, Rerum Ecclesiasticarum, vel Sacrarum indebite, vel simoniace alienatarum.

§. I.

De Restitutione fructuum Beneficii Ecclesiastici.

SUPPONO primo, Onera beneficiati esse tria, nimirum: Recitare quotidie Horas Canonicas, Residere in loco beneficii, & Gestare habitum cum tonsura Clericali. Suppono Secundo, Fructus beneficii, alios esse necessarios congruæ substentationi beneficiati, alios esse huic substentationi superfluos. His suppositis.

Dico primo: Beneficiatus culpabiliter omittens recitare Horas Canonicas post primos sex menses, tenetur in conscientia restituere fructus beneficii tali omissioni correspondentes: Doctores communissime. Ratio est, quia in primis sex mensibus a pacifica possessione beneficii peccat quidem mortaliter, si vel uno die omittat recitare Horas, ut definitum est in Concil. Later. *sess.* 9., tamen ex Bul. Pii V. ann. 1571. non tenetur restituere fructus illi tempori respondentes: tenetur vero restituere reliquos fructus, si postea recitare omittat. Itaque, si tunc omittat uno die recitare omnes Horas, tenetur restituere omnes fructus illi diei correspondentes, pro illo tamen onere Horarum, ut probabiliter explicant Doctores, non autem pro aliis oneribus, quæ illo die implentur: quare Episcopus v. g. habens præter Horas alia etiam onera Episcopatus, si uno die omittat Horas, probabile est, debere solum restituere partem quintam fructuum correspondentium diei, quo non recitavit; & Curatus habens pauciora onera, solum debet quartam partem, alii tertiam, alii majorem, alii denique totam, si nullum aliud habeant onus. Vide, quæ fusius hac in re dicta sunt tr. 2. d. 1. q. 2. c. 1. §. 3.

At quid, si feceris eleemosynas, nihil cogitans de tali obligatione restituendi? Dico primo, Si eas feceris ante omissionem Horarum, nullatenus extingui hanc obligationem, ut constat ex Prop. 33. damnata ab Alex. VII. *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit.* Dico secundo, Si eleemosynas feceris post omissionem Horarum, sed nihil cogitans de obligatione restituendi, probabile esse, quod eis satisfeceris, ratione voluntatis interpretativæ, juxta dicta d. 1. q. 7. c. 3. Addit Gob., hanc obligationem posse compensari, si dentur Missæ pro defunctis, quia etiam sunt pauperes. Addit Quintanad., compensari etiam posse per Officium, aut alias preces similiter solitas recitari, imo etiam tuis suffragiis, audiendo plures Missas, jejunando &c. sed hæc opinio solum servire potest, quando Beneficiarius non facile possit restituere. Addit demum idem auctor, suppleri etiam posse, si sequenti die bis recites Horas; sed non bene, quia ratione omissionis non fecisti jam fructus tuos, nec lex tibi concedit, ut facias tuos recitando bis die sequenti. Denique quoad hanc restitutionem fieri potest compositio cum Episcopo. At, si omittet Horas inculpabiliter, non tenetur fructus Beneficii restituere; quia Ecclesia solum supposita culpa vult, veluti in pœnam, eum non facere fructus suos: DD. communiter. Hinc non tenetur restituere, si Horas omisit ex oblivione invincibili, aut ex impedimentis, quæ recensuimus §. supra cit., quem sic consulas ad hujus doctrinæ complementum.

Quæres primo, An Beneficiatus, qui non possidet pacifice beneficium, vel possidet beneficium tenue, peccet omittendo Horas, & teneatur ad restitutionem?

Respondeo negative; Nam requiritur primo pacifica possessio, hoc est impositio sedis, seu pedis cum titulo, per

quem

quem habeatur quies in beneficio: si ergo post collationem beneficii, sed ante possessionem lis tibi moveatur super illo, non peccas omittendo Horas, nec teneris postea restituere, nisi per te stet, quin possessionem habeas, vel litem dirimas: Doctores cummuuiter contra Nav. & alios: at, si lis moveatur post possessionem, tunc distinguendum; vel enim pergis administrare illud, & certo moraliter speras fructus pro Horis tibi applicandos, & teneris, quia spes certa æquivalet possessioni pacificæ; vel sequestrautur omnes fructus, & dubitas de successu litis, & probabiliter non teneris; quia nemo tenetur ad opus certum ob stipendium intertum: Tamb. & alii.

Requiritur secundo, Ut beneficium non sit tenue. Dicitur autem tenue, si ejus froctus non proxime accedant ad tertiam partem moderatæ substentationis Clerici vulgaris: v. g. si, deductis aliis oneribus, non fructificet pene 12. aureos, ubi patrimonium esser solet 36. aureorum, quamvis aliqui apud Pal. extendant ad 40. aureos: Et ratio est; quia, quamvis hæc tenuitas non omnino excuset ab Horis, cum omne beneficium sit propter officium, tamen probabiliter solum obligat ad eas aliquoties in anno recitandas, puta in Dominicis, & Festis: quare, si in aliis diebus omittas Horas, probabiliter non peccas, nec teneris ad restitutionem: si vero omittas diebus Dominicis, & Festis, probabilius peccas, & teneris restituere: Les. c. 34. n. 169. nisi forte habeas alia onera ex eo beneficiu, in quæ impendere deberes illam eriam tertiam partem, si per alium exequi velles.

At quid, si priveris fructibus beneficii congrui jam possessi? Tunc distinguendum: si enim priveris injuste, & sine certa spe recuperandi, probabiliter non teneris recitare: teneris vero, si priveris juste, vel cum spe recuperandi, aut percipiendi postea fructus sufficientes; quia spes sequentium annorum est pretio æstimabilis, & cum titulo & possessione sufficit; ut hic & nunc obligeris: Croix l. 4. a n. 1193. Similiter teneris, si ratione juventutis, aut alterius causæ voluntariæ debeas cedere omnes fructus alicui deservienti pro te; quia, quod non percipis fructus, non est defectus beneficii, sed tui ipsius: Croix n. 1194. Si autem fundatio beneficii dicat, posse præsentari ad beneficium etiam Clericum septem annorum, itaut ante annum duodecimum non teneatur, potest ab Episcopo institui, nec tenetur recitare ante 12. annum: Croix n. 1198.

Quæ hactenus dicta sunt de Beneficiato quoad Horas Canonicas, & restitutionem, dic pariter de habente pensionem Clericalem, qui ex Bull. cit. Pii V. tenetur ad Officium B. M. V. si nolit recitare Horas Canonicas, & ad eas aliunde non teneatur: si autem efficiatur miles Ordinis militaris, sufficit, si Orationes Dominicas, & Angelicas a Religione præscriptas recitet: v. Pal. t. 7. d. 2. p. 1. §. 2. n. 6.

Dico secundo: Beneficiatus obligatus ad residentiam, si culpabiliter non residear, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem fructuum tali residentiæ correspondentium: Doctores communissime. Ratio est, quia ita præcipitur a Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de Reform.* omnibus, & singulis habentibus Beneficium Curatum, sive Episcopale, sive Parochiale; cum enim hi sint Pastores animarum, obligationem contrahunt cum Christo de curandis ejus ovibus modo magis consentaneo, qui est, ut ipsimet personaliter assistant, & non committant aliis: quod valet, etiamsi paucæ sint oves, & etiamsi habeant œconomos prudentes: ergo peccant mortaliter, si absque justa causa, & licentia, non resideant ultra tempus concessum, nec faciant suos fructus beneficii, respondentes oneri residentiæ pro rata temporis peccaminosæ absentiæ, & incurrunt etiam pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & alias ex Bull. Urb. VIII. *Sancta Synodus*. Hæc restitutio fieri debet etiam in conscientia, & ante sententiam Judicis, quia Trid. dicit, eos non facere fructus suos, & fieri debet *Vel fabricæ Ecclesiæ, vel Pauperibus loci*, ex Trid. cit. adeoque non agris, vel domibus beneficii, nec pauperibus exteris: Suar. & alii communiter contra Sylv. Ab. & Azor. qui videntur requirere sententiam Judicis. Idem probabilius dicendum: si resideas tantum materialiter, seu corporaliter, non autem formaliter, seu sine exercitio officii, quia Canones Ecclesiam habentem Episcopum inutilem, viduam vocant: Doctores communius contra Garz. & Ledesm.

Dixi in conclusione, *Si culpabiliter non resident*; nam Episcopi licite abesse possunt a suis Ecclesiis: I. Si adsit justa causa. Causæ autem legitimæ absentiæ ex Trid. loc. citat. *de Reform.* sunt *Christiana Charitas, Urgens Necessitas, Debita Obedientia, Evidens Ecclesiæ, vel Rei-*

publicæ utilitas; decernit tamen idem Concil. has legitimæ absentiæ causas a Rom. Pont. aut a Metrop. vel, eo absente a suffraganeo Episcopo antiquiori esse approbandas.

II. Si per breve tempus absit, quia, ut ait idem Conc. ibid. *Qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse.* Verum declarat S. Synodus, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, non debere excedere duos, aut ad summum tres menses, & habendam esse rationem, ut id sine gregis detrimento, & æqua ex causa fiat; quod, an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit. Ex quo infertur, quod, licet ad hanc absentiam a Concilio permissam non sint necessariæ causæ superius numeratæ, requiritur tamen justa aliqua causa, quæ secundum Garz. & alios sufficit etiam levis, dummodo honesta, puta ad relaxandum animum, ad amicos invisendos, &c. Sed rectius Pal. Vasq. aliique dicunt, hanc non sufficere, nisi forte ad mensem, cum obligatio residendi sit strictissima, nec possit ita facile dissolvi. Præterea Concilium admonet Episcopos, *Ne per illius temporis spatium Dominicis Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis Christi diebus ab Ecclesiis suis Cathedralibus ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos alio vocent.*

III. Episcopi in Curia promoti possunt in Urbe per mensem manere ex indulto Urb. VIII. quod tempus Bened. XIII. concessit Card. Pontificis Vicario, ut causa cognita ad alios 40. dies prorogare posset.

IV. Episcopi statis temporibus ad limina Apostolorum personaliter accedentes, si Ecclesiis citra mare, & citra montes positis præsint, per 4. menses: si vero ultramarinis, & ultramontanis Ecclesiis præsideant, per 7. menses abesse possunt ex indulto ejusd. Urb. VIII.

V. Idem Urb. VIII. Episcopis, qui Provincialibus Conciliis, vel Congregationibus, seu Assembleis, in quibus Ecclesiastici intervenire solent, vel in aliis Reipublicæ officiis, quæ ipsorum Episcopatibus sunt adjuncta, extra Diœcesim occupari debent, licentiam abessendi concessit pro tempore, quo hujusmodi Concilia, &c. duraverint, dummodo iis finitis recto tramite ad suas Ecclesias se conferant.

Verum, ne Episcopi per longum tempus continuum a suis Ecclesiis absint, multa edita sunt decreta ab eod. Urb. VIII. & a Successoribus approbata, videlicet non licere trimestrem absentiam a Trid. concessam conjungere, sive cum eo tempore, quo Episcopi in Curia recens promoti possunt in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum liminum visitationem ipsis conceditur, sive demum cum eo, quo propter aeris insalubritatem permittitur illis extra Diœcesim degere: neque fas esse, absentiæ tempora ita disponere, ut tres ultimi menses unius anni continuentur cum tribus prioribus anni sequentis. Declaratum præterea est, prædictam trium mensium vacationem intra cujusque anni limites coerceri, ut qui uno anno ea usus non fuerit, non ideo possit anno sequenti diutius a sua Ecclesia abesse.

Similiter Parochi licite abesse possunt a sua Parochia per duos menses, causa tamen prius per Episcopum cognita, & approbata. Docuerunt aliqui, posse Parochos inconsulto Episcopo per unam, vel duas hebdomadas abesse; sed Conc. Rom. sub Bened. XIII. statuit, ultra duos dies requiri licentiam Episcopi: ultra bimestre indigent Parochi licentia scripta Episcopi, itaut non sufficiat oretenus, saltem pro foro externo, nec præsumpta pro foro conscientiæ, nisi causa esset evidens, vel periculum in mora: Laym. & alii: insuper S. Congr. apud Merol. d. 7. c. 6. d. 7. declarat, Episcopum non posse uti opera Parochi in visitatione, vel in alio servitio suæ Diœcesis, nisi pro tempore illi permisso duorum mensium; unde etiam infertur, nec posse eum constituere suum Vicarium: Doctores communiter contra Navar.

* Multa alia super Episcoporum residentia saluberrima decrevit Summus Pont. Bened. XIV. quæ supradictis addere non abs re erit ex Constit. data die 7. Septembris 1746. quæ incipit. *Ad universæ.* Et

I. Refert Decreta Conc. Trid. hac super re, & Summorum Pontificum Pii IV. Greg. XIII. Clem. VIII. & Urb. VIII. Constitutiones, necnon resolutiones omnes auctoritate Apostolica editas, eaque omnia innovat, & confirmat, necnon omnia, & singula in iis contenta ab iis, ad quos spectat, in his, quæ huic suæ constitutioni non adversantur, servari jubet in virtute Sanctæ Obedientiæ.

II. Adversus dictarum Constitutionum transgressores pœnas in iisdem Constitutionibus latas confirmat, scilicet amissionis quartæ partis fructuum unius anni ipso

facto ab iis incurrendæ, qui sine legitima causa, & sine expressa Sedis Apostolicæ licentia sex mensibus continuis a sua Diœcesi absuerint, & alterius quartæ partis, si per alios sex menses in absentia perseveraverint, ut in Trid. *sess.* 6. cap. 1. *de Reform.* statutum fuit; incursus quoque in peccati mortalis reatum, & obligationis restituendi fructus in absentia perceptos, eosque erogandi in Ecclesiarum fabricas, vel in subventionem pauperum ipsius loci, ut præscribitur in Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *De Refor.* Similiter innovat pœnam amissionis facultatum testandi, & disponendi, si quæ transgressoribus ejusmodi competat, impositam a Pio IV., & pœnam inhabilitatis ad majores dignitates, & Ecclesias obtinendas indictam a Clem. VIII. quibus addit privationem omnium Indultorum, & Privilegiorum, quæ transgressoribus, tamquam Pontificio solio assistentibus, concessa fuerint, decernitque, transgressorum nomine comprehendi non solum eos, qui præter tres menses a Concilio toleratos sine legitima causa, & expressa Rom. Pont. licentia a sua Diœcesi absunt, sed etiam eos, qui licentiam dolose extorquent, vel, ea rite obtenta, tempus in eadem præfinitum prætergressi fuerint.

III. Mandat, ut Congregationis super Residentia Episcoporum ab Urb. VIII. institutæ exercitium, & sessiones resumantur, præscribitque occasiones, in quibus adunari debeat dicta Congregatio.

IV. Ne indulta commorandi extra Diœcesim sine Pontificis subscriptione prodeant, præcipit, ut conficiantur folia, in quibus describantur nomina Episcoporum, quibus ea conceduntur una cum causis, & tempore, pro quo conceduntur, quæ folia a Rom. Pont. subscripta in tabulario Congregationis asservari jubet.

V. Causas enumerat ab Episcopis afferri solitas ad hujusmodi indulta obtinenda; tum sequentes regulas statuit, quas ab iis, ad quos spectat, servari jubet: Prima, Si quis petierit facultatem abscedendi a Diœcesi ob necessitatem personaliter assistendi liti, quæ alibi agitatur, exprimere debebit locum, in quo lis agitatur, & utrum lis pertineat ad suam Ecclesiam, vel Clerum, an vero ad suam familiam. Et, si quidem pertineat ad familiam, Secretarius Congregationis absque eo, quod adeat Pontificem, vel Cardinalem Præfectum, rescribere debebit, ut Orator utatur ad hunc effectum mensibus conciliaribus, quibus, si usus fuerit, alia ipsi licentia non concedetur. Si vero lis pertineat ad Ecclesiam, vel Clerum, exponere debebit Orator statum, & gravitatem litis, & causas, propter quas necessaria creditur ejus præsentia in loco judicii, & insuper, an mensibus conciliaribus usus fuerit, &, si nondum usus sit, rescribendum erit, ut iis ad hunc effectum utatur: si vero (sine dolo tamen, & fraude) usus fuerit, & ejus instantia videatur legitima, concedatur illi licentia abessendi a Diœcesi non usque ad exitum causæ, sed quamdiu necesse erit ad Advocatos, & Judices de omnibus, quæ ad rem pertinent, instruendos: Secunda, Qui licentiam abessendi petierit ratione infirmitatis contractæ extra Diœcesim, dum vacatione a Trid. concessa utebatur, ob quam regressus ad suam Diœcesim ipsi prohibetur, exprimere debebit qualitatem infirmitatis, & super ea exhibere testimonium Medici juratum, &, ubi ipsi licentia concedatur, ad certum tempus concedi debebit adjecta clausula, *Si tamdiu infirmitas duraverit:* Tertia, Qui hujusmodi licentiam petierit, eo quod opus habeat aeris mutatione ad convalescendum a morbis in sua Diœcesi contractis, exprimere debebit in precibus, quo morbo, & quam graviter laboret; & proferre testimonium Medici, qui juramento testetur, necessariam esse Oratori mutationem aeris: insuper exponere, an usus sit trimestri licentia concessa a Trid.; si enim id nondum fecerit, & dictum tempus non putetur sufficiens, poterunt ipsi concedi quatuor menses, in quibus includantur menses conciliares: si vero sine dolo, & fraude dicta licentia usus fuerit, tantum temporis ipsi concedendum, quantum ad convalescendum vere necessarium judicabitur: Quarta demum, Qui dictam licentiam postulabit, eo quod aliquo anni tempore aer sit insalubris in sua Diœcesi, exponere debebit, quibus anni mensibus perniciosus sit aer, & an eadem Cœli intemperies totam Diœcesim comprehendat, & an mensibus conciliaribus usus fuerit: &, si nondum iis usus sit, facile obtinebit indultum abessendi per quatuor menses (si tamen tamdiu periculum duret) in quibus numerandi erunt menses concessi a Conc. Si autem iis usus jam fuerit, frustra novum indultum postulabit, cum debuisset vacationis menses in illud tempus transferre, quo sciebat, aerem fore insalubrem. Insuper præcipit, ut in omnibus hujusmodi indultis semper adjiciatur hæc clausula, *Dummodo intra Diœcesim aliquis locus non adsit, in quo aer saluber sit, & in quo Episcopus commorari possit.*

VI. Demum, quoniam Urb. VIII. nihil statuit de Episcopis, qui a Diœcesi absunt pro compilatione Processuum in causis Beatificationum, & Canonizationum, decernit, ut, si Episcopos in propriis Ecclesiis residentes ad hujusmodi processus conficiendos delegari omnino oporteat, literæ, quas vocant Remissoriales, & Compulsoriales a Sac. Rit. Congr. dirigantur ad Episcopos viciniores Diœcesi, in qua processus sunt conficiendi, qui, si delegationem acceptaverint, debent petere licentiam abscedendi expressa causa, & insuper, ut in licentiis concedendis comprehendantur menses conciliares, & præter eos 30. dies, si opus fuerit, adjiciantur. Quod, si alia facienda supersint, quatuor alii menses anno sequenti in idem opus insumantur. *

Reliqui Beneficiati non habentes curam animarum, quidquid sit de jure, de facto ex generali consuetudine non videntur obligati ad residentiam in loco beneficii, exceptis Canonicatibus, & Dignitatibus, de quibus §. seq.

Denique omnes Beneficiarii graviter obligantur deferre habitum, & tonsuram: Doctores communiter contra Cajet. apud Sanch. l. 7. *Consil.* d. 49. ex Trid. *sess.* 14. c. 6.; quare graviter peccant (nisi vero beneficium sit tenue) si non deferant per notabile tempus spectatis circumstantiis; longius enim tempus requiritur, quando quis est in itinere, aut in villa, aut quando necessitas urget, quam aliis temporibus: sed ob tale peccatum non privantur fructibus beneficii, nisi post sententiam Judicis, ex Trid. cit. At nunc tenentur, & quidem in conscientia, ante sententiam Judicis, ex Bull. Bened. XIII. 1725., ex qua etiam privandi sunt beneficio, si ter citati non reassumant habitum.

Dico tertio: Beneficiatus expendens in usus profanos fructus beneficii superfluos suæ congruæ sustentationi peccat mortaliter; probabile tamen est, quod nec ipse dans, nec alter accipiens, teneantur quidquam restituere pauperibus, aut Ecclesiæ. Ita 50. Canonistæ, & 17. Theologi apud Fill. contra Navar., Major., & alios.

Ratio primæ partis est, quia Trid. *sess.* 25. *c.* 1. *Refor.* jubet, ut ex superfluis *Alantur pauperes, & divinus cultus promoveatur:* ergo, si contra fiat, erit mortale, ut dicunt omnes.

Ratio secundæ partis est; quia, licet is peccaverit contra tale præceptum obligans ex virtute misericordiæ in pauperes, vel Religionis in cultum Dei, tamen non contra justitiam, cum satis probabile sit, ipsum esse dominum omnium fructuum etiam superfluorum; nam horum donationes profanæ factæ a Beneficiario, si factæ sint inter vivos, & certis diebus ante mortem, non reputantur invalidæ Jure Canonico, & praxi communi Ecclesiæ, quæ nec eas rescindit, quamvis amplissimas, nec obligat donatarios ad restitutionem: ergo supponit, factas fuisse a Beneficiario, tanquam domino etiam superfluorum.

Objicies: Primo, cap. *Relatum*, *de Testam.* decernitur irritum testamentum Beneficiati factum de redditibus beneficii, exceptis tantum minutiosibus, quæ gratitudinis causa famulis relinquuntur: ergo Beneficiatus non est eorum dominus: Secundo, cap. *Res Ecclesiæ* 12. q. 1. Beneficiati dicuntur *Dispensatores*; ideoque, cap. *Ordinamus* q. 2. dicuntur etiam *Raptores*, si non dispensent pauperibus; & D. Bern. Epist. 2. ad Canonicum Lugdunensem ait, *Quidquid præter necessarium, & victum, & vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est:* Tertio, ex Trid. cit. Beneficia dicuntur *Res Dei*; & res Ecclesiasticæ a S. Urbano Pontif. dicuntur *Patrimonium Pauperum*; & sane ante eorum institutionem factam a Sylv. Papa, quarta portio redituum Ecclesiæ dabatur pauperibus, quæ nunc confusa est cum portione Beneficiorum, & deinde eorum Fundatores non censentur voluisse dare Beneficiariis eorum dominium, sed solam administrationem: jus vero strictum Ecclesiæ, & pauperibus, saltem quoad superflua.

Respondeo: Ad primum, Textus cit. irritat testamentum Beneficiati, ne nimis avide congreges in vita, ut possit ultima voluntate pro libito disponere; cum autem non irritet etiam ejus donationes inter vivos, sequitur, quod ille sit vere dominus; sic dominus est impubes, etsi ejus testamentum jure civili sit irritum: Ad secundum, Textus illi intelligendi sunt lato modo, quatenus Beneficiati tenentur omnino erogare pauperibus, non quidem ex justitia, sed ex misericordia: sic etiam laici non dantes ex superfluis eleemosynam dicuntur a D. Hieron.,

ron. & aliis PP. etiam lato modo *Raptores*; & eodem lato sensu loquitur exaggerate D. Bernardus: Ad tertium, Beneficia ex Trid. dicuntur *Res Dei*, quatenus eorum fundatores absolute dant sua bona Deo; cum autem Dei voluntas innotescat per sensum Ecclesiæ, hæc præcipit quidem, ut superflua expendantur in usus pios, at noluit obligare ex justitia, sed tantum ex Religione, & misericordia, quo sensu late etiam dicuntur *Patrimonium Pauperum*; & sane illa quarta portio ante Sylvestr. non ex justitia, sed ex misericordia erat debita pauperibus, & sic transiit cum eodem onere ad Beneficiarios; fundatores deinde solum dant bona sua Deo, qui per sensum Ecclesiæ constituit Beneficiarios dominos, non quidem Beneficiorum, sed fructuum; nullum ergo jus strictum circa hos competit Ecclesiæ, aut pauperibus.

Quæres primo, Quinam fructus beneficii dicantur superflui congruæ sustentationi beneficiati?

Respondeo, Esse eos, qui supersunt expensis necessariis ad conservandam dignitatem Ecclesiasticam Beneficiati juxta rationabilem morem loci. Ad eam autem pertinet habitatio, victus, vestitus, medicamenta, & debitorum licitorum solutio: item famulatus, equi apparatus, hospitalitates, convivia, honestæque recreationes, & donaria, &c. ad quæ omnia expendere potest ex fructibus beneficii, etsi aliunde habeat patrimonium, dummodo tamen omnia sint moderata, & proportionata personæ Ecclesiasticæ viventi ex patrimonio Christi, & non more laicorum, cum minuatur potius nimio luxu dignitas Ecclesiastica.

Hinc congrua substentatio non est æqualis respectu omnium, sed inæqualis pro qualitate tum personarum, tum dignitatum, tum locorum. Sic, si persona sit nobilis, vel eximie literata, vel multorum meritorum in Ecclesiam, vel existens in Ecclesia celebri, &c. potest pro congrua insumere fructus beneficii ampliores, etiamsi habeat dignitatem Ecclesiasticam parem alteri non habenti dictas qualitates; quia hæ in existimatione morali augent ipsam dignitatem Ecclesiasticam. Similiter majoritas ipsa redditaum beneficii reddit dignitatem existimabiliorem; ideoque Episcopus v.g. habens majores redditus, quam alius Episcopus, potest pro congrua ampliores fructus insumere; cum divites cogendi non sint vivere pauperum cibo, ex cap. *Non cogatur d.* 41.

Hinc etiam Laym. & alii contra Nav. Sanch. & alios inferunt, Beneficiarium nobilem posse uti fructibus benefitii ad propriam nobilitatem substentandam, etiamsi habeat patrimonialia, quia ipsa nobilitas auget dignitatem Ecclesiasticam; adeoque stipendium adhuc servat mensuram ex ea dignitate. Contra vero non potest licite servare sibi fructus ad acquirendam aliam dignitatem altiorem; quia hæc non pertinet ad dignitatem, & statum præsentem: probabile tamen est, posse servare, non quidem ad eam acquirendam, sed ad eam substentandam, si aliunde proxime sit futura, & in ea non posset aliunde se commode sustentare; quia aliud est uti fructibus, ut promovearis, aliud servare illos, ut promotus non indigeas: sic potes servare fructus ad necessitates de proximo (non vero remote) futuras ægritudinis, litis, sterilitatis, &c. Nav. & alii communiter.

Denique ad congruam beneficiati pertinet etiam substentatio consanguineorum, si hi non habeant ex bonis patrimonialibus requisita ad se sustentandum juxta statum suum, & ad quem etiam elevati sunt ex nova dignitate Beneficiati; quia hujus congrua substentatio postulat, ut illi etiam decenter vivant: quod verum est, etiamsi ipse Beneficiatus (non vero, si illi) habeat patrimonialia, unde eos sustentare posset. Excipe vero, si illi sint spurii; quia, cum sic non sint juxta, sed contra statum Clericalem, non debent ali ex fructibus beneficii, nisi non posset aliter Beneficiatus eos alere: similiter nequit Beneficiatus ex fructibus beneficii solvere debita peccaminose contracta, si possit aliunde; Doctores communiter.

Quæres secundo, Quomodo fructus Congruæ superflui sint erogandi?

Respondeo, Ex præcepto Trid. loco mox citando erogandos esse in usus pios, scilicet in pauperes, & in Dei cultum, *Ne dissipentur bona beneficii*. Hinc, quoad eleemosynas Gran. apud Dian. p. 4. t. 4. r. 214. probabiliter putat, Episcopum satisfacere, si ex superfluis det quartam partem pauperibus, & alios Beneficiarios, si quintam, vel sextam; dummodo reliquum superfluum in alios usus pios circa Dei cultum impendant. Si secus faciant, vel scilicet sibi retinendo, vel expendendo in usus profanos, quamvis nec ipsi, nec alii accipientes teneantur ex justitia ad restitutionem, juxta jam dicta, imo nec accipientes teneantur ex misericordia erogare pauperibus, cum hoc præceptum immediate, & præcise afficiat solos Beneficiatos, ut addit Less. cap. 19. n. 47. tamen peccant mortaliter contra Tridentini præceptum tum dantes, tum etiam accipientes, utpote cooperantes eorum peccato: modo tamen sit quantitas valde notabilis, cum beneficium ex sua significatione importet aliquid aliud ultra stipendium; ideoque Coninch. Pal. & alii putant, esse notabilem quintam partem superfluorum in usus profanos expensam: Hurt. & Mendoz. apud Dian. cit. solum quartam partem omnium fructuum. Sotus putat, tertiam esse sub mortali expendendam in opera pia, vel medietatem residui congruæ substentationis: v.g. si Episcopus habeat 2000. ex fructibus beneficii, & indigeat 1000. pro congrua substentatione, juxta sententiam Mendoz. & Dian. non peccat mortaliter, si 500. expendat in pauperes, & usus pios; quia hi essent quarta pars omnium fructuum, & simul medietas fructuum residuorum congruæ substentationi. Denique inter pauperes Trid. cit. numerat etiam consanguineos Episcopi, si nequeant, juxta modo dicta, aliunde vivere juxta suum statum.

Illud hic nota ex Croix l. 4. n. 1358. sententiam Con. ab Haunold. vocari laxam; probabilioremque videri sententiam Lug. d. 4. n. 44. *de Just.* putantis, vicesimam partem omnium proventuum annuorum esse materiam gravem, si in usus profanos expendatur.

Quod attinet ad Episcopos, Trident. *sess.* 24. *c.* 13. *de Reform.* hæc habes: *Ad hæc imposterum omnes hæ Cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum* 1000. *secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur.*

Idem Trid. *sess.* 25. *c.* 1. *de Reform.* hæc habet: *Episcopis omnino interdicitur, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sunt, iis, ut pauperibus, distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa.*

Sunt & alii Canones antiqui, quibus præcipitur, ut portio fructuum, & oblationum, quæ Episcopo, Clericis, & Fabricæ non esset necessaria, distribueretur pauperibus, quod a temporibus Apostolorum multis seculis servatum est, & a variis Pontificibus, & Conciliis confirmatum, cui ordinationi Ecclesia per erectionem beneficiorum, &c. derogatum noluit, ut habet Less. *de Just.* l. 2. c. 4. n. 47. His positis

Certum est, congruam substentationem Episcopi non esse determinatam ducatorum 1000. cum ex Trid. cit. solum constet, quod talis summa non gravetur pensionibus, non vero, quod sit statuta pro congrua substentatione. Congrua ergo Episcopi substentatio taxanda est ex iis, quæ necessaria sunt ad conservandam ejus dignitatem Ecclesiasticam, juxta rationabilem morem loci, & juxta præceptum Tridentini loc. cit. jubentis, *Ut Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint*. Quæ taxa alia pro aliis Episcopis, ut jam diximus, statuenda est judicio Viri prudentis.

Cæterum, si Beneficiarius parce vivendo minuat expensas necessarias suæ congruæ substentationi potest pro libito eas cuicumque etiam ad quemcumque usum dare; quia hæ non cadunt sub præceptum: Doctores communiter.

Quæres tertio, An, quæ dicta sunt de Beneficiato, procedant etiam de Regulari promoto ad Beneficium?

Respondeo, Probabiliter procedere etiam de Regulari promoto ad Episcopatum; imo probabiliter etiam ad Parochiam, aliudve Beneficium perpetuum, & ratio est, quia sic, quamvis non dispensetur ei in voto paupertatis, cum adhuc maneat Religiosus, quoad substantialia; tamen non repugnat cum voto paupertatis habere dominium, ut patet in Scholasticis Societatis Jesu. Hinc, si antea acquirebat Monasterio, postea acquirit sibi. Neque obstat cap. *Statutum* 18. q. 1. dicens, ab Episcopo Religioso restituenda esse bona beneficii Ecclesiæ, cujus est Episcopus; nam ly *Restituere*, hic, ut sæpe in jure, idem sonat, ac relinquere: quod bene stat cum dominio ejus, quod relinquitur. Solum ergo ex præcepto Tridentini tenetur, ut reliqui beneficiarii, erogare superflua in usus pios: v. Sanch. l. 6. c. 6.

Quæres quarto, An pensionarius teneatur pariter expendere superflua ex sua pensione in usus pios?

Respondeo, Plures esse sententias: Nav. & alii apud Dian. p. 5. t. 8. r. 29. affirmant de omnibus pensionariis, quia, cap. *Pastoralis*, *de decimis*, dicitur res transire cum onere suo: ergo pensio transit in pensionario cum onere, quod ante habebat in beneficiario. Vasq. & alii negant de omnibus pensionariis, quia hoc ipso, quod fiunt pensiones, eximuntur per ipsum Pontificem ab hoc onere; quod probabile dicit Sanch. de pensionibus fundatis in statu, & non in officio Clericali. Sed probabilius dicendum cum Sot. Hurt. Mol. Dian. loc. cit. & aliis, solas pensiones laicales eximi ab hoc onere; nullas vero clericales, sive in statu tantum, sive in officio etiam Clericali fundentur.

* Duo hic addenda supersunt ex iis, quæ hac super re statuit Bened. XIV. feliciter regnans. Unum est, quod cit. Pontifex die 29. Aug. 1741. per Constitut. incip. *Universalis Ecclesia:* Omnibus Clericis, quacumque dignitate Insignitis his verbis prohibet, *Ne imposterum audeant sub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, vendere, ac distrahere fructus, & proventus suorum beneficiorum, vel ad vitam, vel ad longum tempus, recepta ab emptore per unam, vel plures solutiones ea pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiati per ejusdem temporis, vel vitæ spatium probabiliter consequi potuissent, sub pœna excommunicationis, & nullitatis actus (licet sit hic juramento firmatus) aliisque pœnis statutis contra alienantes bona Ecclesiæ.*

Alterum est, quod idem Pontifex eadem die Const. incip. *In sublimi* declarat: *Omnes conventiones, & pacta pro cassatione, seu abolitione, seu extinctione pensionum per anticipatas, vel anticipandas solutiones inita contemporanee ad resignationes beneficiorum cum reservatione pensionis, tanquam simoniacam labem redolentia, omnino irrita esse, & omnes hujusmodi extinctiones pensionum factas intra sex menses computandos a die captæ possessionis beneficii per resignatarium irritas esse, etiamsi nullum præcedens pactum intervenisse inter partes probari possit, & cassatio prædicta secuta sit rigore Supplicationis manu nostra, vel Rom. Pontificis pro tempore signatæ, quam, tanquam subreptitiam, eis suffragari nullatenus vult. Insuper tam resignantem, quam resignatarium ipso facto decidere ab omni jure Beneficii (quod proinde, tanquam de jure, & de facto vacans, potest a quocumque impetrari) & ad alia obtinenda inhabiles esse. Præterea resignantem teneri sub gravi ad restituendas pecunias pro pensionis cassatione perceptas, quæ arbitrio Ordinarii erunt piis locis applicanda, vel pauperibus Personis distribuenda: &, si renuat, ipso jure Ecclesiasticis pœnis cogi posse.*

Demum declarat, *sub hac Constitutione comprehendi quascumque translationes commodi, seu utilitatis percipiendi fructus pensionum hujusmodi, vel in ipsum resignatarium, vel in aliam personam, & omnes extinctiones, seu cessiones pensionum quocumque nomine, & titulo per anticipatas solutiones factas intra sex menses, & etiam ultra id temporis spatium, dummodo detestabile illud pactum præcessisse constiterit*. Huc usque cit. Pontifex. *

§. II.

De Restitutione Distributionum Chori.

DICO: Qui in Cathedrali, vel Collegiata habet Dignitatem, Canonicatum, Præbendam, Portionem, &c. si non assistat Choro, non tenetur quidem ante sententiam Judicis restituere earum fructus, bene tamen distributiones quotidianas, seu, ut vocant, præsentias: Doctores communiter.

Ratio primæ partis est, Quia Trident. *sess.* 24. c. 12. *De Refor.* concedit his, posse abesse a Choro *Per tres menses quotannis*, etiam sine causa, inquit Fill. nec substituendo alium; ita tamen, addit Covar. ut non omnes Capitulares simul absint, ne destituatur Chorus, nec dies absentiæ computentur ex horis assignatis assistentiæ, sed integri accipiantur, sive simul, sive interrupte. Si autem ultra tres menses absit, idem Trident. decernit, ut primo anno priventur media parte fructuum, secundo anno omnibus fructibus anni, & crescente contumacia, etiam dignitate, &c. ergo ex Trid. peccant quidem mortaliter, si ultra tres menses notabiliter absint, etiamsi alios substituant, tamen non tenentur ad restitutionem fructuum beneficii, nisi post sententiam. Dixi *Notabiliter*; nam, si per aliquot paucos dies, peccant venialiter ob materiæ parvitatem. Imo nec peccant, nec ad restitutionem sunt damnandi, si notabiliter absint: Primo ad docendam publice Theologiam, vel Jus Canonicum, vel, ut addit Garz. Divinam Scripturam, vel ad concionandum, etiam sine licentia Episcopi, quæ solum requiritur ad docendas alias facultates: Secundo, Ad studendum Theologiæ, vel Juri Canonico, cum licentia tamen Episcopi, qui tenetur hanc dare ei, qui minor est 30. annis, sed nonnisi ad 5. annos, ex Decr. S. Congr. apud Barbos. Tertio, Ad obsequium Papæ, vel Episcopi, vel Ecclesiæ utilitatem, ex *cap. ad Audientiam*, *de Cler. non resid.* modo non sit ad commodum privatum Episcopi, puta ad eius venationem. Quarto, Ob aliam justam causam, ex licentia tamen Episcopi, ex Trid. cit. Denique, si hic præbendatus absit a Choro, eo quod sit excommunicatus, vel suspensus ab Officio, non tenetur restituere fructus beneficii ante sententiam Judicis; peccat tamen, si notabiliter perseveret sponte in ea censura, juxta dicenda in de Censur.

Ratio secundæ partis est, Quia ex Trident. cit. confirmante *cap. Consuetudinem*, *de Cler. non resid. in 6.* distributiones, quæ dantur iis, qui statis horis choro assistunt, negantur non assistentibus, *Quavis collusione, aut remissione exclusa*. Hinc, si eas forte accipiant peccant, & ad restitutionem tenentur ante sententiam Judicis; etiamsi Episcopus, vel Capitulum, vel illi, quibus deberent accrescere, remitterent, cum talis remissio sit invalida: Doctores communiter ex Trid. cit.

Si autem quis assistat choro, sed non canat, Rodr. Pal. Tamb. & alii negant ei distributiones, quia non assistit, ut debet, juvando chorum; Suar. tamen, Fill. Bon. & alii concedunt, modo attendat, & recitet submissa voce, quia sic etiam religiose assistit: sed Laym. & alii melius concedunt partem, quia assistentia etiam est ad decorem chori. Si autem ei concessum sit per alium canere, Suar. Garz. & alii concedunt totum, etiamsi assistendo confabuletur, aut dormiat; sed Barb. & alii communius negant, quia non assistit humano modo cedente in cultum Dei: idem ait Barb. si, dum canitur in choro, legat Missam, nisi esset Officium sub tali hora, aut juberetur a Superiore: v. Croix l. 4. n. 880.

Cæterum non denegantur distributiones iis, *quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*, ex *cap. Consuetudinem cit.* quod secundum Covar. Fill. Sanch. Gob. & alios apud Croix n. 1210. est verum, etiamsi infirmitas fuerit culpabiliter causata, dummodo soleas alioqui assistere, nec eam causaveris in fraudem: eadem dic de carceribus detento, aliave corporis necessitate, non autem de excommunicato, aut suspenso, nisi vero injusta fuerit censura, vel injuste denegetur absolutio, juxta dicenda *de Censur.* d. 2. q. 2. c. 2.

§. III.

De Restitutione Stipendiorum Missæ.

HOc stipendium est duplex: alterum est ex Cappellania, sive ea sit Collativa, hoc est Beneficium habens onera Missarum, sive ea sit manualis, hoc est ad nutum amovibilis; & sic solet esse stipendium, ut plurimum pingue: alterum est eleemosyna manualis, pro una scilicet, aut pluribus Missis pro una vice; & sic taxari debet lege Episcopi, aut consuetudine locorum, puta carolenus pro Missa legenda; quamvis possit pinguius exigi pro cantanda, aut pro legenda tempore, loco incommodo, &c. non autem pro majori indigentia Sacerdotis: nisi vero sponte detur, cum sic excessus sit gratis donatus: sicuti potest ipse celebrans sponte acceptare stipendium minus taxato, cum sic reliquum gratis remittat: Doctores communiter.

Quæres primo, Quid sit dicendum de stipendio Cappellaniæ sive collativæ, sive manualis?

I. Respondeo; Totum deberi Cappellano celebranti juxta mentem Fundatoris, exceptis dumtaxat expensis præcise necessariis pro vino, cera, hostiis, detrimento paramentorum, &c. Ecclesiæ, in qua celebrantur Missæ, modo hæc sit pauper, nec habeat sufficientes redditus: Doctores communiter ex Decr. S.Congr. *Cum sæpe* jussu Urban. VIII. 1625. Si autem ipse Cappellanus substituat alium sua vice celebrantem, potest

potest ei dare stipendium manuale justum, puta camlenum, retinendo sibi reliquum; idque certum est de Capellano Beneficiario, nisi in fundatione aliter cautum sit, ex Decr. cit.; & probabiliter etiam de quovis Capellano manuali, imo etiam de quovis habente legatum annuum ad vitam cum certo onere Missarum, quia eadem est ratio; his enim pingues dantur redditus, ut possint alacrius Altari jugiter inservire: Lug. l. 2. *de Euch.* n. 30., & alii.

II. Capellanus obligatus celebrare quotidie, si detineatur infirmitate, carcere, aliove impedimento non libero, tunc, si id sit breve (puta dierum 10. secundum Barbos., 15. secundum Bonac., unius mensis secundum Laym., duorum mensium secundum Lug.) probabiliter potest gaudere fructibus Capellaniæ, nec tenetur alium substituere; nec deinde Missas omissas remittere: nisi forte a fundatore expresse sit cautum, ut nunquam desit Missa per aliquem celebranda: & ratio est, quia hoc præciso non est præsumendum, Fundatorem velle suum Capellanum in brevi hoc impedimento obligare. At, si impedimentum diutius duret, substituendus est alius: Doctores communiter apud Croix l. 6. p. 2. n. 176., ex *cap. Significatum, de Præb.*

III. Capellanus obligatus quotidie celebrare ad mentem Fundatores, potest quinquies, vel sexies in anno celebrare pro se, suis, aliave causa occurrente, retento Capellaniæ stipendio; quia non est præsumendum Fundatorem hoc rationabile auxilium spirituale denegare ei voluisse: Tamb. l. 3. *Method. Miss.* c. 3., & alii communiter. Potest etiam aliquando vacare *salva honestate sua, & debita devotione, non autem causa voluntate*, ex *cap. Significatum, de Præben.* Imo ex consuetudine legitima introducta, & ex præsumpta voluntate fundatoris vacare potest semel in hebdomada; nisi vero a fundatore expresse sit cautum, ut nunquam desit Missa per aliquem celebranda: Tamb. c. 3. n. 5., & 6. An autem his diebus vacationis possit celebrare pro aliis? Negant communiter Doctores, qui solum id permittunt quinquies, vel sexies in anno, ut supra, & S. Congr. interrogata ab Episcopo Cellensi (ut habetur in Synodo Neapolitana) respondit 18. Sept. 1683. non posse, si celebret, pro aliis Sacrificium offerre, quam pro Fundature illius Capellaniæ. Sed Peyt. cum Dian. p. 5. t. 13. r. 51. adhuc probabiliter putat, posse semel in hebdomada ob sui utilitatem, parentum, vel amicorum Sacrificium gratis offerre, idque ex æquitate Fundatoris.

An vero supposita hac sententia possit pro stipendio manuali Sacrificium illud offerre? Omnes, quotquot legi, DD. negant, quia, licet non offerret pro duplici, duplex tamen revera stipendium eodem die haberet. Cæterum, ut introducta est jam consuetudo legitima vacandi semel in hebdomada, ita posset etiam consuetudo introduci, ut eo die vacationis celebretur pro alieno stipendio ex præsumpta concessione Fundatoris: hæc tamen consuetudo nusquam legitur legitime præscripta; unde potius dicendus est abusus, qui hac in re alicubi auditur.

IV. Capellanus obligatus celebrare in hac Ecclesia, in hoc Altari, hac tantum feria, &c., si celebret alibi, alia feria, &c., tunc, si id faciat ex legitima causa, vel dispensatione Episcopi, non peccat, nec tenetur compensare: si absque dispensatione, aut causa, peccat mortaliter, si sæpius (venialiter enim, si raro) quia in re gravi defraudat Fundatorem: Doctores communiter; excusant tamen a compensatione Barbos., & alii apud Pal., quia non privat Fundatorem fructu Sacrificii quoad substantiam; idque verum putat Tamb. c. 2. contra Bon., etiamsi omittat Altare privilegiatum. Si autem capellania obliget ad Missas de requie, votivas, &c. omissio hujus circumstantiæ raro, vel nunquam inducere potest culpam gravem: &, si fiat, ut conformetur ritui universali Ecclesiæ, fit laudabiliter: Doctores communiter.

V. Si Capellania, vel Legatum sit, aut evadat adeo tenue, ut non sufficiat pro oneribus Missarum a Fundatore præscriptarum, non potest ab Episcopo, aliove Prælato Regulari reduci ad numerum taxæ ordinariæ, sed recurrendum est ad Sedem Apostolicam, ex Decr. cit. S. Congr. jussu Urb. VIII. 1623., nisi in ipsa fundatione expresse cautum sit, ut liceat Episcopo reducere, ut ibidem dicitur; revocando omnia alia privilegia olim concessa pro tali Missarum reductione. Vide tamen Tamb. c. 1. §. 4. n. 15. asserentem duo Privilegia Minimorum, & Minorum, confirmata post tale decretum ab eodem Urb. VIII. 1626., & 1639. ubi etiam addit, posse ab Episcopo fieri reductionem Missarum legati incongrui, antequam acceptetur, & cum Pasq. etiam ex stipendiis manualibus incongruis, ad quæ se privatus Sacerdos obligavit, quia de his non loquitur Decr. cit. v. Croix n. 116., & 122.

Quæres secundo, Quid sit dicendum de stipendio, seu eleemosyna manuali?

I. Respondeo, Esse contra justitiam pro eadem Missa duplex stipendium accipere, eo quod putes, Missam esse infiniti valoris, vel applices pro uno partem specialissimam fructus Sacrificii tibi celebranti correspondentem: & ratio est, quia incertum est, an valor Sacrificii sit infinitus in actu primo proximo, & an possit dictus fructus applicari aliis a celebrante; debito autem ex justitia certo non potest satisfieri solutione mere probabili, & incerta ex dictis d. 1. q. 8. Hinc ab Alex. VII. damnatur prop. 8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urb. VIII.*, & prop. 10. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque enim est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Idem est, si accipiat duplex stipendium, eo quod uni applices Sacrificium, alteri ejus indulgentias; qui dat stipendium, vult, sibi applicari totum, sicut fieri judicant omnes communiter: Lezan., & alii. Idem etiam est, si unus petat impetrationem, & alter satisfactionem, quia uterque implicite petit utrumque fructum, ut sibi prosit, aut suis defunctis: Suar., Bon., Pasq., Gob., & alii communiter contra alios apud Marchant. Similiter docent communiter, contra Palud., non posse quidquam accipi pro fructu *Ex opere operatis*, pro peculiari concepta, pro majori devotione, &c.; quamvis hæc, & similia possint aliis gratis promitti: Croix n. 141. At probabile est, quod possit pro eadem Missa accipi duplex stipendium, si unus petat tantum applicationem, seu fructum, alter tantum officiaturam, seu præsentiam; scilicet ob honorem loci, vel ob concursum populi; dummodo constet, hunc esse sola præsentia contentum, quia sic applicatio mansit Sacerdoti libera: secus vero, si id non constet: Suar., Sanch., & post Decr. cit. Urb. VIII. etiam Lug., Pasq., & alii. Addit Tamb. c. 1. §. 3., posse eadem Missa satisfieri pluribus stipendiis hic & nunc necessariis celebranti constituto in extrema necessitate: imo etiam extra hunc casum, si stipendia fuerint incongrua, puta quinque assium, & ipse ob paupertatem coactus sit ea acceptare, vel dantes non essent alios Sacerdotes inventuri; sed in hoc melius contradicunt Lug., Dian., & alii communiter post Decr. cit. absolute dicens ad dub. 3. *Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum teneri Missas ab afferente præscriptas celebrare.*

II. Sacerdos obligatus celebrare pro stipendio manuali peccat retinendo sibi partem, etiamsi justum stipendium det alii sua vice celebranti, ut constat ex cit. Decr. S. Congr. sub Urb. VIII. id specialiter prohibente de eleemosynis manualibus; unde ab Alex. VII. damnata est hæc Prop. 9. *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

* Recolenda hic est Bened. XIV. Constitutio data 30. Junii 1741., quæ incipit *Quanta cura*; & cujus hæc summa: Primo meminit abusus hæc super re introducti, quod scilicet nonnulli, sive Ecclesiastici, sive Laici, accipientes pro Missis celebrandis stipendium majus, curant, eas celebrandas in alio loco, ubi stipendium est minus, & sic stipendii partem sibi retinent. Secundo meminit Pontificum prædecessorum, tum Congr. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, ex quibus decretum fuit (sicut & nos modo meminimus) non esse licitum Sacerdotibus, qui pro Missis celebrandis majus acceperunt stipendium, eas alii Sacerdoti minore stipendio celebrandas tradere, etiamsi illi Sacerdoti celebranti, & consentienti indicent, majus se stipendium accepisse. Tertio, Quicumque accipiens majus stipendium pro Missis celebrandis, si tradat eas, sive in eodem loco, sive in alio celebrandas minore stipendio, si Laicus est, præter alias pœnas Ordinariorum arbitrio irrogandas, incurrit ipso facto excommunicationem: si Clericus, sive Sacerdos quicumque, incurrit ipso facto suspensionem: atque illa excommunicatio, & hæc suspensio est Pontifici reservata, a quibus nemo, excepto mortis articulo, absolvere potest. * Hinc, si quid sibi retinet Sacerdos, est materia gravis, & peccat mortaliter, quia tam subtilis districtio S. Congr. indicat, velle graviter obligare: Doctores communiter contra

Bordon.

Bordon. apud Mendo; & tenetur ante sententiam Judicis illud restituere; quia eleemosynam accepit, non ut procuret Missam pretio, quo possit: sed tantum, ut ipsemet acquirat titulo celebrationis: & communiter, quidquid sibi retinet non celebrando, retinet sine titulo, adeoque injuste: ergo restituere debet vel celebranti, vel danti eleemosynam: Croix l. 6 p. 2. n. 135. Retinere autem probabiliter potest in tribus casibus: Primo, Si moraliter constet, excessum justi stipendii concessum sibi liberaliter a dante, non intuitu Missæ, sed personæ, quia scilicet est amicus, vel pauper, vel ut curet, per alium celebrari: Tamb., & alii: ex quo infert Tamb., quod executor voluntatis testatoris relinquentis Missas manuales, si ex industria speciali, ad quam cæteroqui non tenetur, tradat eas celebrandas in iis locis, ubi justum stipendium est minus, potest residuum sibi retinere, dummodo aliter a Testatore non sit cautum; quia dicta prohibitio solum loquitur de eo, qui ratione talis stipendii tenetur celebrare: sed, ut bene notat Suar., id sapere videtur turpem quæstum. * Et ex const. cit. Bened. XIV. absolute dicendum, non licere *. Secundo retineri potest excessus, si sponte omnino, & ex mera liberalitate condonetur a substituto: sicut enim is potest totum condonare celebrando pro eo gratis, ita etiam potest condonare solum excessum: cavendum tamen est, ne id fiat aliquo modo coacte, aut meticulose, sic scilicet ad id substitutus inducatur metu, ne imposterum inveniat eleemosynas pro ipsis celebrandis. * Sed hoc etiam videtur prohibitum in dicta cit. constit. * Tertio retineri potest, si debeat hodie celebrare pro pingui eleemosyna, & petas a me, ut pro te celebrem, promittens, cras te celebraturum pro me, qui pro missa crastina ordinariam eleemosynam habebo; quia sic est tantum permutatio missarum, & dierum: Croix n. 134.

III. Sacerdos, qui accepto stipendio, puta caroleno pro una missa, hanc omittit, vel notabiliter differt celebrare, peccat mortaliter; quia dans videtur esse rationabiliter graviter invitus, quod privetur Missa, qua indiget sæpe ob gravem necessitatem, sive spiritualem, sive temporalem: obligatio tamen restituendi carolenum est sub levi ob parvitatem materiæ: Doctores communiter. Si autem accepto caroleno differat Missam petitam pro gravi necessitate non patiente moram (puta pro ægroto, qui interim moritur, & forte per Missam salutem obtineret) non solum peccat mortaliter, sed tenetur etiam de damno secuto, quod tamen reparare tenetur in bonis tantum spiritualibus, puta aliis orationibus, indulgentiis, &c. Peyr., Pelliz. t. 5. c. 9. n. 73. Si vero Missa non petatur pro instanti necessitate, sed judicio prudentis patiente moram, probabile est accepto etiam stipendio posse differri ad 15., vel 20. dies ex præsumpta voluntate petentis: Pelliz. n. 72., & similiter etiam ulterius differri potest, si petens consentiat in talem dilationem. Hinc S. Congregat. cit. expresse prohibet, ne accipiantur plura onera Missarum, nisi *intra modicum tempus* possit omnibus satisfieri, vel nisi dantes dilationi consentiant: hoc autem modicum tempus alii cum Marchant. extendunt ad unum mensem, alii cum Lug. etiam ad duos, alii cum Ledesm. etiam ad tres; sed hæc sunt tantum admittenda, cum petentes sciunt, illum, jam esse multis aliis Missis oneratum; si enim ignorent, non videtur, posse differri ultra 15., aut 20. dies, juxta jam dicta.

IV. Sacerdos, qui celebrat Missam pro eo, quem Deus prævidet primo eam petiturum cum stipendio, Henr., Nav., Veg., Rodr., & Arag. apud Pelliz. n. 68. putant, satisfecisse per anticipatam solutionem, cum nec fructus sacrificii suspendatur, neque obstare dicunt declarationem S. Congr. jussu Clem. VIII. apud Riccium, quia hæc non est authentica. Sed oppositum est dicendum cum Suar., Bon., & aliis communiter, quia illud sacrificium non potest præstare suum fructum, dum offertur, cum pendeat a voluntate alterius libera futura: nisi vero necessitas, pro qua petetur, jam existat, puta pro anima jam defuncti, ut probabiliter tenet Pelliz. n. 70. Contra vero Sacerdos, qui celebravit credito Missas Titio, si postea Titius immemor debiti det alias Missas celebrandas pecunia soluta, potest Sacerdos hac pecunia compensare suum creditum omittendo novas Missas, modo hæc omissio sit in damnum solius Titii, non vero tertii, puta alterius in Purgatorio: Tamb., & alii.

V. Demum, Obligatus ex stipendio ad celebrandum per unam v. g. hebdomadam, mensem continuum, non potest aliquando intra hebdomadam, vel mensem continuum vacare; quia hic non militat ratio dicta de obligato quotidie per annum: Tamb. c. 3., & alii communiter contra aliquos: similiter nec potest intra eum mensem sacrificium pro alio stipendio offerre; quamvis possit gratis illud aliis promittere, sub conditione tamen, si revera sit infiniti valoris in actu primo proximo. Similiter, si intra eum mensem aliquando ægrotet, tenetur substituere alium, vel, si non sit periculum in mora, ad aliud tempus obligationem differre. Denique, si obligatio celebrandi per unum mensem oriatur ex stipendiis diversorum, prius videtur celebrandum pro eo, qui prior dedit, quia prior tempore, potior est jure; quamvis aliqui cum Fraain. putent, posse celebrari alternatim hodie pro uno, cras pro alio, &c.; minime tamen licet celebrare omnes missas in communi simul pro utroque, itaut dimidium fructus obveniret uni, dimidium alteri, quia neuter vult hanc communicationem, nisi expresse consentiat: Tamb. c. 3. §. 5.

§. IV.

De Restitutione rei Sacræ, vel Ecclesiasticæ simoniace, vel indebite alienatæ.

POTEST esse res Sacra, etiamsi non sit Ecclesiæ, ut Reliquia apud laicum: potest item esse res Ecclesiæ, etsi non sit Sacra, ut prædium, tapes, &c.

Dico primo: Beneficium Ecclesiasticum simoniace acceptum restitui statim debet in conscientia, & ante sententiam Judicis: Doctores communissime: item pretium simoniace acceptum pro collatione Beneficii Ecclesiastici est pariter restituendum ante sententiam Judicis: Doctores communiter contra Ugolin. apud Bonac.

Ratio primæ partis est, quia omnis obtentio Beneficii Ecclesiastici simoniaca est ipso jure irrita, modo simonia fuerit complete realis, vel complete confidentialis, ex cap. *Si tuus*, & cap. *Matthæus*, *de Simon.* ex Bull. Pii V. *Intolerabilis* 6. Aug. 1579., quæ idem etiam statuit de pensione spirituali simoniace accepta apud Less. c. 35. n. 168.: ergo Beneficium sic acceptum est statim restituendum, seu dimittendum una cum fructibus ex eo perceptis, vel culpa propria non perceptis, quæ omnia reddenda sunt, non quidem resignanti simoniace Beneficium, sed Ecclesiæ Beneficii, vel Cameræ Apostolicæ, vel legitimo Successori, nisi obtineatur dispensatio, vel compositio a Sede Apostolica.

Ratio secundæ partis est, quia cap. *De hoc*, *De Simonia*, dicitur, quod tale pretium *sine gravi salutis periculo retinere non possunt*: ergo restituendum in conscientia, & ante sententiam; non quidem danti, ut vult Sot. & alii, sed Ecclesiæ; dicitur enim ibidem, *Ecclesiæ sine diminutione restituant*: addit tamen Less. c. 35. n. 172., quod, etsi peccent contra hoc præceptum, si restituant danti, tamen is juste retinere potest, quia in pœnam tantum eo privatus fuisset.

Hæc omnia vera sunt: Primo, etiamsi simonia in materia beneficii sit occulta, quia jura generaliter loquuntur: quamvis ergo in tali casu non teneans te prodere, & infamare, tamen teneris quæsito prætextu, aut colore Beneficium dimittere, vel dispensationem a S. Pœnitentiaria obtinere, etsi simonia sit publicata a Datatia, juxta Bul. Inn. XII., a qua pariter hodie obtinenda est, etiam in simonia occulta: Doctores communiter contra Henr. putantem, in occulta dispensare posse Episcopum, quod satis probabile putat etiam Less. n. 140.

Vera sunt secundo, Etiamsi hæc simonia commissa sit a tertia persona, inscio proviso (dummodo commissa non sit in odium ipsius, aut eo contradicente) ratio est, quia ignorantia privata excusat quidem a culpa, non tamen validat actum alioqui irritum. Potest tamen hic elapso bona fide triennio præscribere, ac retinere, probabiliter dicunt Less. n. 141., Gomez., Suar. *de Sim.* c. 57. n. 38., & alii contra alios. Imo, si beneficium sit simplex, potest probabiliter etiam ante triennium Episcopus, post factam liberam ejus resignationem, dispensare, eidemque statim illud conferre, si bona fide acceperat: Pal., Croix, Less. n. 139. Imo, si simonia fuit in omnibus materialis, itaut omnes bona fide processerint ignorantes peccatum simoniæ, probabiliter dicunt Less. n. 142., & alii, Beneficium posse retineri: v. Croix l. 3. p. 1. n. 205.

Vera sunt tertio, Etiamsi hæc simonia commissa sit in Præsentatione, Electione, aliave provisione Beneficii, quia hæ omnes sunt irritæ, ex Extrav. *Cum detestabile*, *de Sim.* idem probabiliter est in confirmatione, vel institutione: Ugol., Felin., & alii contra Less. n. 138.; imo probabilius, & communis sunt adhuc vera, etiamsi hæc simonia fuerit

rit

rit tantum jutia Ecclesiastici, ut in permutatione beneficiorum propria auctoritate, & in resignatione in favorem non coram Pontifice; quia textus loquuntur generaliter, &, ubi lex non distinguit, nec nos debemus: Suat. Garz. & alii communiter apud Croix n.213. & 215. contra Less. n. 141. Nav. Saneh. Dian. Pal. & alios probabiliter putantes, posse in casu retineri, donec condemnetur, excepta semper simonia confidentiali.

Dico secundo: Reliquæ res sacræ a beneficio distinctæ, etsi simoniace acceptæ, non sunt in conscientia restituendæ ante sententiam Judicis: Doctores communiter. Pretium vero pro his acceptum aliquando restituendum, aliquando non: Less. c. 35. a n. 157.

Ratio primæ partis est, quia, qui accipit simoniace rem sacram, quamvis peccet sacrilege contra reverentiam ei debitam, tamen non peccat contra justitiam, cum nullam injuriam faciat danti; non enim, dum dedit, gratis omnino eam dare debuit ex voluntate Dei supremi Domini: ergo, qui simoniace accepit, non tenetur jure naturæ eam restituere, nec jure positivo, quod nullibi extat, nisi solum in materia Beneficiali. Hoc verum est, etiamsi accipient rem sacram nondum solvecit pretium pactum; quia, qui eredito vendidit v. g. Reliquiam, tradendo transtulit dominium, cum ex voluntate Dei supremi Domini absolute dederit: conditio autem pretii solvendi, utpote simoniaca, se habet, ac si non esset adjecta: ergo semper manet valida translatio dominii, quamvis iccitanda pec sententiam Judicis, ex cap. ult. *de Rer. Permut.*

Ratio secundæ partis est, quia, quamvis omne pretium simoniace acceptum ante traditionem rei sacræ sit jure naturæ restituendum danti, cum sit contractus de re turpi; tamen acceptum post eam traditionem, tunc solum videtur jure naturæ restituendum, cum est contra justitiam commutativam, puta, si acceptum sit pro Sacramentis, & Sacramentalibus; quia hæc natura sua postulant, ut gratis dispensentur, & fideles habent jus divinitus concessum, ut a ministris Ecclesiæ possint ea petere, nec ad aliud tenentur, quam ad ministrorum substentationem: ergo, si ministri aliquid amplius exigant, tenentur jure naturæ ad restitutionem: Less. c. 35. n. 162. addens, id verum esse, sive minister sit Episcopus, Parochus, aliusve obligatus ex officio, sive sit simplex alius Sacerdos, Confessarius liber, &c.

Contra vero, si pretium simoniace acceptum sit tantum contra Religionem, non vero contra justitiam commutativam; tunc enim jure quidem positivo restitui statim debet in simonia beneficiali, juxta jam dicta: at in aliis simoniis probabile est, non esse restituendum, nisi post sententiam Judicis: ut pretium acceptum pro admissione in Religionem: Less. n. 169. Item, si quis se privet aliqua re sacra, puta Reliquia in gratiam alterius; is enim non habet in me jus, ut talia damna teneat gratis subire: ergo quamvis peccem contra Religionem, tamen non facio illi injuriam exigendo compensationem temporalem: ex quo etiam infertur quod, si mihi talis res sacra surripiatur, possim exigere compensationem in pecunia taxanda prudentis judicio pro damno accepto: Less. c. 35. n. 158. contra Suat. Bon. & alios.

Denique pretium, vel quodcumque munus etiam sponte oblatum (præter victualia) acceptum a Visitatore ordinario, ejusve officiali in visitatione, quamvis non sit simoniacum, tamen in conscientia, & ante sententiam est restituendum in duplum intra mensem, itaut nulla sit cemissio partis, ex Trid. *sess.* 24. c. 3. & aliis textibus apud Bon. tom. 3. pag. 370. Idem est de Inquisitoribus, si prætextu S. Officii pecunias extorserint, & de Judice delegato accipiente a partibus aliquid, præter esculenta, & poculenta, quamvis hi non debeant duplum, juxta dicta d. t. q. 8. c. 2. §. 2. de Remissione, &c.

Dico tertio: Qui per contractum acquirit aliquod dominium super bona Ecclesiastica immobilia, aut mobilia pretiosa, tenetur in conscientia statim ea restituere, si contractus factus sit absque causa, debita solemnitate, & licentia S. Congregationis: Doctores communissime. Ratio est, quia in Extrav. Pii II. *Ambitiosa*, *de Reb. Eccl. non alienand.* districte prohibetur sub excommunicatione latæ sententiæ, & irritatur ipso facto omnis alienatio horum bonorum, item omne pactum, per quod transfertur dominium, item concessio, hypotheca, locatio, & conductio ultra triennium, infeudatio, & emphyteusis, nisi concurrant hæc tria: Primo, Justa causa: Secondo, Solemnitas per consensum, & subscriptionem majoris partis Capituli, vel Consultorum in Societate Jesu: Tertio, Licentia expressa Sac. Congregationis; si ergo non concurrant hæc tria, tenetur accipiens restituere hæc bona Ecclesiæ ante omnem sententiam, & antequam petatur, & similiter Ecclesia restituere debet danti pretium pro hac alienatione acceptum.

Probabile tamen est, non teneri restituere, qui sine dicta licentia emerit talia bona, si donata erant Ecclesiæ cum expressa facultate alienandi propria auctoritate, vel si donata erant Religioni incapaci retinendi, qualis est Cappuccinorum; vel, si empta erant ab Ecclesia cum pacto retrovendendi; vel, si alias erat periculum, ut amitterentur ab Ecclesia; vel si conservati ab Ecclesia non poterant ipsorum redditibus; vel, si erant exigui valoris, itaut non attingerent 100. ducatos; vel, si vendita fuecint ob magnam Ecclesiæ necessitatem, notoriamve utilitatem, non permittentem licentiæ moram; vel demum, si pertinebant indivisim ad Ecclesiam, & ad laicum, qui volebat vendere: v. dicta de Contract. d. 1. c. 4. n. 6.

Dico quarto: Quicumque quomodocumque accipit munera a Regularibus (exceptis Militaribus) dantibus ex ambitione, vel cum dissipatione bonorum Monasterii, tenetur statim restituere, & in conscientia, & ante sententiam Judicis: Doctores communissime. Ratio est, quia ex Constit. 28. Clem. VIII. *Religiosa*, *de Largit. Mun.* an. 1594. confirmata, & moderata ab Urb. VIII. illicite, & invalide dicti Regulares largiuntur munera, vel expendunt in quascumque res, si faciant ex ambitione, vel cum dissipatione bonorum Religionis: ergo, quicumque ea accipit, sive gratuito, sive titulo oneroso, non potest acquirere eorum dominium, sed tenetur in conscientia statim restituere, & contractum rescindere.

Excipe tamen: Primo, Munuscula ad devotionem pertinentia, vel leviora esculenta, & poculenta, vel res quascumque non superantes valore duos ducatos: Secundo, Eleemosynas utcumque magna, remunerationes, donationes liberales, convivia, spectacula, &c. modo fiant in utilitatem Monasterii, aut in bonum Spirituale aliorum; quia sic non fiunt ex ambitione, nec cum dissipatione, &c. quo sensu intelligi etiam debet Constit. Inn. XII. *de Facultate majoris Pœnitentiarii*, v. dicta de Contr. d. 2. q. 1. c. 2. §. 1. quæsit. 1.

QUÆSTIO II.

De Restitutione Famæ, & Honoris.

FAMA est *Bona multorum opinio de vita, & moribus alicujus*. Honor est *Externa testificatio nostræ existimationis de excellentia alicujus*. Hinc famam violat detractio, quæ fit in absentia: honorem violat contumelia, quæ fit in præsentia. Videndum I. Quæ restitutio facienda sit ex detractione? II. Quæ ex contumelia?

CAPUT I.

Qua Restitutio facienda sit ex Detractione?

DETRACTIO est *Occulta famæ denigratio*, per quam injuste extinguitur bona de aliquo opinio in aliorum animis existens: dicitur autem occulta, hoc est in absentia ejus, de quo detrahitur. Videndum, Primo, Quis sit injustus detractor? Secundo, Ad quid tenetur?

§. I.

Quinam sit injustus Detractor?

INJUSTUS detractor est, *Qui famam proximi violat, eo rationabiliter invito*: sive hæc detractio sit directa, hoc est cum intentione formali directe infamandi: sive detractio sit indirecta, hoc est sine tali intentione, cum aliqua tamen virtuali, & implicita: at, si ex quadam loquacitate narres peccata proximi, vel taceas ejus virtutes, cum tenearis ex officio eas dicere. Item, sive hæc detractio fiat per calumniam, qua crimen falsum imponitur proximo, sive detractio fiat per infamiam, qua crimen verum, sed occultum publicatur, aut publicum ampliatur, aut actio sinistre interpretatur, extenuatur, simulate, ac frigide laudatur in circum-

cumstantiis, in quibus audientes tacitam vituperationem intelligant.

Hi autem modi detrahendi, etsi inter se diversi, non differunt tamen specie in linea morali; & probabiliter nec specie differunt ratione personæ infamatæ, puta Patris, Prælati, Sacerdotis, &c. quia fama in his omnibus est ejusdem speciei: Azor. Dian. p. 1. t. 2. r. t. Trul. & alii. Si autem detractio fiat cum susurratione, qua scilicet seminantur discordiæ, & dirimitur amicitia, & pax inter aliquos, habetur nova species peccati contra charitatem, & pacem, in Confessione aperienda: Doctores communiter.

Quæres primo, An possit quis seipsum infamare?

Respondeo, Si id faciat ex justa causa, puta ad majorem sui humiliationem, vel proximorum ædificationem, ut fecerunt D. August. in suis Confessionibus, & alii Sancti Viri, est opus potius meritorium, dummodo non dicatur falsum: Doctores communiter. Si autem absque ulla justa causa quis infamet seipsum, etiam de gravi crimine, sive illud publicando, sive falso sibi imponendo, per se loquendo, est tantum veniale; quia non peccat contra justitiam, cum quisque sit Dominus suæ famæ, ut docent communiter Doctores contra Cajet. neque peccat contra charitatem, cum hæc non obliget ad conservanda bona extrinseca (qualis est etiam fama) nisi quatenus sunt necessaria ad bonum spirituale: est ergo tantum veniale, per se loquendo, quia est prodigalitas, quæ secundum se est venialis.

Dixi, *Per se loquendo*; nam aliquando ratione alicujus circumstantiæ est mortale infamare graviter seipsum: Primo, Si ejus infamia redundaret in infamiam etiam Familiæ, Ordinis Religiosi, &c. quia sic fama non tantum est ejus, sed etiam aliorum, ideoque peccaret graviter contra charitatem, & justitiam cum obligatione restitutionis, Less. c. 11. n. 129. & alii communiter: si autem ejus fama non redundaret in alios, sed ob infamiam sibi impositam amitteret v. g. officium, quod redundaret in damnum fortunæ filiorum, Nav. apud Trul. contra Less. n. 32. probabiliter dicit, non peccare contra justitiam, quia sic tantum cedit juri suo. Secundo, est mortale, si se jactet, & glorietur de peccato, quo se infamat, vel aliis præbeat scandalum, & occasionem ruinæ; quod tamen raro accidit, inquit Less. n. 31. si cum vituperatione crimen suum commemoret. Tertio, est mortale, si inde immineat sibi periculum mortis, vel mutilationis injuste infligendæ a privato, ut si dicas, te Petri sororem violasse; sic enim est etiam vitæ profusio absque causa. Si autem ob virtutem justitiæ te prodas Judici, vel si metu tormentorum tuum crimen occultum confitearis, non peccas: Less. ibidem: imo probabile etiam est, non peccare mortaliter, si, ut gravia tormenta evites, imponas tibi falsum crimen, quia non teneris servare vitam cum tanto cruciatu: Less. n. 40. Laym. & alii contra Mol. Covar. & alios. Imo probabile etiam est, nec peccare graviter, si absque juramento crimen tibi imponas ad eripiendum parentem, vel amicum a morte, vel tormentis a Judice legitime infligendis: Less. ibid.

Quæres secundo, An infamare proximum sit ex genere suo mortale?

Respondeo affirmative; Quia fama est bonum ex genere suo superius omnibus bonis fortunæ, quamvis sit inferius vita, quæ ex Philosopho est fundamentum omnium bonorum: ergo infamatio proximi est peccatum gravius furto, quod ex genere suo est mortale, quamvis inferius homicidio. Cæterum hoc peccatum evadere potest veniale per accidens, & primo ratione parvitatis materiæ, ut si publices defectus tantum veniales proximi; quia fere nemo ab his liberatur: Doctores communiter. Excipe tamen, si forte conditio personæ talis sit, ut in ea tales defectus censeantur magni momenti, ut si de gravi, & optimi nominis viro dicas, *Esse mendacem*, hoc est crebro mentiri: si autem dicas semel, aut bis in levi mentitum fuisse, Nav. & Less. c. 11. n. 14. putant, non esse mortale, quia non amittitur notabiliter bonum nomen: Secundo, Si dicas defectus valde generales: puta esse superbum, iracundum, avarum, &c. etsi aliquando esse possit mortale spectata conditione personæ, ut supra; quia audientes plerumque interpretantur de naturali inclinatione, & defectu involuntario: Less. n. 18. & alii: Tertio, Si dicas defectus tantum naturales, sive animi, puta esse ignorantem, imprudentem, &c. sive corporis, puta esse claudum, gibbosum, &c. quia per hos defectus non censetur quis infamis, nec ideo bonam famam amittit: Less. num. 14. Nav. Si autem dicas defectum natalium, Medin. Bon. Sayr. & alii putant, esse mortale: Nav. Fil. Reginal. Less. n. 14. & alii putant, esse veniale: utrique probabiliter. Communiter tamen docent, esse mortale manifestare hunc, aut alium defectum naturalem, si ex ea manifestatione impediatur quis a gravi bono consequendo, vel cogatur pati grave damnum, vel graviter in audientium animis sit contemnendus: item, si dicerentur in præsentia animo convitiandi, quia sic esset dehonoratio: Mol. Nav. & alii apud Trul. Si autem dicas, Titium esse morbo gallico affectum, Nav. Sayr. & alii contra Bon. putant, non esse mortale, quia hic morbus provenire potest ex diversis causis, etiam naturalibus: nisi vero in audientium animis ingerat suspicionem peccati: Quarto, Si detegas eum, qui fictis virtutibus famam sibi injuste comparavit, peccas venialiter contra charitatem, si absque causa ejus simulationem aperias: Adrian. & alii apud Less. c. 11. n. 65. qui hanc sententiam reputat probabilem, licet probabilius putet, esse mortale contra justitiam.

Quæres tertio, An sit contra justitiam dicere crimen proximi, quod est, fuit, aut erit jam publicum?

Respondeo, Crimen posse esse publicum tripliciter, jure, facto, fama. Notorium jure est, quod scitur per Judicis sententiam, vel per confessionem rei, vel per legitimam depositionem testium. Notorium facto est, quod visum est multis, hoc est majori parti populi; & quia ex Glos. apud Sanch. l. 6. *Consil.* c. 3. d. 3. decem personæ constituunt populum; ideo, si populus, vel vicinia, vel collegium constet decem personis, sex videntes faciunt notorium facti, quia sic est major pars: si autem populus, &c. sint plusquam decem, non sufficiunt sex videntes, sed requiruntur saltem decem personæ honestæ totius populi, vel viciniæ etiam latissimæ, secundum Tamb. Armil. Ledes. & alios: & probabilius secundum Sanch. & alios requiruntur plures pro majori populo. Famosum demum est, cujus fama ex sufficientibus indiciis orta pervulgata est jam ad majorem partem Civitatis, Pagi, Parochiæ, Viciniæ, &c. itaut ad famam publicam requirantur tot personæ, quæ audierint, quot videntes requiruntur ad notorium facti juxta modo dicta. Notat item Less. ex Nav. quod, si in Collegio sint pauciores, quam decem, & septem audierint, est publicum tantum respective, non autem absolute, & simpliciter; ad hoc enim requiritur, ut adeo sit propalatum, ut cuivis innotescere possit. His expositis

Dico primo, Non esse contra justitiam loqui de crimine proximi publico quocumque ex tribus dictis modis, quia per publicitatem amisit ille jus ad famam: Doctores communiter; quare non est injusta detractio, si magis ibi publicetur, dicaturque personis alias ignaris: Less. n. 77. Si autem sit publicum in uno tantum Monasterio, quamvis videatur posse sine detractione scribi ad alia Monasteria, quæ inter se communicant, non tamen potest scribi, aut dici extraneis, quia talis publicitas non est absoluta: Mol. Reb. Croix l. 3. p. 2. n. 1221.

Dico secundo, Probabiliter non esse contra justitiam dicere in loco, ubi ignoratur crimen proximi, quod in alio loco est jam absolute publicum; quia, postquam delictum factum est absolute publicum, delinquens amisit absolute jus ad famam, itaut nemo teneatur ex justitia habere de illo bonam opinionem: ergo bonam famam, quam alibi retinet, non est de jure, sed tantum de facto, & consequenter non fit contra jus illius: Less. n. 75.

Dico tertio, Non esse contra justitiam nunc dicere proximi delictum, quod olim fuit publicum Jure, etiamsi nunc sit oblivione sepultum; quia moraliter perseverat facultas manifestandi data a Judice. Si autem fuit publicum facto tantum, vel fama, Mol. Lug. d. 14. n. 85. & alii dicunt, esse contra justitiam, quia nunc non est absolute publicum: sed adhuc probabiliter contradicunt Less. n. 82. & alii, quia jus famæ olim deperditum non est oblivione acquisitum, itaut nunc dici possit, fuisse olim probus; nisi vero dicas, illum etiam nunc esse improbum. Similiter non est contra justitiam dicere crimen, quod nihilominus erat brevi ab aliis juste publicandum; secus vero, si injuste; sic enim prævenis injuria: Croix n. 1200.

Dico quarto, Esse contra charitatem in dictis casibus loqui cum ignaris: & Primo, si in eodem loco, & tempore, ubi crimen est publicum, est tantum veniale, cum talis locutio sit secundum se actus otiosus: nisi vero

excuset

excuset utilitas andieǹtis, ut hae ratione a vitiis deterreatur, &c. Secundo, Si dicas in alio loco, ubi non est publicum, Fagun. citans Cajrt. & Nav. absolute ait, esse etiam tantum veuiale, quam senteutiam probabilem, & tollentem multos scrupulos dicit Dian. p. 2. t. 5. e. 17. Sed commuuis sententia apud eundem dicit, esse mortale; nisi forte fama erat brevi eo perventura, vel nisi sit infamatus Jure, vel nisi ille parum curet, ibi infamari: ptæsertim, si longe absit: Less. n. 78. & 79. addit tamen n. 81. quod, etsi pecces, si forte ob id tali iufamato sequatur ibi etiam damnum, puta cunjiciatur in vineula, privetue Officio, &c. tamen non teneris de tali damno, quia infamatio fuir tantum contea rharitatem. Tertio, Si dicas in alio tempore, quando desiit jam esse publicum, est mortale contra charitatem; præsertim, si ille est jam emendatus: nisi vero referas simul emendationem: pecrant ergo historici scribentes precata etiam publica mortuorum, non referendo eorum emendationem: ita Bon.

Quæres quarto, An sit contra justitiam enarrare peccatum proximi occultum, si in aliis peccatis sit diffamarus, vel si sit defunctus?

Respondeo primo, Si alia ejus crimina sint conneta, & ordinarie conjuncta cum illo, de quo est infamatus, nou esse contra justitiam; imo neque contra charitarem ea aperire, præsertim apud illos, qui principale norunt: ut si de adultero, cujus delictum est publicum, enarres scripsisse lireras amatorias, &c. quia non causatut nova infamia; nisi forte hæc notabiliter augeatur. Econtra vero iujustum est, si crimina non sint connexa, ptæsertim, si sint diversi generis; quia, qui est infamis in uno genere vitii, non ideo amisit jus ad famam, quam habet in aliis virtutibus: Les. c. 12. d. 14. Nav. Sayr. Bon. & alii communiter.

Respondeo secundo, Esse contra justitiam enarrare crimen occultum defuncti; quia vivit adhuc defunctus in bona hominum opinione, seu potius ejus virtutes, & bonum nomen vivunt: Less. c. 11. d. 21. Nav. & alii communiter: binc historici injuste referont crimina occulta præteritorum; imo, si referant crimina publira alicujus, & infamia eedundet in totam familiam, & ejus notitia parum utilis sit futuris, peccant contra charitatem: secus, si utilitas hæc sit major: Salon. Sayr. Trul. & alii: denique etiam contra justitiam peccant astrologi, qui ex astrorum observatioue, &c. crimina alicujus occulta, pandunt, &c.

Quæres quinro, An possis manifestare crimen proximi occultum ad impediendum damnum inde imminens tibi, vel aliis?

Respondeo affirmative, dummodo damnum sit alicujus momenti, nec alia via vitari possit, & crimen manifestetur ei tantum, cujus est damnum illud cavere. Ratio est, quia sic proximus non habet jus ad famam cum gravi damno injusto aliorom: Less. c. 11. n. 57. Hinc ad viranda gravia tormenta potes pandere Judici delictum proximi occultum; quia non teneris cum tanto damno servare alterius famam, Less. n. 51. & 54. & similiter ad vitanda gravia tormenta aperire potes quodvis secretum uaturale, (modo non sit pertinens ad Rempublicam) & probabilitet, etiamsi vi, vel fraude illud sciveris: Less. n. 55.

Potes pariter citra injustitiam vitium, vel crimen Titii occultum revelare Cajo volenti eum habere famulum, Œconomum, Pœdagogum, Medicum, Advocatum, &c. dummodo manifestatio criminis, & personæ sit necessaria ad damnum ejus impediendum: Less. n. 60. Similiter, cum quis ad Cathedram, Officium, Beneficium, Ordines, aut Religionem eligitue, potes informanti crimina occulta aperire: idemque est de impedimentis ex delicto occultis matrimonii. Si autem capiatur informatin de aliqua Virgine ad hoc, ut ei aliqua eleemosyna conferatur, non licet peccatum ejus occultum revelare; quia fundatores eleemosynæ id prudenter postulare non possunt: Vil. Sal. apud Trul. & alii. Noto tamen, in dictis casibus, si possibilis, & utilis speretur correctio fraterna, peccati contra charitarem, si non præmittatur eevelationi; Probabile tamen dieit Bon. non peccari contra Justitiam, eo quod nemo habet jus ad famam, pet quam aliis nocere paeat; quamvis in hoc contradicant alii communius cum Less. n. 62. Cæterum nec opus est correctione fraterua, quando imminet damnum Communitatis, ut si quis vellet Rempublicam prodere, vel esset oeeultus hæreticus: item, quando in defensione propria testi falso crimina occulta objiriuntur: item, si reveles Judici Petrum in casu, quo homiridium occulte ab eo commissum falso imputatur Cajo, qui proinde esset plectendus: monere tamen debes prius Petrum, si fieri potest, ut se ponat in turo: Mol. & alii.

Quæres sexro, An præciso dicto damno vitando, licitum sit revelare occultum ptoximi ecimen uni, vel duabus personis.

Respondeo, Licere in duobus casibus: Primo, si post correctionem fraternam adhibeantur duo restes, etiam ignari; quia hoc postulat ordo correctionis Evangelicæ: Secundo, si reveles viro cordato ad petendum consilium, vel remedium, dummodo absque manifestatione personæ consilium, vel remedium adhiberi non possit: Doctores communiter. At si mere ex levitare, vel loquacitate dicas uni, vel duobus viris cordatis, Cajet. Nav. Cordub. Dian. Dicastil. Tamb. & alii putant, esse tantum veniale, quia est leve detrimentum famæ, modo non sit peticulum divulgationis, vel alterius incommodi. Neque obstat, inquiunt, paritas de judicio temerario, quod est mortale, etsi nulli manifestetur. Nam, non ideo est mortale, quia judicas malum de proximo, sed quia male, hoc est ex levibus indiriis. Similiter uxor cum marito confabulantes de gravibus delictis externorum, a mortali non excusantur, nisi adsit causa damni impediendi, juxta jam dicta; quæ tamen causa cum fere semper adsit in rebus domesticis, ideo videntur posse licite colloqui de delictis etiam occultis filiorum, ar famulorum, ut recte ait Bon. nisi vero possit v. g. mater aliter mederi damno filiæ stupratæ, paree emendationi filiorum, &c. Similiter, si Titius occultum proximi delictum revelavit viro probo, & cordato, confidens, illum nemini revelaturum, qui tamen aliis revelavit, ideoque factum est publicum, Titius sub gravi tenetur coram illo viro probo restituere famam: coram aliis vero non teuetur, ut patat. Sicuti, econtra tenetur, si revelaverit viro non probo, prudenter suspicans, illum non taciturum, quia sic ipse prioe est in causa publicitatis: v. Trull. & alios.

Qui autem injuriam ab aliquo ocrulte sibi factam enarret amico; si id faciat, ut consolationem ab amico accipiat, vel ut quærela sic exposita dolor mitigetur, secundum omnes non est peccatum saltem mortale; quia jure suo uti videtur, cum nimis duerum sit, ut quis injuriam acceptam solus in silentio concoquat, nec possit cum amico cordato, ut supponitue, communicare: Less. d. 12. Sayr. Bon. Nav. & alii. Quam ob causam excusari possunt famuli iuvicem detegentes injurias sibimet factas a dominis suis; uxores, quæ a marito; filii, quæ a patre; Religiosi, quæ a Prælato arcepta doloris mitigandi causa referunt. Imo, si persona occulte gravitre injuriata, nou valens se a dolore cohibere prorumpar in querimonias publiras, non illico de mortali damnatur, si sic, qui injuriavit, infametur; quia satis durum videtur sic afflictum animum cohibere, ne in querimonias prorompat, cum hoc sit naturale: De la Crux apud Trul. v. Dian. p. 3. t. 5. t. 32.

Quæres septimo, An, qui grave aliqnid occultum ex auditu refert aliis, absque tamen assecuratione, sed dubitante, peccet gravitee contra justitiam?

Respondeo, Cajet. Nav. Gob. & alios absolute dicere, non percare gravitee, si referat audita ut audita, non asserendo, neque affirmando tauquam certa, sed dubitanter, & cum hæsitatione; quia sic fama absolute non tollitur, sed tantum quasi semiplena, uti pee dubium, vel suspicionem. Hanc sententiam, ob rationem, & auctoritatem existimat probabilem Dian. p. 2. t. 5. e. 28. cum Sot. Sylv. Armil. Sa, & aliis; ideuque inferune, quod, etsi audientes credaut, & ut certum publicent, tamen ipse referens non tenetur ad restitutionem famæ; quia hæc non fuit læsa ex culpa ipsius referentis, sed ex culpa audientis leviter credentis, ut certum, qnod non est dictum tauquam certum. Equidem cum Trul. Sal. Dicastil. & aliis, id admitto, si eeferas, ut auditum a non fide dignis, indicando persuuas; vel tu apud audientes non sis fide dignus, & crimen sit ex communibus, uti etiam persona, de qua loqueris: quare, si plebejus de alio plebejo ex auditu hæsitando referat delictum aliquod ex communibus, puta furtum, fornicationem, &c. tantum venialiter peccat, quia hic ex se leve nocumentum infert, & levem suspicionam; adeoque, si audientes credant, ex levitate, vel malitia propria credunt, quod est illis imputandum: si autem id ipsum ille prævideat, vel ex odio referat, peccat graviter contra charitatem, sed probabiliter nou tenetur sub gravi restituere famam, qnia actio ejus exrerna est tantum levis: Trul. & alii.

Contra vero videtur ex se mortale revelare crimen gravissimum proximi, puta hæresim, sodomiam, falsificationem monetæ, &c. etsi id hæsitando fiat a quocumque, & de quocumque reveletur; quia per sa læditur notabiliter proximus, cum quivis rationabiliter mallet de seipso credi v. g. adulterium, quam suspicari hæresim,

&c. Similiter, etsi peccatum sit ex communibus, si tamen referantur de persona maximæ auctoritatis, quamvis hæsitando, & dubitando, est mortalis detractio; quia tantam infamiam sic inducis, quantam induceret alius inferioris sortis assertive referendo: etenim majorem suspicionem gignit referre fornicationem de honestissima femina, quam si de aliis inferioris sortis referretur.

Quæres octavo, An sit mortale manifestare occultum crimen, tacendo personam in particulari?

Respondeo negative, Si prudenter putes, audientes non venturos in notitiam personæ, nec illud redundare in infamiam communitatis, quia sic nemini detrahis: Doctores communiter. Hinc non est mortale dicere, in tali Oppido adesse multos pravos, & improbos homines, vel unum Canonicum talis Ecclesiæ commisisse simoniam, fornicationem, &c.; quia non manifestatur persona, ut suppono; & tales Commnoitates non profitentur tantam perfectionem, ut ex tali dicto censeantur infamari: Nav., Trul., & alii: idemque est, si manifestes delictum Religiosi innominati, quod tamen constat esse frequens in ea Religione, vel Monasterio: nisi vero ex hoc Religio, vel Monasterium amittat aliquem splendorem, ut inquit Nav., vel occasionem præbeat, cur alii in judicium temerarium incurrant.

Contra vero est mortalis detractio, si dicas unum innominatum ex tali Religione, vel Monasterio (de quo est optima existimatio) inventum esse cum meretrice, &c., quia sic redundat in infamiam communitatis: idemque est, si publices aliquid de aliquo, quod redundet in infamiam familiæ, vel si in tali Monasterio dicas, non esse observantiam, quod male vivitur, quod ibi simonia exercetur, &c., nisi alias esset notorium. Idem demum est, si dicas, omnes cujusvis Communitatis, Collegii, Oppidi, &c., esse improbos, fornicarios, simoniacos, &c., quia sic infamatur immediate tota Communitas, & singulæ ejus partes, inter quas fere semper sunt aliqui innocentes. Notat tamen Azor. apud Trul., quando quis asserit de aliquo Collegio, vel Oppido, esse infame, hunc loquendi modum regulariter non ita accipi, quasi omnes sint infames, sed solum multos eorum esse infames.

Quæres nono, An sit mortale conficere libellos famosos?

Respondeo, Esse peccatum gravissimum contra charitatem, & justitiam; est enim libellus famosus, seu infamatorius, *Scriptura publica, qua occulti defectus proximi manifestantur*: quæ manifestatio, si fiat cum occultationa Auctoris, pertinet ad detractionem; sic enim quasi reveretur personam proximi, & quasi in absentia eum infamat: si vero nomen suum ponat, pertinet ad contumeliam, cum sic quasi in præsentia videatur inhonorare: Caietan., & alii. Conficiens aliquem ejusmodi libellum contra summum Pontificem, vel alium Cardinalem est excommunicatus ex quadam Extrav. Pii V. apud Trull., de qua tamen dubitat Bonac.; item, qui ejusmodi libellum conficit, detinet, vel publicat contra Religionem Dominicanorum, & Franciscanorum, incurrit excommunicationem reservatam Papæ, ex Constit. Alex. III.: quod Salon., Sayr., & Bon. extendunt etiam ad reliquas Religiones Mendicantes, ob communicationem Privilegiorum: sed hoc negant Navar., Trull., & alii. Cæterum nomine libelli famosi non venit, qui parum lædit famam, vel honorem; cum hi potius sint facetiæ quædam: neque privata Epistola missa ad privatum, etiamsi occultum grave crimen exprimat; nec scriptura publica continens publicum vitium: sed venit scriptura continens infamiam, ut fiat publica; &, secondum Bon., & alios, etiam Schedula delata ad Superiorem continens delictum occultum, & posita in loco, ut Superior inquirat de crimine: item signum appositum v. g. domi alicujus, quo ille infametur: v. Trull. l. 7. *Decal.* c. 10. d. 27.

Quæres decimo, An audiens detractorem peccet?

Respondeo, Si verbis, vel signis induxit detractorem ad detrahendum, peccat gravius detractore, quia illum ad peccandum inducit; tenetur autem ad restitutionem famæ in defectu detractoris, quia fuit tanquam Consulens: Doctores commuoiter cum D. Th.: talis est, qui sine justa causa interrogat de aliorum defectibus, & sic est causa, cur illi publicentur: excusatur tamen a mortali, si invincibiliter ignorans detractionem futuram gravem interroget, sed detractor præter ejus opinionem graviter detrahit: Navar., Bonac., & alii apud Trull. Si autem interroget ex justa causa, puta ad rectam provisionem, electionem, matrimonium, &c., non peccat, modo id faciat caute, & absque periculo, quoad fieri potest, publicationis.

Si non induxit, sed tamen delectatur de ipsa detractione proximi tanquam de ejus malo, peccat graviter contra charitatem; non tenetur tamen restituere (nisi sit Superior, juxta mox dicenda) quia non est causa infamiæ: Less. c. 11. n. 20.; ubi etiam notat, esse tantum veniale, delectari solum de eloquentia detractoris, vel de sola curiosa cognitione peccatorum proximi, nisi desideret etiam ipsam detractionem, vel placeat illi, quod alter de proximo detrahat, quia sic gaudet de ejus peccato. Cæterum, si detractio sit coram uoo, vel duobus, probabile est, nec audientem peccare mortaliter, quomodocumque irrogetur, &c., juxta dicta quæsit. 6. Si demum nec induxit, nec delectatur, tamen commode potens impedire non impedit; tunc, si ipse est Superior, puta Prælatus, Pater, Dominus, &c., peccat & tenetur restituere famam in defectu detractoris, quia ex officio tenebatur impedire, juxta dicta q. antecedenti c. 4. Si vero non sit Superior, debet ex charitate quidem corrigere, vel discedere, vel alio sermonem avertere; sed, si maneat, & ex verecundia, timore, vel alia etiam minus sufficienti causa non corrigat, non videtur peccare graviter, modo non ostendat, sibi id placere, sed composito vultu audiat: Sanch. l. 1. *Consil.* c. 3. d. 7. n. 1. Cæterum nullo modo peccat, si non putet profuturam suam monitionem, vel mutuat grave damnum, vel, si rationabilis verecundia obstet: ut, si sit famulus, filius, aut nullius auctoritatis: nisi vero possit discedere, aut sermonem alio divertere: Less. n. 22., Bonac., & alii. Addit Busemb. ex Lug., & aliis, æqualem raro, inferiorem rarissime teneri corrigere detractorem: tum quia plerumque nescit, an delictum sit notorium; tum quia cœpta jam detractione melius consulitur proximo, si sinatur absolvi; tum quia sæpe sine gravi offensione non potest corripere; tum quia sæpe alter habet justam causam manifestandi, præsertim uni soli. Denique, qui audiens delictum proximi innominati, procurat cognoscere personam, peccat, si faciat ob malum finem; leviter tamen, si ex curiositate, vel levitate absque periculo publicationis, secundum Navar., vel si aliunde etiam scire posset, sine interrogatione alterius, &c. Nullatenus vero peccat, si ob bonum finem interroget: v. g. ad rectam provisionem, electionem, matrimonium, &c., modo ab iis informationem accipiat, qui non possunt obesse: Trull. d. 4. n. 7.

Quæres demum, An peccet, & ad restitutionem teneatur, qui violat secretum naturale?

Respondeo affirmative, Præsertim si talis violatio redundat in detrimentum, vel injuriam alterius, ut accidit, quando quis gratia petendi consilii aliquid manifestat Advocato intendens, secretum celari, & Advocatus hoc violans est causa detrimenti, seu injusti damni alterius: Doctores communiter cum Bonac. *de Restit.* d. 2. q. 2. Addunt tamen, quod, si violes secretum cum levi damoo, vel injuria alterius, peccas tantum venialiter, etiamsi secretum fuerit tibi commissum, hoc est acceptum sub pacto antecedente tacendi; qoia, quamvis sic tenearis ex justitia ratione pacti onerosi, tamen ratione parvitatis materiæ excusaris a mortali. Addunt etiam cum Azor., Trull., & aliis, nec esse mortale aperire secretum, etiam magni momenti, uni, vel duobus, qui illud celabunt: ut, si maritus dicat uxori, amicus alteri amico fideli: quia sic non videtur redundare in grave damnum, vel injuriam alterius, dummodo non dicatur illi, cui certo, vel probabiliter creditur, eum, qui secretum commisit, voluisse celari; sic enim fieri videtur gravis ei injuria, si materia sit gravis: Trull. & alii.

Ex dictis infers primo: Eum, qui per injuriam, vel fraudem extorsit secretum, aut qui novit aliquid ab alio, cui commissum illud erat sub secreto, teneri ad servandum secretum, & consequenter obligari ad restitutionem ex violatione secreti; qoia non est melioris conditionis eo, qui primo accepit sub secreto, vel qui absque vi, vel fraude secretum novit: Bon., Trull., & alii communiter.

Infers secundo, Peccare mortaliter eum, qui injuste aperit, & legit alterius literas sigillo munitas, si ille, qui eas misit, aut asservat, valde cupiat, eorum sensum occultum teneri, quia sic fieri potest, ut, quamvis non adsit notabile detrimentum, nihilominus tanta fiat injuria, ut pertingat ad mortale: Mol., Lop., Bonac., & alii: idem est, si secretum inde per injuriam extortum aliis revelet, itaut teneatur etiam ad restitutionem damni, quod inde provenit: Doctores citati. Qui vero prudenter putans, non esse periculum gravis injuriæ, aut notabilis damni, eas aperit, & legit ex curiositare, aut causa sciendi novitates, aut videndi ob inelegantiam scriptoris, &c., non peccat graviter, cum nulli faciat injuriam

riam

xiam gravem: Azor., Navarr., Bonac., & alii. Nec simpliciter peccat, si id faciat ratione amicitiæ, vel alia de causa credens, adesse voluntatem interpretativam scribentis, aut ejus, ad quem scribuntur: uti nec, qui id facit auctoritate legitima, ut Superiores in aliquibus Religionibus, Duces in bello, Principes, &c. ad obviandum malo publico; imo, nec qui id facit ad præcavendum sibi damnum injustum, quod in illis contineri prudenter timet: Doctores cit. Qui autem literas laceratas, & in publicum a domino abjectas colligens legit, peccat ad summum venialiter, graviter vero, si casu sint a domino perditæ, aut apud se retentæ, aut in ignem projectæ, ut comburantur, &c., cum sic censeatur dominus nolle cedere jure suo, nec dimittere secretum, Rebell., & alii apud Croix n. 1236. addens etiam, eum, qui furtive legit scripta alterius, posse peccare graviter, si nimirum scriptor valde cupiat esse secreta, gravissimeque sit laturus; quisque enim habet jus secreti in suis scriptis: Nav., Busemb., & alii.

Infers tertio, Non peccare eum, qui vi tormentorum compellitur revelare secretum naturale sibi commissum; imo etiam juratum (& probabiliter, etiamsi per fraudem extortum, secundum Trul, & Nav. apud Croix n. 1233., Excipe, nisi ex tali revelatione sequatur damnum grave publicum, ad quod vitandum tenetur quisque potius mortem subire, vel nisi sint habentes officium publicum, ut Judices, Scribæ, &c., quibus causæ graves etiam privatorum sunt commissæ, puta de vita, de ducatu, de maximo honore, &c.; si enim invadantur ab aliquo litigantium sub mortis pœna, ut merita causæ prodant, tenentur potius mortem pati: secus vero, si causæ non sint adeo graves, & aliunde per compensationem saltem reparabiles: Saneb., & alii apud Trull.

Infers quarto, Nos aliquando teneri revelare secretum nobis commissum, quoties scilicet taciturnitas vergit in damnum communitatis, vel innocentis; quia secretum non potest obligare contra charitatem alteri debitam: idque verum est, etiamsi secretum sit promissum cum juramento, quia juramentum non est vinculum iniquitatis: Regin., Bon., Trull., & alii. Excipit tamen Less. ex Sot. apud Trull., quod, si Titius occidit Cajum, cujus mors imputatur Paulo innocenti, & Titius suum homicidium tibi sub secreto revelavit, non teneris tu manifestare ad salvandum Paulum innocentem; quia hujus damnum per accidens sequitur ex peccato præterito Titii, qui nec tenetur illud impedire manifestando seipsum, & consequenter neque tu teneris ipsum manifestare.

§. II.

Ad quid teneatur Detractor?

Duplici modo ex dictis potest quis esse detractor; vel imponendo proximo crimen falsum, vel propalando verum, quod erat occultum: & utrovis modo dicemus hic, illum teneri ad restitutionem non solum famæ, sed & damnorum in bonis fortunæ ex detractione secutorum. Igitur

Dico primo: Detractor, qui imposuit proximo crimen falsum, tenetur ex justitia restituere famam, & reliqua damna in bonis fortunæ, si quæ inde sunt secuta: Doctores communiter. Ratio est, quia horum omnium fuit causa injusta. Hinc, quoad famam, tenetur adhibere omnem diligentiam, ut ea falsa opinio ab audientium mentibus tollatur; ideoque tenetur coram iisdem affirmare, se deceptum fuisse, aut falsum dixisse; &, si hoc non sufficiat, tenetur dicere, se mentitum fuisse; &, si neque hoc sufficiat, tenetur cum juramento se retractare, quia adhiberi debet revocatio efficax, ut notat Less. c. 11. n. 106. cum aliis communiter. Quod, si neque hoc sufficiat, Sot., Salon., Bon. dicunt, teneri adhibere testes veritatis: sed hoc non esse in more positum, dicunt Nav., Trul., & alii.

Neque obstat, quod talia se infamet, dicendo v. g., se mentitum fuisse; nam tenetur famam læsam alterius cum æquali, vel etiam paulo majori jactura suæ famæ resarcire, ut servetur æqualitas. Hinc, qui detraxit per libellum famosum, tenetur restituere contrariis scriptis, vel publica revocatione: &, qui in judicio deposuit falsum contra alterum, tenetur in eodem judicio palinodiam canere, etiamsi subire debeat pœnam talionis, vel æqualem pœnæ alteri injuste infligendæ: Doctores communiter. Contra vero non tenetur se infamare, si ipsius infamia, vel damnum sit longe majus: quare Villal., Dian., & alii docent, quod Vir gravis, Episcopus, &c., qui falsum crimen privato imposuit, non tenetur dicere, se mentitum fuisse; id enim esset ei dedecori longe majori, quam crimen privato impositum, ideoque sufficit, secundum Tamb., si restituat famam eo modo, quo tenetur restituere, qui verum crimen propalavit, juxta dicenda conclusione secunda.

Demum falsus infamator restituere debet omnia alia damna in bonis fortunæ, & lucra cessantia ex suo dicto secuta: v. g. si falso infamatus amisit inde officium, beneficium, cathedram, &c., est in integrum restituendus: si autem spem tantum habebat ad ea obtinenda, restitui debet, quanti valebat talis spes, e qua per talem infamiam fuit dejectus: Bon., & alii communiter.

Dico secundo: Detractor, qui verum, sed occultum crimen propalavit, tenetur etiam ex justitia restituere famam, & alia damna inde proximo secuta: Doctores communiter. Ratio est eadem; etsi enim talis proximus esset reus coram Deo, non tamen coram hominibus, adeoque adhuc habebat jus ad famam, & ad bona inde provenientia. Hinc quoad famam, tenetur talis detractor pravam de eo opinionem ab audientium animis tollere, dicendo eia, se male, vel injuste locutum fuisse: qui modus, quamvis utilis sit apud simplices, & rudes, non tamen apud prudentes, & ingeniosos, cum hi ea eo magis potius confirmentur, ut bene notant Navar, & alii. Quare idem Nav., Regin., Arag., Mol., & alii dicunt, satis esse laudare infamatum, & honorifice de eo loqui apud eosdem auditores, & in eo fere genere, in quo infamasti; occasione tamen dextere, ac prudenter quæsita, & id usquedum ille famam ablatam cum effectu recuperet. Si autem hic modus non sufficiat, Nav., Trul, & alii contra Bonac., & alios dicunt, posse, atque adeo debere dicere, se errasse, imo etiam se mentitum fuisse; quia, licet sit verum crimen, non est tamen verum publicum, ideoque non dicit mendacium.

At quoad alia damna in bonis fortunæ, Sot., & alii probabiliter docent, talem detractorem teneri tantum ad partem arbitrio viri prudentis; quia quoad publicitatem tantum est causa culpabilis. Sed alii communiter cum Navarr., Less. n. 103. dicunt, teneri ad totum, quia injuste publicavit: si autem indiscreto zelo rem publice detulit, ut vitetur v. g. mala electio, &c., non tenetur restituere damna secuta, bene tamen famam in publico perditam: Less. c. 12. n. 114.

Quæres primo, An detractor teneatur restituere famam non solum apud suos auditores, sed etiam apud eos, quibus iidem auditores retulerunt?

Respondeo, Si detractor prudenter putabat, suos auditores non esse revelaturos aliis, non teneri etiam apud hos restituere; quia sic infamia per illos illata censetur quasi fortuita, & per accidens respectu illius: Less. n. 111., Villal, Dian., & alii. Contra vero, si advertit, vel dubitaverit, auditores suos facile apud alios oblocuturos, tenetur apud hos etiam restituere, tanquam causa culpabilis, in defectu tamen suorum auditorum, qui primo loco tenerentur: Bon., Trul, & alii. Teneris vero primo loco, si ideo dixisti, ut illi in gratiam tui apud alios obloqueretur, quia sic es mandans: Tamb., & alii. Addit tamen idem Tamb. ex Fabr. apud Dian. l. c. t. 5. r. 34., quod, si nihil advertens, an tui auditores sint graves necne? probabiliter teneris apud ipsos tantum restituere; quia, cum nemo præsumatur malus, seu facile oblocuturos, non censeris cooperari cum illorum peccato.

Quæres secundo, An teneatur famam restituere, qui sine culpa infamavit proximum?

Respondeo affirmative, Quando scilicet deinde advertit, ex suo dicto proximum fuisse injuste infamatum; quia justitia non solum præcipit, ut ne quis det causam damni, sed etiam ut eam tollat, si foret posita, etsi inadvertenter, ab eodem sit, ut si inculpabiliter incendisti segetem, teneris, si potes, ignem accensum extinguere: ergo similiter, si inadvertenter, vel si bona fide existimans, crimen Petri esse verum, & publicum narrasti, vel si de Titio dicas crimen, quod audientes per errorem intelligant de Petro: Mol., Less., Lug. d. 15. n. 4., quamvis aliqui apud Tamb. dicant, teneri tantum ex charitate, quod Haun. apud Croix. n. 1243. vocat probabilissimum. Cæterum, si is interim aliquid damni etiam sit passus in aliis rebus, non teneris de hoc damno, quia non es hujus causa culpabilis, antequam sciveris tuum errorem: Less. c. 11. d. 32., Bonac., Trul., & alii. Noto insuper, quod, qui inculpabiliter detraxit, non tenetur restituere famam cum detrimento famæ suæ etiam æquali, sed tantum, quatenus sine notabili incommodo potest, quia minus stricte tenetur, ac si culpabiliter infamasset: Mol., Less., Lug. d. 15. n. 4.

Quæres tertio, An teneatur famam restituere, qui detraxit defuncto? & an, si ipse detractor sit mortuus teneantur ejus hæredes?

Respondeo: Ad primum affirmative, quia defunctus retinet jus ad famam: cui proinde juri nec possunt hæredes cedere, nec de illo transigere, cum remaneat defuncti, quamvis possunt remittere jus prosequendi litem contra detractorem: uti etiam alia damna inde secuta in familiam, quia hæc non sunt jura defuncti, sed hæredum: Bon., Dicastil., & alii communiter. Ad secundum, Hæredes detractoris non tenentur restituere famam; quia hæc obligatio, cum sit pure personalis, non transit ad hæredes: tenentur tamen de aliis damnis inde secutis; quia obligatio compensandi damnum fortunarum, cum habeat respectum ad bona infamatoris, transit ad hæredes: Laym., Busemb., & alii.

Quæres quarto, An in restitutione famæ fieri possit compensatio?

Respondeo, Certum esse, quod, si Titius v. g. te infamavit, non potes tu vicissim eum infamare; quia hoc est manifesta vindicta, quam nemo privata auctoritate potest facere; ideoque peccas mortaliter, si falsum crimen imponas, ut elidas detrahentis auctoritatem tibi noxiam, ut constat ex prop. 43. damnata ab Inn. XI. *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* & prop. 44. *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat; &, si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia*. Et ratio damnationis est, quia est mendacium in re gravi, & est contra jus ad famam, quod habet ille, ne scilicet lædatur circa materiam, in qua est innocens; neque hoc est medium unicum, & certo efficax ad tuæ famæ, vel honoris defensionem. E contra vero potes crimen verum occultum detrahentis, vel falso accusantis manifestare, quantum necessarium est ad elidendam ejus auctoritatem, quia ad hoc ille non potest esse rationabiliter invitus, si hoc sit medium unicum, & efficax ad tuæ famæ defensionem: quod, secundum Sanch., & Less. c. 11. d. 7. verum est, etiamsi illud sciveris sub secreto naturali, imo, etiamsi per fraudem extorseris; quia nemo tenetur alienum depositum cum gravi suo incommodo servare, & fur potest uti equo furtivo in urgente necessitate. Hinc etiam fit, ut, qui ab alio falsa calumnia impetitur, possit dicere, quod mentitur; quamvis hoc sit illi ignominiosum; idemque dicunt aliqui apud Croix n. 1298., etsi verum sit crimen, quod illi objicit, dummodo sit occultum, quia calumniator adhuc mentitur quoad famam publicam.

Cæterum, si tu alium injuste infamasti, qui te antea infamaverat, non teneris ad restitutionem, si ipse tibi restituere nolit, sed potes uti compensatione, dummodo infamiæ, & damna sint æqualia; quia fama est etiam debitum temporale, cujus sumus domini: ideoque talis compensatio poterit fieri etiam altero invito, si ipse nolit restituere, & a fortiori multo magis mutuo consensu, si possint condonare, itaut fama ad alios etiam non pertineat: Less. c. 11. n. 133., Bonac., & alii, contra Nav., Cajet., & alios. Dixi, *Dummodo infamiæ, &c.*; nam, si sint inæquales, & hæc inæqualitas sit divisibilis, puta, si tu publicasti diversa crimina ejus, qui unum tuum publicaverat, teneris restituere, donec reducatur res ad æqualitatem: si autem ea inæqualitas sit indivisibilis, ut si ille te infamavit de furto, tu illum de hæresi, tunc potes illius famam instar pignoris retinere, donec ille restituat. Less. n. 134. Bon., & alii.

Addit idem Less. n. 136. probabile esse, quod, si intulisti Petro damnum in rebus fortunæ, & ille te injuste infamavit, possis etiam sic compensare, non restituendo scilicet bona fortunæ, si ipse nolit tibi famam restituere; quia probabilis est opinio eorum, qui dicunt, infamiam esse pecunia compensandam, quando in suo genere non potest restitui, vel quando non vult infamator restituere: quamvis oppositum sit probabilius juxta dicta d. 1. q. 8.

Quæres quinto, Quæ sint causæ excusantes a restitutione famæ.

Respondeo, Esse posse octo: Prima est libera condonatio facta ab infamato, modo ejus infamia non redundet etiam in alios, puta in ejus familiam, monasterium, &c. Secunda est justa compensatio, ut modo est dictum. Tertia est, si fama sit alia via jam recuperata, ut si infamasti Titium de hæresi, de qua deinde constat per publicam sententiam esse vere innocentem, non teneris famam restituere, teneris tamen de aliis damnis, si qua inde sunt nata. Quarta est, si infamia prudenter existimatur abiisse jam in oblivionem; tunc enim non teneris, sive falsum imposueris, sive verum: nisi vero periculum sit, ut reviviscat: Less. d. 18., ideoque adolescens, qui apud amicos jactavit, se talem puellam cognovisse, si postea elapso tempore v. g. 20. vel 30. annorum recordatur talis detractionis, sed prudenter credit, amicos oblitos fuisse, non tenetur de fama, sed tantum de aliis damnis interim secutis: imo, si tantum probabiliter id credat, non debet eos interrogare, an meminerint, quia sic fieri potest, ut refricetur eorum memoria: Nav., Bonac.; & alii. Quinta est, si crimen occultum a te dictum alia via, & ratione fiat publicum; quia tunc nihil proderit tua retractatio: teneris vero, si publicitas ortum duxit a tuo dicto, ut patet: Less. d. 26., Nav., Bon., & alii. Sexta est, si restitutio famæ sit impossibilis: ut, si restitui non possit sine vitæ periculo, sine maxima seditione, & scandalo, vel quia jam non credetur, quomodocumque se retractet; tunc enim nec tenetur ex justitia famam pecuniis compensare, ut probabilius diximus d. 1. q. 8. Idemque est, si non possis restituere alterius famam sine amissione tuæ famæ longe majoris momenti, juxta jam dicta. Septima est, si tibi detractori non est adhibita fides, utpote nullius auctoritatis, vel quia ab audientibus censeris mendax, aut jocose loqui: qua ratione excusari possunt multi a tali restitutione, cum non sint causa sufficiens infamiæ; etsi hæc per accidens sit inde secuta, juxta jam dicta. Octava, si is, cui detrahis; honori potius, quam infamiæ illud tribuat, ut si de aulico, aut juvene lascivo dicas, illum ardenter amare; vel de milite, aut nobili descendisse in duellum; de publica meretrice concubuisse cum lenone, &c.

CAPUT II.

Quæ Restitutio facienda sit ex contumelia?

CONTUMELIA est *Manifestatio defectus proximi in præsentia, vel quasi præsentia cum injuria, per quam ille dehonoratur*. Committitur dupliciter: Primo privative, non exhibendo honorem, aut reverentiam debitam, ut si Prælato transeunti caput non aperias: Secundo positive efficiendo illum contumelia, quæ proprie est manifestatio delicti, ut si dicas, *es latro*; vel convicio, quod est proprie manifestatio pœnæ, ut si dicas, *es infamis*; vel opprobrio, quod proprie est manifestatio defectus naturalis, ut si dicas, *es nothus, &c.*, vel demum, si irrisione, sannis, alapa, aliisve dictis, vel factis illum dehonores. Quæ tamen omnia sunt peccata ejusdem speciei, cum una sit ratio formalis, scilicet dehonoratio in præsentia, vel quasi præsentia, ut cum fiunt absenti, tanquam præsenti: verum Bon., Mol., & alii contra Azor. probabilius dicunt, si fiant parenti, esse contra pietatem, idque in confessione explicandum: si vero aliis, satis esse dicere, *Graviter dehonoravi proximum*, quovis modo dehonoraveris: his expositis

Dico: Qui injuste læsit honorem proximi, tenetur illum restituere, seu pro illo satisfacere, sive læserit publice, sive privatim coram ipso solo: Doctores communiter. Ratio est, quia fecit veram injuriam contra justitiam, & rem alterius scilicet honorem, quam injuste abstulit. Hinc, si dehonoravit privative, ut satisfaciat, debet exhibere honorem, & reverentiam, quam non exhibuit; atque hoc sufficit secundum Less. c. 11. d. 27.; nisi vero adfuerit etiam contumelia interpretative positiva, puta si aliis honorantibus Prælatum transeuntem, tu illum sine ullo honoris signo imprudenter aspicias; sic enim teneris illi honorem restituere per satisfactionem juxta mox dicenda.

Si quis autem dehonoravit positive, sive sit inferior; sive superior, tenetur satisfacere; & quidem, si dehonoratio fuit publica, requiritur satisfactio publica coram iisdem: si fuit secreta, secreto est facienda. De modo autem satisfaciendi est difficultas; Cajet. enim ait, sufficere eum salutare, quem antea non salutaveras, vel vocare eum illustrem, quem antea dehonoraveras; nec teneri ad petitionem veniæ, nisi desit alia via. At hic modus, quamvis sufficiens sit superiori relate ad suos subditos, a quibus non tenetur veniam petere, tamen non est sufficiens subditis, aut inferioribus relate ad superiorem; tunc enim requiritur petitio veniæ: Inter æquales vero satis esse videtur, adhibere dehonoratum ad mensam, dare locum honorificum, &c., Less. num. 144. Cæterum, si dehonoratione famam etiam abstulisti, teneris insuper ad famæ restitutionem, juxta dicta cap. antecedenti.

Quoad petitionem veniæ, Noto primo, neminem teneri petere veniam flexis genibus, cum fune ad collum

liga-

ligato, &c. nisi a judice ad id damnetur: Less. n. 145. Noto secundo, etiam publice dehonorantem non teneri, ut per se ipsum publice veniam petat; satis enim videtur, si per amicum, confessarium, aut aliam personam, publice tamen, honor reddatur læso: Nav. n. 521. Noto tertio, si petas veniam omnium injuriarum, & ille concedat, non censeri condonatas, nisi eas injurias, quas verosimiliter intendit ille condonare: onde, si aliqua illum lateat, quam, si nosset, nollet sine satisfactione condonare, non censetur eam condonasse: Less. n. 146.

Quæres, An injuriatus censeatur remittere honoris restitutionem, si familiarem conversationem habeat cum injuriatore?

Respondeo negative; Quia neque familiaris conversatio sufficiens censetur ad remissionem debiti pecuniarii: ergo neque honoris, qui majoris est momenti. Putat tamen Bon. cum aliis, censeri sic remittere, si valde familiariter cum eo versetur: Sed Nav. & alii melius contradicunt, nisi etiam sponte injuriatus accedat præbens signa remissionis, valdeque jocose cum eo agens; nam multi dissimulant, vel quia vivunt cum injuriatore, vel quia eo indigent, vel ad vitandam notam, aut scandalum. Et sane familiaris conversatio est de se signum odii remissi, non tamen injuriæ remissæ, cujus restitutionem potest quisque absque peccato cupere, dummodo sine odio fiat: Trull. & alii.

QUÆSTIO III.

De Restitutione bonorum Corporis.

Bona corporis sunt vita, membra, eorumque sanitas, virginitas, conjux, & libertas. Itaque videndum, Quæ sit restitutio facienda ex homicidio, mutilatione (de duello hic pauca: plura in de Censuris) stupro, defloratione, adulterio, & servitute?

CAPUT I.

De Restitutione ex Homicidio, vel Mutilatione.

Homicida est, *Qui hominem, aut animatum hominis fœtum injuste interficit*: Mutilator, *Qui ejus integrum membrum injuste abscindit*. Qui autem absque abscissione vulnerat, debilitat, infirmum, insensatum reddit, &c. etsi non sit proprie mutilator, venit tamen hic sub hoc nomine, ne multiplicentur vocabula. Videndum ergo Primo, Quis sit injustus Homicida, aut Mutilator? Secondo, Ad quid teneatur?

§. I.

Quis sit injustus Homicida, vel Mutilator?

Potest accidere, ut quis occidat, vel motilet seipsum; aut occidat, vel mutilet alterum, qui potuit esse ejus aggressor, vel alias criminosus, vel innocens.

Dico primo: Absque divina auctoritate illicitum est seipsum directe, ac positive occidere, aut mutilare: at non semper illicitum est, si indirecte, ac negative.

Ratio primæ partis est, quia peccat contra charitatem sui, & facit injuriam Deo, qui unice est Domious vitæ nostræ, & item injuriam Reipublicæ, cujus est membrum legale: quamvis probabilius sit, non peccare contra justitiam commutativam, cum nec Dei ad homines detur propria justitia, nec hominis ad Rempublicam, cum non sit ipsa domina vitæ: Trull. l. 5. *Decal.* c. 1. Dixi *Absque divina auctoritate* propter Sampsonem, & quosdam Martyres, qui seipsos occiderunt, vel ex divina inspiratione, vel inculpata ignorantia: quare his præcisis non licet seipsum occidere in detestationem peccati commissi, ut putabant Donatistæ, neque ad vitandum peccatum futurum, ad cito acquirendam gloriam, quamvis ad hunc finem possit mors desiderari, cum multa desiderari possint, quæ non possunt inferri: Less. c. 9. n. 10. neque demum ad vitandam infamiam, aliasve hujus vitæ ærumnas; nam mors omnium rerum majus malum est: D. Aug. l. 1. *Civit.* c. 18.

Ratio secundæ partis est, Quia occisio indirecta, & negativa sui ipsius est, aliquid facere, vel omittere, unde præter intentionem mors sequatur. Sed hoc aliquando licitum est, aliquando etiam debitum, etiamsi scias certe, mortem secuturam: sic, quamvis virgini non liceat ad castitatem ab invasore servandam seipsam directe occidere, licite tamen potest pro ea certo mortis periculo se exponere, puta incendendo domum, &c. Laym. & alii: item licitum est vitam corporalem exponere ad salvandam vitam corporalem Principis; imo etiam amici æqualis conditionis; itaut, si is sit ad mortem condemnatus injuste, possis pro illo te offerre: Less. c. 9. n. 30. item potes in naufragio permittere alteri tabula a te occupatam, & panem in extrema utriusque necessitate: item potes accendere pulverem navis, turris, &c. etsi scias, te momento dissipandum, ne scilicet ab hostibus occupentur, &c. Less. n. 32.

Horum communis ratio est, quia, quamvis teneamur vitam conservare, cum non simus domini, sed custodes, tamen hoc præceptum, cum sit affirmativum, non obligat ad semper, sed potest omitti ob bonum finem, necessitatem, vel magnam utilitatem, dummodo non ex ea intentione, ut directe mors sequatur: Doctores communiter cum D. Th. ideoque potest reus non fugere a carcere, etiamsi certo sciat, se morte plectendum; imo potest se etiam in carcerem includere, & judici se offerre plectendum, si faciat zelo justitiæ, aut exempli publici: & similiter, si juste condemnatus sit, ut fame pereat, potest abstinere a cibo clanculum oblato, quamvis non possit venenum per se sumere, ac positive perimere, etiamsi a Judice id ei committeretur, quia esset positive se occidere, ut docent Doctores cum Less. n. 25. 26. 28. & 29. Item potest quis a latrone invasus permittere, se occidi, ne ille in peccato moriatur; nisi vero sit persona maxime aliis necessaria, vel in peccato: Ledes. Less. c. 9. n. 56. Item potest, imo tenetur miles non deserere stationem, etiamsi certus sit, se occidendum, quia ex officio obligatur ad illum actum fortitudinis pro bono communi: Cajet. & alii: qua ratione Parochus tenetur Sacramenta ministrare cum periculo vitæ, &c. Nav. Sayr. & alii communiter.

Denique, quamvis peceet mortaliter, tanquam occisor sui, qui pœnitentiis indiscretis vitam sibi notabiliter abbreviat, ex *cap. non mediocriter de Consecr.* d. 1. tamen licitæ, & laudabiles sunt pœnitentiæ discretæ, nec notabiliter vitam decurtantes: imo Carthusiani in extremis a carnibus abstinentes non peccant etiam cum certo mortis periculo, quia laudabiliter postponunt vitam bono communi Ordinis: Lug. d. 10. n. 33. & alii contra Azor. & Escob. licite tamen possunt eas comedere, & si aliud omnino non habeant, tenentur: Sanch. l. 5. *Consil.* c. 1. d. 35. Cæterum ægrotus, quamvis teneatur cibum, vel medicamentum sumere cum aliqua spe vitæ, si tamen non possit sine magno cruciatu, consternatione, &c. non peccat, quia tunc reputatur impossibilitas quædam: item nec peccat graviter, si comedat, vel bibat rem nocivam, si credat afferre sibi aliquod nocumentum, sed non magnum: Sanch. l. 5. *Consil.* c. 1. n. 7. item nec peccat, qui potens facere expensas extraordinarias pro salute, non facit, etiamsi prudenter alioqui sequatur mors; quia sufficit adhibere expensas, & diligentiam ordinariam: Sanch. n. 2. & alii. Feminæ autem comedentes in magna quantitate carbones, cinerem, &c. peccant: secus, si semel, aut bis: Sanch. d. 2. n. 25.

Quæ dicta sunt de occidente, die pariter de mutilante seipsum, cum nec dominus sit, sed custos tantum, & usuarius membrorum: idque verum est, sive faciat odio, sive verecundia, sive indiscreta devotione, nisi ex divina inspiratione: Doctores communiter cum D. Th. secus vero, si ob bonum totius corporis, ut in sectione membri putridi, vel manuum ab hostibus ligatarum cum vitæ probabili periculo; vel testium, ob vocem plurimum Ecclesiæ profuturam, quia tunc non videtur illicitum postponere partem bono totius corporis, vel communitatis: Trul. c. 3. & alii.

Dico secundo: Non est injustus homicida, qui occidit injustum aggressorem vitæ, vel rei magni momenti, vel honoris, dummodo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ: Doctores communiter. Ratio est, quia jure naturæ licitum est vim vi repellere, ex *cap. Si vero, de Sentent. Excom.* ex quo, sicut id est permissum pro defensione vitæ, ita etiam membri, vel rei magni momenti, vel honoris, sine quibus vita ægre ducitur. Idque verum est, sive injustus aggressor sit rationis compos, sive ebrius, somnians, freneticus, amens, &c. quia semper est injustus aggressor; saltem ex parte causæ; sine justa enim causa, ut suppono, aggreditur. Si autem ille sit in peccato, tunc, si sit rationis compos, neque ex justitia, neque ex charitate teneris injuriam pati, quia sic ille non est in extrema necessitate: si autem non sit rationis compos, teneris ex charitate, si certo scias, eum esse in peccato, & te in gratia: secus, si de alterutro certus non sis: Lug. d. 10. n. 143.

Ut autem hæc occisio defensiva sit omni ex parte licita, requiritur, ut fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, quæ quatuor simul conditiones importat: Prima, Ut ille sit actu aggressor injustus: Secunda, ut non sit persona maxime præ te necessaria Reipublicæ: Tertia, Ut non possis te aliter servare indemnem. Quarta, Ut non facias, plusquam sit necessarium ad te defendendum. Hinc

Quoad primam: Si dubites de mala intentione, vel etiam ex vehementibus indiciis putes, illum velle te aggredi, es injustus, si præveniendo occidas; quia ille est in certa possessione suæ vitæ, a qua non debet ejici per tuum dubium: potes tamen te præmunire, &c. Lug. d. 20. n. 152. Si autem certo constet, eum de facto parare insidias ad mortem, v. g. si uxor certo sciat, se noctu occidendam a marito, nec possit effugere, Less. c. 9. n. 45. ait, licere eum prævenire, quia sic censetur actu aggressor. An autem liceat occidere sagam volentem inferre maleficium? Affirmant Lug. Bon. & alii; sed negat Croix *de Homicid.* n. 817. quia deferri posset ad superiores.

Quoad secundam: Si injustus aggressor sit Princeps, qui sit maxime necessarius Reipublicæ, itaut ex ejus morte multa bella, & dissensiones sequerentur, tenetur aggressus non adeo utilis pati mortem ob bonum commune; ex pietate tamen, non ex justitia, unde non esset injustus homicida, si illum occideret. Reliquos autem, etiam Dominum, Parentem, Principem omnino licite occideret: Less. c. 9. n. 42.

Quoad tertiam: Si posses fuga, vel alia via te servare indemnem absque tuo gravi incommodo, peccas certe contra charitatem occidendo invasorem; Less. tamen Tamb. & alii contra Lug. Bon. & alios dicunt, non peccare contra justitiam, neque adeo ad restitutionem teneri; quia injustus invasor videtur cedere juri suo, nec habere jus, quo te obliget ad fugam. Imo, si fuga sit tibi graviter ignominiosa, *69.* graves Doctores apud Croix *de Homicid.* num. 803. te excusant a peccato, quia sic habes jus resistendi stando, ne incurras eam gravem ignominiam; nisi vero sis Clericus, vel Religiosus, vel Laicus non habens usum armorum, &c. quia sic non est indecorum fugere. Cæterum ab Alex. VII. damnatur hæc prop. 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare:* & ratio damnationis est, quia hæc non est proprie vis, sed calumnia, quam non licet per vim repellere, sed per remedia juris, appellando, reclamando, &c. quod, si aliquando hæc fieri nequeant, accidens est rarissimum, & tribuendum proprio infortunio: non secus ac, si de cœlo vita tangatur.

Quoad quartam: Si facias plus damni, quam necessarium sit ad tuam defensionem (puta occidas, cum sufficiat mutilare, mutiles, cum sufficiat verberare, &c.) peccas graviter certe; & secundum Less. Bon. Lug. & alios communius teneris ad restitutionem pro parte saltem damni illati judicio prudentium: quamvis secundum Sylv. Mol. Salon. & alios probabiliter excuseris a restitutione, eo quod injustus aggressor censeatur consentire suis damnis. Similiter peccas, si intendas directe mortem aggressoris, quia sine tali directa intentione potes te sufficienter tueri intendendo tantum defensionem tui: D. Th. Cajet. & alii contra Less. n. 53. Dian. Lug. & alios apud Croix *de Homicid.* n. 821.

Quæres primo, Quid notandum sit circa defensionem bonorum fortunæ ab injusto aggressore?

Respondeo, Debere esse rem magni momenti, sine qua non possit secundum proprium statum vita custodiri, & sic cum dictis conditionibus occidi potest etiam a Clericis, & Religiosis fur actu furans, imo etiam cum ea re aufugiens, quia in tali fuga censetur adhuc actu aggredi: secus vero, si se recepit jam in tuto: Lug. d. 20. n. 176. dicens, esse communem. Si autem res non sit magni momenti, non licet eam defendere defensione occisiva, quia non est profundenda vita alterius ad avertendum malum leve proprium: hinc ab Innocent. XI. damnatur hæc prop. 31. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei;* & Doctores communissime adducunt, neque pro conservatione duorum, vel trium, imo nec decem aureorum. Damnatur tamen in hac prop. ly *Regulariter;* nam, si amissio sit etiam unius aurei, imo etiam minus, sine qua tamen non posset quis se sustinere, poterit is furem, ut supra, occidere: Doctores cit. E contra vero, etiamsi res sit magni momenti, si tamen actu a te non possidetur, sed tantum habes jus ad rem, quod dicitur inchoatum, vel spem certam possidendi, non potes eam defendere defensione occisiva, ut constat ex prop. 32. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus:* & ex 33. *Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, vel ne hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem:* & ratio utriusque damnationis est, quia in Republica sunt alia media obtinendi, & tuendi id, ad quod tantum habes jus ad rem.

Quæres secundo, Quid sit notandum circa defensionem honoris ab injusto aggressore?

Respondeo, Honorem impeti posse dupliciter, vel verbis, vel factis. Si impetatur solis verbis, puta calumniis, contumeliis verbosis, &c. illicitum est cuivis non solum Religioso, vel Clerico, sed etiam Laico occidere calumniatorem nitentem calumniam inferre; ut constat ex propos. 17. damnata ab Alex. VII. Et propos. 30. damnata ab Inn. XI. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequeunt:* & ratio damnationis est, quia potest aliter semper calumnia declinari, vel honor sic perditus recuperari. Similiter non licet defensione occisiva propulsare contumeliam verbalem, quia, & verbis repelli potest, & per Judicem comprimi, & castigari, &c. Less. n. 78.

Si vero honor impetatur factis: v. g. Si vir honoratus alapa, vel fuste ignominiose impetitur, potest, antequam injuriam recipiat, armis occidere invasorem, si aliter ignominiam vitare nequeat: Less. c. 9. n. 77. postquam vero recepta est injuria, peccat occidendo fugientem, ut constat ex eadem prop. damnata ab Inn. XI. *Fas est viro honorato occidere invasorem . . . si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat:* & ratio damnationis est, quia sic non haberetur defensio, sed ultio. An autem possit ad vitandam infamiam continuo repercutere, quantum satis est ad honorem recuperandum, absque ulla occisione? Affirmant Henr. & alii apud Carden. n. 64. sed hæc opinio practice sustineri non potest, nisi repercussio esset moderata, & solum ad correctionem, vel ad impediendum ulteriorem illius excessum, & non ex odio, aut vindicta, quæ difficile abesse possunt: Less. c. 9. n. 80.

Similiter feminæ honestæ licitum est occidere invasorem suæ pudicitiæ, si non potest aliter eam tueri; quamvis ex dictis non possit tunc injuriam prævenire seipsam positive occidendo, aut mutilando, nisi divinitus fuerit inspirata, ut de aliquibus legitur: Doctores communiter cum D. Th. Qui autem occidit suam uxorem in adulterio deprehensam, vel hominem deprehensum in flagranti cum ea, aut cum sua matre, filia, aut sorore; quamvis nullas pœnas civiles, neque Ecclesiasticas incurrat: tamen peccat mortaliter, nisi excusetur ratione primi motus, ut constat ex Propos. 19. damnata ab Alex. VII. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam:* & ratio damnationis est, quia talis occisio non est defensiva, sed vendicativa, quæ propria auctoritate fieri nequit, nec leges eam concedere possunt, nisi juris ordine servato, audita, scilicet, parte; ideoque secundum communissimam sententiam contra Mol. l. 4. d. 81. tenetur ad restitutionem, tanquam injustus homicida: v. Croix *de Homicid.* n. 789.

Quæres tertio, Quid sit notandum circa eum, qui provocatus in rixa, aut in duello occidit, vel mutilat provocantem?

Respondeo, Peccare, qui provocatus acceptat duellum, ut constat ex Propos. 2. damnata ab Alex. VII. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat:* & ratio damnationis est, quia hanc notam non incurrit, non si acceptando duellum dicat, se, ubicumque invadatur, paratum tueri. Si tamen acceptet, & duellando occidat provocantem, probabile est, non teneri ad restitutionem: uti neque ipse provocans, si acceptantem occiderit; quia isti tales renuntiant juri suo; scit enim uterque alterum facturum, quod poterit, & alter habet jus faciendi, quantum in se est, ut se illæsum servet: Dian. & alii apud Croix *de rest.* n. 305.

Si autem occisio fiat in rixa, occisor tenetur ad restitutionem, si fuit provocans; secus vero, si fuit provocatus; quia solus provocans censetur cedere juri suo. Si tamen Titius verbis tantum contumeliosis provocatus vellet occidere Cajum provocantem, Cajus licite se defenderet, & quamvis in hac sui defensione occideret Titium; nihil teneretur restituere, quia erat justa defensio;

Ti-

Titios enim ob verb. tantum contumeliosa non habebat jus occidendi: Tamb. apud Croix n. 306. Similiter, si qais deprehensus turpitet ageos cum uxore Titii, invaderetur armis a Titio, licite se defenderet defensione etiam occisiva, absque onere restitutionis, quia Titius non habebat jus invadendi cum armis, sed tantum accusandi. Plura ad duellum pertinentia expendemus arrepta occasione in Censuris tr. 8. d. 2. q. 3. c. 2. §. 3.

Quæres quarto, An in casibus, in quibus habes jus occidendi injustum aggressorem, possit alius id pro ee præstare?

Respondeo affirmative cum Mol. d. 18., quia id suadet charitas, dummodo is non possit aliter te defendere, quam occidendo tantum invasorem, & bic non sit ei proxime conjunctus, aut Reipublicæ maxime necessarius: Lug. d. 10. a n. 216. Atque hæc vera sunt, sive ab eo occidatur aggressor tuæ vitæ, sive tuæ rei, sive tui honoris, juxta jam dicta; ideoque addit Lug. posse ab eo occidi aggressorem rei tuæ, etiamsi tu absis. An autem hic tertius etiam teneatur, si absque gravi incommodo possit sic te defendere occidendo aggressorem? Affirmat Lug. ex cap. *Dilecto, de Sent. Exc.* Consentiunt Mol. & Bonac., si sit periculum tuæ vitæ, non vero si tuarum rerum: sed contradicunt alii apud Croix *de Homic.* n. 820., quia nec tu teneris occidere tuum invasorem, cum nemo teneatur se tueri mediis ita difficilibus, & extraordinariis, ut docent Mol. Lug. & alii communiter contra Abulens. & aliunde uterque vestrum est illi æqualiter proximus: nisi vero esses ei proxime conjunctus, aut Reipublicæ maxime necessarius: Croix loc. cit. Denique, si tu pugnans cum Titio, excitaveris Cajum pro te defendendo, qui postea occidatur a Titio, quamvis secundum Suar., & alios teneatis de hac occisione; tamen secundum Lug. d. 12. n. 58., & alios probabilius non teneris, nisi mandaveris, tanquam superior; quia secus, cum nec fraude, nec vi excitaveris, scienti, & consentienti non facis injuriam: Croix n. 307.

Dico tertio: Non est injustus homicida, quicumque occidit Bannitum: bene tamen, qui propria auctoritate occidit quemcumque alium criminosum non aggressorem: Doctores communiter. Ratio est, quia Bannitus publica auctoritate declaratus est reus mortis: ergo, quicumque eum occidit, legitime occidit, tanquam Minister justitiæ. Peccat autem contra pietatem, si eum occidat filius, parens, vel conjux: Tamb., Laym., Croix *de Homic.* n. 793. addentes, quod, si pater non possit aliter averti ab armis contra Patriam, occidi possit etiam a filio, eo quod bonum commune Patriæ tunc prævaleat. Item Clericus in Sacris peccat contra decentiam sui status, si occidat Bannitum, ut docent communiter contra Ricc. ex cap. *Sententiam, ne Clerici, vel Monachi*. Item, si occidas Bannitum extra territorium Principis bannientis, Doctores communiter docent, te teneri de damno secuto, quia sic occidis sine auctoritate, sed multi apud Laym. putant, adesse consensum tacitum alterius Principis, adeoque etiam licere: v. Croix n. 795. Denique Bannitus injuste occidit aggressorem suæ vitæ, quia auctoritate publica privatus est jure defensionis: Croix n. 816.

Reliqui Malefactores, etiamsi sint publici grassatores, raptores, &c., injuste occiduntur a privatis, nisi sint actu aggressores, juxta jam dicta, quia nondum publica auctoritate sunt banniti. Hioc neque occidi possunt a satellitibus missis ad eos capiendos, nisi illi armata manu resistant, nec ullo alio modo possint capi, & graviora mala timeantur, si evadant. Si hæc desint, non est licitum occidere eos tentantes ex eorum manibus effugere: Croix n. 797.

Si autem hi occidant satellitem, peccant, & tenentur ad restitutionem, quia ille est justus aggressor capturæ. Contra vero, si tu sis innocens, & occidas satellitem, qui ad mortem te capiat sciens tuam innocentiam, non peccas, si nequeas aliter te defendere, quia sic ille est injustus aggressor: peccas vero, si ille, ut communiter præsumitur, nesciat tuam innocentiam, quia bonum commune postulat, ut non inferatur damnum Ministris publicum officium bona fide exercentibus: Mol. Dicastil. Croix n. 816. Ideoque neque incarceratus innocens occidere potest custodem carceris, ut evadat: Doctores communiter.

Dico quarto: Est injustus homicida, quicumque directe occidit, vel mutilat innocentem, nisi Deus concesserit: Doctores communiter. Ratio est, quia facit contra jus, quod habet innocens ad usum vitæ, & membrorum: ergo nisi Deus omnis vitæ dominus concedat, committitur peccatum injustitiæ: idque verum est, sive tale homicidium sit voluntarium, hoc est formaliter ab occisore directe volitum in se, vel saltem in causa, puta in vulnere lethali, aliave causa, ex qua frequenter solet homicidium succedere; sive sit casuale improprie dictum, hoc est, si culpabiliter non est adhibita debita diligentia, ne illud sequatur, ut si dubitans, & non adhibens prius diligentiam, projicias aliquid e fenestra, quo casu transiens per viam occiditur; quia sic est saltem virtualiter directe voluntarium. Secus vero, si sit casuale proprie dictum, seu omnino fortuitum, quia sic est prorsus involuntarium & carens omni culpa.

Ex dictis infers, quod, si tyrannus peteret a Republica caput innocentis, alioqui eam subversurus, non potest Respublica eum tradere: quoniam vero ipse innocens tenetur ex justitia legali se tradere ob periculum Reipublicæ, ideo hæc potest ei præcipere, &, si non faciat, punire tradendo, quia tunc non est amplius innocens: Less. c. 9. n. 39., qui tamen merito id negat, si petita sit Virgo ad violandum, ob periculum scilicet animæ.

Quæres primo, An sit injustus homicida, qui indirecte tantum occidit innocentem ad salvandam vitam propriam?

Respondeo negative; Quia sic utitur jure suo, & dat operam rei necessariæ ad salvandam vitam propriam, quod directe intendit, etsi per accidens, & omnino indirecte sequatur mors innocentis, quam non tenetur impedire cum periculo vitæ propriæ: ergo nec contra justitiam, nec contra charitatem peccat: Doctores communiter cum D. Th. Hinc, si pressus ab injusto aggressore non possis aliter effugere mortem, nisi per viam angustam, qua infans jacens esset a te obterendus, licite omnino fugis cum ejus periculo, & interitu; quia talis fuga de se est licita, & necessaria simpliciter vitæ tuæ, & indirecte tantum, & per accidens, & præter tuam intentionem sequitur mors infantis: Less. c. 9. n. 59. limitant tamen Lug., Escob., & alii, nisi infans non sit baptizatus, & tu certus moraliter sis esse in gratia, quia tunc ex charitate prævalere debet ejus mors æterna tuæ vitæ temporali.

Similiter pressus ab injusto aggressore licite potes te abscondere retro Titium innocentem, quia talis actio de se est licita, utpote indifferens, &, ut suppono, necessaria simpliciter vitæ tuæ; ideoque non teneris de damno Titii, si interim ab ictu aggressoris occidatur, dummodo Titium per vim non tenueris. Similiter, si talia aggressor objiciat Titium quasi pro suo scuto, & sic tutius te occidat, Less. c. 9. n. 57. Lug. Tamb. Bonac. & alii dicunt, te posse jacere ictum in Cajum, etsi prævideas fore, ut feriat etiam Titium, dummodo non possis aliter tuam vitam tueri, quia per talem interpositionem non amisisti jus defensionis, nec intendis directe, ut suppono, occisionem Titii: Lug. & alii. Contra vero es injustus homicida, si occidas Titium innocentem, eo quod injustus aggressor minetur tibi mortem, nisi illum occidas; quia sic tua actio est directe, ac per se damnosa Titio, adeoque intrinsece mala, & injusta. Sic etiam, ut alibi diximus, qui metu gravi a fure coactus effringit arcam alienam, peccat ponendo actionem intrinsece malam; nisi vero habeat tunc animum compensandi illud damnum reparabile, ut limitat Less., quod tamen in casu homicidii est irreparabile.

Eodem modo illicitum, & injustum est procurare directe abortum fœtus animati, ne puella deprehensa gravida occidatur a parentibus, aut infametur, aut ob pauperiem, &c.; quia fœtus non est injustus aggressor, sed alii ab extrinseco, qui virtualiter minantur puellæ mortem, nisi illum perimat; ideoque secuto effectu incurritur hic ab omnibus cooperantibus excommunicatio Papalis. Imo, etsi hæc non incurratur, illicita tamen est talis procuratio, etiamsi fœtus nondum sit animatus, quia, etsi tunc non sit homicidium, est tamen impeditio hominis contra jus naturæ, ut constat ex Propos. 34. & 35. damnatis ab Innocent. XI. quarum prior sic habet: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*: posterior vero: *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi*. At, si mors matris immineat ab intrinseco, tunc, si ab ipso fœtu opprimente, potest mater sumere pharmacum etiam directe causativum abortus, modo fœtus nondum sit animatus, quia sic se habet, ut injustus aggressor, nec aliter, ut suppono, mors declinari potest: si vero fœtus sit animatus, non licet directe procurare abortum, quia debet prævalere bonum spirituale illius

non-

nondum baptizati: licet tamen procurare indirecte, hoc est sumere pharmacum directe, ac per se causans salutem matris, quamvis prævideatur per accidens secuturus abortus, uti etiam licitum est in quavis alia matris infirmitate, quando aliter mors utriusque declinari non potest: Sanch. & alii.

Quæres secundo, An sit injustus homicida, aut mutilator, qui auctoritate privata occidit, vel mutilat volentem?

Respondeo, Certum esse apud omnes, tum occidentem, eum volentem occidi peccare mortaliter, etiamsi omnino sponte, ac libere is velit, aut ut citius liberetur ab angustiis mortis, miseriarum, &c. quia solus Deus est dominus cujusvis vitæ, & mortis: An autem talis occisio sit etiam contra justitiam commutativam, est dubium; non enim videtur injusta in Rempublicam; nam, quamvis homo sit membrum ejus legale, tamen illa revera non est domina vitæ Civium: neque videtur injusta contra Deum; nam Dei ad homines secundum probabilem sententiam non datur justitia commutativa; remanet ergo, quod sit tantum injusta contra filios, & creditores occisi; quatenus hi habebant jus ad alimenta, & ad credita, cui juri non poterat cedere is, qui voluit occidi, juxta dicta d. 1. q. 1. c. 1. & ita tenent Lug. d. 11. n. 63. Ills. & alii apud Croix n. 310. tamen Mol. Sanch. Bosemh. Less. c. 9. n. 158. probabiliter tenent oppositum; quia filiis non fit a tali occisore injuria, nisi quatenus læduntur in patre contra ipsius voluntatem: ergo, quando pater sponte vult occidi, nullum jus læditur, aut remanet filiorum; ut patet etiam, quando fuři debitum remittit, vel aliquid donat, aut aliter alienat, juxta dicenda cap. seq. Reliqua de Homicidio sparsim dicta invenies in hoc Tractatu.

Quæ dicta sunt de occidente volentem occidi, dic proportionaliter de mutilante volentem mutilari. Excipe tamen primo, si mutilatio sit necessaria ad conservationem vitæ, ut si membrum sit putridum; sic enim licitum est abscindi, quia prævalet bonum totius; ideoque tenetur patiens id velle, modo ingens non sit cruciatus, quia tunc excusatur ratione impossibilitatis moralis, nisi forte ejus vita sit maxime necessaria bono Communitatis, pro quo sustinere debet etiam vehementem dolorem: Trull. l. 5. *Decal.* c. 3. d. 4. n. 4. Excipe secundo, mutilationem testium factam ob vocem, quæ plurimum Ecclesiæ profutura speretur; sic enim potest fieri mutilatio, cum consensu tamen patientis, dummodo fiat sine mortis periculo: Sayr. c. 9. n. 38. apud Trull. loc. cit.

Quæres tertio, Quas circumstantias injustus homicida, aut mutilator aperire debeat in Confessione?

Respondeo quinque: Prima est circumstantia personæ, si enim sit persona occisa consanguinea, est contra pietatem; si sit Clericus, vel Monachus, est contra Religionem, adeoque sacrilegium, & adnexam habet excommunicationem reservatam Papæ; si sit dignitas Ecclesiastica, scilicet Episcopus, Cardinalis, Legatus, Nontius, incurritur excommunicatio Bullæ Cœnæ; si sit adurbens victualia necessaria ad usum Romanæ Curiæ, vel ad eam veniens, commorans, aut recedens, vel ad Sedem Apostolicam recurrens ob lites, & negotia, incurritur pariter excommunicatio Bul. Cœn. si sit alterius mancipium, cum sit etiam contra jus Domini, & similiter si ex occisione secuta sint aliorum damna; Secunda est Circumstantia loci; si enim sanguis effundatur in Ecclesia, est sacrilegium, & ejus pollutio: Tertia est Circumstantia modi; si enim lenta morte, vel alia sævitie etiam in cadaver, est barbaries: Quarta est Circumstantia, quæ dicitur *Quibus auxiliis*; si enim occisor socios excitavit ad facinus, tot peccata committit, quot excitavit: Quinta demum est Circumstantia ipsius actionis, an scilicet unico ictu occidit plures? Tunc enim, quamvis probabile sit non obligari dicere, quot sint occisi, tamen non satis est dicere *Commisi homicidium*, sed dicendum, *Uno ictu occidi plures*, juxta dicta in de Conscient. q. 5. c. 2. in fine.

§. II.

Ad quid teneatur injustus Homicida, vel Mutilator?

HOMICIDA, vel Mutilator duplex inferre potest damnum, naturale, & temporale. Naturale est privatio vitæ, membrorum, vel eorum usus. Temporale est privatio bonorum, & lucrorum, quæ scilicet arte, industria, negotiatione, &c. occisus, vel mutilatus, vel usu membri privatus, lucrabatur.

Quæres primo, An injustus homicida teneatur aliquid restituere pro damno naturali?

Respondeo negative, Si occisus sit homo liber: Less. c. 9. n. 141. Nav. Ledesm. Sanch. & alii communius contra Sot. Villal. & alios. Ratio est, quia damnum naturale est creatis viribus omnino irreparabile, cum nemo possit restituere vitam ablatam: ergo non obligat ad restitutionem. Idem dic de membro mutilato, vel omnino debilitato, aut deformato, de privatione alicujus sensus, aut usus rationis: Less. c. 8. n. 2. Et sane per nullam restitutionem obtineri potest æqualitas, cum nec oculus v. g. nec ulla pars oculi amissi reparari possit per ullas pecunias: v. Croix n. 299. Dixi, *Si occisus sit homo liber*; nam, si sit servus, restituendum est domino pro ejus vita, quantum vendi poterat; & similiter pro mutilatione, aut cicatrice, quantum venderetur, si illæsus fuisset; quia servus pretio æstimatur: Bon. Laym. Sanch. p. 1. l. 1. *Consil.* d. 1. n. 11.

Quæres secundo, An injustus homicida restituere debeat damnum temporale?

Respondeo affirmative: Doctores communiter; quia hoc damnum est reparabile; & homicida fuit ejus causa efficax: ergo ex justitia tenetur illud reparare. Hinc tenetur restituere: Primo, Expensas factas in curatione personæ a se læsæ, in medicis, medicinis, & cibis carioribus rationabiliter sumptis, attenta qualitate personæ: detractis tamen iis, quæ alias ipse occisus, vel mutilatus erat consumpturus prospera valetudine utens: Secundo, Lucrum ex morte, vel mutilatione, aut debilitatione membri cessans; quanti scilicet spes illa lucri æstimatur, consideratis considerandis arbitrio boni viri; considerata scilicet ætate, quanto tempore probabiliter erat victurus: item valetudine, professione, impedimentis, &c. item persona homicidæ; diviti enim major satisfactio est imponenda, quam pauperi: detrahendæ tamen sunt expensæ funeris; nam hæ necessario sunt faciendæ etiam in morte naturali, nisi forte majores fuerint in mortis acceleratione. Putat Major, & probabile dicit Diana, detrahendos esse etiam labores, quos occisus, vel vulneratus subiturus erat in suo officio, aut opificio; sed communis sententia negat, quia si hi detrahantur, vix superest aliquid restituendum ratione lucri cessantis; cum sæpe hoc non sit majus, quam æstimatio laboris, ut in agricola, sutore, sartore, &c. v. Less. n. 20. Bon. q. ult. Sanch. n. 3. & alios docentes, tutius in hujusmodi restitutionibus fieri compositionem cum parte.

Ex dictis infers primo, Si occisus sit vir nobilis, aut alius, qui nihil lucri faciebat, nec erat facturus, nihil restituendum, præter expensas curationis, si quæ factæ sunt: pro vita vero, vel mutilatione, cicatrice, dolore, &c. solum debetur satisfactio per petitionem veniæ: nisi vero ratione mutilationis, aut cicatricis aliquod lucrum cesset, v. g. quia puella sic facta sit deformis, & ideo egeat majori dote; tunc enim hoc augmentum est restituendum: Nav. Sanch. Less. n. 245.

Infers secundo, Qui injuste hominem liberum conjecit in servitutem, teneri ex justitia ad eum liberandum; quia, quamvis libertas sit quid naturale, tamen fert secum jus, ut possit homo liber lucrari sibi, & hoc est pretio æstimabile: ergo talis læsor tenetur, vel solvere pecunias pro eo redimendo, vel substituere alium, vel, si sit ejusdem ordinis cum eo, & non sit alia via eum liberandi, seipsum substituere: Filliuc. & alii.

Quæres tertio, Cui injustus homicida teneatur restituere damnum temporale illatum?

Respondeo, Si læsus mortuus non est, expensam curationis, & lucrum cessans ipsi restituenda, quia ipsi est facta injuria. Si vero est mortuus, restituenda sunt parentibus, filiis, & uxori; quia hi omnes dicuntur necessarii hæredes, & censentur una persona cum defuncto: ergo hi in re sua, & in quadam veluti parte sui sunt læsi, & consequenter eis restituendum: Bon. Less. c. 9. n. 155. & aliis. Hinc, si filius sit occisus carens prole; ideoque parens debeat succedere, huic restitutio est facienda: similiter, si occisus habeat filios, patrem tamen sustentabat, patri etiam est restituendum: at, si occisus habeat filios, nec patrem sustentabat, eo quod is habebat alimenta, nihil patri est restituendum, quia in hoc caso non censetur in re sua læsus: Less. n. 157. ubi etiam ait, probabile esse, nihil restituendum uxori, si hæc æque commode nupsit, aut possit nubere alteri, aut si quis ea occasione det ipsi alimenta, quia sic non censetur læsa in temporalibus.

Ex dictis sequitur: Primo, Occisorem nihil teneri restituere fratribus, aliisque cognatis, famulis, aut amicis occisi, etiamsi hi ab eo alebantur; quia hi non

sunt

sunt hæredes necessarii, nec reputantur una persona cum defuncto, nec eos ex justitia, sed tantum ex charitate alebat: ita Doctores cit. cum Dian. p. 2. t. 5. r. 22., & r. 6. r. 54. Secundo, Nihil teneri restituere creditoribus occisi, quia eorum damnum per accidens censetur illatum. Neque obstat quod occisus erat his debitor ex justitia, uti erat etiam filiis; nam ratio cur restituendam sit filiis, non est hæc, sed quia reputantur una persona cum Patre, cujusmodi non sunt creditores: Less. n. 152. Si autem occisor adverterit ad creditores, Sanch. c. 4. d. 4. putat, eis restituendum; sed adhuc negant Salon., Dian., Less., nisi etiam ea intentione occiderit, ut eis noceret, quia sic eum fraude, vel dolo eos impedivit a debiti consecutione; quamvis sic enim etiam excusent Mol., & Bon. num. 3. Tertio, Nihil teneri restituere loco pio, cui occisus voverat aliquid dare; quia, si votum est personale, extinguitur simul cum persona; si reale, transit ad hæredes; &, si hi non sint, obligatio voti non est ex justitia, sed ex Religione. Animæ demum occisi, Scotus, & alii putant, esse aliquid restituendum alcemosynis, orationibus, & missis, nisi homicida subeat pœnam talionis; sed communior sententia negat, quia bonum spirituale non potest esse pretium rei temporalis: etiamsi id saluberrimum sit consilium, & posset a Confessario pro satisfactione Sacramentali injungi: Less. d. 25. Quarto demum, quod, si non extent hæredes necessarii, qui reputantur una persona cum occiso, nihil sit restituendum: Trull., & alii; addunt tamen recte Sanch., & Tamb., expensas facta pro curatione occisi, restitui debere aliis hæredibus, & in horum defectu pauperibus; quia ad has tenetur occisor ratione injustæ acceptionis. Contra vero non restituente homicida, ejus hæredes, sive necessarii, sive ab intestato, tenentur restituere, quia succedunt in bonis, modo hæc sint libera: Nav., Sanch., Sayr. apud Trull., quamvis hi non teneantur ad restitutionem famæ, vel petitionem veniæ, cum hoc sit debitum personale: Trull. n. 5.

Quæres quarto, An, si occisus omnia remiserit occisori, teneatur is adhuc restituere ejus hæredibus necessariis?

Respondeo, Lug. d. 11. n. 63. cum aliis affirmare, quia occisus non videtur posse remittere obligationem occisoris pro damnis, quæ causavit lædendo jus v. g. filiorum ad alimenta, eo quod hoc jus non pertinebat ad occisum, sed immediate ad filios, &c. Contra vero negat Mol., Sanch., Bann., Salon., Less. n. 158. quia filiis non fit ab occisore injuria in bonis fortunæ, nisi quatenus læduntur in patre contra ipsius voluntatem: ergo, quando pater expresse remittit omne debitum pecuniarium, nullum jus remanet filiis, ut patet etiam, quando furi debitum remittit. Utraque sententia est probabilis; hæc tamen videtur probabilior. Noto tamen primo cum Salonio, quod, quando læsus dicit in universum se remittere, non intelligitur quoad damna pecuniaria, quia hæc debent specialiter exprimi, sed intelligitur tantum, quoad injuriam, & vindictam, quam ex charitate remittere debebat. Noto secundo cum eodem, quod etsi pater condonaverit, filius pro jure, quod habet agendi contra occisorem, ut puniatur, potest aliquid ab eo accipere, quia hoc jus est pretio æstimabile.

CAPUT II.

De Restitutione ex stupro, aut defloratione.

STUPRATOR dicitur, *Qui virginem invitam corrumpit.* Sic enim per ly *Invitam* differt a defloratore, *Qui consentientem virginem corrumpit.*

Dico primo: Stuprator nihil tenetur restituere præcise pro stupro, seu pro ablata virginitate, sed tantum pro damno temporali inde secuto in ordine ad futurum illius matrimonium: Nav., Bon., Less. c. 10. n. 15. & alii apud Trul. contra Sayr. Ratio est, quia virginitas est bonum naturale, cujus amissio est irreparabilis: ergo stuprator pro ea præcise ad nihil tenetur, sed tantum pro damno temporali secuto in ordine ad matrimonium, uti similiter dictum est de injusto homicida, aut mutilatore.

Infers primo, Stupratorem, qui vi, aut fraude virginem corrumpit absque promissione matrimonii, non teneri ante sententiam Judicis eam ducere, sed vel ducere, vel dotare; quia, quando abest dicta promissio, sufficienter compensatur injuria, & vis illata per alterutrum ex his: Less. c. 10. n. 13., Bon., & alii. Hinc ante sententiam Judicis potest illi volenti ejus matrimonium offerre tantum dotem, quantum scilicet necessarium est, ut illa æque, & bene nubat cum alio; ac si corrupta ab ipso non fuisset: quare nec tenetur ad integram dotem, sed solum quanti valebat spes illarum nuptiarum, quia in hoc solum est damnificata: Less. n. 11. Si autem non possit pecunia resarcire tale damnum, tenetur ducere, nisi forte sit notabiliter ea nobilior, vel damnum inde sequatur notabiliter majus, quia non tenetur cum majori suo damno damnum alterius resarcire, juxta dicta d. 1. q. 8. Contra vero, si illa nolit ejus matrimonium, tenetur ut supra dotare, etiamsi ipsa nolente ejus pater vellet tale matrimonium, quia in hoc est libera, nec cogenda est contra suam voluntatem: Less. n. 12., Bon., Trul.

Infers secundo, Stupratorem ad nihil teneri, si stuprum sit occultum, & ea postea nupsit æque bene cum alio, qui non cognovit defectum; nisi vero cognito demde a marito defectu aspere tractetur; id enim erit ei compensandum arbitrio prudentis, ut notat Trul. l. 7. c. 9. n. 3. Si autem, antequam æque bene nubat, pacta fuit, vel accepit a stupratore compensationem, juste retinet; quia licite potuit accipere pro periculo, cui erat exposita, ut non æque bene nuberet; quod, si secutum non est, ipsius industriæ est tribuendum: Les. n. 17. At, si antequam compensationem acceperit, vel de ea pacta sit, Monasterium sit ingressa, aut statum continentiæ amplexa, aut obierit, non tenetur stuprator quidquam restituere ipsi, aut ejus hæredibus; quia nullum damnum in ordine ad matrimonium est illatum, & tempus necessitatis est elapsum: Villal., Trul. n. 4.

Infers tertio, Stupratorem ad nihil teneri, si illa, etiam absque consensu patris, injuriam illatam libere remittat; quia potest ea cedere jure suo, quod habet ad detrimenta nuptiarum sarcienda, præsertim cum liberum sit ei a nuptiis abstinere: Less. n. 9., Bonac., & alii. Si autem ex stupro secuta est proles, non solum tenetur stuprator hanc alere, & solvere stupratæ omnes expensas, quas fecit, & damna, quæ passa est, & quæ secuta sunt propter injuriam illi illatam: sed nec potest stuprata cedere, aut induci ad cedendum juri prolis ad ea alimenta, nisi vero ipsamet de suo æque suppleat.

Infers quarto, Quæ dicta sunt de stupratore Virginis, dicenda proportionaliter de eo, qui per vim extorsit copulam ab ea, quæ communiter reputatur Virgo; etsi revere non erat talis, vel a Vidua reputata communiter honesta; quia ratione violentiæ fit ei injuria in ordine ad matrimonium. Secus vero dicendum de eo, qui per vim extorquet copulam a meretrice, cui nullum fit damnum in ordine ad matrimonium.

Dico secundo: Deflorator, qui Virginem sponte consentientem cognovit absque promissione matrimonii, ad nihil tenetur; si cum promissione matrimonii, tenetur regulariter eam ducere: Doctores communiter cum Nav. c. 16. n. 18. Sayr., Clav. Reg. l. 11. c. 2. n. 33. & aliis.

Ratio primæ partis est, quia Virgo, etsi non sit domina sui corporis, est tamen domina usus illius, & consequenter volenti, & consentienti non fit injuria. Si autem id publicetur; tunc, si ipse fuit causa talis publicationis, tenetur, & famam, & damnum incrementi dotis, & quidvis aliud resarcire, quia horum fuit causa injusta: Bonac., & alii communiter: secus vero, si ipsa se infamavit: uti neque, si aliunde omnino per accidens secuta sit publicatio; sicut enim tunc ipsa non tenetur aliquid patri restituere ob læsum ejus honorem, ita neque deflorator: Less. c. 10. n. 9. Eadem dic, si deflorator muneribus, blanditiis, precibus etiam importunis copulam impetrevit, quia sic etiam censetur ea libere consentire; At, si fuerint preces Superiores, aut magnæ auctoritatis, cui non ausa est illa recusare ob timorem, &c., tunc ille æquivalet stupratori, juxta dicta concl. 1. idemque dicit Villal., si deflorator intulit vim pro oscula, amplexus, & tactus, propter quæ ipsa quasi victa consentit.

Ratio secundæ partis est, quia deflorator obtinens copulam ex tali promissione matrimonii manet personaliter obligatus: ergo tenetur in conscientia, & ante sententiam Judicis eam ducere, nec potest aliter esse liber dotando: nisi cum libero ejus consensu; imo nec potest illa renunciare matrimonium, si ex tali copula existat proles, quia ex eo contractu proles acquisivit jus ad legitimationem: Croix *de Matr.* Hæc vera sunt, etiamsi talis deflorator postea voveat Castitatem, aut Religionem, quia votum non tenet contra rem promissam ex justitia debitam; imo, etiamsi antea voverat, quia debitum justitiæ, quando ex parte alterius irreparabiliter exhibita est conditio, prævalet cuivis debito gratuitæ promissionis: Sanch., Lug., & alii apud Dian. contra Nav., Rodr.

At,

At, si talis deflorator erat conjugatus, vel in Sacris, tenetur ei providere æque bene de aliis nuptiis; &, si non providerint usque ad suam viduitatem, tenetur eam ducere: idemque est, si ex matrimonio promisso sequantur gravia scandala, inimicitiæ, pessimi exitus, &c. Contra vero non tenetur eam ducere, nec dotare; si ipsa, vel parentes ejus recusent suas nuptias, quia has tantum promisit in pretium copulæ: idemque est, si ipsa sit hæretica, & nolit converti, quia par ipsam stat: idemque est, si ea cum alio postea fornicetur; vel, si finxerit, se esse Virginem (secus vero, si sciebas, esse corruptam ab alio) aut Viduam honestam; quia in injuriis datur compensatio.

Quæres, Ad quid talis deflorator teneatur, si ficte promisit matrimonium?

Respondeo, Teneri eam ducere, itaut non possit compensare ulla dote damnum illatum; quia ex justitia tenetur implere promissionem onerosam, etiamsi fictam, posito quod altera pars impleverit revera conditionem copulæ. Nec est verum, quod justitia non plus requirat, quam æquale damno illato, quando id, quod in specie debetur, reddi potest: Mol., Less., Con., & alii contra Perez. Hinc tenetur mutare animum, & sublata fictione, velle eam ducere, juxta modo dicta de vera promissione.

Excipe tamen primo, Si ejus conditio notabiliter excedat conditionem defloratæ: & hæc præsumatur ad id advertere potuisse; quia sic voluntariè videtur fraudi consensisse, & consequenter ille ad nihil tenetur: D. Th., Sanch., & alii communiter contra Sot., Led., & alios. Si vero nullatenus ad id advertere potuit, vel, si advertit, tamen deflorator ita se gessit, ut prudenter credi posset vere promittere, tenetur eam dotare ob injustam deceptionem; non tamen eam ducere, cum hoc non sit vere pmmissum, & sit longe majus defloratione: Sanch, & alii communiter.

Excipe secundo, Si ex verbis, aliisque signis ea poterat facile cognoscere, promissionem etiam juratam defloratoris esse fictam, aut illum esse voto, aliove impedimento ligatum; quia sic sibi imputet, quod libere consenserit in copulam, & consequenter ille ad nihil tenetur: Less., Tamb., & Tamb., & alii communiter, nisi vero dispensationem petendam etiam ficte promiserit, sic enim tenetur petere, & ducere.

CAPUT III.

De Restitutione ex Adulterio.

CERTUM est, si ex adulterio pmles nata non sit, non teneri adulterum restituere aliquid marito, sed tantum satisfacere per petitionem veniæ, & signa doloris, & hoc tantum, quando adulter scit, & putet, eum cupere, aliter minime; imo, si maritus exigat satisfactionem pecuniariam, adulter ad hanc non tenetur, quia non intulit damnum in rebus fortunæ; si autem hanc dederit, potest maritus retinere in foro conscientiæ: Less. c. 10. d. 5.

Quæstio ergo est, Ad quid teneantur adulter, & adultera, si ex adulterio nata sit proles, quæ dicitur adulterina? Idemque est, si absque adulterio fingant illius partum, supponentes marito alienam prolem, tanquam suam, quæ dicitur supposititia, ut bene notat Nav. c. 16. n. 43. Qua in re, si dubium sit, an proles sit mariti, vel adulteri, non tenetur adulter, nec adultera aliquid restituere marito, aliisve ejus legitimis, sive tale dubium sit negativum ex levibus conjecturis, sive sit etiam positivum ex rationibus hinc inde probabilibus; quia in utroque dubio melior est conditio possidentis, scilicet matrimonii, quod est in possessione suæ honestatis: Lug. d. 13. nom. 17. Si autem certum sit, prolem esse ex adulterio, sed incertum, a quo inter plures adulteros, tunc est in possessione adulterium; ideoque singuli secundum proportionem dubii tenentur ad partialem restitutionem alimentorum, & partis hæreditariæ legitimis subtractæ, cujus tamen portionis dimidium restituere debet adultera, juxta mox dicenda: Croix num. 337. Videndum ergo de prole certo moraliter adulterina, vel supposititia.

Dico primo: Adultera tenetur hæreditatem filii adulterini, vel supposititii restituere aliis legitimis hæredibus: modo possit sine majore suo damno: Doctores communiter. Ratio est, quia culpabiliter privat eos legitima parte hæreditatis. Hinc, si habeat bona paraphernalia, dotem mortuo marito, &c., tenetur legitimis hæc bona relinquere; &, si hæc sufficiant ad compensandum eorum damnum, ad nihil amplius tenetur: si autem hæc non habeat, vel non sufficiant, tenetur solitos sumptus imminuere, quantum commode potest. Si vero neque sic possit satisfacere, tenetur caute, & prudenter illegitimum inducere, ut ingrediatur Religionem incapacem hæreditatis. Si demum nullo ex his modis sit possibilis restitutio, non tenetur se revelare cum periculo vitæ suæ, vel illegitimi, vel adulteri: nisi vero talis revelatio certo impediret malum commune Reipublicæ, puta Regnum ab illegitimo hæretico, vel pessimo gubernandum; ad quod malum impediendum, licet non teneatur ex justitia commutativa, tenetur tamen ex charitate, & justitia legali: Less. c. 10. n. 54., Bon. q. 4. *Matr.* p. 15., & 16.

Similiter, Neque tenetur se revelare cum periculo famæ, etiamsi hæreditas amplissima sit, & Regnum; quia fama est bonum ordinis multo superioris, quam bona fortunæ: nisi vero mulier non sit bonæ famæ, vel adeo vilis, ut ejus fama prudentis judicio parvi sit pretii, ut limitat Sot. apud Troll. Imo, nec tenetur se prodere filio, vel marito, etiamsi ipsi silerent, nec illam vexarent, quia non tenetur se apud illos infamare: Less. n. 58. nec filius tenetur ei credere etiam juranti in articulo mortis; quia, cum sua, & publica opinione sit legitimus, non tenetur suo incommodo reputare se illegitimum, nisi convincatur, ad quod non sufficit unus testis: Less. n. 51, nisi vero illa certas etiam probationes afferat: Less. n. 52., in quo casu teneretur filius aditam hæreditatem restituere, nisi legitime præscripseris: Salon. apud Trull.

Dico secundo: Adulter, si certus sit, filium esse suum, itaut nullam habeat probabilem rationem in contrarium, tenetur restituere patri putativo, vel filiis legitimis alimenta, & hæreditatem illegitimi a tertio anno ætatis illius; tum etiam dotem, si pater putativus filiam adulteram dotavit: Doctores communiter contra Sotum, & Henr., qui solum ad hæc obligant, si cooperatus sit tali suppositioni: v. Croix *de Restit.* n. 336. Ratio est, quia est horum damnorum causa: tenetur autem ad alimenta a tertio anno ætatis illius, quia mater tenetur ad alimenta filii a partu usque ad tertium annum inclusive, ex c. 2. *de Conversion. Infidelium*; ergo pater tenetur tantum a tertio anno. Si autem sit alius, qui ei provideat, Sotus censet, adulterum non teneri ad restitutionem alimentorum, dummodo non consuluerit ejus suppositionem pm legitimo, eo quod sic videtur causa per accidens illius damni; quam opinionem probabilem dicunt Trull., Dian. p. 1. t. 3. r. 55.

Cæterum non tenetur restituere cum periculo famæ, aut vitæ suæ, vel adulteræ, uti dictum est de adultera, cum æqualis sit utriusque ratio. Neque, si non sit moraliter certus, prolem esse suam, vel prudenter suspicetur, esse alienam, v. g. si mulier sit levis, & solita aliis copiam sui facere, aut si simul agat cum viro suo, vel probabiliter existimetur mentiri ad illum obligandum.

CAPUT IV.

De Restitutione ex Servitute.

SERVITUS, *Qua Homo fit mancipium alterius hominis* est, jure gentium introducta ex quatuor titulis, Belli, Nativitatis, Emptionis, & Condemnationis.

Jure belli, Captus in bello, etsi sit parvulus, & innocens, fit servus capientis, ex *l. hostes*, *ff de Captivis*, debet tamen bellum esse justum ex parte capientis, aliter captus non evadit juste servus. Si autem bellum sit utrinque probabiliter justum, capti fiunt utrinque servi; at, si postea constet, fuisse injustum ex parte capientis, tenetur is captum in libertatem sine pretio restituere: Less. c. 5. n. 12. Apud Christianos tamen consuetudine introductum est, ut Christiani capti a Christianis non fiant servi, idque in honorem libertatis, quam per Christum sumus consecuti: item, si Dominus sit Judæus, aut Paganus Principi Christiano subjectus, vel sit Hæreticus; servus Christianus hoc ipso est liber; & similiter servus infidelis istorum, si fiat Christianus, statim est liber, ex *l. Deo*, *cap. de Episcopis*.

Jure nativitatis. Qui ex tua ancilla nascitur, hoc ipso est tuus servus, etiamsi ejus pater sit liber, etiamsi ex legitimo matrimonio; quia partus sequitur ventrem, ex *l. Partum*, *cap. de rei vendit*. At, si mater fuit libera, dum concepit, vel dum peperit, vel tempore aliquo intermedio, proles jure Cæsareo non contrahit servitutem, ex *Instit. de ingenuis*: Less. n. 13.

Jure emptionis. Potest quis seipsum vendere in servitutem, cum sit dominus suæ libertatis; illicite tamen, quamvis valide, si fiat sine justa causa, qualis est extrema neces-

necessitas: quare non sufficit, si fiat pro solvendo debito pecuniario, cum libertas sit pretiosior auro; ideoque a fortiori peccat, qui ob pecuniam se vendit ad remigandum in triremibus etiam ad tempus, aut suam libertatem exponit ludo spe lucri: Sayr. Trul. & alii. Ad validitatem tamen talis venditionis requiritur jure Cæsareo: Primo, Ut sit major 20. annis: Secundo, ut intendat, & sit particeps pretii: Tertio, Ut venditio fiat per tertiam personam: Quarto, Ut & hæc, & ille sciant, se esse liberum ante venditionem: Less. n. 14. Potest item pater vendere prolem non emancipatam, *Ob nimiam paupertatem, & victus causa*, modo necessitas sit extrema, ex *l. 2. cap. de Patribus:* tamen filius ita venditus potest se redimere soluto pretio, vel oblato alio mancipio: Less. & alii communiter.

Jure demum *condemnationis*. Qui deferunt arma, vel alia prohibita ad Turcas, vel Saracenos, fiunt servi Christianorum illos capientium, *cap. Ita, de Judæis:* Raptor puellæ in servitutem deditur, c. 36. q. 1. *cap. de Raptor.* Femina sciente contrahens matrimonium cum Clerico in Sacris, potest a Principe in servitutem capi, *cap. Eos, qui* d. 32. & filii ex tali conjugio nati fiunt servi Ecclesiæ, cui parens adscriptus erat, c. 15. q. 8. *cap. Cum multæ*. Hæc tamen omnia intellige post sententiam Judicis, ante quam pœna servitutis non incurritur: Less. n. 14.

Quæres primo, Ad quid teneatur servus?

Respondeo, Teneri adimplere opera a domino ei injuncta. Si autem ea non impleat: tunc, si est servus a se, vel a patre venditus, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem: & similiter, qui tali servo suadet otium; quia obligatio est ex contractu. Si vero est servus titulo belli, vel condemnationis, vel nativitatis ex ancilla bello capta, peccat quidem graviter contra obedientiam domino debitam, at probabiliter non peccat contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem, uti nec, qui ei suadet otium: Less. c. 8. n. 20. Quod verum est, etiamsi talis servus pluries deinde sit venditus, quia non est talis ex primario titulo: Less. c. 5. n. 25. Qui autem fuit causa injusta, cur aliquis titulo belli, vel condemnationis evadat servus, tenetur eum redimere, vel se loco illius substituere, quia libertas libertate est compensanda: Doctores communiter.

Quæres secundo, An servus possit licite fugere?

Respondeo primo, Si a se, vel a patre legitime sit venditus, non posse fugere; quia obligatus ex legitimo contracto, quem violare nequit absque justitia; ideoque, si fugerit, tenetur redire, idemque est, si juste condemnatus sit in servitutem; quia hæc pœna est talis, ut non possit, nisi per eum, executioni mandari: Less. c. 5. n. 21. & 22. Idemque est de prole feminæ titulo venditionis, aut ob crimen servituti addictæ, cum proles sequatur ventrem, ideoque nec posse fugere. Unde etiam sequitur, ut, qui talibus servis auxilium, vel consilium ad fugam dederit, peccet, & ad restitutionem teneatur totius damni inde secuti: Nav. Less. n. 23. Excipe tamen primo, Si servitus illa sit valde eis calamitosa, quia sic videtur nimis durum, & superans humanam conditionem, ideoque probabile est, oblata commoda occasione posse fugere. Excipe secundo, Si a domino incitetur ad aliquod peccatum, & ille rogatus nolit desistere; quia non tenetur cum periculo animæ servire: cessantibus tamen his causis tenetur reverti: Less. n. 19.

Respondeo secundo, Si sit servus titulo belli justi, nec dederit fidem de non fugiendo, posse licite fugere, non quidem animo vagandi, aut aliis serviendi, quia sic *furtum sui facit Domino*, ex *l. 1. cap. de Servis fugitivis;* sed animo redeundi ad suos, & sic libertatem recuperare in termino, ex *l. Postliminio, ff. de Captivis;* ideoque potest alter ad id cooperari: Doctores communiter: At, si in via intercipiatur, non potest vi resistere, quia nondum evasit liber, ideoque potest tunc in captivitatem reduci, ac puniri: Less. n. 27. Hæc omnia vera sunt, etiamsi talis servus sit a captore venditus aliis, quia est servus ex primævo titulo belli, etiamsi pluries deinde sit venditus: idemque est de filio ancillæ bello captæ, quæ non debet esse deterioris conditionis, ideoque potest per fugam redire ad suos: Less. n. 25. Denique talis servus, secundum Sanch. l. 5. c. 4. Less. & alios, invito domino invalide profitetur in Religione; sed probabilius contradicit Suar. apud Croix l. 4. n. 179. quia jure naturæ valide vovet, nec jus positivum induxit invaliditatem. De matrimonio servi, vel servæ dicemus in de Matrimonio de Impedimento conditionis.

QUÆSTIO IV.

De Restitutione bonorum animi.

Bona animi sunt, quæ pertinent vel ad intellectum, ut scientia, & cognitio veritatis; vel ad voluntatem, ut gratia, aliave dona Divina; vel ad vitam spiritualem, ut status Religiosus.

Quæres primo, Ad quid teneatur, qui docuit falsam doctrinam?

Respondeo, Si falsam doctrinam docuit, tanquam ex officio, puta, ut Doctor, Confessarius, Prædicator, Advocatus, Cathedraticus, &c. tenetur ex justitia non solum resarcire damna temporalia inde secuta, sed etiam tenetur se retractare, & utilem doctrinam docere; quia ad id tenebatur ex officio. At, si non docuit, tamquam ex officio, sed ut privatus quidam, tunc satis erit significare, falsa esse, quæ docuit, nec tenetur amplius veritatem rei ostendere: Cajet. Nav. Trul. & alii.

Qui autem mentiuntur, seminando novitates, falsosve rumores, per se loquendo, non tenentur ex justitia se retractare, si aliud damnum inde non sequatur; quia de his homines parum curant, nisi forte tenebantur ex officio, aut stipendio monere rerum, quæ de novo contingunt: Sanch. l. 1. *Consil.* c. 3. d. 8. n. 6. Similiter inducere aliquem etiam fraudulenter in errorem mere speculativum non censetur gravis injuria, nisi sit circa rem valde notabilem, puta circa principium aliquod universale causativum multorum errorum; sic enim esset damnum grave in bonis intellectus: Lug. d. 4. n. 4. Si autem sit error practicus, puta circa mores, fidem, &c. erit injuria gravis, vel levis; prout inducit ad malum grave, vel leve: Lug. n. 2.

Quæres secundo, Ad quid teneatur, qui proximum inducit ad peccandum?


Respondeo, Si inducit metu, vel fraude, tenetur ex justitia illum suæ libertati restituere, vim, fraudemque tollendo, ne perseveret, vel imposterum simili modo peccet, quia fecit jam contra jus strictum alterius: hinc, si eum induxeris per errorem ad opus de se malum, etsi ille ratione conscientiæ erroneæ formaliter non peccavit, tamen illud peccatum tibi imputabitur; ideoque teneris de damno secuto: Less. c. 8. n. 11. Si autem ille jam noverat errorem, ideoque peccavit sequendo tuum consilium falsum, non teneris ex justitia contrarium suadere, quia ablatus est error illius, ratione cujus tu eras causa operis mali, puta homicidii; teneris tamen de damno secuto personæ occisæ, tamquam consulens: Less. n. 6. At, si sine metu, & fraude, sed precibus, pollicitationibus, aut etiam pretio induxeris aliquem ad peccandum, non teneris ex justitia curare, ut convertatur, sed tantum ex charitate, magis quidem, quam alii, quia non peccasti contra jus strictum alterius: &, si sic induxeris ad homicidium, non teneris de damno secuto homicidæ: Sylv. Nav. Bon. & alii. Idem est, ex supra dictis d. 1. si malo exemplo induxeris alium ad peccandum.

Quæres tertio, Ad quid teneatur, qui proximum abstraxit a statu Religioso?

Respondeo, Si novitium abduxit, sine vi, & fraude, non teneri ex justitia illi, vel Religioni quidquam restituere; sed tantum ex charitate suadere illi reditum & ut compenset commoda monasterio; quia contra charitatem tantum peccavit, & quidem probabilius mortaliter, si absque rationabili causa abduxit a noviciatu, vel ab eo impedivit, quia retrahere a tanto bono videtur grave malum: Mol. Busemb. & alii, contra Fill. Pal. & alios putantes, non esse mortale: v. Croix n. 345. Si impediat, aut abducat vi, vel fraude, peccat contra justitiam graviter, & ex Trid. *sess.* 24. c. 18. *de Regular.* incurrit excommunicationem, si puellam impediat, vel abducat: uti etiam, si eam invitam cogat. Tenetur ergo reparare damna, quæ abstractus ideo patitur, adeoque procurare, ut iterum admittatur, si fieri poterit: si autem Religiosum Professum abstraxit a Religione, tenetur etiam monasterio compensare damna temporalia, & lucra cessantia secundum spem, & judicium prudentum: puta, si erat lector publicus, si hæreditatem expectabat, &c. quæ, cum cedant monasterio, non possunt remitti ab abstracto: Sanch. Lug. n. 5x. & alii communiter: idemque probabiliter dicit Less. cum Lug. & aliis contra Sanch. de Novitio vi, aut fraude abstracto, quia monasterium habet jus, ne vi, vel fraude impe-

diatur

diatur a talibus bonis, juxta dicta d. 1. q. 3. c. 3. Non tenetur autem abstrahens, etsi vi, vel fraude abstraxerit, ipse ingredi in Religionem, vel alium supplere locn abstracti, quia hæc non sunt media ordinata ad restitutionem: Sanch, Lug. d.9. n. 3n. contra Nav. & alios. Similiter, qui Religiosum occidit, nunquam condemnabitur ad alium inducendum: si tamen talis occidens, vel vi, aut fraude abstrahens Religiosum inducat alium æque commodum Monasterio, jam satisfacit huic nneri: Lug. n. 52. Denique, qui Professum sine vi, vel fraude abducit, secundum Mol. Vasq. Turr. & alios, adhuc tenetur Monasterin compensare damna temporalia inde secuta; quia Religio jam possidebat Religiosum: sed probabilius negant Less. Sanch. Tann. Lug. n. 4. & alii apud Croix n. 349. quia religin tantum habebat jus jurisdictionis, non autem proprietatis in subditum: sicuti nec ipse Religiosus aufugiens peccat contra justitiam, & consequenter nec alius consulens, utpote causa secundaria. Hæc de Restitutione ad majorem Dei gloriam dicta sint satis.



TRACTATUS V.

Theologico-Moralis

DE SACRAMENTIS.



RESTANTISSIMA Catholicæ Religionis Mysteria, & præcipua Ecclesiæ a Christo Domino ædificatæ fundamenta, Sacramenta videlicet novæ Legis ab ipso Christo instituta hic explicare aggredimur: ea siquidem sunt potissima ad æternam nobis felicitatem comparandam media, quibus nostræ reparationis pretium superabundant, suæ nimirum Passionis, ac Mortis merita præclarissima, nobis abunde dispertienda, atque appropria nda humani generis Assertor contineri voluit. Porro sex Disputationes Tractatus hic complectetur. Prima erit de Sacramentis in genere: Sequentes quinque de quinque Sacramentis in specie, nimirum de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Extrema Unctione, & Ordine; duobus enim reliquis Sacramentis, Pœnitentiæ scilicet, & Matrimonii duplex sequens Tractatus, unicuique suus, dabitur.

DISPUTATIO I.

De Sacramentis in Genere.

TRES Quæstiones hic instituemus: I. erit de Quidditate, & efficacia Sacramentorum: II. de Causa efficiente: III. de Subjecto Sacramentorum.

QUÆSTIO I.

De Quidditate & Efficacia Sacramentorum.

EXPONEMUS hic I. Nomen, & Definitionem Sacramenti in genere; II. Agemus de Necessitate, Numero, & Ordine: III. de Materia, & Forma: IV. De Causalitate, & Effectibus Sacramentorum.

CAPUT I.

De Nomine, ac Definitione Sacramentorum.

VOx hæc *Sacramentum*, a *Sacro* ducta, aliter apud profanos, aliter apud Sacros, & Ecclesiasticos Scriptores usurpata repetitur. Apud primos significat, vel pecuniam in loco sacro depositam, ut, qui in causa caderet, eam amitteret, ærario publico applicandam; vel juramentum, seu quod juramento firmatum est: in qua significatione usurpatur etiam in jure Canonico, & Civili. Apud secundos vero Sacramentum idem est, ac apud Græcos Mysterium, hoc est Sacrum secretum, ut constat ex Sacris literis, & videre est apud Doctores. Hinc verum factum est, ut Sacramentum vocentur res, & verba, occultum quid divinum, ac supernaturale, quo quis Deo sacratur, significantia: ita Bellarm. lib. 1. *de Sacram.* cap. 8. Suar. Con. Laym. & alii. De Sacramento in hac posteriore significatione sumpto agendum hic erit.

Sic autem acceptum definitur communiter a Doctoribus post D. Th. 3. p. q. 60. a. 2. & 3. *Visibile signum gratiæ invisibilis ad populum Dei sanctificandum divinitus institutum*. Debet esse *Signum visibile*, hoc est corporis sensibus perceptibile; nam aliter non esset hominibus ad quorum sanctificationem ordinatur, accommodatum. Est autem *Signum gratiæ invisibilis*, quia hæc corporis sensibus non percipitur. Demum est *Signum institutum ad populum Dei sanctificandum*, quia hominis sanctificatio est finis per se, & directe a Deo intentus in Sacramenti institutione. Et hinc est, quod Sacramentum in sensu expositæ definitionis, nonnisi a solo Deo institui potest, cum solus Deus causare gratiam possit, & consequenter signum practicum gratiæ constituere. Hinc habes discrimen inter Sacrificium, qua tale, & Sacramentum qua tale: illud enim per se, & directe institutum ad Deum colendum, ejusque supremum do-

minium, & excellentiam recognoscendam, & protestandam: hoc vero directe, & per se ad sanctificandum populum.

Quæres primo, An signum ad rationem Sacramenti requisitum debeat esse stabile, ac permanens?

Respondeo affirmative, cum sit institutum ad Deum colendum, & Dei populum sanctificandum, & consequenter ad hunc ab aliis nationibus infidelibus distinguendum, quod fieri non potest signo transeunte, nec pro aliquo statu durante. Hinc neque linguæ igneæ, quæ apparuerunt die Pentecostes, nec verba Christi ad Paralyticum, Matth. 9. *Remittuntur tibi peccata tua*, nec insufflatio Christi in Apostolos, fuerunt Sacramenta, quamvis fuerint signa gratiæ, cum non fuerint signa firma, ac stabilia, saltem pro aliquo statu, sed mere transeuntia. Ita Suar. Laym. Con. apud Pal. hic p. 1. n. 3.

Quæres secundo, An debeat esse signum practicum?

Respondeo, Aliquibus Doctoribus, nec infimæ notæ placere, satis esse, quod sit signum speculativum, ex eo quod Sacramenta veteris legis vera fuerint Sacramenta, ex sensu communi, licet gratiam sanctificantem non continuerint, sed eam solum dandam per Christum significaverint. Verum, quamvis non sit de ratione Sacramenti esse signum practicum Sanctitatis perfectæ, & interioris animæ, hoc est gratiæ sanctificantis, est tamen esse signum practicum alicujus sanctitatis, saltem exterioris, & legalis, & signum speculativum gratiæ habitualis sanctificantis: quod verificatur etiam de Sacramentis veteris legis, & sic salvatur, quod fuerint vera Sacramenta.

Quæres tertio, An, & quodnam sit discrimen inter Sacramenta novæ, & veteris Legis?

Respondeo, Ad primum affirmative, ut patebit ex Tridentino, & Florentino mox citandis. Ad secundum respondeo Primo, Certum esse, quod Sacramenta nova a veteribus non differant solum in eo, quod sunt aliæ cæremoniæ, & alii ritus externi; ut definitum est a Trid. *sess. 7. can.* 2. Secundo, Differre inter se essentialiter in eo, quod nova gratiam, quam significant, continent, & causant, & consequenter sunt signa practica gratiæ sanctificantis: secus vero vetera, quæ non causabant, nisi solum Sanctitatem quandam legalem, & gratiam sanctificantem solum per passionem Christi Domini dandam esse figurabant: constat ex Flor. in Decr. Eug. ubi hæc habentur: *Sacramenta novæ legis multum differunt a Sacramentis veteris legis: illa enim non causabant gratiam, sed illam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra, & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt*, & ex Trid. *sess. 7. can. 6. 7. & 8.*

Dices; Circumcisio in lege veteri delebat originale, cujus deletio esse non poterat sine gratiæ infusione: ergo circumcisio causabat gratiam.

Respondeo, Verum quidem esse, quod ad præsentiam circumcisionis delebatur originale; falsum tamen, quod delebatur vi circumcisionis, itaut ea dici posset vera causa gratiæ sanctificantis deletivæ originalis. Suadetur manifeste, tum ex locis nuper citatis Florent. & Trid. cum quibus non bene cohæret sententia docens, circumcisionem fuisse veram causam gratiæ, tum ex locutionibus D. Pauli, qui ad Gal. 4. Circumcisionem, & cæteras legales cæremonias appellat elementa infirma, & egena: & ad Gal. 6. *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura*. Si circumcisio habuisset vim conferendi gratiam, multum quidem valeret, neque dici posset egenum, & infirmum elementum. Dicendum ergo est, nullum Sacramentum antiquæ legis vi sua gratiam causasse, sed solum ex fide Christi venturi, quam Parentes circumcisi, vel Minister ipse circumcisionis exteriori illo signo profitebantur. Ita D. Th. 3. p. q. 62. a. 5. in corp. & ad 3. Bellarm. Sot. Vasq. Laym. Con. apud Pal. hic p. 1. n. 6.

Quæres quarto, Quodnam sit discrimen inter Sacramenta, & Sacramentalia?

Prænotandum, nomine Sacramentalium per Theologos venire, quæ continentur hoc versu

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

Nimirum oratio Dominica, seu *Pater noster*, & oratio in Ecclesia consecrata, aspersio aquæ benedictæ, & quælibet unctio Sacramentalis, ut est unctio, quæ fit in manibus Sacerdotis, vel in capite Episcopi, quando ordinatur, comestio panis benedicti, quæ olim erat in usu, confessio generalis, hoc est *Confiteor* (ad quam reducitur tunsio pectoris) erogatio eleemosynæ, benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati, benedictio sacrorum cinerum, & benedictio facta cum venerabili Eucharistia. Huc reducuntur consecrationes, seu benedictiones variarum rerum, seu res ipsæ sacræ, sive benedictæ, ut Ecclesiæ, Calices, &c. Sacramentalia vero stricte sumpta sunt ritus, sive actiones religiosæ ab Ecclesia institutæ ad decentem, ac devotam Sacramentorum administrationem.

Respondeo nunc ad quæsitum: Sacramentalia differunt a Sacramentis potissimum in eo, quod Sacramenta causant effectus suos ex opere operato; Sacramentalia vero nullum effectum causant ex opere operato. Ratio est, quia Sacramentalia non sunt instituta a Deo, vel Christo Domino, sed ab Ecclesia, quæ non habet potestatem dandi alicui actioni vim infallibilem causandi aliquem effectum. Ita Suar. disp. 15. sect. 4. Lug. Esp. Busemb. contra Ledesm. Sot. Vict. Valent. & alios. Igitur quædam Sacramentalia vim habent remittendi venialia solum per modum impetrationis, ut aqua benedicta, & alia, quæ benedicuntur ab Ecclesia interpositis quibusdam orationibus, quæ possunt remittere venialia, quatenus Ecclesia illis orationibus impetrat nobis amorem Dei, contritionem, vel alium pium motum, quo venialia remittantur. Alia vero Sacramentalia, ut tunsio pectoris, confessio generalis, &c. eandem vim habere possunt, quatenus excitant in nobis memoriam, & consequenter detestationem peccatorum, qua detestatione remittantur venialia. Hinc inferes, talem effectum non esse infallibilem, cum non fundetur in ulla promissione Dei, sed unice in communi lege, & efficacia orationis, quæ non semper habet effectum.

CAPUT II.

De Necessitate, Numero, & Ordine Sacramentorum.

NOTANDUM primo, Necessaria ad salutem, alia dici talia necessitate medii, alia necessitate præcepti: sunt necessaria necessitate medii, quorum executio ita est ad salutem necessaria, ut sine illis salus obtineri non possit, etiamsi ob ignorantiam, vel impotentiam omittatur. Sunt vero necessaria necessitate præcepti, quando non tam ipsa opera præcepta, quam eorum executio est necessaria ad salutem, itaut, si ob ignorantiam, vel impotentiam ab executione præcepta excuseris, non obinde salutem amittas.

Notandum secundo, Ante legem Evangelicam triplicem assignari statum. Primus fuit status innocentiæ, in quo creatus fuit Adam cum Justitia originali, & duravit usque ad lapsum Adæ. Secundus fuit status naturæ, in quo homines dirigebantur ad salutem sola ratione per præcepta naturalia, adjuti tamen lumine supernaturali, & gratia, & hic status duravit ad bis mille annos, nimirum usque ad Abraham, quando initium habuit lex scripta, quia tunc inchoarunt præcepta positiva, præsertim Circumcisionis. Tertius fuit legis scriptæ, qui duravit usque ad Christum Dominum. Jam vero in primo statu verosimilius est, nulla fuisse Sacramenta, tum quia nullibi fit mentio talium Sacramentorum; tum quia, cum brevi tempore esset talis status duraturus, vix poterat esse locus eorum usui. Ita Suar. in 3. part. disp. 3. sect. 3. An autem futura fuissent in eo statu Sacramenta, si duraturus fuisset ad longum tempus, incertum esse, ait Suar. loc. cit. Quoad reliquos duos, non solum in statu legis scriptæ, sed etiam in statu naturæ fuisse Sacramenta, communis est Doctorum sententia. Et quidem in statu legis scriptæ plura fuerunt Sacramenta, videlicet Circumcisio, Agnus paschalis, Consecratio Sacerdotis, Lustrationes quædam ab immunditiis legalibus, & Expiationes a peccatis externis, de quibus D. Th. 1. 2. q. 102. art. 5. In statu vero naturæ omnes Theologi teste Suar. in 3. part. disp. 4. q. 1. docent, fuisse aliquod Sacramentum pro parvulis in remedium peccati originalis, consistens in protestatione Fidei in Christum venturum facta a parentibus signo aliquo externo, vel a Deo determinato, vel ipsorum parentum, sive aliorum arbitrio remisso, in qua parte non conveniunt Doctores: quod Sacramentum duravit etiam in lege scripta, tum pro feminis, tum pro pueris, qui ante diem Circumcisionis, hoc est octavum a Nativitate, erant in periculo mortis. Probabiliter etiam admittitur pro eodem statu alterum Sacramentum pro adultis in remedium peccati actualis, & congruenter dicitur fuisse Sacrificium, quod quidem, quatenus ordinabatur ad cultum Dei, & recognitionem ejus supremi dominii, erat Sacrificium; quatenus vero per illud in virtute Christi venturi remittebatur peccatum, erat Sacramentum. His prænotatis

Quæres primo, An Sacramenta sint absolute necessaria ad salutem, seu an sit absolute necessaria eorum institutio?

Respondeo negative, Ratio est, quia non est censenda ita limitata divina potentia, ut non potuerit aliis mediis homines ad salutem dirigere, etiam posito statu naturæ lapsæ. Solum igitur dici possunt Sacramenta necessaria secundum quid, hoc est accommodata, & convenientia conditioni, ac statui naturæ humanæ, ut explicat D. Th. 3. p. q. 61. a. 1.

Quæres secundo, An, supposita institutione, necessaria sint, & qua necessitate, ad salutem Sacramenta?

Respondeo, Tum in statu naturæ, tum in statu legis scriptæ Sacramentum institutum in remedium peccati necessarium fuisse necessitate præcepti: conveniens quippe fuit, præcipi executionem talis signi. Et quidem in lege scripta præceptam fuisse circumcisionem, patet ex illo Gen. 17. v. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur, &c.* Quo præcepto certe adstringebantur adulti, infantes vero ante usum rationis arctari illo non poterant: quare obligabantur parentes ad suos filios circumcidendos. Necessitatem vero medii in nullo Sacramento legis naturæ, aut scriptæ agnoscit Pal. hic p. 2. n. 2. cum nullum habuerit de se vim remittendi peccatum, & conferendi gratiam. At in lege gratiæ Sacramenta a Christo Domino instituta necessaria ad salutem sunt necessitate tum præcepti, tum medii, licet non omnia, ut expresse definitum est a Trid. *sess. 6. can.* 4. Quæ vero sint, commodius explicabitur, cum de singulis Sacramentis in particulari agendum erit.

Quæres tertio, Quot sint Sacramenta novæ legis?

Respondeo, Dogma Catholicum esse definitum tum a Flor. in Decr. Eugen. IV. tum a Trid. *sess. 7. can.* 1. quod sint septem, nec plura, nec pauciora, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Neque huic veritati obstant opiniones asserentes, in Eucharistia Sacramentum corporis a Sacramento sanguinis esse distinctum, & in Sacramento Ordinis ordines majores inter se, & a minoribus specie differre: Nam Ecclesia definivit solum, Sacramenta non esse plura, quam septem, plura, inquam, quæ non contineantur in prædicto numero: quamvis autem plures ordines plura sint Sacramenta specie infima inter se differentia, omnes tamen unum Sacramentum Ordinis, saltem in genere, constituunt. Idem dic de Sacramento Eucharistiæ. Neque item obstat, quod aliqui Patres mentionem Sacramentorum facientes, non omnia numerent; nam non ea ipso negant. Neque demum obstat, quod lotionem pedum a Christo Domino factam Sacramentum appellent. Div. Ambr. l. 3. *de Sacram.* c. 1. & D. Bern. *Serm. in Cœn. Domini:* nam Sacramentum usurpant non proprie, & stricte pro signo sanctificante; sed improprie pro signo denotante, ipsos etiam justos, & baptismo sanctificatos indigere nova lotione pro venialibus denuo commissis.

Ratio hujus veritatis est institutio Christi. Optima autem congruentia traditur a D. Th. 3. p. q. 65. a. 1. quia scilicet his Sacramentis abunde perficitur homo tum quoad se primis quinque, tum quoad communitatem duobus postremis. Baptismo namque spiritualiter nascimur, & in Christo regeneramur. Confirmatione roboramur in vita per Baptismum accepta. Eucharistia in eadem vita nutrimur, & crescimus. Quoniam vero ab hac spirituali vita nos defecturos ob nostram malitiam præsciebat Christus Dominus, Sacramentum Pœnitentiæ instituit, quo possemus ad vitam revocari, obtenta peccatorum remissione. Denique instituit Sacramentum Extremæ Unctionis, tum in remedium infirmitatum, quæ ex peccato commisso relinquuntur, tum in adjutorium contra luctam, quam cum dæmone in mortis articulo solemus habere. His quinque Sacramentis satis, superque privatæ cujusque utilitati, ac perfectioni consultum

esse,

esse, manifestum est. Reliqua duo ad perfectionem totius populi Christiani ordinantur; nam Ordine constituuntur Ministri, & Dispensatores Sacramentorum, Pastores, & Doctores: Matrimonio vero Populus Christianus multiplicatur per convenientem, & rationi consentaneum ejus usum.

Quæres quarto, Quinam sit Ordo inter Sacramenta novæ legis?

Respondeo, Duplicem considerari posse ordinem inter prædicta Sacramenta, alterum desumptum ex fine, & usu illorum, alterum ex dignitate; ex Trident. enim *sess. 7. can. 3.* constat, esse alia aliis digniora. Jam vero ordo, quo superius numerata sunt, & numerantur ab Ecclesia, est desumptus tum ex fine, tum ex necessario, & convenienti eorum usu. Quod vero prædictus ordo recte sit assignatus, rationem affert D. Th. 3. p. q. 65. art. 2. nam priora sunt, inquit, quæ singulos in se perficiunt, quam quæ perficiunt in ordine ad alios, & ideo Sacramenta Ordinis, & Matrimonii postremum locum obtinent, reliqua priorem: & Matrimonium post Ordinem, utpote minus perfectum, & minus participans de vita spirituali. Inter ea vero, quæ ad privatam cujusque perfectionem sunt ordinata, priora debent esse, quæ vitam communicant, & perficiunt, quam quæ removent obstacula, & idcirco priora sunt Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, quibus vita conceditur, & perficitur, quam Pœnitentia, & Extrema Unctio, quibus vita læsa reparatur. Quod, si ordo instituendus esset ex eorum dignitate, primus locus dandus esset Eucharistiæ, utpote omnium Sacramentorum præstantissimo: Secundus, Ordini: Tertius, Confirmationi: Quartus, Baptismo: Quintus, Pœnitentiæ: Sextus, Extremæ Unctioni: Septimus, Matrimonio: vide D. Th. loc. cit. art. 3.

CAPUT III.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

IN re illa sensibili a Christo Domino assumpta ad significandam, & causandam gratiam communiter Doctores sentiunt, aliud se habere per modum materiæ, hoc est partis indifferentis, & determinabilis, aliud per modum formæ, hoc est partis determinatæ, & determinantis ad practicam gratiæ significationem. Cum autem Concilium Flor. in Decr. union. generaliter dixerit, Sacramenta novæ legis tribus perfici, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri, &c. hinc communiter Doctores dicunt, in quolibet Sacramento materiam esse rem sensibilem, quæ in ejus administratione ex Christi institutione adhibetur: formam vero esse verba, quæ ei adjunguntur. Quomodo autem in singulis Sacramentis verba sint forma; quænam singulorum materia, & qualiter inter se conjungi debeant, ut unum Sacramentum componant, commodius explicabitur, ubi de singulis Sacramentis in particulari agendum erit. Solum hic expedienda erunt aliquot quæsita generalia, & communia circa materiam, & formam Sacramentorum.

Quæres primo, An materiæ, & formæ Sacramentorum sint ex Christi Domini institutione determinatæ?

Respondeo affirmative, Ita ut, si non adhibeantur res, & verba a Christo Domino instituta, sed, vel nulla, vel simpliciter alia, non fiat Sacramentum. Ita cum Div. Th. 3. p. q. 60. a. 5. Catholici omnes contra varios hæreticos apud Bellarm. l. 1. c. 19. idque absolute de fide esse, ostendit Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 2. sect. 3. ex Script. & PP. Idem significat Trid. *sess.* 21. *c.* 2. docens, in Ecclesia semper fuisse potestatem mutandi aliqua circa administrationem Sacramentorum, *Salva eorum substantia*, quibus verbis manifeste innuit, ex certis rebus, & verbis constare substantiam Sacramentorum.

Quæres secundo, An determinatio materiæ, & formæ æqualis, seu ejusdem rationis sit in omnibus Sacramentis?

Respondeo negative. Nam in aliquibus Sacramentis materia est determinata in quadam specie ultima, ut in Baptismo aqua elementaris, in Extrema Unctione oleum: in aliis vero materia est determinata in genere aliquo, plures species sub se complectente, ut materia proxima Pœnitentiæ, quæ est Confessio dolorosa, sive per attritionem, sive per contritionem, quæ specie differunt, & materia remota, quæ est peccatum, sive mortale, sive veniale, &c. Determinatio igitur materiæ in Sacramentis ex institutione Christi est, vel secundum genus, vel secundum speciem infimam, vel etiam secundum individuum: ut in Sacramento Eucharistiæ pro materia partiali determinatum est hoc individuum Corporis, & Sanguinis Christi Domini. Quod vero ad formas attinet, hæ in sex primis Sacramentis sunt determinatæ ad significationem stricte verbalem, & in quinque primis sunt quoad significationem determinatæ ad speciem infimam: in Ordine ad genus tantum: in Matrimonio tantum ad genus signi externi; nam forma possunt esse non solum verba formalia, sed etiam æquivalentia, ut scriptio, & nutus. Hæc omnia constant ex voluntate Christi instituentis, quæ nobis innotescit ex Doctrina Conciliorum, PP. & Theologorum, & ex praxi totius Ecclesiæ: v. Croix hic a n. 9. ad 13.

Quæres tertio, An Ecclesia possit mutare materias, & formas Sacramentorum?

Respondeo, Non posse proxime, & formaliter, uti videtur declarasse Trid. text. sup. cit. *sess.* 21. *c.* 2. dicens, Ecclesiam posse mutare aliqua circa administrationem Sacramentorum, *Salva tamen eorum substantia*; substantia autem Sacramentorum stat in materia, & forma. Potuisset quidem Christus Dominus hanc potestatem Ecclesiæ relinquere; at non fuit congruum: decebat enim, ut Sacramentorum valor unice penderet a voluntate Christi, ea instituentis, tum ut ea essent nobis magis æstimabilia, tum ut in applicatione, & usu mediorum ita necessariorum ad salutem perpetua esset uniformitas in Ecclesia. Dixi *Proxime*, & *formaliter*, hoc est directe tollendo, seu non retinendo prædicatum illud in materia, vel illam significationem in forma, quam Christus instituit: nam potest Ecclesia remote, & materialiter mutare materias, & formas Sacramentorum, hoc est retinendo prædicatum illud, & illam significationem, quæ Christus illis inesse voluit. Talis est mutatio inducta a Trid. in Matrimonio per impedimentum dirimens Clandestinitatis; nam pro materia, & forma hujus Sacramenti Christus Dominus instituit contractum validum, seu legitimum. Jam vero nunquam Ecclesia effecit, nec unquam efficere potuit, ut contractus matrimonialis validus, & legitimus non sit materia Sacramenti; & hoc esset mutare formaliter, & proxime materiam, & formam Sacramenti: sed solum ex potestate, quam habet in hunc contractum, utpote ex Christi institutione sacrum, statuit, ut contractus clandestinus, qui antea erat validus, deinde non esset validus, & sic mutavit materiam hujus Sacramenti tantum remote, & materialiter: non secus ac materialiter, & remote diceretur mutare materiam Calicis, qui vinum aliquod redderet acetum, & sic ineptum ad consecrationem: v. Croix a n. 14. ad 17.

Quæres quarto, Quænam mutatio materiæ, vel formæ invalidet Sacramentum?

Respondeo, Pro resolutione hujus quæsiti duas assignari generales regulas: Prima est, Si mutatio materiæ, vel formæ sit substantialis, non fit Sacramentum. Secunda est, Si mutatio materiæ, vel formæ sit tantum accidentalis, fit Sacramentum. Hæ regulæ admittuntur ab omnibus, ut ostendit Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 2. sect. 2. Notandum tamen, prædictas regulas intelligendas esse de mutatione theologice substantiali, vel accidentali; hoc est, quam Theologus, spectata auctoritate, ratione, & sensu communi prudentium, dicere debet substantialem, vel accidentalem in ordine ad valorem Sacramenti: nam, qui pro aqua utitur nive in Baptismo, vel in Confirmatione chrismate non benedicto pro benedicto: item, qui in Baptismo dicat, *Ego te baptizor*, vel in Pœnitentia, *Ergo te absolve*, quamvis physice mutet materias, & formas tantum accidentaliter; theologice tamen mutat substantialiter, nec conficit Sacramentum. Hinc

Quæres quinto, Quænam mutatio materiæ dicenda sit theologice accidentalis, quænam theologice substantialis?

Respondeo, Quoties materia juxta communem hominum usum, & existimationem est eadem re, & nomine cum illa, quam Christus instituit, non erit mutatio substantialis, sed ad summum accidentalis: si vero juxta communem usum, & existimationem non sit eadem cum instituta a Christo, mutatio dicenda erit substantialis. Exemplum sit in Baptismo. Aqua conversa in glaciem, nivem, grandinem, &c. quamvis physice sit eadem aqua; theologice tamen in ordine ad Baptismum est substantialiter diversa, utpote inepta ad usum abluendi: contra vero, si aqua naturalis calefiat, non solum physice, sed etiam theologice in ordine ad Baptismum erit tantum accidentaliter diversa. Accidentalis etiam dicitur mutatio, quando adhibetur quidem materia instituta a Christo,

sed non adhibetur, qualis præcipitur ab Ecclesia; ut, si quis baptizaret quidem in aqua naturali, sed non benedicta. Ita Croix n. 20. & 21.

Quæres sexto, Quænam mutatio formæ sit theologice substantialis, quænam accidentalis?

Respondeo, Tunc esse substantialem, quando non remanet sensus per verba intentus a Christo Domino: esse vero accidentalem, quando talis sensus remanet. Ita communissime Doctores. Notat Suar. octo modis accidere posse mutationem in forma, nimirum Primo, Per mutationem idiomatis. Secundo, Per verba synonyma: Tertio, Per transpositionem verborum: Quarto, Per interruptionem: Quinto, Per additionem: Sexto, Per subtractionem: Septimo, Per corruptionem: Octavo, Per substitutionem aliorum verborum. Jam vero prima, & secunda mutatio est tantum accidentalis; dummodo verba synonyma, quæ adhibentur, non solum significent easdem res, sed etiam eodem modo, hoc est sub simili conceptu, cum voces non solum significent res, sed etiam conceptus: unde hæc forma, *Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis*, non est synonyma cum hac alia, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* quia hæc verba longe clarius, quam illa, exprimunt Trinitatem Personarum, seu tres Personas distinctas: ita Suar. & Dicast. apud Croix n. 31. Quoad interruptionem, quamvis D. Th. hic q. 68. a. 8. ad 3. dicat, nomina, & verba transposita idem significare, & consequenter non facere, nisi mutationem accidentalem, negari tamen non potest, mutari adeo posse verborum nexum, ut fiat sensus omnino diversus; in quo casu mutatio erit substantialis: ut, si in forma Extremæ Unctionis, *Per istam S. Unctionem, &c.* fieret hæc verborum transpositio: *Quidquid per istam Sanctam Unctionem deliquisti, indulgeat tibi Deus per visum*: quæ transpositio feret mutationem non solum substantialem, sed etiam blasphemam, ut notat Bernal. apud Croix n. 32. & idem dicendum de hac alia transpositione in forma Eucharistiæ, *Meum est hoc Corpus*, vel *Hoc Corpus est meum*: his enim verbis non significatur transubstantiatio Eucharistica, hoc est conversio totius substantiæ panis in Corpus Christi; quam significat vera forma *Hoc est Corpus meum*, sed solum significatur, hoc Corpus pertinere ad Christum, qui est sensus longe diversus. Interruptio, si sit talis, & tanta, ut tollat unitatem orationis, feret mutationem substantialem, ut, si consecrans post verba *Hoc est corpus* inciperet concuti tussi per dimidium quadrantis, & deinde adderet *meum*, vel si baptizans, postquam dixerit *Ego te bap.* sistat aliquantulum, vel interloquatur, & inde prosequatur *tizo in nomine, &c.* quia non servatur unitas orationis necessaria ad faciendum sensum intentum a Christo Domino. Contra vero, si interruptio sit talis, ut non obstet unitati orationis, & consequenter nec sensui, seu significationi intentæ a Christo Domino, erit mutatio accidentalis, ut si in casu nuper proposito inter *Bap.* & *tizo* interponatur brevissima respiratio, vel si sic interrumpat: *Ego te baptizo*, (heus pueri silete) *in nomine, &c.* Huc reducitur, si eadem forma dimidiate ab uno, & dimidiate ab altero pronuncietur, ut si alter Confessarius dicat, *Ego te*, alter, *Absolvo a peccatis*, etiamsi uterque audierint eundem confitentem: in hoc enim casu habetur mutatio substantialis formæ, cum hæc non retineat sensum suum, quia neuter Confessarius facit, quod dicit, se facere, ut notat Dicast. & Bernal. apud Croix n. 33. Idem accidit, si alter ponat materiam proximam, alter formam in iis Sacramentis, in quibus ad veritatem formæ requiritur, ut idem Minister ponat utramque, ut si in Baptismo alter ablueret baptizandum, alter diceret: *Ego te baptizo, &c.* Dixi, *si eadem forma dimidiate, &c.* nam in formis partialibus spectantibus ad idem Sacramentum, continentibus veritates distinctas, & ab invicem non dependentes, non fit mutatio substantialis: sic in Eucharistia potest unus valide consecrare panem, & alter vinum: in Ordine potest valide unus Episcopus conferre potestatem consecrandi, & alter absolvendi: vide Croix n. 33. Additio mutans sensum formæ intentum a Christo Domino, ut in Baptismo collato *In nomine Patris increati, Filii creati, &c.* juxta errorem Arianorum, fert mutationem substantialem: contra vero accidentalem, si non mutet dictum sensum, ut si quis baptizaret *In nomine Dei Patris, Filii, & Spiritus S.* Quod si in fine formæ addantur verba contraria illius sensui; tunc, si hæc ultima addantur, ut determinativa priorum, inducitur in ea mutatio substantialis; sensus enim priorum destruitur per posteriora verba, cum eorum significatio non compleatur, nisi secundum intentionem loquentis. Contra vero, si addantur, ut virtualiter continentia aliam propositionem, & tamquam in parenthesi, non inducunt in priora verba formæ mutationem substantialem, quia in hac suppositione non restringunt, & consequenter non mutant illorum sensum. Exemplum primi sit, si quis in conficienda Eucharistia dicat, *Hoc est corpus meum immateriale*, quia semper ac vox aliqua additur, ut pars prædicati, recte præsumitur addi, ut determinativa illius. Exemplum secundi potest haberi in eo, qui diceret: *Hoc est Corpus meum* (*quod est immateriale*) si hæc verba adderentur, non ut determinativa priorum, sed modo, & intentione superius explicata. Et idem generaliter dicendum de subtractione, & corruptione, circa quam notat D. Th. q. 60. a. 7. facilius induci mutationem substantialem, si corruptio fiat initio vocis, ut si pro *Patris*, dicatur *Matris*, quam si fiat in fine vocis; quia apud Latinos plurimæ sunt inflexiones in fine, quæ non variant significationem vocis, & verus sensus per illa, quæ antecedunt, præoccupatur: hinc corruptio adveniens non ita facile immutat sensum in audiente; & generatim loquendo error in genere, vel in quantitate syllabarum facit mutationem accidentalem. Sic etiam accidentalis mutatio habetur, si quis casu, aut ex ignorantia, aut vitio linguæ dicat *Colpus* pro *Corpus*, *Babaptizo*, pro *Baptizo*, *Calis* pro *Calix*, *Espiritus* pro *Spiritus*: v. Croix n. 36. Substitutio scriptionis, nutuum, aliorumve a verbis signorum, facit mutationem substantialem in omnibus Sacramentis uno excepto Matrimonio. Quod, si in eadem voce una litera substituatur pro alia, dicendo *Matris*, pro *Patris*, vel in eadem forma una vox pro alia, dicendo v. g. in forma Eucharistiæ *Hoc est Corpus Christi*, pro *Hoc est Corpus meum*; tunc substitutio coincideret cum corruptione, & consequenter de hac substitutione idem dicendum est, ac de corruptione. Quare Sacerdos invalide consecraret per illam formam *Hoc est Corpus Christi*, quia non loqueretur, uti debet, in persona Christi: ita Suar. in 3. p. disp. 59. sect. 2. in fin. Ad substitutionem revocatur, si aliqua vox sumatur æquivoce, aut mutetur in æquivocam. In quo casu valet regula tradita a Suar. Vasq. Conin. Dicast. & Bernal. nimirum, quod determinatio ad hunc, vel illum sensum peti debet ab intentione proferentis, vel, hac deficiente, a circumstantiis. Hinc, si quis diceret, *Hic est Calix &c.* sumendo ly *Hic* adverbialiter, volens significare *Hoc loco*, faceret mutationem substantialem. Similiter, si quis dicens, *Hoc est Corpus meum*, vellet significare meum Sacerdotis, mutaret substantialiter formam, quæ ut habeat verum sensum intentum a Christo, debet proferri in persona Christi, & significare Corpus meum Christi.

Notandum tamen hic cum Lug. & Amic. apud Croix n. 38. quod, si proferens hujusmodi æquivoca haberet generalem, & prævalentem intentionem significandi, quod Christus significari voluit, & quod Ecclesia intendit, etiamsi per errorem putet, Christum voluisse significare alienum sensum, qui falsus est, adhuc Sacramentum conficeret, ut fusius explicabitur infra, ubi de intentione Ministri. Quod, si ex usu communi, & modo loquendi vox *Amo* in posterum idem significaret, quod vox *Baptizo*, non esset mutatio substantialis in forma Baptismi substitutio vocis *Amo* pro *Baptizo*. Dixi *Ex usu communi*; nam voces habent certam significationem ex institutione, & usu communiter recepto, non ex privata voluntate paucorum hominum unius, vel alterius Civitatis. Ita communiter Doctores cum Dicast. & Amic. apud Croix n. 39.

Quæres septimo, Quomodo peccent mutantes materiam, vel formam in conficiendo Sacramento?

Respondeo, Qui facit mutationem substantialem, sive in materia, sive in forma, per se loquendo peccat mortaliter; quia est gravis irreverentia contra Auctorem Sacramentorum ponere partes præcipuas Sacramenti, & illud reddere invalidum. Qui vero facit mutationem accidentalem; si hæc sit notabilis, adhuc peccat mortaliter; si non sit notabilis, ad summum peccat venialiter. Dixi *Ad summum*; nam poterit simpliciter non peccare, si scilicet mutatio accidentalis non sit contra præceptum Ecclesiæ; sed solum præter usum communiorem Ecclesiæ; ut, si quis tempore hyemali baptizaret in aqua tepefacta tantum manu propria, ne noceret infanti:

Hinc inferes primo, peccare mortaliter, qui in Ecclesia latina pro consecratione utitur pane fermentato, vel forma græca: Gob. tr. 2. n. 829. Qui in ea omittit *Novi, & æterni testamenti*: Conin. n. 84. Qui formam Consecrationis dicit lingua vulgari: Bernal. d. 6. s. 5. n. 93. Qui in extrema Unctione omittit *Sanctam, & piissimam misericordiam*, aut nomen sensus, qui inungitur:

Suar.

Soar. Bonac. & alii eum Dicastil. *de Extr. Unct.* n. 68. Qui formam Baptismi sic profert: *In nomine Filii, & Patris, & Spiritus Sancti*: Aversa q. 66. s. 5. §. 8. Qui in Baptismo omittit notabilem partem cæremoniatum: Bernal. loc. cit., quia sunt mutationes accidentales notabiles. Contra vero venialiter ad summum peccare, qui latinam callens, vulgari lingua baptizat: Dicast. Qui in forma Bapt., aot Pœnit. omittit *Ego*, vel in forma Baptismi, aut Confirmationis *Amen*: Scot. Vasq. Con. Dicast. n. 130. vel in forma consecrationis *Enim*: Suar. Hene. Con. Dicast. *de Euch.* d. 2. n. 63. contra Gabr. Nugn. Vasq. putantes, esse mutationem notabilem. Veniale paritee est formam aliis verbis interrumpere, vel bis dicere unom verbum, vel unam syllabam alicujus verbi sine rationabili causa: Gob. n. 41. Totam autem formam repetere, quamvis sub conditione, esset mortale: Gob. n. 328. cum communi: sicuti mortaliter etiam peccare baptizantem, absolventem, vel confirmantem plores simul, sine necessitate dicendo *Ego vos Baptizo, &c.* docent Scot. Gabr. & Con. putantes, esse mutationem notabilem contra Henriq. Val. Regin. & alios, putaotes, non esse notabilem, adeoque non excedere culpam venialem.

Inferes secundo, Facientem absque necessitate mutationem, de qua dubitet, sitne substantialis, an accidentalis, peccare mortaliter contra Religionem; qoia sic exponit se formali periculo gravis irreverentiæ contta Auctorem Sacramentorum. Potest etiam peccare contra charitatem, si proximus exponatur periculo privationis magni boni secundum communem æstimationem: quod non verificatur, si Sacramentum, quod exponitur periculo frustrationis, sit facile iterabile, & non sit hic & nunc necessariom. Potest demom peccare contra justitiam, si scilicet ex justitia teneatur ministrare Sacramentum, uti Parochus: v. Croix a n. 44. ad 46.

CAPUT IV.

De Causalitate, & Effectibus Sacramentorum.

VIDENDUM hic primo, Quinam sie effectus primarios omnium Sacramentorum; deinde, Qualiter, & Quando causent suum effectum primarium; demom, Quinam sit effectus secundarius?

Quæres primo, quinam sit effectus primarius omnium Sacramentorum novæ legis?

Respondeo primo, Esse gratiam habitualem, seo sanctificantem, quæ a Theologis appellatur etiam *Gratum faciens*. Constat ex Trid. *sess. 7. can. 6. de Sacram.* & ex Sacra Scriptura. Nam de Baptismo habemus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* De Confirmatione Actor. 8. *Per manuum impositionem dabatur Spiritus Sanctus*. De Eucharistia Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*: quod esse non potest, nisi per gratiam. De Pœnitentia Joan. 20. *Quorum remiseritis, &c.* De extrema Unctione Jacob 5. *Oratio fidei salvabit infirmum*: De Ordine 2. ad Timoth. 2. *Ut suscites gratiam, quæ est in te per impositionem*: Et de Matrimonio ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*. Unde inferes, Sacramenta novæ legis non esse mera signa gratiæ dandæ a solo Deo ad illorum præsentiam, sed esse veras causas gratiæ sanctificantis; idque est de fide, ut notat Bellarm. *de effectu Sacramentorum* cap. 2.

Huic effectui gratiæ sanctificantis adnexæ sunt omnes virtutes infusæ sive theologales, sive morales, quia omnes hæ virtutes gratiam sequuntur, & comitantur, ut reginam: quare Sacramentum causans gratiam causat indivisim infusionem dictarum virtutum: ita communiter Doctores ex Trid. *sess. 6. c. 7.* doceote, homines *Justificari per susceptionem gratiæ, & donorum*.

Respondeo secundo, Quodlibet Sacramentum, præter gratiam sanctificantem, & virtutes infusas, causare gratiam, quæ dicitur Sacramentalis, consistens in speciali quodam auxilio ad consequendom finem proprium cujusque Sacramenti ordinato: e. g. virtute Baptismi confertur auxilium ad servanda omnia præcepta, & ad digne suscipienda reliqua Sacramenta; virtute Confirmationis ad Fidem constanter profitendam, gratiamque conservandam; virtote Eucharistiæ ad tentationes superandas, & gratiam augendam frequenter exercendo actus virtutum; virtute Pœnitentiæ ad detestanda peccata commissa, & integre pro eis satisfaciendom; virtute extremæ Unctionis ad fortius resistendum Diabolo in articulo mortis; virtute Ordinis ad rectum illius usom; virtute demum Matrimonii ad fovendum mutuum amorem conjugum, & fidem matrimonialem servandam. Ita communiter Doctores post D. Th. 3. p. q. 62. a. 2.

Quæres secundo, An omnia Sacramenta novæ legis gratiam causent ex opere operato, hoc est ex institutione Christi?

Respondeo affirmative, Idqoe definitum esse a Trid. *sess. 7. can.* 8. aliter Baptismus collatus infanti a malo Ministro non causaret gratiam. Hinc infers, quod, si aliquando detur Sacramentum, & simul adsit actus meritorius operantis; tunc, præter gratiam collatam vi Sacramenti juxta institutionem Christi, confertur etiam alia gratia ex opere operantis, correspondens scilicet actui meritorio operantis.

Quæres tertio, Quomodo Sacramenta causent gratiam, moraliterne tantum, an etiam physice?

Prænotandum hic, causam physicam esse illam, qoæ physico, & reali influxu suum effectum attingit; moralem vero, quæ influxu non physico, & reali, sed tantum morali attingit effectum suum. Sic, si quis mandet alteri homicidium, aut det consilium de homicidio, & hic vi mandati, vel consilii hominem occidat, occidens erit causa physica: mandans vero, vel consilium dans erit causa moralis homicidii. Quare omnis causa movens, sive determinans aliam ad causandum physice effectum est causa moralis illius. His prænotatis

Respondeo, Plures, gravesque Doctores apud Pal. p. 8. n. 4. tribuere Sacramentis non solum causalitatem moralem, sed etiam physicam in gratiam, cum talis modus operandi, & Sacramentorum dignitatem extollat, & conformior sit locutiooi Scripturæ, Conciliorum, & Patrum asserentium, homines Sacramentis mundari, & sanctificari, quod non videtur salvari per solam causalitatem moralem; per hanc enim Sacramenta solom essent signa excitantia Deum ad dandam gratiam: sicuti chirographus excitat debitorem ad pecuniam solvendam. Addunt, Sacramenta veteris legis fuisse causas morales gratiæ; Circumcisione enim posita ex promissione Divina remittebatur originale: atqui Sacramentis novæ legis tribui debet altior modus operandi, & producendi gratiam: debent igitur non solum moralitee, sed etiam physice gratiam causare. Sed bis non obstantibus, probabilius esse censeo, Sacramenta novæ legis solum moralitee causare gratiam: & quod causent moraliter gratiam, videtur certum; actiones enim Sacramentales sunt moraliter actiones Christi, ut merentis nobis gratiam, cujus nomine a suis Ministris ponuntur: hinc D. Aug. *tr. 5. in Joan.* hanc reddit rationem; quare baptizati a scelestis hominibus, aut ab hæreticis non rebaptizentur, *quia nimirum per Ministros, quantumvis malos, Christus est, qui baptizat*. Actiones autem ministrorum principalis nomine factæ, ipsius principalis dignitate moraliter informantur, a qua desumunt suom valorem, qui in præsenti non est, nisi vis satisfactoria, & meritoria gratiæ apud Deum, adeoque vis moralitee causativa gratiæ. Quod autem hæc sola vis causativa moraliter gratiæ de facto insit Sacramentis novæ legis, suadetur, quia nulla apparet necessitas admittendi de facto in Sacramentis miraculosam hanc physicam causalitatem gratiæ ultra moralem. Nam primo, Nullum est talis miraculi firmum fundamentum in Scriptura, Conciliis, & Patribus: ex quibus solum habemus, Sacramenta esse signa practica gratiæ, gratiam continere, & causare: quod optime intelligi potest de causalitate morali. Secundo, tale miraculum neque est necessarium Sacramentorum dignitati, aut hominum utilitati. Non dignitati Sacramentorum; nam causalitas moralis est vera causalitas: sic Passio, & Mors Christi Domini vere dicitur nostram sanctitatem causare, quamvis eam non causet, nisi moraliter; & sæpe est nobilior causalitate physica, ot colligitur ex D. Aug. in *Psal.* 63. affirmante, mortem Christi potius tribuendam esse Judæis a Pilato petentibus ejus crucifixionem, quam Pilato, & gentibus illum crucifigentibus. Neque hominum utilitati; ad hanc enim solum facit, qood gratia per Sacramenta ipsis communicetur, & infallibiliter communicetur: & parum refert, sive physice, sive moraliter communicetur: infallibilitas autem effectus habetur, sive Sacramenta sint tantum causæ morales, sive sint etiam causæ physicæ gratiæ. Tertio demum, Falsum est, quod, si Sacramenta essent solum morales causæ gratiæ, essent ejosdem virtutis, ac Sacramenta veteris legis, & comparanda essent chirographo, quo debitor testatur, se debitorem esse; nam Sacramenta vetera ex dictis non conferebant gratiam, sed illam conferendam significabant; &, quamvis in Circumcisione gratia conferebatur, tamen non Circumcisioni, sed Fidei in Christum venturum, qoam Circumcisus, vel ejus Parentes illo signo profitebantur, tri-

buenda erat concessio gratiæ, ac proinde ea erat non ex opere operato, sed ex opere operantis. Sacramenta vero novæ legis sunt signa practica gratiæ, eamque ex opere operato conferunt. Chirographum, quo quis se debitorem testatur, non continet debitum, sed solum illud signat: hinc debitur non ob manifestationem chirographi, sed ob obligationem, quam aliunde habet, illud solvendi, cujus obligationis signum est chirographum, debitum solvit: at Sacramenta novæ legis continent merita Christi, & gratiam: quare potius comparari possunt, ut bene notat Con. q. 62. a. 4. n. 131. bursæ plenæ pecuniis alicui concessæ, ut sibi necessaria comparet.

Quæres quarto, Quo tempore Sacramenta gratiam causent?

Respondeo, Sacramenta consistentia in usu, & transeuntia, qualia sunt omnia, præter Eucharistiam, quæ una est Sacramentum permanens, gratiam causare, quando materia, & forma habent perfectam significationem: e. g. in Baptismo, quando materia, & forma habent perfectum sensum, seu cum primo verificatur, quod suscipiens Baptismum sit ablutus, & simul a Ministro abluente prolata sint verba formæ cum intentione requisita, tum ex parte Ministri, tum ex parte suscipientis; tunc causatur gratia, dummodo non ponatur obex. De Eucharistia vero, quæ est Sacramentum permanens, dicendum, quod gratiam causat, cum in stomachum trajicitur, quia tunc dicitur manducari; & efficacia, seu causalitas hujus Sacramenti a Christo Domino adnexa est manducationi, ut aperte colligitur ex Evangel. pluribus in locis, & præsertim Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*.

Quæres quinto, An omnia Sacramenta possint causare primam gratiam, hoc est gratiam remissivam peccati mortalis?

Prænotandum, Ex Sacramentis, alia dici *Mortuorum*, quæ scilicet sunt per se ordinata ad justificandum peccatorem, qualia sunt Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ; alia dici *Vivorum*, quæ scilicet ex primaria sua institutione sunt ordinata ad augendam gratiam hominibus justis, qualia sunt cætera Sacramenta. Jam vero certum est, Sacramenta vivorum per se requirere in suscipiente statum gratiæ, itaut gratiam certo non causent in suscipiente, etsi attrito, si conscientiam habeat peccati mortalis: in quo casu ad recipiendum fructuose Sacramentum teneretur præmittere confessionem Sacramentalem, vel contritionem juxta dicenda inferius. Dubium nunc est, an in aliquo casu per accidens causent primam gratiam, quando scilicet quis peccati, quod revera est in anima, invincibiliter oblitus, sola præmissa attritione, aliquod ex Sacramentis vivorum suscipit? Ad quod

Respondeo affirmative Cum communiori sententia, quam Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 7. sect. 2. probabiliorem, & magis plam dicit. Ratio est, quia ex Trid. *sess. 7. can. 6.* Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem: atqui in casu adducto accedens cum sola attritione ad Eucharistiam e. g. non poneret obicem, Probatur hæc minor; nam, sicuti peccatum non est obex gratiæ in Sacramentis mortuorum, si quis ad ea cum sola attritione accedat; ita nec in casu nostro: gratis enim assumitur, quod peccatum retractatum per attritionem non sit obex gratiæ solum in Sacramentis institutis ad delenda mortalia; in reliquis vero sit obex. Sacramenta igitur vivorum dicuntur talia, quia per se supponunt gratiam in suscipiente: hoc tamen non obstat, quominus in casu posito per accidens causent primam gratiam: sicuti econtra Sacramenta mortuorum per se causant primam gratiam; hoc tamen non obstat, quominus causent per accidens secundam gratiam, iis videlicet, qui ad illa accedunt perfecte contriti, vel qui solum venialia, vel mortalia remissa clavibus subjiciunt.

Quæres sexto, Quinam sit effectus secundarius Sacramentorum?

Respondeo, Esse characterem, qui a tribus tantummodo Sacramentis, nimirum Baptismo, Confirmatione, & Ordine imprimitur suscipientibus, ut definitum est a Flor. in Decr. Arm., & a Trid. *sess. 7. can. 9.* Est autem character signum indelebile, seu qualitas quædam spiritualis, ac supernaturalis impressa animæ, qua Christo Duci, Principi, summoque Sacerdoti unimur, & in illius servos, milites, ac ministros ad divinum cultum deputamur, & consignamur; nam charactere Baptismi consignamur in servos Christi, ac Domesticos Dei; Confirmationis in milites ad tuendam ejus fidem; Ordinis, in Ministros, & dispensatores mysteriorum Dei. Tale signum per se pertinet ad primam speciem qualitatis, quia est qualitas per se data ad ornandum hominem, eumque disponendum ad fines supradictos: reductive autem constitui potest in secunda specie qualitatis, quæ est potentia, quia per eam homo fit aptus, tum ad recipiendum, tum ad operandum: nam charactere Baptismi Baptizatus redditur aptus ad suscipienda reliqua Sacramenta, cum nemo possit valide cætera Sacramenta suscipere, nisi sit Baptizatus; ideoque Baptismus dicitur Janua Sacramentorum, & præterea redditur aptus ad ministrandum Sacramentum Matrimonii: charactere Confirmationis disponitur confirmatus ad reliqua Sacramenta aptius recipienda, & ministranda: charactere demum Ordinis redditur ordinatus aptus ad conficiendum, & ministrandum Sacramentum Eucharistiæ, & ad ministrandum Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis. Igitur character Baptismi est quædam potentia passiva relate ad omnia Sacramenta, & activa relate ad Matrimonii Sacramentum: reliqui duo Confirmationis, & Ordinis, ex nuper dictis, sunt quædam potentiæ activæ; & idcirco characterem reduci posse ad speciem potentiæ, docent Suar. Bon. Laym. Pal. Ex eo autem, quod solum supradicta tria Sacramenta characterem imprimant, infertur, ut definivit Trid. loc. cit., quod solum illa tria sint simpliciter irreiterabilia.

QUÆSTIO II.

De Causa Efficiente Sacramentorum.

INQUIREMUS, Primo, Quænam sit causa efficiens Sacramentorum? Secundo, Agemus de intentione: Tertio, De cæteris requisitis in Ministro ad validam, & licitam Sacramenti confectionem.

CAPUT I.

Quænam sit Causa efficiens Sacramentorum?

DUPLEX est causa efficiens Sacramentorum, altera Sacramentum instituens, altera jam institutum ministrans. Hinc

Quæres primo, Quænam sit causa effectiva instituens?

Respondeo, Certum esse, quod Sacramenta omnia a summo Deo, tamquam a principali auctore, instituta fuerint: cum enim solus Deus gratiæ sanctificantis auctor esse possit, solus Deus instituere potest signa, præsertim practica, gratiæ. Ita communissime Doctores cum D. Th. q. 64. a. 2. Hinc, quamvis Christus Dominus, qua Homo est, dicendus sit Institutor Sacramentorum, non debet tamen, qua talis, dici primarius Institutor, & Auctor Sacramentorum: nam, qua Homo, Sacramenta instituit ex potestate ipsi a Deo communicata, ob excellentiam talis Humanitatis ratione unionis Hypostaticæ cum Verbo Divino juxta illud Marc. ult. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in Terra.* Christus igitur, qua Deus, fuit Institutor Sacramentorum ex potestate auctoritativa; qua Homo, ex potestate excellentiæ, communicata nimirum a Deo tali Humanitati ratione suæ excellentiæ.

Quæres secundo, An ea potestas instituendi Sacramenta, quam habuit Christus, qua Homo est, possit communicari a Deo alicui puræ Creaturæ?

Respondeo, Alios affirmare, alios negare, quorum opiniones conciliare videntur Con. Laym. & Pal. p. 4. n. 3. asserentes, posse quidem communicari, quamvis non cum ea perfectione, qua communicata de facto fuit Humanitati Christi, cui fuit concessa quodammodo ex debito, tum ob excellentiam Personæ, tum ob ejus opera meritoria de condigno talis potestatis. Hac perfectione communicari certe non posse, asserunt, dictam potestatem puræ Creaturæ, cui non potest talis potestas esse debita, neque ratione excellentiæ, neque ratione operum meritoriorum, cum nulla pura creatura possit de condigno mereri alieni peccati remissionem. Solum igitur asserunt, potuisse eam potestatem communicare puræ creaturæ ex liberalitate Divina, vel in præmium alicujus operis boni facti, vel faciendi.

Quæres tertio, Quænam sit causa effectiva ministrans, seu quinam sit Minister Sacramentorum?

Respondeo, De Lege ordinaria, & Christi institutione esse solum hominem viatorem, cum enim Sacramenta instituta sint pro cursu hujus peregrinationis, & in ejus subsidium, expediens fuit, ut solus homo in hac vita degens eorum minister deputaretur. Ita cum D. Th. q. 64. a. 5. tenent communiter Doctores. Hinc inferes, neque dæmones, neque Angelos, neque homines compre-

prehen-

prehensores, aut damnatos esse Ministros Sacramentorum. Quod, si aliquando constaret, Angelos Sacramentum aliquod ministrasse, credendum est, ipsis datam fuisse specialiter, & extraordinarie a Deo potestatem conficiendi, & ministrandi tale Sacramentum: dæmonibus autem nunquam credendum est bane potestatem communicari, sed potius ex sua malitia Sacramenti ministrationem attentare. Ita D. Th. Con. Sayr. Bonac. Suar. apud Pal. p. 5. n. t.

Quæres quarto, An quivis homo sit cujusvis Sacramenti Minister?

Respondeo negative, idque de fide esse contra Lutherum, docet Bellar. l. 1. c. 24. Idipsum definitum expresse est a Trid. pluribus in locis, & potissimum *sess. 7. can. 16. de Sacram. Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis potestatem habere, anathema sit*. Quinam vero sit cujusque Sacramenti Minister, commodius suis locis explicabitur.

CAPUT II.

De intentione requisita in Ministro ad validam, & licitam Sacramenti confectionem.

INTENTIO est, *Actus voluntatis, quo quis intendit aliquem finem*, seu, *quo quis se determinat ad aliquid faciendum*. Multiplicirer dividitur: Primo in actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam. Actualis est, qua quis actu aliquid intendit, seu vult aliquid facere. Virtualis est, quæ promanat ab actuali prius habita, nec retractata, & moraliter perseveraote in aliquo opere, sru in aliqua serie actionum inchoata vi illius intentionis actu aliquando habitæ: ut si Confessarius distractus absolvat vi voluntatis, qua ad confessionem excipiendam accessit, vel si Parochus distractus baptizet, sed ex voluntate baptizandi prius habita, vi cujus accessit ad Ecclesiam, & successive præparavit, ac peregit omnia necessaria ad validam, & licitam Baptismi administrationem: in tali enim continuata successive serie actionum ordinatarum ad Baptismi collationem moraliter perseverat illa intentio prius habita tanquam in sua virtute, & effectu. Habitualis est intentio aliquando habita, & nunquam retractata. Interpretativa est, quæ nec est actu, nec unquam fuit: animus tamen operantis est ita dispositus, ut eam haberet, si de ea cogitaret. Dividitur secundo, In absolutam, & conditionatam. Absoluta est, qua quis intendit aliquid independenter a quocumque eventu: conditionata, qua quis aliquid vult dependentet ab aliqua conditione. Dividitur tertio, In directam, & indirectam. Directa est, qua quis vult aliquem effectum in se ipso: indirecta, qua quis vult effectum in causa: sic, si quis inebrietur prævidens, se in ebrietate commissurum homicidium, dicitur directe velle ebrietatem, indirecte homicidium. His positis

Dico primo: Ad valorem Sacramenti non sufficit ex parte Ministri intentio ponendi res, & verba ex joco, neque etiam intentio ponendi ea serio, sed pure materialiter; sed necessarin requiritur intentio ponendi ea, nt Sacramentalia. Prima paes est contra Luther. Calvin. & alios asserentes sufficere intentionem ponendi quomodocumque res, & verba, dummodo adsit in suscipiente fides: est tamen de fide partim ex Flor. in Decr. Eug. IV. ad Arm. & ex Trid. *sess. 7. can.* 15. requirentem ad valorem Sacramenti intentionem saltem facieodi, quod facit Ecclesia; partim ex decreto Leonis X. damnantis hunc 12. Lutheri articulum. *Si Confessus non esset contritus, nut Sacerdos non serio, sed joco nbsolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus*. Quod autem dicitur de absolvente, valet de conficiente quodvis aliud Sacramentum. Altera pars est contra Catharinum, Scribonium, & alios putantes, sufficere intentionem ponendi actiones mere materialiter. Hanc opinionem communiter rejiciunt Doctores, adeout Lug. d. 8. n. 15. dicat, parum distare ab errore Hærrticorum, & Vasq. disp. 538. n. 34. putet, esse expresse damnatam, & oppositum esse ab Ecclesia definitum: saltem certissimum esse, ait Croix n. 54. postquam ab Alrxandro VIII. die 7. Decembr. 1690. damnata fuit hæc 28. prop. *Vales Baptismus collatus n Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo apud se resolvit non intendo, quod facit Ecclesia*. Et idcirco Trid. *sess. 14. c. 6. de Pœnit.* in Sacerdote absolvente requirit animum, non solum serio agendi, sed etiam vere absolvendi. Ratio autem generalis pro omnibus Sacramentis est voluntas Christi Sacramentorum Institutoris, qui juxta Apost. 1. ad Cor. 4. Voluit, suos Ministros esse, non pure nuntios, seu meros executores, sed *Dispensatores mysteriorum Dei*, ad quos spectat humano modo agere hic, & nunc quidem ad suum arbitrium, sed accommodate ad voluntatem Principalis, cujus vices gerunt: v. Croix loc. sup. cit.

Opponunt: Primo Historias tum de duobus pueris inter jocum baptizantibus (& quidem valide, ut declaravit Patriarcha Alexandrinus, & Ecclesia Constantinopolitana) tum de S. Genesio, qui, dum mimum in scena ageret, ut placeret aliis, fecit, se baptizari, & statim martyrii coronam adeptus est: Secundo, Minus consonum esse Misericordiæ Divinæ, quod unice propter culpam Ministri nolentis e. g. baptizare, homines damnentur: Tertio, Contractus humanos esse validos, etiamsi desit in contrahentibus intentio contrahendi, dummodo ponatur, quicquid externe requiritur ad valorem contractus: ergo, &c.

Respondeo: Ad primum, in illis pueris fuisse seriam intentionem faciendi verum Sacramentum per hoc, quod fuerit seria voluntas æmulandi totum id, quod faciebant adulti baptizantes: quod non est novum in pueris. Quoad S. Genesium, dico, vel in eo non defuisse sufficientem intentionem pro Sacramenro; vel, si defuit, illum justificatum fuisse per contritionem, vel per Martyrium subsequens. Ad secundum Alens. Dur. Gabr. & alii apud Avers. q. 64. s. 3. respondent, Christum Dominum in ejusmodi casibus supplere effectum gratiæ deficientis ex culpa Ministri: Suar. tamen recte docet, hanc suppletionem non fundari in ulla promissione Divina, & carere omni ratione probabili. Dicendum igitur est, tales homines damnari, non propter culpam Mioistri, sed propter propriam, vel originalem, vel actualem antea contractam, & non remissam. Quod autrm in tali casu non remittatur, non est ex defectu bonitatis in Deo, qui dat media, sed occasionaliter est ex malitia Ministri, quam Deus impedire non tenetur; imo nec potest, salva lege ordinariæ Providentiæ. Ad tertium, Primo; nego assumptum juxta dicta in de Contract. Secundo, Etiam dato, quod ad contractus inter homines, qui non possunt cognoscere intentiones internas, non requireretur intentio interna, non inde sequitur, quod non requiratur talis intentio in Ministro Sacramentorum, ad hoc ut valeat quasi contractus Dei cum ipso; Deus enim, utpote intuens cor hominis, & potuit, & voluit alligare effectum gratiæ, & validitatem Sacramentorum internæ intentioni Ministri.

Dico secundo: Intentio indirecta, seu in causa non sufficit ad conficiendum Sacramentum: e. g. si quis prævidens, se in somno, vel in ebrietate baptizaturum aliquem, se inebriet, vel somno dedat, etiam eo consilio, ut alium baptizet, invalidus est Baptismus. Ita communiter Doctores; idque extra controversiam esse, ait Vasq. disp. 138. n. 68. Ratio est, quia, nec talia confectio Sacrameni dici potest actio humana, cum non sit facta libere, seu ex deliberatione rationis; nec talis prolatio verborum est locutio humana, utpote non manifestativa mentis, sive judicii præsentis, cum in tali statu non sit usus humanus mentis, sive rationis. Adde quod talis actus non sufficit ad contractum, & commercium humanum: multo minus igitur satis erit ad actum Ministri, quem Christus voluit esse fidelem dispensatorem mysteriorum Dei, quique attendere debet, ut ponatur debita materia, & bene exprimatur forma. In solo matrimonio per procurarorem celebratu potest principalis etiam dormiens, aut ebrius valide contrahere, quia etiam in tali statu vi mandati præcedentis moraliter virtualiter influit in voluntatem procuratoris.

Dico tertio: Nec sufficit in Ministro intentio, sive habitualis, sive interpretativa. Ratio est, quia intentio Ministri debet esse causa actionis, qua ponitur Sacramentum; ex vi enim illius debet positio Sacramenti esse actio humana Ministri agentis nomine Christi, & prudenter dispensantis mysterium Dei: intentio aotam, sive habitualis, sive interpretativa, cum neque in se, neque in aliqua sua virtute existat tunc, cum ponitur Sacramentum, non potest ullo modo esse causa actionis, qua ponitur Sacramentum.

Dico quarto: Quamvis in Ministro sit sufficientissima intentio actualis, ea tamen non est necessaria, sed sufficit virtualis. Ita communissime omnes, ait Suar. d. 13. sect. 3. Lug. d. 8. n. 90. Herinc. d. 3. n. 32. Ratio est, Primo, quia hæc sufficit ad vota, ad orationem, ad contractus: ergo similiter sufficiens erit ad con-

conficienda Sacramenta: Secundo, qnia, si non sufficeret intentio virtualis, confectio Sacramentorum esset exposita perpetuis dubiis, & scropulis: est enim supra moralem potestatem hominis semper habere intentionem formalem actualem, cum sæpe nobis invitis sese ingerant distractiones illam impedientes: hinc possemus merito semper dubitare de valore Sacramenti; de quo, cum non dubitent Ecclesia, & Doctores, dummodo Sacramentum sit positum cum intentione virtuali, est moraliter certum, hanc sufficere: Tertio a priori, quia intentio virtualis est sufficienter causa actionis, qua ponitur Sacramentum: est enim quædam virtus prioris intentionis imperans, & dirigens executionem ejusdem objecti: ergo, &c.

Ex dictis infers, eum, qui de more ponit actiones requisitas ad Sacramentum, non posse prudenter dubitare de intentione requisita, nisi hanc positive excludat: quia sic vult facere, quod alias solet, & quod faciunt similes Mioistri, quod sufficit, ut notat Gammach. & Abelly. Præterea in tali casu Minister jam exercite cognoscit, illas actiones esse sacras, & ordinatas ad certos fines: ergo exercite intendit eas, ut tales, & ad tales fines, quod sufficere docet Vasq. Hinc Maur. q. 78. n. 5. recte infert, Ministros Sacramentorum, nisi studiose omiserint intentionem faciendi Sacramentum, vel habuerint intentionem oppositam, inepte dubitare, an habuerint intentionem sufficientem ad valorem Sacramenti. Addit Bellar. opus non esse, expresse, & formaliter dicere ore, aut corde, *Intendo hoc facere*, *&c.* (hæ siquidem scropulosæ reflexiones potius devotionem impediunt, animumque perturbant, ut notat Herincx d. 3. n. 28.) sed tantum requiri, ut homo sit præsens animo, & attente faciat, quod facit; ista enim dicitur intentio in actu exercito, ut loquuntur Cajetan. & Less. hic q. 64. a. 8. dub. 2.

Dico quinto: Valide, &, si adsit justa causa, etiam licite conficitur a Ministro Sacramentum cum intentione conditionata de præterito, vel de præsenti jam purificata: illicite, & invalide semper conficitur cum intentione conditionata de futuro (uno excepto Matrimonio). Prima pars patet ex praxi Ecclesiæ: sæpe enim baptizatur infans, si non est baptizatus, si est capax, &c. Dixi licite etiam confici a Ministro Sacramentum cum tali intentione conditionata, *Si adsit justa causa*; nam sine justa causa illicite administratur: & sane veniale peccatum esset explicite addere aliquam ex conditionibus intrinsecis Sacramento, ut sunt omnia illa, quæ requiruntur ad valorem Sacramenti, tam ex parte conferentis, quam ex parte suscipientis, quæ conditiones de se imbibuntur in ipsa intentione conficiendi Sacramentum. Tales sunt hæ conditiones, *Si ipse conficiens Eucharistiam potestatem habeat*, *Si suscipiens Sacramentum sit capax*, *&c.* ita Croix n. 78. At, si conditiones sint Sacramento extrinsecæ, sine quibus scilicet haberi potest Sacramentum, ut *Si Petrus ivit Romam*, *Si Paulus dormit*, *&c.* semper grave peccatum erit sub iis Sacramenta conficere; maxime, si sint occultæ; tum quia Christus Dominus noluit, Sacramenta conferri sub conditionibus impertinentibus; tum quia, quando sunt occultæ, exponitur Sacramentum periculo nullitatis casu, quo non adesset conditio, sub qua conficitur Sacramentum: ita Suar. Henr. Bonac. & Pal. p. 5. n. 7. Altera pars probatur: quia, si baptismus conferatur e. g. sub hac conditione, *Si cras pluet*, talis baptismus neque potest esse validus, quando ponitur materia, & forma ex defectu intentionis in Ministro non intendente tunc baptismum, sed solum, quando purificabitur conditio; neque potest esse validus, quando purificabitur conditio, quia tunc deest materia, & forma Sacramenti: ergo est simpliciter invalidus. Non est igitur in potestate Ministri Sacramenti valorem, & effectum suspendere, illumque a materia, & forma ex sua voluntate dividere. Excepi matrimonium, quod, cum sequatur naturam, & leges contractus, valide, & licite celebrari potest sub conditione de futuro, e. g. *Si Papa dispensaverit in impedimento*. *Si Pater consenserit*, *&c.* Notandum tamen, quod in tali casu non suspenditur, neque sejongitur effectus Sacramenti ab ejus materia, & forma: nam materia, & forma Sacramenti matrimonii non habetur, nisi in contractu absoluto; conditionatus autem contractus non transit in absolutum, nisi purificata conditione: contractus igitur matrimonialis, quousque est conditionatus, non est simpliciter materia, & forma Sacramenti, quæ solum habentur purificata conditione, quia tunc contractus evadit absolutus.

Quæres primo, Si Minister habeat simul intentiones contrarias, quænam debeat prævalere? e. g. Si velit facere, quod Christus instituit; nolit tamen facere, quod intendit Ecclesia Romana?

Respondeo, Prævalere illam, quæ est magis absoluta, seu quæ, cognita earum incompossibilitate, remaneret irrevocata, altera revocata: utra vero sit talis, erui debet ex dispositione Ministri, si magis sit affectus circa unam, quam circa alteram. Quod, si de hoc dubitetur, dubius erit valor Sacramenti. Sic, si hæreticus velit baptizare, & nolit se conformare Ecclesiæ Romanæ, quia putat, eam errare: ita tamen, ut, si sciret, Ecclesiam Romanam non errare, adhoc vellet Sacramentum conficere, & revocaret intentionem non conformandi se Ecclesiæ Romanæ; voluntas faciendi Sacramentum prævalet voluntati non faciendi, quod intendit Ecclesiam Romanam; &, quia ex communiter contingentibus id præsumitur rationabiliter de hæreticis baptizantibus, dummodo servent materiam, & formam institutam a Christo Domino, idcirco baptismus collatus ab hæretico reputatur validus. Contra vero, si constaret, aliquem ita conferre baptismum sub dictis intentionibus contrariis, ut, si sciret, Ecclesiam Romanam non errare, adhuc nollet huic se conformare; tunc dicenda esset prævalens intentio non conformandi se Ecclesiæ Romanæ, seu intentio non faciendi Sacramentum.

Quæres secundo, An intentio Ministri debeat esse determinata ad certam materiam, & personam?

Respondeo affirmative cum Lug. d. 8. n. 111. quia intendere debet præsens Sacramentum, quod constat sua e. g. ablutione: actio enim procedens ex intentione debet cadere supra id, in quod fertur intentio: hinc debet intendere conferre Sacramentum personæ præsenti, cui applicat illam actionem: ideoque, si quis ablueret Cajum, & intenderet baptizare Titium, quem non abluit, invalide baptizaret, & mentiretur, si abluens Cajum intra se diceret, *Volo baptizare Titium*. Similiter, si Sacerdos vellet consecrare alteram tantum ex hostiis sibi præsentibus, eam non determinans: si Confessarius vellet absolvere alterum tantum ex pœnitentibus sibi jam confessis, illum pariter non determinans, neutra hostia consecraretur, neuter pœnitens absolveretur: v. Croix num. 61. ubi advertit, non expedire, quod Sacerdos restringat intentionem ad talem in individuo hostiam, quam ipse apposuerit, vel ad talem in individuo personam; sed potius dirigendam esse intentionem ad personam, & ad materiam præsentem, & sibi moraliter approximatam.

Quæres tertio, An error Ministri circa personam suscipientem Sacramentum obstet illius valori?

Respondeo negative per se loquendo, excepto matrimonio. Ita communiter omnes cum Vasq. d. 138. c. 7. Ratio est, quia natura sex primorum Sacramentorum non exigit, ut Minister debeat restringere suam intentionem ad hunc, vel illum, cum satis sit, quod intentionem dirigat ad petentem, sive sit Cajus, sive sit Titius, cum id parum referat ad finem Sacramenti, ut ait Sanch. *de Matrim.* disp. 18. n. 12. Hinc valide baptizas puerum, licet per errorem putes, esse puellam: valide absolvis virum, licet putes, esse mulierem, quia scilicet intendis baptizare, vel absolvere personam tibi præsentem. Contra vero contrahens matrimonium determinate intendit hanc personam, quia natura matrimonii est, ut inducat obligationem ad semper vivendum cum hac persona, & ad simul educandas hujus personæ proles: hinc error circa personam est error circa substantiam contractus, ipsum invalidans, juxta dicenda in de Matrim. Dixi, *Per se loquendo*; nam, si Minister expresse non intenderet e. g. absolvere, si, is qui absolvitur, non esset Titius; si revera ille non est Titius, invalida est absolutio: econtra, si contrahens matrimonium vellet contrahere cum muliere præsente, sive sit Caja, sive Berta, validum esset matrimonium, etiamsi erraret in persona: sed hæc essent per accidens & præter naturam talium Sacramentorum: v. Croix n. 68.

Quæres quarto, An error Ministri circa formam invalidet Sacramentum?

Respondeo primo, Si error Ministri exterius manifestetur in ipsa forma, & sit talis, ut corrumpat verum sensum formæ, nullum est Sacramentum, quia in tali casu haberetur mutatio substantialis formæ. Exemplum sit in Ariano exprimente in forma baptismi suam hæresim, & baptizante *In nomine Patris Dei*, *Filii creaturæ*, *&c.* Quod, si error externe expressus non cor-

corrumpat legitimum sensum formæ, stare poterit validitas Sacramenti sub tali errore, utut exterius expressso. Exemplum sit in Ministro baptismi putante, expressionem pronominia *Ego* in forma æque esse necessariam, ac expressionem Personarum Trinitatis: talis error, etiamsi exprimeretur in forma, cum non corrumpat ejosdem verum sensum, non obstaret valori baptismi: ita Pal. p. 3. n. 6.

Respondeo secondo, Si error Ministri non manifestetur exterius in ipsa administratione Sacramenti, sed tantom retineatur in corde, etiamsi sit contrarius vero sensui formæ, non invalidat Sacramentum, dummodo Minister intendat facere, quod Christus instituit. Exemplum sit in eodem Ariano credente, Verbum Divinum esse Creaturam, sed talem errorem nullatenus esprimente in forma, adeoque baptizante sub forma consoeta *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. In tali casu valide, per se loquendo, baprizat Ariauns, si intendae facere, quod Christus instituit; nam error ille privatus interios tantum conceptus neque mutat formam, neque impedie debitam intentionem. Non mutae formam, sive ejus sensum, quia hæc non ex privato cujusque arbitrio, sed ex communi usu, hominumque imposirione pendet: eum igitur voces *Filii, & Spiritus Sancti* in administratione baptismi ex communi usu, hominumque impositione supponant pro Filio, & Spiritu S., eandem singularem naturam cum Patre habentibos; non poterit privatus error talem impositionem mutare. Neque obstat, voces esse signa conceptuum, &, eum in casu, de quo loquimur, illæ voces significent conceptum falsum Ministri, sequitur, quod habeatur mutatio in sigoificatione. Nam non sunt signa conceptus falsi ex hominum impositione, quamvis a proferente hic & nune usurpentur ad significandum conceptum falsum; sed ex impositione hominum sunt signa conceptus veri, quem proferens habet, vel habere debet: ita Pal. p. 3. n. 6. Adde, quod in easu, lieet Minister habeat falsum conceptum elarum, & explieitum Filii; habet tamen verum etiam conceptum Filii, sed implicitum, & confusum positu, quod intendat facere, quod Christus instieuit: v. Croix n. 63. Er hinc est, quod privatus error internus Ministri neque impedit debitam intentionem; nam illa intentio generalis faciendi, quod Christus instituir, est prævalens, absoluta, & efficax, cum hæreticos non habeat volontatem administrandi Sacramentum secundum suum partieularem conceptum, nisi ex suppositione, quod verus sit, & Christi instirutioni conformis: ita Suar., Con.; Laym., & Pal. n. 8., & colligitur ex Trid. *sess. 7. ean. 4. de Bapt. Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

CAPUT III.

De cateris requisitis ex parte Ministri ad validam, & licitam Sacramenti confectionem.

GENERALITER loquendo (uno excepto matrimonio, quod sequitur leges contractus) saltem ad licitam Sacramenti administrationem, requiritur io Ministro jurisdictio, sive ordinaria, sive delegata, eum proprium sit Pastoris Sacramentorum pabula ovibus dispensare. Dixi *Saltem ad licitam, &c.*; nam in Sacramento pœnitentiæ requiritur etiam ad validam ejus administrationem, cum absolotio Sacramentalis sit ex divina institorione actus judicialis, & invalida sint acta Judicis, si jurisdictionem non habeat.

Hioc requiritur primo, Ur præter potestatem derivatam a Christo Domino, habeat etiam ab Ecclesia facultatem administrandi Sacramentum. Hine graviter peccat Episcopus Ordines conferens etiam subdito proprio, sed in aliena Diœcesi sine illius Episcopi facultate: peccae simplex Sacerdos conferens alienis ovibus propria auctoritate Sacramenta: peccae laicus baptizans axtra necessitatem: peccane omnes, qui per censuras, vel pee statura Ecclesiæ privati sunt jore, vel usu administrandi Sacramenta, si illa administrene.

Requiritur secundo, Ut servet in Sacramentorum administratione ritum ab Ecclesia, vel universali consuetudine præseriptum; aliter peccabit graviter, vel leviter juxta materiam.

Requiritur tertio, Per se loquendo, ad eujuscumque Sacramenti licitam administrationem status gratiæ in Ministro, itaue mortalitee peccet, quicumque Sacramentum in peccato mortali conficit, sive sit specialiter ordinatus, sive non ad talis Sacramenti confectionem: ita Croix n. 91. cum D. Th. q. 64. a. 6., Catech. Rom., Nav., Dur., Ang., Hurt., Bas., Pont., Vasq., Lug., Pal., & aliis: Primo contra nonnullos ap. Moyam r. t. t. 4. q. 1. §. 1. dicentes, probabile esse, quod non sit mortale a quocumque Sacramentum conficiatur, quæ sententia improbabilis reputatur a Ledesm., Torr., Leand., Dian. Secundo contra Cajet., Suar., Val., Con., Booac., Præp., Sanch., Tann., Avers., Escob., & plures alios docentes, esse mortale, si Minister Sacramentum conficiens in peccato sit specialiter ad id ordioatus: in alio vero, qui ad hoc ordinatus non est, esse veniale: Tertio contra alios, qui dicunt, fore veniale tantum, etiam in specialiter ordinato ad Saeramenti confectionem, si illud non conficiat solemniter: Quarto demom contra aliquos Scotistas, & Canonistas docentes, nullum peccatum esse, si Minister nec sit specialiter ad id ordinatus, nec faciar solemniter, ut esset laicus privatim baptizans.

Porro nostra assertio probatur: Primo, Auctoritate Sanctorum Patrum apud Suar. disp. 16. sect. 3., qui absolute id asseruot de Ministro indigno, non distingneotes inter ordinatum, & non ordinatum, inter solemniter, & non solemniter, ministrantem: &, quamvis tantum in genere dicant, peccari; ex materiæ tamen gravitata satis innuunt peccari mortaliter. Probatur secundo ratione intrinseca, qoia Minister Sacramenti ex dictis quæst. præced. agit nomine Christi, cujus principaliter est actio illa, qua Sacramentum conficitur, & insoper immediate per propriam actionem influir in Sacramentum, & consequenter cooperaror Deo in sanctificationem animarum: videtur antem gravis irreverentia erga res Sacras, & Deum ipsum hæc agere in statu divinæ inimicitiæ, quia sic Minister se pessime disformat a digoitate rei, quam peragit, & a Sanctitate illios, cui cooperatur.

Dixi, *Per se loquendo;* nam, si adsit necessitas absolvendi e. g. moribundum, nullom peccatum est, ut habet D. Th. cum communi, teste Dieast., nam jus divinum, & eharitas magis obligae ad succurrendum proximo in necessitate spirituali, quam ad attendendam reverentiam Sacramenti, contra quam non agitur in ea necessitate. Sicuri ex Dieast., quamvis, per se loquendo, irreverenter se gereret famulus erga Dominum, si tecto eapita ante illum transiret; attamen, si filium Domini submergendum videret, nisi tecto capite ad eum e naufragio eripiendum procurreret, nullam in Dominum irreverentiam committeret, sed potius culpandus esset, si non ita faceret. Addit Moya, idem dicendum esse, si Confessarius non possit se tam eito disponere ad contritionem, & absolutionem differendo incurreret gravem notam, vel infamiam; hæc enim necessitas atiam videretur eum excusare.

Ex dictis inferes, peccare mortaliter I. Baptizantem in mortali, etiamsi sit laicus: II. Sacerdotem consecrantem in mortali; quod, si in mortali etiam communicet, est aliud specie peccatum, quod evitaret, si ante communionem contritionem eliceret, & tunc in confessione sufficeret dicere *Consecravi in mortali;* in priori tamen caso deberet dicere *Consecravi, & communicavi*, vel uno verbo *Celebravi in mortali*. Quod, si post consecrationem incideret in mortale, & in eo sibi ipsi daret communionem; committeret peccatum specie diversum ab eo, eui communio daretur ab altero, quia est diversa maliria indigne suscipere, & indigne ministrare Eucharistiam: Lug., Avers., Dicast. apud Croix n. 93., quare consecrans, & postea seipsum communicans quadruplicem diversam malitiam contrahit, quia nimirum Eucharistiam in mortali Primo conficit: Secundo ministrat: Tertio ministrat indignus: Quarto suscipit indignus. Probabile tamen est, secundam malitiam, quia indignus ministrat, non esse mortalem: v. Croix n. 94. III. Confessarium in mortali absolventem. An autem totiet, quotiet absolvit; etiamsi continuate confessiones audiat, dicetur in de Pœnit. IV. Episcopum consecrantem alium Episcopum, vel conferentem Ordines minores in mortali, supposito, quod tam Episcopatus, quam Minores Ordines sint Sacramentum, ut multi de Episcopatu, & communis sententia de Minoribus Ordinibus docet. V. Contrahentem matrimonium in mortali, non solum, prout est suscipiens, sed atiam prout est ministrans Sacramentum, juxta dicenda in de Matrim.

Inferes præterea, Ministrum Ecclesiæ non peccare mortaliter, si in mortali obeat quascumque alias functiones sacras, etiamsi sint exercitium alicujus Ordinis (dummodo non sint actiones, quibus conficiatur aliquod Sacramentum) ut sunt consecratio Chrismatis, Calicis, &c. facta ab Episcopo, vel collatio primæ tonsuræ, vel

solem-

solemnis benedictio nuptiarum facta a Sacerdote, & similia: Henr. Sot. Suar. Val. Con. Bonac. Vasq. Laym. apud Pal. p. 6. n. 2. qui hanc sententiam probabiliorem existimat; quia, neque ex muneris sanctitate, & dignitate, neque ex deputatione ad illius exercitium videtur colligi, gravem irreverentiam esse ea exerceri in peccato mortali. Peccant tamen venialiter, qui in mortali obeunt munia Sacro Ordini adnexa: ita Lugo contra Vasq. quia videtur esse aliqua irreverentia in statu peccati mortalis exercere ea, quæ specialiter requirunt Ordinem Sacrum. Hinc nonnisi venialiter peccat Episcopus in mortali solemniter benedicens populum, vel Sacerdos solemniter benedicens nuptias, vel Diaconus, aut Subdiaconus solemniter exercens proprium Ordinem. Quod, si functiones non sint adnexæ Ordini Sacro, ut est assistentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia Parochi ad matrimonium, ministratio ampullarum in Missa solemni facta ab Acolytho, exercitium non solemne Diaconatus, vel Subdiaconatus, &c. Bernal. & alii docent, nullum peccatum committi: Aversa tamen dicit, committi veniale: v. Croix n. 99.

Quæres primo, An in administratione Sacramentorum licite Minister utatur sententia tantum probabili?

Respondeo, Mortaliter peccare, qui in conficiendo Sacramento sequitur sententiam tantum probabilem de ejus valore, relicta tutiore. Est certum ex propos. prima proscripta ab Innoc. XI. quæ sic habet: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis.* Ratio est, quia exponitur Sacramentum periculo nullitatis: unde, sicuti gravis irreverentia est contra Sacramentum, adeoque peccatum contra Religionem Sacramentum frustrare, seu nulliter conficere; ita exponere se periculo nulliter faciendi Sacramentum: in moralibus enim facere, & exponere se periculo faciendi idem censetur. Ex qua ratione generali pro omnibus Sacramentis sequitur, peccare mortaliter Ministrum, etiamsi Sacramentum administrandum non sit necessarium ad salutem. Potest etiam tale peccatum esse mortale contra charitatem, quia sic conferens Sacramentum exponit suscipientem periculo carendi fructu Sacramenti. Demum potest esse mortale contra justitiam, si scilicet Minister teneatur, aut gerat vices illius, qui tenetur ex officio, vel contractu Sacramentum ministrare, quia tunc in se suscipit obligationem illius. Imo Jo: Sanch. Rhod. & alii putant, contra Dicast. quemcumque Ministrum utentem probabilibus, omissis certis, peccare contra justitiam, quia hoc ipso, quod ministrare vult, tacite se obligat ad sic ministrandum, ut res exigit, & pro jure suo sibi ministrari vult suscipiens, qui omnino vult, sibi adhiberi certa, petiturus ab alio, si sciret, ab hoc adhiberi tantum probabilia omissis certis. Dixi, Ministrum peccare mortaliter, si sequatur sententiam probabilem *De valore Sacramenti*, relicta tutiore; nam si sequatur sententiam probabilem, non de valore, sed solum de modo ministrandi, non peccat: ita cum communi Card. & Gorm. apud Croix n. 121.

Ex dictis sequitur primo, peccare graviter etiam suscipientem, si sequatur opinionem tantum probabilem de valore Sacramenti pendentem ab ipso relicta tutiore, cum sic etiam ipse exponat Sacramentum periculo nullitatis; & quamvis Decretum Inn. XI. expresse loquatur de solo conferente; tamen idem est de suscipiente: ita Card. Gorm. aliique communiter contra Vasq. Dian. & Hozes. Hinc, quamvis non sit formaliter damnatum, quod suscipiens licite sequatur opinionem probabilem relicta tutiore, dici tamen debet virtualiter damnatum, cum legitime inferatur ex propositione damnata: Croix n. 105.

Sequitur secundo, graviter peccare, qui in conferendis, vel suscipiendis Sacramentis adhibet extra necessitatem materiam, vel formam dubiam, vel tantum probabilem, seu dubie, aut probabiliter tantum validam. Dixi *Extra necessitatem*; nam in necessitate, quando scilicet Sacramentum conferri, & suscipi debet, nec potest practicari opinio tutior, quia necessitas non subditur legi: sic si Judæus moribundus baptismum peteret, nec adesset alia aqua, nisi tantum rosacea, quæ est materia dubia, posses, imo deberes in ea baptizare, saltem sub conditione, quia in tali casu non libere omnino omitteretur materia tutior, sed ea haberi non posset, & necessitas illa, ac periculum æternæ damnationis illius hominis faceret, ut non esset irreverentia exponere Sacramentum periculo nullitatis: Card. & alii communiter. Addit Schild. *de Consc.* t. 6. n. 2. quod, quando adest magna causa conferendi Sacramentum, quia v. g. agitur de peccatore justificando, qui alia vice non facile redibit ad confessionem, nec sinet, se adduci ad renovandam præparationem, possit absolvi sub conditione, *Si est dispositus*, quamvis dubitetur de valore absolutionis, quia talis spes gratiæ per Sacramentum causandæ videtur prævalere obligationi non conferendi Sacramentum cum periculo nullitatis. Idem innuere videtur Arriaga d. 20. n. 1. dicens, excusare fortasse etiam utilitatem, qui in tali casu videtur esse conjuncta etiam quædam necessitas.

Sequitur tertio, tam conferentem, quam suscipientem Sacramentum licite sequi opinionem moraliter certam, omissa tutiore de valore Sacramenti. Ratio est, quia moralis certitudo excludit omne prudens dubium de nullitate Sacramenti: hinc licite Fideles cum sola attritione supernaturali accedunt ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, quamvis tutior sit sententia docens, requiri contritionem. Et hinc ulterius sequitur, quod liceat operari secundum sententiam probabilem etiam, quando agitur de valore Sacramenti, quando aliunde advenit practica certitudo, quod Ecclesia suppleat, aut dispenset in aliquo ad valorem Sacramenti requisito: quod præcipue contingit in Sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonii. Hinc

Fit primo, quod, quando habetur error communis de jurisdictione, seu potestate alicujus, sive ordinaria, sive delegata ad aliquid faciendum; tunc, si adsit titulus coloratus, seu putativus: v. g. si ad tale munus destinatus aliquis sit a legitimo Superiore, quamvis ob latens aliquod vitium jurisdictione, aut potestate illa careat; tunc certum est, quod Ecclesia, si possit, suppleat, vel dispenset. Patet ex cap. *Infamis, caus. 3. q. 7. & l. Barbarius, ff. de officio Prætoris.* Et ita communissime Doctores cum Sanch. *de Matr.* l. 3. d. 22. estque nunc certa omnium Theologorum sententia, inquit Spor. *de Pœnit.* n. 714. quia ita postulat officium supremi Principis, & utilitas communis ad vitanda gravia incommoda, & inconvenientia. Neque in tali casu requiritur bona fides, aut error in eo, qui ponit actum, neque in illo, circa quem ponitur actus, ut docent Sanch. Bon. Pal. contra Bald. Tiraq. Lop. & alios, quia jura ex motivo utilitatis publicæ ita disponunt in errore communitatis, & non ob errorem hujus, vel illius hominis. Peccat tamen secundum omnes, qui ita usurpat jurisdictionem, quam scit, se antecedenter non habere, cum id sit ab Ecclesia prohibitum: Croix n. 114. Quod si adsit error communis, sed desit titulus coloratus, ut si quis communiter putetur esse verus Parochus, sed in Parochiam ingressus sit sine titulo, & auctoritate legitimi Superioris, sit tamen in possessione sui officii, seu putatæ jurisdictionis, adhuc docent Jo: Sanch. Pont. Schil. & alii duodecim cum Dian. p. 2. tr. 16. res. 43. Ecclesiam supplere, quia hic etiam militat ratio boni communis. Contradicunt tamen Suar. Fagund. Less. Regin. Con. Bon. Sanch. Card. & alii, quia jura, quando id statuunt, semper faciunt mentionem auctoritatis Superioris, quæ intervenire debuerit. Pal. Tamb. & alii utramque sententiam dicunt esse probabilem. Secunda ut communior, ita etiam est probabilior: v. Croix n. 115.

Fit secundo, quod, præscindendo ab errore communi cum titulo colorato, quando habetur opinio probabilis e. g. pro jurisdictione, vel absentia impedimenti, tunc etiam Ecclesia supplet, vel dispensat, si possit. Et hoc in praxi tutum, & moraliter certum esse, dicunt Sanch. Verric. Dicast. Tamb. Card. Ills. Spor. & Gob. Ratio est, quia hæc est sententia communissima, ut ait Croix n. 117. idque scit Ecclesia: si ergo non improbet, cum facile posset, ideoque deberet; jam certum est, in hoc casu dari jurisdictionem, si forte desit, vel dispensari in impedimento, si forte hoc adsit: v. Croix n. ibid. & 118.

Fit tertio, quod, quamvis agatur de valore Sacramenti, neque sit casus absolutæ necessitatis, neque Ecclesia possit supplere, aut dispensare, nihilominus licitum est operari secundum sententiam probabilem, si alioquin administratio, aut susceptio Sacramentorum fieret obnoxia nimiis scrupulis, aut difficultatibus: ita multi Doctores cum Ills. Ratio est, quia certum est, Christum Dominum non ita instituisse Sacramenta, ut voluerit eorum administrationem, ac susceptionem esse moraliter impossibilem, & odiosam fidelibus ministraturis, aut suscepturis: ergo certum est, quod administratio, aut susceptio Sacramentorum obnoxia nimiis scrupulis, & difficultatibus non sit secundum institutionem

Chri-

Christi: ergo, si non sit alius modus vitandi talem administrationem, aut susceptionem, nisi operando secundum sententiam tantum probabilem, licitum erit secundum bane operari: alitee non posset baptizari infans, quem Parentes dicunt, non esse baptizatum, quia tale testimonium, cum sit fallibila, non facir, nisi probabilitatem: item absolvi non posset, qui putatue probabiliter dispositus; imo vix ullus unquam absolvi posset extra mortis articulum, ut notat Card., quia vix unquam habere possumus certitudinem de dispositinne pœnitentis.

Quærer secundo, Quandnam, & quomodo Ministee reiterare debeat Sacramentum?

Respondeo, Quando adest prudens dubium de valore Sacramenti, sive sit dubium juris, sive facti, reiterandum esse sub conditione, maxime Sacramentum Baptismi, & Ordinis Sacerdotalis, ex quorum nullitate multa, & gravia sequerentur incommoda: &, si sæpius occurrat nova causa prudenrer dubitandi de valore Sacramenti jam sæpius collati, potest, & debet sæpius sub conditione iterari. Quod, si moraliter certum sit, Sacramentum fuisse invalidum, debet absolute, & sine conditione illud conferri. Si vero nulla sit prudens causa dubitandi de Sacramenti valore, sed solum oriuntur leves scrupuli, ne conditionate quidem iterandum est. Hine, qui judicare debet se recte confecisse Sacramentum, e. g. recta pronunciasse formam, pee se loquendu peccat mortaliter formam repetendo, quia judicare debet, se repetendo nihil effecturum: unde repetere, ac si velit repetendo aliquid efficere, erit illudere institutioni divinæ. Debet autem judicare, se recte confecisse Sacramentum ille, qui tantum leviter dubitat, vel inanitee suspieatur, aut timet, & nescit, cur timear, eo quod non occureat motivom prudens; sed solum hoc, aut simile, *Forte male pronunciavi: Possam male pronunciasse: Non scio reflexe, me bene pronunciasse, &c.* Varum Lean., Tamb., Gob., Spor. excusant a mortali illos, qoi, ut liberent se a molesto scrupulo, repetunt ita formam sub conditione, quia, cum agant ex metu, ne offendant Deum, non videtue gravis irreverentia contra Sacramentum, sed tantum levis ex imprudentia: Addit Gob. posse multos sic repetentes excusari ab omni peccato, quia sæpe non apprehendune inanitatem sui scrupuli; & quia sunt perplexi, timentque adhuc magis peccare, si noo repetant, & quia non habent tempus examinandi rem absque suo rubore, & aliorum tædio, putant potius faciendam esse repetitianem. Tenentue tamen antecedenter sibi formare judieium, quod non sir opus repetere, & illi standum est postea, contempto omni timore. Plura vide apud Croix a n. 123. ad 132.

Quærer tertio, An, & quando teneatur Minister Sacramenta ministrare?

Respondeo primo, Qui ex officio est Pastor, tenetue ex justitia suis sobditis, etiam extra gravem necessitatem rationabiliter petentibus ministrare: tum quia ad hoc se obligat, qui assumit officium Pastoris: tum quia intercedit contractus, vi cujus accipit stipendium, vel substentationem, vel saltem honorem a subditis, sub onere præstandi ea, quæ sunt Pastoris, inter quæ præcipuom est ministrare Sacramenta. Sunt Pastores respectu Seculaciom Episcopi, Parochi, & eum ipsis curam subsidiariam habentes ex obligatinne; respecto Religiosorum Superiores. Peccat igitur Pastot, si exhibendo se nimis murosum, & difficilem, subditos absterret, quominus Sacramenta petant; hoc enim est æquivalentae Sacramenta negare: sicuti peccarer etiam Parochus, si renuerer Eucharistiam pro Communione deferre ad ægros petentes etiam extra mortis articulum, maxime in Festis solemnioribus. Non erit tamen mortala semel, aut iterum negare petenti extra necessitatem, & absqua axtraordinaria causa, quia non censetur subditus graviter invitus, eum agatur de damno facile alias supplebili.

Respondeo secundo, Ministee, qui non est ex officio Pastur, non tenetur ex justitia Sacramenta ministrare; tenetue tamen ex charitate etiam cum vitæ suæ periculo Sacramenta necessaria ministrare in extrema necessitate: nam ex lege charitatis unusquisque tenetur succurrere proximo extreme indigenti.

Quæres quarto, An licite ministretur Sacramentum indigno, hoc est illi, qui valide quidem suscipiat, sed sine fructu gratiæ?

Respondeo negative, per se loquendu; quare grave peccatum est, per se loquendo, Sacramentum ministrare indigno. Est communis cum D. Th. q. 80. art. 6., & Suar. d. 67., qui loquitue de Euch., sed eadem doctrina est facile applicabilis cæteris Sacramentis. Ratio autem est: Primo, quia lex naturæ obligat Dispensatorem ad fideliter, & juxta voluntatem Domini dispensanda bona illius, quæ io casu est, ut non conferantue indignis, juxta illud Matth. 7. v. 6. *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos:* Secundo, quia virtus Religionis postulat, caveri irreverentiam, quam indigne suscipiens irrogat Auctori Sacramentorum, & Sacramento: Tertio, quia lex charitatis prohibee cooperationem ad peccatum proximi; & omnes hæ obligationes, cum sint in materia gravi, sunt graves. Hine tenetur Ministee attendere, an petens Sacramentum sit dignus, itaut debeat prudenter præsumere, assa dignum, ut licite Sacramentum illi ministret: non requiritur tamen eadem diligentia, & præcautio pro omnibus Sacramentis, sed juxta naturam cujusque, & commune prudentium judiciom. In Sacramento Pœnitentiæ requiritur exactior inquisitio dispositionis pœnitentis; tum quia Minister in hoc Sacramentu agit partes Judicis; tum quia dispositio pœnitentis requiritue ad valorem Sacramenti. Idem dicendom in Sacramento Ordinis, utpote ordinato ad bonum non privarum, sed commone, ad quod procurandum specialiter obligantur Episcopi. In Matrimonio tenatur Parochur specialiter inquirere in impedimenta, qoia ad id constituitur ab Ecclesia. In Baptismo adulti inquirendum est in ejos consensum requisitum ad valorem; & præterea in ejus fidem, spem, & attritionem, &c. In reliquis communiter quisque præsumitur dispositus, qui petit: nisi constet de opposito, ut ait Dicast., & Herincx.

Dixi initio responsionis, *Per se loquendo*. Nam quandoque excusant damnum ministrantis, infamia suscipientis, aliorum scandalum, & sigillum confessionis. Hine resolves sequentes casur.

I. Peccatori publico, sive publice, sive privatim petat, sive sit simplieiter publicus peccator, sive tantum secundum quid, hoc est taotum respective ad præsentes, ordinarie negari debet Sacramentum; ita cum Sanctis Patribus apud Suar. s. 2. docet D. Th. loc. superius cit. Ratio pater ex dictis. Dixi *Ordinarie*; nam, si minaretur mortem, nisi Sacramentum sibi ministraretur, Suar., Bon., Gob., Dicast., Escob., & alii contra Led., & alios docent, ministrari posse: si eoim talem ministrationem excusat notabilis infamia occulti peccatoris publice petentis, ut mox dicetur, cur non excuset mors, vel similis infamia ministrantis? dummodo non petatur in odium Fidei, vel in contemptum Religionis, vel Ecclesiæ, quia in hoc casu nunquam liceret. Ideirco notant citati Doctorer, præceptum non ministrandi Sacramentum indiguo non esse pure negativum, obligans semper pro semper, sed resolvi in affirmativum, nimirum in præceptum fideliter dispensandi. Quod, si peccator non sit simplieiter publicus, sit tamen notus pleisqoe præsentibus, non tamen omnibus, Suar., & Bonac. dicunt, ei non essa negandum Sacramentum, quia petens retinet jus ad famam relate ad illos, quibus est ignotum suum crimen, & scandalum aliorum erit passivum tantum. Econtra Con. docet, esse negandum, cum sit peccator simpliciter publicus relare ad hos. Dicast. probabiliter dicit, negandum esse, si unus tantum, aue alter ignoret. Si vero Titius sit publicus peccator hic Neapoli, non Romæ, ubi supponimus prorsus ignotum ejus crimen, & Romæ petat Sacramentum, Vasq., Fagund., & alii apud Dicast. dicunr, ei non esse negandum, nisi probabiliter credatur, ejus crimen statim ibi esse divulgandum, sed probabilius negari posse sine læsione charitatis docet Croix n. 140. cum Suar., Bon., Pal., & alii.

II. Peccatori publico in articulo mortis petenti non ast negandum Sacramentum: ita cum communi Suar., quia quisqoe præsumitur se tunc valle disponere, & necessitas tollit scandalum, vel illud tollat Minister publicando pœnitentiam occultam moribundi, quod faciendum esse, putat Tamb., si ad eum deferenda publice esset Eucharistia.

III. Peccatori occulto publice petenti Sacramentum, non est negandum. Ita statuitur in Concil. Carthag. VII., ut refertur cap. *Placuit caus. 6. q.* 2. Idem habetur cap. *Si Sacerdos, de off. jud. ordin.*, ubi Eug. I. Papa id confirmat exemplo Christi Domini non repellentis Judam a Sacra Communione, quem occulte noverat indignum. Idem docenr D. Th., & alii communissime, teste Dicast. Ratio potissimum desumitur ex infamia, quæ redundaret in petentem, vel ex scandalo aliorum, si Sacramentum negaretur, cum obligatio vitandi infamiam, & scandalum aliorum prævaleat obligationi non ministrandi Sacramenta indignis: quare in hoc casu Minister tantum permitteret illam indignam susceptionem Sacramenti, ne sit causa gravis infamiæ petentis, aut gravis scandali aliorum: v. Croix n. 144.

IV. Pec-

IV. Peccatori occulto petenti occulte negari debet Sacramentum; quia, cum per hoc non lædatur ejus fama, viget obligatio legis Naturæ, Religionis, & Charitatis. Excipiendum est semper, nisi Minister notitiam criminis haberet ex sola Confessione; tunc enim liquet, quod ne monere quidem illum posset, sed pergere deberet, ac si nihil sciret. Hinc Sanch. *de Matr.* l. 3. d. 36., Valent., Laym., Dian., Esrob., Lug., & alii recte docent contra Suar., Vasq., Dicast., negari non posse, prætensis aliis caussis, quia peccator satis adverteret, negari propter indignitatem suam, & sic tacite reprobaretur ipsi suum peccatum, quod esset frangere sigillum.

Quæres quinto, An liceat Ministro ob metum gravem simulare administrationem Sacramenti?

Respondeo negative; Nam Innoc. XI. damnavit hanc prop. 29. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Ratio damnationis est; quia simulare administrationem Sacramenti dicitur, qui profert formam Sacramentalem supra materiam sine intentione conficiendi Sacramentum: sed hoc continet gravem irreverentiam contra Sacramentum, cum sit abusus rerum Sacrarum, & quædam illusio Dei, & insuper est mentiri facto in re gravi, cum exercite, & facto dicat, se baptizare, absolvere, &c., cum sciat, hæc omnia non fieri: ergo graviter peccat, quicumque hoc modo simulat administrationem. Quamvis autem exhibitio hostiæ non consecratæ pro consecrata non sit simulatio Sacramenti, quod ibi non est, & cujus nulla pars ibi ponitur; ea tamen non est licita ad vitandum scandalum; e. g. quia deest hostia consecrata pro Viatico dando moribundo; vel quia aliquis in Paschate non potest se disponere ad Communionem. Ratio est, quia sic hostia non consecrata exponeretur adorationi tum astantium, qui committerent idololatriam materialem, tum ipsius communicaturi, qui, etsi sciat, illam hostiam non esse consecratam, susciperet tamen illam cum externa reverentia, ac si esset consecrata, & consequenter scienter committeret idololatriam saltem externam: utrumque autem est intrinsece malum. Quod si scandalum populi, vel infamia non potentis se disponere ad Communionem posset vitari per hoc, quod Sacerdos ex conventione diceret tantum illa verba, *Corpus Domini nostri*, *&c.*, & transiret hominem, hostiamque occulte reponeret in ciborio, hoc non videtur illicitum, ut notant Henr., Dian., Leand., & Moya.

Ex dictis sequitur: Primo, quod, quamvis damnatio non loquatur de quocumque metu, neque determinate de metu mortis; intelligenda tamen est de quocumque metu, & determinate etiam de metu mortis. Ratio est, quia, sicuti propositio damnata procedit indefinite, ita etiam indefinite procedit damnatio: ergo, cum propositio damnata possit intelligi, vel universaliter, vel particulariter, damnatio illi contradicens intelligi debet, tum universaliter, tum particulariter, itaut verum sit, quod nullus metus gravis sit causa justa simulandi administrationem Sacramenti: Secundo, quod, quamvis damnatio expresse loquatur solum de simulatione administrationis; virtualiter tamen damnatur etiam simulatio susceptionis Sacramenti saltem transeuntis: est enim par ratio; cum æque sit de essentia Sacramenti transeuntis intentio suscipiendi, & intentio conficiendi; ideoque æque est contra reverentiam Sacramento debitam illusio Dei, & reale mendacium simulare administrationem, ac susceptionem Sacramenti.

QUÆSTIO III.

De Subjecto Sacramentorum.

QUæ ad subjectum Sacramentorum pertinent, duobus capitibus complectemur, in quorum primo inquiremus, Quodnam sit subjectum capax Sacramentorum, & Quænam intentio requiratur? In altero Quænam dispositio?

CAPUT I.

Quodnam sit Subjectum capax Sacramentorum, & quænam Intentio in eo requiratur?

SOLUS Homo viator est subjectum capax Sacramentorum; idque, suppositis Principiis Fidei, certum, & evidens esse, dicunt Suar., Vasq., Gran. Ratio autem a priori est voluntas Christi Domini Institutoris Sacramentorum, quam colligimus, tum ex constanti Ecclesiæ traditione, tum ex consensu Theologorum teste Esparsa q. 22. Congruentia vero est, quia juxta ordinem præsentis providentiæ solus homo viator est capax primæ gratiæ, vel augmenti gratiæ; non autem Beati, vel Animæ in Purgatorio degentes, quibus jam determinata est mensura gloriæ respondens gratiæ, quam in vita mortali habuerunt: multo minus sunt capaces damnati, utpote a Deo jam exterminati.

Quamvis autem solus homo viator sit capax suscipiendi Sacramenta, non tamen omnes sunt capaces omnium. Quilibet homo est capax baptismi: sed ad reliqua Sacramenta valide suscipienda requiritur Baptismus, excepta Eucharistia, quæ, cum sit Sacramentum permanens, non pendet ullo modo, quoad valorem, a suscipiente: si tamen eam susciperet non baptizatus, diceretur suscipere materialiter, non sacramentaliter: non secus ac, si eam comederet aliquod animal irrationale. Et hæc satis dicta sint de subjecto Sacramentorum in genere: nam, quænam aliæ conditiones, & qualitates requirantur ex parte suscipientis ad validam cujuslibet Sacramenti susceptionem, commodius explicabitur locis propriis.

Superest nunc breviter explicandum, An, & quænam intentio requiratur in suscipiente, ut validum sit Sacramentum? Et sane, quod in adultis ad validam Sacramentorum susceptionem requiratur aliqua propria ipsorum voluntas, docent communiter omnes Doctores sequentes D. Th. q. 68. a. 7. teste Suar. disp. 14. sect. 2. concl. 1. Ratio a priori est divina institutio, quam colligimus ex communi Doctorum consensu, & ex eo, quod videatur minus congruum, Christum Dominum pretium suæ Redemptionis velle communicare iis, qui, cum possint, nec minimam habeant voluntatem, ut illud sibi communicetur. Difficultas est de infantibus rationis usu carentibus; adeoque incapacibus in tali statu habendi aliquam propriam intentionem, seu voluntatem. De his ergo dicendum, quod in tali statu sint capaces aliquorum Sacramentorum, non tamen omnium. Quorum autem capaces sint, dicetur, cum de singulis Sacramentis sermo erit. Nunc breviter dico, capaces esse omnium Sacramentorum, præter Pœnitentiam, Extremam Unctionem, & Matrimonium; nam reliqua Sacramenta, exceptis tribus dictis, non postulant ex propria institutione, quod præcedat aliqua propria voluntas suscipientium: secus vero est de illis tribus; nam materia remota Pœnitentiæ sunt peccata actualia commissa, & proxima sunt actus liberi pœnitentis: materia remota Extremæ Unctionis sunt peccatorum reliquiæ, seu peccata venialia: Sacramentum Matrimonii fundatur in contractu; qui habetur per liberum contrahentium consensum. Horum omnium incapaces sunt infantes ante usum rationis, ut patet.

Videndum nunc, quænam intentio requiratur, aut sufficiat in adultis ad validam susceptionem Sacramenti?

Dico igitur primo: Requiritur intentio simpliciter libera, hoc est immunis a coactione absoluta, ut expresse definivit Innoc. in cap. *Majores*, *de Baptismo*; & Concil. Carthag. III. cap. 34. Dixi *Simpliciter libera*, ut indicarem, voluntatem suscipientis non vitiari ex metu gravi, qui, quamvis voluntarium diminuat, non tamen tollit simpliciter libertatem, ideoque non facit, quod Sacramentum ex metu gravi susceptum non sit validum. Et ita expresse cum communi sententia docet Suar. disp. 14. s. 2.

Dico secundo: Non est necesse, ut voluntas suscipiendi Sacramentum sit, vel actualis, vel virtualis: sed sufficit, si sit habitualis, qualis est ex dictis q. præc. c. 2. voluntas aliquando habita, & non retractata: ita communiter Doctores. Ratio est; quia, cum Sacramenta instituta sint a Christo Domino in hominum utilitatem, congruum fuit, ut pro illorum valida susceptione sufficeret quælibet suscipientium voluntas.

Dices: In Ministro conficiente Sacramenta non sufficit intentio habitualis, sed requiritur saltem virtualis: ergo idem dicendum de suscipiente.

Respondeo, Disparitatem esse, quia Minister se habet ut agens nomine Christi, tamquam fidelis dispensator, &c., quod non verificatur, nisi intentio dirigat actiones Ministri: suscipiens vero se habet, ut patiens: non alia igitur necessaria erit intentio, nisi per quam censeatur velle pati, hoc est suscipere Sacramentum, ad quod sufficit intentio habitualis, & quandoque etiam interpretativa, ut mox dicemus.

Dico tertio: Aliquando, & in aliquibus Sacramentis sufficit intentio interpretativa. Dixi *In aliquibus*; nam ad Ordinem, & Matrimonium certum est non sufficere inten-

intentionem interpretativam; nam, cum ex una parte immutent statum suscipientium, & ipsis afferant gravia onera, & ex alia non sint media necessaria ad salutem, non potest ex volitione generali mediorum ad salutem argui voluntas suscipiendi dicta Sacramenta: v. Croix n. 173. & 174. Sic ad Extremam Unctionem sufficit interpretativa, uti tenent omnes; ideoque dari potest lapso in amentiam, quamvis nihil fortasse sciverit de Extrema Unctione. Ad Pœnitentiam sufficere implicitam, & interpretativam, docent Rodr., Spor., Bosc., Con., Dicast., & alii apud Croix n. 171., dummodo pœnitens signo aliquo externo dolorem expressisset: quæ externa manifestatio doloris habere posset rationem confessionis, & accusationis sui ipsius, quæ est de essentia hujus Sacramenti, utpote instituti ad modum judicii. Ad Eucharistiam sufficere in moribundo interpretativam, præsertim, si antea confessus sit, quamvis a mente sic amotus, dummodo absit periculum irreverentiæ, docent Suar., Con., Rhod., Lug., Aver., Bernal., Spor. Idem dicunt plures ex citatis Doctoribus de Confirmatione, quamvis hæc non soleat conferri sensibus destituto, cum non sit ita necessaria, & conferenda sit cum majori solemnitate ab Episcopo. Demum ad Baptismum sufficere implicitam tantam, contentam scilicet in Contritione, vel Attritione, docent Con., Rhod., Compt., Dicast., Bernal., Haun., Gob., Spor., Bosco contra Suar., Avers., Lug., Arriag. Quare juxta hos Doctores posset Judæus, vel Ethnicus in periculo mortis baptizari, si probabiliter judicaretur habuisse saltem attritionem; quia in hac includitur votum servandi omnia præcepta, & adhibendi omnia media necessaria ad salutem, & consequenter includitur voluntas suscipiendi Baptismum: v. Croix n. 168.

Ex dictis sequitur primo, Quod, quando sufficit consensus habitualis, conferri possit Sacramentum illi, qui, quando erat compos rationis, voluit, aut rationabiliter præsumitur voluisse Sacramentum, etiamsi postea in amentia, vel phrenesi dicat, se nolle, quia hæc revocatio non est actus humanus, & liber: quare adhuc perseverat habitualiter prior voluntas humana, & libera. Ita Dian. p. 3. t. 4. r. 12., Avers., Gob. Quare in dubio, an antea voluerit Sacramentum, hoc conferendum esset sub conditione juxta Avers., & Jo: Sanch.

Sequitur secundo, Quod, si quis ratione utens ore tantum renuat, corde tamen consentiat in Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, & Ordinem, valida sint hæc Sacramenta, si ipsi conferantur: in his enim Sacramentis nullum requiritur signum externum interni consensus, uti requiritur in Pœnitentia, & Matrimonio, ex superius dictis. Ita cum Bosco Croix n. 177.

CAPUT II.

Quæ dispositio requiratur in subjecto Sacramentorum.

QUÆ hactenus dicta sunt de intentione requisita ex parte subjecti, faciunt ad valorem Sacramenti. Discutiendum nunc superest, quid requiratur in subjecto adulto ad licitam, & fructuosam Sacramenti susceptionem? Quare

Dico primo: Ad recipiendum digne, & cum fructu Baptismum, & Pœnitentiam, præter voluntatem recipiendi Sacramentum non requiritur status gratiæ; sed sufficit dispositio Fidei, & Spei supernaturalis, saltem virtualis, & Attritionis pariter supernaturalis, quæ ad Baptismum non requiritur, si illum suscepturus nullum personale peccatum commiserit, sed solo originali sit inquinatus. Ratio primæ partis est, quia hæc Sacramenta sunt per se, & primario instituta ad dandam primam gratiam; adeoque ad justificandos peccatores, & idcirco dicuntur Sacramenta mortuorum. Secunda pars, quoad actus Fidei, & Spei admittitur communiter ab omnibus cum Suar. *de Gratia* l. 8. c. 19., & eruitur ex illo Apost. ad Hæbr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit.* Si ergo debet credere, & Deum esse, & Remuneratorem esse, debet spem remunerationis habere, quia ob hanc spem Deum remuneratorem credit. Quoad Attritionem vero constat ex Trid. *sess. 14. de Pœnit. c. 1. Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato coinquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petiissent:* idque probat ex variis Sacræ Scripturæ locis. Sunt, qui putant cum Escob., ad Baptismum fructuose suscipiendum posse per accidens sufficere dolorem virtualem, contentum scilicet in spe salutis æternæ in eo, qui esset invincibiliter oblitus peccati antea commissi, vel non cogitaret de obligatione præmittendi dolorem formalem. Sed Suar., Vasqu., aliique cum Pal. p. 13. num. 7. communius contradicunt.

Dico secundo: Ad reliqua Sacramenta, per se loquendo, requiritur status gratiæ. Ratio est, quia, cum sint Sacramenta primario instituta ad dandum augmentum gratiæ (qua de causa dicuntur Sacramenta vivorum) debent supponere in suscipiente gratiam, cujus augmentum debent conferre. Dixi *Per se loquendo:* nam ex dictis q. 1. c. 4. Probabile est, posse per accidens causare primam gratiam in accedente ad ipsa cum invincibili oblivione peccati commissi, & cum attritione supernaturali. Pal., Con., aliique apud Croix num. 186. ad dignam susceptionem horum Sacramentorum, & præsertim Eucharistiæ, requirunt actum Fidei: at Suar. recte negat, speciatim ad Eucharistiam requiri fidem actualem hujus mysterii: quare sufficere, inquit Lug., aliquem actum Fidei implicitum, & in confuso; additque, opus non esse anxiari de hoc actu Fidei eliciendo; quia, si Fidem explicitam de Sacramentis habuerit, ut habere debuit, voluntas suscipiendi tale Sacramentum semper procedet a Fide saltem confusa, quæ recurret intellectui; & idcirco Amicus d. 4. num. 97. dicit, Fidem, & Spem prærequisitam ad Sacramenta vivorum includi in voluntate suscipiendi Sacramentum: utilissimum tamen est in praxi prædictos actus explicite præmittere.

Hinc sequitur primo, Quod, qui vult suscipere aliquod ex Sacramentis vivorum, si sentiat se gravatum aliquo peccato mortali, teneatur sub gravi prius se remittere in statu gratiæ. Si vult suscipere Eucharistiam, ex speciali præcepto debet præmittere Sacramentalem confessionem, ut dicetur in de Pœnit. d. 1. q. 1. c. 4. si quod ex reliquis Sacramentis vivorum, sufficiet status gratiæ, vel per confessionem Sacramentalem, vel per contritionem, cum nullibi extet quoad reliqua Sacramenta præceptum præmittendi restitutionem status gratiæ determinate per Confessionem Sacramentalem. Quod, si aliquis non posset conteri, per accidens in eo prærequireretur confessio.

Sequitur secundo, Ad principalem fructum Sacramenti, etiam Eucharistiæ, percipiendum non necessario requiri actualem devotionem, sed satis esse accedere cum aliis dispositionibus: Lug., Avers., Dicast., Tamb. apud Suar. d. 63. s. 3., & apud Amic. d. 4. n. 90. Ad alios tamen abundantiores effectus, & maxime ad gratias actuales tunc obtinendas multum confert actualis devotio, ut omnes fatentur: & idcirco Suar., & Amic. ad has gratias requirunt negationem distractionis; imo Rhod. putat, semper esse veniale, Sacramentum suscipere sine aliquo pio motu voluntatis: cui adhærent Gob., & Spor.

Sequitur tertio, Peccare mortaliter per se loquendo eum, qui Sacramentum suscipit cum obice, vel cum peccato mortali; quia, cum Sacramenta instituta sint ad significandam practice gratiam, qui hanc practicam gratiæ significationem impedit suscipiendo Sacramentum cum obice, vel cum peccato mortali, quasi illudit Deo, & abutitur institutione Divina in re maximi momenti. Qui vero Sacramentum suscipit cum veniali, nullo modo peccat, si sit habituale, quia non ponit obicem effectui primario: Suarez d. 7. s. 4., si vero veniale sit actuale, non peccat mortaliter; probabiliter tamen peccat venialiter: Sporer.

Dico tertio. Suscipiens Sacramentum debet esse liber ab omni excommunicatione, & interdicto personali, & suscipiens Ordinem, aut primam Tonsuram debet esse liber etiam ab omni irregularitate; unde etiam, qui est in gratia, committeret grave sacrilegium, si Sacramentum susciperet, non remota prius censura, aut irregularitate, quia ageret contra prohibitionem Ecclesiæ positam ex fine reverentiæ erga res Sacras, & Divinas. Posset tamen excusari ratione ignorantiæ, aut gravis metus, ut dicetur in de Censuris.

Quæres primo, An Sacramenta omnia ficte, hoc est valide, sed cum obice suscepta, remoto obice reviviscant ad causandam gratiam?

Respondeo affirmative cum D. Th. in 4. dist. 15. q. 3. a. 4., ubi, cum dixisset, confessionem reviviscere, sublata fictione, addit, idem esse in aliis Sacramentis: D. Th. sequuntur Cajet., Arriag., Pal., Escob., aliique multi contra varios, quorum aliqui negant simpliciter cuicumque Sa-

cramento virtutem reviviscendi sublato obice; alii eam tribuunt soli Baptismo; alii Baptismo & Pœnitentiæ dumtaxat; alii solum Baptismo, Confirmationi, & Ordini; alii demum omnibus, una excepta Eucharistia. Sed nostra assertio pro omnibus Sacramentis, adeoque etiam pro Sacramento Pœnitentiæ, si potest esse validum, & informe, & pro Sacramento Eucharistiæ saltem, quousque non sint consumptæ species Eucharistiæ, probatur ex pluribus congruentiis. Nam omnia Sacramenta continent infinita Christi merita jam acceptata a Deo ad fines a Christo intentos: ergo, cum remoto obice apta sint movere in actu secundo Deum ad dandam gratiam, de facto movebunt. Præterea Sacramentum valide positum, & est, & manet opus Christi tamquam principaliter agentis; quod vero gratiam non causet, unice est ex defectu dispositionis in suscipiente: hac igitur posita, gratiam causabit. Demum institutio Sacramentorum, cum processerit ab infinita Dei misericordia erga homines, talis est interpretanda, qualis maxime decebat Divinam Bonitatem, & Beneficentiam Christi erga homines, quæque magis alliceret ad resurgendum a peccatis: hæc autem omnia magis habentur, si dicamus, Sacramenta omnia reviviscere ad causandam gratiam. Quæ congruentia potissimum militat pro Sacramentis irreiterabilibus, sive simpliciter, ut sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo; sive secundum quid, ut sunt Extrema Unctio, quæ est irreiterabilis durante eodem periculo mortis, & Matrimonium, quod est irreiterabile vivente utroque conjuge.

Quod dictum est de reviviscentia Sacramentorum ad causandam gratiam, dic etiam de reviviscentia quoad remittenda venialia, quæ fuissent remissa, si defuisset obex, & quoad remissionem pœnarum talibus peccatis debitarum; eadem enim ratio militat pro omnibus: v. Croix a n. 197. ad n. 205. Sermo huc usque fuit de Sacramentis ficte, hoc est valide, sed infructuose susceptis; nam quoad Sacramenta ficte, hoc est invalide (utrumque enim significare potest ly *ficte*) suscepta, non potest habere locum præsens quæsitum, cum non possint reviviscere ad causandum suum effectum Sacramenta, quæ nonquam extiterunt.

Hinc inferes, Quod, si obex fuit tantum negativus, quatenus Sacramentum ideo præcise non causaverit gratiam, quia defuit aliquid necessarium ad hoc, ut Sacramentum gratiam causaret; si hoc ponatur, Sacramentum reviviscet: e. g. si adultus solo originali maculatus Baptismum susceperit sine actu Fidei, posito actu Fidei Sacramentum reviviscet: ita D. Th. q. 69. a. 10. & hanc esse sententiam communem, ait Croix n. 207. Quod si in tali adulto obex fuisset aliquod mortale commissum ante Baptismum, obex non removeretur, nisi posita attritione, quia hæc defuit ab initio, & ejus defectus impedivit effectum gratiæ. Quod si post Baptismum sine fructu susceptum commissum fuisset aliud mortale, tunc ad habendum effectum Baptismi requireretur, vel Contritio, vel Attritio cum Sacramento Pœnitentiæ, quia Baptismus non se extendit ad peccatum commissum post ejus susceptionem.

Quæres secundo, An liceat petere administrationem Sacramenti a Ministro indigno?

Respondeo primo, Nemini licere extra necessitatem extremam petere Sacramentum a Ministro non tolerato. Minister non toleratus est nominatim excommunicatus, & publice denunciatus, notorius percussor Clerici, publice, & nominatim suspensus, publice in perpetuum degradatus, publice irregularis per sententiam: Croix n. 210. Casus autem extremæ necessitatis esset, si quis esset moriturus sine Baptismo, aut Pœnitentia, vel juxta Escob. Dicast. & alios, si in eorum Sacramentorum defectu esset moriturus sine Eucharistia, aut Extrema Unctione, cum probabile sit, hæc Sacramenta posse per accidens causare primam gratiam; & juxta Suar. si esset moriturus sine Eucharistia, etiamsi non defuisset absolutio Sacramentalis. His igitur casibus exceptis non licet petere Sacramentum a Ministro non tolerato, quia Fideles prohibentur communicare cum illo: v. Croix n. 209.

Respondeo secundo, Ex causa rationabili, saltem quando deest alius, licere petere Sacramentum a Ministro tolerato, qui possit illud digne ministrare, quamvis prævideatur indigne ministraturus. Ratio est, quia ministratio Sacramenti de se sancta, & honesta est, quæ hic & nunc potest digne poni a Ministro, ut supponitur; & petens jus habet ad Sacramentum; ergo impediri non debet per malitiam Ministri; nec Charitas obligat ad cavendum peccatum proximi cum gravi incommodo proprio, quando ille, si vellet, posset cavere. Hinc peti poterit Sacramentum in gravi necessitate spirituali propria, vel alterius, pro quo petitur, si urgeat præceptum Confessionis, vel Communionis, vel Missæ audiendæ: si alioquin privandus quis esset magna utilitate, e. g. si non posset lucrari jubilæum, & ex Dicast. quando receptio Sacramenti ab hoc homine futura est illi utilior, vel commodior; imo ex Gob. quando sine aliquo incommodo non potest habere alium: sed intelligi juxta illud Croix n. 211. non qualiscumque utilitas, sed notabilis, nec qualiscumque commoditas, sed talis, quæ illum liberet a notabili incommodo: hinc, quamvis Suar. Arriag. Escob. putent, licitum esse petere a parato, vel se offerente, si alias deberet carere gratia Sacramenti, quæ est magnum bonum; alii tamen contradicunt, si bonum illud sit facile comparabile alio tempore: & idem sentiunt in casu, quo quis non posset lucrari indulgentias, si occasio lucrandi similes indulgentias sæpe recurrat.

Dixi, *Saltem, quando deest alius*, quia probabilius videtur cum Con. Escob. & aliis contra Valent. Præp. Dian. & alios, non licere, si commode haberi possit alius, quia charitas saltem in Deum suadet, ut impediatur peccatum proximi, si facile impediri possit: v. Croix n. 212.

Notandum denique, quod, quamvis licitum sit petere Sacramentum a Ministro excommunicato, vel suspenso tolerato; ipse tamen non potest se ingerere, sed tantum poterit conferre, si rogetur, ut colligitur ex Extravag. *Ad evitanda scandala*.

Quæres tertio, An in suscepturo Sacramentum sit obligatio inquirendi in probitatem, & mores Ministri.

Respondeo negative, sed censendum esse bonum, quamdiu non probetur malus: Avers. Dicast. & alii communiter, ut etiam suadet communis Ecclesiæ praxis. Hinc cit. Doctores inferunt cum Suar. Regin. Spor. quod, quamvis scires, Ministrum paratum, vel sese offerentem paulo ante peccasse, posses ab eo petere Sacramentum, quia posses præsumere, quod se dispositurus esset per contritionem. Limitant tamen aliqui, nisi constaret, illum esse consuetudinarium, aut semper esse in occasione proxima peccandi.

DISPUTATIO II.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Baptismi.

A Sacramentis in genere ad singula in specie descendimus, quorum primum est Baptismus. Inquiremus hic I. Ejus Quidditatem, Virtutem, Institutionem, & Necessitatem. II. Agemus de Materia, & Forma. III. De Ministro. IV. De Subjecto.

CAPUT I.

De Quidditate, Virtute, Institutione, & Necessitate Baptismi.

VOx hæc græca *Baptismus* immersionem, vel intinctionem significat: cum igitur hoc Sacramentum conficiatur per immersionem, vel affusionem aquæ; hinc Baptismi nomen obtinuit. Ob varios tamen hujus Sacramenti effectus aliis etiam nominibus a PP. appellatum fuit, & præcipue Sacramentum Regenerationis, Fidei, Doni, seu Gratiæ, Unctionis, Illuminationis, Indumenti, & Sigilli, ut videre est apud Pal. tr. 19. p. 5. n. 1.

I. Definitur communiter a Doctor. cum Magist. in 4. d. 3. *Ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum*: in qua definitione subintelligi debet *cum debita intentione*: nam stare potest, quod abluatur corpus sub forma verborum præscripta pro Baptismo, & Sacramentum non conficiatur, eo quod desit in abluente legitima intentio. Et hæc definitio est per materiam, & formam. Definitur insuper a Cathech. Rom. 2. p. c. 2. per genus, & differentiam *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*, in qua definitione *Sacramentum* stat loco generis; reliqua verba loco differentiæ. Dicitur autem Sacramentum regenerationis, quia ipso renascimur spiritualiter Christo, quatenus primam spiritualem vitam, hoc est gratiam sanctificantem consequimur.

II. Hujus Sacramenti virtus ad triplicem effectum potissimum se extendit. Primo ad gratiam habitualem

remissi-

remiſſivam peccati originalis, & omnium perſonalium, quæ ſint commiſſa ante Baptiſmum, ut conſtat ex Trid. *ſeſſ. 5. in Decr. de Peccato Originali*. Unde etiam colligitur, per Baptiſmum remitti etiam omnia venialia: nam ibi non ſolum aſſerit, *Nihil damnationis eſſe iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem*, ſed inſuper addit, *Eos exuentes veterem hominem, & novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculatos, puros, innoxios, ac Deo dilectos effici, itaut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur*. Si autem per gratiam Baptiſmi non remitterentur venialia baptizatorum, non ita puri, innoxii, & immaculati redderentur; quin ab ingreſſu Cœli retardarentur. Secundo extenditur ad remittendam totam pœnam æternam, & temporalem peccatis debitam. Colligitur manifeſte ex nuper citato Trident. textu; ſi enim Baptiſmus non remitteret omnem pœnam peccatis debitam, aliquid eſſet in Baptizato, quod illum retardaret ab ingreſſu Cœli: Et clarius ex Flor. *in Decr. de Arm. Hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur: propterea nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt Baptizatis ſatisfactio*. Tertio extenditur ad imprimendum characterem, quo Baptizatus redditur incapax denuo ſuſcipiendi Baptiſmum, ut docet Flor. *in Decr. de Arm.* & Trid. *ſeſſ. 7. de Bapt.*, & idcirco in ſymbolo Niceno fatemur *Unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*.

Quamvis autem Baptiſmus proprie dictus, qui ſcilicet ſit Sacramentum, non ſit, niſi unicus; unde ad Epheſ. 4. dicitur, *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*; lato tamen modo, & minus proprie ſumptus triplex eſt, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Baptiſmus fluminis eſt Baptiſmus Sacramentalis, qui confertur in aqua elementari. Baptiſmus flaminis eſt perfecta ad Deum converſio per actum perfectæ Contritionis includentis in voto Baptiſmum fluminis, & illius vicem ſupplentis ex Trid. *ſeſſ. 14. cap. 4.* non tamen quoad omnes effectus, cum non imprimat characterem, nec deleat omnem reatum pœnæ, nec reddat hominem capacem cæterorum Sacramentorum, ſed ſolum quoad remiſſionem culpæ. Dicitur autem Baptiſmus flaminis, quia procedit ab impulſu Spiritus Sancti, qui dicitur *Flamen*. Baptiſmus ſanguinis eſt effuſio ſanguinis, ſeu mors pro Chriſti fide; vel pro vera virtute tolerata. Hinc etiam Baptiſmus ſupplet vices Baptiſmi fluminis, ſeu Sacramentalis quoad remiſſionem omnis culpæ, & pœnæ, non tamen quoad imprimendum characterem; &, ſicuti Baptiſmus fluminis prodeſt tum adultis, tum infantibus, ita etiam Baptiſmus ſanguinis, ut patet in SS. Innocentibus, qui coluntur ab Eccleſia, ut veri Martyres. Ut autem hic Baptiſmus ſanguinis producat effectus ſuos in peccatore, aliqui cum Vaſq. dicunt, prærequiri Contritionem, vel Dilectionem Dei ſuper omnia: communius tamen alii docent, ſufficere Attritionem. Et ſane nullum peccatum remitti in præſenti Providentiæ ordine ſine retractatione, certum eſt ex Trid. docente. *Pœnitentiam fuiſſe omni tempore neceſſariam ad remiſſionem peccatorum*. Neque ex eo, quod Martyri promittatur vita æterna illis Chriſti Domini verbis, *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, ſequitur, quod ſine ulla retractatione peccatum actuale Martyri remittatur: nam etiam Baptiſmo flaminis, qui eſt Sacramentum, promittitur vita æterna illis verbis, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; quamvis per Baptiſmum Sacramentalem non remittatur peccatum actuale nullimode retractatum. Quod autem ſufficiat attritio, ſuadetur ex eo, quod ſufficit ad Baptiſmum; aliter enim ſalus non tribueretur martyrio, neque hoc diceretur ſupplere vices Baptiſmi. Deberet tamen talis peccator conari contritionem, & confeſſionem præmittere, ſi poſſet, ne ſe exponeret periculo damnationis æternæ, ſequendo hanc ſententiam probabilem, omiſſa tutiore. At, licet ad Baptiſmum requiratur in adulto voluntas ſaltem habitualis illum ſuſcipiendi; hæc tamen non requiritur ad martyrium: quare, ſi dormiens occidatur a Tyranno in odium Fidei, erit vere Martyr. Verum quidem eſt, quod, ſi ſit in ſtatu peccati mortalis, dum dormiens martyrium patitur, non juſtificatur ex ratione ſuperius memorata. At communiſſime docent, Deum in præſenti providentiæ ordine non permittere, ut peccator occidatur in odium Fidei ante peccati retractationem ſaltem per attritionem ſupernaturalem. Probabile etiam eſt, Martyrem percipere fructum martyrii, quando patitur lethalem cruciatum, nec talis fructus conſecutionem differri uſque ad mortem: quare probabile eſt, non privari fructu martyrii eum, qui poſt ſuſceptum lethale vulnus, vel aliud lethale ſupplicium, miraculoſe deinde a morte liberetur, ut accidit D. Joanni in ferventis olei dolium immiſſo. & Beatiſſimæ Virgini ſtanti juxta Crucem, tanquam Martyrum Reginæ. Ratio eſt, quia, qui patitur cruciatus mortales, etſi liberetur a morte, dicitur mortuus in cauſa: æquum igitur videtur, ut non privetur fructu martyrii.

III. De Fide eſt, Sacramentum Baptiſmi (ut & cætera Sacramenta) inſtitutum eſſe a Chriſto Domino, ex dictis diſp. præced. Quandonam fuerit inſtitutum, dubitatur. Alii cum D. Th. putant, quando Chriſtus fuit in Jordane baptizatus: alii poſt Chriſti Domini paſſionem, quando dixit, *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos, &c.* Probabilius tamen videtur eſſe, quod fuerit inſtitutum ante Chriſti mortem: nam Joan. 4. habemus, plures baptizandos veniſſe ad Chriſtum, quam ad Joannem, qui dixerat, ſe baptizare in aqua, Chriſtum vero in Spiritu Sancto. Præterea in nocte ante Paſſionem inſtituta fuerunt Sacramenta Euchariſtiæ, & Ordinis; dicendum igitur, quod antecedenter inſtitutum erat Sacramentum Baptiſmi, quod eſt janua cæterorum; temere enim, & ſine ullo fundamento dicitur, quod Chriſtus tunc diſpenſaverit cum Apoſtolis, ut ſuſciperent Ordinem, & Euchariſtiam ante Baptiſmum.

IV. Hoc Sacramentum, vel in re, vel in voto neceſſarium eſt ad ſalutem non ſolum neceſſitate præcepti, ſed etiam medii propter connexionem, quam habet, poſita Chriſti inſtitutione, cum æterna hominis ſalute. Præceptum vero obligans ad Baptiſmum non eſt ſolum naturale, quale adeſt relate ad quodcumque neceſſarium ad ſalutem, ſed etiam poſitivum Divinum, latum nuper citatis verbis Chriſti: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes*, &c. Hoc autem præceptum obligat omnes, etiam Infideles, ad recipiendum Baptiſmum, cum primum commode poſſunt, ſaltem ad non diu differendum. Relate ad Infantes rationis uſu carentes, hoc Præceptum urget Parentes, aut Tutores, quatenus illos obligat ad procurandum infantibus, qui ſub ipſorum cura ſunt, Baptiſmum: unde ad id tenentur non ſolum ex charitate, & pietate, ſed etiam ex præcepto Baptiſmi; quare peccant, ſi per longum tempus abſque cauſa differant, ex Sot. per duodecim dies: ex Ledeſm. per quindecim. Tanta eſt hæc obligatio, ut licite poſſit homo adultus objicere ſe periculo mortis ad Baptiſmum ſuſcipiendum; non tamen tenetur tale periculum ſubire, cum poſſit aliter ſalutem æternam obtinere, nempe per Contritionem, aut Charitatem perfectam: Croix n. 286. Addunt aliqui, non ſolum licitum, ſed etiam præceptum eſſe, ut, qui aliter nequeat baptizari, petat ſe projici in mare, ut baptizetur, ſi advertat, ſe non poſſe actum Contritionis, aut perfectæ Charitatis elicere, quia tenetur anteferre vitam animæ vitæ corporali, & mors prævifa eſſet præter illius intentionem. Alii tamen contradicunt, quia videtur eſſe directa occiſio ſui, quæ numquam eſt licita.

CAPUT II.

De Materia, & Forma Baptiſmi.

Cum ſeorſim de materia, ſeorſim de forma agendum nobis ſit, ut claritati ſemper conſulamus; idcirco ſit

§. I.

De Materia Baptiſmi.

Materia Baptiſmi alia eſt remota, alia proxima. Materia remota eſt aqua naturalis, ſeu elementaris apta ad abluendum, ut definitum eſt in Concil. Later. relato in cap. *Firmiter, de ſumma Trinit.*, & in Flor. *de Decr. Arm.*, & in Trid. *ſeſſ. 7. can. 2. de Bapt.* & colligitur aperte ex illis verbis: Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Ratio hujus inſtitutionis videtur eſſe, quia aqua eſt aptiſſima ad ſignificandam animæ munditiem, & ex alia parte eſt omnibus pervia, ut hoc Sacramentum omnibus neceſſarium facile miniſtrari poſſet. Hinc apta materia Baptiſmi eſt aqua putei, maris, paludis, pluviæ, &c. Item reſoluta ex grandine, nive, glacie, licet accidentaliter immutata ſit quoad colorem, ſaporem, aut odorem, ut aqua ſulphurea, aut alteri corpori ita modice immixta, ut uſum communem, & æſtimationem aquæ non amiſerit. Inepta vero eſt ſaliva, lacrymæ, ſudor, cerevifia: item aqua ſic permixta alteri corpori, ut non ſit amplius apta ad ablutionem, nec vocetur communiter aqua, ut lutum, brodium, vinum lym-

phatum, jusculum, lixivium: item aquæ artificiales ax rosis, berbis, succisque expressæ: demum nix, grando, aut glacies non resoluta. Quia tamen dubium est de pluribus ex dictis, an sint apta materia baptismi, ut de tenui cerevisia, de aqua rosacea, & aliis; hinc solum in necessitate licet illis uti; quamvis deinde repetendus sit sub conditione baptismus: extra necessitatem semper erit grave peccatum in dictis materiis dubiis baptismum conferre ex dictis disp. 1. q. 2. cap. 3. Idem dicendum de aqua axtracta ex brodio carnium, vel piscium, vel ex luto, de collecta ex vaporibus ex alla emergentibus, & testaceo regumento adhærentibus, necnon de aqua, quæ hyemali tempore ex parietibus, & lapidibus fluit, cum sint materiæ dubiæ: Porro bumor fluens ex vite, & arbore non est aqua, sed succus.

Quæ hactenus dicta sunt de materia Baptismi, intelligenda sunt de materia valida, quatenus ad validitatem Baptismi sufficit aqua naturalis, seu elementaris apta ad abluendum: at hæc non sufficit ad materiam licitam, hoc est, qua licita uti possit Minister saltem in baptismo solemni; requiritur enim, & quidem probabilius sub gravi, ex *Clement. un. de Bapt.*, ut sit consecrata. Dixi, *Saltem in Baptismo solemni*; nam in privato libere omitti posse aquam benedictam, docent Pasq., Quintan., Gob. tr. 2. n. 41. apud Croix n. 263.

Materia proxima est ablutio corporis baptizandi facta a Ministro, quæ babetur per contactum, quo aqua per actionem Ministri successive tangit corpus baptizandi, sive talis ablutio fiat per aspersionem, sive per infusionem, sive per immersionem unicam, vel trinam: quolibet enim ex his modis valide confertur baptismus: ut autem licite etiam conferatur, servanda est consuetudo propria cujuscumque Ecclesiæ: si tamen contra consuetudinem Diœcesanam baptismus fiat per immersionem loco affusionis aquæ, Scot., Val., Dicast., Gob. probabiliter dicunt, esse veniale, quia hic ritus non videtur graviter præcipi, nec videtur esse notabilis mutatio. Ex præcepto etiam abluendum est caput baptizandi, Dixi *ex præcepto*; nam hoc non esse da necessitate Sacramenti, & ad ejus valorem certo sufficere ablutionem cujuscumque partis principalis corporis, ut pectoris, scapularum, &c. docent Suar., Tann., Avers., Mæzat., & alii communissime contra Platel., & alios putantes, non esse certo validum baptismum, si alia pars corporis, quam caput, abluatur: v. Croix n. 267.

. Ex dictis infers sequentia: Primo, Si aliquis immergat se in aqua, & alius proferat formam, non valet baptismus, quia non verificatur ablutio facta a Ministro; & idem dicendum, si unus abluit, & alter profert formam; econtra vero, si aliquem ipsemet adducam, & teneam sub stillicidio proferens formam, validus est baptismus, quia verificatur ablutio facta a Ministro proferente formam. Secundo, Si quis infantem alioquin moriturum sine baptismo projiceret in puteum proferens formam, valeret baptismus, quia esset vera immersio conjuncta cum forma. An id liceat, vide, quæ diximus in fine cap. præced. Hic addo, Suar., Vasq., Reding., Gob. docere, quod liceat, si mors non multum acceleretur; & Diana, etiamsi acceleratio futura esset magna: negant tamen, id esse licitum Avers., Gorm., Laym., Dicast., Busemb., quia illa projectio esset directa occisio infantis: v. Croix n. 264. Tertio, Quamvis plures Doctores non infimæ notæ censeant, etiam unam, aut alteram minimam guttam aquæ sufficientem esse ad Baptismum, dummodo motu successivo corpus baptizati tangat, putantes, esse veram ablutionem: probabilius tamen oppositum docent Tol., Bonac., Laym., Con., & Pal. p. 3. n. 6. Idem sentiendum est de ablutione facta in minima parte corporis, e. g. tantum in digito, non esse scilicet sufficientem ad baptismum, quia non videtur recte dici simpliciter lotus, qui lotus est tantum in digito. Quia tamen probabile est, ablutionem, sive in minima quantitate aquæ, sive in minima parte corporis factam, sufficientem esse ad baptismum, solum in necessitate licitum erit his modis baptizare, quando scilicet non possit alio modo tutiori baptismus conferri, & periculum sit, ne homo moriatur sine baptismo. Quarto, Si perfundatur aqua homo vestibus, corio, vel ære contectus, quin aqua tangat immediate corpus, non valet baptismus, quia non homo, sed vestes, aut indumentum abluitur: Bonac., Laym., Pal. loc. cit. Idem sentit ex communi Bonac. de abluto tantum in capillis, & de infante recenter nato, & adhuc pelle secundina circumdato, qui abluatur tantum in pelle secundina, quia nec capilli, nec pellis secundina est pars corporis. Sed probabiliter, ut sentit Castrop. n. 7., & 8., oppositum docent Vasq., Tol., Val., Con., & Laym., unde solum in necessitate, ut nuper dictum est, licitum erit sic baptismum conferre.

§. II.

De Forma Baptismi.

FORMA Baptismi, qua Ecclesia Latina utitur, hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & manifeste colligitur ex illo Matth. cap. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ita omnes Doctores. Ex quo manifeste sequitur, quatuor necessario exprimenda esse in forma baptismi: Primo personam baptizantem: Secundo baptizatum: Tertio actionem baptizandi: Quarto Unitatem, & Trinitatem Divinarum Personarum.

Circa primum, quamvis necessario exprimenda sit persona baptizans, non tamen est necessaria formalis expressio, sed sufficit implicita, ut manifeste probat usus Græcorum recte, ut omnes Catholici docent, baptizantium sub ea forma, *Baptizetur*, vel, ut ait Croix, *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, &c.* Hinc valet certo baptismus, si in forma Ecclesiæ latinæ omittatur pronomen *Ego*, dicendo *Baptizo te, &c.* quia in verbo *Baptizo* satis significatur pronomen *Ego*: imo dicti pronominis omissio non videtur venialem culpam excedere, secluso contemptu: Pal., Sot., Vasq., Con., quod intelligendum etiam est de omissione particulæ *in*, & *amen*. An autem valeat baptismus collatus sub hac forma, *Baptizet te Deus*, vel *Christus*, vel *Baptizeris a Deo*, vel *Christo*? est dubium. Negat Vasq. Affirmat Sot., Suar., Con., Laym., quia tali forma, stante actiona baptizandi posita a Ministro, sufficienter exprimitur persona baptizans, itaut sensus illius formæ sit: *Baptizet te Deus per me actionem baptizandi exercentem*: v. Pal. n. 3., & 4.

Alterum requisitum est expressio personæ baptizandæ; si enim illa neque speciatim, neque generatim exprimatur, forma non habet sensum determinatum, & consequenter baptismus non valet: ut si diceres, *Ego baptizo in nomine Patris, &c.* Advertendum hic est, unitatem numericam baptismi potius desumi ex unitate personæ baptizandæ, quam ex unitate baptizantis: hinc, si sub unica forma prolata in numero plurali, *Ego vos baptizo, &c.* plures ablueres (quod solum in necessitate licet) plures baptismos conficeres, quia plures essent ablutiones, & forma, quamvis physice, & formaliter sit unica, virtualiter tamen est multiplex. Contra vero, si plures Ministri simul abluerent, & debita intentione simul proferrent formam supra unam, eandemqua personam, unus conficeretur baptismus. Ut autem valeat baptismus collatus uni a pluribus Ministris, debet ex his unus independenter ab alio intendere baptismum illius; nam, si unus intendat conficere Sacramentum dependenter ab alio, non conficitur Sacramentum, quia mutatus sensus formæ a Christo institutæ; non enim esset tunc verum, te baptizare, sed te cum alio baptizare. Ita D. Th., Con., Vasq., Val., Suar., Bellar., Bonac., Laym. apud Pal. n. 7.

Tertium requisitum est expressio actionis abluendi provenientis a legitima intentione faciendi rem sacram institutam a Christo: quæ intentio satis exprimitur, si actus abluendi exprimatur sub invocatione Trinitatis. Necessitas autem hujus requisiti, & simul primi, & secundi jam explicati constat nunc etiam ex propositione 27. præscripta ab Alex. VIII. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris, &c. prætermissis illis, ego te baptizo.*

Quartum, & præcipuum requisitum est expressio tum Unitatis Naturæ, tum Trinitatis Personarum Divinarum. Exprimitur Unitas sufficienter per ly *In nomine*, exprimitur Trinitas, dum additur, *Patris, &c.* Hæc Unitatis, & Trinitatis expressio debet esse explicita, & formalis, ut constat ex cit. Matth. loco: *Baptizantes, &c.* Hinc invalidus est, & semper fuit baptismus collatus in nomine Christi; quare, dum *in Act. Apost.* dicuntur Apostoli baptizasse in nomine Jesu Christi, id non intelligendum est, quatenus omiserint Patrem, & Spir. S., sed quatenus baptizaverint *In nomine Patris, & Filii Jesu Christi, & Spiritus Sancti*: aliter, cum Paul. 1. *ad Corinth.* 12. dixerit, omnes baptizatos esse in uno Spiritu, colligi hinc recte posset, quod baptismus ministratus fuerit, uno invocato Spiritu S. absque invocatione Patris, & Filii, quod est falsum. Pal. p. 5. n. 11. Invalidus pariter est Baptismus collatus *In nomine Dei, in nomine S. Crucis, in nomine trium Personarum, in nomine primæ,*

secun-

secundæ, *& tertiæ Personæ*, cum non explicentur tres Personæ secundum proprietates relativas, Baptismus collatus *In nomine Genitoris*, *Geniti*, *& Spirati*, est dubius; nam plures cum D. Thom. contra Cajet. apud Trull. docent, esse invalidum; alii vero putant, valere, quia habetur mutatio solum in verba synonyma, quæ ex dictis disp. e. q. 1. c. 3. non est substantialis: validus est ex Trull., si dicatur, *In nomine Patris*, *Verbi*, *& Spiritus Sancti*. Porro invalidus est baptismus collatus *In nominibus Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*; vel si dicatur *Baptizo te cum Patre*, *Filio*, *& Spiritu S.*, quia sub his formis non exprimitur Unitas Divinæ Essentiæ: Quod si dicatur *Baptizo te in nomine Patris*, *in nomine Filii*, *in nomine Spiritus S.*, vel *in Deo Patre*, *Filio*, *& Spiritu S.*, dubius est valor Baptismi. At si quis baptizaret *In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus S.*, *& Beatæ Virginis*, intendens invocare B. Virginem eodem modo, ac invocantur tres Personæ Divinæ, hoc est effective, seu ad efficiendum Sacramentum, invalide baptizaret, quia mutaretur sensus formæ institutæ a Christo; secus vero, si ob devotionem invocaret deprecatorie, intendens scilicet auxilium B. Virginis baptizato implorare.

C A P U T III.

De Ministro Baptismi.

MINISTER valide baptizans, & in casu necessitatis etiam licite, est quivis homo ratione utens, etiamsi sit femina, vel excommunicatus, vel non baptizatus, dummodo saltem confuse intendat facere, quod facit Ecclesia. Ratio a priori est institutio Christi Domini, usu, & consuetudine Ecclesiæ declarata: congruentia talis institutionis est summa necessitas talis Sacramenti, ob quam, sicuti congruum fuit illud instituti sub materia omnibus obvia, & sub forma facile ab omnibus perceptibili; ita congruum pariter fuit, ut cuilibet ratione utenti daretur potestas illud administrandi. Debet tamen necessario esse persona distincta a baptizato, ut colligitur ex verbis Christi, *Baptizantes eos*, *&c.*, unde nemo potest se ipsum baptizare.

Minister vero ordinarius, qui non solum valide, sed etiam licite extra casum necessitatis baptizat, est Sacerdos, ut constat ex Flor. *in Decr. Eug.*, cap. *Firmiter*, & usu Ecclesiæ; & rationem affert D. Th., quia, sicuti vi suæ consecrationis Sacerdos accipit potestatem conficiendi in Eucharistia Corpus Christi verum, & reale, ita & efficiendi Corpus Christi mysticum, quod fit per collationem baptismi. Ut autem Sacerdos licite conferat baptismum solemniter, indiget facultate Episcopi, aut Parochi personæ baptizandæ, ad quos, utpote Pastores animarum, proprie spectat aggregare homines Ecclesiæ Christi: &, sicuti Sacerdos quilibet, quamvis in sua ordinatione recipiat potestatem absolvendi, ut tamen valide absolvat, indiget jurisdictione Ecclesiæ; ita etiam, ut licite baptismum solemniter conferat, indiget facultate Ecclesiæ, hoc est Episcopi, vel Parochi personæ baptizandæ. Hinc mortaliter peccat Episcopus vel Parochus, qui non subditum residentem in aliena Ecclesia sine licentia Episcopi, vel Parochi illius baptizat, quia aggregat Ecclesiæ hominem, cujus nullum regimen habet: Pal. p. 9. n. 2., & Con., Laym., Bonac., Sa. Aliis Clericis Sacerdote inferioribus non competit ex officio Baptismum ministrare. Solum Diaconis concedi potest facultas baptizandi solemniter in defectu Sacerdotum: ad quam tamen facultatem concedendam non requiritur extrema necessitas, sed sufficit rationabilis causa, qualis esset e. g. si ob infirmitatem, vel excommunicationem, aut baptizandorum multitudinem non posset Sacerdos baptismum conferre: quia id videtur expostulare officium Diaconi, quod est Sacerdoti inservire: Vasq., Laym., Suar., Pal. n. 5. Parochus vero Diaconus, & nondum Sacerdos potest jure ordinario etiam solemniter baptizare: Gob. t. 2. n. 139.

Quæres primo, An vi Bullæ Pauli III. concessæ Societati Jesu ann. 1545., & incipientis, *Cum inter cunctas sollicitudines*, in qua hæc habentur, *Facultatem concedimus singulis Societatis Pœnitentiæ*, *Eucharistiæ*, *& alia Ecclesiastica Sacramenta sine alicujus præjudicio ministrandi*, An, inquam, vi hujus concessionis liceat Religiosis Societatis Jesu administrare Baptismum?

Respondeo, In Regionibus Fidelium certo non licere, quia id cederet in præjudicium Episcoporum, & Parochorum. At in Regionibus Infidelium, distinguendum est: si ibi sint Ecclesiæ jam fundatæ, neque licet ob eandem rationem; si vero, ubi conferendus esset baptismus, non sit Ecclesia jam fundata, licet, quia tunc ministraretur baptismus sine alicujus præjudicio: v. Pal. p. 9. n. 3.

Quæres secundo, Quinam ordo servandus sit in ministratione Baptismi in casu necessitatis?

Respondeo, Servandum esse hunc ordinem, ut minus dignus cedat digniori, & consequenter ut Sacerdoti cedat Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono alii Clerici inferiores, Clerico Laicus, Viro Femina, & Laico non excommunicato Clericus, imo Sacerdos nominatim excommunicatus. Ita cum D. Th. q. 67. art. 4., & communi sententia, teste Pal. n. 9., Con., Suar., Vasq. An autem talis ordinis inversio in ministratione baptismi privati ratione necessitatis sit peccatum mortale? Non satis constat. Negat absolute Sot. dist. 4. q. unica art. 2. indicans, solum esse culpam venialem. Communis tamen sententia docet, esse peccatum mortale, si præsente Sacerdote non renuente alius Clericus inferior, vel laicus baptizet, quia irrogatur Sacramento injuria, si, cum possit ministrari a Ministro ad id specialiter deputato, & consecrato, ministretur ab alio: sic ut certum tradunt Suar., Vasq., Bonac., Laym., Con. At si præsente Clerico laicus ministret, & præsente viro femina, censent esse solum culpam venialem. Excipiunt tamen aliqui casum, in quo Paganus, vel Hæreticus baptizaret præsente Catholico, dicuntque, peccare mortaliter ob irreverentiam Sacramento factam: excipiunt alii Clericum, vel Laicum baptizantem, præsente, & non renuente Diacono, cui sententiæ favet Pal. n. 13.

Notandum hic, quod patri, & matri prohibitum est baptizare propriam prolem: unde extra summam necessitatem quilibet alius, etiam femina, præferendus est parentibus in administratione baptismi. Probabiliter tamen non privarentur jure petendi debitum, quamvis peccarent mortaliter, quia talis pœna in nullo textu reperitur expressa. Con. contra Villalob. Quod si infans nondum totaliter egressus ex utero matris baptizandus esset, tunc mulier præferenda esset cuicumque viro, etiam proprio Parocho, quia sic exigit honestas: Platel. p. 5. n. 143.

Quæres tertio, Quibus ritibus ministrandus sit baptismus solemnis?

Respondeo, Ministrandum esse sub gravi, extra necessitatem, ritibus, & cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, quæque habentur in Rituali Romano: quare extra mortis periculum grave peccatum esset aliquem domi baptizare, quia est contra ritum ab Ecclesia observatum, exceptis Filiis, aut Nepotibus Regum, & Principum, qui, servatis aliis solemnitatibus, poterunt domi baptizari, ut habet expresse Clem. unic. *de Baptismo*. Nomine autem Principum Riccius, & Quintanad. intelligunt magnates Hispaniarum, Comites, Barones, Legatos Regum, & Jordan. universim omnes habentes jurisdictionem temporalem: hinc in quibusdam diœcesibus, teste Gob. tr. 2. n. 402. ap. Croia n. 337., permittitur omnibus nobilibus administratio baptismi in Sacello domestico. Si licitum sit baptizare privatim, adhibendæ sunt cæremoniæ, quia absolute prohibetur baptismus sine cæremoniis, excepto solo casu necessitatis. Has fere cæremonias ab Ecclesia præscriptas pro solemni administratione Baptismi ad tredecim numerat, & late explicat Pal. p. 12. Unum tantum hic expendemus, nimirum quod attinet ad designationem patrinorum: obligationem esse in Baptismo solemni adhibendi aliquam personam præter baptizantem, quæ baptizatum levet de sacro fonte, & illum sub sui tutelam suscipiat in Fide, & bonis moribus instruendum, constat ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, & ex Trid. *sess. 24. cap. 2. de Reform. Matr.* Rationem hujus institutionis tradit D. Th. q. 67. a. 7. ex similitudine, quam habet Baptismus cum carnali generatione: nam, sicut infans recenter natus indiget nutrice, & pædagogo: sic spiritualiter renatus per baptismum indiget aliquo, qui gerat vices nutricis, & pædagogi, informando, & instruendo eum quasi novitium in Fide de his, quæ pertinent ad Fidem, & vitam Christianam: ad quam obligationem declarandam aliis etiam nominibus hoc munus obeuntem appellarunt PP. & Doctores, nimirum Pædagogum, Fidei Doctorem, Fidejussorem, Sponsorem: Communiter tamen vocatur Compater, seu Patrinus. Parochus baptizans ex Trid. cit. inquirere diligenter debet, quinam sit a Parentibus, vel Tutoribus baptizandi designatus, ut illum levet de sacro fonte, nec procedere debet ad baptismum, quousque hic designatus non sit: in Parentum vero, vel Tutorum defectu designatio Patrinorum spectat ad Parochum.

Obligatio, quam suscipiunt Patrini instruendi baptizatos

in Fide, & Doctrina Christiena, de se est gravis: hluc matus ordinarie non debet esse Patrinus, quia non posest infentem docere res Fidei. Satisfaciunt tamen suæ obligetioni, si baptizatum semel in Fide, & Doctrina Christiana sufficienter instruant, etsi postea comperiant, eos esse oblitos: credendum quippe non est, talem obligationem urgere toto vitæ tempore, sed solum, quo tempore baptizatus rudis existit, & quasi parvulus pædagogo indiget: Con. Laym. Verum hæc obligatio raro urget Patrinos in Regionibus Fidelium, quia vix præsumi potest, quod baptizatus non sit instruendus a Parentibus, vel Tutoribus, vel Magistris; secus vero in regionibus infidelium, vel hæreticorum, maxime si Parentes baptizati sint infideles, vel hæretici: D. Th. Suar. Con. Laym. Val. Sa.

Quilibet rationis compos, dommodo sit baptizatus, exercere potest munus Patrini, exceptis publicis pœnitentibus, & moribus infemibus, & hæreticis. Monachis est interdictum tele munus: Monachorum antem nomine hic non venire Mendicantes, aut Canonicos Regulares, probabilius tenet Pal. p. 11. §. 1. n. 4. Quotanad: tamen ap. Croix n. 354. putat, nunc, per se loquendo, licere in omnibus Religiosis, & Monialibus esse Patrinos, & Matrinas. Pro quolibet baptizando designari debet ex cit. Trid. text. unus, sive vir, sive femina; vel duo, vir, & femina; plures nec a Parentibus designari, nec a Parocho baptizante admitti possunt, itaut grave peccatum esse dicat Pal. §. 2. n. 1. transgredi hoc Tridentini præceptum, quod sub gravi obligare ex eo colligit, quod Parochum plures admittentem Patrinos Ordinario puniendum subjiciat. In Baptismo non solemni non requiritur Patrinus; &, si adhibeatur, probabiliter non contrahit cognationem spiritualem: Sanch. l. 7. d. 62. n. 15. Idem dicunt Bon. Quint. Gob. Gorm. ap. Croix n. 349. si baptismus conferatur sub aliqua conditione, quamvis sit solemnis, quia Patrinus videtur præcipi pro Baptismo solemni, qui sit certus, & absolutus. Si unicus adhibeatur Patronus, potest mas suscipere feminem, & contra: Suar. Fill. Gob. & Averta, qui proinde dicit, Procuratorem viri Patrini absentis posse esse mulierem, & contra. Quamvis Urbanus II. prohibeat, duos conjuges simul levare infantem; Nav. tamen Vival. Sanch. Tamb. absolute putant, id licere; & Suar. March. Aversf. & alii passim dicunt, illam constitutionem non esse in usu receptam. Baptizans potest alium substituere, qui suo nomine baptizatum levet, cum nullo jure id prohibeetur. Potest Pater esse Patrinus filii sui illegitimi: Lug. Gob. apud Croix n. 355. Possunt plures assistere Baptismo veluti testes, & ad majorem pompem: Gob. Hinc, si plures a parentibus designati se ingerant, baptizans potest initio dissimulare; sed postea moneat, satis esse, si unus, vel una, & una infantem tangat, vel si permistat, omnes tangere, designet tamen eum aliquo signo externo unum; vel unum, & unam, quibus solis tradet infantem baptizatum, non aliis, & illos tantum adnotat fuisse Patrinos, reliquos fuisse testes: Croix n. 350.

Ut Patrinus vere sit talis, cognationemque spiritualem contrahat, requiritur, ut baptizatum de manu baptizantis immediate suscipiat, vel illum teneat, seu tangat manu (nec sufficit tangere uno digito: Croix n. 363.) dum baptizatur, quia textus hoc munus declarantes, cognationemque spiritualem statuentes, iis verbis utuntur. De cognatione spirituali, quam tum Patrini, tum baptizantes contrahunt cum baptizatis, eorumque parentibus vide in tract. de matrim. ubi de impedimento cognationis.

CAPUT IV.

De Subjecto Baptismi.

SUBJECTUM Baptismi capax est quilibet homo viator, etiam rationis usum nondum habens; imo, statim ac ex utero matris prodierit. Constat ex Trid. *sess. 7. can. 13. de Bapt.* & ex consuetudine Ecclesiæ, & colligitur ex illo Jo: 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* quæ verba communia sunt infantibus, & adultis. Hinc sequitur, incapaces esse baptismi Satyros, seu genitos ex femina, & bruto, quia non sunt homines. Incapacia pariter baptismi sunt monstra, si non constet, ea habere animam rationalem. Si vero dubitetur, sintne homines, an bruta, baptizanda sunt sub conditione: quod si certum sit, aliquod ex his monstris esse hominem, dubitetur solum, sitne unus, an duplex homo, quia habet duplex caput, aut duplex pectus; duplex Baptismus est conferendus, alter absolute in ea parte corporis, in qua perfectius caput, sive pectus apparet: alter conditionate in altera parte: Navarr. Comit. Laym. Bon. apud Pal. p. 6. n. 4. Dixi, *Statim ac ex utero matris prodierit*; nam infans in utero matris totaliter existens ex communi antiquorum sententia non est capax Baptismi: quamvis Suar. Con. & alii putent, quod, si in aliqua sui parte ablui possit, saltem per fistulam, in casu necessitatis conferri possit ac debeat baptismus, quia ad baptismi valorem putant, sufficere illam nativitatem, qua quis de non homine fit homo, dummodo ablui possit: non secus ac baptizari possunt, ac debent saltem sub conditione infantes, qui tantum exerunt manum, vel qui ex dissecto utero matris mortuæ vivi extrahuntur, quamvis non sint nati nativitate rigorosa. Qui tamen in casu necessitatis baptizatus est tantum in manu, aut pede, baptizandus denuo est sub conditione post totalem egressum ex utero matris, quia aliqui dubitant de valore prioris baptismi; secus vero, si, postquam puer eduxerit caput, in eo baptizatus sit, juxta dicta cap. 1. & 3. hujus quæst. Fœtus mulierum abortivi, etiam imperfectissime figurati, si dent aliquod vitæ signum, baptizandi sunt, quia aliqui Medici putant, fœtum humanum post paucos dies a conceptione, v. g. tres, aut quatuor, animari anima rationali.

Quæres primo, An baptizati possint filii infidelium, invitis parentibus?

Respondeo: Primo, si filii infidelium nondum rationis usum habentes invitis parentibus baptizentur, valide baptizantur; quia non baptizantur in fide, & voluntate Parentum, sed tantum Ecclesiæ: D. Th. 3. p. q. 68. a. 9. & omnes communiter cum Dicast. contra Palud. Sylv. Dur. & alios, quorum opinio communiter reputatur improbabilis, ut ait Croix n. 297. Secundo, Illicitum est baptizare filios infidelium non baptizatorum rationis usu carentes, invitis parentibus, etiamsi sint subditi Principis Christiani: quamvis ad licite baptizandum non requiratur consensus utriusque parentis, sed sufficiat consensus alterius. Ratio primæ partis est, tum quia id est contra usum, & prohibitionem Ecclesiæ; nam Julius III. teste Pignat. t. 4. cons. 191. imposuit tali baptizanti pœnam suspensionis, & mulctam 100. ducatorum; tum quia Pater habet jus in Filium, cum Filius sit aliquid Patris, adeoque male ei subtrahitur: quod si relinquatur in Patris potestate, fit injuria Sacramento propter periculum apostasiæ: & ita communiter tenent Doctores contra Scot. Gabr. & alios. Ratio secundæ partis est, quia, cum consensus permittentis baptismum sit in favorem Fidei, & alter Parens irrationabiliter neget, jure, meritoque prævalere debet consensus prioris. Dixi primo, *Infidelium non baptizatorum*; nam filii hæreticorum, & apostatarum licite baptizantur invitis Parentibus: ita communiter Doctores; quia, cum Ecclesia habeat jus in ipsos Parentes, eosque possit ad fidem cogere, aut pœna mortis punire, potest etiam eos privare jure, & potestate, quam habent in suos Filios, & hos baptizare subtrahendo illos a parentibus. Dixi secundo, *Rationis usu carentes*; nam si usum rationis habeant, & petant baptismum, baptizari possunt, ac debent, etiam invitis Parentibus, & ab ipsis subtrahendi; quia Filii non tenentur obedire Parentibus, quando hi impedire illis velint media necessaria ad salutem. Quod si dubitetur, an habeant usum rationis, aliqui docent, posse baptizari, quia in dubio inclinandum est in favorem Fidei. Alii negant, quia melior est conditio Parentum possidentium. Alii demum docent, posse baptizari, si simul adsit periculum mortis, vel si transgressi sint septennium; vel si Parentes postea impedituri sint baptismum, & videatur satis consultum eorum constantiæ, quia, quando concurrunt duo præcepta, observandum est majus: præceptum autem baptismi majus est præcepto de non agendo contra jus parentum: Croix n. 306. Dixi tertio, *Etiamsi sint subditi Principis Christiani*, quia Principes seculares punire solum possunt peccata, quæ sunt contra politicam pacem, & gubernationem, contra quam non peccant, qui nolunt, filios baptizari. Tertio filii infidelium mancipiorum possunt licite, invitis parentibus, auctoritate Dominorum baptizari, quia jus in prolem mancipii spectat ad dominum, qui potest illam vendere, aut donare; adeoque potest citra injuriam abstrahere a parentibus, & ab actuali subjectione liberare. Idem dicendum de prole jure belli captiva apud Christianos, quia jam est serva Christiana, Croix n. 301. ex Aversf. Imo idem etiam dicendum de prole sive juste, sive etiam injuste extracta extra patriam potestatem, quia tunc parentes amiserunt jus proximum, seu usum actualem talis juris naturalis, & ad tale jus exercendum succedunt illi, quibus

bus actu subsunt, & baptizari mandant: Croix n. 304. ex Laym. Dicast. &c.

Puer vero quicumque morti proximus baptizari debet, etiam invitis parentibus, quia tunc urget præceptum charitatis, & puer non subtrahitur a parentibus per baptizantem, sed per ipsum periculum mortis, & sic extracto licite confertur Baptismus maxime necessarius: Croix n. 305.

An autem liceat Sacerdoti Catholico baptizare infantem, quem pater hæreticus baptizari petit, controvertitur apud Doctores. Negant Suar. Con. Dicast. & alii ob manifestum periculum apostasiæ, cui exponitur infans ille: non secus ac infans infidelis ex communi sensu Doctorum non est baptizandus, si restituendus sit parentibus, quia stante periculo subversionis fit injuria Sacramento, & Religioni. At Laym. Aver. Arsd. Gob. t. 2. n. 324. dicunt, id licite fieri, quia periculum apostasiæ est incertum, & valde remotum, cum multi testentur, vix tertiam partem infantium pervenire ad annos discretionis, & ex alia parte eadem irreverentia contingat, si baptismus confertur ab hæretico, a quo etiam confertur verus baptismus pro vera Ecclesia institutus a Christo: quam sententiam probabile reputant Diana, & Croix n. 307. Idem dicendum putant Sylv. & Nav. de infantibus infidelium, quos parentes petunt baptizari: sed alii communiter contradicunt cum Laym. Pignat. Dicast. Excipit Gob. n. 325. nisi parens infidelis mortem illaturus esset noleoti baptizare; nam ex dictis d. t. q. 2. c. 3. possunt dari circumstantiæ excusantes Ministrum, qui Sacramentum conferat indigno.

Quæres secundo, Quandonam baptismus iterari possit, aut debeat sub conditione?

Respondeo, Tum solum iterari posse, ac debere sub conditione, quando adest prudens dubium de valore prioris baptismi, juxta dicta disp. præced. q. 2. c. 3. Unde infers

Primo, Si certum sit, unum e viginti non esse baptizatum, & nesciatur, quis ille sit, omnes debent sub conditione baptizari, quia de singulis prudens est dubium an sint baptizati? Lug. Dicast. Gob. n. 699.

Secundo, Si baptizans fuit perturbatus, ideoque dubitet, an aliquid essentiale omiserit, si unus astantium, reliquis non contradicentibus, testetur, esse appositum id, de quo dubitatur, an sit omissum; non debet iterari baptismus: si vero testes non conveniant, & unus contra alium testetur, esse omissum, vel nullus testetur, debet iterari, quia prudenter dubitatur de valore: Gob. n. 424. ap. Croix n. 312.

Tertio, Qui cæteroqui non est scrupulosus, nec hypocondriacus, sed prudens, si vehementer agitetur circa valorem sui Baptismi, potest rebaptizari sub conditione, quia videtur gravis causa ob exempla non baptizatorum, qui sunt ita interne agitati: Quintanad. & alii cum Gob. a n. 446. ubi refert casus, in quibus etiam ex infestatione spectrorum judicatum est, causam esse sufficientem. Quamvis autem Dicastil. & Gob. dicant, licite suscipere reliqua Sacramenta eum, qui dubius est de valore sui baptismi, dubio tamen juris, quatenus aliqui Doctores probabiliter affirmant, alii probabiliter negant talem baptismum esse validum, excepto Ordine, & Matrimonium ob periculum nocendi tertio, si hæc Sacramenta nulliter suscipiantur; oppositum tamen tenendum est, quia in tali casu Sacramenta suscipienda exponerentur periculo nullitatis, quod semper est illicitum extra casum necessitatis, juxta dicta disp. præc. l. c.

Quarto, Infantes expositітii probabilius sunt rebaptizandi sub conditione, etiamsi inveniantur cum scheda testante de Baptismo: Quintanad. Gob. & alii asserentes, baptismum talium infantium esse dubium, quia hujusmodi infantes solent baptizari a propriis matribus, quæ forte nunquam viderunt baptizare, nunquam didicerunt, nec præ pudore petere voluerunt, ut tamen consulerent æternæ eorum saluti, ob periculum mortis baptizarunt, ut sciverunt. Possunt etiam tales infantes esse expositi a Judæo, vel ab alio execrante baptismum, ex Sylv. & Mercer.

Quinto denique, Circa baptizatos ab obstetricibus quisque licite sequitur statuta, vel consuetudinem suæ Diœcesis quoad eorum rebaptizationem; supponitur enim talis consuetudo fundata in erroribus aliquando animadversis; aliter consuetudo nihil immutare potest circa jus Divinum, a quo pendet permissio, prohibitio, & jussio iterandi baptismum: Gob. n. 175. Præscindendo tamen ab hujusmodi statutis, vel consuetudine, plerique baptizati ab imperitis, & mulieribus licite rebaptizantur ob errores substantiales sæpe ab iis commissos, ut refert Gob. a num. 353. Hinc a fortiori rebaptizari debet baptizatus ab obstetrice venefica, quia merito dubitatur de valore talis baptismi. In dubio, an fuerit venefica, Gob. dicit, non esse rebaptizandum, quia in dubio non præsumitur crimen: sed contradicit, & merito, Croix num. 321. si dubium sit prudens, quia tunc etiam prudenter dubitatur de valore baptismi. Econtra vero, quando obstetrix est integræ famæ, circumspecta, & sæpius probata recte semper egisse, tunc infans ne conditionare quidem rebaptizari potest, si illa serio affirmet, infantem a se esse legitime baptizatum, quia tunc non habet locum prudens dubium de valore baptismi, sed ad summum levis scrupulus: Quintanad. Gob. num. 183. Rebaptizare autem extra prudens dubium, etiam supposito levi scrupulo, ordinarie censeri debet mortale: Hurt. Gob. De Baptizatis ab Hæretico prædicante, quos omnes rebaptizandos esse docent Quintan. & alii plures cum Dicast. v. Croix num. 322.

DISPUTATIO III.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Confirmationis.

CONFIRMATIONEM, sic dictam, quia baptizatos in suscepta Fide confirmat, verum Sacramentum novæ legis esse a Christo Domino institutum, de fide est, ut constat ex Trid. *sess. 7. can.* 1. Et quidem instituere debuit plene, & perfecte, antequam ad Cœlos ascenderet, cum sit unum ex præcipuis fundamentis Ecclesiæ, quam Christus Dominus ante suam Ascensionem perfecte fundatam reliquit. Verum, quo tempore ante Ascensionem institutum fuerit, non constat. Probabiliter Doctores cum Suar. Con. Fill. Trull. docent, institutum fuisse in nocte Cœnæ, ut colligitur ex Fabian. Pap. *epist. 2. cap.* 1. ubi hæc habet: *In illa die Dominus Jesus, postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut a Sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit:* usus tamen talis Sacramenti incepit post Christi Ascensionem; non enim expediebat, Divinum Spiritum perfecte alicui communicari per hoc Sacramentum, antequam Jesus glorificaretur, juxta illud Jo: 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Jesu autem glorificato Spiritus plene datus fuit Apostolis, non signo Sacramentali, sed extraordinario, & miraculoso. Quo Spiritu accepto Apostoli aliis Divinum Spiritum communicabant impositione manuum. An vero non solum impositione manuum, sed etiam chrismatis unctione uterentur, non satis constat: verosimilius videntur, utroque signo usi fuisse, ne cogamur dicere, diversum nunc esse hoc Sacramentum ab eo, quod tunc fuit Pal. hic p. 1. n. 4. His positis I. Agemus de Materia, & Forma: II. de Ministro: III. De subjecto Confirmationis.

CAPUT I.

De Materia, & Forma Confirmationis.

MATERIA remota Confirmationis est Chrisma per Episcopum benedictum. Constat ex Flor. *in Decr. Fidei*; & ex Trid. *sess. 7. can.* 2. Chrisma autem debet esse mixtum ex oleo, & balsamo, saltem ex præcepto. Utrum vero talis mixtio sit necessaria necessitate Sacramenti, & ex Christi institutione, an sufficiat solum oleum (quod certum est pertinere ad materiam essentialem hujus Sacramenti, ut cum D. Th. & alii notat Avers. ap. Croix n. 375.) disputant Doctores. Probabilius est, esse necessariam necessitate Sacramenti: cujus sententiæ fundamentum præcipuum est ex Flor. in *cit. Decr. Fidei*, ubi hæc habet: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedicto.* Item etiam Suar. Laym. Bon. Pal. p. 2. n. 3. Sententia tamen opposita dicens, balsamum requiri tantum ex præcepto Ecclesiæ, quam tenent Cajet. Sot. Nav. Cov. Vict. Val. Zanard. apud Dian. p. 3. t. 4. r. 23. probabilis est: ita Croix ib. Ratio desumitur ex cap. *Pastoralis, de Sacram. non iterando*, ubi Innoc. III. interrogatus de confirmato in solo Oleo, respondet, nihil

esse

esse iterandum, sed caute supplendum, quod Incaute prætermissum fuerat. Ad fundamentum sententiæ oppositæ, nempe ad rexsum Flor. respondent, idem Flor. dicere, vinum aqua mixtum esse materiam Eucharistiæ, satisfactionem esse materiam Pœnitentiæ; nec tamen inde recte inferri, aut aquam esse materiam essentialem Eucharistiæ, aut satisfactionem Pœnitentiæ. Hinc concludit Dicast. hic n. 29. balsamum requiri tantùm ex præcepto non mere Ecclesiastico, sed Divino Christi Domini, quod colligi ait ex antiqua traditione Ecclesiæ, & PP.

Hinc infers, quod si haberi non posset Chrisma ex oleo, & balsamo, non peccaret, qui in articulo mortis confirmaret aliquem solo Oleo Infirmorum, quia in casu necessitatis licitum est in Sacramentis conferendis procedere secundum sententiam probabilem: Croix n. 375. Gob. tr. 2. n. 744. & constat ex dictis disp. 1. q. 2. c. 3. Oleum debet esse olivarum, quia hoc proprie oleum dicitur; quare confectum ex alia materia, ut ex nucibus, vel grandi pisce, vulgo *Balena*, non est materia hujus Sacramenti, quia oleum proprie non est: ita D. Th. ab omnibus receptus, test. Pal. p. 2. n. 3. Balsamum vero potest esse cujuscumque Regionis, dummodo sit in ea quantitate, ut det sui odorem; nec requiritur, ut in singulis partibus olei sit aliquid balsami: Con. Bonac. Gob. n. 745. Croix n. 377.

Omnes Doctores exigunt in oleo mixto balsamo benedictionem, ut sit apta materia hujus Sacramenti: Pal. n. 5. & ratio desumitur ex institutione Christi, Ecclesiæ usu, & consuetudine declarata, & pluribus Conciliis confirmata: utrum vero talis benedictio necessario facienda sit ab Episcopo, an possit ex commissione summi Pontificis fieri a simplici Sacerdote, discrepant Doctores. Caj. Val. Barb. Gob. ap. Pal. n. 6. putant, posse summum Pontificem committere simplici Sacerdoti talem Chrismatis benedictionem, cum possit ex dicendis cap. seq. eidem committere hujus Sacramenti administrationem: quam sententiam probabilem reputare videtur Croix n. 378. Communior tamen, & probabilior sententia est, benedictionem Episcopalem necessario requiri in Chrismate, ut sit apta materia hujus Sacramenti; imo omnes fere Doctores id docere, ait Suar. disp. 33. sect. 2. apud Pal. n. 7. colligiturque ex Concil. Rom. sub Silvestro cap. 3. Tol. I. cap. 20. Carthag. II. cap. 13. Carthag. III. cap. 36. & potissimum ex Flor. in *Decr. Fidei*, textu superius exposito: vid. Pal. n. 7.

Quamvis necessario requiratur Chrismatis consecratio; modus tamen consecrandi non est jure divino signatus, sed Ecclesiæ remissus, & solum jure divino consecrandum & benedicendum est Chrisma invocatione Divini Spiritus. Poterat quidem Ecclesia ita decernere modum consecrandi Chrisma, ut quilibet alius foret irritus, & sacrilegus: quia tamen de hac intentione non constat, nec id conveniens erat; ideo quælibet benedictio Chrismatis facta ab Episcopo sufficiens est ad habendam aptam materiam hujus Sacramenti: grave tamen peccatum committeretur, omittendo ritum ab Ecclesia præscriptum: Suar. Bonac. plures referens, Con. Laym. Pal. n. 9. sicuti graviter etiam peccaret Episcopus, quamvis Sacramentum conficeret, si confirmaret in Chrismate vetere, seu anni præced. omisso novo: Chrisma enim singulis annis in die Cœnæ Domini consecrandum est, veteri combusto, ex Fab. Pap. *epist.* 2. Probabilius est ad benedictionem Chrismatis necessarios esse Sacerdotes simul cum Episcopo; nam in Rituali Romano de illis dicitur, quod sint, & testes, & cooperatores, jubenturque post Episcopum insufflare, signare, osculari ampullam; &c. non ita Diaconos, & Subdiaconos, qui vocantur Ministri tantum, & Assistentes.

Materia proxima est *Unctio Chrismatis benedicti in fronte Confirmandi, in formam Crucis manu Episcopi facta:* quæ omnia sunt de necessitate Sacramenti, ut est communis sententia Doctorum id comprobantium ex usu, & traditione Ecclesiæ, & ex variis Conciliorum Decretis, præcipue ex Flor. sub Eug. IV. in Decr. *ad Arm.* Hinc infers

Primo, nullimode satisfacere Episcopum, si confirmandum signet cruce, & deinde ungat, quia non haberetur unctio in formam Crucis, quæ necessaria est tum ex Flor. cit. tum ex Innoc. I. & Greg. I. relatis in cap. *Presbyteris, de Consecrat. dist.* 4. & ex Stephano Pap. relato in cap. *Numquid, de consecrat. dist.* 5. Congruentia autem hujus institutionis est, quia hac Sacramentali Unctione munimur ad Christi Crucem palam confitendam; & idcirco conveniens fuit, ut talis unctio fieret in formam Crucis: D. Th. Suar. Con. Bonac. Laym. apud Pal. p. 3. n. 2.

Secundo, Unctio non in fronte, sed alibi non sufficere ad Sacramentum, colligitur ex usu Ecclesiæ ab antiquis PP. comprobato, præsertim Tertull. Dionys. Cyril. Hierosol. Greg. Turon. Aug. constat etiam ex Inn. III. in cap. un. *de Sacra Unct.* & ex Concil. Flor. in Decr. *Armen.* Vide Pal. n. 3.

Tertio, licet Henr. Vivald. &c. putent, hanc Unctionem fieri posse medio aliquo instrumento, puta penicillo, hæc tamen sententia non videtur probabilis, ut ais Croix n. 380. quamvis probabilem eam agnoscere videatur Dicast. apud cit. Croix; nam impositio manuum Episcopalis, per quam solam legimus in Actis Apost. collatam Confirmationem, dicenda est partialis materia necessaria hujus Sacramenti, ut docent D. Th. Scot. Gabr. Sot. Suar. & alii apud Aversa contra nonnullos. Quod autem unctio facienda sit pollice dexteræ manus, hoc habetur pro præcepto Ecclesiæ, non ex institutione Christi: Suar. Con. Laym. Bonac. apud Pal. n. 4. Quare validum conficeret Sacramentum, quamvis graviter peccaret Episcopus, si alio digito ungeret contra universalis Ecclesiæ morem: ita Busemb. quamvis Nugn. Dian. Dicast. apud Croix n. cit. dicant, non satis constare, quod Episcopus graviter peccaret, si absque causa uteretur alio digito, quam pollice dexteræ manus. Addit Aversa apud Croix ib. quod si laboraret pollice dexteræ manus, licite ungeret alio digito.

Forma autem Sacramenti Confirmationis est, *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Constat ex Flor. *in Decr. cit.* sub Eug. IV. Ratio desumenda est ex institutione Christi nobis declarata ab usu, & traditione Ecclesiæ perpetua: congruentia vero hujus institutionis desumitur ex fine, & effectu hujus Sacramenti, ut recte explicat D. Th. cum enim hoc Sacramentum institutum sit ad designandos Fideles in Christi milites; & ad dandum illis speciale robur, ut Fidem Christi palam, & absque ullo timore, aut verecundia confiteantur; conveniens fuit, ut hæc omnia per formam hujus Sacramenti explicarentur: nam verbis illis *Signo te signo Crucis* declaratur signaculum Crucis fronti Confirmandi appositum, ejusque animæ charactere indelebili spiritualiter impressum: illis vero *Confirmo te Chrismate salutis* significatur robur acceptum: &, quia robur hoc, & signaculum sunt ad fidem Christi palam confitendam, conveniens fuit, ut exprimeretur præcipuum fidei mysterium, quod est SS. Trinitatis, & Unitatis Divinæ Essentiæ. Supradicta forma essentialis est quoad omnes sui partes; nam Concilium Flor. exacte formam hujus Sacramenti describens, supradicta verba statuit: credidit ergo esse essentialia: aliter non essent formæ partes.

Dicendum igitur, quod in forma Confirmationis necessario exprimi debeat non solum persona confirmans, saltem implicite, & persona confirmanda: sed etiam signaculum Crucis, Unitas Essentiæ Divinæ, & Trinitas Personarum, & Unctio Chrismatis. Addit Pal. p. 5. n. 6. ex Suar. fieri mutationem substantialem in dicta forma, si proferatur modo deprecativo; quare indicativo, seu imperativo modo necessario proferendam esse dicit. Apud Græcos forma Confirmationis est, *Signaculum donationis Spiritus Sancti*, omisso verbo more Græcorum, & sensus est, *Hoc signo donantur munera Spiritus Sancti:* quam formam validam esse, & continere omnia, quæ sunt de essentia, fuse probat Arcud. l. 2. c. 7. & declaravit Urban. VIII. apud Illſ. *de Sacram.* n. 7. Et, quamvis Græci in conferendo hoc Sacramento ungant non solum frontem, sed etiam oculos, nares, os, aures, pectus, manus, & pedes; Arcud. tamen loc. cit. testatur, ex eorum mente opus non esse, nisi ungere tantum frontem.

Pro explicandis variis canonibus Conciliorum, & dictis SS. PP. notandum cum Croix num. 381. & Gorm. hic n. 5. varias ab initio Ecclesiæ fuisse manuum impositiones: Primo erat Curativa, de qua Marc. ult. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Secundo, Reconciliativa, cum qua dabatur absolutio sacramentalis Pœnitentibus, præsertim publicis: Tertio, Ordinativa, per quam ordinabantur Ministri Ecclesiæ. Quarto, Confirmativa, per quam conferebatur Sacramentum Confirmationis. Similiter variæ fuerunt Unctiones. I. Altarium, Calicum, & aliorum pro usu Ecclesiæ. II. Baptizatorum in vertice. III. Exorcizandorum ad expellendum dæmonem: IV. Ordinandorum in vertice, & digitis. V. Moribundorum, quæ est Extrema Unctio. VI. Confirmandorum, de qua hic sermo est. Hinc facile explicatur, ita ut Catholicæ veritati minime obsit, locus

locus cæteroquì difficilis Aug. lib. 3. *de Baptismo* c. 16. ubi ait, *Manus impositio, non sicut Baptismus, repeti non potest, quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?* Explicatur, inquam, dicendo cum Pal. p. 6. n. 4. quod ibi August. loquatur de manus impositione, qua hæretici pœnitentes reconciliantur, & in eorum favorem Divinus Spiritus exoratur manus impositione: quod enim ibi non loquatur de manus impositione, quæ est Sacramentum Confirmationis, certum est: aliter sibi contradiceret: nam lib. 2. *contra Epistol. Petiliani* expresse asserit, Confirmationem, sicut & Baptismum, repeti non posse.

CAPUT II.

De Ministro Confirmationis.

FIDE Catholica certum est, Ministrum ordinarium Confirmationis esse solum Episcopum: constat ex Flor. *in Decr. Fid.*, & Trid. *sess.* 7. *can.* 3. dicente, *Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemlibet simplicem Sacerdotem; anathema sit:* & *sess.* 23. *c.* 4. signatur, ut proprium Episcoporum munus, Confirmationis ministratio: & *Can.* 7. anathemate damnatur asserent, confirmandi potestatem communem esse Episcopis, & Presbyteris. Colligitur hæc veritas ex *Act.* 8. & 19. ubi soli Apostoli leguntur Spiritum S. per manus impositionem Fidelibus communicasse, signum ergo est, nullum alium simplicem Sacerdotem hanc potestatem habuisse. Congruentia autem est, quia Episcopi sunt Ecclesiæ Duces, & ad Duces spectat eligere, & consignare milites. Hinc sequitur, quod Episcopus, etiamsi sit hæreticus, excommunicatus, depositus, aut degradatus, valide, quamvis illicite, hoc Sacramentum ministrat, quia characterem Ordinis, a quo hæc potestas provenit, nunquam amittit: Suar. Bonac. Pal. p. 8. num. 2.

Dixi, *Ministrum ordinarium esse solum Episcopum;* nam ex delegatione solius summi Pontificis potest simplex Sacerdos confirmare. Colligitur ex facto Gregorii lib. 3. epist. 26. cum enim hic Pontifex præcepisset Presbyteris Sardiniæ, ne confirmarent, cumque ob tale præceptum scandalum oriri cerneret, *Nos quidem*, inquit, *secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed, si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi desunt Episcopi, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus*. Consentit Flor. *in Decr. Eug.* ubi inquit, *Legitur tamen aliquando, per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum:* vid. Pal. p. 9. num. 3. Laicis vero, aliisve Clericis Sacerdote inferioribus, nullatenus hæc potestas committi potest, nec Sacerdotibus ipsis ab alio præter summum Pontificem, ut constat ex usu, & consuetudine Ecclesiæ, qua declaratur institutio Christi; nunquam enim legimus, Episcopos hanc facultatem Sacerdotibus concessisse, aut summum Pontificem concessisse Clericis Sacerdote inferioribus. Imo, quamvis aliquibus Abbatibus concessa sit facultas exercendi omnia Pontificalia, excepta collatione Ordinum, & consecratione Altarium, & Ecclesiarum, non comprehenditur tamen sub tali concessione facultas confirmandi ex declaratione Greg. XIII. ap. Lug. *resp. mor.* l. 1. d. 7. v. Croix n. 385. At poterit Pontifex hanc facultatem Presbyteris concedere, eo ipso ac electus est Papa, etiamsi Ordinibus careat; licet enim ipse tunc confirmare non possit; potest tamen facultatem confirmandi concedere iis, qui sunt capaces talis facultatis: hæc enim concessio non est actus Ordinis, ut est actus confirmandi, sed jurisdictionis.

Quæres primo, An, & Quando teneatur Episcopus hoc Sacramentum administrare?

Respondeo, Quemlibet Episcopum obligatum esse hoc Sacramentum, per se, vel per alium in propria Diœcesi ministrare, itaut, si longo tempore differat, peccet graviter, quia privat subditos ingenti bono: Suar. Tolet. Barb. Laym. Busemb. Pal. p. 9. n. 13. Hinc tenetur propriis expensis (nisi longa, & rationabilis consuetudo fecerit jus exigendi tales expensas: Gob. apud Croix n. 388.) circumire Diœcesim, & saltem ad loca præcipua accedere, ad hoc Sacramentum ministrandum; nam, si solum in Cathedrali ministraret, plures ex Diœcesi sine Confirmatione remanerent: Pal. ib. Hinc, si ad octo, vel decem annos differat circumire, & hoc Sacramentum ministrare, peccat graviter, nisi excuset moralis impossibilitas. Neque obest, quod, qui omittit suscipere, ex dicendis cap. seq. non peccat; nam etiam, qui omittit sæpius confiteri, aut communicare per annum, non peccat; & tamen Parochus nolens ei Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ Sacramentum ministrare, graviter peccat: ergo similiter Episcopus. Ratio utriusque est, quia tenetur ex officio, & stipendio: Croix ibid. Addit Dicast. quod, si adsit rationabilis causa omittendi, non sit damnandus, qui ad tres, vel plures annos differat. Præterea debent Episcopi confirmare etiam in carcere illos, qui educendi sunt ad supplicium, si petant, & infantes jam morituros: D. Thom. D. Bonav. Dicast. Gob. Imo Bonac. & Quintan. plures citantes dicunt, mortaliter peccare Episcopum, si moriturum, vel suspendendum petentem non confirmet: sed Escob., Fr. Lug. & alii probabilius negant, esse mortale: imo nullum peccatum esse, ait Croix n. 390. tum ob consuetudinem, tum ob incommoditatem ministrandi hoc Sacramentum cum solemnitate debita.

Quæres secundo, Quid requiratur ex parte Ministri hujus Sacramenti, ut licite illud administret?

Respondeo, Requiri primo, ut sit in gratia, ut constat ex dictis in de Sacram. in genere. Secundo, ut confirmandus sit subditus: quod etiam requiritur ad licitam cujuslibet Sacramenti administrationem, excepto Matrimonio; ut constat ex ib. dictis. Ex præsumpta tamen voluntate proprii Superioris possunt alieni subditi confirmari: unde autem hæc præsumptio colligatur, arbitrio viri prudentis remittitur. Si tibi ordinandum suum subditum non confirmatum proprius Episcopus remittit, censetur velle etiam, ut eum confirmes; Confirmatio enim Ordinibus suscipiendis præmitti debet ex Trid. *sess.* 23. *c.* 4. Laym. Dian. Dicast. n. 130. contra Bon. *de Sacr.* d. 2. p. 2. qui pariter docet, non posse Episcopum confirmare confluentes ex alienis Diœcesibus sine speciali licentia propriorum Episcoporum, contra Pal. Laym. & alios ap. Croix n. 392. imo id fieri posse sine ullo scrupulo, docent Dian. p. 4. t. 4. r. 50. & Steph. t. 5. d. 3. n. 1. quia hoc gratum est aliis Episcopis, & ratum habent, ut probat praxis. Tertio, ut in propria Diœcesi hoc Sacram. ministret; aliter, si in aliena Diœcesi sine illius Episcopi licentia etiam proprium subditum confirmet, graviter peccat, & suspensionem ab exercitio Pontificalium incurrit: Sa, Henr. Barb. ex Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. *de Reform.* Quarto, ut sit jejunus cap. *Ut jejun.* cap. *Ut Episcop. de Consecrat. dist.* 5. Verum hoc non est præceptum, sed consilium: imo id abrogatum esse, ait Croix n. 389. ex Aversa. & Gob. num. 769. hinc, si justa causa adsit, qualis esset ex Pal. num. 11. ingens numerus confirmandorum, improbari non debet usus ministrandi hoc Sacramentum a prandio: Croix numer. 389.

Quæres tertio, Quibus ritibus, & cæremoniis teneatur Episcopus hoc Sacramentum ministrare?

Respondeo, Teneri ad servandos ritus, & cæremonias ab Ecclesia præscriptas, idque sub gravi, nisi excuset parvitas materiæ. Tales autem cæremoniæ aliæ antecedunt, aliæ comitantur, aliæ subsequuntur Confirmationem.

Ex antecedentibus, Prima est consecratio Chrismatis ex oleo, & balsamo constantis facta ab Episcopo, quæ cæremonia ex dictis cap. præc. requiritur etiam ad valorem hujus Sacramenti. Secunda est designatio Patrini facienda sub gravi culpa, ut docet Nav. ex communi, a parentibus, &, in eorum defectu ab Episcopo: Gob. n. 788. qui Patrinus cum Confirmante eandem cognationem spiritualem contrahit cum Confirmato, ejusque parentibus, ac contrahitur in Baptismo a Patrinis & Baptizante cum Baptizato, ejusque parentibus; de qua fuse in de Matr. ubi agemus de impedimento cognationis. Ubi tamen facile non habetur Patrinus, omitti potest juxta Gob. n. 786. In confirmatione non debet admitti unus, & una; nam id tantum pro Baptismo fuit a Trid. permissum, sed debet esse unus tantum; & secundum usum Ecclesiæ, & ritum Pontificalis Romani, ejusdem sexus, cujus est confirmandus: Croix ex Aversa num. 399. debet insuper esse confirmatus: secus non valide Patrini munus exercebit, nec cognationem spiritualem contrahet: Suar. Sanch. Oppositum probabile esse, dicit Croix n. 400. graviter tamen peccabit juxta communem sententiam, quamvis Escob. ex Con. a mortali excuset. Item debet esse diversus a Patrino Baptismi saltem extra necessitatem, quamvis Bonac. & Hurt. negent, & secus facientem non peccare mortaliter, dicat Dian. p. 3. t. 4.

c. 4. ref. 21. Non Monachus, nisi factus Episcopus, & nisi confirmandus esset pariter Monachus; licet Quint. admitti posse dicat sine culpa, & Monachos, & Moniales, nisi in eorum Religione sit prohibitum. Demum una eademque die nemo potest esse Patrinus nisi duorum tantum: ita cavetur in Pontificali: at, si sit vir probus, & maxime Ecclesiasticus, in quo nulla adsit malitiæ præsumptio, poterit eadem die esse Patrinus plurium: Marc. Ant. Genuens. *in manu pastor. cap. 54. n. 6.* quem refert, & sequitur Barb. 2. part. *de potest. Episc. alleg. 30. n. 52.* Patrinum Confirmationis non contrahere obligationem saltem gravem instruendi confirmatum, docent communiter Doctores: Tertia cæremonia antecedens sunt plures orationes, quibus Confirmandus disponitur, & Confirmationis institutio, & effectus declaratur. Quarto loco numerari posset jejunium servandum tam a Confirmando, quam a Ministro ex cap. *Ut jejunii*: sed de hoc vide dicta superius.

Ex concomitantibus primo numerandus est locus. Hic debet sub gravi culpa esse Ecclesia, ut testantur Doctores apud Castropal. punct. 10. num. 7. qui tamen probabile esse ait, confirmationem conferri posse sine culpa extra Ecclesiam in loco decenti: & ita tenent etiam Suar. Henr. Bonac. Sa, Barb. Secundo, Tempus, quod antiquitus erat sola vigilia Resurrectionis, & Pentecostes, quibus diebus dumtaxat Confirmatio ministrabatur. At hæc cæremonia consuetudine abrogata est, & quolibet die, sive festo, sive feriali ministrari potest, quia sic usus obtinuit. Tertio, Vestes sacræ, quibus Episcopus ornari debet, ad hoc Sacramentum ministrandum, nimirum Pluviali, Mitra, Stola, & Baculo pastorali ex quodam responso Sacr. Congr. apud Barb. 3. p. *de pot. Ep. all. 30. num. 11.*

Inter cæremonias vero Confirmationem subsequentes, Prima est Confirmati frontem vitta ligari, ne Chrisma defluat, sed exsiccetur, quæ tamdiu retinenda est, quamdiu fuerit consuetudo loci: pluribus tamen in locis statim post confirmationem frons confirmati in fonte baptismatis abluitur, & vitta deponitur, quæ alicubi solet comburi, & in profluentem mitti: alibi tota asservatur ad similem usum: nunquam tamen profanis usibus applicari debet. Secunda est levis alapæ inflictio in signum, quod Confirmatus paratus esse debet ad injurias constanter pro Christo sustinendas, & in memoriam suscepti Sacramenti, ne illud audeat iterare. Hujus cæremoniæ omissionem, secluso scandalo, non reputant mortale Suar. Val. Con. Sa. Tertia est cereus accensus in signum, quod semper vivam Fidem conservare debet Confirmatus. Hæc cæremonia est tantum consuetudine introducta, sed non sub gravi obligatione, ut testatur Emm. Sa. Quarta, sunt plures orationes, quibus Confirmatus admonetur de suscepta obligatione servandi constanter Fidem, & Charitatem augendi. Quinta est admonitio, ne Confirmati ante ultimam benedictionem Episcopalem e loco Confirmationis discedant. Hæc tamen admonitio omittenda est, quando numerosus populus ad Confirmationem confluit; durum enim est omnes obligare, ut in Ecclesia usque ad finitam omnium Confirmationem immorentur.

CAPUT III.

De Subjecto Confirmationis.

QUILIBET homo baptizatus cujusvis ætatis est subjectum hujus Sacramenti capax, cum quavis ætate capax sit effectus hujus Sacramenti: hoc ipso enim, quod per baptismum est spiritualiter genitus, potest crescere, roborari, & ad Fidem tuendam armari, quamvis actu ex defectu ætatis ineptus sit ad pugnam. Constat ex usu antiquo Ecclesiæ hoc Sacramentum ministrantis baptizatis omnibus statim post baptismum. Unde sequitur, ad hoc Sacramentum valide suscipiendum non requiri propriam suscipientis voluntatem in iis, qui voluntatem propriam non habent, seu rationis usu carent, sed sufficere voluntatem Christi, & Ecclesiæ, ut dicitur in Baptismo.

Quamvis vero omnes baptizati etiam ante rationis usum sint Confirmationis capaces; in præsenti tamen non expedit, eam ministrari infantibus ante usum rationis, nisi sint jam morituri, ut c. præc. innuimus, vel nisi ob absentiam Episcoporum, aliamve causam timeretur longo tempore post usum rationis Confirmationem esse differendam; vel infantem sine Confirmatione decessurum, vel nisi adsit Diœcesana consuetudo confirmandi pueros ante usum rationis: Pal. p. 7. n. 5. cum Suar. Con. Laym. additque Suar. disp. 35. sect. 2. quod non peccaret graviter Episcopus, si ob benevolentiam, aliamve similem causam puerum ante rationis usum confirmaret, quia consuetudo expectandi usum rationis non videtur introducta esse cum tanto rigore. Ratio, cur expediat regulariter expectare usum rationis ad hujus Sacramenti susceptionem, est, quia sic decentius suscipitur, & cum majori fructu, & absque periculo reiterationis. Dixi, *In præsenti, &c.* ne viderer improbare antiquum Ecclesiæ usum confirmandi infantes statim post baptismum; tunc enim id conveniens erat ob penuriam Episcoporum, & paucitatem Fidelium, quibus de causis bis tantum in anno extra necessitatem baptismus, & statim post Baptismum Confirmatio ministrabatur: at multiplicato Episcoporum, & Fidelium numero cessavit consuetudo conjungendi confirmationem cum Baptismo, eaque bis tantum in anno ministrandi, & successit Confirmationis ministratio, prout magis expedit, tum reverentiæ Sacramenti, tum Fidelium utilitati: Castrop. n. 5. In locis tamen Missionum, & inter hæreticos, quo rarius accedunt Episcopi, convenienter confertur etiam infantibus: Croix n. 391. nam etiam Græci, testa Arcud. l. 1. c. 13. statim post baptismum infantes confirmant.

Quæres primo, An perpetuo amentes possint confirmari?

Respondeo affirmative cum Suar. Henr. Laym. Con. Dicast. num. 92. apud Croix loc. cit. contra Sotum, Val. Merat. sed attendendam esse consuetudinem ait Croix, quam tamen aliqui dicunt non obligare, si alicubi adsit non confirmandi, quia id pendet a libera voluntate Episcoporum. Excipe, nisi spes adsit, eos usum rationis habituros, quia tunc differenda esset confirmatio ad usum rationis, ut dicitur de infantibus. Neque obstat, quod amentes non habeant voluntatem suscipiendi Sacramentum: nam pro carentibus perpetuo usu rationis sufficit voluntas Christi, & Ecclesiæ, ut in baptismo: pro iis vero, qui aliquando usum rationis habuerunt, & christiane vixerunt, sufficit voluntas interpretativa, ea nimirum, quæ censetur esse in quolibet Christiano suscipiendi suæ salutis remedia, dummodo de voluntate contraria non constet.

Quæres secundo, An, & qualis sit obligatio suscipiendi Confirmationem?

Respondeo, Quadruplicem Sententiam minus veram numerari a Castrop. p. 8. Prima asserit, absolutam dari jure Divino obligationem suscipiendi Confirmationem: tribuitur Scoto, Ricard. Valdens. Verum hi Doctores, teste cit. Pal. solum asserunt, hoc Sacramentum contemni ab iis, qui, data opportunitate illud recipiendi, sine causa omittunt. Secunda limitat primam, ut procedat eo casu, quo publice coram tyranno Fides est confitenda, eus sententiæ favere videtur præceptum latum Apostolis Luc. ultim. ne e civitate exirent, donec induerentur virtute ex alto, hoc est, donec Spiritu Sancto munirentur. Ita sustinent Dur. Marsil. Turrecrem. Tertia admittit obligationem suscipiendi hoc Sacramentum, non Divinam, sed Ecclesiasticam: ita Alex. Ales, Bonat. Palud. Sylvest. id colligentes ex variis decretis *de Consecrat. dist.* 5. Quarta limitat dictam obligationem solum ad casum, quo suscipienda sit prima Tonsura ex Trident. *sess. 23. cap. 4. de Reform. Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Verum communis, & probabilior sententia negat, ullam per se obligationem esse, sive ex jure Divino, sive ex Ecclesiastico suscipiendi Confirmationem: D. Th. Abb. Covar. Henr. Suar. Val. Con. Laym. Bonac. & alii plures. Ratio est, quia non sunt imponendæ obligationes, & præcepta sine fundamento: nullum autem fundamentum est, ex quo colligi firmiter possit talis obligatio. Et, quamvis Dicast. hic num. 105. ex variis Conciliis, & dictis SS. PP. colligat, fuisse olim præceptum Ecclesiasticum obligans ad susceptionem Confirmationis, recte tamen docet dub. 11. ap. Croix num. 195. nunc per desuetudinem desiisse tale præceptum. Textus Trid. cit. pro initiandis prima tonsura, vel non continet præceptum, sed meram admonitionem juxta Suar. Nav. Con. Regin. Laym. vel non continet præceptum obligans sub gravi ob levitatem materiæ, ut vult Pal. num. 6. in fin.

Notat hic Croix num. 402. quod Parochi debent mone-

monere populum de irreiterabilitate Confirmationis (ejus vero reiteratio, quamvis sit grave peccatum, non tamen inducit irregularitatem, quia jus id tantum statuit in baptismo) & de cognatione spirituali, quæ contrahitur in hoc Sacramento: unde, si habere non possit, ut in librum referat nomina Confirmatorum, Parentum, & Patrinorum, saltem, dum matrimoniales contractus celebrantur, debet diligenter inquirere, num inter contrahentes sit aliqua cognatio spiritualis contracta, vel in Confirmatione, vel in Baptismo.

DISPUTATIO IV.

De Eucharistia.

Cum Eucharistia, & Sacramentum sit, & Sacrificium, in duas quæstiones præsens disputatio dividenda est, quarum I. erit De Eucharistia, quatenus Sacramentum est: II. De Eucharistia, quatenus est Sacrificium.

QUÆSTIO I.

De Eucharistia, quatenus Sacramentum est.

Agemus hic I. De Nomine, Institutione, Quidditate, & Natura Eucharistiæ: II. De Materia, & Forma: III. De Ministro: IV. De Subjecto: V. De Obligatione suscipiendi Eucharistiam.

CAPUT I.

De Nomine, Institutione, Quidditate, & Natura Eucharistiæ.

Eucharistia, quæ vox græca est, græce idem sonat, ac latine *Bona gratia*. Appellatur hoc nomine tale Sacramentum, tum quia continet Christum gratiæ fontem; tum quia per ipsum uberior gratia, quam per alia Sacramenta conceditur; tum denique quia est pignus Vitæ æternæ, quæ gratia appellari solet juxta illud Paul. ad *Rom. 6. Gratia Dei Vita æterna*. Aliis etiam nominibus appellatur: dicitur enim *Viaticum*, quia morituris viam parat ad gloriam, *Synaxis*, latine *Communio*, quia per eam cum Christo Capite, & inter nos ipsos conjungimur, & unimur, *Panis vitæ, & intellectus*, quia vitam causat, & intellectum illuminat, *Panis Cælestis*, seu *Qui de cælo descendit*, quia continet Christum de cœlo descendentem. Aliis etiam nominibus SS. PP. hoc Sacramentum explicant, ut videre est apud D. Th. 3. p. q. 73. a. 4. Abstinendum tamen esse a nomine *Cœna Dominica*, recte admonet Vasq. nam eo utuntur Hæretici ad denotandum, Eucharistiam nihil aliud esse, quam Cœnæ usualis figuram, ac mortuam repræsentationem. Quamplures hæreses circa hoc venerabile Sacramentum in Ecclesia exortas videre quis per otium potest apud Croix a num. 405.

Hoc Sacramentum institutum fuisse a Christo Domino in ultima Cœna illius noctis, in qua traditus fuit in mortem pro nostrorum peccatorum satisfactione, testantur Evangelistæ Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Nam Jo: 6. solum promittitur hujus Sacramenti institutio. Institutum igitur fuit die 14. Lunæ vicinioris æquinoctio verno die Jovis, quando juxta Legem Moysis comedendus erat Agnus Paschalis: & quidem institutum fuit post dictam cœnam legalem agni, ut figura præcederet veritatem, & post lotionem pedum, cœnantibus Discipulis cœna usuali, & communi, in qua Judas intinxit manum in paropside cum Christo. Unde manifeste colligitur, Christum Dominum consecrasse in azymo, ut facit Ecclesia latina, non in fermentato, ut facit Ecclesia græca: cum enim hoc Sacramentum instituerit primo die Azymorum, quando vetitum erat comedere fermentatum, & eum panem usualem consecraverit, dicendum, quod consecraverit azymum, aliter Christus Dominus dicendus esset transgressor legis prohibentis tunc usum panis fermentati, si in fermentato consecrasset. Suar. disp. 41. putat, cœnam communem fuisse post institutionem Eucharistiæ: at Becanus ex Maldonato dicit, primo fuisse cœnam legalem, secundo cœnam communem, tertio lotionem pedum, quarto cœnam Eucharisticam, quinto discessum Judæ, sexto concionem Domini. Porro fines, ob quos Christus Dominus hoc Sacramentum instituerit morti proximus, traduntur a Trid. *sess.* 13. *c.* 2.

Definitur Eucharistia *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum*. Hæc definitio colligitur ex Trid. loc. cit. estque adæquata per genus, & differentiam; nam ratio Sacramenti divinitus instituti est genus, cum sit ratio communis omnibus Sacramentis: reliqua verba continent differentiam.

Hinc sequitur primo, Ad hujus Sacramenti intrinsecam constitutionem pertinere tum species panis, & vini, ut continentes verum, & reale Christi Corpus, tum ipsum verum, & reale Christi Corpus, ut contentum sub speciebus; neque enim solæ species, neque solum Corpus Christi, sed ut contentum sub speciebus sunt spiritualis animarum cibus, & alimentum. Præterea species a Christo separatæ non sunt adorabiles adoratione latriæ, qua adoratione adorandum est hoc Sacramentum ex Trident. *sess.* 13. *c.* 5. neque Christus, seclusis speciebus, est nobis signum sensibile, quale debet esse quodlibet Sacramentum: & ita docent D. Th. Suar. Vasq. Laym. variis PP. & Conciliorum testimoniis doctrinam hanc confirmantes.

Sequitur secundo, Verba consecratoria esse partem essentialem hujus Sacramenti, & non merum requisitum, vel causam extrinsecam, ut docent Sot. Con. Pal. p. 2. n. 5. Ratio est, quia quodlibet Sacramentum constat rebus, & verbis: ergo etiam Eucharistia. Adde, Eucharistiam in fieri constitui ex verbis consecratoriis, ut patet: ergo etiam in facto esse; aliter diversum esset Sacramentum Eucharistiæ, quod fit, & quod perseverat. Neque dicas, transactis verbis consecratoriis haberi, & perseverare integrum Sacramentum, quin habeantur verba consecratoria: nam hæc, quamvis non perseverent physice, perseverant tamen moraliter: quæ moralis perseverantia sufficit ad constitutionem Sacramenti: sic, quando confertur absolutio Sacramentalis, perseverat moraliter confessio, quæ est pars essentialis Pœnitentiæ, & multoties, quando advenit consensus unius Conjugis, moraliter tantum perseverat consensus alterius Conjugis, qui constituit Sacramentum Matrimonii. Dicuntur autem moraliter perseverare verba consecratoria, quatenus vi ipsorum perseverat significatio, & existentia Corporis Christi sub speciebus Eucharisticis ad nutriendam animam.

Sequitur tertio, Sumptionem nullo modo esse partem constitutivam hujus Sacramenti, sed solum ejusdem applicationem, & conditionem necessariam, ut illud causet in actu secundo effectum: D. Th. Scot. & alii communissime contra Dicast. docentem pertinere ad completam Sacramenti essentiam. Ratio desumitur tum ex Flor. *in Decret. Eug. IV. ad Armenos* dicente, quod Sacerdos verbis Consecrationis conficiat Eucharistiam; tum ex Trid. *sess.* 13. *de Euchar. can.* 4. *&* 6. definiente, Christum esse in Eucharistia ante usum: ergo ante usum habetur Eucharistia; *& can.* 7. Eucharistiam asservari in Sacrario: ergo Eucharistia est sine usu. Nec valet paritas desumpta ab aliis Sacramentis; in quibus usus non est mera applicatio, seu conditio, ut Sacramentum causet effectum, sed est pars ipsius constitutiva. Nam in iis, quæ pendent a libera voluntate alterius, nullum est argumentum a pari: natura vero, & virtus Sacramentorum pendet unice a libera voluntate Christi Domini, quæ nobis innotescit per Scripturas, Concilia, & PP. Ut Eucharistia causet effectum suum, non sufficit sumptio, quæ consistat in mera positione Eucharistiæ intra os, ut putavit Becan. neque consistent in sola trajectione in certam partem faucium, ut putavit Suar. cui favet Busemb. sed requiritur, ut aliqua pars specierum Eucharisticarum immediate tangat; & ita recipiatur in stomacho, tanquam primario nutritionis instrumento, ut facile inde revocari non possit: Croix num. 415. cum Lug. Compt. Gonet. Escob. Averf. quia tunc prius censetur habere rationem symbolicam cibi, & potus spiritualis: unde fit, quod, si quis tamdiu retineret species in ore, ut dissolverentur, aut si moreretur, antequam hostia in stomachum descenderet, non reciperet gratiam Sacramenti. Quid vero dicendum de Eucharistia per miraculum posita in stomacho sine sumptione? Variant Doctores. Suar. Compt. Rayn. Gon. & alii dicunt, in tali casu non esse causandam gratiam ab Eucharistia, quia deest manducatio, & Christus hoc Sacramentum instituit pro manducantibus. Econtra

Lug.

Lug. Rhod. & alii dicunt, causandam esse gratiam, si talis homo consentiat in illam positionem Eucharistiæ in stomacho; nam debet esse illi volontaria, & ratio, cui innituntur, est, quia cibus naturalis sic miraculose positus in stomacho adhuc nutriret: ergo dici etiam potest, quod Spiritualis sic positus nutriat: v. Croix num. 416.

Sequitur quarto, Corpus, & Sanguinem Christi sub speciebus Panis, & Vini esse unum specie integrum, ac perfectum Sacramentum, non vero plura: D. Thom. Suar. Vasq. Laym. Bonac. cum cæteris Scholasticis. Colligitur ex Trid. *sess.* 7. *can.* 1. defin. Sacramenta novæ Legis esse septem, nec plura, nec pauciora: si Corpus Christi sub speciebus Panis esset Sacramentum adæquate perfecte distinctum a Sanguine contento sub speciebus Vini, jam essent plura septem. Idcirco etiam Pius V. in Cathech. dixit, *Eucharistiam non plura, sed unum tantum Sacramentum, Ecclesiæ auctoritate edocti, confitemur*. Unde autem hæc unitas sumatur, cum signa sint physice omnino diversa, discrepant Doctores: Alii dicunt, desumendam esse ab eadem re sub utrisque speciebus contenta, quæ est Christus. Alii ab eodem effectu, quem utraque species causat. Alii ab unitate Ecclesiæ significata per hoc Sacramentum. Alii ex eo, quod idem pignus Gloriæ per utramque speciem conceditur. Sed cæteris clarior est explicatio desumpta ex unitate finis, ad quem ordinatur utraque species: ordinatur enim hoc Sacramentum ad refectionem animæ per modum convivii, quod ex cibo, & potu integratur: non secus ac unum dicitur Sacramentum Ordinis, quamvis a Subdiaconatu, Diaconatu, & Presbyteratu integretur, quia omnia ordinantur ad idem. Hoc solum discrimen est inter Ordinem, & Eucharistiam, quod, qui recipit Diaconatum, non recipit illam gratiam, quæ est propria Presbyteratus; at qui recipit Eucharistiam sub sola specie Panis, eandem specie gratiam recipit, ac qui eam recipit sub utraque specie, etiamsi verum esset, quod majorem extensive gratiam recipiat, qui sub utraque specie communicat: sicuti eandam specie gratiam recipit, qui semel, ac qui bis communicat, quamvis hic majorem extensiva gratiam recipiat. Numerica vero hujus Sacramenti multiplicitas desumenda est a multiplicitate specierum non physice, sed morali: hinc plures hostiæ asservatæ in eadem Pyxide unum dicuntur Sacramentum: Sacerdos, quia hostiam in tres partes divisam sumit, unum dicitur sumere Sacramentum, quia faciunt unum cibum: contra vero, si eadem hostia in tres, aut plures partes divisa tribus, aut pluribus sumenda daretur, dicerentur tria, aut etiam plura Sacramenta, quia per multiplicem manducationem haberetur multiplex cibus. Unde inferes, non majoram gratiam recipi a suscipiente plures particulas, quam a suscipiente unam; nam moraliter unus cibus est, sive una, sive plures particulæ simul sumantur. Quamvis per hoc, quod Christus Dominus diutius sit in stomacho illius, qui plures simul particulas sumit, majorem successive gratiam in eo causet, supposita sententia Suar. & aliorum, quod Christus Dominus in stomacho existens, tamdiu gratiam causet ex opere operato, quamdiu, qui communicavit, ad illam se disponit per actus meritorios: sicut autem non recipit majorem gratiam, qui plures, ac qui unam tantum hostiam sumit; ita juxta D. Th. q. 80. a. 12. ad 3. contra Pal. Vasq. Lug. nec majorem gratiam suscipit, qui sub utraque specie, ac qui sub una tantum communicat; quia, cum uterque semel spiritualiter reficiatur, uterque unum Sacramentum recipit. At unum est discrimen inter sumptionem duarum particularum simul, & sumptionem specierum Panis, & Vini in eadem Missa, quod illa ita est sumptio unius Sacramenti, ut nullo modo dici possit duorum Sacramentorum partialium; at sumptio specierum Panis, & Vini in eadem Missa dici potest sumptio duorum Sacramentorum partialium, cum diversimode significent refectionem spiritualem, aliæ nimirum per modum Cibi, aliæ per modum Potus; & ex hac ratione non solum physice, & materialiter, ut duæ hostiæ, distinguuntur, sed etiam aliquo modo moraliter: ex qua diversitate morali possunt dici duo Sacramenta, non quidem totalia, cum integrent unum, idemque spirituale convivium, sed partialia. Hinc, qui recipit unam speciem, integram sumit refectionem, quamvis non integre repræsentatam; & in hoc sensu dici potest, quod non sumat integrum Sacramentum, quatenus non sumit omnes species integrantes hoc Sacramentum, & repræsentantes refectionem animæ per modum convivii, quod ex cibo, & potu completur: quamvis integrum Sacramentum recipiat quoad effectum gratiæ ab hoc Sacramento causatum.

Sequitur demum, hoc Sacramentum distingui a reliquis non solum in constitutivis, & effectibus, sed etiam in hoc, quod ejus materia proxima est quid permanens, cum qua moraliter perseverat etiam, ut dictum est, forma, quousque durant species Eucharistiæ, & sub ipsis Corpus, & Sanguis Christi; unde hoc Sacramentum dicitur permanens; quia est perfectum ante usum: at reliqua Sacramenta consistunt in usu, & non recipiuntur, nisi dum fiunt.

Natura hujus Sacramenti cognosci debet potissimum ab ejus virtute operativa, seu ab ejus effectibus. Effectus autem Eucharistiæ plures numerantur. Primarius effectus est augmentum gratiæ. Præter hunc effectum primarium plures causantur secundarii. Primo, Augmentum omnium Virtutum infusarum, quod augmentum sequitur connaturaliter augmentum gratiæ, cujus sunt veluti proprietates omnes habitus infusi. Secundo, Gratiæ actuales, quæ exiguntur a gratia habituali, & habitibus infusis, quæque proinde causantur quidem ab Eucharistia ex opere operato, sed mediate. Tertio, Fervor Charitatis, qui est specialis fructus Eucharistiæ, quæ idcirco dicitur Sacramentum amoris. Quarto, Actualis dulcedo, & delectatio, unde Eucharistia dicitur *Panis cœlestis omne delectamentum in se habens*. Quinto, Debilitatio habituum malorum, & emendatio vitiorum, præsertim libidinis; unde merito ipsi applicatur illud Zachar. 9. v. 17. *Frumentum electorum, & vinum germinans Virgines*: & hinc est, quod dæmon maximam Communionis nauseam soleat injicere impudicis. Sexto, Remissio venialium, ut habet Trid. *sess.* 13. *c.* 2. dummodo suscipiens Eucharistiam non habeat actualem affectum ad illa: qui effectus præstatur ab hoc Sacramento immediate ex opere operato secundum communiorem sententiam, fatentibus Lug. & Dicastill. ad quod Con. Bonac. & Escob. sufficere dicunt virtualem detestationem contentam in ipsa voluntate suscipiendi Eucharistiam, adeoque magis, & intimius se conjungendi cum Christo: quamvis alii requirant aliquam formalem detestationem venialium, quæ excitetur a specialibus gratiis ab Eucharistia causatis, & sic salvant, per Eucharistiam remitti venialia ex opere operato, at non immediate, sed mediate tantum. Septimo. Remissio pœnæ temporalis debitæ peccatis, *Secundum modum devotionis, & fervoris*, ut ait D. Th. Et sana cum venialibus remittitur etiam pars pœnæ ex opere operato: probabile insuper est ex Dicast. quod remittat etiam ex opere operato partem pœnæ debitæ peccatis antecedenter aliunde remissis: Octavo, Præservatio a peccatis etiam mortalibus, ut habent Trid. loc. cit. Cathech. Rom. & SS. PP. apud Lug. qui effectus præstatur ab Eucharistia, quatenus hæc causat ex opere operato illustrationes mentis moventes ad odium peccati, firmat animam in Charitate, imminuit habitus pravos, & exigit auxilia externæ protectionis, ut fuse ex Scripturis, & SS. PP. deducit Lug. Quia tamen hæ gratiæ, & hæc auxilia quoad usum subsunt nostræ libertati, hic effectus non est infallibilis, sed esset, si vellemus cooperari gratiæ divinæ: Nono demum, Æterna gloria: quæ specialiter tribuitur Eucharistiæ, quia Christus per Eucharistiam dat speciale jus ad gloriam: hinc Jo. 6. v. 55. dicitur: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*: v. Croix a n. 678. ad n. 687.

Præter dictos effectus, quos causat in anima, alii etiam causantur in corpore: Primo, Quædam cordis dilatatio, vultus lætitia, oculorum modestia, linguæ refrænatio, maturitas incedendi, externi gestus modesta ordinatio, ac totius corporis reformatio: quos effectus causat mediate, utpote consequentes ad fervorem Charitatis, & ad Virtutes, quas operatur in anima: Secundo, Imminutio fomitis peccati: D. Th. Escob. Lug. Suar. qui putant, hunc effectum causari immediate ab Eucharistia, partim fugando dæmones, ne excitent species objecti turpis, partim comprimendo activitatem humorum, & amoliendo naturales causas ardoris concupiscentiæ: Tertio, Summa unio inter Carnem Christi, & hominis juxta text. nuper cit. unio enim, cujus ibi meminit Apostolus, licet non sit physica, sed moralis tantum, non est tamen per solam Fidem, vel Charitatem tantum, sed quasi realis, & naturalis; quare SS. PP. eam vocant corporalem: Quarto demum, Gloriosa Resurrectio corporis, qui effectus non solum causatur ratione gratiæ, quæ est *Semen gloriæ*; sed etiam specialiter tribuitur Eucharistiæ juxta cit.

eit. textum.... *Resuscitabo eum in novissimo die:* v. Croix a n. 688. ad 690.

C A P U T II.

De Materia, & Forma Eucharistiæ.

SICUT in aliis Sacramentis datur materia remota, & proxima, ita etiam in Eucharistia, sed hoc discrimine, quod io aliis materia remota est quid permanens, proxima vero est remotæ usus, qui transit; in Eucharistia vero remota transit, quia convertitur in Corpus, & Sanguinem Christi Domini, proxima manet, nempe species Panis, & Vioi. Porro remota materia hujus Sacramenti est Panis, & Vinom: est de Fide, & peobatur ex institutiona Christi Matth. 26., & Luc. 22. Utraque hæc materia est ita necessaria ad hoc Sacramentum conficiendum, ut nuoquam, per se loquendo, licite una sine alia consecrari possit, qoamvis valide consecraretur, idque de jure divino; quia ratio Sacrificii, sine quo hoc Sacramentum noo conficitur, exigit utramqoe materiam: Neqoe Pontifex potest io hoc dispeosare: Dixi, *Per se loquendo;* nam per accidens potest dari casos, io quo Sacerdos non peccet unam tantum speciem consecraodo, ut si post coosecratam hostiam animo deficiat, & loquelam perdat; vel in ameotiam incidat, nec sit alius Sacerdos, qui possit Sacrificium perficere; vel si sobitum periculum mortis ab hostibus, vel ab incendio immineat, secluso scandalo, & contemptu Fidei, seu Sacramenti; vel, si Sacerdos aquam, aut alium liquorem ignoranter consecraret, nec defectum adverteret, nisi diu post, vel quando vinum simpliciter, aut sioe scaodalo haberi non posset. His suppositis explicandum est, Primo, Qualis debeat esse Panis in materia Eucharistiæ? Secondo, Quale Vinom? Tertio, Quæ conditiones ad materiæ Consecrationem requirantur? Quarto, Quænam sit forma Consecrationis?

§. I.

Qualis debeat esse Panis in materia Eucharistiæ?

SOLUS Paois triticeus est materia necessaria hujus Sacramenti, quia hic solus Panis absolute, & simpliciter panis nuncupatur. Colligitor aperte ex Concil. Flor. *in Decr. Fid.*, & ex peaxi, & traditiuoe Ecclesiæ. Hinc, quaodo Concil. Carthag. relatum cap. *In Sacramento d.* 2. dicit, *In Sacrificio offerri de uvis, & frumento*, per frumentum intelligit triticum, qoia hoc frumento abundat Africa, in qua habitum fuit hoc Cooncilium, ideoqoe illi populi nonnisi tritico ad panem utuntur, & hinc triticum absolute ab iis, sicut etiam ab aliis populis, dicitur fromentum.

Hinc inferes, non esse aptam materiam ad validam consecrationem paoem confectum ex oriza, avena, milio, pisis, fabis, amygdalis, castaneis, aliisque leguminibus, vel arborum fructibus; imo confectum etiam ex hordeo, quia hæc omoia ex commooi usu, & opinione censentur specie distingoi a tritico. Idem dicendum de amydo, quod conficitur ex tritico madefacto, & diu macerato, quia triticum per illam madefactiuncm, & diuturnam maceratiooem non leviter corrumpitur, & quasi io aliam substantiam mutator; unde panis ex eo coofectus panis usualis dici non potest: Pal. hic p. 4. oum. 2. citans D. Th., Vasq., Laym., & alios. Siligo, & spelta sunt saltem materia dubia: quamvis enim plures, & graves Doctores dicant, esse materiam validam consecrationis; alii tamen vel negant, vel dicuot, id non esse certum: vide Croix num. 421., & 422. Hioc mortaliter peccaret, qui in dictis materiis consecraret, cum ex dictis d. t. illicitum sit in Sacramentis cooficiendis sequi opinionem probabilem circa valorem Sacramenti, omissa tutiore.

Panis triticeus consecrationi deservieos debet esse confectus ex aqua naturali, & igoe tostus, quia hic communiter dicitur, & repotatur Panis: hinc confectus ex melle, lacte, oleo, aqua rosacea, butyro, ovis, saccharo, vel ex alio liquore non est materia valida consecrationis: & quamvis Cajet., & aliqui alii doceant, panem subactum lacte esse materiam idoneam consecrationis; certo tamen est illicita, & probabilius invalida: uti & sobactus aqua rosacea, quia oon est panis usualis, sed cum addito, seu dulciarius, vel placenta; ita communiter cum Dian. p. 9. t. 9. ref. 58., & Tann. contra Valent., Sa, & alios. Sic, etiamsi vinum coquere-tur cum pane, nec panis, nec vinum esset consecrabile, quia illud simpliciter non esset Panis, aut Vinum, sed aliquod tertiom artificiale decoctum: Dian. loc. cit. & Croix n. 426. Si tritico, ex quo conficitur paois, admixta sit alia materia, pota hordeum, in quantitate æquali, tota materia erit inepta ad consecrationem, quia, si tuoc fiat perfecta mixtio ex utroque frumento, resultabit ex ea panis, qui neque erit triticeus, neque hordeaceus, sed tertiæ speciei: si vero non fiat perfecta mixtio, erit panis partim triticeus, partim hordeaceus, sed, quod fuerit triticeum, non erit consecrabile, quia non poterit præ hordeaceo demonstrari. Quod si parum aliquid hordei, aut alterius frumenti admixtum sit tritico, ex quo conficitur panis, hoc modicum censebitur absumi a plurimo, ait D. Th. apud Croix 424.

Hinc inferuot Gob., & alii, quod si sal per errorem admisceatur, licet possit talis Panis consecrari etiam extra casom specialis peculiaris; vix enim uoquam accidet, ut paois conficiatur ex puro purissimo tritico, sioe ulla etiam modicissima immixtione alterius materiæ: probabile tamen est, quod in tali casu parva illa quantitas rei alienæ, quæ una cum tritico efficit panem usualem, quæque seorsim a tritico non esset consecrabilis, reisa consecretur io Corpus Christi: ita Lug., & Bernal, contradicentibus etiam probabiliter Suar., Amic., Hort., Avers. v. Croix o. 425.

Demum hostiæ rubræ, quibus sigillantur literæ, non sunt materia consecrationis, quia per admixtionem cinoabaris multum alterantur: ita Lug., & Busemb. At Ant. Perez limitat, si multum cinnabaris sit admixtum; si autem valde parum, probabile esse dicit, quod sit materia valida, quamvis illicita. Paois subactus aqua marina ineptus ad consecrationem reputatur a Fag., contradiceote Diana p. 9. t. 9. ref. 58., qui dicit, aquam marinam esse aquam naturalem.

Ut Paois sit usualis, debet coqui, vel in furno, vel supra cineres, vel inter ferri calidi laminas, vel saltem in vase fictili, ut communissime docent Doctores cum Tann. Hinc, si coqueretur in aqua, vel ad solem exsiccaretur, aut frigeretur in oleo, non esset materia apta ad consecrationem, quia non est vere panis, qualis est in usu communiter, & qualem creditur Christus adhibuisse: Amic., Avers., Bern. Quod si panis semel coctus manu humectetur, & quasi reducatur in massam, manet materia consecrabilis, quia illa humectatio non tollit rationem Panis, quam accepit per coctiooem, nec paois reducitur ad puram massam: Vasq., Avers., Bern. addit Lugo, quod Panis, si inter digitos comprimatur ad excludendum vinum, cum quo faciebat offam, erit consecrabilis, quamvis repugoent Trull., & Fag. apud Dian. At Croix num. 427. cum Amic. probabilius esse putat, quod panis vino imbibitus sit materia coosecrabilis, quia est vere panis, & habet rationem cibi.

Paois triticeus, sive fermentatus sit, sive azymus, semper est valida materia consecrationis. Quando igitur ad Cor. 5. v. 6., & ad Gal. 5. v. 9. dicit Apost. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, intelligendum est, quod totam massam pervadat, & alteret; non vero, quod ita corrumpat, ut tollat rationem panis usualis. Quamvis autem panis azymus apud oos non sit io usu, adhuc tamen est panis usualis, quia fit, ut communiter fiunt panes, subigendo farinam aqua naturali, & coquendo per ignem, & erat in usu certis saltem diebus tempore Christi Domini: quod autem nunc apponatur fermentum, ex eo est, quod sic fit sapidior, magis conducit valetudini, & diutius servatur: Croix num. 429.

Quamvis uterque panis, azymus nempe, & fermentatus sit valida materia consecrationis, oon est tamen uterque peo omnibus materia licita: nam ex præcepto Ecclesiæ sub gravi obligante Sacerdos græcus teoetur consecrare tantum in fermentato, latinus taotum in azymo. Id autem servare tenetur græcus, ut præmoouimus etiam io de Legibus t. 1. d. 2. q. 3. c. 3. circa fioem, non solum in Græcia, sed etiam in quocumque templo græcorum apud latinos stabiliter constituto; sicuti latinus tenetur sub gravi servare ritum suum coosecrandi in azymo oon solum in latio, sed etiam in quocumque Templo latinorum apud græcos stabiliter constituto: hoc ipso enim, quod eis ibi permittitur templum, in eo se habent, sicuti essent in patria propria: Croix num 430. ex Dian., & Dicast. addentibus, non posse latinum Romæ in templo græcorum consecrare in fermentato, nec græcum in templo latinorum in azymo. Quod si græcus, aut latious figat domicilium, ubi noo est templum sui ritus, debet se accommodare ri-

tui illius loci, quia jam censetur translatus ad illum: Suar. Con. Dicast. Tamb. At si alicubi sit peregrinus, ubi non est templum sui ritus, potest celebrare in utroque pane, quia peregrinus potest se accommodare legibus loci, in quo est, etiamsi sint contrariæ legibus loci, in quo habet domicilium: Nav. Sanch. Con. contra Vasq. & Aversf. putantes, quemlibet ubivis teneri servare ritum suæ Ecclesiæ, etiamsi per longum tempus alicubi immorari deberet: quod consilii esse dicunt Con. & Tamb. Probabilius est, non licere Sacerdoti latino consecrare in fermentato etiam pro necessitate Viatici dandi moribundo: quia præceptum Viatici licet divinum, est tamen affirmativum, & non obligat, nisi quando commode fieri potest, & in debitis circumstantiis: neque Eucharistia est adeo necessaria, ut negligi possit observantia præcepti circa ritum tam convenientem: Sot. Suar. Henr. Fill. Laym. Dicast. Dian. Pal. Bonac. Lug. contra Major. cujus tamen sententiam Tann. & Gob. dicunt, se non audere damnare, seclusо scandalo, & perturbatione. Notant tamen priores Doctores, facilius concedendum Græco, quod in tali necessitate consecret in azymo. Demum addit Dian. ad evitandam mortem licite latinum consecrare in fermento, quia præcepta humana non obligant cum dispendio vitæ. In eadem necessitate dandi Viatici, Con. cum aliis apud Croix n. 433. docet, posse consecrari hostiam aliquantum corruptam, alia deficiente; sed rectius alii negant ex nuper memorata ratione, quia scilicet cum Eucharistia non sit simpliciter, & absolute necessaria ad salutem, ejus sumendæ præceptum non obligat, nisi decenter, ac reverenter ea consecrari, ac sumi possit.

Ex præcepto pariter Ecclesiæ panis consecrandus debet esse figuræ orbicularis in Ecclesia latina, & integer. Græci adhibent figuram quadratam, & in particulis triangularem, teste Arcudio. Veniale tamen est, secluso scandalo, consecrare sine rationabili causa hostiam fractam, vel non integram, vel maculatam, nisi fractura, aut macula esset enormis. March. Dian. Tamb. & Aversf. apud Busembaum hic docent, licitum esse celebrare in hostia minore, quæ datur laicis, quando deest alia grandior, quæ adhiberi solet in Missa, & scandalum abest; quia nullum adest de hoc præceptum, & non constat de consuetudine obligante sub gravi: quo casu Tamb. contra Dian. & March. permittit elevare adorandam hostiam majorem ab alio præconsecratam. Non licet tamen parvam sumere, & majorem relinquere ad exponendam v. g. in hierotheca, nisi ipse eadem Missa illam consecraverit, quia debet sumere de suo Sacrificio: unde Parochus renovaturus Eucharistiam non debet ab alio consecratam sumere, & a se consecratam reponere in Ciborio: Tamb. Lug. Si tamen post oblationem deprehendat fracturam, aut ipsemet casu frangat, licite eam consecrabit, nisi timeat scandalum, quia tunc deberet aliam hostiam petere, & fractam post ablutionem sumere, aut etiam reservare sumendam reverenter a quovis post Missam: Gob. Croix n. 432.

§. II.

Quale debeat esse Vinum in materia Eucharistiæ?

SOLUM Vinum de vite, & nullum aliud est valida materia consecrationis Calicis. Colligitur ex Matth. 26. & Luc. 22. addita Ecclesiæ traditione; & definitum est in Concil. Flor. *in Decr. Fidei*, ac supponitur in Trid. *sess.* 13. *cap.* 1. & 2. Hinc resolvuntur sequentia.

Primo, Vinum debet necessario esse ex uvis expressum, nam quousque liquor ille est intra uvam, neque est potabilis, sed potius comestibilis; neque est demonstrabilis pronomine *Hic*, cum non sit sub uvis, ut totum quoddam, sed ut pars in toto; neque est aptus, cui aqua admisceatur: Pal. p. 4. n. 7. cum D. Th. Con. Laym. Bonac. Suar. Vasq. Idem dicendum de Vino imbibito in offa panis, quia neque est potabile in tali statu, neque demonstrabile pronomine *Hic*. Quod si erumperet supra panem; sicuti etiam si ex uva puncta erumperet succus quasi in bullas, probabilius ex Suar. & Hann. contra Arriag. esset materia consecrationis: liquor tamen expressus jam ex uvis maturis, licet non sit defæcatus, quique communiter *Mustum* appellatur, est valida materia Calicis, quia est simpliciter vinum; quamvis non sit decens illud adhibere in Missa, & grave peccatum esset tali materia uti absque urgenti causa: Pal. cit. cum Vasq. Suar. Laym. Bonac.

Dixi, *Ex uvis maturis*, nam liquor expressus ex uvis immaturis, quæque vulgo dicuntur *Agresta*, non est materia consecrationis, quia vini naturam non consequitur: ita D. Th. ab omnibus receptus teste Pal. cit. Succus tamen expressus ex uvis passis consecrabilis reputatur ab Amico apud Dian. p. 7. t. 12. resol. 8. quia est verum vinum.

Secundo, Vinum congelatum probabilius est materia validæ consecrationis: Sylv. Sot. Con. Bonac. Laym. Busemb. Lug. Pal. num. 8. quia adhuc retinet substantiam & appellationem vini, & de se est potabile. Disparitas, cur aqua congelata non sit materia baptismi, sit vero materia Eucharistiæ vinum congelatum, est, quia baptismus consistit in ablutione actuali, quæ non habetur per aquam congelatam; contra vero Eucharistia non consistit in actuali potatione, sed in materia de se potabili, quod verificatur etiam de vino congelato. Hinc Pius V. *In Rubr. Miss. de defectibus Missæ* §. *in hyeme* statuit, ut vinum congelatum post consecrationem igne liquefiat ante sumptionem, supponens species vini non corrumpi ob congelationem, sed potius consecrationi aptas remanere. A quibusdam tamen ob negantium auctoritatem merito dicitur materia dubia: quare grave peccatum esset vinum congelatum consecrare: at, si prius fuerit congelatum, & postea liquefiat, non est improbabile, quod licite consecretur, quamvis minus decenter, quia est verum vinum, & potationi aptum, licet congelatione aliqualiter immutatum: Suar. & Con. apud Pal. cit.

Tertio, Non est materia apta consecrationi neque lora, genus scilicet potionis, quæ fit ex vinaceis aqua maceratis, postquam totum mustum ex acinis est expressum; neque sapa, seu defrutum, hoc est mustum decoctum, & redactum, sive ad tertiam, sive ad dimidiam partem; neque acetum, quamvis ex vino fiat. Ratio est, quia tam acetum, quam sapa, seu defrutum est in aliam a vino naturam transmutatum: lora vero potius est aqua temperata, quam vinum. Quod si mixtio aquæ in minima quantitate contingeret, esset materia consecrationis: esset tamen grave peccatum in ea consecrare: Pal. p. 4. n. 9. ex Suar. Vasq. Bonac. & aliis communiter. Hinc Pius V. *Rubr. de defectibus in Missa occurrentibus*, Sacerdoti advertenti post consecrationem, sive in ipsa sumptione, se consecrasse acetum, præcipit, ut vinum apponat, & denuo consecret: & Greg. XIII. jussit, deleri Glossam in cap. 2. *de Consecrat. dist.* 2. affirmantem, acetum esse materiam consecrationis: quare, si verum sit, Isidor. Innoc. III. aliosque Doctores dixisse, acetum esse materiam Consecrationis, intelligendi sunt non de aceto perfecto, sed de vino acido, seu acescente: quod tamen sine gravi peccato extra urgentem necessitatem adhiberi non potest. Quod si post sumptionem, vel etiam ante eam, sed post consecrationem dubium incidat, an materia consecrata fuerit necne acetum præsumendum est, quod fuerit vinum, ut docet Tamburin. lib. 2. *de exp. Sacrif.* cap. 8.

Quarto, A fortiori non sunt materia consecrabilis liquores expressi ex pomis malogranatis, aut aliis fructibus, quia non sunt vinum: Communissime Doctores. Solum dubitari posset de vino miraculose facto ex aqua? Croix n. 435. ex Arriag. & Dicast. dicit, tale vinum fore materiam consecrabilem, sicut etiam panem, qui miraculose fieret ex lapide: unde concludit, a materia consecrationis excludi solum alios liquores, qui non sunt simpliciter tale vinum, quale est illud de vite.

Vino consecrando miscenda est aqua necessitate non Sacramenti; sed Præcepti, & probabilius non Divini, sed Ecclesiastici, obligantis tamen sub gravi: ita communiter Doctores cum D. Thom. Suar. Dicast. Vasq. Con. Bonac. contra Alens. Hosium, Valent. Henr. Ratio est, quia Flor. in Decr. Eug. IV. *ad Arm.* dicit, esse juxta Canonum præceptum, & Trid. *sess.* 22. *c.* 7. expresse dicit, esse Præceptum Ecclesiæ. Hinc valida esset, sed graviter illicita consecratio vini puri sine ulla aquæ admixtione. An autem aqua vino admixta convertatur, necne immediate in Sanguinem Christi, disputant Scholastici. Quod vero Christus instituerit hoc Sacramentum in Vino aqua permixto, uti dicunt Flor. Aurel. IV. Carthagin. III. & Trid. hoc non probat, talem mixtionem aquæ esse de necessitate, sive Sacramenti, sive Præcepti Divini: nam non omne id, quod Christus servavit in instituendo hoc Sacramento, dicendum est necessarium ad hoc Sacramentum conficiendum necessitate, vel Sacramenti, vel Præcepti

Divi-

Divini: aliter dicendum eſſet, quod panis azymus ſit de neceſſitate, vel Sacramenti, vel Præcepti Divini, quia Chriſtus in azymo conſecravit: ſimiliter diſcurrendom eſſet de vino albo, vel rubro, qoia in alterutro debuit Chriſtus conſecrare. Itaque non ex eo præciſe colligimus, aliquid eſſe de inſtitutione, vel præcepto Chriſti, quia Chriſtus illud fecit; ſed quia fecit, & aliunde vel ex ipſis verbis Chriſti, vel ex auctoritate Eccleſiæ, & PP. Chriſti voluntatem declarantium nobis conſtat, tale fuiſſe Chriſti, non tantum conſilium, ſed præceptum.

Quamvis vero hoc præceptum ſit mere Eccleſiaſticum, & conſequenter abſolute loquendo, poſſet Eccleſia in eo diſpenſare, nunquam tamen diſpenſat, & potius a celebratione abſtinendum eſt: Suar. Spor. Imo Suar. addit, quod ſi Sacerdos apud oblationem advertat, haberi non poſſe aquam, debet interrumpere Miſſam; Bonaſp. tamen putat, quod in caſu, quo quis nunquam ſumpſiſſet Euchariſtiam, & deberet decedere ſine Viatico, poſſet Sacerdos conſecrare ſine aqua.

Aqua vino miſcenda debet eſſe naturalis, eaque modiciſſima ex Flor. ſi tamen admiſceatur aqua artificialis, etiam in neceſſitate, illicita graviter, quamvis valida, erit conſecratio: D. Thom. Mol. Dian. qoia agitur contra præceptum, & conſuetudinem Eccleſiæ in re gravi, ex qua ratione etiam grave peccatum reputat Fag. admiſcere aquam calidam; ſed merito contradicunt alii apud Dian. p. *6. t. 7.* reſol. 58. ubi addit, quod ſi in frigidiſſimo loco conſuetudo id ferat, ne vinum congelaſcat, poteſt ſine ullo peccato fieri.

Quod vero attinet ad quantitatem aquæ admiſcendæ, Lug. docet, poſſe ſine ſcrupulo admiſceri ſextam, vel quintam partem. Conſentit Beru. pro locis calidis: at pro locis frigidis admiſceri poſſe, ait, ſine ſcrupulo decimam, vel octavam partem. Gobat tamen etiam pro Germania dicit, vino mediocri admiſceri poſſe quintam partem, quia regulariter loquendo nollum vinum putat eſſe adeo debile, ut tam modica aqua corrumpatur. Semper tameo tutius parum affundere, ait D. Thom. qui addit, ſufficere guttulam, dummodo ſit ſenſibilis, quando affunditur. Si mixtio aquæ omiſſa ſit, & ſuppleatur ante conſecrationem, repeti debet oblatio Calicis, quia nihil conſecratur, quod prius oblatum non fuerit: Croix n. 440. Demum hæc mixtio facienda eſt in ipſo Sacro, vel ante offertorium, vel ſaltem immediate ante Sacrum, ut fit apud quoſdam; & facienda eſt, vel ab ipſo Sacerdote in Miſſa privata, vel a Subdiacono in ſolemni, & quidem in ipſo Calice, qui conſecrandus eſt: uode non debet fieri domi in dolio, vel in ampulla, aut alio vaſe: Bon. ap. Buſ.

§. III.

Quæ conditiones requirantur ad materiæ Conſecrationem?

AD validam materiæ Euchariſtiæ conſecrationem duæ conditiones requiruntur. Prima eſt, ut ſit præſens Conſecranti: Secunda, ut ſit certa, & a Conſecrantis intentione in individuo determinata.

Primo igitur debet eſſe præſens Conſecranti; & ratio deſumitur ex inſtitutione Chriſti, & verbis formæ *Hoc*, & *Hic*, quæ non verificarentur circa materiam non præſentem, cum ſint pronomina demonſtrativa. Adde perpetuam, & conſtantem Eccleſiæ praxim nunquam conſecrantis, aut etiam benedicentis res abſentes. Demum ex ratione ſacrificii, quam habet Euchariſtia, etiam conſtat neceſſitas dictæ præſentiæ; ſacrificium enim requirit hoſtiam præſentem. Sufficit autem illa moralis præſentia, qua res humano modo, vel ad ſenſum demonſtrabilem per pronomen *Hoc*, vel *Hic* independenter ab omni alio ſigno ſenſibili.

Hinc inferes primo, Valide conſecrari vinum in calice cooperto, vel in alio vaſe clauſo, hoſtias in ciborio, vel in cumulo ſub aliis latentes aut aliter tectas v. g. ſub corporali, vel mappa, vel etiam in miſſali: Suar. Henr. Con. contra Laym. quare hoc poſtremom videri debet dubium, & graviter peccaret, qui hoſtias ſic latentes conſecraret. Item valide conſecrari hoſtias præſentes a cœco, vel a non cœco in tenebris. Ratio horum omnium deſcendit ex dictis, quia nimirum ad moralem præſentiam materiæ conſecrabilis non requiritur, ut videatur, aut tangatur, vel feriatur ſono verborum (unde non eſt probanda praxis eorum, qui os proxime admovent, ut halitum in panem, aut calicem immittant) ſed ſufficit ejus demonſtrabilitas pronomine *Hic*, vel *Hoc* independenter a quocumque alio ſigno: ad quod ſatis eſt, ſi materia videri poſſit, vel in ſe, vel in alio continente. Contra vero non eſt materia conſecrabilis panis infra pedem poſitus, quia non eſt demonſtrabilis per ly *Hoc*, niſi addito alio ſigno, e. g. digito in eum intento, vel ſaltem aliquo nutu: ita communiter cum Dicaſt. & Croix n. 443. Hoſtia poſita poſt tergum, & in ſpeculo ante Sacerdotem exiſtente repræſentata conſecrabilis reputatur a Bernal apud Croix l. c. quia ſic eſt ad oculum demonſtrabilis. Idem ſentiunt Dian. Dicaſt. Ariag. Amic. contra Sot. & alios de hoſtia, quæ a Sacerdote tangatur, vel in manu teneatur poſt tergum. Probabilius vero invalida eſſet conſecratio, ſi quis proferens formam, digito oſtendat panem a tergo poſitum, quia non demonſtratur ſolo pronomine *Hoc* independenter ab alio ſigno.

Inferes ſecundo, Invalide conſecrari materiam poſitam poſt parietem, vel clauſam in tabernaculo, ut docent Fill. & Bonac. quia ſic moraliter cenſetur abeſſe, nec eſt demonſtrabilis pronomine *Hic*, vel *Hoc*. Materia vero poſita a latere, dummodo cenſeatur eſſe moraliter ante Conſecrantem, poteſt valide conſecrari: hinc non conſecrarentur hoſtiæ, ſi in ciborio poſitæ eſſent, non in Altari, ſed in Credentia ad latus: Croix n. 444. ex Dicaſt. Similiter non eſt valide conſecrabilis materia longe diſtans a Conſecrante, e. g. 100. paſſibus, quamvis videri poſſit, ex eadem ratione: quanta autem propinquitas requiratur, certo definiri non poteſt, ſed remittendum eſt judicio prudentium. Henr. l. 8. c. 34. docet, 20. aut 30. paſſuum, quod Bernal, & alii dicunt non eſſe certum. Demum nec eſt valide conſecrabilis materia in tam modica quantitate, ut non ſit ſenſibilis, ſeu non poſſit ſenſu percipi, quia tunc non eſſet demonſtrabilis, præterquamquod omne Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile: Suar. Vaſq. & alii contra Sot. & Henr. Hoc autem intelligendum eſt, ſi non ſit in toto, quia in toto etiam minimæ particulæ valide conſecrantur, ut conſtat ex Trid. *ſeſſ. 23. c. 3.* & 4.

Secunda conditio, ut ſcilicet materia ſit certa, & in individuo determinata a Conſecrantis intentione, etiam colligitur ex verbis formæ: nam pronomen *Hic*, & *Hoc* id requirunt: adde actiones eſſe circa ſingularia, quæ debent eſſe certa, & determinata.

Hinc habes, invalide conſecrare, qui ex multis hoſtiis unam, aut plures intenderet conſecrare, eas non determinando, vel qui intenderet conſecrare deſignandam, vel deſignandas a Deo, vel a Titio, etiam poſita tali deſignatione; vel qui eas tantum partes hoſtiæ, aut vini vellet conſecrare, quas Deus elegerit, vel tantum dimidium, aut tertiam ejus partem eam non determinando, vel tantum partes illas, quæ, fracta hoſtia, manſuræ ſunt in continuo, non quæ excident: quia non ſunt materia certa, & definita, ac demonſtrabilis pronomine *Hoc*, aut *Hic*. Idem dicit Croix n. 455. ex Lug. & Bern. de hoſtia ſignata a Sacerdote v. g. rubrica, & poſtea cum multis aliis confuſa, ſi illam tantum velit conſecrare, & ea ita lateat ſub aliis, ut nullo ſenſu percipiatur, quia ſic non eſt moraliter demonſtrabilis neque in ſe, ut ſupponitur in caſu, neque in alio ſeu in continente; nam demonſtrato ciborio, non magis demonſtratur illa, quam aliæ; unde pronomen *Hoc* non cadit determinate ſupra illam. Contra vero, ſi Sacerdos e pluribus hoſtiis unam, aut duas tantum vellet conſecrare, eas determinando, e. g. omnes præter infimam, & ſupremam, vel omnes pares, v. g. ſecundam, quartam, ſextam, ſi ſint ordine collocatæ, & determinando, unde initium numerationis ſumendum eſſet, quod tamen grave peccatum eſſet, & in tali caſu, ſi conſecratæ miſcerentur cum non conſecratis, totus cumulus conſecrandus eſſet ſub conditione, vel Sacerdos in earum conſecratione deberet habere intentionem conſecrandi tantum non conſecratas in illo cumulo.

Quæres primo, An error Sacerdotis conſecrantis circa numerum hoſtiarum a ſe conſecrandarum obſtet validæ conſecrationi omnium?

Reſpondeo, Caſum eſſe hunc: putat Sacerdos particulas a ſe conſecrandas eſſe decem, cum ſint plures, vel hoſtiam grandem a ſe ſumendam eſſe unam de more, cum ſint duæ ſimul junctæ: Quæritur, an omnes conſecrentur? Dico, omnes conſecrari, dummodo Conſecrans non intendat explicite excludere illas, quas per errorem putat non adeſſe, ſi adeſſent. Ratio eſt, quia error ſpeculativus, & privatus non obſtat intentioni

practicæ, & absolutæ consecrandi omnes præsentes; quam, tanquam Ecclesiæ consuetudini conformem, quisque præsumitur habere implicite: Busemb. hic cum Sylv. Suar. Henr. Hinc, si Sacerdos post consecrationem advertat, esse duas hostias simul junctas, utramque, ut consecratam sumet, ut præcipitur in Missali; si id advertat post oblationem ante consecrationem, alteram seponet, a se, vel ab alio post Missam sumendam, tanquam panem benedictum.

Quæres secundo, An censendæ sint consecratæ particulæ in ciborio, seu pyxide positæ in Altari, ut consecrentur a Celebrante, si hic tempore consecrationis nullimode ad eas reflectat, aut de illis cogitet?

Respondeo, Si Celebrante non advertente, illæ particulæ fuerunt positæ in altari, sive in corporali, sive extra; & Celebrans usque ad consecrationem inclusive nunquam adverterit, eas adesse; nec consequenter umquam intenderit eas consecrare, non consecrari: quia deest intentio requisita ex parte Ministri, ut patet. At si Sacerdote advertente, ciborium continens particulas pro communione laicorum fuit positum in corporali, ibique mansit ad consecrationem inclusive, & Celebrans intenderit eas consecrare, maxime si in oblatione earum meminerit ipsas offerendo, dicendæ sunt consecratæ, licet deinde tempore consecrationis non habuerit expressam reflexionem ad illas, quia ex dictis disp. 1. q. 2. illa intentio prius habita virtualiter perseverat: & hanc esse communem sententiam cum Pal. Dicast. Busemb. ait Croix n. 458. Quod si ciborium cum particulis, Sacerdote advertente, & sciente eas debere consecrari, positum fuit in altari, sed extra corporale, & Consecrans nullimode de illis cogitavit; probabilius est, eas non consecrari, quia Sacerdos censetur nolle consecrare extra corporale, quia velle consecrare extra corporale est peccatum: quare videtur habuisse intentionem consecrandi, si eas assumeret in corporali: Suar. Dian. Pal. Gavant. Less. Avers. Tamb. apud Croix num. cit. qui addit, probabile etiam esse oppositum, quia potest Sacerdos in tali casu absolute velle eas consecrare, nihil cogitando de corporali. Hinc concludit, rem esse dubiam, & in praxi tales hostias esse de novo consecrandas sub conditione in alia Missa. Nunquam vero licet in eadem Missa repetere formam ad consecrandas hostias minores, si oblitus sit consecrare simul cum hostia majori. Potest tamen sub canone usque ad consecrationem admitti materia consecranda, quæ tunc mentaliter est offerenda ante consecrationem, si, eam excludendo, plures dimittendi essent sine Communione: Possev. Dian. Quart. Tamb. apud Croix n. 460.

Quæres tertio, Quid dicendum de guttis vini, quæ intra calicem sunt separatæ a vino, quod est in fundo?

Respondeo, Si Sacerdos nihil specialiter intendat circa illas, Suar. Reg. Con. Laym. Dian. & Hurt. docent, eas non consecrari: alii vero distinguunt; & si tales guttæ sint remotæ a vino, quod est in fundo, censent, non consecrari; secus vero vicinas, itaut levis calicis motione misceri possint cum reliquo vino in fundo calicis, quia cum hoc censentur facere moraliter unum: Utraque sententia probabilis, sed probabilior secunda ex Croix n. 459. Pro praxi ex Platel. tales guttæ vicinæ, si advertantur ante consecrationem, levi calicis agitatione miscendæ sunt cum vino, quod est in fundo: remotæ vero, vel abstergendæ, vel excludendæ ab intentione: quamvis possint etiam includi in intentione, ne in calice sit vinum, quod non consecretur. Consultius tamen videtur esse, ut Sacerdos stabiliter intendat consecrare tantum id, quod per modum unius continui est in Calice: Busemb. dub. 5. Similiter Sacerdos non debet intendere consecrare minimas particulas panis in patena, vel corporali, sed tantum quod continuum est cum hostiis in patena, vel corporali depositis: secus dicendum est de talibus particulis panis in Ciborio contentis; neque enim periculum est eas perdendi: nam omnes particulæ in fundo ciborii repertæ communiter censentur consecratæ, quamvis ignoretur, an intentio Consecrantis fuerit specialiter directa ad illas.

Hactenus sermo fuit de conditionibus requisitis ad validam materiæ consecrationem: addendum nunc superest, quid requiratur ad licitam ejusdem consecrationem? Breviter dico cum Busemb. requiri, ut Sacerdos consecraturus non recedat ab usu Ecclesiæ, præsertim in Missali præscripto; & insuper ut quantitas materiæ consecrandæ non sit major, quam tempore opportuno possit absumi, ad evitandum periculum, quod species corrumpantur. Hinc peccat, qui vas, in quo hostiæ consecrandæ sunt, non aperit tempore consecrationis; qui materiam consecrat extra corporale, ut modo dictum est; qui guttas calicis exterius adhærentes intenderet consecrare (de interioribus vide, quæ modo etiam supra diximus) & qui ante consecrationem sic intentionem formaret, *Nolo hostias appositas consecrare, nisi tempore consecrationis, vel saltem oblationis fuero memor:* ita Præp. & Laym. quamvis Tamb. nullum in tali casu peccatum agnoscat.

§. IV.

Quænam sit Forma conficiens Eucharistiam?

SICUTI materia Eucharistiæ est duplex, Panis scilicet, & Vinum, ita duplex est forma, altera scilicet consecrativa Panis, altera Vini. Forma consecrativa Panis est hæc, *Hoc est Corpus meum*; quibus verbis significatur perfecte præsentia Christi sub speciebus panis: reliqua verba, sive antecedentia, sive subsequentia sunt de necessitate præcepti, non Sacramenti: imo in prædictis verbis particula *Enim*, cum apposita fuerit ab Ecclesia ad conjungendum sermonem, non est necessaria ad validam consecrationem, & ejus omissio ex negligentia, & incuria erit tantum veniale peccatum. Forma vero consecrativa Vini est hæc: *Hic est enim Calix Sanguinis mei novi, & æterni Testamenti; Mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* circa quæ verba, quamvis probabilius sit, essentialia esse tantum illa, *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel *Hic est Sanguis meus*, aut in æquivalentia; graviter tamen peccaret, qui aliquid ex sequentibus omitteret, vel mutaret.

Ad exponendum sensum dictarum formarum dupliciter explicant Doctores ly *Hoc*, & *Hic*. Primo, ut faciant hunc sensum, *Hæc res, aut hæc substantia contenta in fine propositionis sub his accidentibus est Corpus meum, est Sanguis meus*: ita Suar. Tan. aliique communior. Secundo, Referendo pronomina illa ad prædicatum, itaut sensus sit, *Hoc Corpus est Corpus meum, Hic Sanguis est Sanguis meus*: non secus ac, dum quis dicit, *Hæc est mater mea*, sensus est: *Hæc mater est mater mea*; ita Vasq. Maldon. & alii. Utrique probabiliter ex Croix num. 463. Illud est certum, quod ly *Hoc* non debet intelligi *Hic panis*, quia esset falsa propositio, cum falsum sit, panem esse Corpus Christi, aut quod maneat cum Corpore Christi; neque ly *Hic* intelligi debet adverbialiter pro *Hoc loco*. Item ly *Meum*, & *Mei* referri debet ad Christum, & intelligi debet Sanguis Christi, & Corpus Christi, in cujus persona loquitur Sacerdos consecrans: unde si quis per ly *Meum*, & *Mei* intelligeret tantum suum Sacerdotis corpus, & sanguinem, consecratio esset invalida: Gob. apud Croix n. 464. Hinc sequitur, formam consecrationis a Sacerdote proferri non mere recitative, & historice, sed etiam formaliter, significative, assertive, & operatorie. Quando autem hujusmodi forma mutetur accidentaliter, quando substantialiter; & proinde, quando sit invalida, quando saltem illicita, v. dicta d. 1. q. 1. c. 2.

Verba, quæ diximus esse de essentia formæ consecrationis, operantur effectum suum ponendi Christi Corpus, & Sanguinem sub speciebus Panis, ac Vini, statim ac finitur eorum prolatio. Constituitur autem vi verborum consecrationis Christi Corpus, & Sanguis sub speciebus Eucharisticis, non tanquam subjectum, cui illa accidentia inhæreant, sed tanquam vices subjecti gerens ea accidentia altiori, & efficaciori modo sustentando. Hinc Concilia, & PP. actionem, qua hæc omnia fiunt, *Transubstantiationem* appellant, hoc est conversionem unius substantiæ in aliam sub eodem termino, quatenus verba consecrationis ex Divina institutione eam vim, & efficaciam habent, ut eo ipso, ac debito modo proferuntur, Corpus Christi, ac Sanguinem constituant sub accidentibus panis, & vini, annihilata integra substantia, tum panis, tum vini. Totum autem Christum per consecrationem constitui sub utraque specie, de Fide est, ut docet cum Flor. *in Decr. Eug. ad Arm.* cum Trid. *sess.* 13. *cap.* 3. Porro ex vi verborum sub speciebus Panis solum Christi Corpus, & sub speciebus Vini solus Christi Sanguis ponitur, quia verbis consecratoriis hoc præcise significantur: at, quia Christi Corpus est unitum cum ejus Sanguine, Anima, & Divinitate, totus Christus sub utra-

utraque specie constituitur: ita Trid. loc. cit. Constituitur autem sub speciebus Eucharisticis ad modum Spiritus, itaut sit totus in toto, & totus in qualibet parte: unde neque divisa hostia Ipso dividitur, nec minus accipit communicans sub minima parte, quam communicans sub magna.

CAPUT III.

De Ministro Eucharistiæ.

IN hoc solum Sacramento, utpote permanenti, & perfecto in ratione Sacramenti ante usum, Minister dispensans, seu conferens illud suscipienti potest esse distinctus a Ministro idem Sacramentum conficiente. Jam vero Minister Eucharistiam conficiens est omnis, & solus Sacerdos: quid vero requiratur in ipso ad validam Eucharistiæ confectionem, constat ex dictis tum in de Sacramentis in genere, tum cap. præc. Quid requiratur ad licitam confectionem, constabit ex c. seq. ubi agemus de subjecto Eucharistiæ; omnes enim dispositiones, quæ requiruntur in subjecto ad digne suscipiendam Eucharistiam, requiruntur etiam ad digne conficiendam, cum conficiens debeat necessario etiam suscipere Eucharistiam. Hic igitur agemus solum de Ministro dispensante Eucharistiam, & primo inquiremus, quinam sit Minister dispensans Eucharistiam? Secundo, quid requiratur ad licitam Eucharistiæ dispensationem? Tertio quinam teneantur ministrare Eucharistiam?

§. I.

Quinam sit Minister dispensans Eucharistiam?

MINISTER Eucharistiam dispensans ex officio non est, nisi solus Sacerdos: colligitur ex Trid. *sess.* 13. *c.* 8. & ex *cap. Pervenit dist.* 2. *de consecrat.* Atque ita docent D. Th. Sylv. Henr. Con. Suar. Vasq. & alii communissime. Ratio desumitur ex verbis Christi Domini in instituendo hoc Sacramento, *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc est, Consecrate, sumite, aliisque distribuite, quæ nemini alteri a Sacerdotibus dicta fuere. Dixi *Ex officio*: nam ex delegatione non solum Diaconus, sed etiam laicus potest hoc Sacramentum ministrare. Ratio est, quia ex una parte nullibi reperitur interdicta jure Divino concessio talis facultatis, & ex alia parte Trid. *sess.* 21. *c.* 1. declaravit, in administratione Sacramentorum relicta esse Ecclesiæ facultatem mutandi, & alterandi pro varietate temporum, & Fidelium utilitate, salva eorum substantia: atqui ministratio Eucharistiæ non pertinet ad Sacramenti substantiam: ergo poterit ab Ecclesia aliis a Sacerdotibus committi. Consonat hæc doctrina cum antiqua Ecclesiæ consuetudine, qua solebant laici, teste Justino Martyre apud Pal. hic p. 17. n. 5. Eucharistiam domum deferre manibus tangere, & ore sumere propter Tyrannorum persecutiones. Ita sustinent apud laudatum Pal. Suar. Vasq. Laym. Con..

Hanc facultatem dispensandi Eucharistiam delegare potest Diacono non solum summus Pontifex, sed Episcopus, & Presbyter, vel Parochus urgente necessitate: requiritur tamen necessitas extrema, sed sufficit gravis: ut si nullus adesset Sacerdos, qui commode ministrare Eucharistiam posset. Hinc secundum Quintanad. si absit Parochus, poterit Diaconus etiam sine ejus commissione in casu gravis necessitatis Eucharistiam dispensare, v. g. in solemni, ac principali festo, quo Sacerdos, Confessionibus, Concionibus, &c. est occupatus. Imo absente omni Sacerdote, secundum Bernal. apud Croix n. 480. Diaconus non solum potest, sed etiam debet Viaticum ministrare moribundo, quia in hoc casu recte præsumitur non solum permissio, sed etiam præceptum Episcopi: & idem Diacono permittit Lug. (qui, in hoc fere omnes convenire, ait: idemque in praxi tutum esse, ait Dicast.) si adsit Sacerdos, & ex malitia nolit eam facultatem ipsi concedere. Demum in articulo mortis Diaconus, sicuti potest Viaticum aliis, ita probabiliter, & sibi ipsi ministrare, si absit Sacerdos, sive Parochus, vel injuste deneget administrationem: Suar. Con. Laym. Præpos. Dian. Avers. Franc. Lug. contra Henr. Vasq. & Sa.

Clericis Diacono inferioribus, & Laicis neque a Parocho, neque ab Episcopo, sed solum a summo Pontifice committi potest facultas dispensandi Eucharistiam: ea tamen regulariter loquendo non solet concedi, nec debet. Est communis sententia teste Pal. p. 7. & colligitur ex *c. Pervenit*, *de Consecr. dist.* 2. ubi dicitur, horrendum, ac detestabile esse, quod absque necessitate, scilicet extrema, per laicum, ac feminam sacram Eucharistiam ægris mitterent. Solum in necessitate extrema, quando scilicet infirmus est in proximo periculo mortis, nec adsit Sacerdos, aut Diaconus, qui possit, aut velit Viaticum ministrare, probabile est, posse laicum, secluso scandalo, alteri, vel etiam sibi Eucharistiam ministrare: Valent. Suar. Con. Laym. Fil. Regin. contra Henr. Vasq. & Sa: sed Amic. limitat ad solum casum, quo moribundus conscius peccati mortalis non posset aliud Sacramentum suscipere. Id tamen ex Card. Lug. & Bonac. non est facile deducendum in praxim ob contrariam consuetudinem.

Demum probabile est, Sacerdotem posse extra Missam non solum pro Viatico, aut in necessitate, sed etiam devotionis causa, sibi Eucharistiam ministrare, si alius Sacerdos, & scandalum absit: Suar. Vasq. Homob. Bonac. Dicast. aliique contra Cajet. Filliuc. & Avers. Ratio est, quia nulla lex hoc tempore id prohibet, & Conc. Nic. I. id concedit Diaconis, ut notat Dicast. v. Croix n. 481.

§. II.

Quid requiratur in Ministro ad licitam Eucharistiæ dispensationem?

AD licitam Eucharistiæ dispensationem non solum requiritur, ut Minister sit liber ab omni censura, & peccato, ut diximus, ubi egimus de Ministro Sacramentorum in genere; sed etiam, ut habeat jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam in personam, cui Eucharistiam ministrat, ut ibi etiam innuimus quoad omnia Sacramenta, uno excepto Matrimonio, & hic superest susius explicandum quoad Eucharistiam. Ratio cur ad licite hoc Sacramentum ministrandum requiratur jurisdictio, est, quæ militat pro omnibus Sacramentis, quia nimirum proprium est Pastoris pascere oves, quod potissimum fit ministratione Sacramentorum, neque decet alienas oves contra voluntatem proprii Pastoris pascere.

Monent tamen Doctores, in Ministro non habente jurisdictionem ordinariam sufficere pro licita hujus Sacramenti ministratione facultatem præsumptam, consistentem in eo, quod probabiliter judicetur, non fore proprio Pastori ingratum, quod ipsius ovibus Eucharistia ministretur: cum enim in casu jurisdictio non sit necessaria ad validam, sed solum ad licitam Sacramenti ministrationem; non requiritur, ut de facto præcedat facultatis delegatio, sed sufficit, quod judicetur prudenter deleganda, si peteretur: Suar. Azor. Navar. Vasq. apud Pal. p. 18. n. 4. Ex hac præsumpta facultate plures simplices Sacerdotes excusari, ait Pal. cit. ne peccent Eucharistiam ministrando, dum Sacrum faciunt; est enim satis receptum, Fideles petere a Sacerdote celebrante, quicumque sit, ut hostiam parvam ad communicandum apponat, qua consecrata, Sacerdos eam ministrat sine ullo scrupulo, aut examine, an proprius communicantis Parochus consentiat; credit enim, ex recepta consuetudine consensurum, si Communio fiat non ex obligatione, sed ex devotione.

Qui Eucharistiam ministraret absque ulla prorsus jurisdictione, graviter peccaret: Pal. n. 5. Bonac. Busemb. & si sit Sacerdote inferior, irregularitatem incurreret ex Con. At nullam aliam pœnam ipso jure incurreret, nisi esset Religiosus; nam Religiosis Clem. *Religiosi de priv.* imponitur excommunicatio Papæ reservata ipso facto incurrenda, si absque licentia speciali Parochorum, horum subditis Clericis, vel Laicis extremæ Unctionis, vel Eucharistiæ Sacramentum ministrare præsumpserint. A tali excommunicatione excusare ignorantiam etiam crassam, notat ex Præp. Dian. p. 5. t. 3. resol. 51. propter verbum *præsumant*.

Religiosi Mendicantes, & non Mendicantes communicantes in Mendicantium privilegiis, & nominatim Religiosi Societatis Jesu ex Bulla Pauli III. *Cum inter* ann. 1545. & aliorum Pontif. habent privilegium, ut in suis templis per se, vel per alios Sacerdotes illic celebrantes ministrare Eucharistiam possint quibuscumque Christifidelibus, præterquam in mortis articulo, & festo Paschatis, seu die Resurrectionis Dominicæ; quibus exceptionibus diei Paschalis, & articuli mortis

addenda est etiam prohibitio facta alicui a Prælato, ne sumat Communionem, quæ semper præsumitur rationabiliter facta: quæ exceptio eruitur ex verbis in cit. Bull. Pauli III. additis privilegio ministrandi Eucharistiam *Sine alicujus præjudicio*: nam in casu ministratio Eucharistiæ cederet in præjudicium Prælati prohibentis: Pal. p. 19. n. 12. Nomine autem diei Resurrectionis Dominicæ probabilius non venit dies ille materialis, sed formalis, hoc est dies, quo adimpletur præceptum annuæ Communionis Paschalis: unde sequitur, posse Religiosos privilegiatos eo die Resurrectionis Dominicæ Eucharistiam ministrare omnibus illis, qui præcepto vel jam satisfecerunt, vel intentionem habent satisfaciendi sequentibus diebus: Suar. Vasq. Laym. Fagund. Bonac. Busemb. Pal. p. 19. n. 3. aliique. Huic exceptioni Communionis in die Paschatis, & in articulo mortis appositæ in dicto privilegio ministrandi Eucharistiam a Paulo III. additur, *Nisi necessitas urgeat*, quæ verba Suar. t. 4. *de Relig.* tract. 10. lib. 9. cap. 3. n. 10. putat, intelligenda esse non solum de articulo mortis, quod ab omnibus admittitur, sed etiam de festo Paschatis; ac proinde posse a Religiosis Societatis Jesu in Paschate Communionem præceptam suscipi, si necessitas urgeat: putat autem necessitatem urgere, si proprius Parochus adiri non possit ad sumendam ab eo sacram Communionem, nec possit ab eo peti licentia sumendi ab alio. Item, si ægrotus satisfecerit præcepto de Viatico cum intentione illud adimplendi, possunt Religiosi illi Eucharistiam ministrare, quia id vetitum est Regularibus, solum quando præceptum Communionis obligat: Busemb. Pal. h. 8. Suar. Vasq. Fag. Con. Nunquam tamen licet Religiosis sine licentia Episcopi, vel Parochi publice Eucharistiam deferre per plateas, cum id deroget juri Parochorum. Item possunt Eucharistiam ministrare ad adimplendum præceptum Peregrinis, Advenis, & Vagis juxta probabilem sententiam multorum, ut docet Sanch. *Matr.* l. 3. d. 37. & alii. Demum Regulares privilegiati possunt ministrare Eucharistiam etiam in Paschate, & in articulo mortis suis domesticis, seu famulis, vel familiaribus, & commensalibus, idque vi suorum privilegiorum. Vide dicenda in de Pœn. d. 2. q. 1. c. 3. §. 2.

Ad licitam Eucharistiæ ministrationem præter statum gratiæ, & jurisdictionem, aut privilegium requiritur, ut Ministet reverenter, & ritu Ecclesiæ consueto eam ministret; præstat enim hoc Sacramentum omitti, cum non sit Sacramentum simpliciter necessarium ad salutem, quam positivam irreverentiam in ejus dispensatione committi. Hinc tria inferes:

I. Eucharistiam non esse deferendam ad infirmum sine habitu decenti, hoc est sine stola, & superpelliceo, præcedente lumine, quod non est necessarium ad deferendum Oleum Sanctum, cum non sit Sacramentum; & in eodem habitu sub gravi est ministranda, excepta necessitate Viatici dandi moribundo: Croix ex Quarti cum communi. Hinc, secundum quosdam, si habitus haberi non possit, aut iter faciendum esset, non foret irreverentia, si Sacerdos Eucharistiam in Pyxide cum corporali involutam clam in sinu suo deferret: quod a fortiori licitum videtur in locis hæreticorum, ubi præciso scandalo poterit Minister in necessitate clam eam ministrare sine stola, & superpelliceo; quamvis in nullo casu celebrandum sit sine Vestibus Sacris. Communiter etiam concedunt Doctores, non esse, nisi veniale, absque ulla Veste Sacra movere, vel deferre Eucharistiam ab uno altari ad aliud: item omittere *Confiteor* ante, & lumen in distributione Communionis.

II. In nullo casu licere Sacerdoti in habito cum Sacramento per publicum currere, etiamsi ægrotus aliter moriturus esset sine Eucharistia, quamvis in tali casu liceat valde festinare. Si tamen faciendum sit longum iter, poterit Parochus Eucharistiam deferre in equo mansueto, itaut non sit periculum lapsus: Quintanad. cui adhærent Barb. & alii, solum si loci consuetudo id permittat.

III. Eucharistiam porrigendam esse pollice, & indice, qui sunt digiti iuuncti: probabile tamen esse, posse aliis digitis ministrari, si illi sint impediti chiragra, vel ex alia causa: Tolet. Arr. Leand. Gob. & alii contra Vasq. Bon. Lug. & Jordan. quia tota manus Sacerdotis est consecrata. Hinc ne pestis quidem tempore licet Eucharistiam porrigere medio aliquo instrumento, & multo minus deponere alicubi, ut ab ipsomet ægroto sumatur, sed manu danda est immediate sumenti: Possev. tamen, & non improbabiliter juxta Busemb. dicit, posse præciso scandalo, & periculo lapsus in terram, instrumento ad id rite confecto dari: v. Dian. p. 4. t. 4. r. 114. Imo in casu, in quo ægrotus non posset trajicere hostiam, Præp. & Escob. ap. Busemb. admittunt, posse illi dari particulam hostiæ cum vino in cochleari.

Quæres primo, Quid agendum, si in distribuenda Eucharistia Sacra Hostia forte decidat?

Respondeo, Locum, in quem decidit hostia, tergendum esse re aliqua munda, puta linteolo, & postea abluendum: ablutio tamen vestis, aut barbæ ordinarie non est præcipienda, quia melius est vitari turbationem, vel offensionem populi, quam talem rubricam servari: Tamb. Pelliz. Gob. & alii contra Pasqual. qui tamen fatetur, tales rubricas de ablutione loci, in quem Sacra Hostia decidit, non obligare sub gravi: secus vero dicendum de speciebus vini, quæ imbibuntur. Addit Pasqual. non opus esse comburi id, in quod Sacer Sanguis decidit, sed satis esse ablui. De his tamen consulendæ sunt Rubricæ Missalis. Quod si Sacra Hostia decidat in sinum, vel intra vestes mulieris, permitti potest, ut ipsamet, vel alia mulier illam extrahat, & reponat in Pyxide; indecens enim esset, & plerumque scandalosum, si Sacerdos extraheret: imo, si ibi commode non posset extrahi, potest mulier in locum remotum, etiam in vicinam domum secedere, ibique eximere, & referre: digiti tamen mulieris erunt abluendi, & ablutio mittenda in Sacram piscinam: Gob. Lohn. Pasq. apud Croix n. 495.

Quæres secundo, Quid agendum de fragmentis Hostiarum, quæ forte reperiuntur?

Respondeo, Dicta fragmenta residua ex hostiis in propria Missa consecratis posse Sacerdotem sumere post Communionem suam, etsi post eam lapsum sit notabile tempus, v. g. hora integra in distribuenda Communione laicis: communiter Doctores cum Lohn. & aliis ap. Gob. teste Croix n. 496. Idem dicunt, si immediate post Missam ad longum tempus Communionem distribuerit: idem dicunt Gran. & Dian. si sacris vestibus adhuc indutus, hujusmodi fragmenta advertat in Sacristia. Imo Marchinus addit, Sacerdotem posse sumere reliquias etiam alieni Sacrificii, finita Missa post multos communicatos, quod probabile esse, dicit Tamb. quia, cum omnes Sacerdotes sint unius, ejusdemque Christi Domini Ministri, omnes unum specie Sacrificium offerunt, ideoque in tali casu censebitur aliquo modo ex suo Sacrificio sumere. Item, si Sacerdos adhuc indutus sacris vestibus ferat ad infirmum hostiam ab alio consecratam, poterit reliquias in patena repertas dare infirmo statim post sumptionem hostiæ, itaut sumptio fragmentorum simul cum sumptione hostiæ censeatur una communio; secus vero, si censeretur bis communicare; & in tali casu posset ipse Sacerdos absumere: ita Castrop. Tamb. Burgh. contra alios. Si vero fragmenta sint ab alio consecrata, servanda sunt, si id commode fieri possit; at, si non possint decenter asservari, potest ea sumere Sacerdos: melius tamen asservantur, si absit periculum irreverentiæ: Suar. Lug. Gob. Si fragmenta reperiantur extra corporale, & dubites, an sint consecrata, sumenda sunt post utramque speciem, vel etiam post ablutionem: Henr. Bon. Gob. At, si inveniatur pars hostiæ circa altare, sumenda est ante primam ablutionem: quod si inveniatur extra tempus Missæ, deponenda est in loco decenti sine solemnitate, & in prima Missa absumenda, ut supra: & idem faciendum esse, dicit Quarti, si quis ferat hostiam, vel partem hostiæ dicens, esse consecratam; non enim semper credi potest. Notandum denique hic, post sumptam ablutionem numquam esse licitum sumere integram hostiam, vel ab alio, vel a se consecratam, quia usus Ecclesiæ extenditur tantum ad fragmenta, quæ unam moraliter communionem constituunt cum prius sumptis. Plura in hanc rem vide apud Croix a n. 501.

§. III.

Quinam teneantur ministrare Eucharistiam?

Quilibet Sacerdos, sive secularis, sive regularis tenetur, deficiente Parocho, Eucharistiam morituro ministrare, quia quilibet tenetur ex Charitate proximo suo extreme indigenti succurrere hoc salutari, & efficacissimo salutis remedio. Parochus vero non solum ex charitate, sed etiam ex justitia hac obligatione astringitur: cui obligationi ut satisfaciat, non solum vocatus debet Eucharistiam ministrare

mori-

moribundis, sed etiam investigare debet, an in sua Parochia sint infirmi in periculo mortis constisuti, quibus Eucharistia ministrari debeat. Colligitur ex *cap. 1. de Celebrat. Missar.*, ut notas Laym. apud Pal. p. 20. num. 1.

An autem Parochi teneaotur Eucharistiam ministrare etiam cum periculo vitæ propriæ, ut esset tempore pestis? sententia hinc inde: Major, Molses. ap. Dian. p. 3. t. 4. resol. 574., item Gob., Croix, &c. docent, Parochum non teneri tempore pestis ministrare Eucharistiam, quia, cum ejus vita requiratur ad alia Sacramenta magis necessaria etiam aliis conferenda, nun videtur esse propter aliquos exponenda tanto periculo in administratione Sacramenti utilis quidem, sed minus necessarij: econtra Suar., Fag., Toler., Nav., Sot., Heor., Villal., Fill., Sylv., Nugn., Marchan., Mancin., Tabien., Sa, Pal., Lug., Busemb., Avers., Card., & alii dicunt, Parochum teneri per se loquendo, tum quia infecti peste habent jus petendi; tum quia subdito in gravi necessitate spirituali constisutu tenetur Parochus etiam cum periculu vitæ propriæ succurrere: moribuudus autem est constitutus in gravi necessitate suscipiendi Eucharistiam, etiamsi Pœnitentiæ Sacramentum susceperis; nam nihiluminus tum maxime infestatur a dæmone, egetque viribus spiritualibus, quas hoc Sacrameutum causat, posseque ipsi per accideus causare primam gratiam juxta piam, ac probabilem sententiam recensitam d. 1. q. 1. c. 4. Fatentur tamen omnes, satis esse, si Parochus Eucharistiam ministret per alium; imo Dicast. ap. Croix n. 484. refert declarationem S. Congreg., qua prohibetur Parochus per se mioistrare infectis, si alius sit, qui ministret, ne reliqui Parochiani fugiant conversationem illius, quem sciunt agere cum infectis peste. Illud nota, si plures in una domo prudenter timeant, se peste inficiendos esse, non idcirco licet Parocho plures hostias ibi relinquere, ut se ipsi commonicent, sed debet singulis vicibus Eucharistiam deferre, & propria menu porrigere, us dictum est §. præced. An liceat Eucharistiam porrigere medio aliquu instrumeuro, vide ibid.

Ab hac obligatiune ministrandi Eucharistiam constitutis in articulo mortis non sunt excipiendi damnati ad mortem ob quodvis crimen, ut olim consuetudinem fuisse in Hispania, & Lusitania, testatur Covarr. apud Pal. n. 5., quæ consuetudo negandi Eucharistiam morte damnatis prætextu reverentiæ debitæ tanto Sacramentu, utpote juri, & Christianæ pietati contraria, merito abrogata fuit a Pio V. in speciali Constitut. hac de re edita; & a Philippo II. Hispan. Rege speciali lege approbata ann. 1569. Hinc tenentur Judices tempus upportunum reis concedere ad se disponendos pro susceptione non solum Sacramenti Pœnitentiæ, sed etiam Eucharistiæ; neque ulla consnetudine contraria, quæ abusus potius dicenda est, etcusari possuns: Henr., Nav., Suar., Tolet., Laym., Bonac., Sa ap. Pal. loc. cit. Ab hac tamen obligatione concedendi tempus ad Eucharistiam suscipiendem eximuntur Judices, si ex tali concessiune timeatur grave damnum Reipublicæ, vel aliqui tertio obventurum, quod alia via, quam celeri morte, impediri non posset: quia non tenentur Judices bono spirituali oon necessario Rei consulere cum damno Reipublicæ, vel Innocentis. Exeipiunt alii probabiliter etiam casum, quo timeatur, reum eo tempore esse violenter eripiendum a Judicum potestate. Illud vero certum existimat Pal. n. 6., quod scilicet, si reo bis concessum sit tempus ad Pœnitentiam, & Communionem opportunom, & ille eorum susceptionem malitiose neglexerit ad differendam mortem, Judices noo tenentur aliud opportunum tempus concedere; aliter esset in potestete Rei mortem evadere, & Judicum potestatem eludere.

An autem, & qoando possit, aut debeat Minister Eucharistiam ministrare indigno: vide, quæ diximus disp. 1. q. e. c. 3., ubi etiam habes, An, & qua obligatione teneantur, sive Pastores animarum, sive simplices Sacerdoses Eucharistiam ministrare extra necessitatem, & obligationem Præcepti Paschalis. Hic solum addendum superest, quod semifatuis, & debilem habentibus usum rationis, raro, v. g. in Paschate danda est Eucharistia, dummodo hunc sacrum cibnm a profano distinguere norint: Henr., & Possev. Idem dicendum de mutis, & surdis a nativitate: item obsessis a dæmone dari potest Eucharistia, dummodo sumere eam possint sine irreverentia.

CAPUT IV.

De Subjecto Sacramenti Eucharistiæ.

INQUIRENDUM hic primo, Quinam sint Eucharistiæ susceptores? Secundo, Quænam in susceptore requiratur dispositio ex parte animæ? Tertio, Quænam dispositio ex parte corporis?

§. I.

Quinam sint Eucharistiæ Susceptores?

EX Trid. *sess.* 13. *cap.* 8., Ex Catech. Pii V., ubi de hoc Sacramento, & ex D. Th. communiter recepto tres distinguendi sunt modi suscipiendi Eucharistiam, nimirum Sacramentaliter tantum, Spiritualiter tantum, & Sacramentaliter simul, ac spiritualiter. Sacramentaliter tantum accipit peccator, quatenus Sacramentum santum accipit; at non ejus fructum: quin imo *Judicium sibi manducat*, ut ait Apost. Spiritualitee santum suscipit justus habens desiderium Sacramenti suscipiendi; &, quamvis hoc modo Sacrameurum nullasenus suscipias, bene tamen dicitur suscipere spirisualiter, quia suscipit effectum Sacrementi, hoc est augmentum gratiæ. Suscipit Sacrameutaliter simul, & spiritualiter, qui soscipit Sacramentum, & Sacramenti effectum. His explicatis

Solius hominis viatoris est Eucharistiam aliquo ex dictis modis suscipere: D. Th. ab omnibus receptus. Dixi *Solius hominis viatoris*: nam etiam non baptizatus est capax suscipiendi Eucharistiam spiritualiter, licet non Sacramentaliter. Potest suscipere spiritualiter, quatenus potest habere desiderium, suscepto Baptismo, recipiendi Eucharistiem: quod vutum, quia supponitur procedere ab homine grato, meritorium est augmenti gratiæ, & consequenter est spiritualis Sacrameuti manducatio: at non est capex suscipiendi Sacramentaliter, quia baptismus est janua cæterorum Sacramentorum, ac proiude non baptizatus nullius Sacramenti, qua talis, est capax. Baptizatus vero quicumque potest Eucharistiam Sacramentaliter suscipere, & quidem sine fructu, imo cum sacrilegio, si sis scienter peccator; cum fructu vero, si sit in grasia, quicumqoe sit.

Hinc sequitur, infantes baptizatos, & perpetuo amentes, si Eucharistiam sumant, gratiæ augmentum percepturos esse: sic multis relatis docet Suar., & comprobat antiqua Ecclesiæ consuetudo teste Trid. *sess.* 21. *c.* 4., dandi Eucharistiam parvulis, quæ certe illis non fuisset concesse, nisi profutura fuisset. Quamvis autem talis Consuetudo abrogata fuerit, id factum est ob reverentiam tanti Sacramenti; non vero, quod puretur tale Sacramentum non prodesse baptizatis carentibus usu rationis, sed justis.

Quæres primo, An infantibus, & perpetuo amentibus concedi possit, aut debeat Eucharistia in articulo mortis?

Respondeo, Certum esse, nullam dari obligationem, aut necessitatem ministrandi Eucharistiam infantibus ante usum rationis (& idem est de perpetuo amentibus) ut docent expresse Trid. loc. supra cit. hanc addens rationem. *Quia per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati adeptam jam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt*. Iisdem vero, sicuti non est necessaria Eucaristia in tali statu, ita nec expedis eam ministrare: D. Th., Vasq., Suar., Henr., Laym., Bon., Amentibus tamen, qoi aliquandu usum rasionis habuerunt, extra mortis articulum non debet concedi, bene tamen in articulo mortis, dummodo non constet, incidisse in amensiam in statu peccati mortalis: Suar., Vasq., Laym., Henr., Bonac. Ratio primæ partis est, quia reverentia debita huic Sacramento postulat, ut non concedatur iis, qui nequeunt se ad illius susceptionem actuali devotione disponere. Ratio secundæ est, quia, qui aliquando usum rationis habuit, & christiane vixit, censetur velle, sibi applicari remedia ad salutem necessaria, vel maxime utilia, adeoque censetur velle interpretative Eucharistiam: quæ ratio non militat pro infantibus, & perpetuo amentibus; & idcirco his deneganda, illis vero concedenda in articulo mortis Eucharistia. Semifatuis, & debilem usum rationis habeutibus, si valeant Divinum hunc cibum a profano distinguere, & reverenter illum expostulent, non solum in articulo mortis, sed etiam tempore Paschali concedi debet, quia credendum est præcepto Communionis Paschalis obligati: at extra dicta tempora non debet concedi ob reverentiam Sacramenti. Quod, si facta diligentia deprehen-

dun-

duntur non sufficienter distinguere cibum Eucharisticum, computandi sunt inter absolute amentes: Possev., Laym., Bonac., Pal. p. 10. n. 8. Vida, quæ in hanc rem congessimus in de Legibus d. 2. q. 3. c. 2.

Quæres secundo, An mutis, & surdis a nativitate: item, An energumenis, seu obsessis a dæmone concedi possit, aut debeat Eucharistia?

Respondeo primo, Si ex signis, & nutibus constet, mutos, & surdos a nativitate pollere sufficienti discretione, qua cibum Eucharisticum valeant distinguere a profano, non solum in mortis articulo, sed etiam in Paschate danda est illis communio. Quod, si prudens Confessarius non qualemcumque discretionem, sed maturam, & perfectam agnoscat in surdo, & muto, sicuti in aliquo se cognovisse testatur Pal. n. 9, aliis etiam solemnioribus Festis concedi poterit Eucharistia. Quod si quis a nativitate sit non solum mutus, & surdus, sed etiam cæcus, reputandus est, ut insana, aut perpetuo amens; unde nec in mortis articulo danda est illi Eucharistia, cum nullo modo instrui possit, aut rescire de hoc mysterio: Gob., Lohn., Croix n. 663., Pal. loc. cit. Denique, si post usum rationis, & aliquam instructionem factus quis esset surdus, mutus, & cæcus, dari illi posset sola extrema Unctio secundum Lohn., at secundum Croix ib. etiam Eucharistia.

Respondeo secundo, Energumenis, etiamsi propter peccata prius commissa obsideantur a dæmone, concedenda est post pœnitentiam Eucharistia non solum in mortis articulo, & in Paschate, sed etiam crebro, si hoc ad eorum spirituale solatium condocat, dummodo absit periculum irreverentiæ, & sint sui compotes: v. Croix n. 662.

Quæres tertio, An pueris, statim ac usum rationis habuerint, concedi possit, aut debeat Eucharistia?

Respondeo, In articulo mortis concedendam esse, nisi alicubi adsit contraria consuetudo: Suar., Laym., Lug., Bernal., Avers., Dicast., Tamb., Lohn., aliique: idemque asserunt Dian., & alii, licet vix septimum ætatis annum expleverint, dummodo instrui possint: quia, cum præceptum Divinum de Viatico nihil committat judicio Ecclesiæ, aut Confessarii circa ætatem, nec expectari possit in casu plenior usus rationis, non habetur ratio, cur non obligentur statim, si habeant plenam hujus cibi discretionem. Hinc Croix n. 647. ait, audiendos non esse Ochag., Gran., Mærat., Hurt., aliosque, hujusmodi obligationem absolute negantes; nec Vasq. dicentem, absolute non esse licitum dare Viaticum talibus pueris; nec Navarr. dicentem, esse licitum, sed non dari obligationem. In dubio, an puer habeat usum rationis, adhuc posse dari Viaticum, docent Lug., Dicast., Dian., Tamb. Addunt tamen, non esse obligationem dandi, contradicente Bernal. asserente, quod, si potest, debet dari: hinc Schil. absolute negat, illi dandum ob periculum irreverentiæ: sed Croix n. 648. docet, tenendam esse unam ex prioribus sententiis.

Extra mortis articulum S. Antonin., Pal., aliique gravissimi Doctores cum Jo. Sanc. docent, pueros septennium egressos, aut etiam ante septennium, si discernant hunc cibum spiritualem, per se loquendo obligari præcepto Communionis Paschalis, adeoque dandam illis Eucharistiam in Paschate, nisi proprius Sacerdos judicet, differendam, cui hoc dijudicandum committit Concil. Lateran. Nomine autem proprii Sacerdotis hic non venit solus Parochus, vel qui cum illo habet jurisdictionem, ut vult Dicast., sed quilibet Confessarius: quo nomine utuntur Suar., Busemb., & alii communissime; & sic habere videtur usus ex tacita approbatione, & consensu Parochorum: hinc Bernal. apud Croix n. 650. dicit, quod, si puer non indigeat Confessione, nec habeat Confessarium, quem interroget, stare possit determinationi parentum, vel eorum, qui ipsi sunt loco Parentum. Quamvis autem Escob. citans Nav., & Cordub. dicant, usum habere, ut pueri non obligentur ante pubertatem, hoc est masculi ante 14., femina ante 12. ætatis annum; alii tamen melius communiter dicunt, attendendum esse non ad annos præcise, sed ad judicii maturitatem, & spem reverentiæ debitæ ab illis exhibendæ; additque Lug., tempus hujus obligationis pueris non incipere in indivisibili, sed potius esse multos, quibus licite dari possit hoc anno Communio, & tamen licite etiam differri post unum, aut etiam alterum annum, ut melius se disponant, & cum majori reverentia ad eam accedant. Obligantur tamen parentes, vel parentum vices gerentes curare, ut interrogentur proprii Sacerdotes, seu Confessarii. Quomodo autem sit instruendus, qui prima vice vult communicare: v. ap. Croix n. 651.

Quæres ultimo, Quid sentiendum sit de Communione quotidiana?

Respondeo: Doctores circa hoc punctum divisos esse: Jo. Sanch. d. 22. adducit plures quam 40., qui absolute dissuadebant quotidianam Communionem; econtra alios etiam plurimos refert, qui eam absolute suadebant, quibus ipse adhæret, etiamsi aliquis sine speciali devotione, & ex sola consuetudine accederet, idemque tenuerunt multi Hispani apud Carden. in 1. crisi d. 66. c. 1. Dicendum tamen est cum S. Th., Suar., Bosc., aliisque nunc communiter, quod, quamvis unicuique expediat quotidiana communio, si adsit status gratiæ, actualis devotio, & debita reverentia, quia tamen difficile est, ut omnes, maxime sæculares, prædictas conditiones quotidie habeant; idcirco quotidiana Communio, absolute loquendo, non expedit omnibus indifferenter, sed hoc relinquendum est judicio prudentis Confessarii: absolute autem omnibus adultis convenit valde frequens, quæ omnia declaravit S. Congreg. approbante Innoc. XI. in Decreto, quod Croix refert per extensum n. 665. Ex quo Decreto infert ipse, posse Confessarios devotis personis determinare dies, quibus communicent; sed petentibus sæpius, aut etiam quotidie, negari non posse Communionem, si dignæ judicentur: neque deterrendas esse a quotidiana Communione: hinc, si tales personæ interrogent, quoties communicare possunt, negari iis non debet, quod possint quotidie, posito quod judicentur dignæ: si tamen non judicentur dispositæ ad toties communicandum, dissimulari, vel etiam negari potest Communio, quia Papa hoc totum relinquit judicio Parochi, vel Confessarii. Quando vero commendatur frequens usus Communionis, intelligi debet sola digna Communio, ut per se patet, quia sola digna Communio utilis est ad salutem. Hinc Innoc. XI. recte damnavit hanc propos. 56. *Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis:* quæ propositio est maxime scandalosa, ut notat Croix n. 671.; nam qui gentiliter vivunt, hoc est, qui vivunt habitualiter in depravatis, & corruptis moribus, sacrilege communicant; si enim per Confessiones bonas se semper disponerent ad dignam Communionem, certe non pergerent vivere gentiliter.

§. II.

Quænam requiratur in suscipiente Eucharistiam dispositio ex parte Animæ?

IN adulto, aut in eo, qui aliquando usum rationis habuit, requiritur (non ad validam, ut in cæteris Sacramentis consistentibus in usu, sed ad Sacramentalem, seu fructuosam, & non mere materialem Eucharistiæ susceptionem) intentio suscipiendi hoc Sacramentum saltem habitualis, vel interpretativa juxta dicta disp. 1. q. 3. c. 1.

Requiritur præterea immunitas non solum ab omni censura impediente usum passivum Sacramentorum, sed etiam ab omni peccato mortali, quod postremum de fide esse, docent Suar., Lug., Dicast., contra hæreticos; quare peccat mortaliter peccato sacrilegii, per se loquendo, qui Eucharistiam in mortali suscipit: Dixi *Per se loquendo*; nam per accidens in aliquo casu excusari potest a peccato: ut, si sumat Eucharistiam, ne turpius profanetur ab hæreticis: Croix n. 514.; vel si accumbens scamno communicantium non possit sine infamia, aut scandalo recedere, & tunc advertat, se esse in peccato mortali, neque possit, quantumvis conetur, elicere actum contritionis, sive ob perturbationem animi, sive ob brevitatem temporis: Hurt., Vasq., Ochag., Dian., Leand., Lug., quia moralis necessitas tollit irreverentiam: quamvis Dicast. putet, casum esse moraliter impossibilem; quia, si revera conetur, quantum in se est, elicere contritionem, gratia Dei non deerit: at, si casus contingeret, videtur consentire.

Peccatum veniale nullo modo impedit effectum saltem primarium Eucharistiæ: nam, si sit habituale, ipsa communione, quæ est virtualis quædam ejusdem detestatio, remittitur, ut dictum est cap. 1. hujus quæst., si vero sit actuale, commissum nempe in ipsa communione, neque impedit augmentum gratiæ, ut docent D. Th., Victor., Suar., Vasq., Laym., Pal., & alii relati a Suar. Ratio est, quia veniale peccatum nec gratiæ, nec ejus augmento opponitur; hinc Trid. *sess. 13. cap. 7.* ad dignam Eucharistiæ susceptionem solum requirit, ut, qui conscius est peccati mortalis, se per confessionem, & contritionem probet, nulla facta mentione peccati venialis. At, quamvis non impediat augmentum gratiæ, quod est primarius effectus hujus Sacramenti, impedit effectus secundarios: impedit enim ipsius remissionem,

nem, quæ per Sacramentum deberet fieri ex opere operato: impedit præterea tum devotionem, & charitatis fervorem, tum specialem suavitatem, & dulcedinem, quam experiri solent devoti communicantes, tum denique plura auxilia gratiæ ad præcavenda peccata, quæ alioqui concederentur. Demum quodcumque peccatum veniale afficiens ipsum actum communionis juxta probabiliorem, & communiorem sententiam cum D. August. Suar. Laym. Tann. Rhod. Lug. Aversf. Gob. contra Ledes. Vasq. Sa, Jo: Sanch. Leand. fert novam malitiam venialem specialis irreverentiæ, ut esset communicare cum actu vanæ gloriæ, cum voluntaria distractione, cum actuali complacentia de peccato veniali, quia ratione Eucharistiæ redundat specialis indecentia in illud veniale: v. Croix n. 522.

Ex dictis sequitur: Primo ad effectum principalem hujus Sacramenti non requiri necessario Fidem actualem hujus mysterii: Suar. contra Pal. & alios, modo adsit aliquis actus Fidei implicitus, & in confuso, ut ex Lugo dictum est d. 1. q. 3. c. 2. nec actualem devotionem ex ibid. dictis. Secundo, Nec requiri amorem Dei purissimum, quod certum est contra aliquos Lovanienses; docentes, hominem ante Communionem debere esse liberum ab omni malo habitu, & habere amorem sine ulla mixtione amoris imperfecti: hinc merito Alex. VIII. damnavit hanc propos. 23. *Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.* Tertio, Nec prærequiri impletionem pœnitentiæ injunctæ a Confessario, ut etiam voluerunt aliqui Lovanienses: hinc idem Alex. VIII. damnavit hanc 22. prop. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Id etiam constat a posteriori; nam, si ante Communionem deberet esse satisfactum pro peccatis, male Ecclesia prærequireret Communionem ad lucrandas indulgentias loco satisfactionis pro peccatis. Demum, qui sibi conscius est culpæ gravis, si velit Eucharistiam, tenetur ex præcepto, & quidem probabilius divino, obligante sub gravi, præmittere Confessionem Sacramentalem. At, quomodo obliget tum hoc præceptum, tum aliud confitendi quamprimum a Trid. impositum Sacerdotibus celebrantibus ex necessitate in peccato mortali; non præmissa sacramentali Confessione, sed solum Contritione, vide in Tract. sequ. de Pœnitentia disp. 1. quæst. 1. cap. 4. & 5. quod, & supra citavimus.

§. III.

Quæ requiratur in suscipiente Eucharistiam dispositio ex parte Corporis?

NULLA Corporis macula per se impedit susceptionem Eucharistiæ, quam solum potest impedire per accidens, nimirum propter effectus secutos. Hinc non impedit pollutio involuntaria, imo nec voluntaria per pœnitentiam expiata, nisi reliquerit in animo magnam perturbationem, & alienationem a rebus spiritualibus, vel turpem recordationem, aut delectationem; quo casu, uti & semper post culpabilem, melius est Communionem differre, nisi adsit justa aliqua causa non differendi, puta magna Festivitas, regula Ordinis, vel si illa animi perturbatio, aut turpis recordatio putetur excitata a dæmone ad impediendam frequentem Communionem: Sanch. *de Matr.* l. 9. d. 13. Bonac. Lug.

Hinc inferes, quid dicendum de copula conjugali. Porro copula conjugalis ob solam voluptatem exercita, quamvis simpliciter Communionem non impediat, cum non sit peccatum mortale, illam tamen impedit ex quadam decentia, & honestate: quare consilii est Communionem in alium diem differre, nisi adsit justa, & specialis causa communicandi eo die: si vero ex legitimo fine, & debita moderatione exerceatur, nullatenus impedit Communionem, quia est actus virtutis, ut habetur in cap. *Vir cum Uxore* 33. *q.* 4. Ita Pal. p. 13. n. 3. Monent tamen Doctores, conveniens esse, ut Conjuges nocte Communioni proxima, imo tota die, qua sumpta est Eucharistia, a debiti petitione abstineant ob reverentiam Sacramenti. A debiti vero serio, & constanter petiti redditione abstinendum non est, quia esset contra justitiam: imo, si quis conjugatus frequenter communicet, e. g. Dominicis, & festivis diebus, neque simplici petitioni resistere debet, ne sit molestus conjugi, & occasionem præbeat frequentem Communionem interdicendi: si vero singulis tantum mensibus communicet, petentem debitum decet commonere, & rogare, ut a petitione desistat ob reverentiam Sacramenti suscipiendi; quod, si ægre ferat, petenti annuendum, & tunc reddens majori, qua poterit, devotione se ad Sacram Communionem disponet, sperans divinam gratiam sibi non defuturam ob opus conforme legi naturali, & divinæ.

Ob reverentiam huic Sacramento debitam stomachus communicantis debet esse ita dispositus, ut valeat retinere, & absumere species Eucharisticas. Hinc, qui continuo revomit, vel qui cibos sumptos plane immutatos statim emittit per secessum, tenetur abstinere a communione; aliter gravem irreverentiam committeret: Sanch. Quarti, Gob. Si tamen bona fide sic communicet, & statim revomat, recipit effectum Sacramenti, nempe gratiam; sed in tali casu species purgari debent, & sumi; quod, si purgari non possint, vel nemo sit, qui velit sumere, nefas esset comburere, sed immittendæ sunt in aquam, donec dissolvantur, & tunc aqua injicienda est in Sacram piscinam: Gob. apud Croix n. 553. in dubio, an sumens sit revomiturus, communius, & probabilius Doctores dicunt, non esse licitum communicare, contradicentibus Tann. & Gob. qui cum Suar. addunt, in his, & similibus casibus licitum esse dare ægro minimam particulam, etiam in liquore, vel jusculo, licet hoc moraliter sit prius descensurum in stomachum. Non tenetur tamen abstinere a communione, qui non identidem, sed aliquando, etiamsi pluries per diem, revomit, quia non est morale periculum, ut eo præcise tempore vomitus eveniat, nec prudenter timentur, quæ raro eveniunt: Gob. Idem dic de continuo tussiente, quia, quamvis materia, quam ejicit, plerumque ascendat e pectore; non est tamen periculum ejiciendi Sacras species, si ad stomachum descenderint, quia alia est via, per quam cibus ad stomachum descendit, alia per quam sputa tussiendo excutiuntur; hæc est vena aspera, seu via respirationis ad pulmones, illa est œsophagus. Decens tamen est ad vitandum scandalum, ut sputum saltem intra spatium quinque *Pater, & Ave*, si nimirum abundet post susceptam Communionem, strophiolo excipiatur: Pal. Gob. Si quis post Communionem incidat in morbum, aut cum Communione sumpserit venenum, ita ut Medicus judicet, necesse esse, ut statim evomat, sumere potest potionem ad evomendum, *Ne Calix vitæ vertatur in mortem*, ut ait D. Th. q. 83. art. 6. ad 3. Species autem rejectæ a sordibus separatæ erunt detinendæ, aut injiciendæ in aquam, donec consumantur, &, quod superest in sacram piscinam conjiciendum, ut modo dictum est. Secluso scandalo, licitum est gladiatos sumere Communionem: Gob. imo hoc decere Equites S. Joannis, & similes, ait Jo: Sanch. quia gladius pro Fide gestandus est eorum insigne.

Præcipuum vero requisitum ex parte corporis est jejunium naturale; consistens in omnimoda abstinentia a cibo, & potu vel minimo servanda ex gravi obligatione rigorosi Præcepti Ecclesiastici non admittentis parvitatem materiæ a media nocte præcedente Communionem usque ad tempus Communionis: est certum ex Conciliis, & communi sensu Doctorum. Ut autem aliquid frangat jejunium naturale, hæc tria requiruntur: Primo, Ut habeat rationem cibi, & potus: Secundo, Ut sumatur per modum comestionis, vel potationis: Tertio, ut sumatur ab extrinseco.

Primo, *Ut habeat rationem cibi, & potus*. Id dicitur habere rationem cibi, vel potus, quod a stomacho alterari, & saltem ex parte digeri potest, & sic in substantiam hominis aliquo modo converti: Lug. Castr. Dian. Dicast. Gob. Jo: Sanch. Tamb. contra Nugn. Laym. & Bernal putantes, non requiri ad rationem cibi, & potus, ut sit digestibile; sed priorem sententiam tenendam esse, ait Croix n. 565. Hinc fumus, nebula, aut quid simile cum aere in stomachum trajectum non frangit jejunium naturale, quia hæc non sunt comestibilia, aut potabilia, sed potius respirabilia. Dixi, *Saltem ex parte digeri potest*, quia, ut aliquid sit cibus, vel potus aptus frangere jejunium naturale, non est necesse, ut secundum se totum digeri possit, sed sufficit, si aliquam partem habeat digestibilem, ut probabiliter habent uniones redacti in pulverem, & aurum potabile, & idcirco frangunt ex Tamb. jejunium. Idem probabilius dicendum cum Croix n. 562. contra Dicast. de terra, quam prægnantes aliquando solent appetere, & comedere, necnon de creta, quam nonnullæ solent comedere, ut albescant, quia in his sunt saltem aliquæ partes admixtæ alterabiles a stomacho. Idem pariter dicendum cum Tambur. contra Dian. & Bernal de cera, quæ fere semper habet aliquid mellis admixtum, de charta, & filo ex lino, quæ ex herbis fiunt, de fœno, & palea, quæ in substantia sua sunt herbæ, ac demum de quocumque pulvere medicina-

dicinali, etiam ex ossibus, & lapidibus contrito, quia se habet tanquam cibus medicinalis corporis. Econtra vero probabile saltem est, capillos, officula fructunm, plumbum, ferrum, solida frustra auri, fila ex serico, vel lana, &c. non frangere jejonium, quia nec sunt alterabilia in stomaco, nec digestibilia: Ledesm., Lug., Jo. Sanch., Dian., Tamb. contra Pal., & alios. Putat Pasq., venenum non frangere jejunium, utpote non ordinatum ad cibum humanum: sed probabilius est frangere jejunium ex eo, quod in eo contineantur partes, quæ natura sua sunt cibus humanus.

Secundo, *Ut sumatur per modum comestionis, aut potationis*. Sumitur aliquid per modum comestionis, vel potationis, quando id, quod trajicitur in stomachum, & modus trajiciendi sufficit, ut quis in morali æstimatione censeatur comedisse, vel bibisse: Tann., Leand., Gob. Unde, si musca involaret in fauces, & statim seipsam in stomachum inserret, non violaretur jejunium: contra vero violaretur jejunium, si involaret in fauces, & homo postmodum deglotiret: Lug., Rhod., Tamb. Similiter, quidquid se habet per modum salivæ, etiamsi ab extrinseco salivæ advenerit, non frangit jejunium; quia non censetur in stomachum immitti per modum comestionis, aut potationis: dicitur autem se habere per modum salivæ, quod, cum sie minimum, & a saliva inseparabile, quamvis nondum in illam conversum, simul cum saliva deglutitur: ut si quis os abluat, & ejus aquæ stillula salivæ immixta postea deglutiatur: Suar., Vasq., Gran., Dicast., Gob., & quamvis D. Th., Lug., Fill., Bonac., Hortad. requirant, ut id, quod trajicitur, præter directam intentionem trajiciatur; Henr. tamen Con., Tabien., & alii apud Avers. dicunt, non obstare, etiamsi advertenter trajiciantur parvæ reliquiæ ciborum cœnæ præcedentis dentibus inhærentes, etiam data opera deglutitæ non violant jejunium, juxta Suar., Pal., Gob., Leand., vel quia faciunt unum moraliter cum cœna præcedenti, adeoque moraliter censentur sumptæ heri, non hodie; vel quia sumuntur per modum salivæ, non per modum comestionis: at, si sint ita magnæ, ut sensibiliter percipiantur in lingua, deberent expui, &, si deglutirentur, frangerent jejunium naturale, quia tales ciborum reliquiæ nec censentur trajici in stomachum per modum salivæ, nec censentur moraliter sumptæ die præcedenti.

Quamvis Lez., & alii ap. Dian. p. 5. t. 13. r. 1. puteut, tabacum tam masticatum, quam fumatum violare jejunium, etiamsi nihil sensibile trajiciatur in stomachum; Dian. tamen, & Burg. citantes plures alios negant, per tabacum frangi jejunium, dummodo nihil deglutiatur de folio; si autem aliquid fumi deglutiretur, adhuc negant Burgh., & March. contra Rayn. frangi jejunium, quia fumus descendit in stomachum per modum aeris, non cibi, aut potus, & veluti per actionem respirationis, non per modum comestionis, aut potationis; vide Croia n. 569. Item tabacum sumptum per nares, sive in pulvere, sive in fumo; imo secundum aliquos etiam guttulæ humoris per nares attractæ neque violant jejunium, quia hæc omnia non sunt comestio, aut potatio, sed vel trajectio salivæ, vel respiratio, vel attractio, seu afflatio narium: Bourderv., Avers. apud Croix n. 570. Item odor qualiscumque neque violat jejunium; quia neque est cibus, aut potus, neque sumitur per comestionem, aut potationem, sed veluti per respirationem: Tamb., Gob., Pign. contra De Leon. Demum, si quis in flumen lapsus invitus sumat aquam, aut si alicui in somno, vel violenter ingeratur cibus in fauces, Bosco dicit, non frangi jejunium: sed merito contradicunt Lug., Pasq., Tamb., Dian., Avers., quia vitaliter sumitur per comestionem, vel potationem.

Tertio, *Ut sumatur ab extrinseco*. Hinc est, quod saliva non frangit jejunium naturale: item, si sanguis e gingiva, aut sanies e pustula oris fluens deglutiatur, non frangit jejunium: D. Th., Suar., Tann. apud Croix n. 565. Idem sentit Quarti citans D. Th., Suar., Lug., & alios, etiamsi sanguis in os defluens ex industria deglutiatur, etiam animo se nutriendi, quia talis intenzio non potest dare sanguini illi rationem cibi ab extrinseco: quod, si sanguis sugeretur e vulnere digiti, violaretur jejunium, quia, cum sumeretur a membro corporis tam distante, censeretur sumi ab extrinseco: Lugo, Tambur. Idem est; si mulier e suis mammillis sugeret lac; vel, si aliquis in os admitteret, & deglutiret, quod ex oculis, & naribus defluit.

Post sumptam Eucharistiam nullum est præceptum jejunandi, sed potest statim absque peccato sumi cibus, aut potus: Pal. p. 13. n. 10. Verum, quamvis præceptum non sit servare jejunium; est tamen maxime conveniens, quousque species Eucharistiæ credantur absumptæ, ne cibus ille cœlestis terrenis hisce, & materialibus misceatur: consumuntur autem species in laico intra dimidium quadrantis, in Sacerdote intra quadrantem: ita Lugo ex judicio Medicorum a se consultorum: Tamb. autem ex Jo. Sanch. notat, citius a valido quam a debili stomacho: regulariter tamen ab omnibus intra horam absumi, & affert casum infirmi, qui post mediam horam species integras ejecit.

A generali doctrina de jejunio præmittendo sumptioni Eucharistiæ excipiendi sunt aliqui casus. I. est de constituto in periculo mortis. Dicitur autem constitutus in periculo mortis omnis ille, cui invito mors immiuet, sive ratione morbi, vulneris, aut veneni, sive ex sententia Judicis. Dixi *Invito*; nam, si ipse se conjiciat in mortem, non censetur esse in illius periculo: Croix n. 585. Igitor constitutus in periculo mortis, si non possit commode jejunus sumere Viaticum, potest sumere non jejunus, ut certum est ex communi praxi Ecclesiæ; & probabiliter etiam pluries durante eodem periculo, seu eadem infirmitate, ut aliis relatis docent Suar., Bon., Pal. n. 13. contra Vasq., dicentem, constitutum in periculo mortis non posse nisi semel, communicare non jejunum. Quod, si quæras, quo dies intercedere debeant inter Communionem, & Communionem? Respondent Suar., Fag., Bon., & alii communiter sex, aut octo dies. At Pal. n. 14. dicit, vel sentiendum esse cum Vasq., vel affirmandum non solum post sex, vel octo dies posse aliquem iterum Viaticum sumere, sed etiam singulis diebus. Emm. Sa sine ulla limitatione dicit, posse infirmum sæpius in eodem morbo communicare non jejunum, quoties expetere videtur. Laym. existimat, si aliquis assuetus est freqoenter communicare, vel sacrificare, & propter devotionem, ac desiderium difficile abstineat, posse ipsi permitti, ut altero statim die iterum Eucharistiam sumat non jejunus, dummodo mortis periculum instare videatur. Addit, posse Sacerdotem constitutum in periculo mortis sacrificare non jejunum ad se communicandum; secus vero ad dandum Viaticum alteri, ut communiter docent Doctores contra Major.

II. Sumitur ex reverentia debita Sacramento; si enim prudens timor adsit alicujus gravis irreverentiæ, vel quia Sacramentum in manus Infidelium esset deventurum, vel quia ab animali, vel igne esset absumendum, vel ah aliquo alio irreverenter tractandom, poterit non solum Sacerdos, sed eo deficiente etiam laicus non jejunus sibi propriis manibus ministrare; quia, quod in revereotiam Sacrameuti statutum est, non debet in ejusdem isreverentiam cedere: ita ex omnium sententia doceot Vasq., Suar., Con., Fag. Laym.

III. Sumitur ex perfectione Sacrificii, & potest tripliciter evenire: Primo, Si Sacerdos per inadvertentiam aquam loco vini in calice posuerit, & sumpserit: Secundo, si post consecrationem recordetur, se non esse jejunum: Tertio, Si facta consecratione sacrificium absolvere nequeat, vel quia moritur, vel quia sensibus destituitur: in his casibus poterit, vel idem, vel alius Sacerdos (si idem non possit) etiam non jejunus communicare, ne Sacrificium relinquatur imperfectum, quia lex conficiendi Sacrificium perfectum prævalet legi de præmittendo jejunio: ita iidem præcit. Doctores. Huc reducitur casus de reliquiis hostiarum consecratarum, quæ reperiuntur in corporali, vel in patena, quæ, utpote pertinentes ad idem Sacrificium, sumi possunt a Sacerdote etiam post ablutionem, de quo tamen satis dictum est cap. præced. §. 2.

IV. Receptus ab omnibus est, cum violatur jejuninm simul cum Communione accepta, ut contingit, cum in feria 6. hebdomadæ sanctæ Sacramentum mixtum vino sumitur, maxime si pars vini descendat ad stomachum ante Sacramentum: item, cum sacra hostia hæret labro calicis, nec facile digitis inde dimoveri potest, & sumi; tunc enim expedit vinum infundere, & simul cum illo sumere: item, cum palato hæret, poterit, imo expedit semel, & iterum ablutionem sumere: quia in his casibus violatio jejunii moraliter non censetur Communionem præcedere: Suar., Vasq., Laym., Bonac., Pal.

V. Si gravis nota Sacerdoti immineat, nisi celebret non jejunus, ut si incepta Missa recordetur, se non esse jejunum, prævideatque, quod, si desistat manifestando causam, Populus non acquiescere; quinimo grave quid sit suspicaturus, & scandalum sumpturus: tunc poterit Missam prosequi, & non jejunus celebrare, quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto rigore: ita præcitati Doctores.

Quæ

Quæres, Quid agendum in dubio, an sis jejunus?

Respondeo, Si dubium sit positivum, itaut probabiliter judices, te esse jejunum, potes communicare. Si autem dubium sit mere negativum, distinguendum est; si casus ita se habeat, ut scias, te post mediam noctem fuisse jejunum, & dubites, an postea aliquid deglutiveris, quemvis Sanch. Feg. Rodr. Villal. Bonac. Oviedo, Pal. Schild. dicant, non esse licitum communicare; attamen Card. Lug. Laym. Caram. Pasq. Bard. Dicast. Carden. Boss. Rayn. Dian. probabilius docent oppositum: quia quivis habet jus communicandi, nisi sciat, se prohiberi e Communione. Præterea non tenetur positive probare, se esse idoneum, sed satis est, si sciet, se fuisse idoneum, & non sciet, se amplius non esse: vide Croix n. 576. Si vero scias, te aliquid cibi, vel potus sumpsisse, nescias tamen, utrum ante, an post mediam noctem sumpseris; Jo. Sanch. Dicast. Gobat. Bosco adhuc putant, posse communicare, & idem, ut probabile, sustinent Med. Laym. Rhod. Tambor. Burg. Card. Dian. quia adhuc videtur esse in possessione jus communicandi, usquedum probetur supervenisse impedimentum. Alii vero cum Thom. Sanch. Boss. Lugo, Bernal dicunt, talem non posse communicare, quia, cum sciet, se comedisse, videtur esse in possessione præceptum prohibens, non libertas: v. Croix n. 577.

Notandum hic, mediam noctem computandam esse a primo pulsu horologii; unde, si quis aliquid cibi, vel potus tunc haberet in ore, probabilius ex Con. & Jo. Sanch. contra Gob. tenetur ejicere, si vellet manere jejunus pro die sequenti; sicuti deberet etiam ejicere saccharum, vel quid simile ori impositum ante mediam noctem juxta communem, & certam sententiam, ut ait Croix n. 580. contra Amic. & alios. Notandum præterea, quod, ubi sunt plura horologia non certo aberrantia, quæque ordinarie bene diriguntur, quivis potest se accommodare posteriori horologio, itaut possit communicare die sequenti, etiamsi comederit, aut biberit aliquid post mediam noctem secundum unum horologium, sed nondum secundum alia.

Quæ hic dicta sunt de volente communicare, intelligenda sunt etiam de volente sacrificare.

CAPUT V.

De Obligatione suscipiendi Eucharistiam.

EUCHARISTIAM in re susceptam non esse necessariam necessitate medii ad salutem, tenent Catholici omnes cum Arcudio l. 3. c. 42. & sequ. contra Armenos apud Soar. d. 40. sect. 2. qui dixerunt, realem Eucharistiæ susceptionem esse omnibus necessarium medium salutis; & idcirco cum baptismo dabant etiam Eucharistiam infantibus. Porro Eucharistiam non esse parvulis ad salutem necessariam, definitum est a Trid. *sess. 21. can. 4. Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema sit:* neque esse necessariam adultis, constat ex communi sensu omnium Fidelium, qui censent, salvari illum adultum, qui credens statim post baptismum moritur, juxta illud Marc. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* quod etiam definit Trid. *sess. 5. in Decr. de Peccat. Origin.* dicens, simpliciter omnem baptizatum esse hæredem Dei, cohæredem autem Christi, itaut nihil prorsus eum ab ingressu Cœli remoretur. Non solum autem in re suscepta, sed neque in voto est necessaria necessitate medii ad salutem: D. Thom. q. 65. a. 4. Arcud. Bern. Dicast. quamvis Gon. videatur contradicere, cui, quoad adultos, in aliquo sensu favet Avers. Ratio autem nostræ est, quia Eucharistia non causat aliquid necessarium ad salutem, quod suppleri possit a voto Eucharistiæ ipsa deficiente; tale enim votum neque causat primam gratiam, neque perseverantiam in ipsa; imo, cum Eucharistia, per se loquendo, non causet primam gratiam, multo minus votum Eucharistiæ erit necessarium ad primam gratiam, & ad salutem: Croix. Eucharistia igitur necessaria est solum necessitate præcepti, & quidem tam Divini, quam Ecclesiastici, ut mox videbimus: quare Primo agemus de obligatione sumendi Eucharistiam ex præcepto Divino: Secundo, De obligatione ex præcepto Ecclesiastico.

§. I.

De obligatione sumendi Eucharistiam ex Præcepto Divino.

DARI Præceptum Divinum sub gravi obligans de sumenda Eucharistia, est communis sententia Doctorum post D. Th. q. 80. a. 11. contra Alens. D. Bonav. Gabr. & alios putantes, dari tantum Præceptum Ecclesiasticum. Probatur ex illis verbis Christi Domini Jo. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Neque obstat, quod, si hæc verba continerent præceptum de sumenda Eucharistia, jam deberet dici præcepta a Christo Domino sumptio Eucharistiæ sub utraque specie, quod falsum esse, certo constat ex Trid. *sess. 21. can. 1. Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes, & singulos Christifideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit:* & *can.* 2. definiente, quod Ecclesia id juste prohibuerit. Non inquam, obstat, quia illa verba *Nisi, &c.* intelligenda sunt hoc modo, *Si nec manducaveritis, &c. nec biberitis, &c.* sicuti intelligenda sunt verba illa Petri *Act.* 3. *Argentum, & aurum non est mihi,* hoc est, *neque argentum, neque aurum est mihi:* Pal. p. 14. n. 3. Adde, Trid. *sess.* 13. *cap.* 2. dicere, quod Christus sumptione Eucharistiæ, quæ ad omnes spectat, præceperit coli sui memoriam. Neque item obstat, quod Ecclesia possit in pœnam delicti privare aliquem Viatico, prohibendo suis Ministris illius administrationem, ut aliquando privasse, testatur Lug. nam non inde infertur, Viaticum non esse de jure divino: sicuti ex eo, quod Judex in pœnam delicti privare possit reum cibo corporali, non recte infertur, cibum corporalem non esse de jure naturæ. Neque in hoc casu Ecclesia dispensat in præcepto divino; sed solum subducit materiam, prohibendo suis Ministris administrationem. Porro Ecclesiæ jam a tempore Inn. III. mandavit, ne ulli pœnitenti Viaticum denegetur, ut etiam habetur in cap. *Quod in te, de Pœn. & Remiss.*

Quæres primo, Quinam obligentur hoc præcepto divino, soline baptizati, an etiam infideles?

Respondeo, Duplicem hac in re esse sententiam. Altera valde probabiliter docet, solos baptizatos obligari hoc præcepto, sicuti soli baptizati obligentur præcepto divino Confessionis Sacramentalis: ita Sanch. Pal. aliique ap. Croix n. 595. Altera fortasse probabilius docet, hoc præcepto obligari etiam infideles: quia præcepta divina sine ulla limitatione prolata obligant omnes, qui sunt eorum capaces: sed infideles adulti sunt hujus præcepti capaces; de facto enim Christus etiam ad non baptizatos Capharnaitas dixit, *Nisi manducaveritis, &c.* ergo etiam infideles obligantur, non quidem ad sumendam Eucharistiam ante, sed post baptismum: non secus ac tenentur quidem baptizati, qui sunt in peccato mortali, communicare, sed post sacramentalem confessionem. Dispar est ratio pro Sacramento Pœnitentiæ, quamvis, præceptum de suscipiendo hoc Sacramento sit etiam divinum; nam materia hujus Sacramenti sunt peccata commissa post baptismum; nil ergo mirum, quod non obliget, nisi solos baptizatos, cum non possit obligare infideles, ut baptismum suscipiant, & peccent ad hoc, ut Sacramentum Pœnitentiæ suscipiant; sicuti nec absolute obligat Fideles, sed solum, si post baptismum lapsi sint in aliquod peccatum.

Quæres secundo, Quandonam obligentur Fideles hoc præcepto?

Respondeo primo, Hoc præcepto obligari in articulo mortis: ita communiter Doctores contra Victor. & alios docentes, ad satisfaciendum huic præcepto divino satis esse, si semel in vita quis communicet. Ratio est, quia pro eo tempore dicendum est potissimum obligare aliquod præceptum, quo ejus executio est maxime necessaria ad finem præcepti assequendum: atqui in articulo mortis est maxime homini necessarium conjungere se cum Christo, & contra hostes se munire; Diabolus enim sciens, quia modicum tempus habet, insidias parat, & pro viribus eum dejicere procurat: ergo in mortis articulo dicendum est maxime urgere præceptum Communionis. Eruitur id etiam non obscure tum ex Trid. *sess.* 13. *cap.* 6. dicente, antiquissimum esse morem communicandi in articulo mortis; cum autem hujus consuetudinis initium ignoretur, dicendum, quod originem duxerit ab Apostolis ex præcepto divino; tum ex Concil. Nicæn. I. dicente, antiquam legem observandam esse, ne quis sine necessario Viatico decedat;

non

non potest autem Viaticum diel necessarium, nisi ex præcepto divino, cum Ecclesia non præcipiat, nisi Communionem Paschalem. Hoc præceptum non obligat, nisi ad semel sumendum Viaticum, durante eodem periculo mortis, utut duret ad plures dies: quare, qui post Viaticum sumptum peccaret mortaliter, non teneretur denuo communicare: Regin. Fill. Lug. & alii. Item, qui non communicavit in periculo mortis, non tenetur postea supplere, quia est obligatio affixa tali tempori: Bonac. Henr. Regin. & alii.

Respondeo secundo, Præceptum Divinum de sumenda Eucharistia non solum obligare in articulo mortis, sed etiam interdum in vita: ita etiam communiter Doctores cum Suar. Valent. Pal. & aliis. At, qua frequentia teneamur vi præcepti divini communicare in vita, non constat. Suar. cum aliis putat, hoc præceptum obligare singulis trienniis, vel quadrienniis: alii, quoties urget aliqua gravis necessitas: alii juxta opportunitatem, itaut teneantur sæpius communicare, qui sunt in Civitate fidelium, quam alii; & qui sunt magis instructi, & qui sunt minus impediti, ut diximus de actibus virtutum theologalium, qui, nullo præfixo tempore præcipiuntur præcepto divino: alii demum cum Lug. dicunt, Christum nullo determinato tempore direxisse præceptum ad Ecclesiam, ut hæc tempora determinaret. Illud certum videtur, quod, cum Ecclesia præcipiat Communionem semel in anno, non sit contra præceptum divinum Communionem ad annum differre.

Ex dictis sequitur primo, per Communionem etiam bona fide susceptam ante baptismum non satisfieri huic præcepto. Ratio est, quia talis sumptio Eucharistiæ non est sacramentalis, nec apta in tali subjecto significare gratiam, quia non baptizatus, etiamsi supponatur per Contritionem perfectam justificatus, non est capax percipiendi fructum ex hoc Sacramento: Vasq. Lug. Croix n. 596.

Sequitur secundo, Falsum esse, quod, qui communicavit in Paschate, non teneatur in articulo mortis iterum communicare. Ratio est, quia præcepto communicandi in articulo mortis non satisfit per Communionem extra articulum mortis; quod patet ex Ecclesiæ consuetudine, & sensu communi Fidelium. At, quid dicendum de Communione sumpta non longe ante periculum mortis, puta octo, vel sex diebus, eritne sufficiens, ut præcepto divino de sumendo Viatico in articulo mortis censearis satisfecisse, itaut non tenearis iterum communicare in eodem articulo? Suar. Laym. Bonac. ap. Pal. n. 6. affirmant, quia illa Communio facta paulo ante periculum mortis censetur moraliter facta in ipso mortis periculo; quod enim parum distat, nihil distare videtur. Negat Vasq. quia illa Communio fuit voluntaria, non ex obligatione; ergo per eam non potest satisfieri Communioni obligatoriæ, seu quæ sit præcepta. Hinc Hurtad. & alii apud Dian. p. 4. t. 5. r. 197. putant, quod, si aliquis mane extra mortis periculum communicaverit, si vespere incidat in mortis periculum teneatur iterum communicare, quando Communio non potest commode ad sequentem diem differri: quod tamen Suar. Lug. Bernal, & alii negant, tum quia prohibetur duplex Commonio eodem die; tum quia Communio facta mane censetur moralitee facta in articulo mortis.

Sequitur tertio, Obligationem hujus Præcepti cessare, si servari non possit juxta ritum, saltem principaliorem, & veluti substantialem a Christo Domino, vel ab Ecclesia præscriptum circa administrationem, & confectionem Euchatistiæ. Hinc primo, Non licet in necessitate consecrare hostiam pro Viatico extra Sacrificium: Secundo, Nec Sacerdoti latino in simili necessitate consecrare in fermentato: in defectu tamen latini Sacerdotis posset hic moribundus sumere a Sacerdote græco Viaticum consecratum in fermentato: Tambur. apud Croix n. 610. Laicus vero latinus in Græcia peregrinus, & ubi nullum sit latinum templum, potest communicare, quo ritu vult, & idem dic de Græco in his locis; si vero adsit templum proprii ritus, Fagnan. putat, non posse, nisi suo ritu communicare; sed Tambur. affert multa exempla Græcorum communicantium in azymo, etiam ubi sunt Templa sui ritus: Tertio, Quamvis Nugn. & Ochag. dicant posse, & debere sumi Viaticum sub specie Vini, si non possit sumi sub specie Panis, quia præceptum divinum prævalet humano; idque probabile esse dicant Dian. & Escob. probabilius tamen est oppositum, non quod præceptum humanum prævaleat Divino, sed quia divinum non obligat, quando servari non potest cum debita reverentia, & ritibus principalibus, ac quasi substantialibus cæremoniis præscriptis ab Ecclesia: Suar. Fagn. Dian. Amic. Lug. Tamb. Dicast. Platel. Recte tamen consulit Tambur. in casu, quo infirmus non posset deglutire species panis, sed tantum vini, melius esse dare minimam particulam specierum panis cum vino, vel jusculo, quam species vini: Quarto, Sacerdoti non jejuno non licet celebrare ad Viaticum consecrandum pro moribundo: D. Anton. Suar. Azor. aliique plurimi cum Dicast. contra Major. Zanard. Zamb. Tamb. & alios, quorum sententiam probabilem vocant Suar. Fill. Lug. Dicast. uti & Laym. saltem si infirmus non possit suscipere aliud Sacramentum: Quinto, Neque licet, ut alibi etiam notavimus, ad dandum Viaticum alteri celebrare sine Sacris Vestibus, vel sine Altari: Lug. & Dicast. contra Jord. dicentem probabiliter id licere: Sexto, Si infirmus sumere non possit Eucharistiam, non licet eam ad ipsum deferre pro consolatione, ut adoret, vel osculetur, quia id prohibuit S. Pius V. teste Lugo *in Respons. Moral. l. 1. d. 11.*

§. II.

De obligatione sumendi Eucharistiam ex Præcepto Ecclesiastico.

PRæceptum Ecclesiasticum circa Eucharistiam obligat omnes Christifideles ad eam sumendam in Paschate. Tulit hoc præceptum Innoc. III. in Concil. Lateran. & refertur in *Cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de pænit. & remiss.* his verbis, *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit; confiteatur, &c. suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejusmodi susceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Idem declarando statuit Trident. *sess.* 13. *can.* 9. *Si quis negaverit, omnes, & singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ; anathema sit.* His positis

I. Hoc præceptum obligat omnes Baptizatos, qui ad annos discretionis jam pervenerunt, a quibus neque Papa excludendus est, ut communiter docent Doctores. Hinc excommunicati, aut alia censura simili innodati tenentur procurare absolutionem a censura, ut huic præcepto satisfaciant. Verum quidem est, quod ex præcepto Missæ audiendæ die festo non tenentur specialiter ad procurandum absolutionem a censura: at dispar est ratio de præcepto Missæ, ac de præcepto Communionis Paschalis; nam illud est mere Ecclesiasticum; hoc vero, quamvis sit Ecclesiasticum quoad circumstantiam Paschatis, quoad substantiam tamen est Divinum, ut patet ex §. præced. & præterea est certe præceptum magis utile, & majoris momenti: Suar. Con. Lug. Dicast. Tambur. qui tamen addit, non ideo aliquem obligari ad petendam dimissionem e carcere, vel ad procurandam extraordinarie valetudinem, quia hæc non sunt mala spiritualia. Utrum hoc præcepto, ut Ecclesiasticum est, obligentur etiam hæretici, non satis constat. Bernal probabiliter ap. Croix n. 626. negat; alii tamen communiter, & probabilius affirmant. De Pueris, Mutis, Surdis, Semifatuis, v. dicta cap. præc. §. 1.

II. Nomine Paschatis hic non venit solus dies Resurrectionis Dominicæ, sed octo dies antecedentes, & octo subsequentes, hoc est a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive, idque ex praxi, & consuetudine totius Ecclesiæ, & ex declaratione Eug. IV. teste Navar. apud Pal. p. 15. n. 2. & Croix n. 641. Ex consuetudine, vel ex privilegio extenditur hoc tempus aliquibus in locis per totam Quadragesimam, & alicubi extenditur etiam ultra ex Indulto. Si quis autem intra tempus præscriptum non communicaverit, vel ex legitimo impedimento, vel consilio Confessarii, ut insinuatur in præcit. cap. *Omnis utriusque sexus*, vel etiam ex culpa, tenetur deinde, cum primum commode poterit, Eucharistiam sumere: quod certum est, quando communio omittitur, seu potius differtur ob justam causam ex consilio Confessarii: de aliis vero casibus saltem est probabilius, cum probabilius sit, tempus præfixum ad hujus præcepti observantiam non esse præfixum ad terminandam, sed ad urgendam obligationem,

nem, & hanc sententiam tenent D. Th. Navarr. Suar. Vasq. Con. Azor. Sylv. Fag. Laym. Hurt. Lug. Bernal. Avers. Illf. Plat. eamque in praxi sequendam esse, aie Croix n. 644. Similiter, qui prævider, se tempore Paschali impediendum esse, tenetur prævenire: Vasq. Sylv. Fag. contra Suar. & Azor. Verum alii probabilius dicunt, hoc præceptum esse virtualiter duplex, alterum principale communicandi semel io anno, alterum communicandi circa Pascha, quod etiam obligat sub gravi. Hinc inferunt, quod, qui jam eo anno communicasset, vel esset communicaturus, non teneretur prævenire: qui vero nec antea communicasset, nec habiturus esset occasionem commnnicandi, teneretur prævenire ad satisfaciendum præcepro Communionis annuæ. Qui vero sic prævenisset, & postea impedimentum evanesceret, teneretur rursus communicare secundum Laym. & Lug. quia non satisfecit præcepto obliganti ad commonionem tempore Paschali: negant tamen Dian. & Suar. Terminum bujus anni aliis aliter statuunt: Suar. Laym. aliique commmniter dicunt numerandum esse a Paschate ad Pascha.

III. Si minus jure scripto, saltem usu, & consuetune, additis etiam declarationibus S. Congreg. quas refert Croix, certum est, dari obligationem gravem communicandi io propria Parochia, itaut secus non satisfiat præcepto, etiamsi Encharistia sumatur in Ecclesia Cathedrali, nisi Episcopus, vel Parochus licentiam dederit: v. Croix n. 631. & 633. Satisfacit tamen, qui communicat alibi ex manibus Parochi, vel cum ejus consensu extra Parochiam; potest enim id concedere (&, si sine plures simul Parochi in eadem Ecclesia, possunt singuli dare licentiam alibi commnnicandi) dummodo certior reddatur de communione peracta. Notat hic Tamb. non facile præsnmendam esse haoc licentiam, nec sufficere, quod certo daturus esset, si peteretur; nam, si peteretur, jam hoc ipso recognosceretur ut Pastor, & ipse confuse recognosceret Ovem suam; si vero non petatur, manet rationabiliter invitus, cum habeat jus, ut aliqno modo recognoscatur, & vicissim recognoscat oves snas. Porro Sacerdos satisfacit huic præcepto, nbicnmque Missam celebret; si tamen non celebret, tenetur communicare in Parochia: quia, quando agit ut laicus, tenetur servare præceptum nt laicus: Lug. Gob. ap. Croix num. 639. Demum vagi, & peregrini satisfaciunt communicando, ubi volunt: Sanch. Pal. &c. & certum esse dicit Tamb. Neque obstat, quod Eug. IV. concedat Peregrinis, nt in ordine ad Communionem Paschalem censeri possint in Parochiis acquisivisse quasi incolatum. Nam hoc fuit in gratiam peregrinorum, qoi proinde oon tenentur uti isto privilegio.

IV. Ut hnic præcepto satisfiat, Communio non solum debet esse non sacrilega formaliter, quod certum est ex prop. 55. damnaea ab Inn. XI. *Praecepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*; sed probabilius debet etiam esse non materialiter sacrilega, qualis esset, si quis communicaret invincibiliter oblitus, se esse in peccato mortali: quamvis enim in rigore hic non communicaret sacrilege, quia communicando non peccaret; non tamen communicaret cum fructu, quod fieri vult Christus, & Ecclesia; præcipiunt enim Communionem, quæ sit cibus, & vita animæ, ad quod requiritur, ut sit digna: Croix n. 628. & 629. Qui tamen communicavit sacrilege in sua Parochia, quamvis teneatur iterum communicare; non tamen tenetur communicare in sua Parochia: quia hoc præceptum est divisibile, communicandi digne pro bono animæ, & communicandi in Parochia ad recognoscendum proprium Pastorem: hæc autem pars est impleta: non secus ac, si præceptum sit, nt Horæ devote recitentur in choro, recirans indevote in choro satisfacit eas repetendo domi, quia jam implevit illam partem præcepti, quæ erat de assistentia in choro: Croix n. 620.

V. Quamvis Dicast. sentiat, per proprium Sacerdotem (cujus judicio remittitur, an quandoque differenda sit communio Paschalis) intelligendum esse Parochum, vel qui cum illo habet ordinariam jurisdictionem; attamen Suar. Busemb. & alii communissime loco proprii Sacerdotis ntuntur nomine Confessarii, & sic videtur habere usu ex tacito consensu, & approbatione Parochorum.

QUÆSTIO II.

De Eucharistia, quatenus est Sacrificium.

AGEMUS hic I. De quidditate, & natura Sacrificii Missæ: II. De participatione fructus: III. De loco: IV. De tempore. V. De reliquis requisitis ad Sacrificium, ac de ritu in eo servando. De stipendio Missæ nihil hic, cum abunde de eo dictum sit in de Restit. d. 2. q. 1. c. 2. §. 3.

CAPUT I.

De Quidditate, & Natura Sacrificii Missæ.

NOMINE Missæ venit totus ille ritus, quem Sacerdos peragit ad altare ab initio usque post sumptionem Corporis, & Sanguinis Christi. Si ejus etymologiam spectemus, derivatur juxta Bellar. a verbo *Mitto*, tum quia per illam mittuntur ad Deum nostræ oblationes, ac preces; tum etiam qnia post illam populus dimittitur: juxta alios a voce hæbraica *Missah*, idest oblatio voluntaria.

Sacrificium sumitur vel late & improprie, vel stricte, & proprie. Late sumptum est quicquid Deo offertur ad cultum, ut orationes, laudes, adorationes, cæterique actus virtutum. Stricte sumptum est, ut diximus etiam in de Sacrificio in genere t. 1. tr. 2. d. 1. q. 2. c. 1. §. 2. *Cæremonia sacra legitime instituta, per quam res sensibilis destruitur in protestationem supremi dominii Dei, & nostræ in eum subjectionis*. Dicitur *Cæremonia sacra*, quia debet esse actio externa ponenda ad cultum Dei. Dicitur *Legitime instituta*, hoc est a Deo, vel Republica, quæ per se loquendo, etiam habet potestatem instituendi hujusmodi signa communia, & io hoc differt a martyrio, quod noo est institutum publica auctoritate ad Dei cultum. Dicitur *Per quam res sensibilis destruitur*, destructione scilicet, sive physica, ut quando occiditur animal, sive morali, ut quando effunditur vinum, & redditur inutile ad alios usus humanos. Dicitur *In protestationem supremi Dominii &c.* hic enim est finis intrinsecus, & essentialis Sacrificii, in quo potissimum differt a Sacramento, quod directe, & per se ordinatur ad sanctificationem populi.

Mnlriplicitet dividitur Sacrificium: Primo *Ratione materiæ* in Cruentum, in quo funditur sanguis, & Incruentum, in quo sanguis non effunditur: Præterea aliud dicitur Victima, seu Hostia, in quo aliquid animatum offertur, ut bos; aliud Immolatio, in quo aliqnid inanimatum, sed solidum, ut panis; alind Libamen, in quo aliquid inanimatum, sed liquidum offertur, ut vinum: sæpe tamen hæ voces confunduntur, & una ponitur pro alia. Secundo *Ratione formæ* aliod dicitur Holocaustum; in qno id, quod offertur, totum consumitur per ignem; aliud Hostia pro peccato, in quod id, quod offertur, partim per ignem, partim per Sacerdotem consumitur; aliud Hostia Pacifica, in quo id, quod offertur, consumitur partim per ignem, partim per Sacerdotem, partim per eum, qui donat. Tertio *Ratione finis* aliud est Latreuticum, quod unice in cultum Dei, alind Eucharisticum, qnod specialiter in gratiarum actionem; aliud Propitiatorium, quod ad remissionem culpæ, vel pœnæ, aliud Impetratorium, quod ad aliquid aliud a Deo impetrandum offertur. Pro Latreutico est Holocaustum, pro Eucharistico, & Impetratorio Hostia pacifica, pro Propitiatorio Hostia pro peccato: v. D. Th. 2.2. q. 103. artic. 3. Bellar. *de Miss.* l. 1. c. 4.

Sicuti in Cruce oblatum fuit verum, & proprie dictum Sacrificium, in quo Christus fuit Sacerdos, & idem ipse Victima, secondum illud ad Eph. 5. v. 2. *Tradidit seipsum pro nobis in oblationem, & hostiam:* altare aotem Crux, idque ex institutione Dei, qui eum constituerat Sacerdotem maximum, ut sanguine suo interveniret pro nostra salute, & esset propitiatio pro peccatis nostris, ut dicitur 1. Jo. 2. v. 2. ita & in Missa offertur verum, & proprie dictum Sacrificium. Est de Fide contra hæreticos apud Bellarm. c. 5. & habetur in multis Conciliis ap. Pasq. q. 22. n. 2. ac demum aperte in Trideot. *sess. 22. can. 1. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit*. Non est igitur Missa Sacrificium tantummodo in sensu lato, & improprio, in quo sensu admittunt hæretici in Missa rationem Sacrificii; sed est Sacrificium in sensu proprio, & stricto. Quare S. Pius V. Greg. XIII. & Urb. VIII. damnarunt hanc 45. Baji prop.

Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate homo Deo inhæreat. Id ipsum eruitur ex unanimi consensu Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ, omniumque PP. qui in utraque floruerunt, quosque copiosissime adducit Petavius *De Incarn.* l. 12. c. 13. & 14. Ratio autem est, quia in Missa habetur cæremonia sacra a Deo instituta, per quam res sensibilis moraliter destruitur in protestationem supremi Dei dominii in res creatas, & summæ subjectionis nostræ ad ipsum: nam consecratio est cæremonia sacra instituta a Christo in Eucharistiæ institutione: deinde per consecrationem fit destructio rei sensibilis sufficiens ad Sacrificium, ut infra explicabitur; demum tota hæc actio fit in dictam protestationem; hæc enim est intentio Ecclesiæ, & institutio Christi, qui etiam ad eum finem consecravit, nosque idem facere jussit dicens; *Hoc facite*, & quod se ipse in Cœna hoc modo Patri æterno obtulerit, docent apertissime SS. Iren. Cypr. Ambr. Greg. Niss. Chrisost. Aug. ap. Bellarm. c. 12. in fine.

Quamvis ex natura rei posset Respublica Ecclesiastica auctoritate propria instituere sacrificia; tamen Christus Dominus interdixit, ne aliud institueret distinctum ab eo, quod ipse instituit, ut constat ex sensu omnium Doctorum, & perpetua Ecclesiæ traditione. Id autem fuit maxime congruum, quia Sacrificium Missæ continet in se omnium dignitatem est sufficiens ad omnes fines, & effectus, complet differentiam omnium hostiarum, & est tanquam omnium perfectio, & absolutio.

Essentiam Sacrificii consistere in sola consecratione, diximus tom. 1. tr. 2. d. 1. q. 2. c. 1. §. 2. cum D. Th. Suar. & aliis, ex eo, quod in sola consecratione habeatur sufficiens destructio, seu immutatio rei principalis sacrificatæ, nempe Christi per mortem moralem, & mysticam repræsentativam mortis cruentæ in Cruce, cum ex vi verborum fiat sensibilis separatio Corporis a Sanguine. Hinc non salvari diximus ibid. sacrificium in consecratione unius tantum speciei, nec Papam posse in hoc dispensare: neque ob mortis periculum relinqui posse consecrationem alterius speciei, cum sit intrinsece malum: ita Pal. contra Gob.

In hoc Sacrificio res, quæ principaliter offertur, est Christus Dominus: quia tamen non offertur ut existens in propria specie, sed quatenus fit sensibilis per accidentia panis, & vini, ideo species panis, & vini integrant materiam hujus Sacrificii: non ita substantia panis, & vini, quæ in hoc Sacrificio annihilatur: licet hæc annihilatio non intendatur per se; sed unice ut dispositio, & requisitum ad hoc Sacrificium, prout est institutum a Christo Domino. Porro quinam sit principalis offerens, quinam minus principalis, seu delegatus, vide dicta tom. 1. §. supra cit. quæsito 3.

Ut probe teneatur Natura hujus Sacrificii, examinandi sunt effectus, & valor ejusdem, seu virtus causativa talium effectuum. Effectus sunt sequentes. Primo Dei complacentia tam ratione rei oblatæ, quam principalis offerentis, qui est Homo Deus exhibens per hoc Sacrificium Augustissimæ Trinitati perfectissimum Latriæ cultum. Secundo, Exsolutio gratiarum pro beneficiis Dei; hoc enim Sacrificium, in quantum Eucharisticum, est recognitio Divinorum beneficiorum cum oblatione reciproca hujus hostiæ pro exsolvendo debito gratiarum. Tertio, Remissio peccatorum quoad culpam, & pœnam: nam esse Sacrificium propitiatorium, est de Fide ex Trid. *sess.* 22. *can.* 3. *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis, &c. non autem propitiatorium, &c. anathema sit*. Quoniam vero idem Trident. *cap.* 2. *cit. sess.* inde videtur probare, hoc Sacrificium esse propitiatorium, quia *Per ipsum fit, ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*; satis declarat, hanc remissionem peccatorum quoad culpam non causari a Sacrificio immediate, sed tantum mediate, hoc est mediis gratiis actualibus, seu auxiliis supernaturalibus operativis Contritionis, vel aliorum actuum Supernaturalium, quibus peccata deleantur; quæ gratiæ actuales, & auxilia immediate causantur, seu exiguntur a Sacrificio: Ita D. Thom. Suar. & alii 50. Doctores, quos refert, & sequitur Pasq. q. 63. Imo probabilius est, etiam venialia ita mediate remitti quoad culpam, cum Concilia, & PP. eodem modo loquantur de utrisque. Econtra pœnas remittit immediate, ut docent communiter omnes Catholici cum Pasq. q. 72. apud Croix n. 45. per hoc nempe, quod applicet satisfactiones Christi, ut manifeste eruitur ex Trident. cit. *cap.* 1. *&* 2. Quarto, Impetratio omnis generis beneficiorum etiam temporalium, quatenus ad Salutem conducunt: v. Croix a n. 43.

Jam vero Sacrificium Missæ respectu duorum priorum effectuum, qui sunt Dei complacentia, & solutio gratiarum, causat in actu secundo simpliciter infinite, quia Deus actu infinite sibi complacet in hoc Sacrificio, & in eo pro gratiis redditur bonum actu infinitum: at respectu duorum posteriorum, qui sunt remissio peccatorum, & impetratio donorum causat actu simpliciter finite, quia nec Christus ordinavit, nec Deus acceptat, nisi ad remissiones, & impetrationes actu finitas: & inde etiam est, quod in Ecclesia multiplicentur Sacrificia in ordine ad eundem finem, & plura plus obtineant, quam unum; & plus prosit uni, pro quo solo offertur, quam prodesset singulis, si pro multis offerretur, ut notant Suar. Barbos. Rayn. Gob. Card. Bonae. Dicast. Henao, & Croix num. 47. Cum hoc tamen stat optime, quod Sacrificium Missæ dici possit secundum se valoris simpliciter infiniti in actu secundo, ut docent Cajet. Sylv. Suar. Vasq. & alii 47. Auctores gravissimi, quos refert, & sequitur Pasq. q. 117. contra Bell. Lug. Pallav. & alios, quorum plerique in re non dissentiunt; sed tantum volunt, non esse actu infinitum quoad vim proxime causativam, vel quoad effectum in actu secundo causatum, quod jam admisimus. Ratio nostræ assertionis est, quia valorem actionis constituit dignitas operantis: in casu autem dignitas personæ operantis actionem sacrificativam est simpliciter infinita, cum sit Christus Homo Deus; ob quam rationem docent omnes, Sacrificium in Cruce, & ultima Cœna oblatum, quod cum Sacrificio Missæ in substantia est idem, fuisse valoris infiniti: dicendum igitur consequenter est, quod Sacrificium Missæ sit etiam valoris simpliciter infiniti, quatenus in actu secundo habet secundum se comproportionem, & condignitatem ad omne bonum possibile obtinendum, non prout ponitur nomine Ecclesiæ, Sacerdotis, vel adstantium, sed prout ponitur nomine, & in persona Christi: Croix n. 42.

CAPUT II.

De Participatione Fructus Sacrificii.

DUo hic prænotanda: Primum est, Sacerdotem in Missa quadrupliciter considerari posse: Primo, Prout gerit personam Christi principaliter consecrantis & sacrificantis, cujus est veluti instrumentum: Secundo, Prout est publicus Minister Ecclesiæ, cujus nomine etiam offert Deo hoc Sacrificium, & in cujus persona orat illa, quæ in Missa recitantur: Tertio, Prout est privata persona etiam nomine suo offerens, & orans: Quarto, Prout offert, & orat nomine illorum, qui ad hoc Sacrificium specialiter concurrunt, aut cooperantur, ut sunt Ministri, Adstantes, & qui Missam petierunt. Alterum est, Triplicem distinguendum esse fructum Sacrificii, Specialem nempe, seu Substantialem, Generalissimum, & specialissimum. Primus est, qui respondet Sacrificio secundum se, prout est opus positum a Sacerdote, ut operante in persona Christi. Secundus est, qui respondet Sacrificio, prout est opus positum a Sacerdote, ut operante in nomine, vel persona Ecclesiæ. Tertius est, qui respondet Sacrificio, prout est opus positum a Sacerdote operante, ut persona privata, vel prout est positum ab illis, qui specialiter ad illud cooperantur, vel concurrunt. Singuli hi fructus sunt satisfactorii saltem late, quatenus sunt applicativi satisfactionum Christi, vel impetrativi remissionum, & aliorum beneficiorum, ut notant communiter Doctores teste Croix n. 41. quamvis aliqui cum Pasq. dissentiant, putantes, non omnes esse satisfactorios. His præmissis, videndum nunc est, Quid requiratur, tum ex parte Ministri, seu Sacerdotis, tum ex parte subjecti ad participandos prædictos fructus Sacrificii?

Sacrificium ut in aliis a Sacrificante causet effectus suos ex opere operato, non requiritur in Ministro status gratiæ; Trident. enim *sess.* 22. *c.* 1. dicit, *Hoc Sacrificium nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari posse*, hoc est, impediri virtutem causandi, ut tenet recepta omnium sententia, teste Croix num. 49. Hinc D. Thom. 3. p. q. 82. art. 6. ap. eundem cum aliis docet, Missam mali Sacerdotis ex opere operato æque prodesse, ac boni; etiamsi ille esset hæreticus, excommunicatus, degradatus, quia hic fructus specialis sequitur ad substantiam Sacrificii, prout est actio Christi principaliter offerentis:

quod

quod secundum Gabr., Sot., & alios valet etiam de Missa, prout est actio Ecclesiæ, quæ semper est sancta, & grata Deo: hinc etiam communissime contra Cajet., Sot., Henr., & alios docent Doctores, non augeri in aliis fructum ex opere operato ex eo, quod Sacrificans habeat majorem gratiam, vel devotionem, quia vis operis operati non est ex actione, prout est Ministri, sed prout est Christi.

Ut Sacrificium specialiter prosit potius uni, quam alteri, adeoque ad participaudum fructum specialem Sacrificii, requiritur applicatio Sacrificantis: ita D. Th. cum aliis communissime, quia, cum sit institutum pro bono communi, & secondum se sit indifferens, ut specialitee prosit huic, vel illi, debet determinari pee Sacerdotem: hinc, si Sacerdos nulli applicet fructum, remanebit in thesauro Ecclesiæ, dispensandus a Pontifice per indulgentias a se concedendas. Ait Trull., quod Sacerdos nulli applicans sacrificium censeatur velle applicare sibi pee illam generalem volontatem, qua quisque semper intendit prodesse sibi, quantom potest. Talis autem applicatio non debet necessario esse actualis, sed sufficit habitualis, hoc est semel habita, & non retractata. Non valet tamen applicatio post Sacrificium, sed debet applicari, vel aute Sacrificium, vel saltem in consecratione Calicis. Ut vero Fidelibus causet fructum generalissimum, & coofferentibus specialissimum, nulla requiritur applicatio Sacerdotis: quia hoc ipso, quod ponitur juxta præscriptum Ecclesiæ, & ex cooperatione coofferentium, tanquam opus publicum, & commune, est de se operativum illorum effectum. Hinc, si Sacerdos sit in gratia, quamvis fructum specialem nulli applicet, sacrificium tamen illi proderit, quia obtinebit fructum specialissimum, qui forte major est, quam specialis: quem fructum specialissimum potest Sacerdos totum sibi retinere, etiamsi accepto stipendio pro aliis celebret, aut si velit partem ejus applicare alteri, ut probabiliter tenent Cajet, & alii 20. cum Aversa contra Suar., Laym., Pasq., & probabiliter etiam coofferentes possunt applicare alteri: quia tamen id non est certum, merito damnata est ab Alex. prop. 8. asserens, posse distinctum stipendium accipi pro applicatione hujus fructus specialissimi, ut notavimus tom. 2. tr. 4. d. 2. q. 5. c. 2. §. 3.

Ex parte vero subjecti ad participandum fructum Sacrificii requiritur capacitas. Quinam autem sint capaces, intelliges ex sequentibus. Primo, soli Viatores sunt proprie capaces horum fructuum, quia Sacrificium est institutum pro Ecclesia militante: animæ tamen purgantes adhuc censentur esse quasi in via, cum nondum sint in Patria: hinc pro iis rite offeruntur Sacrificia, ut definit Trid. *sess.* 22. *can.* 3., nec in iis prærequiritur tanquam dispositio, ut in vita habuerint curam satisfaciendi pro culpis propriis, vel juvandi alios defunctos, ut volunt aliqui, sed sine ullo fundamento: Croix num. 59. Secundo, Ut quis sit capax eorundem fructuum quasi de condigno, debet esse baptizatus, & in statu gratiæ, quia, cum hoc Sacrificium sit pro Ecclesia institutum, videtur pro illis tantum, qui sunt de Ecclesia, ex jostitia exigere illius fructum: quod, si sint in mortali, sunt Dei inimici; ergo eorom indignitas obstabit, ne Deus teneatur ex justitia illis concedere ejusdem fructos: Croix n. 56. ex Pasq. contra Dur., qui ad satisfaciendum pro pœna debita peccato remisso non requirit statum gratiæ; imo probabilius est, quod Sacrificium oblatum pro constituto in mortali, non reviviscat ad causandos suos effectus, si ille remittatur in gratia; nullum enim habetur hujusmodi reviviscentiæ solidum fundamentum: Croix n. 56. At, si Sacrificium offeratur pro conversione Infidelis, vel Peccatoris, aut etiam pro remissione pœnæ debitæ culpæ, quam homo infidelis jam deleverit per contritionem, poterit Sacrificium prodesse de congruo: Croix cit. ex Dicast. Item ad remissionem pœnæ requiritur indigentia actualis, hoc est ille, pro quo offertur Sacrificium, debet esse actu obnoxius debito alicujus pœnæ. Poterit autem remitti pœna, etiamsi reus nihil sciat de Sacrificio pro se oblato, quia relaxatio debiti est actus solius Creditoris: si tamen positive nollet sibi remitti, Suar. ap. Croix n. 58. contra Lug., Avers., probabilius dicit, non remittendum, quia cum invito ordinarie non debeat fieri gratia, credibile est, Deum pro dispositione exigere consensum saltem interpretativum. Denium fructus Sacrificii tam satisfactorius, quam impetratorius est major, vel minor pro majori vel minori dispositione illius, pro quo offertur: D. Th., Dicast., Avers., & alii plurimi contra Suar., Valent., Fill., Fag.; videtur enim idem dicendum esse de Sacrificio, ac communiter dicitur de Sacramentis, quæ pro meliori dispositione subjecti majorem effectum habent.

Ex dictis colliges, pro quibus offerri, & valide, & licite possit Sacrificium; valide enim, itaut aliquo modo de se prodesse possit, offertur pro ipso Sacerdote (qui probabilius, uti & cæteri coofferentes, non participat ullum fructum Sacrificii ex opere operato præcise ut offerens est: vide Croix num. 55.) pro assistentibus, pro Ecclesia tota, etiam pro absentibus, & nihil scientibus de tali oblatione: item directe pro infantibus, & peccatoribus; quibus tantum non prodest in ratione satisfactorii: in infantibus enim jam baptizatis nihil est, pro quo satisfiat, cum baptismus remittat culpam, & pœnam; in peccatoribus vero ante culpam non dimittitur pœna juxta communem cum D. Th. sententiam: item pro Cathecumenis, Henr., Bell., Suar., aliique 16. graves Auctores cum Dicast., & Pasq., qui idem docent de infidelibus cum Arriag., & Burg., contra Vasq., Hurt., Gran., Pal. contradicentes quoad utrosque; & probatur ex Inn. III. cap. *Apostolicam 2. de Presbyt. non bapt.* expresse volente pro Cathecumeno, hoc est non baptizato, sed credente in Christum, offerri Deo preces, & hostias, citatque pro hoc auctoritatem SS. August., & Ambr. Idem est de aliis nec baptizatis, nec in Christum credentibus, qui veniunt nomine Infidelium, quia utrique sunt capaces fructus impetratorii, & Sacrificium Crucis etiam illis profuit, nec Ecclesia ullibi prohibet pro illis offerri. Demum potest offerri Deo in honorem, & memoriam Sanctorum, vel in gratiarum actionem pro beneficiis, quæ Deus illis concessit: Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. item ad obtinendam eorum intercessionem, ut idem Trid. definit *ibid. can.* 5. Quæ omnia ex antiquissimis liturgiis, & PP. probat Bell. l. 2. c. 8. Offerri tamen non potest pro illis, neque ut propitiatorium, cum nulla astringantur culpa, aut pœna; neque ut impetratorium gratiæ, aut gloriæ essentialis; quæ illis utpote in termino constitutis augeri non potest: probabilius tamen Suar., Val., Lug., Dicast., & alii contra Pasq. putant, posse pro illis offerri ut impetratorium alicujus gloriæ accidentalis; sunt enim capaces augmenti hujus gloriæ accidentalis, cum Ecclesia oret, ut Sacrificium Sanctis *proficiat ad honorem*: item *Ut ficut Sanctis ad gloriam, ita nobis prosit ad veniam*.

Contra vero pro Damnatis offerretur non solum invalide, quatenus eis prodesse nullatenus potest, ut est certum ex communissima sententia; sed etiam illicite, non solum quia prohibitum est ab Ecclesia, sed etiam quia offerens pro iis excederet terminos sui officii, & ageret contra institutionem Christi: Croix num. 37. ex Pasq. Hinc mortale esset offerre pro eo, qui omnino voluntarie, & sui compos se occidit; offerri tamen potest, secluso scandalo, pro mortuo in duello, quia non constat, obiisse in mortali: Dian., Portell., & alii ap. Croix. Præterea saltem illicite, quod est certum, offertur directe pro excommunicatis, vitandis, seu non tolleratis; quare peccaret mortaliter, qui pro iis sic offerret Sacrificium, quia ageret contra prohibitionem gravem Ecclesiæ. Dixi primo *Saltem illicite*; nam Suar., Avil., Pasq., & alii ap. Croix num. 32. putant, Sacrificium sic illicite oblatum pro Excommunicato vitando, fore illi utile, quoad fructum specialem impetratorium respondentem Sacrificio, prout est actio Christi, quia pœna Ecclesiæ non videtur debere præjudicare institutioni Christi: de hoc tamen merito dubitat Dicast., concludens, rem esse omnino incertam. Dixi secundo *Directe*: nam indirecte licite offertur, offerendo e. g. pro omnibus peccatoribus, pro reductione Impiorum, vel Hæreticorum. Ratio est, quia sunt capaces fructus impetratorii, & Ecclesia prohibens communicationem in Divinis censetur loqui de communicatione directa, cum prohibitio isthæc, utpote odiosa, sit restringenda: Pasq., Avers. apud Croix num. 31. Dixi tertio *Pro Excommunicatis vitandis*; nam ex Nav., Con., Sanch., Fag., Hort., Log., Pasq. Die., & aliis contra Sot., Avil., Suar., Vasq., Bonac., Azor., Sal., & alios probabilius est, licitum esse publice, & directe Sacrificium offerre pro Excommunicato non vitando, seu tolerato, quia in Extrav. Martini V. in Concil. Constant. *Ad evitanda* conceditur communicatio cum excommunicatis tolleratis etiam in Divinis: v. Croix n. 34. Licitum tamen est privatim orare pro excommunicatis vitandis: hinc potest Sacerdos licite sub *Memento* interne pro illis orare: imo etiam, dum publice orat nomine totius Ecclesiæ, privata tamen intentione, & in propria persona: item potest, sicuti quodvis pium opus, ita etiam Missam, quatenus est proprium opus talis privatæ personæ, pro iisdem offerre in ordine ad satisfactionem,

nem, & impetrationem ex opere operantis, quia sic censetur privata oratio, satisfactio, vel impetratio; & tantum opera publica prohibemur pro illis offerre: Sylv., Angel., Aemill., Covar., Navarr., Suar., Dicast.

CAPUT III.

De loco Sacrificii.

SACRIFICII locus immediatus est Altare; mediatus est Ecclesia, seu Oratorium; & ex necessitate aliquando etiam alius Locus Profanus. De his omnibus agendum, tum demum de Loco Obligationis.

§. I.

De Altari.

GRAVE sacrilegium est celebrare absque Altari, ubicumque gentium celebres, & ex quavis etiam necessitate; itaut neque id liceat, etiamsi alias mors tibi intentetur, utpote intrinsece malum, contraque reverentiam Sacrificio debitam, ut docent Suar., Pal., & alii contra Azor., Vasq., Val., Bonac., & alios: notatque Aversf., vix in tali casu abesse posse contemptum Religionis: v. Croix l. 6. p. 2. n. 339., atque n. 316., decretum, quod olim fuit, ne quis celebret in Altari, in quo celebravit eo die Episcopus, nunc exolevisse.

Quæres primo, Quod sit Altare aptum Sacrificio?

Respondeo, Esse proprie, qui dicitur *Lapis consecratus*: Ideoque posse esse Altare fixum, vel mobile: fixum dicitur, si eadem prorsus actione consecratus sit simul lapis cum reliquis partibus fixis totius mensæ: mobile vero, cum ipse tantum lapis seorsim est consecratus; ideoque dicitur etiam Altare viaticum, & portatile. Neutrius autem consecratio fieri potest, nisi ab Episcopo, qui nec potest committere aliis: Vel ab Abbate, qui, etsi possit consecrare quodvis Altare portatile, illicite tamen consecraret fixum alienæ Ecclesiæ absque licentia Ordinarii; exerceret enim ibi Pontificalia: Sede autem vacante consecrari potest ab Episcopo viciniore, & ex Privilegio Honor. potest a quovis Episcopo, si diœcesanus ultra quatuor menses distulerit, *Comp. Priv. Soc. Jesu*. Potest autem Papa committere etiam simplici Sacerdoti; & Nuntii Apostolici sæpe dant Missionariis facultatem consecrandi Altare portatile: v. Croix n. 311. Notat etiam Tamb. l. 1. *Miss.* c. 5., in Ecclesia non consecrata non posse consecrari Altare fixum sine licentia Papæ, nec in consecrata posse destrui sine consensu Episcopi.

Quæres secundo, Qualis esse debeat Lapis consecratus?

Respondeo, Debere esse unicum ob unitatem Personæ Christi significandam; tantumque esse debere, ut capiat calicem, & patenam, saltem pro majori eorum parte: Croix n. 301., debere insuper esse omnino lapideum, quamvis portatile possit circumdari capsula lignea, vel etiam collocari in reliquo totius mensæ ligneo. Putant tamen Hurtard., Pasq., & alii, portatile posse constare ex duobus lapidibus unione aliqua artificiali conjunctis, quique ad modum libri plicari possint: & Gob. addit, etiam fixum componi posse ex gypso, aut lateribus cæmento conglutinatis; sed negant Vasq., Fagnn., Tamb., & alii, utpote contra communem Ecclesiæ consuetudinem; ideoque addunt, si pars lapidis non consecrati addatur consecrato, non ideo evadere consecratam, quia non facit unum physice continuum. Denique in parvulo lapidis loculo (qui dicitur sigillum, seu sepulchrum) recondi solent in consecratione Reliquiæ Sanctorum; sine quibus invalidam fore consecrationem, docent Bonac., Barb., Azor., & alii; quamvis Suar., Vasq., Con., & alii contradicant, cum non habeatur clarus Textus tantam earum necessitatem requirens, & multa Altaria mobilia consecrata sunt absque Reliquiis. Illud est certum contra Jo: Andr., & Durand., non posse in defectu Reliquiarum includi particulam Hostiæ consecratæ; v. Croix n. 301., & 306.

An autem consecretur Altare per merum Sacrificium bona, vel mala fide in eo factum? affirmant Sa, Gob., Pasq., & alii, quia ipsemet contactus Corporis Christi est unctio substantialis; ideoque Sa, Gob. putant, licite deinceps in eo sacrificari; quamvis Pasq. requirat ulterius consecrationem ritualem. Sed melius negant Lug., Croix n. 352., & alii, quia talis consecratio extraordinaria deberet provenire ex voluntate Papæ, qui nunquam id declaravit; imo, si interrogaretur, certe reclamaret, maxime, si factum fuerit mala fide, cum non sit malitiis Hominum indulgendum ex cap. *Plerumque, de Rescript.*

Quæres tertio, An liceat celebrare in Altari execrato?

Respondeo negative; Idem enim esset, ac celebrare absque Altari: Doctores communiter. Execratur autem, si forma sit adeo mutata, ut qui antea vidisset, jam non recognosceret pro eodem: vel, si ita enormiter frangeretur, ut non sit amplius capax Calicis cum Patena. Hinc non execratur præcise, quod frangatur in quatuor cornibus; imo, si frangatur in duas partes, quarum singulæ caperent Calicem cum Patena. Croix num. 300. putat, singulas servire posse pro Ara, cum non amitterent usum, & finem, adeoque nec consecrationem: idemque ait, si lapis non esset fractus, sed tantum fissus; quia fissura esset veluti vulnus, quod relinquit idem numero corpus; ideoque posse etiam scissuram glutine aliquo sanari. At, si Altare sit fixum, execratur per solam amotionem a basi; quia amittit formam, sub qua consecratum fuerat; secus, si totum simul transferatur ad alium locum Ecclesiæ, cum sic non separetur pars a parte: Suar., Croix. An vero execretur Altare per hoc præcise, quod frangatur sigillum, vel removeantur reliquiæ? Affirmant Azor., Bonac., Barb., & alii, præsertim Canonistæ, & Spor. putat, esse certum ex *c. 1. de Consecr. Eccl.* Negant Ab., Lug., Sot., Vasq., & alii: additque Pal., ex nullo textu constare præceptum Reliquiarum, sed tantum congruentiam, ob quam Sacerdos, dum dicit *Quorum Reliquiæ hic sunt*, loquitur de more, eo quod ita solet; uti, dum dicit *Dominus vobiscum* solo uno præsente; consuetudinem tamen esse iterum consecrandi. Peior sententia videtur probabilior, juxta quam non sufficeret, si iterum reponerentur Reliquiæ; quia lapis execratus se habet, ac si nunquam esset consecratus: v. Croix n. 306. Reliqua de Altari portatili vide §. 4.

§. II.

De Ecclesia, vel Oratorio publico.

SUa gravi etiam præcipitur, ne Sacrificium fiat, nisi in Altari existente in Ecclesia, vel Oratorio publico, ex Trident. *sess.* 22. *decr. De observandis, &c.* Nomine autem Ecclesiæ venit Templum consecratum, vel saltem benedictum; de Oratorio publico dicam §. 3. In quavis ergo Ecclesia (modo non sit Polluta, seu Execrata, seu Interdicta) potest quivis Sacerdos, sive sæcularis, sive regularis celebrare. Potest tamen Ordinarius prohibere, ne Sacerdos v. g. forensis absque sua licentia celebret in Ecclesiis suæ diœcesis, sive secularium, sive regularium; quia quoad Missam attinet procedere potest, ut sedis Apostolicæ Legatus, ex Trident. cit. Non videtur tamen talis Sacerdos peccare graviter, si absque ejusmodi licentia ibi celebret per aliquot tantum vices, ac veluti per transitum; uti videtur in praxi positum etiam a timoratis.

Quæres primo, A quo consecrari, vel benedici possit Ecclesia?

Respondeo, Nullas Ecclesias etiam Regularium consecrari posse, nisi ab Episcopo, qui, etsi possit id committere alteri Episcopo, non tamen simplici Sacerdoti; cum id tantum possit Papa: Doctores communiter ex *c. Aqua, de Consecr. Eccl., & Alt.* Possunt tamen Religiosi Societatis Jesu efficere, ut consecrentur, aut benedicantur suæ Ecclesiæ cum cœmeteriis, & ut primus lapis ponatur per quoscumque Episcopos, si diœcesani ultra quatuor menses id facere distulerint, *Compend. v. Ecclesia*. Denique valide consecraretur Ecclesia, etsi illicite, ab Episcopo hæretico, aut excommunicato vitando; quia, etsi ipse esset extra Ecclesiam, adhuc tamen haberet potestatem Ordinis, cui ex institutione Ecclesiæ adnectitur talis potestas: Laym. & alii contra Rodr., & alios. Econtra vero quivis Sacerdos ex licentia Episcopi potest benedicere Ecclesiam; & Superiores locales Regularium absque ejusmodi licentia benedicere possunt suas Ecclesias pro usu eorum dumtaxat, ex *Privil. Leo. X.*, pro usu vero publico requiritur facultas Diœcesani; &, si is per quatuor menses distulerit, satis est quivis alius Episcopus ex modo dictis.

Quæres secundo, Quomodo polluatur, seu violetur Ecclesia?

Respondeo, Per quadruplicem tantum actionem injuriosam ipsi Ecclesiæ: I. Per Homicidium: II. Per Effusionem Sanguinis: III. Per Effusionem Seminis:

IV. Per

IV. Per Sepulturam Excommunicati vitandi, aut Infidelis. Addunt alii multi apud Bon., etiam pollui, si consecretur, aut benedicatur ab Episcopo excommunicato vitando, sed id melius negant Suar., Con., & alii, utpote nullo textu clare expressum. Nota insuper, nulla ex dictis quatuor actionibus pollui Ecclesiam, nisi fiat intra ejus pavimentum, & tectum, & nisi etiam sit publica; quia sumus in odiosis sanctitati Ecclesiæ: hinc non polluitur Ecclesia, si actio patretur in ejus Sacristia, vel supra ejus tectum, vel in campanili, vel ante valvas, vel in Ecclesia subterranea; bene vero, si in ejus sepultura, utpote parte ejus interiori: similiter nec polluitur saltem in actu secundo, si actio nondum sit evulgata, ideoque Sacerdos, etsi privatim sciat, potest ibi celebrare: idemque est, si sit dubia, cum possessio stet pro sanctitate Ecclesiæ. Si autem alii publice affirment, alii negent, standum judicio Episcopi, qui, si tolleret, hoc ipso tollit scrupulum; at si actio primum occulta, deinde certo evulgetur, tunc incipit Ecclesia esse polluta in actu secundo, utut aliqui apud Croix n. 290. limitent, si evulgetur ante tres, vel quatuor menses. Explico nunc quatuor illas actiones.

I. Polluitur Ecclesia per Homicidium, ex *c. Proposuisti*, *& c. Eccl. de Consecr.* Idque primo, etiamsi fiat absque effusione sanguinis, puta veneno, suffocatione, patibulo, &c. Secundo, Etiamsi fiat a Judice per Carnificem, vel Martyr in ea occidatur, vel seipsum quis culpabiliter interimat, ut sequatur homicidium ex rixa; quia semper est actio voluntarie injuriosa Ecclesiæ: Doctores communiter. Excipe cum Henr., & aliis contra Dian., & alios, si reus sit perturbator Reipublicæ, nec aliter reprimi possit, nisi occidatur in Ecclesia; tunc enim videtur hæc consentire: similiter nec polluitur Ecclesia, si quis casu, morbo, &c. in ea moriatur, vel si causa lethalis data sit extra Ecclesiam, aut in Sacristia, &c., licet mors sequatur intra Ecclesiam: secus vero, si econtra.

II. Polluitur per effusionem sanguinis humani, etiam morte non secuta, ex *c. un. de Consecr. in 6.* Debet autem primo esse injuriosa Ecclesiæ, quæ proinde non polluitur, si effusio fiat casu, morbo, aut ab amente, furioso, puero nondum septenni, aut a Chirurgo medente, aut a defendente se cum moderamine, &c. Item neque si vulnus fiat extra, & deinde sanguis effluat intra Ecclesiam; secus econverso juxta jam dicta, quamvis & de hoc dubitet Delb. apud Croix n. 282. Debet secundo esse sanguis copiosus, si enim parum sit sanguinis, non dicitur proprie effusio; imo Con., Graf., & alii docent, neque pollui Ecclesiam, si copia effluat e naso, aut dentibus, quia non tam vi illata, quam sua sponte inde abundanter effluit; quod certum est, si actio non sufficiat ad mortale, ut limitat Bonac. Debet tertio esse sanguis Hominis viventis; non enim polluitur Ecclesia, si perfosso cadavere effluat sanguis: Doctores communiter contra Sot., & alios; neque si perfossa Hostia Consecrata Sanguis miraculose effluat, quia non ex corpore Hominis mortalis, cum Corpus Christi sit impassibile: Croix n. 284.

III. Polluitur per effusionem seminis humani, sive virilis, sive muliebris, sive intra, sive extra vas, etiamsi in terram non decidat: Doctores communiter, ex *cit. c. un. de Consecr. in 6.* Debet autem esse evulgata juxta jam dicta, item voluntaria, & copiosa: Hinc non polluitur Ecclesia, si pollutio sequatur in somno, ebrietate, &c., etiamsi fuerit voluntaria in causa, ut adduut Henr., & alii: secus vero, si per violentiam ab altero factam; quia est ei voluntaria: Potest contra Croix: Neque polluitur per emissionem menstruam seminis corrupti, distillationem, &c. Croix n. 288. Neque demum per copulam conjugalem, si fiat ex necessitate, quando scilicet est periculum incontinentiæ in alterutro conjuge: secus, præcisa hac necessitate, ut docent Sanch., Nav., Bon., & alii contra Lop., Vasq.

IV. Polluitur per sepulturam excommunicati vitandi, aut Infidelis, ex *c. Ecclesiam, de Consecr. d. 1.*; non ergo polluitur per sepulturam excommunicati tolerati, utut notorii de facto, aut Hæretici non denunciati nominatim; neque per sepulturam Cathecumeni, aut dubie baptizati, quia censentur decessisse cum baptismo flaminis: Sayr., & alii. Neque per sepulturam infantis non baptizati, si sit filius alterutrius saltem parentis fidelis; secus vero, si infidelium: quia hic, non ille, censetur infidelis infidelitate parentum: Palud., Sayr. contra Suar., Fagun. apud Croix n. 387. Si autem in utero matris fidelis ibi sepultæ moriatur fœtus ob incuriam culpabilem, polluitur Ecclesia, sed ratione homicidii, ut not. Bon.

Quæres tertio, An licite fiat Sacrificium in Ecclesia publice polluta, antequam reconcilietur?

Respondeo negative; Est enim grave Sacrilegium, etiamsi nulla sit pœna in jure statuta: Doctores communiter: excipe tamen casum necessitatis; puta si die festo populus aliam Ecclesiam non habeat pro Missa audienda, vel si ibi sit Festum solemne, nec possit adiri Episcopus pro licentia: Tamb., Suar., & alii. Extra hunc casum nec potest celebrari in ejus cœmeterio contiguo; quia polluta Ecclesia illud etiam polluitur; quamvis non econverso: Croix n. 294. Si autem inter celebrandum polluatur publice Ecclesia, debet Sacerdos interrumpere, si nondum cœperit canonem.

Quæres quarto, Quomodo Ecclesia polluta reconcilietur?

Respondeo, Primo, Si erat jam consecrata, solus Episcopus aqua cum sale, & cinere per ipsum benedictis potest eam reconciliare; itaut nequeat id aliis committere, ut docent communiter contra Vict., Sa, & alios, ex *c. Aqua cit.* Ex privilegio autem Papæ Leo X. idem possunt Superiores locales Regularium pro suis Templis, sed per aquam ab Episcopo Diœcesano benedictam, nisi is distet per duas dietas, hoc est 40. milliaria; vel sedes vacet, ut addunt alii. Secundo, Si Ecclesia erat tantum benedicta, reconciliari potest a quovis Sacerdote aqua communiter benedicta; expedit tamen obtinere licentiam ab Episcopo, nisi sit Ecclesia Regularium. An vero Sacrificium bona, vel mala fide peractum sufficiat ad reconciliationem, est dubium. Affirmant Sa, Dian., Tamb., & alii. Sed melius negant Lug., Croix, & alii, quia praxis est, ut, si in casu necessitatis in ea celebretur de licentia Episcopi, adhuc indigeat reconciliatione, & similiter si pollutio accidat intra Canonem Missæ: ergo, &c.

Quæres quinto, Quomodo Ecclesia execretur; & an in ea execrata celebrari possit?

Respondeo, Execrari Ecclesiam consecratam, cum notabiliter destruitur ejus forma, quæ consistit in quatuor parietibus cum crusta. Non ergo amittit consecrationem, si tota simul dealbetur; neque si solum tectum corruat, cum consecratio sit in parietibus, ex *c. Ligneis*, *de Consecr. Eccl.*, etsi cum tecto modica pars parietis etiam corruerit; neque demum, si una pars parietis post aliam successive destruatur, etiamsi tota Ecclesia sic successive reædificetur, quia censetur eadem manere. Execratur ergo, si parietes, vel unus paries secundum majorem partem corruat, aut destruatur; aut si omnis eorum crusta, aut saltem major pars simul auferatur: Doctores communiter. Addit Dian. p. 8. t. 7. r. 93. ex Concil. Nicæn., execrari etiam Ecclesiam per injuriosam exustionem; sed secundum Gloss. in 2. d. 1. c. 20. intelligitur, si pro majori parte ita comburitur, ut destruatur, vel decrustetur; non vero secus. Similiter nec execratur præcise per diuturnam desolationem, exercitia hæreticorum, spurcitiem hominum, vel animalium illic stabulantium, &c. Decet tamen, & praxis habet, ut per Episcopum, vel saltem Sacerdotem cum aliqua cæremonia abluatur: Laym., Bemb., & alii.

Nota, Execrata Ecclesia, non proinde execrari ejus Altaria, etiamsi fixa; nec econverso; quia eorum consecratio est distincta; nec execratio eadem est, ac pollutio, quia fit injuria toti Ecclesiæ: nota insuper, Ecclesiam tantum benedictam non amittere benedictionem, etiamsi corruant parietes, quia benedictio adhæret solo, consecratio autem parietibus: Bon., & alii ex *Text. cit.* Cæterum in neutra potest licite celebrari absque necessitate juxta dicenda §. 4., quia esset idem, ac celebrare extra Ecclesiam. Nota demum, lapides, ligna, &c. Ecclesiæ dirutæ non posse adhiberi ad opera laicorum, sed vel pro alia Ecclesia, vel comburenda sunt, vel auctoritate Episcopi convertenda in usus profanos non sordidos; & similiter converti potest fundus Ecclesiæ dirutæ, si reædificari non possit, erecta tamen ibi cruce. Quoad Ecclesias Regularium in casu necessitatis mutari possunt de loco ad locum a Provinciali; & prior locus reduci potest ad eorum usus humanos, erecta tamen cruce: materia vero reponenda est in altera Ecclesia, ex *Concess. Leo. X. Viv. Voc. orac. ut in Comp. Priv. Soc.* Possunt etiam ligna, & lapides Ecclesiæ dirutæ adhiberi pro eorum dormitorio, vel in eorum etiam coquina comburi: v. Croix n. 296.

Quæres sexto, An celebrari possit in Ecclesia interdicta?

Respondeo: Primo, Si interdictum sit locale speciale denunciatum, non posse absque gravi peccato, & pœna irregularitatis, cum sit violatio censuræ, cujus effectum probabilius nequit suspendere Episcopus, qui

tulit, dispensando scilicet ad tempus, ut ibi celebres; quia solus Papa potest dispensare in jure communi: Cæterum, si metu gravi coactus ibi celebres, non peccas, nec sis irregularis, modo non sit metus tibi incussus in contemptum; quia Ecclesia non obligat ad observantiam censuræ cum santo onere: denique concessum est, ut, si ibi asservari solebat SS. Sacramentum pro infirmis, possit semel in hebdomada illud renovari; &, si urgeat necessitas, etiam pluries, ut addunt Suar. & alii. Secundo, Si interdictum sit locale generale, cum scilicet interdicitur Civitas, potest celebrari in ejus Ecclesiis, januis tamen clausis, non pulsatis campanis, & exclusis laicis non privilegiatis.

§. III.

De Oratoria privato.

ORATORIUM privatum stricte acceptum est *Locus aliquis intra domum Hominis privati deputatus ad tempus ad Divina Officia*; idque nec consecratum est, nec benedictum, nec habet campanam, nec ostium patens in via publica; ideoque, nec gaudet immunitate; & nutu Fundatoris potest ad usum profanum reduci: Dian. p. 9. t. 1. r. 1. Dixi, *Hominis privati*; Nam Oratorium erectum in palatio Episcopi, aut in domo Regularium, aut in domo etiam Secularium, sed cum ingressu etiam ex publica via, perpetuoque destinatum cultui Divino, gaudet immunitate, nec comprehenditur sub decreto tollente Oratoria privata: similiter Oratorium a Missionariis privilegiatis certo loco constitutum, & Cappellæ in carceribus publicis, quamvis immunitate non gaudeant, tamen neque comprehenduntur, &c. Bene tamen Oratoria erecta intra domos Principum, aut in Aulis publicis Civitatis, ubi Senatores conveniunt: Croix n. 264.

Quæres primo, Qua auctoritate erigi possit Oratorium privatum?

Respondeo ex Trid. *sess.* 22. Decr. *de Celebr. Miss.* Non posse Episcopum concedere Secularibus Oratoria privata, sed requiri omnino privilegium Sedis Apostolicæ: Croix n. 263. Addunt tamen Pasq. Dian. r. 25. & alii, posse Episcopum concedere Oratorium habens ostium patens extra domum, ut in illo Missæ celebrentur absque facultate Sedis Apostolicæ, ibique posse audiri a solis dominis, & clausis januis. Potest item Episcopus (non autem Vicarius Capitularis ex Dian.) in propria domo Episcopali erigere, & mutare suum Oratorium; uti etiam in villa Episcopali, & in pluribus simul domibus propriis Episcopalibus. Possunt pariter Regulares absque Ordinarii licentia erigere, & mutare Oratoria in suis domibus, & villis pro eorum tantum usu; requiritur tamen, ut eorum Provincialis per seipsum inspiciat, & designet locum, quamvis possit is committere alteri, ut judicet de idoneitate, & tunc per seipsum etiam in absentia approbare: Lug. Croix n. 275. addens, non posse Regulares permittere, ut in schola, vel aula celebretur Missa, scilicet solemnis noctu Nativitatis Domini, &c.

Quæres secundo, Quomodo sit erigendum Oratorium privatum ab habente privilegium Sedis Apostolicæ?

Respondeo, Visitandum, ac designandum esse prius locum ab Episcopo ordinario loci, ex Trid. cit. & verbis apponi solitis ejusmodi privilegiis; non est autem opus, ut habeat quatuor muros, sed pro quarto apponi potest tela ad commoditatem, &c. nec qui in eo comederet, aut exerceret usus alios profanos, peccaret, nisi ad summum venialiter: nisi vero id fiat constanter, & per modum habitus: nec illicitum est super illud ponere lectos, aut alia profana exercere; imo & ad arbitrium Privilegiati potest destrui, & ad usus profanos converti: Croix n. 266.

Porro Oratorium hoc durat usque ad mortem Privilegiati, cum sit personale; ideoque nec cessat morte Papæ concedentis, aut Episcopi designantis, cum sit gratia facta, unde nec opus erit licentia novi Episcopi: Croix n. 267. Si autem privilegiatus mutet domicilium in aliam Diœcesim, fert quidem secum privilegium personale; sed requiritur inspectio, & approbatio alterius Episcopi, ut ibi erigatur: Doctores communiter: idemque, si in eadem Diœcesi mutet domum, vel in eadem domo mutet Oratorium de loco ad locum; quia prior designatio non se extendebat ad hunc locum: Tamb. Quart. & alii contra Dian. Quintan. apud Croix n. 289. At, si Privilegiatus sit alibi tantum ut peregrinus, non potest ibi frui privilegio; item nec potest habere unum domi, & simile alterum ruri, cum vi talis privilegii facultatem ejus habeat in uno tantum loco: Pasqu. apud Croix n. 269. Denique Oratorium privatum, cum non sit consecratum, nec benedictum, non polluitur per quatuor illas actiones, quibus polluitur Ecclesia, aut Oratorium benedictum: Suar. Gob. & alii; putat tamen Laym. pollui illud, quod per Episcopum est perpetuo deputatum ad Officia Divina.

Quæres tertio, Quot Missæ singulis diebus dici possint in Oratoriis privatis?

Respondeo, Decr. Clem. XI. 15. Dec. 1703. ita statuere: *Non licere cuivis etiam Regulari, etiam Episcopo, in Oratorio privato per Sedem Apostolicam concesso, celebrare diebus Pasch. Pentecost. Nativitatis Domini, aliisque festis anni solemnioribus, ac diebus in indulto expressis: in reliquis vero diebus non licere Regularibus, & Sacerdotibus etiam Episcopis, ibi celebrare, si celebrata sit unica Missa, quæ in indulto conceditur.* Itaque in Oratorio privato rigorose accepto illicite celebratur in festo Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Pentecost. Annunc. Assumpt. Apost. Petr. & Paul. & Omn. SS. & optant Ordinarii, ut neque in festo Patroni Princ. idque verum est, etiamsi in privilegio expresse non excipiantur; nisi vero privilegium concessum sit ob infirmitatem: Croix n. 271. In reliquis vero diebus, Quarti ait, esse mortale, si plures eodem die Missæ celebrentur; &, quamvis Mareh. dicat oppositum, si non adsit particula taxativa *tantum*, id tamen dici nequit post Decr. cit. Hæ autem prohibitiones non militant contra Oratoria Episcopi, Regularium, Carcerum, aut etiam privatorum cum ingressu ex publica via; ideoque in his, & potest dictis Festis solemnibus celebrari, & possunt quotidie plures Missæ a pluribus successive dici: Croix n. 264.

Quæres quarto, An omnes audientes Missam in Oratoriis privatis satisfaciant præcepto Ecclesiastico diei festi?

Respondeo, ex *Decr. cit.* ita statuente: *Demandando ulterius, & declarando, in omnibus ejusmodi casibus, personas quascumque dictas missas audientes nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere.* Itaque primo, Nemo, etiamsi sit ex privilegiatis, satisfacit audiens ibi Missam Festis solemnioribus exceptis, ut supra, imo nec ipse celebrans; nisi vero privilegium concessum sit titulo infirmitatis: Secundo, Nemo omnino satisfacit aliis festis audiens, aut celebrans ibi alteram eodem die Missam; nisi forte infirmus privilegiatus audiendo alteram ex tribus Missis dici solitis die Nativitatis Domini: Tertio, Nemo omnino satisfacit celebrans, aut audiens ibi Missam *Extra debitas horas, & post meridiem:* Quarto, Nemo etiam satisfacit audiens ibi illam unicam Missam privilegio concessam; exceptis Privilegiato cum ejus familia, ejusque hospitibus nobilibus, & ipso etiam Celebrante cum Ministro; imo etiam neque hi, si Missa dicatur notabiliter *Post meridiem*, ex *Decr. cit.* quidquid ante hoc Decr. dixerint Pasq. & alii apud Croix l. 3. p. 1. n. 628. Nota semper, hæc tantum procedere de Oratoriis privatis rigorose dictis, non vero de aliis. Nomine autem *Familiæ* veniunt omnes, qui habitant in domo Privilegiati cum quadam habitudine ad illum; ideoque Tamb. & alii extendunt hoc privilegium etiam ad ejus fratres inhabitantes, etsi redditibus, & mensa separatos; imo etiam ad famulos salariatos, etsi dormientes alibi, modo ex officio illi semper famulentur, contra Bonac. nullatenus vero ad eos, qui per accidens ibi inhabitent, nisi vero sint ejus hospites nobiles cum eorum etiam famulatu, idque concessum sit in Privilegio: v. Croix ibidem & l. 6. p. 2. n. 272.

Quæres quinto, An ex vi hujusmodi privilegii liceat Missam celebrari in Oratorio privato, etiam sine præsentia illorum, puta alterius saltem ex conjugibus, ad quos privilegii, seu indulti concessio est directa?

Respondeo, Ex præcit. Decr. Clem. XI. Missam non posse celebrari, *Absque præsentia personarum, quarum contemplatione concessio emanavit*, adeout, quamvis concessio dicat *In tua, & tuæ familiæ præsentia*, tamen secundum Croix n. 272. Henr. Rodr. & alios non sufficit præsentia aliquorum ex familia, te principali absente; etsi probabile reputaverint oppositum Pelliz. Pal. & alii. * Quorum tamen sententia nunc videtur amittere omnem omnino probabilitatem, ex eo, quod, cum ejusdem quæsiti resolutio delata fuerit die 3. Decembr. 1740. Benedict XIV. feliciter regnanti, hic per Epistolam Encyclicam incip. *Cum duo Nobiles* sub data 7. Januarii 1741. declaravit vigore simi-

lis

lis indulti, *Non licere celebrari Missam in Oratoriis privatis, quando eidem Missæ actu non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est. Indultum vero principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum Personis illis, quæ a tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur.* Hæc Pontifex ad uberrimam quæsiti resolutionem. *

§. IV.

De Loco profano.

TRID. *sess.* xx. Decr. *de Celebr. Miss.* Ordinariis locorum Episcopis ita præcipit: *Non patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, S. hoc Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi;* additque eis potestatem procedendi ut delegatis Sed. Apost., non obstantibus, &c. Ideoque communiter contra Sot. & Sa docent, esse mortale oppositum, præciso privilegio, dispensatione, aut gravi necessitate: Lug. *de Euch.* d. 20. n. 48.

Quæres primo, An possit Episcopus dispensare, ut celebretur in domibus privatis?

Respondeo negative, tum ex Trid. cit. tum præsertim ex decr. Clem. XI. etiam cit. Addit tamen Gallem. cum aliis apud Croix l. 6. p. 6. n. 263. id intelligi de Oratoriis, in quibus per modum habitus celebretur; ideoque etiam nunc posse Episcopos dispensare, ut pro gravi necessitate, puta persona graviter ægrotante, celebretur Missa in ejus domo aliquoties, vel pro dando Viatico, &c. quod tamen alii communiter negant, præsertim post decretum cit. ex quo illud est certum, *Non posse hodie Episcopum, aut Cardinalem, neque in sua, neque in aliena Diœcesi, extra domum sua habitationis in privatis laicorum domibus erigere altare, ibique celebrare, aut celebrari facere.* In *Comp. autem Privil. Soc.* habetur, ut ex facultate P. Generalis possint nostri infirmi Missam in proprio cubiculo super altari portatili, in loco tamen decenti, celebrari facere, & communicari, sine licentia Ordinariorum, ex Pio IV.

Quæres secundo, An in casu aliquo necessitatis celebrari possit in loco profano?

Respondeo affirmative; Quia lex ecclesiastica prudenter præsumitur tunc non obligare; dummodo adsit Altare portatile. Doctores communiter. Casus autem sunt primo, Si nulla ibi sit Ecclesia, vel omnes dirutæ, & incolæ, vel aliqui peregrinantes diu (puta per mensem) Missa deberent carere; imo etiam ne in Festo solemniori ea carere cogantur; vel si magnus sit populi concursus ad imaginem miraculosam; vel si in Festo solemni templum eos non capit; tunc enim de licentia Episcopi, vel si absit, etiam absque licentia potest celebrari in Altari portatili, sive juxta Ecclesiam, sive intra ipsam etiam dirutam, sive sub dio, &c. Tamb. & alii communiter: Secundo, Celebrari potest in Altari portatili in Castris pro militibus, sed festis tantum diebus, ut limitant Lug. & alii; quamvis Pasqual. apud Dian. censeat, etiam in non festis permitti posse Generalibus, & primariis Ducibus in suis tentoriis: Tertio, Celebrari similiter potest in portu pro appulsu navis; non tamen in navi, ob periculum effusionis sanguinis, ut communiter docent apud Bonac. Contrarium tamen habet praxis Lusitanorum euntium in Indiam ex permissione Clem. VIII. & Paul. V. ex qua indefinite licere dicunt Fagun. & Gran. nec improbat Lug. limitandum tamen cum Dian. & aliis, si magna sit tranquillitas, & adsit alter Sacerdos, qui post consecrationem firmiter teneat calicem: cum qua limitatione Gran. docet, etiam Episcopum posse id concedere in necessitate, ne scilicet magna multitudo navigantium privetur Missa, vel moribundus decedat sine Viatico; quamvis Con. & Turr. id Papæ reservatum velint, ex decl. Card. apud Dian. v. Croix, Tamb. l. 1. *Miss.* c. 6. §. 1.

Quæres tertio, Quinam usus Altaris portatilis sit hodie prohibitus?

Respondeo ex Decr. Clem. XI. cit. *Episcopis, & his majoribus Prælatis, etiamsi Card. .... Nullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique celebrare, sive celebrari facere:* Hujusmodi prohibitio intelligenda non est de domibus, etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur: ita ex nuperrima moderatione Concil. Rom. sub Bened. XIII. ann. 1725. An autem possint dispensare, ut aliquando celebretur in domo infirmi, dictum est supra: v. Croix n. 263. *Licentias etiam, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus* in cap. *In his, de Priv. & per aliquot S. Pont. aliis Regularibus communicata utendi Altari portatili, in eoque celebrandi sine Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse; &c.* quod certe intelligitur in privatis domibus, &c. non vero intra domum ipsam Religiosorum. Quid autem possint Missionarii apud infideles, videant in suis privilegiis. Nota interim, per hoc decretum sublata esse privilegia etiam in corpore Jur. &c. Ex hactenus dictis infers, absque gravi necessitate, aut privilegio, aut dispensatione peccatum esse (& quidem mortale ex communi sententia contra Sot. & Sa) celebrare extra Ecclesiam, quæ etiam debet esse consecrata, vel saltem benedicta; adeoque divino cultui perpetuo di[illegible]; Lug. *de Euch.* d. 20. n. 48.

§. V.

De Loco Obligationis.

LOcus obligationis est talis Ecclesia, vel talis Cappella, vel tale Altare, vel Altare privilegiatum, in quo ratione Cappellaniæ, Legati, aut Stipendii manualis, tenetur Sacerdos quotidie, vel statis diebus, vel aliquando celebrare.

Dico: Peccatum est ex genere suo mortale alibi, quam in loco obligationis celebrare: Bon. Fagn. Barb. Ricc. & alii apud Tamb. l. 3. *Miss.* c. 2. Ratio est, quia fit contra mentem obligantis in re ex genere suo gravi: Dian. p. 4. t. 4. r. 40. Sacerdos institutus, & obligatus ad celebrandum in certo Altari Privilegiato pro anima, &c. satisfacit obligationi, si alibi celebret secum habens calculum, seu numisma Benedictum, cum quo æqualis indulgentia plenaria acquiritur; quia satisfacit per æquipollens; nisi vero Fundator voluit, tale Altare honorari, & coli, quia suum: Meg. March. Frax. aliique: negat tamen absolute cum Lug. & aliis probabilius Tamb. l. supra cit. §. 1. quia regulariter indulgentia applicata Altari esse solet magis authentica, & secura, quam quæ applicatur calculo: quod & Fidelium persuasione liquet. Dixi *ex genere suo*, quia dari potest in hoc parvitas materiæ, ob quam aliquando venialiter tantum peccatur; ut, si Cappellanus obligatus toto anno ad Missam quotidianam in tali Altari privilegiato, bis, aut ter in anno alibi celebret: Doctores communiter apud Dian. p. 2. t. 14. r. 29. Si vero in tali Altari, sed non privilegiato, Tamb. excusat etiam a mortali, si uno, vel altero die singulis mensibus alibi celebret, & facilius, si celebret in alio intra eandem Ecclesiam, & Lug. apud eundem excusat etiam a veniali Cappellanum Missæ quotidianæ raro alibi ex aliqua rationabili causa celebrantem, quia non censetur obligans cum tanto rigore eum velle onerare; imo, si principalis finis ejus sit velle applicationem Missæ, ne veniale quidem est, alibi sæpe celebrare, quando constet, eum parum curare de præsentia, seu officiatura in tali loco: at, si sit obligatio unius, vel alterius Missæ manualis in tali loco, celebrantem alibi non excusarem a mortali, si locus erat altare privilegiatum, vel peteretur in eo principaliter officiatura, nimirum ob commoditatem audientium Missam, vel honorem alicujus Sancti, &c. quamvis Tamb. c. 1. hoc non obliget ad restitutionem, quia Missam danti eleemosynam jam applicavit, ut supponitur; & commoditas officiaturæ jam præteriit, & damnum Altaris privilegiati omissi non potest obligare ad alterum ibi Sacrificium; cum nemo ex justitia teneatur reddere plusquam debet.

Quæres primo, An possit Episcopus dispensare, ut celebres alibi a loco, in quo es obligatus?

Respondeo affirmative, Dummodo adsit causa dispensandi proportionata; quia habet legitimam facultatem dispensandi in iis, quæ passim occurrere possunt: Doctores communiter apud Tamb. c. 2. §. 2. Causa autem esse potest, utilitas propriæ Ecclesiæ, applicatio studendi, negotii necessitas, & similia, &c. Noto hic, præter licentiam Episcopi non requiri, nisi ex consilio ad vitanda scandala, consensum hæredis alterius obligantis, nec illius consensum sufficere sine licentia Episcopi; quia hic, non autem ille, habet clavem dispensandi. Neque obstat Trident. *sess.* 25. *c.* 5. *de Refor.* prohibens, mutari qualitates Fundationum; quia loquitur de earum substantia: eas ergo quoad substantiam relictas reducere potest Episcopos ad æquitatem, concedendo scilicet, ut alio loco Missa dicatur, si impossibile, vel nimis

mis

mis molestum foret in loco designato celebrare; nisi vero celebrandum ibi esset ob commoditatem populi audituri Missam, ut addit Pasq. apud Croix n. 120.

Quæres secundo, Quid agendum sit Cappellano obligato celebrare in tali Ecclesia, si ea sit polluta, execrata, vel interdicta?

Respondeo, Cappellanum, seu quemcumque obligatum ad Missam hodie in tali Ecclesia celebrandam, si contingat, eam pollui, & ea erat tantum benedicta, obligari ad reconciliandam juxta dicta §. 2. quia tenetur tollere impedimentum, si potest. Si autem non potest, vel ea sit execrata, vel interdicta, cui ipse causam non dedit (si enim dedit, tenetur curare tolli interdictum) tunc attendenda est mens obligantis; si enim is solum intendit officiaturam in tali loco, ad nihil tenetur Sacerdos, si intendit applicationem, vel cultum specialem Sancti currentis, tenetur Sacerdos alibi celebrare, vel alio die supplere, quia ita præsumitur ex voluntate obligantis: Tamb. l. 3. c. 5. §. 2. Nota hic, si Ecclesia, in qua est Altare privilegiatum, destruatur, manente integro Altari, perire privilegium, uti decisum esse testantur Dian. & Gob. ap. Croix n. 523.

CAPUT IV.

De Tempore Sacrificii.

Ad Sacrificii tempus pertinent ista: I. Quo die? II. Qua hora? III. Quo die, sive designetur, sive non designetur, sive designetur quotidie? Verum de hoc ultimo pauca quædam hic addentur; cum reliqua huc spectantia dicta abunde sint in de Missæ stipendio tr. 4. d. 2. q. 1. c. 2. §. 3.

§. I.

Quo Die?

Videndum, Primo, An Sacerdos teneatur aliquando celebrare? Secundo, Quo die possit? Tertio, Quoties eodem die? Itaque

Quæres primo, An Sacerdos teneatur aliquando celebrare?

Respondeo, Simplicem Sacerdotem (qui scilicet aliunde non sit obligatus beneficio, legato, stipendio manuali, promissione, voto, & similibus) si non sit legitime impeditus, teneri ex mandato Episcopi sub gravi culpa celebrare saltem Dominicis, & Festis, ubi Tridentinum est quoad hoc receptum: si vero nullum sit Episcopi mandatum, teneri etiam sub gravi aliquando intra annum celebrare; & quidem ter in anno, & præcipue Natali Domini, Pasch. & Pentecost. docent nonnulli apud Dian. p. 2. t. 14. r. 19. satis tamen esse, si, præciso scandalo, semel, hoc est in Pasch. quando scilicet est obligatio communicandi, docent alii cum D. Bonav. in 4. d. 12. a. 2. q. 21. addirque Tamb. l. 1. *Miss.* c. 6. §. 2. cum aliis, nec peccaturum graviter, si tunc tantum communicet, quia non apparet præceptum cum tanto rigore obligans. Obligatio autem dicendi tres Missas (Spiritus Sancti, B. V. & Defunctorum) post primam Missam, quæ imponitur Sacerdoti, dum ordinatur, etsi Suar. & alii dicant esse sub mortali, at sub veniali ob decentiam, dicunt alii apud Croix n. 2319. In Cathedrali vero, Collegiata, & Conventuali (ubi est competens Sacerdotum numerus) debet quotidie una saltem Missa privata celebrari, & altera cantari; peccantque graviter earum Rectores, si in hoc deficiant: Doctores communiter ex c. *Cum creatura, de Cel. Miss.* Eos tamen a mortali excusant Tamb. n. 4. & alii, si (præcisa alia obligatione) semel, vel bis in hebdomada alterutram omittant; quia nec constat de consuetudine accepta sub mortali, nec ex *cit. cap.* eruitur, ut quotidie, &c. idemque putat, si in Collegiata, cadente die Festo in Feriam privilegiatam (scilicet Vigiliæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Quadragesimæ) semel omittatur Missa solemnis de feria canenda post nonam; quia non constat declaratio opposita S. Congr. quam refert Asc. Tamb. & Rubrica Missalis solum dicit, *Cantantur duæ Missæ currentis Festi, & Feriæ privilegiatæ*, ideoque non præcipit. Majus est dubium de Ecclesia Regularium canentium in Choro, quam Portell. censet esse vere Collegiatam; negat tamen Rodr. cum Peye. apud eundem Tamb.

Denique Parochus, etsi sub gravi teneatur celebrare vel per se, vel per alium, quando ejus Parochiani tenentur audire Missam, cum teneatur ratione officii; tamen extra id tempus non tenetur, præcisa consuetudine, lege speciali, vel pacto, &c. cum nihil in jure sit circa id statutum: ideoque in Natali Domini nec tenetur, nisi unam Missam curare, cum ad unam tantum audiendam teneantur ejus Parochiani: Tamb. §. 2. n. 2.

* Addenda hic, quæ circa Missam Parochialem, & Conventualem per Epistolam Encyclicam incip. *Cum semper* declaravit, ac sancivit Bened. XIV. die 19. Augusti 1744. nimirum, Primo, quod Sacrificium Missæ a Pastoribus Animarum applicari debet pro populo ipsorum curæ commisso, idque veluti ex divino præcepto descendens, uti diserte exprimitur a Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de Reform.* Secundo, Quod iidem Pastores non tenentur ad dictam applicationem pro populo, quotiescumque celebraverint, sed in Dominicis, aliisque per annum Festis de præcepto, in quibus etiam ex Trid. debent populum salutaribus verbis pascere: Tertio, Nomine dierum Festorum veniunt etiam ii, in quibus populus Missæ interesse debet, licet possit alicubi operibus servilibus vacare: Quarto, Parochi vere egentes possunt ex Episcopi facultate, aut dispensatione eleemosynam dictis diebus festis pro Missa accipere ab aliquo pio offerente, & pro ipso Sacrificium applicare; dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent; ea tamen conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus Festis infra eandem hebdomadam occurrentibus obtulerint: Quinto, Ubi Vicariis, sive perpetuis, sive ad tempus Animarum curam administrantibus, quæ apud alios habitu residet, ratione alicujus Ecclesiæ Parochialis, ipsorum Ecclesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut locis piis olim unitæ, ubi, inquit, præscripta juxta Pii V. sanctionem fructuum portio ceputetur ab Episcopis minime sufficiens propter temporum circumstantias, & signanter pro onere applicandi, ut supra, Missam pro populo; utantur Episcopi potestate per Tridentinum accepta, & congruam dictis Vicariis fructuum portionem assignent.

Circa Missam Conventualem approbat & confirmat vetera Decreta, tum primo inculcat, ut talis Missa, quæ singulis diebus canitur a Clero Ecclesiæ Cathedralis, Collegiatæ, &c. pro Benefactoribus in genere quotidie applicetur; nam debitum celebrandi Missas Conventuales, non singulares Benefactores, sed Benefactores in genere respicit: Secundo, Huic debito non satisfit per alias preces, quæ interdum fiunt, vel per anniversaria statis diebus sacrificia pro Benefactoribus in genere peracta: Tertio, Excusationes afferri solitas ad declinandam obligationem sic applicandi Missam Conventualem sublatas dicit per opportunas resolutiones Congregationis Concilii Tridentini, quas ipse approbat, & confirmat; unde statuit, nemini suffragari consuetudinem contrariam, etiam immemorabilem, cum hæc potius abusus diei debeat, & corruptela. Neque suffragatur excusatio ex eo, quod aliqui inveniantur obstricti alio onere Canonicatus, Beneficii, &c. ad quod implendum debeant applicare Missam Conventualem, quam celebrant; nam in tali casu debent Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere applicare, & alium substituere, qui ipsorum loco celebret, applicetque pro aliis pro quibus ipsi deberent, ad alia onera implenda. Si contingat Missam Conventualem non celebrari a Canonicis, aut Dignitatibus, sed a Beneficiatis, aut Mansionariis, istis, ne omni eleemosyna careant, desumatur, ac detur ex Massa distributionum. Si enim exiguæ fiunt distributiones ob detractam eleemosynam pro Missa Conventuali, providendum ex Trident. sanctionibus *sess.* 24. *c.* 15. Si neque provideri hac via possit, recurrendum ad Congregationem Concilii, cujus erit, re mature perpensa, applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere ad Festos tantum dies reducere: Quarto, Ubi plures dicuntur Missæ Conventuales quotidie: Prima sit pro Benefactoribus in genere. Secunda etiam, & tertia, si sponte pro iisdem applicetur, laudabile est: si ex vi consuetudinis in tali Ecclesia vigentis, imperandum, ut in ea consuetudine perseveretur: ubi vero id usu receptum non invenitur, libera sit celebrantibus applicatio secundæ, ac tertiæ Missæ Conventualis, dummodo in Commemoratione pro defunctis, Ecclesiæ Benefactorum in genere non obliviscantur. Demum simplicem Assistentiam in Choro sine divinæ psalmodiæ cantu reprobat: sic enim Assistentes, inquit, nisi Apostolicum privilegium legitimum, ac vigens præsto sit, verendum, ne Præbendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant, dum ita se gerunt. *

Quæres secundo, Quo die celebrari possit?

Re-

Respondeo, per se loquendu , posse licite celebrari quotidie. *Salva tamen honestate sua, & debita devotione*, ut dicitur eap. *Significatum, de Preb.* Dixi, *per se loquendo*, quia sub gravi prohibetur die Veneris Sancti; in qun et decl. Cardin. apud Dian. contra Hurt. nec licet communicare, nisi pro Viatieo; quod nec tune potest eonfiei, nisi forte secus infirmus moriturus esset in peccato; quinimo, si nulla relicta sit hostia pro eo die, debet Parochus potius omittere omnia; nisi forte habeat partieulam consecratam; quam si nec babeat, Gob. putat, ad vitandum populi seandalum, posse mane celebrare privatim Missam de Passione, & consectare duas hostias absque ablutione; vel eurare, id fieri per alium Sacerdotem, si adsit: v. Croix n. 233. At die Jovis Sancti, & Sabbato Sancto, quamvis consueta sit praxis abstinere a Missa privata in signum mœroris, &e. tamen licite posse a quovis id fieri; etiam in publico templo, saltem ante iuceptam Missam solemnem die Jovis, & saltem incepta Missa solemni Sabbato Sanctu, communiter docene Doctores ibidem, quia de primo nulla adest prohibitio, & quæ affertur a Persic. apud Tamb. nondum eonstat authentice: de secundo autem, si qua fuit, est abrogata usu etiam Timoratorum; tamen Avers. apud Croix recte dicit, consultum non esse, & apud eundem n. 2055. & 295. est hodie prohibitum, ex decr. S. C. 1690. ideoque, si bis diebus incidat Festum, possunt plures Missæ celebrari ad commoditatem audientium, &e. Cæterum qui tenetur quotidie celebrare, potest dictis diebus abstinere, conformando se praxi, & aliorum opinioni.

Nota hie ex March. apud Tamb. n. 3. prohibitam esse a S. Congr. Missam solemnem in Oratoriis Confraternitatum his diebus, nt & Sacramentum in sepulcro, &c. absque licentia Episcopi. Item nota ex Senny. apud Croix num. 507. non prohiberi his diebus Missam solemnem de *Requie* præsente cadavere; non tamen Missas privatas ejusmodi, ex S. Congr. apud eundem.

Quæres tertio, Quoties quis eodem die eelebrare possit?

Respondeo, Olim toties, quoties voluisset, & quidem novies in die aliquando id feeisse S. Leon. III. refert Gob. apud Croix n. 235. Nune vero ex universali eonsuetudine semel tantum est licitum, exeeptu privilegio, vel causa necessitatis, ex cap. *Consuluisti, de Celebr. Miss.*

I. Itaqne unum privilegium est in Natali Domini, in quo potest Sacerdos (non tamen tenetur) ter celebrare, modo sit usque ad tertiam jejunus. At non potest bis celebrare, & semel communicare more laico; ideoque nec potest Cardinalis Diaconus Sacerdos, qui ea nocte communicat in Missa Papæ, dein celebrare; quia privilegium est solum de ter celebrando: Lug. apud Tamb. Potest tamen Episcopus ea die ordinatus communicare in Missa, iu qua ordinatur, & postea bis celebrare; quia in prima fuit etiam Sacrificans: Gob. apud Croix n. 142. qui etiam n. 240. ait, Sacerdotem, qui præest duabus Parochiis (ideoque potest eodem die binare juxta dicenda num. sequ.) posse in Natali Domini dicere sex Missas, dummodo sit jejunus usque ad ultimam, quia fruitur privilegio duorum Parochorum: & num. 241. ait, qui in uno loco, ubi est novum Calendarium ter dicto die celebravit, si eodem anuo veniat ad locum, ubi est Calendarium vetus, posse iterum ter celebrare, applicando sibi præsens privilegium loci. Alterum privilegium est in Regno Valentiæ, ubi die omnium defunctorum potest Sacerdos Secularis bis celebrare; & Religiosus ter ibidem, & in pluribus aliis Regnis Hispaniæ: idemque possunt Dominicani Conventus Pampilonensis, S. Jacobi, & Trinitarii, ex Leandr. apud Croix num. 235.

II. Causa necessitatis est communiter, Primo, Si quis præest duabus Parochiis, & nisi bis eodem die sibi celebret, alteruter populus careret Missa; qnod fieri posse non solum die festo, sed etiam feriali, docent Suar. Lug. & alii, ne scilicet alteruter populus privetur potestate offerendi Sacrificium; additque Suar. Parochum tune impeditum posse rogare alium Sacerdotem ad similiter binandum, & Tamb. ex Fagun. aie, quemlibet Sacerdotem, ubi est horum raritas, posse in dicta necessitate pluries in die celebrare, etiam nulla petita licentia ab Episcopo forte vieino, quia *Jus commune* r. *cit.* absolute facultatem concedit; debet tamen usque ad ultimam Missam esse jejunus: Doctores communiter. Secundo, Necessitas binandi esse potest, si aliter quis decederet sine Viatico, modo etiam binans sit jejunus, ut concedunt Doctores communiter, qui tamen casus, ut notat Tamb. solum haberet locum, si Sacerdos accepto calice ante ablutionem sciret, aliquem esse moribundum; si enim antea seiat, debet servare de sua hostia: aliqui tamen cum Zanard. Zamb. Philiar. putant, in tali casu Sacerdotem etiam non jejunum posse binare: quorum sententiam Suar. Fill. Lug. Dicast. vocant probabilem, & Laym. concedit, si aliud Saeramentum non possit sumere infirmus: v. Croix n. 611. Illud certum, si post consecrationem etiam unius speciei deficiat celebrans, posse alium, etsi celebraverit, non jejunum supplere reliquum Missæ; sed id non est binare, sed alterius sacrificium complere.

Præter dictas duas necessitates, alii apud Croix n. 236. admittunt, posse etiam binari, si superveniat Princeps, vel Episcopus volens audire Missam, nec sit alius Sacerdos: item, si superveniat multitudo peregrinorum: item, si superveniat defunctus, ubi sine Missa sepeliri non solet: item, si benedicendæ sint nuptiæ: item quacumque alia simili necessitate arbitrio prudentis, &c. Verum oppositum communius dicendum, tum ex cap. *Te referente, de Celebr. Miss.* ubi Episeopo Sipontino mandatur, ut in die Cœnæ Domini in Ecclesia Sipontina tantum celebret ad conficiendum Chrisma, & non binet etiam in Garganica ob peregrinos, &c. tum etiam ex S. Congr. 2. Sept. 1657. prohibente, Episcopo Paraquariensi eelebrare diluculo pro nobilibus impotentibus deinde decenter adesse, & deinde pro populo: v. Croix ibidem.

§. II.

Qua Hora?

Hora celebrandi est ab aurora ad meridiem, ex Pio V. in *Rubr. Miss.* Videndum nune Primo, An liceat ante auroram? Secundo, An liceat post meridiem? Tertio, An liceat ante recitatas Horas Canonicas? Quarto, An liceat Missam abrumpere? Quinto, An liceat interrumpere? Itaque

Quæres primo, An liceat celebrare ante auroram?

Respondeo negative, Exeepto die Nativitatis Domini, privilegio, ac necessitate: Doctores communiter ex Trid. præcipiente, ne aliis, quam debitis horis eelebretur, & ex consuetudine approbata a Pio V. & censura Prælatorum punientium delinquentes. Nota hie ex S. Congr. apud Gav. auroræ tempus sumendum, non mathematice, sed moraliter; ideoque nihil peccare, qui Missam finit tum, cum incipit aurora, quæ quidem ineipit apud nos hora cum dimidio, antequam videatur oculis ipsum corpus solare: Suar. Tambur. & alii apud Croix num. 226. ideoque potes licite incipere duabus plus minus horis ante, quia sic finis Missæ coincidet cum initio auroræ; si amplius anticipes, itaut finias duabus eirciter horis ante solem peccas venialiter, & cum causa nihil peccas; ita colligo ex Tamb. l. 1. *Miss.* e. 6. §. 4. n. 19. & aliis: si plus anticipes; peccas mortaliter: Doctores communiter.

Excipe primo Natalem Domini; tune enim immediate post mediam noctem possunt, non solum una, sed ex probabilissima opinione omnes tres solitæ Missæ a quovis Sacerdote celebrari: Suar. Vasq. Lug. & alii contra Fagun. & Nug. ap. Tamb. n. 5. quibus favet S. Congr.

Excipe secundo, Religiosos communicantes in privilegio Societatis Jesu, quo a Greg. XIII. conceditur ut possint causa itineris, vel alterius legitimi impedimenti celebrare per horam ante auroram; adeoque incipere tribus horis ante ortum solis, ut infert Tamb. ex dictis, quod communicatum est omnibus Superioribus, & quibus ipsi commiserint; ut in *Comp. Priv. Soc. J.* Extant apud eundem tria alia Privilegia: Primum Alex. VI. Bullatum Benedictinis, ut possint ob multitudinem confluentium celebrare duabus horis immediate post mediam noctem in propriis Ecclesiis; adeoque etiam claustris, ut probabiliter addit Rodr. contra Lug. Secundum, Leon. X. *viv. voc. orac.* concessum Minoribus, celebrandi de licentia Superiorum illico post Matutinum, & Tertium Greg. XIII. concessum Monachis S. Justinæ, etiam *viv. voc. orac.* ut, dum sunt in itinere, celebrare possint inter mediam noctem, & auroram; quæ tria, etsi revocata non esse dicant Pellizar. Tambur. & alii, tamen nondum esse nobis communicata a Generali asserunt.

Excipe

Excipe rertio, Caſum neceſſitatis, ut ſcilicet moriturо detur Viaricum; potes enim tunc a media nocte celebrare abſque liceutia: Doctores communiter. Item anticipari poreſt horam integram, occaſione itineris, ſecundum Henr. ſed communitaris, vel tui, ſi alioqui deberes ſolus ire, ut limitat Laym. Similiter, ſi alicubi ſit conſuetudo anticipandi, ut ſcilicet opifices, & famuli poſſint ſummo mane audire Sacrum, antequam eant ad opera, &c. Laym. & alii. Item, ſi ex rationabili cauſa diſpenſet per horam Epiſcopus ſive ſecus, ſive cum aliis; quia, etſi nequeant Epiſcopi concedere privilegium generale, poſſunt tamen in particulari caſu ex caoſa: idemque eſt de Superioribus Regularium: Suar. Rodr. Tamb. & alii: juſta autem cauſa eſt quolibet impedimentum alicujus momenti prudenrer ſuperfuturum.

Quæres ſecundo, An liceat celebrare poſt meridiem?

Reſpondeo negative, Excepto pariter privilegio, aut neceſſitate, atque hic etiam meridies accipitur moraliter, & ſatis eſt incipere in ipſo meridie, etſi finias poſtea. Si autem abſque cauſa incipias tertia parte horæ pomeridianæ ſecundum Azor. media hora ſecundum Laym. tribus quadrantibus ſecundum Bon. una hora ſecundum Sylv. peecas venialiter propter parvitatem materiæ; & eum cauſa nihil peccas: Tamb. ex Lug. Ulterius autem differre eſt murtale: Doctores communiter contra Nav. putautem, licite differri poſſe uſque ad horam tertiam pomeridianam, cui certe repugnat uoiverſalis conſuetudo.

Excipe primo, Privilegium Greg. XIII. datum Religioſis Soc. Jeſu celebrandi intra horam poſt meridiem ex rationabili cauſa, & licentia Superioris, qui proinde ex dictis etiam incipere poſſunt immediate poſt horam. Extat etiam privilegium Bull. Eug. IV. conceſſum Monach. S. Juſtinæ celebrandi ex juſta cauſa uſque ad nonam *incluſive*, hoc eſt tribus circiter horis poſt meridiem, quod, etſi nun revocatum dicat Tamb. non eamen nobis a Generali communicatum aſſerir.

Exoipe ſecundo Caſum neceſſitatis, ad dandum ſcilicet Viaticum, pro quo celebrare poterit quivis etiam hora poſt meridiem, imo etiam tertia hura, ſequendu opinionem Navarr. non autem poſtea. Irem inter cauſas poſtponendi eſt ſecundum Suar. & alios etiam ſolemnitas; ſi ſcilicee Miſſa ſolemnit, & concio diu durane, poſt quam dici poteſt alia Miſſa privata ob commoditatem populi etiam poſt horam; imu ex Quarti etiam poſt tertiam, ſed quoad hoc attendenda eſt conſuetudo locorum; ideoque, etſi Nav. Gob. & alii putent, Sacerdotem poſſe incipere hora rertia, ot ſic Feſto die ipſemet præcepto ſatisfaciat, tamen Soar. & alii melius negant, quia non videtur eſſe tanti, ut unus peivatus Miſſæ præceptu ſatisfaciat: Croix n. 228. ſolum ergo id concedi poteſt intra horam pomeridianam, ſive fuerie itinere, ſive aliu notabili impedimento antea occupatus. Dico *Notabili*; non enim ſat eſt, ut commodius celebres, ut tardius e lecto per ſegnitiem exſurrexeris, ut ſtipem ſine indigentia lucreris, &c. bene tamen infirma valetudo, ſtudium neceſſarium, negotium alicujus momenti, multiіudo Confeſſionum, vel confeſſio longa, vel indigentia ſtipis ad victum, &c. Denique diſpenſare tum ſecum, tum cum aliis poteſt in hoc Epiſcopus una hora, &c. nt emitur ex dictis.

Quæres tertiu, An liceat celebrare ante recitatas Horas Canonicas?

Reſpondeo, Inter Miſſæ defectus numerari in Rubr. Miſſ. §. 1u. ſi celebrans Matutinum ſaltem cum Laudibus non dixerit. Hinc Antiquiores communiter, quibus accedunt Azor. Bell. Regin. aliique dicunt, eſſe mortale antea celebrare, rum quia eſt vetus conſuetudu, rum quia Pius V. *Bull. in principio Miſſal.* diſtricte id præcipit. Negane alii communius cum Sylv. Suar. &c. quia nec apparet, conſuetudinem eſſe ſub mortali acceptam, nec Pius V. tulit præceptum, niſi obſervandi ritum Miſſæ, & recitatio Matutini non eſt ejus ritus, ſed quid præſuppoſitum, ut not. Pal. ideo Tamb. & alii dicunt, nullum per ſe loquendo eſſe peccatum, ſed tantum conſilium, ſeu congruum; ſed communieer eſt veniale, utpote contra Rub. cie. ſi fiat ſine cauſa, a quo liberaris per eauſam quamcumque rationabilem: Croix 230. Cæterum ex conceſſione Jul. III. poſſunt PP. Societatis Jeſu cum facultate Generalis jam data ſine ſcrupulo poſtponere *juſtis de cauſis*; & ſufficit quævis cauſa, etiam dubie ſufficiens; aliter non eſſet ſpeciale privilegium. Miſſa autem Conventualis dicenda eſt ex univerſali conſuetudine poſt matutinum in Cathedr. Colleg. &c.

Quæres quarto, An liceat Miſſam abrumpere, ſeu relinquere imperfectam?

Reſpondeo negative, ex cap. *Nihil* 7. *q.* e. ubi, *Si quis hæc temere præſumpſerit, Excommunicationis ſententiam ſuſtinebit:* ſi quis autem in fine parvam partem omittat, eſt veniale tanrum ob parvitatem materiæ: at ſi Miſſam parva etiam parte inceptam deſerat, ſecundum Paſq. apud Croix n. 244. peccat mortaliter, incurritque ſuſpenſionem; quamvis hoc aliis videatur durum. Cum cauſa vero diſtinguendum eſt. Si nondum cœperis Canouem, debes iuterrumpere, ſi aſſiſtat excommuuicatus vitandus, qui expelli nequeat, vel publice polluatur Eccleſia, aut execretur Altare: idemque eſt, ſi recurderis, re eſſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, vel non jejunum, vel in peccato, vel cœpiſſe Miſſam mulro ante auroram, aut multo poſt meridiem, &c. modo tamen id fieri poſſit abſque ſcandalo, & infamia; etſi Sot. putet, poſſe pergere, ſi recorderis peccati, modo ſis jejunus, nec cenſuratus: ſi autem cœptus ſit canon, pergendum eſt, niſi urgear gravis neceſſitas, ſive corporalis, ſive ſpiritualis, tua, vel proximi, ſed inde redeundum juxta dicenda quæſit. ſequ. Dubium nunc eſt, an aliquando poſſis conſecrata una tantum ſpecie abrumpete, ſeu relinquere omniuu Miſſam imperfectam. Negat Pal. etſi intentetur mors, quia eſſet poſitiva irreverentia viram tuam præferre eſſentiæ Sacrificii: ſed diſtinguendum eum Tamb. & negandum quidem, ſi aute inceptionem Miſſæ intentetar mors, niſi conſecres ſolum panem; ſic enim directe intenditur ſacrificium imperfectum, quod in nullo caſu licet, etiamſi ad conficieudum Viaticum; at, ſi conſecrato pane ingruunt hoſtes, incendium, terræmotus, &c. potes eo ſtatim abſumpto, vel tecum ablato abrumpere, ſi ad conſecrandum calieem ſine evidenti mortis periculu progredi nou poſſis: Laym. & alii; idque a forttori, ſi ingruant hæretici ad inferendam injuriam Sacramento. Contra vero non potes, ſi quis intentet tibi mortem, niſi abrumpas, quia talis metus intentatur in contemptum, & ita intelligo Pal. Eadem dic de abrumpenda Miſſa inter conſecratiouem, & ſumptionem, quia hæc ſaltem eſt perfectiu integralis Sacrificii.

Quæres quioto, An liceat aliquando intertumpere Miſſam?

Reſpondeo, Abſque gravi cauſa eſſe mortalem quamcumque interruptionem notabilem, hoc eſt ultra *media*m horam: Croix n. 246. & noto, ad interrumpendum immediate poſt Evangelium ſufficere coucionem, proceſſionem expediendam, &c. graviorem vero requiri cauſam poſt oblationem, graviorem poſt inceptum Canonem, & a fortiori a conſecratione uſque ad conſumptionem. Hinc, ſi ante oblationem danda eſt Extrema Unctio moribundo jam eonfeſſo, & communicatu per Viaticum, probabilius non eſt interrumpenda, quia non videtur tanta neceſſitas, qua vincatur irreverentia debita Miſſæ: Tamb. contra Laym. Si autem ſit dandum Viaticum moribuudu jam confeſſo, potes interrumpere etiam poſt conſecrationem, ſi ſit intra eandem Eccleſiam; ſecus vero, ſi eundum ſit foras ſine veſtibus ſacris; tunc enim non potes, ſi facta ſit oblatio (ea enim nondum facta probabiliter potes) ob eandem rationem: ſi demum ſit danda abſolutio moribundo, vel aliud Sacramentum, quu credarur ponendus in gratia, debes interrumpere etiam inter conſecrationem utriuſque ſpeciei, quia eſt neceſſitas extrema vincens irreverentiam: Tamb. l. 2. *Miſſ.* c. 8. §. 7.

Dum autem reverteris poſt interruptionem ad Miſſam finiendam; tunc, ſi conſecraveras vel unam tautum ſpeciem, pergendum, ubi deſieras; ſi nihildum conſecraveras, tune, ſi mora ſoit intra horam, poteris pariter pergere, ubi deſieras; ſi ploſquam una hora, poterit a principio Miſſam inchoare, vel etiam omittere, ſi non ſis aliuu de obligatus: Suar. apud Tamb. c. 8. Denique, ſi ſuperveniat Princeps, vel Prælatus, vel Proceſſio, vel ſimiles, audituri die Feſtu tuam Miſſam, quæ ſit ibi unica, & tu nondum perveneris ad oblationem, Laym. & alii putant, poſſe interrumpere, & iterum inchoare; ſed negat Tamb. quia non eſt tanta hæc neceſſitas, cum nec illi tunc teneantur ad audiendam integram Miſſam.

§. III.

Quo die, sive designetur, sive non designetur, sive designetur quotidie?

OBLIGATUR quandoque Sacerdos, legato, stipendio, voto, &c. ad unam, vel plures Missas; sed aliquando die, vel tempore designato, aliquando non, aliquando quotidie. Qua in re

Quæres primo, An possit Sacerdos anticipare sacrificare pro obligatione jam contracta celebrandi v. g. 15. Missas singulis mensibus?

Respondeo cum Lug. Pelliz. n. 129. Bonac. & aliis affirmative, regulariter loquendo; quia anticipata solutio non præjudicat, sed prodest creditori: si ergo hoc mense celebret 30. Missas, potest toto sequenti vacare, aut celebrare pro alio, inquit Lug. Dixi *Regulariter loquendo;* nam non potest, si mens obligantis intenderit illam distributionem menstruam ob aliquam specialem causam, v.g. ad honorem, ad decorem suæ Capellæ, ob memoriam menstruam Fundatoris, &c. Similiter, inquit Pelliz. ex Jo: Lug. si pro defunctis hujus populi, vel communitatis; siquidem ex ea anticipatione fit, ut, qui moritur altero mense, fraudetur subsidio, cum Fundator intenderit subvenire omnibus successive. Porro, an poterit Sacerdos anticipato stipendio sacrificare pro illo, qui primus offeret stipendium? v. in de Missæ stipend. l. supra cit.

Quæres secundo, An tenearis statim ab initio cujusque anni, & sine interpellatione celebrare numerum Missarum, ad quem de licentia Sedis Apostolicæ redactum est onus Missæ quotidianæ, v. g. ad 200. quotannis?

Respondeo, quod, quamvis probabilius ita dicendum, cum legata pia debeantur initio anni ex Tiraquel. Ricc. & aliis; probabile tamen etiam videtur, posse absolvi numerum illum in fine cujuslibet anni; quia talis est usus, & ad suffragia plures, & plures anni solent assignari, ideoque similes moræ tacite concedi solent: Pelliz. n. 74.

Quæres tertio, An, & quando teneatur celebrare Sacerdos tres illas Missas, quæ ei injunguntur ab Episcopo ordinante?

Respondeo, Ex Rit. Rom. Episcopum ita loqui Sacerdotibus, dum ordinantur: *Post primam vestram Missam tres alias Missas, scilicet, unam de Spiritu S, aliam de B. M. tertiam de fidelibus defunctis dicite, & etiam pro me orate.* Hinc peccant omittendo; venialiter tamen secundum Sot. Val. & alios contra Suar. Azor. Les. & alios, quia imperative injunguntur ab Episcopo, qui sub veniali obligare potest ad materiam gravem; &, quamvis posset sub mortali, tamen, cum hactenus Episcopi non declaraverint, benignius interpretandi sunt. Cæterum, cum de Jure communi non sit determinatum tempus, quo debeant celebrari, diu differri possunt; nec dicendæ sunt diebus impeditis: denique nec præscribitur, ut applicent pro intentione Episcopi, sed tantum, ut pro eo orent; ideoque applicari possunt aliis, etiam cum stipendio: v. Croix de Ordin. n. 2318.

Quæres quarto, An celebrans aliis, quam designatis diebus, satisfaciat?

Respondeo cum distinctione: si designati sint dies propter specialem cultum, seu devotionem, puta Feria sexta ob Domini Passionem, Sabbatum ob B. V. non satisfacit, si celebret Feria 5. aut Dominica sequenti; satisfacit vero, si designati sint propter fructum missæ, quia tunc servatur saltem quoad substantiam mens designantis; & parva illa variatio temporis, cum non sit in præjudicium, ad summum erit veniale, & ex rationabili causa nullum; Tambur. l. 3. *Miss.* c. 3. §. 3. addens num. 2. etiam in priori casu vix illam modicam varietatem posse accedere ad mortale, nisi designatio diei esset in commoditatem audientium, qui proinde die festo Missam non possent audire.

CAPUT V.

De cæteris Requisitis ad Sacrificium, & de Ritu in eo servando.

§. I.

De cæteris Requisitis ad Sacrificium.

PRÆTER dicta superioribus capitibus requiritur juxta communem, & probabiliorem sententiam, teste Croix n. 318. tantum sub veniali Crux cum Crucifixo, & probabiliter in necessitate sufficit sola Crux: Croix cit. Unde inferunt Vasq. Gob. Pasq. Spor. melius esse etiam ex sola devotione celebrare sine omni Cruce, quam Missam ex Crucis defectu omittere. Sufficit autem Crucifixus etiam depictus vel pro Icone Altaris, vel in Tabernaculo. Si Venerabile sit expositum, non opus esse Cruce, docent multi apud Croix n. 321. sed aliqui referunt hanc declarationem S. Congr. 14. Maji 1707. *Quando super Altare expositum est Venerabile, debet etiam in eo collocari crux cum imagine Crucifixi.*

Secundo Mappa ex lino, vel cannabe, vel gossipio, & quidem triplex, ex Missali; at sufficere duas docent Henr. Suar. Laym. Bonac. Gob. & alii plures contra Gavant. & Jordan. sic enim habet usus, & pro tertia servit Corporale. Una tamen longa potest servire pro pluribus, si duplicetur, vel triplicetur saltem quoad illam partem, in qua est lapis consecratus, vel si totum altare sit consecratum, ubi reponitur Calix cum Patena: Croix ex Pasq. num. 324. Non est omnino necessarium, ut sit benedicta; quare in necessitate adhiberi potest vulgaris, & deinde aliis usibus reddi: Busemb. Laym. Sylv. Azor. Suar. Tann. Tambur. Spor. Sine necessitate celebrare sine ulla mappa est mortale; in gravi autem necessitate nullum est peccatum: Croix num. 325. ex Pasq.

Tertio, Vestes sacræ, nimirum Amictus, Alba, Cingulum, Stola, Manipulus, & Casula: Item Corporale lineum, saltem in ea parte, qua debet tangere Hostiam, & Calicem, & Palla item linea saltem ex ea parte, qua debet tangere Calicem; nam Palla ex parte superiore, & Corporale in extremitatibus possunt esse ex auro, aut serico elaborata: Palla deficiente potest ejus loco adhiberi aliud Corporale, vel Purificatorium, vel Bursa: Croix n. 332. Item Purificatorium, sine quo tamen celebrare, quando facile haberi non potest, non esse mortale dicit Gob. & cum non requirat benedictionem, potest adhiberi strophiolum mundum non applicandum deinde usibus profanis, & abluendum in prima lotione a persona sacra, hoc est saltem ab habente primam tonsuram, ut dicunt Pasq. & Suar. ap. Croix n. 331. quod valet etiam de corporalibus. Color paramentorum non est præcepti, sed directionis: Busemb. Homob. Dian. Suar. Avers. Quart. At juxta Gob. apud Croix num. 340. mortale esset, si in Paschate celebraretur in nigris. Color autem aureus, sive croceus æquivalet omni colori; ita Quarti.

Prædicta indumenta, & ornamenta debent esse benedicta vel ab Episcopo, vel a Sacerdote habente privilegium, ut habent Superiores Mendicantium pro suis tantum Ecclesiis, non pro extraneis, ut habet Aversa apud Croix num. 353. ex quibusdam declarationibus S. Congr. Tamb. tamen apud Croix cit. docet, Superiores Ordinum mendicantium adhuc posse etiam pro extraneis, ubi est usus, & Sporer testatur, Superiores sui Ordinis Seraphici bona fide id passim facere: sæpius etiam id factum per Rectores Societatis testatur Croix citat. qui addit, hoc ipsum absolute docere Tamb. Pasq. & Gob. Nomine autem Rectoris venit etiam Rector Seminarii habens sub se personas Societatis. Amittunt autem benedictionem, quando ita franguntur, aut lacerantur, ut non sint amplius apta ad usum, ad quem sunt benedicta: Avers. Gob. apud Croix n. 356. ut si anterior pars casulæ a posteriori separetur, vel si ex alba detrahatur manica, etiamsi alia assuatur: excipit Aversa, nisi ab initio ita essent aptatæ manicæ, ut funiculis possent alligari, & solvi, quia tunc se haberet, ut Calix habens juncturam tornatilem inter cuppam, & pedem, qui certe non amittit consecrationem per hoc, quod cuppa separetur a pede.

Grave sacrilegium est celebrare sine vestibus sacris, hoc est benedictis: Vasq. Navar. Suar. Con. Bon. Busemb. Pal. p. 10. n. 8. itaut, regulariter loquendo, nec in gravi necessitate liceat, & in earum defectu, cesset obligatio vel audiendi, vel celebrandi Missam. Laym. tamen, & Dian. docent in gravi necessitate licitum esse celebrare sine Stola, vel Manipulo, vel etc cingulo non benedicto, vel si fractum sit, rursus connectere. Item, si Parochus nullam haberet albam benedictam, posset die festivo celebrare in non benedicta: Gob. apud Croix num. 328. & secundum Pasq. apud eund. n. 325. est tantum veniale non adhibere amictum in illis, qui non ad caput tegendum, sed tantum

in

in humeris ferunt; est tamen mortale nullum adhibere corporale, aut non benedictum, nisi excuset gravis necessitas. Item Suar. Sa, Azor. apud Pal. cit. docent posse Sacerdotem uti Stola pro Manipulo, vel Manipulo pro Stola, si habeat longitudinem sufficientem ad tegendos humeros, quia videntur plus, minusve esse ejusdem formæ, quæ est assentia harum vestium: quæ, si duplices sint, ex parte nimirum interiori, & exteriori, singulæ remanent benedictæ, si separentur. Si paramenta non sint enormiter immunda, erit tantum veniale in illis celebrare: atiamsi esset ipsum corporale: March. imo adhibere vestes, & paramenta non munda, quando munda haberi non possunt, non est peccatum: Suar. Gob. apud Croix n. 336. Dettitæ non sunt applicandæ usibus profanis, sed vel axurendæ, vel e majoribus faciendæ minores, ut e stola manipuli, ex albis amictus, quæ in tali casu probabilius ex Gob. ap. Croix n. 357. indigent nova benedictione: quamvis ex eodem Auctore probabile sit etiam oppositum. Vestibus autem factis uti ad comœdiam vix vacat culpa mortali: Suar. Gob. apud Croix num. 337. At non est prohibitum, tales vestes conficera ex profanis, e. g. planetam ex vesta muliebri: Suar. Pal. Tambur. Demum probabilius axcusatur a peccato Sacerdos celebrans sine vestibus sactis ex metu mortis, dummodo absit contemptus Fidai, vel Religionis: Azor. Vasq. Val. Bec. Bon. Dian. Pasq. Gob. Requef. Spor. apud Croix num. 339. contra Cajet. Nugn. Suar. Pal. Fill. putantes, id esse intrinseca malum. Notat taman Avers. casum vix habere locum in praxi, quia vix aberit contemptus Fidei, vel Religionis, qui certe est intrinsece malus.

Quarto sub mortali etiam requiritur Calix, & Patena consecrata ab Episcopo, vel aliis habentibus talem facultatem, ut habent Abbates Pontificalia exercentes, etiam Regulares; sin minus de jure communi, saltem vel ex privilegio, ut innuit Avers. vel ex consuetudine, ut habent Zabar. Mend. Less. apud Croix n. 354. & quidem atiam pro extraneis Ecclesiis, ut ait Avers. apud Croix num. 353. ex Tamb. Bordon. Gavant. dicentibus, nan fuisse per daclarationes S. Congr. revocatam hanc facultatem pro Ecclesiis extranais, quoad vasa Saota; quamvis revocata fuerit, quoad Sacra indumenta. Putant aliqui eum Dian. & Pasq. apud Croix n. 352. vasa, & paramenta sacra per usum etiam mala fide factum in Sacrificio consecrari, & benedici substantialiter, itaut alius iis utens non peccet: sed melius contradiount Lug. Dicast. Tamb. & alii: v. Croix loc. cit. Mataria tum Calicis saltem quoad cuppam, eum Patenæ debet esse aurum, vel argentum; at potest essa stannum urgente paupertate: v. Croix a n. 345. Notat Gob. apud eund. n. 346. Theologos in magna paupertate nec repudiare plumbeum: & Fag. admittit etiam ex ære, vel auricalco, dummodo cuppa sie inaurata. Si Calix in euppa sit argenteus, vel etiam stanneus, ne sub veniali quidem requirunt in ejus parte interiori inautationem Tamb. Gob. Spor. & alii communiter, teste Croix l. c. quamvis Rubrica præscribat: unde licitum est celebrare in Calice, & Patena argenteis ex diuturno usu jam deauratis, seu in quibus aurum jam est corrosum; nec enim in tali casu consecrationem amittunt, quam unice amittunt, quando non sunt amplius apta ad usum, cui sunt destinata: unde, si denuo inaurentur, probabiliter non indigent nova consecratione, cum sit idem Calix, & eadem Patena: Pyxis vero, & Sphæra, seu lunula tangens immediate Sacramentum non sunt consecrandæ: Gav. Pasq. apud Croix num. 348. imo probabiliter neque de necessitate benedicendæ: Sylv. Sot. Vasq. Bonac. Pasq. & alii multi cum Spor. valde tamen conveniens est, ut benedicantur, ut fert etiam usus: possuntque benedicere etiam Superiores Mendicantium, ut & cætera paramenta, in quibus non adhibenda est sacri chrismatis unctio: Laym. ap. Croix n. 348.

Quinto, Missale, Lumen, & Minister inserviens. Missale sub gravi peccato requiritur Canonem saltem continens, ex Bon. & aliis communiter ap. Busemb. non est tamen necesse, ut sit benedictum, & in necessitate sufficit Missa descripta in charta: Tamb. Gob. vel quod Sacerdos dicat ex memoria: Laym. Gob. Spor. contra Tann. Qui visu careat ad legendum, sed videat sufficienter Hostiam, & Calicem, itaut absit periculum amittendi particulas, vel irreverenter tractandi Sacramentum, potest dicere Missam, quam scit memoriter: ad vitandum tamen scandalum debet omnia peragere cum Missali, ac si legeret: Croix n. 364. ex Gob. Candela accensa debet esse duplex, & cerea, & quidem sub mortali juxta Fag. Regin. Vasq. & alios contra Nugnum, & Marchinum: in necessitate tamen sufficit una etiam ex sebo, vel lucerna, aut lampas ex oleo: Dian. Laym. Azor. Sine omni lumine nunquam licet celebrare secundum Lug. itaut, si extingueretur ante consecrationam, & aliud haberi non posset, Missa esset relinquenda, etiamsi dandum esset Viaticum moribundo, juxta Fag. & Quintan. quamvis contradicant Leand. Gob. & Spor. apud Croix num. 393. qui probabile esse dicit ex Pasq. in gravi necessitate licitum esse celebrare sine lumine, quia hoc requiritur ex præcepto Ecclesiæ, a quo excusat gravis necessitas. Demum Minister inserviens Sacerdoti, & quidem masculus etiam sub mortali requiritur juxta Navar. Fag. & Zerob. Verum, si adsit gravis necessitas vel Missæ audiendæ die Festo, vel viatici dandi juxta Suar. Lug. Con. Sylv. Avers. Sa, Bon. Dian. imo juxta aliquos apud Henao, teste Croix num. 385. etiamsi alias multis diebus ferialibus deberet Sacerdos omittere Sacrificium, potest celebrare sine Ministro, & sibi ipsi respondere, ut etiam tempore pestis ad vitandum periculum contagionis, si celebrando debeat se alere: Croix n. 386. ex Pasq. qui cum Gob. aliisque communius apud Croix n. 388. dicit, melius esse sine Ministro celebrare, quam permittere, ut femina ministret ad Altare, in quo gravem culpam agnoscunt contra Sylv. & Nugn. putantes, peccari tantum venialiter. Dixi *Ad Altare*, nam possunt licite moniales respondere Celebranti e Choro, ut passim fit, aliis ministrantibus ad Altare. Filii ante ordinationem patris legitime nati possunt patri jam ordinato ministrare: secus vero illegitimi, nisi essent occulti, quia tunc cessat indecentia: Croix n. 389. ex Pasq.

Velum Calicis, manutergium, pulvinar pro libro, candelabra, antipendium, bursa pro corporali requiruntur ob decentiam tantum, nec indigent benedictione: quare si aliquid ex his desit, potest ex profanis congruenter mundis accipi, & deinde suis usibus reddi.

Denique Sacerdos debet celebrare calceatus, ex Rubr. non esset tamen mortale nudis pedibus celebrare: Bonac. Avers. contra Sylv. imo nec veniale, urgente necessitate, vel rationabili causa, Pasq. Gob. Spor. ap. Croix n. 390. qui addit, sufficere crepidas. Item debet esse capite nudus, *cap. Nullus Episcopus*, *de Consecr. dist.* 1. Ledesm. tamen putat, non esse mortale legere tecto capite, quod admittunt Dian. & Spor. aliquali causa subsistente, Sylv. autem dicit, ex rationabili causa esse licitum: at plures Doctores ad celebrandum tecto capite, etiam solum usque ad consecrationem requirunt licentiam Episcopi, vel Prælati, quam licentiam alii dicunt non posse dare, nisi Papam, v. Croix num. 400.

§. II.

De Ritu servando in Sacrificio.

RITUS in Missæ celebratione servandus præscribitur in Rubricis Missalis Romani, quæ sunt quædam ordinationes, vel directiones Ecclesiæ, secundum quas aliqua sunt agenda. Notandum tamen hic, S. Pium V. permisisse aliquos ritus peculiares in aliqua Ecclesia particulari, quos per ducentos saltem annos observare consueverat; iisdemque Ecclesiis permisit, ut de consensu Prælati, ac tutius Capituli possent amplecti Ritum Missalis Romani. Has rubricas convenienter adhiberi, de Fide tenendum est ex Suar. cum pertineant ad religiosum cultum, & reverentiam tanti Sacramenti, & Apostolorum traditioni sint conformes ex Trid. *sess.* 22. *c.* 5. An autem dictæ Rubricæ obligent sub gravi, variant Doctores. Azor. Suar. Bonac. & alii apud Dian. p. 2. tr. 14. res. 55. docent, obligare sub gravi, nisi parvitas materiæ excuset, probantque ex eo, quod Pius V. in Constitutione initio Missalis apposita omnibus, & singulis præcipiat *In virtute S. Obedientiæ, ut Missam juxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc a nobis nunc traditur, decantent, ac legant*. At Tamb. Lug. Gav. & alii distinguunt duplex genus rubricarum, præceptivarum alterum, alterum directivarum. Præceptivas dicunt illas, quæ continent aliquid, quod ex jure, vel legitima consuetudine graviter jubetur, ut sunt ordinationes Ecclesiæ de jejunio servando ante celebrationem Missæ, de integritate Sactificii, de loco, ara, vasibus, vestibus sacris, de materia Sacramenti, ut

de

de azymo in Ecclesia Latina, & generalitee omnes Rubricas eirca aliquod requisitum ad valorem Sacramenti. Directivas dicunt reliquas, da quibus non aonstat apud Doctores, quod graviter præcipiantur: quare sine onere peccati mortalis dicunt præscribi, ut ante, & post Missam oretur, ut recitetur certus numerus Orationum, &c., dummodo in omissione hujusmodi Rubricarum absit scandalum, & gravis contemptus, qualis non est contemptus observationis Rubricæ, quia levis asl, seu contemptus levitatis cæremoniæ, quem venialem culpam esse dicunt Sot., Laym., Tamb., Gobat. apud Croix num. 411.; sed qualis esset contemptus Potestatis Ecclesiasticæ, vel Papæ, vel alterius Superioris hoe disponeotis, qui semper continet culpam gravem: Croix ib.

Quæres primo, An, & quale peccatum sit omittere aliquam partem Missæ?

Respondeo primo, Dictum esse tom. 1. tr. 2. d. 1. q. 4. c. 3. §. 1., quomodo peccetur per omissionem hujut, vel illius partis in Missa audienda ex obligatione, quæ multo magis valent de omissione partis in Missa legenda. Aliqua tamen sunt hic addenda: qoare

Respondeo secundo, Partes Missæ dividi in ordinarias, & non ordinarias. Ordinariæ sunt, quæ semper dicuntur, ut Confessio, Oratio, Epistola, Evangelium, Præfatio, Canon, *Pater noster*, *Agnus Dei*: non ordinariæ sunt, quæ non semper dicuntur, ut *Gloria*, Orationes secundariæ, pluralitas epistolarum, *Credo*, diversitas præfationum, vel quorundam intra Canonem. Jam vero omittere partem ordinariam per se loquendo ast mortale, nisi excuset parvitas materiæ, vel si non sit ritus ob speciale mysterium notabilis: acootra vaoiale tantum est omittere unam ex partibus noo ordinariis. Hinc sequitur, esse morıala omittere Epistolam, Evangelium, aut partem notabilem Canonis, oblationem Hostiæ, vel Calicit, & ex Soar., & Gob. apud Croix n. 419. fractionem Hostiæ, aut illius cum calice mixtionem, aut signa mnlta, quæ fieri dabent super oblata: item *Pater noster*, vel *Agnus Dei*, ex Pasq. apud Croix cit., qoi in hoc illum damnat nimii tigoris, vel omittare partem notabilem eorum, quæ sunt propria Missæ solemnis, licet non cantetur ex obligationa: Pasq. apud Croix num. 425., & ex Feanc. Lug. omittere omnia, quæ cantantur a Choro, & Mioistris, quamvis Card. Lug. & Avers. putent, hoc esse veniale; imo Tamb., Pelliz., Quarti nullum, si Sacerdos attandat ad ea omnia, dum canuntur; Contra vero nonnisi veniale est omittere *Gloria*, vel *Credo*, vel *Lauda Sion*, vel *Victimæ paschali*, vel *Veni Sancte Spiritus*, vel *Dies iræ*: imo ex Quarti, & Pasq. apud Croix num. 420. veniale est, & rationabili causa nullum juxta Pasq., etiam multas partes hujusmodi non ordinarias omittere, quamvis facerent magnam quantitatem, v. g. in 4. temporibus omittere omnia *Flectamus genua*, cum omnibus secuodariis orationibus secretis, & postcommunionibus, & cum secundariis epistolis. Item veniale est omittere specialem præfationem, val in Canone speciale *Communicantes*, vel *Hanc igitur*; dummodo legantur ordinaria, seu communia. Veniale pariter est omittere aliquas benedictiones, cruces, deosculationes altaris, inclinationes, genuflexionet, dummodo non conflent partem notabilem Missæ; vel ea nimis celeriter faacre: item omittere Evangelinm S. Joannis, val aliud legendum post Missam, quia in rigora non est pars Missæ, ex qua ratione veniale ad summum est (quamvis juxta Lohn. apud Croix num. 413. nullum) omittere lotionem manuum ante Missam, & Orationet inter induendum dicendas, juxta communem sententiam, teste Croix oum. 415. contra Navar., Azor., Gav. putantes, esse mortale.

Quæres secundo, An, & quala peccatum sit addere, commutare, val invertere aliquid in Missa?

Respondeo primn, Mortale esse addere notabiliter multum ad Missam: Spor. apud Croix n. 429., addera tamen unam collectam vix erit peccatum secundum Pasq. & Gob. ib.; facile enim non excusat aliqua aausa, aut devotio. Dicere *Gloria*, vel *Credo*, quando est omittendum, est veniale: Suar., Gob. ib. Excipit Aversa, nisi fieret aum magna deformitate, ut si alterutrom diceretor in Missa da *Requie*. Non est peccatum sub longo cantu ad *Gloria*, vel *Credo* orare vocaliter, seu recitare parvas horas memoriter; quod a fortiori valet de Diacono, & Subdiacono in Missa solemni: Cajet., Tan., Gob. apud Croix n. 430. contra Tamb., Lohn. putantes, esse veniale in Celebrante. Similiter nollum peccatum est intermiscere etiam cum aliqua interruptione meditationem, seu considerationem circa aa, quæ in Missa geruntur, quia non deest continuatio moralis, quando mens manet applicata Missæ: Nav., Quarti, Croix num. 431.

Respondeo secundo, esse peccaminosam juxta quantitatem materiæ voluntariam mutationem precum in alias preces non approbatas ab Ecclesia; itaut in materia notabili sit mortale: veniale vero tantum esse, si mutatio fiat in alias preces approbatas in Missali, ut asset mutatio unius Epistolæ in aliam, &c., nisi afferat magnam deformitatem, ut si Evangelium Paschatis conjungeretur cum Epistola Defunctorum, aut alio simili modo: Croix n. 432. Mutatio in verba synonyma est culpa venialis, nisi materia sit notabilis; tuna enim erit mortalis juxta Pasq. apud Croix n. 433. In Canona vero quælibet mutatio, ut etiam omissio mutans sensum, est culpa gravis: levis vero, si non mutat sensum, etiamsi plura verba omittantur, e. g. plura nomina Sanctorum: Fill., Dian., Avers. ap. Croix n. 418. Quod si verba in Canone sint detrita, nec sciantur memoriter, & nonnisi post longum tempus haberi possat aliud Missale, omittens excusatur: Pasq., Verric. apud Croix ib. Si quis loco Episcopi nominandi in Canone nominet Generalem sui Ordinis, Dian. p. 2. t. 14. ref. 4. dicit a Papa, & a S. Congreg. damnari mortalit: sed Rodr., Bordon., Tamb., Spor. apud Croix n. 436. dicunt, non constare de tali declaratione, adeoque non esse mortale, nisi fiat animo inducendi novum ritum, vel in contemptum Episcopi. Mutare imperfecte actiones, e. g. breviorem Crucem facere, vel inclinare os ad altare, & non formare osculum est veniale juxta Suar. & Quarti, contradicente Pasq., qui nullum in eo peccatum agnoscit.

Respondeo tertio, Inversionem partium ejusdem rationis esse culpam venialem tantum, ut recitare unam Orationem, vel unam Epistolam ante aliam, quando plures suot dicendæ: si vero partes sint dissimiles, ax proposito eas invertere erit mortale, ut legere Evangelium ante Epistolam; in his eoim est magna deformitas.

Quæret tertio, Quænam expressio verborum requiratur in Missa?

Respondeo, noo sufficere solam expressionem mentalem, sad raquiri sub gravi vocalem, & talem, ut absolute loquendo, & secluso omni impedimento, sit audibilis: oratio eoim vocalis, ot distincta a mentali, debet habere sonum: omnis autem sonus est audibilis, cum sit objectum auditus: quare, si quis notabilem partem verborum Missæ ita formaret intra labia, & dentes, ot, secluso omni impedimento se ipsum audire non posset, peccaret mortalitar: Croix num. 438. ex communiori sententia contra Azor., Tamb., Caram., Quar., & alios apud Dian. p. 2. tr. 12. ref. 9. putantes, sufficere, quod verba formentur per motum oris, & linguæ; sio enim, inquiunt, oratio non est pure mentalis; ergo vocalis: quam sententiam Gob. videtur admittere ux probabilem; notantque Nav., & Fill. posse servire scrupulosis. Legere submisse, quæ alte dicenda sunt, veniale assa, docet Sanch. in *Consil*, l. 7. c. a. dub. 8. nom. 6. cum aliis, & Tamb. ex Lugo dicit, id passim fieri a timoratis: probabilius vero nullum esse peccatum dicit Pasq., si celebrans ita alte exprimat verba, ut hæc excedaot terminos orationis secretæ: v. Croix num. 439. Recitare alte partem notabilem eorum, quæ submisse dicenda sunt, damnant mortalis Gav., Quart., Pasq. ap. Croix num. 440. Communiter taman Doctores dicunt, esse veniale ita alte proferre verba consecrationis, ut audiantur ad sex, vel octo passus; mortale vero, si audiaotur ad 40. passut. Mutilare ob nimiam accelerationem ultimas syllabas, vel ob syncopen intermedias, salvo sansu, & significatione, & secluso scandalo, est veniala tantum, &, si fiat ex defectu naturali, nullum erit peccatum: Quart., Pasq. apud Croix num. 442.

Quæres quarto, An, & quale peccatum sit voluntaria distractio in legenda Missa?

Respondeo, Distractionem, quamvis longam extra Canonam, & Sumptionem, esse xantum venialem culpam: Tamb. *de Sacram*. l. 2. c. 3. num. 8.; diuturnam vero sub Canone esse mortalam; saltem ob periaulum committendi in eo arrores: Tamb., Gob. apud Croix num. 443., cui sententiæ videntur non adhærere Dian., & Bard. apud Croix num. 443. Idam dicit Tamb. ib. de distractione voluntaria sub Communione, sed Gob. merito dubitat de tanto rigore, qui aerta non admittitur in laico communicante. Probabile tamen est, quamcumque internam distractionam

etiam ſub conſecratione, vel Communione fore culpam venialem, cum probabile ſit ex dictis tom. 5. tr. 2. d. 1. q. 2. c. 1. §. 3. quæſ. 7., quod attentio interna oppoſita diſtractioni non præcipiatur ſub gravi, & quod eſſentia Orationis de ſe, & objective religioſæ ſufficienter conſtituatur per attentionem externam, & illam attentionem internam, quæ implicite continetur in intentione orandi virtualiter perſeverante: v. Croix loc. cit.

DISPUTATIO V.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

HOc Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, a B. Jacobo Apoſtolo 5. 14. promulgatum eſt his verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio Fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: &, ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Quæ verba innuunt Materiam, & Formam, Miniſtrum, Subjectum, & Effectum hujus Sacramenti, de quibus hic nobis agendum.

CAPUT I.

De Materia, & Forma Extremæ Unctionis.

MATERIA hujus Sacramenti alia eſt remota, alia proxima. Materia remota eſt oleum olivarum: Doctores communiſſime ex text. cit. Hinc opinio illorum, qui dicunt, ſufficere etiam Chriſma, non eſt practice probabilis, ex propoſit. 1. damnata ab Innoc. XI. alibi cit., ſi tamen deeſſet oleum, liceret uti Chriſmate in caſu neceſſitatis: at ſi poſtea haberi poſſit oleum, aut ſi per errorem inunxeris chriſmate, repetendum eſt Sacramentum ſub conditione: Illſ. ex D. Carol. Borr., & aliis contra Laym.: idemque eſt, ſi per errorem uſus fueris Oleo Cathecumenorum: Croix n. 2090. ex Synod. Colon.

Quæres primo, An oleum debeat eſſe benedictum?

Reſpondeo affirmative, ex D. Th., & aliis communiſſime: hinc non eſt practice probabilis opinio dicentium apud Averſ., benedictionem olei non pertinere ad valorem hujus Sacramenti: quia exponeretur Sacramentum periculo nullitatis extra neceſſitatem: addit tamen Averſ., non exponi, ſi fiat aliqua benedictio ordinata ad effectum hujus Sacramenti, quamvis non ſervetur illa, quæ in Pontificali præſcribitur: v. Croix num. 2091.

Quæres ſecundo, A quo ſit benedicendum hoc oleum?

Reſpondeo, Ab Epiſcopo ſaltem pro Eccleſia latina, qui nec poteſt alteri committere, cum ſit actus ordinis: at pro Eccleſia græca certum eſt, benedici a Presbyteris græcis, ut conſtat ex Conſt. Clem. VIII. die 31. Aug. 1595. Hinc, quamvis D. Th., Bell., & alii communiſſime dicant, ex præcepto Chriſti requiri benedictionem Epiſcopi, tamen multi docent, eam poſſe a Papa committi etiam ſimplici Sacerdoti; quæ ſententia eſt ad ſummum ſpeculative probabilis: v. Croix n. 2092. Cæterum Epiſcopus quotannis in Cœna Domini benedicit novum oleum, ex quo accipere debent Parochi, & Regulares, veteri exuſto; ſi tamen novum haberi non poſſis, licet uti antiquo: Laym.

Quæres tertio, An liceat cum oleo ſancto miſcere aliud non benedictum?

Reſpondeo, Si illud non ſufficiat, poſſe in neceſſitate addi aliud non benedictum; in minore tamen quantitate, quam ſit illud: Doctores communiter, quia major pars trahit ad ſe minorem. Cæterum, ſi oleo benedicto per decurſum anni ſucceſſive addatur non benedictum, & hujus quantitas, ſpectatis omnibus ejus partibus, ſuperet illius quantitatem, multi dicunt, amitti benedictionem; ſed Carden. apud Croix n. 2093. reſponſum habuit a S. Congr. 23. Septembr. 1681. licere; & conſequenter tum ex ſententia Doctorum, tum ex praxi plurium Eccleſiarum, tum ex Rit. Roman. eſſe practice certum, non amitti benedictionem, dummodo pars, quæ ſucceſſive additur, ſemper minor ſit quantitate præſuppoſita, ut de aqua benedicta docent communiter.

Materia proxima hujus Sacramenti eſt Unctio, quæ eſſe debet certarum partium corporis infirmi. Et quidem Græci ungunt frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus ex utraque parte, & pedes: latini vero quinque ſenſus, oculos, aures, nares, os, manus, item pedes, & renes, ex Flor. *poſt ſeſſ. ult. in Decr. Eug. IV. ad Armen.* apud Croix l. 6. p. 2. n. 2087., atque hæ unctiones moraliter continuari debent, itaut, ſi quadrante horæ diſtet una ab altera, Nugn., & Averſ. putent, Sacramentum fore nullum; &, ſi Sacerdos poſt unam deficiat, licet multi putent, alterum debere pergere, tamen Marat., putat, repetendam ſub conditione, cum non ſit certum, eam ſic cum reliquis conjungi: v. Croix num. 2008.

Cæterum pedes, aut renes inungere non eſt eſſentiale; imo quoad renes non eſt decens in feminis, ideoque omittendum ex Rit. Rom.; item in viris Religioſis omitti ſolere, inquit Buſemb. ex Henr., Sa, Tol., Suar., Bellar.; ſed Rit. Roman. tantum dicit in viris omitti, quando ſine periculo moribundi adhiberi nequit. Multi apud Averſ. putant, de valore non eſſe, ut ungatur ullus ſenſus, ſatiſque eſſe ungi aliam partem corporis; item aliqui apud Diaſt. putant, opus non eſſe explicite, & directe ſignificari ullum ſenſuum in particulari, ſed neutrum eſt practice probabile extra neceſſitatem. Denique D. Th., & alii putant, hoc Sacramentum non exiſtere, nec ullam cauſare gratiam ante ultimam unctionem; ſed valde probabiliter Suar., & alii multi tenent, ſingulorum ſenſuum unctionem cauſare ſuam ſpecialem gratiam: ut ſinguli ordines ſunt Sacramentum inadæquatum Ordinis: Croix 2104.

Quæres quarto, Quomodo fieri debeat unctio?

Reſpondeo, Fieri debere pollice Sacerdotis proferentis formam; & quidem unctio oculorum incipit ab oculo dextero, & ſimiliter ab aure dextera, manu, pede, &c., nec tota forma eſt enuncianda, priuſquam uterque oculus ungatur; ſatis eſt autem, unctionem fieri in palpebra, in labiis, &c.; item ex Rit. Roman. manus exterius unguntur Presbyteris, reliquis interius: pedes autem unguntur in planta; quia hac præcipue ambulamus: Croix num. 2117. Cæterum non eſt de valore, ut ungatur uterque oculus, utraque auris, &c., ſed ſatis eſt ungi unum ex illis organis: item nec eſt de valore, ut dicto ordine ungantur, aut in formam crucis. Qui tamen aliquid horum negligeret, peccaret etiam graviter pro qualitate tranſgreſſionis. Nota demum, quod, quamvis Suar., & Fill., dicant, ad valorem non ſufficere allini una gutta olei, uti nec ad baptiſmum una gutta aquæ; tamen rectius contradicunt Averſ., & alii, quia ibi adhuc diceris ungere, hic non diceris abluere non fluente aqua: v. Croix num. 2094.

Quæres quinto, Quomodo fieri poſſit unctio in caſibus periculoſis?

Reſpondeo: Primo, Si periculum ſit, ne infirmus decedat, antequam fiant omnes Unctiones, cito ungantur ſenſus, puta unus oculus, auris, &c., dicendo, *Per iſtas Sanctas Unctiones, &c., quidquid per viſum, auditum, &c. deliquiſti, amen;* ſi deinde ſupervivat, repetantur unctiones ſingulorum ſenſuum, & addantur orationes prætermiſſæ: ſi vero, dum inungitur, decedat, ultra non procedatur; ſi vero dubitetur, an vivat, pergendum ſub conditione *Si vivis, &c.* Croix num. 2121. ex Rit. Roman. Secundo, In periculo peſtis, & ſimili neceſſitate nonnulli putant ſufficere unum tantum organum magis obvium, vel potius caput, in quo ſenſus maxime vigent, inungere, dicendo, *Per iſtam, &c., quidquid per viſum, auditum, &c.*, quam ſententiam Laym. dicit non omnino improbabilem: Tanner. probabilem omnino, & in praxi uſitatam: Dian. in praxi tutam; ſed communius dicendum, ut in priori caſu: v. Buſemb. Tertio, Si ungendæ ſint partes corporis peſte infecti, potes ungere mediante virga oblonga oleo tincta, quam poſtea comburas: Quarto, ſi ſenſus ſint mutilati, ungendæ ſunt partes viciniores: ita Buſemb., & alii.

Quod autem attinet ad formam Extremæ Unctionis, illa eſt: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per* (nominando organum ſenſus) *deliquiſti, amen*, ut in Rit. Roman. Itaque per talem formam neceſſario ſignificari debet: Primo, Actio ungendi, Doctores communiter apud Averſ. Secundo, Modus deprecatorius: Doctores communius, & probabilius poſt D. Thom. ex verbis D. Jacob *Orent ungentes*, contra Alb. M., Ricc., Bec. putantes, ſufficere modum indicativum, *Ungo te in indulgentiam peccatorum, &c.* Si autem dicatur *Ungo te, ut Deus tibi indulgeat, &c.* Suar., Laym., Dian., & alii contra

tra Bonac., & alios dicunt valere; cum maneat sensus deprecatorius: Tertio, Deprecatio pro remissione peccati commissi per sensum inunctum; quamvis enim Bosc. putet, non opus esse exprimere peccatum, sive *Quidquid deliquisti*, tamen non est practice probabile: v. Croix num. 2095. Item si dixeris *dereliquisti*, *pro deliquisti*, iterari debet: Gob., Croix num. 2097. Cæterum, si omittas ly *Sanctam*, etsi pecces, valet; quia Flor., & Trid. hanc vocem non addunt: si omittas *Et suam piissimam Misericordiam*: vel nomen sensus, qui inungitur, etiam peccas graviter, & Nugn. cum Bell., & aliis communiter dicunt, non valere, quamvis alii cum Dian. putent valere, cum sit mutatio accidentalis notabilis: si omittas *amen*, veniale est: vide Croix l. 6. p. 1. num. 43. Denique extra necessitatem omittere reliquas preces in Rit. præscriptas mortale non est; supplendæ tamen, si dein sit tempus; ita Busemb.

CAPUT II.

De Ministro Extremæ Unctionis.

EST solus Sacerdos *ex verb. cit. S. Jacob.* Licet ergo Waldensis putaverit, posse inferiorem clericum, aut etiam laicum in necessitate ministrare; tamen omnes alii pro certo docent, id fieri valide non posse, neque ex dispensatione Papæ, quod probat saltem praxis Ecclesiæ, quæ nunquam dispensat: v. Croix n. 2099. Cæterum, quamvis græci adhibeant septem, aut saltem tres Presbyteros, eo quod in text. cit. dicitur *Presbyteros*; tamen practice certum est, sufficere unum; &; quamvis adessent plures, tamen est abusus apud Græcos, quod singuli ungant eandem partem, repetita toties forma: v. Croix n. 2100.

Quæres primo, An Minister hujus Sacramenti debeat esse Sacerdos proprius, seu Pastor?

Respondeo affirmative, ex *Sacr. Can.* Hinc, si sine ejus licentia, & extra necessitatem alius Sacerdos ministret, validum quidem est, sed graviter peccat: Sylv., Sot., Con., & alii: & Sacerdos Religiosus incurrit excommunicationem Papalem: Suar., Regin., & alii; possunt tamen Regulares ex licentia suorum Superiorum illud ministrare suis familiaribus, etiam secularibus, ex Constitutione Clem. X. Cæterum in necessitate, si Pastor absit, vel dare nolit, licite ministrat quivis Sacerdos non excommunicatus, aut suspensus; etiamsi sit Regularis, ut contra Gav. docent Henr., Præp., Gran., Dian., & alii communiter; censetur enim tunc Papa dare licentiam; imo etiam excommunicatus, aut suspensus, si non sit alius, inquit Suar., quia infirmi necessitas excusat.

Quæres secundo, An possit hoc Sacramentum ministrare Sacerdos sine alio Ministro?

Respondeo affirmative in necessitate; tunc enim nec adhibenda est femina; quod si tamen fiat, veniale esse, docet Quintan. apud Busem., ubi etiam addit, non esse mortale, si in necessitate fiat sine lumine, superpelliceo, vel stola; & Dian. excusat ab omni peccatu, si infirmus non sit capax alterius Sacramenti, & illa haberi non possint, contra Suar., Regin., & alios.

Quæres tertio, An teneatur Sacerdos sub mortali hoc Sacramentum ministrare?

Respondeo affirmative, Si sit Sacerdos proprius, & petatur ab infirmo; quia in re gravi non præstat id, ad quod tenetur ex justitia. Dixi primo, si sit *Proprius*; nam, si sit alius Sacerdos, tenetur tantum ex charitate, & quidem sub veniali tantum: nisi vero ægrotus valde indigeret, v. g. si alioqui sine omnibus Sacramentis esset moriturus; tunc enim quidam graviorem obligationem agnoscere videntur: v. Dian. p. 8. t. 1. r. 170. Dixi secundo, *Si petatur ab infirmo*; quia tunc maxime tenetur ex officio, quod in se sumpsit, & jure petentis; ideoque etiam est mortale, si differat cum probabili periculo: si autem non petatur, etiam tenetur sub gravi, si æger non possit recipere aliud Sacramentum; imo etiam, si receperit tantum Pœnitentiam, & non Eucharistiam; quamvis enim tunc non sit extrema, est tamen etiam gravis necessitas, in qua etiam tenetur subdito subvenire Parochus: v. Croix l. 3. p. 1. num. 755. Hinc tempore pestis, tenetur Parochus sub mortali ministrare per se, vel per alium iis, qui petunt, modo possit absque periculo vitæ; cum eo enim non teneri, saltem si sint confessi, docent Tan. Dian. p. 5. t. 3. r. 93., & alii: si autem non possint aliud Sacramentum recipere, teneatur etiam cum periculo vitæ, & Croix num. 2112.; & aliis.

Quæres quarto, An in necessitate possint plures simul Sacerdotes hoc Sacramentum ministrare?

Respondeo affirmative, ita tamen, ut unus unam, alius aliam partem corporis inungat, pronunciando tantum formam illi unctioni respondentem; non tamen potest unus unum oculum, alter alterum: v. Dian. p. 9. t. 7. r. 56. Item, si unus Sacerdos non possit progredi, supplenda erunt per alium, quæ restant: Tann., Præp., & alii; notat tamen Dian. p. 5. t. 3. r. 87., licere tunc etiam repetere unctiones ab initio, perinde ac si prior nullam earum inchoasset: v. Bus.

CAPUT III.

De Subjecto Extremæ Unctionis.

SOLUS periculose infirmus est subjectum hujus Sacramenti; adeout incapax sit quivis alius, qui non est ob infirmitatem in mortis periculo: Suar., Pal., Gran., & alii communiter ex verbis cit., & traditione Ecclesiæ. Hinc, quamvis plures Græci putent, etiam non ægros esse capaces ob immaturam mortem, quæ sæpe contingit; tamen latini omnes negant cum D. Th., & Arcud. dicit, id esse merum eorum abusum: quod autem fertur de S. Hedwige ante morbum petente Extremam Unctionem, fuit extraordinarium ex instinctu Divino, & quod de SS. Viris hoc oleo ungentibus frontes Energumenorum, vel etiam loca affecta hominis non ægri, non fuit factum per modum Sacramenti: v. Croix l. 6. p. 2. n. 2101. Denique, quamvis Less., Quintan., & alii probabile putent, valide etiam conferri hoc Sacramentum infirmo non gravi, tamen addunt illicite, & reiterandum, quando periculose laborare cœperit: v. Dian. p. 9. t. 6. r. 65.

Quæres primo, Quid veniat hic nomine periculose infirmi?

Respondeo, Venire illum dumtaxat, qui ob ægritudinem ortam ex morbo, vulnere, partu, vel senectute, est morti propinquus: Suar., & alii communiter. Quandocumque ergo quis æger censetur periculose laborare cœpisse, ungendus est; neque expectandum, donec sensibus careat, vel omnino sit desperatus; expectare enim sensuum defectum esse mortale, docet Quintan. t. 5. s. 6.; ideoque in dubio de periculo inungi potest sub conditione: Laym., & alii. Hinc ungendus est etiam senex deficiens per extinctionem caloris; quia senectus ipsa morbus est: Rit. Roman., item puerpera, si fœtus sit extrahendus, vel mors ei ob specialem rationem timeatur in hoc partu: Nav., Sylv., & alii: item qui est in mortis periculo, eo quod sisti nequeat sanguis per nares affluens: Croix num. 2108. Contra vero inungi non potest reus decapitandus, vel suspendendus, nec qui initurus est prælium, vel periculosam navigationem, aut quid simile, quia hi non dicuntur infirmi. Cæterum reus, qui sumpto veneno expectat mortem, est inungendus; quia venenum reddit eum periculose infirmum: Aversi., & alii: item reum rotæ affixum, etsi non teneatur Parochus inungere, cum non sit consuetudo, tamen potest, si ille serventer petat, quia periculose infirmatur ex divulsione membrorum: Lohn., Gob., & alii. Si autem alicui abscinditur pes, vel manus, Quintan., & Gob. putant, inungendum, quia timeri potest, ne deficiat, sed probabilius negat Lohn., quia experientia docet, ordinarie non deficere: secus etiam qui secatur pro calculo, vel ruptura, esset inungendus.

Quæres secundo, An quivis periculose infirmus inungi possit?

Respondeo affirmative, Dummodo sit baptizatus, capax peccati, nec constet velle decedere in peccato: Doctores communiter. Hinc inungi potest etiam ille æger, qui in articulo mortis baptizatur; &, quamvis Sylv., Suar., Henr., & alii dicant sub conditione, si post baptismum peccaverit, tamen Avers., Rayn., & alii cum Croix num. 2111. dicunt etiam absolute, quia hoc Sacramentum non est tantum institutum ad tollenda peccata, eorumque pœnam; verum etiam principaliter, ne æger in agone tentationibus succumbat: similiter, quamvis inungi nequeant pueri ante usum rationis, nec perpetuo amentes, qui illis æquiparantur, nec surdus, mutus, & cœcus, qui nunquam habuit usum rationis, cum nec peccarint, nec peccare possint; tamen inungi possunt pueri omnes septennium vix ingressi, nec expectanda est ætas communioni præfinita, ut contra Sot. docent

communiter; & in dubio, an puer, vel quivis alius æger unquam usus sit ratione, inungi debet sub conditione: Item si in confessione noveris puerum, vel quemvis alium, nunquam actualiter peccasse, ut contra Nugn. docet Suar.

Similiter, quamvis inungi nequeat æger, quem constat velle decedere in peccato; tamen inungendus est etiam delirans, phreneticus, furiosus, amens, si habuerit aliquando usum rationis, ebrius deficiens, vulneratus in duello, &c. quia ad hoc Sacramentum, uti etiam ad Pœnitentiam, Confirmationem, & Eucharistiam, ex dictis sufficit etiam in adultis intentio interpretativa, & quivis Christianus, etsi nec petierit, nec ullo signo tunc utatur, vult Ecclesiæ Sacramentis juvari debito tempore, voluntate saltem interpretativa, qua scilicet petiturus esset, si cogitaret, de qua D. Aug. *l. de Adult. Conjug. c. ult.* ait: *Multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, non apparet: attamen credibilius est eum, si posset, velle se potius dicturum fuisse.* Hinc, quamvis Sot. & alii cum D. Th. dicant, non esse inungendum furiosum, aut amentem, nisi in lucido intervallo, tamen non esse id expectandum, docent communiter ex Rit. Rom. modo absit periculum irreverentiæ: imo ligandum esse, vel fortiter tenendum phreneticum, si unctioni resistat, docent graves Doctores apud Dian. & Barb. dicentes, esse necessarium, si is non potest aliud Sacramentum suscipere.

Quæres tertio, An periculose infirmus teneatur sub mortali hoc Sacramentum suscipere?

Respondeo affirmative, Si Pœnitentiam, & Eucharistiam non susceperit; si vero susceperit, D. Th. Aversf. Rayn. & alii communiter docent, non esse gravem obligationem illud suscipiendi; affirmant vero Sot. Tur. Syn. autem Col. vult, ut nolens suscipere careat Ecclesiastica sepultura: Illf. concludit, quod, quamvis non constet præceptum suscipiendi, tamen vix potest omitti sine veniali ob aliquam saltem negligentiam; ideoque etiam venialiter peccant domestici, si id ei non procurent. Si autem adsit scandalum, vel contemptus, certe est mortale; notat tamen Tann. non censeri comtemnere, qui sciens omittit tempore apto, & oblata commoditate; quamvis contradicat Tol. præsertim si probabiliter deinceps non sit futura commoditas. v. Buf. & Croix num. 2113.

CAPUT IV.

De Effectibus Extremæ Unctionis.

PRIMUS, & principalis effectus est roborare animam contra dæmonis tentationes in morte, ex verbis illis, *Alleviabit eum Dominus*; & Trid. *sess.* 14. *c.* 2. *Ægroti animam alleviat, & confirmat, &c.* Secundarii effectus sunt, Primo, *Delere reliquias peccatorum*, ex Trid. cit. per quas multi apud Aversf. putant, intelligi sola venialia; sed improbabiliter, inquit Bellar. cum S. Jacob. dicat, *Si in peccatis sit*, simpliciter; & forma ait, *Quidquid deliquisti*; ideoque dicendum cum D. Th. & aliis, communiter intelligi etiam mortalia inculpabiliter non remissa per priora Sacramenta, vel commissa post illa, si nunc ignorentur; quamvis ergo hoc sit Sacramentum vivorum, certum tamen moraliter est, esse posse per accidens in hoc casu etiam mortuorum: Secundo, *Remittere pœnas restantes*, quæ etiam dicuntur reliquiæ peccatorum: Tertio demum, *Aliquando etiam sanitatem corporis conferre, si expediat*: D. Th. & alii.

Infers primo, Si sciatur, quod æger nunquam actualiter peccasset, Suar. Henr. Con. & alii multi apud Croix n. 2101. contra Nugn. Sylv. Sanch. Arriag. docent, quod posset inungi, quia fines hujus Sacramenti sunt alii præter ablationem peccati, & reliquiarum ejus, & ideo diximus, pueros septennium vix ingressos inungi posse: item in dubio, an puer, vel quicumque alius æger unquam sit usus ratione, ne scilicet tentationibus succumbat, & ut, si ita expedit, sanitati restituatur: Dian. Aversf. & alii apud Croix n. 2111. Item dari debet in omni alio dubio, an scilicet sit in mortali, an adsit verum periculum mortis, &c. quia in extrema necessitate præsumendum est in favorem hominis, pro quo instituta sunt Sacramenta: Lohn. & aliis ibidem.

Infers secundo, Dari non posse pueris ante usum rationis, nec perpetuo amentibus, qui pueris comparantur; quia nec peccarunt, nec peccare possunt; ideoque sunt ejus incapaces; nec juvat, quod possit eis sanitatem conferre, quia hic effectus non est absolutus, sed conditionatus, si scilicet expedit; & effectus Sacramenti debet esse absolutus. Putarunt multi apud Dicastil. B. V. suscepisse Extremam Unctionem, quia satis est, quod quis potuit peccare, quod libertate utatur, & capax sit spiritualis auxilii ad tentationes diaboli in agone vitandas. Sed hi supponere debent, eam ex infirmitate aliqua decessisse; ideoque merito eum aliis contradicit Illf. ap. Croix 2101.

Infers tertio, Hoc Sacramentum esse iterabile ex Trid. c. 3. quia nec imprimit characterem, & potest ægritudo periculosa redire. Hinc D. Th. & alii apud Croix n. 2103. docent, si in eadem infirmitate diu duranto v. g. hydropisi, phthisi, &c. notabiliter varietur morbi status, itant æger evadat e periculo proximo mortis, quamvis non e morbo, & relabatur in tale periculum, posse Sacramentum reiterari: iteratum autem in eodem morbo, & periculo est irritum: Aversf. & alii apud eundem.

Infers quarto, Quod, quamvis Rit. Rom. dicat, ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum esse, & forte sit obligatio (sub veniali tantum inquit Aversa) ut si tempus, & infirmi conditio permittat, Pœnitentia, & Eucharistia ante Unctionem suscipiatur; tamen de hoc nullum est præceptum, & exempla multa de suscepto post Unctionem Viatico refert Rayn. & saltem, si infirmus aliquo tempore supervivat, & iterum petat Viaticum, debet eo refici, &, quoties voluerit, est pro confessione audiendus; & absolvendus: v. Croix n. 2120.

Rogabis, An Parocho timenti, ne noctu vocetur ad ægrum, liceat retinere domi Sacrum Oleum, ut vocatus possit venire expeditius?

Respondeo, Quintan. non audere excusare a mortali, si semper domi retineret; si autem hic & nunc pro casu particulari, venialem culpam agnoscit Barbos. ex Possev. Arriag. tamen cum Gob. dicit licere, quod intellige, si alias foret periculum, ne forte sero veniret: v. Croix n. 2114. Denique Rit. Rom. habet, Vas, in quo asservatur hoc oleum, debere esse argenteum, vel stanneum; item si oleum deportetur ad infirmum, ob effusionis periculum posse deferri in lana bombycina: Croix n. 2125.

DISPUTATIO VI.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Ordinis.

ORDO est *Signum sensibile, quo tribuitur Spiritualis Potestas circa Eucharistiam.* Etsi autem plures numerentur Ordines, unum tamen sunt Sacramentum ob unum eorum finem, quod est Eucharistiæ Sacrificium. Ex Trid. autem sunt septem: quatuor scilicet minores, *Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus*, tres vero Majores, & Sacri, *Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus*; & quidem Presbyteratus dicitur minor, si sit simplex Sacerdotium; dicitur major, si sit Episcopatus essentialiter includens Sacerdotium, cujus est extensio, itaut nulliter conferatur non Sacerdoti, cum Sacerdotium valide conferatur non Diacono, & Diaconatus non Subdiacono, &c. Archiepiscopatus, Patriarchatus, Primatus, Papatus non sunt Ordines diversi ab Episcopatu: Cardinalatus est tantum dignitas: item Chorepiscopatus hoc est Vicariatus Episcopi absentis. Prima autem Tonsura est tantum dispositio ad Ordines. Cæterum de fide est, Presbyteratum esse Sacramentum, imprimere characterem, & conferre gratiam, &c. De Diaconatu est communissima sententia contra Durandum: De Subdiaconatu est etiam communior sententia contra Cajetanum: De Ordin. min. est communis sententia contra Vasq. Qui ergo indigne confert, vel suscipit Presbyteratum, certissime peccat mortaliter sacrilege: non ita certissime de reliquis: Lean. apud Tamb. *de Ord.* Agendum nunc I. De natura Sacramenti Ordinis: II. De Ministro Ordinum: III. De eorum Subjecto: IV. De Circumstantiis Ordinationis: V. Demum de titulo Ordinandorum.

CA-

CAPUT I.

De natura Sacramenti Ordinis.

AD dignoscendam naturam Sacramenti Ordinis, videnda est I. Eorum Materia: II. Forma: III. Intentio: IV. Munera, & Onera: V. Pœnæ male Ordinati: VI. Pœnæ male Ordinantis.

§. I.

Quæ sit Materia cujuscumque Ordinis?

I. PRima Tonsura (*Qua est deputatio ad obsequium Ecclesiæ*) cum non sit ordo, habet tantum quasi materiam capillos abscissos ab Episcopo. Dixi *Quasi*, quia valide quis etiam deputaretur ad illud obsequium, si quocumque alio modo ad id addiceretur ab Episcopo: March. ap. Tamb. Est igitur Tonsura disponens ad Ordines, non secus ac habitus ad Religiosum statum; dum ergo Clericatus dicitur ordo, sensus est, quod sit nota, per quam quis ex ordine laicorum evehitur ad ordinem, seu statum Clericorum, ergo nec imprimit characterem, nec per se confert gratiam.

II. Ostiariatus (*Per quem datur potestas claudendi, aperiendi, & custodiendi Ecclesiam*) habet materiam remotam claves Ecclesiæ, proximam earum traditionem. Illis autem aperire, & claudere, uti etiam traditio campanulæ, &c. sunt cæremoniæ.

III. Lectoratus (*Quo conceditur potestas legendi Prophetias, & Scripturas in Ecclesia*) habet materiam remotam, librum continentem sacras lectiones, idest Epistolas, & Prophetias; proximam, ejusdem libri traditionem.

IV. Exorcistatus (*Quo datur Potestas fugandi dæmones ab energumenis*) habet materiam remotam, librum Exorcismorum: proximam, ejusdem libri traditionem.

V. Acolythatus (*Quo datur Potestas accendendi lumina, & porrigendi Subdiacono urceolos*) habet materiam remotam, candelabrum cum cereo extincto, & urceolos vacuos; proximam, eorundem traditionem. Aversf. aliique docent, utramque materiam remotam requiri essentialiter ad hunc ordinem: Angel. & alii affirmant, sufficere priorem: D. Th. & alii, posteriorem: utrique probabiliter apud Tamb. & sane speculative loquendo: practice tamen utraque est adhibenda.

VI. Subdiaconatus (*Quo datur Potestas assistendi Celebranti, eique ministrandi Calicem cum Vino, & Patenam cum Hostia, ac legendi Epistolas in Missa*) habet materiam remotam Calicem cum Patena, sine Vino, & Hostia, & librum Epistolarum; proximam eorum traditionem. Vasq. & alii docent tanquam commune, & certum, sufficere priorem materiam remotam: Aversf. Med. & alii, docent, requiri utramque simul: Sanch. Bonac. & alii communiter docent, sufficere Calicem, & Patenam, etsi non consecrata, vel consecrationem amiserint; negant Sylv. Pal. Dicast. & alii. Sylv. putat, sufficere Calicem sine Patena, vel econtra; negant Marchin. Lean. aliique. Practice autem tutior sententia est sequenda; &, si aliter fiat, peccatur, & ordinatio sub conditione est reiteranda: v. Croix.

VII. Diaconatus (*Quo datur Potestas proxime ministrandi Celebranti, legendique Evangelium in Missa*) habet materiam remotam librum Evangeliorum; proximam ejusdem traditionem: item alteram materiam remotam, manum dexteram Episcopi; proximam, ejusdem impositionem super caput ordinandi. Vasq. Sot. Pal. & alii putant, priorem materiam sufficere ad Diaconatum. Marchant. & alii putant, posteriorem. Bellarm. & alii communius docent, requiri essentialiter utramque in Ecclesia Latina; atque id est practice tenendum; &, si secus factum fuerit, reiterandum, seu supplendum, quod deerat. Dixi, *In Ecclesia Latina*; Nam in Græca licite, & valide ordinatur Diaconatus per solam impositionem manuum. Qua in re nota cum Bellarm. & aliis apud Croix l. 6. p. 2. n. 2135. Christum Dominum determinasse tantum in genere materiam, & formam Ordinum, volendo fieri per signa, & verba repræsentantia potestatem conferendam; & reliquisse ulteriorem determinationem auctoritati Ecclesiæ; quæ proinde pro Græcis determinavit solam impositionem manuum cum sua forma: pro Latinis, saltem posterioribus temporibus, etiam traditionem libri Evangeliorum, &c. Hinc, si Græci ordinarentur per traditionem libri, & Latini per solam impositionem manuum, quamvis Suar. & alii putent, valide ordinari, tamen Arriag. & alii probabilius negant; quia ista signa per legem, & consuetudinem contrariam respective ad diversas particulares Ecclesias amiserunt vim significandi potestatem, quæ confertur: quod, si universalis Ecclesia decerneret, ut ubique promiscue usurparetur hoc, vel illud signum, aut etiam aliud tertium, Amic. & alii putant, fore materiam sufficientem; Dur. & alii dicunt, Ecclesiam nunc adultam non posse amplius mutare: utrumque est incertum, etsi prius probabilius: v. Croix l. 6. p. 2. n. 16.

VIII. Presbyteratus (*Quo datur Potestas conficiendi Christi Corpus, & Sanguinem, & remittendi fidelibus peccata*) habet materiam remotam etiam duplicem in Ecclesia Latina, alteram scilicet Calicem cum Vino, Patenamque cum Hostia, quorum traditio est materia proxima; alteram (quæ sola est apud Græcos) impositionem manuum Episcopi super caput Præsbyterandi, quæ impositio apud Latinos fit etiam dupliciter; tum scilicet ante traditionem Calicis, &c. nihil proferendo; tum post eam traditionem, proferendo *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* Itaque in Ecclesia Græca per solam impositionem manuum accipitur complete Sacerdotium, hoc est duplex ejus potestas, tum in Corpus Christi verum, tum in Corpus ejus mysticum: at in Ecclesia Latina per traditionem Calicis, &c. accipitur prior potestas, per impositionem manuum posterior potestas: si ergo latinus ordinetur per solam traditionem, supplenda deinde est impositio: si ordinetur per solam impositionem, tota ordinatio iteranda est; quia in priori casu est inadæquate Sacerdos, secus in casu posteriori, cum potestas in Corpus mysticum essentialiter supponat potestatem in Corpus Christi verum, non econverso.

Si autem Presbyteratus collatus sit apud latinos sine prima impositione manuum, D. Th. & alii communiter docent, esse validum, quia hæc censetur cæremonia tantum accidentalis, cum nec habeat formam verborum specialem, & simul fiat etiam per Sacerdotes assistentes ordinationi; quæ sententia communiter etiam dicitur moraliter certa. D. Bonav. docet, per primam impositionem imprimi characterem, imo in ea sola videtur constituere materiam Presbyteratus: quam sententiam etsi Tann. vocet falsam, improbabilem, & erroneam; tamen March. vocat talem censuram parum modestam: nisi vero tantum censuret exclusionem traditionis Calicis, ideoque putat utramque impositionem manuum essentialem, quod Bosco dicit, defendi posse cum aliqua probabilitate, & Arriag. non audet improbabilitatis arguere, & Aversf. pro hac sententia citat Sot. Becan. & Arcud. unde Croix l. 6. p. 2. n. 2145. cum aliis tribus Doctoribus concludit, licite repeti sub conditione ejusmodi ordinationem factam sine prima impositione manuum: plura vide ibidem: de differentia autem Ecclesiæ Græcæ a Latina vide supra n. antecedenti, quæ omnia etiam hic militant.

Denique nota: Si Calix, & Patena, quæ traduntur pro Sacerdotio, non sint consecrata, vel sint execrata, Ledesf. Sot. & alii communiter putant, Sacerdotium fore validum, quod Tamb. putat moraliter certum, addens etiam fore validum, si panis, & vinum immediate traderentur: sed probabiliter contradicunt Sylv. Forn. Dicast. apud Croix n. 2150. idque in praxi tenendum. Si tradatur solus Calix cum Patena, vel loco vini fuerit aqua tantum in Calice, vel defuerit panis, Less. Henr. Dian. & alii putant, Sacerdotium fore validum; quia traditio Calicis cum Patena sufficienter verificat formam: Sed Gob. & alii dicunt, ordinationem sub conditione repetendam, cum merito dubium sit de valore: Croix n. 2151.

IX. Episcopatus (*Quo datur Potestas Confirmandi, & Ordinandi*) habet materiam remotam Baculum Pastoralem, Annulum, & librum Evangeliorum; proximam vero eorundem traditionem: item impositionem manuum Papæ, vel Episcopi cum assistentia aliorum duorum Episcoporum, aut duorum Sacerdotum ex dispensatione Sedis Apostolicæ. Si autem Papa dispensarit etiam tali Sacerdotum assistentiæ, quamvis Dicast. putet, fieri posse, tamen non est certum; & minus certum, si fiat absque tali dispensatione; ideoque sub conditione repetendum: Croix n. 2147.

Quæres primo, An ad valorem ordinationis requiratur contactus physicus?

Respondeo affirmative cum communi post D. Th. contra Henr. Vasq. Reginal. quia sic verificatur forma, *Accipe, &c.* ideoque requiritur, ut, & Episcopus ipse immediate tangat tradens, & ordinandus immediate tangat accipiens instrumenta, &c. Hinc, utut probabilis sit sententia opposita, non tamen practice; secus enim reiterari debet ordinatio sub conditione. Addit

tamen Croix l. 6. p. 2. n. 2157. ex Gob. & aliis, certo valere ordinationem Sacerdotis, si Episcopus imponat manus tectas Chirothecis, tum quia moraliter, & in communi æstimatione ille dicitur tangere aliquem; tum quia Græci imponunt manus interjecto pallio; tum quia in Pontificali Episcopus tunc jubetur chirothecas deponere, cum debet inungere; ideoque etiam Pal. ib. pro certo tenet valere, si ordinandus tangat Calicem medio aliquo panno, velo &c. Addit secundo n. 2155. quod si ordinandus una tantum manu, vel uno tantum digito tangat, certo valet, quia simpliciter dicitur tangere; imo etiamsi solo ungue, inquit Lug. contactus autem utraque manu est ex præcepto ad scrupulum tollendum: Fill. & alii: contra vero, si Episcopus in secunda impositione unicam tantum manum imponat; nam Pontificale Rom. utramque expresse requirit, & Doctores contra Platel. supponunt esse necessariam: nec obstat, Græcos unicam tantum manum imponere, quie ab illis ad latinos non valet argumentatio: Croix n. 2156.

Quæres secundo, An ad valorem ordinationis requiratur contactus physicus, & realis cujusvis materiæ?

Respondeo, Primo, Certo valere ordinationem, si Presbyterandus tangat Calicem, & Patenam, sed non Hostiam; tum quia Pont. Rom. assignans necessaria tantum dicit de *Cuppa Calicis, & Patena;* tum quia sicut tacto Calice censetur tangi Vinum, ita, &c. ideoque hunc non debere reordinari sub conditione dicit Sanch. & alii contra Bernal, & Fabr. ex præcepto autem ad tollendum scrupulum tangitur & hostia; quamvis Leand. ap. Tamb. non putet sub mortali: Croix n. 2152. Secondo, Si tangas Calicem, & Hostiam, non autem Patenam; Tamb. dicit, moraliter certum, esse validam; & Vasq. Con. Bon. Pal. & alii communiter dicunt, esse certum; & Gob. addit, oppositum carere probabilitate; quia tactus Patenæ est propter Hostiam, & Patena adhibetur tantum ad decentiam, &c. Contradicunt aliqui apud Croix, qui ideo concludit n. 2153. valde consultum, Ordinationem sub conditione iterandam. Tertio, Si tangas solum Calicem, cui Patena cum Hostia est superposita, Præp. Bosc. & alii dicunt, certam esse ordinetionem, quia per modum unius traditur illud aggregatum. Sed Dian. Pal. & alii negant, esse certum; ideoque Dicast. dicit in prexi reordinandum sub conditione; & ita tenendum: Croix n. 2154.

§. II.

Qua sit Forma Ordinationis?

I. FOrma Ostiariatos sunt illa Episcopi verba: *Sic age, quasi rationem, &c.* II. Forma Lectoratus, *Accipe, & esto, &c.* III. Forma Exorcistatus, *Accipe, & Commenda, &c.* IV. Forma Acolythatus, *Accipe Ceroferarium, &c.* V. Forma Subdiaconatus ex verbis illis monitoriis componitur, *Videte, cujus ministerium, &c.* in traditione Calicis: in traditione vero libri, &c. *Accipe librum, &c.* VI. Forma Diaconatus, *Accipe potestatem, &c.* in traditione libri Evangeliorum: in impositione vero manuum, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* VII. Forma Presbyteratos, *Accipe potestatem offerendi, &c.* in traditione Calicis, &c. in ultima vero impositione manuum, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* VIII. Forma Episcopatus, *Accipe potestatem, &c.* in impositione manuum; & in traditione baculi, annuli, &c. *Accipe, &c.*

Quæres primo, An forma Ordinationis debeat esse necessario verbalis, & immutabilis?

Respondeo, Ad valorem requiri necessario formam verbalem ore prolatam: quia id pertinet ad substantiam omnium Sacramentorum, excepto matrimonio, ex traditione Ecclesiæ. v. Croix l. 6. p. 1. a n. 9. ubi additur, quod, quamvis in quinque primis Sacramentis verba formæ determinata sint a Christo Domino ad speciem, tamen in ordine determinata sunt tantum ad genus, ad speciem vero ab Ecclesia; qua posita quævis mutatio substantielis (non autem accidentalis) invalidat ordinationem. Hinc Latinus valide ordinatur per formam græce prolatam (etsi invalide per meteriam græcam, quæ sit sola manuum impositio) Croix n. 15. Contra, si loco formæ vocalis substituatur scriptio, nutus, aliave signa, invalida est ordinatio, &c. Croix a n. 37.

Quæres secundo, An valida sit ordinatio, si forma proferaror ante, vel post materiam proximam?

Respondeo affirmative, si paulo ante, vel paulo post proferatur; quia, si distantia est valde exigua, adhuc verum moraliter est, quod, dum Episcopus profert formam, fiat traditio, tactus, impositio, &c. Secus vero dicendum, si distantia sit talis, ut in communi æstimatione non censeatur simul moraliter. Addit Lug. *Respons. Moral.* l. 1. d. 3. eum, qui non tetigit Calicem, & Patenam, dum actu proferebatur forma, sed modo dicto paulo post, posse quidem ad majorem sui animi quietem sub conditione reordinari, sed non esse necessarium.

Notat hic Croix ex Bardi, & Gob. raro esse prudens dubium de valore suscepti ordinis: & speciatim qooad illos, qui postea serupulose timent, ne forte non bene, ne nimis cito, vel nimis sero tetigerit; eo quod non sciant, nec possint recordari, aut imaginari, an, quando, & quorsum ista fuerint. Nam ista omnia non sont prudentia motiva dubitandi, cum non teneamur, nec possimus recordari omnium, quæ agimus, aut egimus. Hoc ergo ipso, quod tu e.g. sciveris, qoid faciendum esset, & quidem sub mortali; suppone, te fecisse, quandio non scis, te non fecisse.

Notat insuper n. 2158. Quoties Sacerdos tenetur rebaptizari ob certitudinem, probabilitatem, aut dubium de nullitate baptismi, toties etiem tenetur reordinari ordine Presbyteratus, si velit in eo ministrare, ob periculum irreverentiæ Sacramento, & salutis fidelium. Dixi primo, *Si velit*, quia, si nolit, non potest cogi ad reordinatiooem, modo certum fuerit, non fuisse antea baptizatum: potest vero cogi, si tantum probabile, vel dubium fuerit; quia sic Ecclesia potest præsumere fuisse baptizatum, adeoque valide ordinatum. Dixi secundo, *Ordine Presbyteratus;* quia, si probabile tantum vel dubium erar, non fuisse baptizatum, satis erit hæc tantum reordinatio, quia probabile est, reliquos ordinis intermedios fuisse validos, nec dicta pericula aderunt, quamvis essent invalidi; at, si certum erat, non fuisse valide baptizatum, deberet omnia reiterari, cum certo non fuerint valida: Gob. ib.

Notat demum Tamb. c. 5. in fine, iterationem, quæ ob dictos, aut similes casus est sub conditione exibenda, fieri posse quolibet anni tempore, a quocumque Episcopo, etiam in Oratorio privato, absque cæteris cæremoniis, sed supplendo solum id, in quo est dubium. Ratio est, quia solemnitates, cæteraque requisita sunt instituta pro ordinatione absoluta, non pro conditionata; sic enim non est ordinationem celebrare, sed quod imperfecte præstitum est, supplere: secus vero, si prior ordinatio fuerit certo invalida. Si autem unus Episcopus conferret potestatem consecrandi, & deinde eo deficiente alter Episcopus conferret potestatem absolvendi, valeret ordinatio, quia sunt duæ potestates distinctæ materiis, & formis: ita Croix l. 6. p. 1. n. 33.

§. III.

Qua Intentio sit requisita ad Ordinationem?

CErtum est I. Ad valorem Ordinationis non sufficere in Ordinante intentionem interpretativam, nec habitualem, sed requiri formalem, vel saltem virtualem ex dictis in de Sacramentis in genere q. 3. c. 1. Certum II. neque ex parte Ordinantis sufficere intentionem indirectam ex ibid. dictis q. 2. c. 2. Hic quoad Ordinandom

Quæres primo, Quænam intentio requiratur ex parte Ordinandi ad valorem ordinationis?

Respondeo, Si sit infans, vel amens a nativitate, sofficere intentionem interpretativam: Si sit adultus, sufficere intentionem salrem habitualem. Ratio primæ partis est, quia ordo collatus infanti est validus, ut certo docent Doctores contra Durand. ex *c. un. de Cler. per fals. promot.* In eo autem nulla esse potuit intentio præter interpretativam; quivis enim ordo ei collatus nullum fert onus absolute, sed erit ei liberum, cum ad usom rationis pervenerit, eligere statum, quem volet: ideoque bonum absolute confert absque malo; & consequenter in eo infante est voluntas interpretativa illius. Ratio secundæ partis est, quia, cum ordo in adulto sit immutatio status, afferatque ei gravia onera absolute, & aliunde non sit necessarius ad salutem, ideo non sufficit intentio interpretativa: sufficit autem habitualis, quia suscipiens Ordinem non est Minister agens, sed subjectum veluti patiens; ideoque non requirit indispensabiliter intentionem actualem, vel virtualem; requirit tamen saltem habitualem, utpote qui non est subjectum pure physicum, & mortuo modo, sed voluntarium, cum debeat admittere onera Ordinum; ideoque merito requiritur aliquis ejus consensus,

vel

vel formalis, vel virtualis, vel saltem habitualis: Croix n. 175.

Hinc, quamvis in suscipiente non sufficiat consensus pure indirectus (ut si quis velit somnum, prævidens in eo ordinandum) eo quod talis consensus potest stare cum directa nolitione Ordinis; tamen valeret talis ordinatio, si cum volitione dormiendi adfuisset etiam voluntas ordinationis prævisæ, ex cap. *Majores*, *de Bapt.* Similiter valet Ordinatio collata phrenetico, ebrio, amenti, &c. licet tum dicat, se nolle; si, quando erat rationis compos, eam voluit, nec voluntatem hanc retractavit; quia ea revocatio non est actus humanus; ideoque prior voluntas permanet habitualiter. Similiter, si quis ratione utens ore tantum renuat, corde tamen consentiat in ordinationem, valide ordinatur; quia in suscipiente Sacramenta (excepta Pœnitentia, & Matrimonio) non requiritur signum externum interni consensus: v. Croix a n. 169. Denique addit Gob. contra Con. ap. Croix n. 173. validum fore Presbyteratum illius, qui admisit Parochiam volens eam retinere, si postea in somno ordinetur Presbyter, quia, etsi non habuit voluntatem explicitam Presbyteratus, at habuit implicitam in voluntate Parochiæ retinendæ. Ex dictis infers, non sufficere intentionem pure indirectam: sufficere tamen probabiliter etiam implicitam.

Quæres secundo, An præter intentionem suscipiendi Subdiaconatum requiratur ad ejus valorem intentio, seu votum etiam Castitatis?

Respondo negative, Nam, si quis ordinatus sit in Subdiaconum ante rationis usum, non requiritur ne interpretativa quidem ejusmodi intentio; cum nec deinde obligetur ad castitatem, nec subeat impedimentum dirimens matrimonium, nisi libere velit manere in statu Sacro, qua electione posita obligabitur: Doctores communiter. Si autem ordinetur adultus, valide etiam ordinatur, etiamsi ejusmodi intentionem, seu votum expresse non habeat; imo, etiamsi expresse nolit votum emittere; quia intentio suscipiendi Subdiaconatum est distincta ab intentione servandi castitatem, & hæc non jure Divino, sed tantum Ecclesiastico, est Sacris Ordinibus adnexa: Doctores communiter ap. Croix n. 2190. Cæterum, si adultus, sive ignorans, sive non advertens ad tale votum, intendit suscipere Subdiaconatum, jam implicite vovet castitatem, quia implicite vult onera adnexa. Si vero sciens positive nolit vovere, etsi valide, sacrilege tamen suscipit Subdiaconatum, utpote inobediens præcepto Ecclesiæ præcipientis tale votum ex motivo Religionis, & ex eodem motivo prohibentis ei quemcumque actum contra castitatem; ideoque is semper tenebitur emittere tale votum; &, si nunquam velit, quivis ejus actus contra castitatem adhuc erit sacrilegus, &, si ineat matrimonium, adhuc erit irritum. An autem talis obligatio sit immediate ex præcepto, an ex voto, an ex utroque simul, disputant Doctores. Vide Croix n. 2191. Unum hinc infero, quod Pontifex, qui in suscipiendis Sacris Ordinibus votum castitatis sive implicite, sive explicite emiserat, si matrimonium contraheret: non solum peccaret graviter ratione scandali, ut innuimus suo loco in de Legibus d. 2. q. 3. c. 1. sed etiam graviter peccaret contra votum, in quo nequie secum dispensare, cum hujusmodi dispensationis esse omnino non possit causa legitima.

Quæres tertio, Qua animi dispositione accedere quis debeat ad statum Ecclesiasticum?

Respondeo, Si tonsuram suscipias tantum, ut subterfugias judicium sæculare, secundum Barb. Bann. Arag. Led. Marchin. Pasq. peccas mortaliter, quia Trident. *sess.* 23. *c.* 4. prohibet, talem initiari. At secundum Nav. Sanch. Lay. Pal. non peccas mortaliter, quia Trid. non utitur verbis præceptivis, & quia, quamdiu vis servire Deo, potes gaudere juribus servorum Dei: peccas igitur tantum venialiter: Si cum animo non perseverandi, secundum Avers. tantum venialiter, quia, quamdiu vis servire Deo, potes gaudere, &c. Si cum animo experiendi, seu faciendi postea, quod magis expedire videbitur, nullatenus peccas ex Avers. quivis enim uti potest sua libertate ad eligendum statum. Si ingrediaris Religionem sine animo manendi, decipis in re gravi Religionem, quæ merito invita est ad illos sumptus, & molestias, & ad patefacienda sua secreta. Si initiaris ob beneficium, tanquam finem principalem, & primarium, secundum March. peccas mortaliter, sed intellige, si ob talem finem vis legem Dei graviter negligere, ut eo lucro potiaris. Tamb. Si sine causa uxorem duxeris; secundum Azor. non peccas; secundum Sanch. communiter peccas saltem venialiter.

Quæres quarto, An valeat ordinatio facta ex metu gravi injuste incusso?

Respondeo affirmative; Sive ordinans, sive ordinandus, sive uterque sit metum passus; modo habuerint intentionem requisitam ad ordinationem, quæ erit voluntaria simpliciter, etsi secundum quid involuntaria; cum nulla sit, nec esse possit lex humana irritans talem ordinationem. An autem adultus per ejusmodi metum inductus ad ordinem majorem teneatur ad Castitatem, ad impedimentum dirimens matrimonium, & ad Horas? Affirmant D. Antonin. Sot. Pal. & alii, quia adest voluntarium, quantum sufficit ad votum, &c. nec adest jus positivum illud irritans. Negant Sanch. & alii plusquam 20. apud Croix n. 2163. quia Deus non acceptat tale votum, neque Ecclesia censetur velle obligare sic inductum. Distinguit Perez, & negat, si is positive nolit vovere, ad quod nec tunc obligatur ab Ecclesia, nec cogi potest a metu, cum sit actus mere internus; affirmat vero, si expresse, vel saltem implicite vovit.

§. IV.

Quæ sint munera, & onera Ordinatorum?

I. MUnus, seu officium tonsurati est canere in Ecclesia, ideoque etiam vocatur Psalmista, & fit capax beneficii, & ordinum. Ostiarii munus est claudere, & custodire Ecclesiam, advocare, & admittere dignos excludendo indignos, pulsare campanas (tempore Sacrificii, ex Hurt.) custodire supellectilem sacram, & aperire librum prædicaturo. Lectoris munus est legere Prophetias, & Sacras Scripturas, & Evangelium, sed extra Missam; item instruere Catechumenos. Exorcistæ munus est imponere manus super Energumenos, & exorcismos legere. Acolythi munus est præparare lumina ad Sacrificium, ferre cereum ad Evangelium, & Subdiacono, ac Diacono inservire, potestque (ut & cæteri ministri quovis ordine insigniti) tangere vasa sacra, ubi non sit Eucharistia. Subdiaconi munera sunt ministrare Diacono, & Sacerdoti, Crucem in supplicationibus gestare, Epistolam canere & abluere Pallas, & Corporalia. Diaconi munera sunt ministrare immediate Sacerdoti, legere in Missa Evangelium, urgente necessitate ministrare Eucharistiam ex præscripto Sacerdotis, prædicare verbum Dei, assistere lotioni Sacrorum, potestque deferre Pyxidem de uno Altari in alterum: Tamb. & alii. Sacerdotis munera sunt sacrificare, absolvere, prædicare, &c. Episcopi demum munera sunt ordinare, consecrare, &c.

II. Onera Tonsurati sunt deferre habitum, & tonsuram, adscribi alicui Ecclesiæ, &c. Si ergo Clericus deferre negligat per tempus notabile, Sot. Ban. & alii putant, peccare mortaliter, quod Vasq. Hurt. & alii communiter dicunt de solis Beneficiatis, aut in Sacris constitutis; quamvis Pal. Cajet. & alii negent universaliter, nisi adsit temeritas, contumacia, & contemptus: vide Tamb. Denique ei imponitur a Tonsurante, ut semel recitet septem Psalm. Pœnitentiales cum Litaniis, &c. sub gravi putant aliqui, sub consilio tantum putant Nav. Tamb. & alii, sub levi Croix & alii melius, nec tenetur communicare, dum tonsuratur; quia rubrica id disponens non indicat præceptum, sed consilium: Tamb. Hactenus dicta procedunt pariter de Ordinatis in minoribus. Onera Subdiaconi, præter dicta, sunt duo, servare Castitatem, & recitare Horas Canonicas; sub levi item tenetur semel recitare nocturnum impositum ab Episcopo, nec videtur obligatus communicare in ordinatione, juxta dicta; vestis autem ejus est Manipulus. Onera Diaconi sunt eadem: vestis vero est stola transversa. Onera Sacerdotis sunt pariter eadem; vestis est stola e collo utrinque dependens; item sub levi tenetur ex albis dictis dicere tres Missas imposita ab Episcopo. Sub gravi autem tenetur communicare in sui ordinatione, quia, ut consacrificans, omnino debet participare de Sacrificio: Quint. & alii. Onus demum Episcopi, præter dicta, est esse in statu perfectionis.

§. V.

Quæ sint pœnæ male Ordinati?

I. SUspensio ab ordine suscepto reservata Papæ, si scienter ordineris in Sacris ab Episcopo, qui cum acceptatione Papæ renunciavit Episcopatui, ex cap. *Requisivit*, *de Ordin. ab Episc. &c.*

II. Ea-

II. Eadem suspensio, si ordineris etiam in Minoribus ab Episcopo vitando Excommunicato, Suspenso, Interdicto, Schismatico, Hæretico, ex c. t. & 2. *de Schism. & Ordin. ab eo.*

III. Eadem suspensio, sed relaxanda a proprio Episcopo, si culpabilitet ordineris etiam in Minoribus ab alieno Episcopo, sine licentia, sive dimissoriis, aut commendatitiis proprii Episcopi, ex Trid. *sess.* 23. *c.* 8. *Ref.* Eadem suspensio, sed Papalis, si natus extra suscipias vel primam tonsuram intra Italiam cum dimissoriis proprii Episcopi, sed non subscriptis a Nuntio originis, recognitisque a Vicario Romano: Urb. VIII. *Secret.* 1624. 11. Dec.

IV. Eadem suspensio, sed relaxanda a Diœcesano, si ordineris in Minoribus a proprio Episcopo; at in aliena Diœcesi sine Diœcesani licentia: Trid. *sess.* 6. *c.* 2. *ref.*

V. Eadem suspensio (præter Excomm. etiam papalem, de qua v. in de Simonia c. 4.) papalis, si ordineris simoniace, ex Bull. Sixt. V. Item, si excommunicatus ob Clerici percussionem ordineris, si sis Clericus secularis; si regularis, absolvi poteris a tuo Superiore, modo factum non fuerit notabile, ex cap. *Illorum*, *de Sent. Exc.* Item, si in Matrimonio ordineris in Sacris, Extrav. *Antiquæ*. Item, si eodem die plures Ordines Sacros susceperis, ibid. Item, si Apostata a Religione ordineris in Sacris, cap. ult. *de Apostat.* Item, si absque dispensatione ordineris extra tempora, ex Bul. Pii II. *Cum &c.* Item, si ordineris in Sacris absque titulo, ex cap. *Prater*, *de Sim.*

VI. Eadem suspensio, sed non Papalis, si ordineris per saltum. Item, si ordineris in Sacris cum dimissoriis Capituli intra annum Sedis Vacantis absque coarctatione beneficii; absolvendus enim es a successore ex Trid. *sess.* 7. *c.* 10. *Refor.* Item, si ordineris in Sacris ante legitimam ætatem, ex Bull. Pii II.

VII. Qui ordinatur furtive, est etiam irregularis, ex cap. *Veniens*, *de eo, qui furtive*, vel si eodem die plures ordines majores suscipiat ex *Eodem cap.* ap. Avil. contra Nav. vel minores cum majori, *ib.* vel si uxoratus &c. ex cit. Extr. *Antiquæ*; v. Tamb. c. 12. Reliqua fatius addemus in de Censuris.

§. VI.

Quæ sint pœnæ male Ordinantis?

I. EPISCOPUS conferens in mortali Sacerdotium certissime sacrilegium grave committit; quamvis non ita sit certum de collatione ordinum inferiorum, juxta jam dicta. Item fit irregularis, si censura aliqua ligatus conferat vel primam tonsuram, cum exerceat proprium actum ordinis Episcopalis.

II. Ordinans per simoniam realem suspenditur a Collatione Ordinum, a Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ, ex Bull. Sixt. V. confirmata ab Urb. VIII.

III. Conferens tonsuram infanti cum præsumptione suspenditur ab ea conferenda per annum, ex cap. *Nullus*, *de Temp. Ordin.*

IV. Injuste ordinans invitum suspenditur, seu potius prohibetur a celebratione Missæ per annum, ex c. *Ep.* *d.* 74.

V. Conferens Sacerdotium indigno suspenditur a collatione ordinis Sacerdotalis, ex cap. *Si qui Episcopi* 1. *q.* 1. sed est ferendæ sententiæ: v. Bon.

VI. Conferens tonsuram illiterato suspenditur ab ejus collatione per annum, ex cap. *Nullus*, *de temp. Ord.* Sa tamen dicit, hanc suspensionem non esse in usu.

VII. Conferens cum præsumptione tonsuram conjugato eandem suspensionem incurrit; nisi vero conjugatus Religionem legitime velit ingredi, aut Sacros Ordines recipere juxta Canonum dispositionem, ex eod. c. *Nullus.*

VIII. Conferens ordines Clerico bigamo, aut pœnitenti publico suspenditur, seu potius prohibetur a celebratione Missæ per annum, ex cap. *Nullus d.* 55.

IX. Conferens tonsuram, vel ordines non subdito, absque licentia sui Ordinarii, suspenditur per annum ibi a collatione tonsuræ, hic a collatione ordinum, ex cap. *Nullus*, & cap. *Eos*, *qui de temp. Ord.*

X. Conferens duos Sacros Ordines eodem die, aut duobus diebus continuato jejunio, suspenditur a collatione utriusque ordinis, nec relaxandus, nisi a Papa, ex c. *Litteras*, *de temp. Ordin.*

XI. Conferens Sacros Ordines sine titulo cum pacto, ut ordinatus nihil ab eo petat in defectum beneficii, vel patrimonii, suspenditur a collatione ordinum per triennium; & similiter præsentans suspenditur ab executione ordinum per triennium, ex cap. *Si quis*, *de Sim.*

XII. Conferens Sacros Ordines Novitio ante professionem, aut vota simplicia Societatis Jesu, suspenditur a collatione ordinum, quos contulit, ex Bull. Pii V. *Romanus*: v. Tamb. c. 12. & alios.

Quæres hic, An liceat Episcopo aliquid accipere pro collatione ordinum?

Respondeo, cap. 1. *de Simonia* hæc habentur: *Pro ordinatione, eum, qui ordinatur, omnino aliquid dare prohibemus.* Cap. *Sicut Episcopum* 1. *q.* 2. hæc habentur: *Is, qui ordinatus fuerit, si non ex placita, neque exactus, neque petitus, post acceptas chartas, & pallium, aliquid cuilibet ex Clero, gratia tantummodo causa, dare voluerit, hoc accipi, nullo modo prohibemus, quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit.* Ubi ly *Ex placito* significat, ex pacto, juxta Gloss. Trid. *sess.* 21. c. 1. *de Reform.* ita præcipit: *Nihil pro collatione quorumcumque Ordinum . . . etiam sponte oblatum, Episcopi . . . accipiant, & qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant.* His positis, Thom. Sanch. *in Consil. Moral.* l. 2. c. 3. dub. 19. docet primo ex D. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 4. non esse simoniam juris naturalis, & divini, si in collatione ordinum aliquid detur, non in pretium ordinis, sed ad Episcopi sustentationem; quia in administratione aliorum Sacramentorum nulla est simonia aliquid recipere in propriam substentationem: ergo nec in hoc, cum non sit magis spirituale, quam reliqua. Docet secundo, esse tamen simoniam juris Ecclesiastici, si Episcopus sale stipendium pro ordinum collatione recipiat; quia in reverentiam talis rei spiritualis, scilicet ordinum, id prohibuit Episcopis Trid. loc. cit. & cap. 1. *de Simonia.* Ita etiam Armil. v. *Simonia* n. 32. Rosel. v. *Simonia* c. 2. 28. Ang. v. *Simonia* 1. n. 28. Tabien. v. *Simonia* q. 33. n. 34. & ibi Sylvest. q. 7. dict. 5. Docet tandem tertio, posse Episcopum, post collatum ordinem, aliquid recipere sponte oblatum; quia, quamvis in Trid. cit. expresse prohibeatur, etiam sponte oblatum recipere; tamen id expresse conceditur cit. cap. *Sicut Episcopum* 1. *q.* 2. si fiat post collationem ordinis: ita tenent Turrecr. Hug. Archid. Innoc. & Hostien. in c. cit. & post Trid. videntur expresse tenere Navar. *sum. lat.* c. 23. n. 102. vers. 11. & Ludov. Lop. 1. p. *inst. novi* n. 301. *fol.* 914. pag. 2. *in fine*, ubi dicunt, id non esse in foro conscientiæ simoniam. Et idem Nav. c. 25. *Hisp.* n. 68. *lat.* n. 68. *vers.* 2. & Salzed. *pract. Bernardi Diaz* c. 91. incipient. *Simoniaci*, *vers.* 6. dicunt, quod ad hoc, ut sit locus pœnæ Trident. eitat. oportet, ut datio præcedat ordinum collationem: ergo clare sentiunt nobiscum: sic etiam tenet expresse Capua l. 2. *decis.* c. 95. n. 59.

CAPUT II.

De Ministro Ordinum?

SOLUS Episcopus consecratus est ordinarius Minister, etiam ordinis Episcopalis, etsi ad hunc conferendum indigeat assistentia aliorum, saltem duorum Episcoporum, vel Presbyterorum ex dispensatione Papæ: ut autem Episcopus licite conferat ordines, aut etiam primam tonsuram, requiritur insuper, ut sit proprius ordinandi, ratione scilicet domicilii, vel originis, vel beneficii, aut ab hic habeat dimissorias, vel etiam testimoniales; & de his hic agendum.

§. I.

De Episcopo Domicilii.

DICITUR Episcopus proprius ratione domicilii, in cujus Diœcesi habet, qui vult ordinari, fixum domicilium cum animo manendi ibi perpetuo. Qua in re Constit. Inn. XII. *Speculatores* ita statuit: *Subditus ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censetur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis, superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius in utroque casu se vere, & realiter animum hujusmodi habere jurejuranda affirmat.* Requiritur ergo, vel decennalis habitatio, vel per tempus

pus considerabile cum instructis ædibus, & translatione majoris partis bonorum, & pro utroque casu juramentum de animo vere ibi perpetuo manendi. Hinc Studiosi, &c. qui etiam per decem, aut plures annos student in eadem Academia non acquirunt domicilium ad effectum suscipiendi ordines, quia non habent animum perpetuo ibi manendi, seu figendi domicilium, ut requirit Const. cit. Item impuberes, ubicumque diu morentur, non possunt ibi domicilium acquirere, sed patris domicilium semper retinent usque ad pubertatem. Quod si paternum domicilium ignoretur, domicilium matris habetur pro suo: Barb. & alii apud Croix n. 2182.

Cæterum non impedit animum perpetuo alicubi habitandi, quod quis ita sit animo comparatus, ut alio migraret, si promotio, officium, casus improvisus, aut necessitas familiæ eo vocaret, ut cum communi docet Sanch. l. 4. *Decal.* c. 39. n. 20. Si tamen prudenter prævidit, se ex tali causa alio abiturum, tunc animus non acquievit hic, sed fuit veluti suspensus; ideoque jurare non potest, se vere, & realiter habere animum perpetuo hic permanendi. In dubio autem communissima sententia cum Barb. docet, post decennium præsumi posse talem animum, &c. Croix n. 2184.

Denique, si quis habeat duo domicilia æqualiter in diversis Diœcesibus, Sanch. Barb. Ricc. & alii apud Croix n. 2180. notant, ab utroque Episcopo posse ordinari; nam debet posse ab uno, nec est major ratio de uno, quam de altero. Addunt Aversa. Gob. Barb. & alii apud eumdem, Nobiles habentes plura feuda in diversis Diœcesibus, quamvis ibi non habitent censeri esse ibi subditos, idque decisum esse a S. Congr. Idem dicunt Barb. Rebuf. Gob. & alii apud eundem de Officialibus, qui in diversis Diœcesibus habent perpetua officia, quamvis non fiant illarum cives; & id extendunt etiam ad eorum filios; sed non credo, ista ultima esse de mente Constit. cit. ut concludit Croix ibid.

Quæ dicta sunt de Episcopo domicilii, dic proportionaliter de Abbate Regulari benedicto, etsi non consecrato, qui non quidem potestate ordinaria, sed concessione Papæ conferre potest tonsuram, & ordines minores tantum Regularibus sibi subditis, qui proinde habent ibi domicilium. Qua in re S. Congr. approbante Clem. VIII. apud Croix n. 2190. statuit, *Abbates Regulares benedictos non posse dictam primam tonsuram, & minores ordines conferre Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel Instituti, etiamsi habeant literas dimissorias suorum Superiorum Regularium, & consensum Ordinariorum, & multo minus personis secularibus etiam habentibus literas dimissorias a suis Ordinariis.* Si ergo his conferant, illicite conferunt; &, si sine dimissoriis etiam invalide, quia carent potestate ordinaria Episcopali, nec aliunde est ipsis commissa ad tales: si cum dimissoriis, Laym. Gob. & alii putant valide, quia Trid. *sess.* 23. *c.* 10. *Refor.* tantum dicit *Non liceat*, & pro hoc referunt Declar. S. Congr. apud Pal. sed Suar. Pignat. & alii negant, quia excedunt commissionem Papæ, & in dicta Declar. dicitur *Non posse*: v. Croix n. 2191. An autem conferre possint tonsuram, & minores ordines suis novitiis? Affirmant Sanch. Pal. Delb. & alii, quia hi in loco Novitiatus statim acquirunt domicilium cum animo, quantum in se est, perpetuo ibi manendi, &c. Negant Suar. Henr. Barbos. & alii, quia ingressi sunt animo tantum experiendi Religionem, &c. Utraque sententia est probabilis apud Croix n. 2199. Ad quem autem Episcopum mitti debeant Religiosi, ut ordinentur, dicam §. 4.

§. II.

De Episcopo Originis.

CONSTIT. Inn. XII. *Speculatores* hæc statuit: *Subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentia ejus patris in illo loco; quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis patris origo erit attendenda, &c.*

Is ergo censetur huic Episcopo subditus ratione originis, seu, ut dicitur, originarius, qui natus est in patris domicilio existente in hac Diœcesi; licet ergo aliqui Juristæ dicant, originem adoptati etiam sumi ex domicilio patris adoptantis, negandum id tamen est quoad tonsuram, & ordines; quia Canones loquuntur de patre naturali. Similiter, quamvis multi apud Gob. dicant, originem avi sui etiam hic posse censeri suam, tamen Bard. Gob. & alii melius negant, quia Constit. cit. remittit præcise ad propriam originem patris. Item per baptismum in aliena Diœcesi non habetur titulus originis, quia baptismus est origo tantum spiritualis: excipiunt tamen aliqui cum Gob. nisi fuisset Turca, Judæus, aut alius Infidelis, eo quod tales nulli Episcopo erant ante subjecti; ideoque videntur sortiri primum locum originis respective, ubi regenerantur. Illegitimi autem, cum sequantur ventrem, censentur habere originem, ubi habitat mater, quæ solet etiam esse notior. Quod si patris, & matris domicilium ignoretur, illam habere censentur in loco, ubi fuerunt inventi, seu expositi: v. Croix a n. 2180.

Qui ex accidenti natus est in aliqua Diœcesi, quamvis non subdatur titulo originis, nisi Episcopo originis naturalis paternæ, quæ consequenter censenda est etiam sua, ut statuitur in Constit. cit. tamen additur ibidem primo, quod si tanto temporis spatio ibi fuerit, ut ibi potuerit contrahere aliquod impedimentum Canonicum, indiget Testimonialibus Episcopi illius Diœcesis, ut possit licite ordinari a proprio Episcopo: additur secundo, quod, si pater ibi, ubi ex accidenti natus est filius, tamdiu, & eo animo permanserit, ut vere domicilium de jure ibi contraxerit, tunc non origo patris, sed tale domicilium pro ordinatione filii attendi debet.

Si pater in diversis Diœcesibus habeat duo domicilia, in quibus æqualiter habitet; quamvis possit ipse ab alterutro Episcopo ordinari ratione domicilii, juxta dicta §. 1. tamen ejus filius ab illo tantum ordinari potest titulo originis, in cujus Diœcesi natus est; quia illud tantum domicilium paternum sortitus est origine: nisi vero ipse etiam post pubertatem utrobique æqualiter habitet. At, si fortuito extra utriusque Diœcesim natus est, ab utrovis potest ordinari titulo originis; quia uterque censetur ejus Episcopus originis, cum non sit potior ratio de uno, quam de altero: Præp. Dian. p. 8. t. 2. r. 14. apud Busemb.

Denique, si, postquam filius natus est in patris domicilio existente in hac Diœcesi, pater in aliam Diœcesim domicilium transferat, non ideo filius amittit jus originis jam acquisitum; ideoque potest etiam ordinari ab hoc Episcopo originis, etsi indigeat Testimonialibus Episcopi illius Diœcesis, si ibi potuerit aliquod impedimentum canonicum contrahere. De vagis, & filiis vagorum nihil hactenus inveni apud Doctores, puto tamen, sortiri originem, ubi nascuntur, quamvis multis Testimonialibus indigeant, ut ibi ordinentur.

§. III.

De Episcopo Beneficii.

CONSTIT. cit. ita statuit, Primo: *Nulli Episcopo, etiamsi Cardinali, liceat externum, ac sibi ratione originis, seu domicilii non subditum ad Clericalem tonsuram promovere prætextu cujusvis Beneficii Ecclesiastici ei statim conferendi, seu ad quod is a patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit; etiamsi dictum Beneficium de novo fundatum sit ea lege, ut quis immediate post tonsuram ad illud instituatur.* Itaque hic talis tonsurari tantum potest ab Episcopo propriæ originis, seu domicilii: an autem, ut sic tonsuretur, sufficiat præcise tale beneficium nondum possessum, dicetur in de Titulo Ordin. §. 1. quæsit. 1.

Eadem Constit. cit. statuit secundo: *Licet Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti subjici dicatur Jurisdictioni illius Episcopi; non tamen ad effectum suscipiendi ordines, nisi tale beneficium per se sufficiat, &c. & pacifice possideatur, sublata facultate supplendi adjectione patrimonii, &c.* Itaque, si talis Clericus pacifice possideat dictum Beneficium in aliena Diœcesi, quod sit de se sufficiens, &c. tunc solum poterit licite promoveri ab illo Episcopo, allatis tamen Testimonialibus Episcopi sui domicilii, quæ simul cum tali Beneficio sufficienti exprimendæ sunt in attestatione collatorum ordinum ab Episcopo Beneficii, ex cit. Constit.

Statuit tertio: *Clericum a proprio Episcopo tonsuratum, seu etiam ad ordines minores promotum, non posse ab Episcopo Beneficii ad ulteriores ordines promoveri, nisi Testimoniales proprii Episcopi tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, & vita obtinuerit, & exhibuerit.* Idemque est, si post Subdiaconatum, vel etiam Diaconatum obtinuerit beneficium,

cujus

cujus titulo promoveri velit ab Episcopo illius Beneficii. Contra vero, si Clericus habeat in aliena Diœcesi patrimonium, etiamsi pro hoc titulo sufficiente sit approbatum, nullatenus potest promoveri ab eo Episcopo absque dimissoriis Episcopi proprii originis, seu domicilii, juxta dicenda §. 5. Idem est, si habeat ibi Missas fundatas, quamvis proventus sufficiant ad honestam substentationem. Idem, si habeat ibi præbendam temporalem, vel mensæ Episcopalis, vel spiritualis exercitii ibi exhibendi, &c. quia non sunt revera Beneficia: v. Croix n. 2178.

Quæres primo, An Ordinatus uno ordine ab Episcopo originis possit sine dimissoriis alium ordinem suscipere ab Episcopo domicilii, & alium ab Episcopo Beneficii?

Respondeo affirmative cum Henr. Aversf. Præp. Pignat. & aliis contra Barb. & alios apud Croix n. 2185. quia respective ad ordines suscipiendos est verus subditus singulorum, & nemo indiget dimissoriis ad suum Episcopum; neque id improbat cit. Constit. quæ, quantum attinet ad Episcopum Beneficii, ad summum vult afferri Testimoniales a proprio Episcopo. Addo tamen, quod, si quis ab Episcopo originis sit prohibitus promoveri ad ulteriores Ordines, vel suspensus, non poxest ab alio Episcopo petere alium ordinem, nisi prior Episcopus consenserit, vel Papa rehabilitarit post cognitam causam, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 1. *Refor.*

Quæres secundo, An Ordinatus uno Ordine ab Episcopo Beneficii, si illud hoc anno resignet, possit alium ordinem suscipere ab eodem Episcopo?

Respondeo negative, quia amisit jam subjectionem requisitam: similiter, si Neapolitanus simul cum patre fixit domicilium Capuæ, ex quo ibi tonsuretur, & postea dimissa Capua fixerint iterum domicilium Neapoli, non potest petere ulteriores ordines Capuæ; quia amisit ibi subjectionem requisitam ad susceptionem ordinum; quidquid sit, an dicendus tunc sit Clericus Ecclesiæ Capuanæ, an Neapolitanæ: Croix n. 2186.

Quæres tertio, An, qui plura habet Beneficia in diversis Diœcesibus, possit in singulis ordinari?

Respondeo affirmative, quia ratione beneficiorum fit subditus in singulis: Sanch. Barb. & alii apud Croix n. 2179. ubi etiam addunt, quod, si Beneficium, quod possides, quoad Jura Episcopalia sit subjectum uni Episcopo, quamvis quoad præsentationem, & institutionem subjiciatur alteri Episcopo, potes in priori Diœcesi ordinari.

§. IV.

De Episcopo alieno.

DICITUR alienus Episcopus, qui non est proprius ordinandi, nec ratione originis, nec ratione domicilii, nec ratione beneficii: si ergo absque licentia, seu dimissoriis illum ordinet, etiamsi ad primam tonsuram, illicite ordinat, & uterque graviter peccat contra grave præceptum Sacr. Can. præsertim Trid. *sess.* 23. *c.* 8. *Ref.* & *sess.* 14. *c.* 2. ubi ex dictis statuitur etiam pœna suspensionis, & quidem ordinanti per annum a collatione ordinum, ordinato vero ab exercitio ordinis sic suscepti, quamdiu proprio Ordinario videbitur. Nec ad vitandum tale peccatum sufficit ratihabitio de futuro proprii Episcopi, ut docent Doctores cum Sanch. l. 7. *Consil. dub.* n. 13. contra Glos. D. Th. & alios, quia aliter daretur ansa Episcopis, ut hoc quæsito colore alienos ordinent; & Trid. *sess.* 14. *c.* 3. *Ref.* cavet, ne Episcopi titulares aliquem ordinent absque expresso sui Episcopi consensu.

An autem talis ordinatio sit etiam invalida? Affirmandum, si fiat ab Abbate etiam benedicto, juxta dicta §. 1. negandum, si ab Episcopo, utpote habente potestatem ordinariam vi characteris, quæ stat sine jurisdictione: Croix n. 2192. Neque obstat c. 1. & 3. d. 71. dicens, esse irritam; intelligitur enim communiter, quoad executionem tantum; ideoque sic Tonsuratus non gaudet privilegio Clericali, nec potest valide obtinere Beneficia: est demum suspensus ab actu cujusvis ordinis sic suscepti: Sanch. n. 14.

Quæres, An alienus Episcopus possit in aliquo casu aliquem ordinare sine licentia proprii Episcopi?

Respondeo affirmative: Sunt enim duo casus hujusmodi: Primo, Quando Episcopus proprius est manifeste suspensus, non quomodocumque, sed eo præcise, quod ordinavit Clericos alienos absque licentia proprii Episcopi; tum enim possunt Clerici ejus subditi sine licentia ordinari a vicinis Episcopis, ex c. 2. *de Temp. ordin. in* 6. Debet ergo dicta suspensio esse notoria facto, vel jure; & tunc ejus tantum Clerici, non vero laici, possunt ordinari ab alieno Episcopo, & quidem tantum vicino: quia per talem potest melius sciri de eorum vita, & moribus; ideoque ab eo ordinari licite possunt in ejus Diœcesi; & similiter ab Archiepiscopo vicino, ut probabiliter docent Sanch. n. 19. & alii contra Francol. & alios. Quod enim Archiepiscopus non possit sine licentia suffraganei ordinare ejus subditum, ne tempore quidem visitationis, & in loco exempto, est extra hunc casum.

Alter casus est, Si Episcopus alienus per integrum, & completum triennium (ut statuitur in cit. Constit.) subditum alterius Episcopi secum in suo actuali servitio retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; tunc enim titulo Familiaritatis potest illum tonsurare, ordinare, &c. absque licentia proprii Episcopi, sed nonnisi cum ejus Testimonialibus, & providendo illi de Beneficio sufficienti intra mensem absque ulla fraude, ex *cit. Constit.* Nomine autem Episcopi alieni non venit hic Episcopus nullatensis, seu ordinatus titulo Ecclesiæ in partibus infidelium: Croix n. 2187. ex Trid. *sess.* 14. *c.* 2. *Reform.* multoque minus venit Abbas Regularis, cui tantum commissa est facultas relate ad suos subditos regulares, juxta dicta §. 1. Nomine autem familiaris probabiliter venit etiam ejus famulus, quia & hic est etiam familiaris Episcopi, si reliqua adsint, quæ cit. Const. requirit: Croix ex Sanch. n. 2187. Denique, si familiaris non possideat actu patrimonium, &c. neque in hoc casu potest tonsurari, quia nec Beneficium actu possidet, juxta dicenda de tit. Ordin. contra Vasq.

De Mand. Clem. VIII. S. Congr. 15. Mart. 1596. Regulares *quarumcumque Religionum* ordinari debent ab Episcopo Diœcesano; nisi is abfuerit, vel non habeat ordinationes; vel Sedes vacet; tunc enim a quovis alio Episcopo (modo non fiat in fraudem) ordinari possunt cum dimissoriis suorum Superiorum id exprimentibus. Si autem Monasterium sit in loco nullatensi, dimissoriæ sint ad Episcopum viciniorem sub pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ, aliisque arbitrariis. Excipe Soc. Jes. ex Paul. V. Gregor. XIV. & Inn. XII. ap. Croix num. 2144. & 2236. ubi Sanch. Laym. Pal. Gob. excipiunt etiam Religiosos exemptos contra Aversf.

§. V.

De Literis Dimissorialibus.

LITERÆ dimissoriales, seu, ut dicunt, reverendæ sunt *Quibus datur licentia accipiendi tonsuram, vel ordinem ab alieno Episcopo.* Atque has dare potest

I. Papa pro tota Ecclesia. Ubi etiam nota primo, Ordinatos in Diaconos, vel Subdiaconos a Papa non posse sine ejus licentia ab alio Episcopo ad superiores ordines promoveri: Sanch. n. 18. ex cap. *Cum in distribuendis, de Temp. Ordin.* Idem dicunt aliqui apud Sanch. n. 28. quando Papa providet alicui in curia de Titulo Beneficii; sed melius ipse cum aliis sentit oppositum. Nota secundo, Licentiam, quam dat Papa Episcopo consecrandi Episcopum, esse, ut Assistentibus etiam duobus aliis Episcopis ad minus, ex *Decr. S. Anacl.* tamen potest Papa dispensare, ut loco Episcoporum assistentium assistant duo Sacerdotes, ex praxi S. Gregor. III. & S. Pii V. An autem possit Papa dispensare, ut nullo assistente Presbytero est dubium, ideoque talis consecratio est reiteranda.

II. Legatus a latere, seu Nuntius Apostolicus pro sua Provincia, in qua & potest ipse ordinare, cum sit Ordinarius: Croix n. 2264. & alii contra Pignatel. & alios. Debet tamen Ordinandus habere Testimoniales a proprio Episcopo, & Sede vacante a Capitulo juxta dicenda §. 6. Rursus si proprius Episcopus nolit subditum ordinare, potest Nuntius Apostolicus committere viciniori, ut dimissorias ei concedat, &c. Sanch. n. 27. Denique nota, Ultramontanos, omnesque natos extra Italiam, si velint tonsurari, seu ordinari intra Italiam, debere sub pœna suspensionis aliisque inflictis decr. Urb. VIII. *Secretis* 11. Dec. 1624. dimissorias propriorum Episcoporum ostendere Nuntiis, seu Collectoribus Apostolicis commorantibus in loco, unde discesserunt, & deinde Vicario Generalis Urbis Romæ.

III. Episcopus proprius, sive originis, sive domicilii, sive beneficii; quia hi potestate ordinaria possunt talem ordinare. Idque, etiamsi talis Episcopus nondum sit consecratus; quia dimittere non est actus ordinis, sed jurisdi-

jurisdictionis, quod Gob. & alii apud Croix n. 2x33. extendunt etiam ad Episcopum electum, licet nondum confirmatum, in locis tamen multum remotis a finibus Italiæ; nemo autem extendit ad Vicarium Generalem Episcopi, nisi ex speciali hujus commissione, aut hoc in remotis agente: Croix n. 2234. ex cap. *Cum nullus de Temp. Ordin. in 6.* Sede autem Episcopali vacante, Trid. *sess. 7. c.* 10. & *sess.* 23. *c.* 10. *Reform.* vetat, ne Capitulum intra annum a die vacationis det dimissorias alicui, nisi beneficii recepti, vel recipiendi occasione *arctatus* fuerit, sub pœna interdicti ipsi Capitulo, & suspensionis per annum ab officio, & beneficio ipsi concedenti; & privationis privilegii Clericalis ipsi sic ordinato, si sit in minoribus; suspensionis vero ab ordinibus usque ad beneplacitum futuri Episcopi, si sit in majoribus: v. plura in hanc rem apud Croix n. 2257. ubi dicitur, *Arctatum* Beneficio recipiendo esse illum, qui habet jus, seu est vocatus ad aliquod beneficium vacans, aut ad Cappellaniam requirentem actu certum ordinem, quo ille caret; vel qui est præsentatus ad Beneficium, necdum est tonsuratus: non vero ix, cui aliquis vult resignare Beneficium, quia hoc est mere voluntarium. At post annum a vacatione potest ex jure communi Capitulum dare cuique subdito dimissorias, sed ex novo Decr. S. Congreg. sub Clem. XI. vetatur in Regno Neapolitano, in quo proinde requirendæ sunt dimissoriæ a Sede Apostolica, & Testimoniales a Capitulo, seu ejus Vicario. Nota demum, Vicarium Papæ, Sede Apostolica vacante, posse efficere, ut ordinentur sui, aut eis etiam non *Arctatis* dare dimissorias; quia Trident. cit. non restringit jurisdictionem Sedis Apostolicæ vacantis: Henr. Avers. & alii; idemque dicunt Graff. & alii apud Croix n. x263. de Vicariis Episcoporum deputatis per Papam, quos vocat Apostolicos.

IV. Abbates Regulares (non vero Seculares, ex Trid. *sess.* x3. r. 10.) & Superiores etiam Regulares dare possunt dimissorias suis subditis Regularibus, ex Trid. apud Fagn. & Croix n. x236. & probabiliter etiam suis Novitiis, ut certum est de Novitiis Societatis Jesu apud Croix n. xx37. ubi probabile est, etiam post Decret. S. Congr. jussu Urb. VIII. tales dimissorias dari posse ad quemcumque Episcopum, modo sint Religiosi exempti; nam hoc privilegium, & consuetudo eximunt eos ab iis, quæ in cit. Decr. statuuntur: v. Croix n. xx36. Nota tamen, in Societate Jesu id posse tantum Provinciales: in aliis Religionibus aliquando etiam Superiores locales juxta sua cujusque Religionis statuta.

Quæres primo, Quomodo intelligenda sit facultas data in Dimissorialibus?

Respondeo: Primo, Si dimissus sis ad Episcopum pro prima tonsura, poteris etiam ab eo confirmari; & similiter, si pro Subdiaconatu, poterix ab eo tonsurari; quia, cui conceditur majus, conceditur etiam minus: contra vero, si concedat Minores, vel Ordines tantum, non intelligitur de majoribus, ex cap. 1. *de Temp. Ordin.* ideoque oportet exprimere *Sacros*, vel *Majores*: Croix n. xx39. Secundo, Episcopus dimittens subditum ad alienum Episcopum, non hoc ipso ei dat licentiam dispensandi in quocumque impedimento, quia privilegium non extenditur ultra casum expressum, & a disparatis non fit illatio: Navarr. Sanch. Castr. Dian. & alii contra Gob. apud Croix n. x240. afferentem Regul. Juris, quod *Concesso uno videtur concedi id, sine quo illud concessum non potest subsistere:* Tertio, Dimissus a tuo Episcopo ad determinatum Episcopum peccas adeundo alium Episcopum: nisi vero dimittens non habuerit specialem causam, seu quia ille erat tibi vicinior, aut tu illum petiisti, quia sic in gratiam tui erat designatus, &, quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, ex *Reg. Jur.* Croix n. 2241. & alii: item, si Papa dispensat, ut ordineris extra tempora *A tuo Ordinario tantum*, potes cum hujus dimissoriis ordinari ab alio, quia ly *tantum* indicat, ne ei præjudicetur: Croix n. xx42. Quarto, dimissus, ut ordineris *A quovis Episcopo in propria Diœcesi residente, seu ordinante*, secundum Sanch. Rodr. & alios, nequis ordinari ab Episcopo in aliena Diœcesi cum licentia ordinante; sed secundum Ledesm. Dian. & alios potes; quia tantum intenditur, ne absque licentia fiat in aliena Diœcesi, &, quod fit ex licentia residentis, censetur fieri a residente: Croix n. x246.

Quæres secundo, Quid aliud notandum sit circa dimissorias?

Respondeo: Primo, Si sint indefinitæ quoad tempus, non expirare Sede Vacante, quia sunt gratia facta; durant ergo, donec Successor expresse revocet; in dubio enim non censentur revocatæ, quia talis mutatio, seu correctio est odiosa: Croix n. 2247. addens, quod si dimittens postea curet dici tibi, ne te facias ordinari ab alio, non ideo revocat, sed tantum indicat, non esse necesse: Secundo, Quamvis dimissoriæ exprimant, te esse examinatum, & approbatum, potest tamen Ordinans te adhuc examinare, ut ex Trid. & Decl. S. Congr. probant Bon. Barb. & alii apud Croix n. 2245. Tertio, Episcopus invitatus ad ordinandos subditos alienos, & in aliena Diœcesi potest alios etiam aliunde generaliter dimissos hic ordinare sine speciali licentia: Sanch. & alii ex Decl. S. Congr. & idem est de Subditis Episcopi invitati, qui non indigent dimissorialibus ad ipsum: Croix n. x188. Quarto, In dimissoriis apponenda est causa, cur dimittatis; alias non suffragantur, ex Trid. *sess.* 23. r. 3. & r. 11. *Reform.* Quinto, Concedi non debent ante legitimum examen, & approbationem, ex Trid. *sess.* 23. *c.* 3. *Refor.* qua in re consulenda est consuetudo locorum: Sexto, Concedi possunt etiam sine scriptura, modo constet saltem per testes, ex cap. *Ut circa de Elect. in 6.* si tamen Clericus Ultramontanus ordinetur ab Episcopo Italiæ, requiritur scriptura, ex cap. 1. *de Temp. Ord. in 6.* & quidem ab ejus Nuntio, seu Collectore recognita, juxta jam dicta: Septimo demum, Concedendæ sunt gratis, ex Trid. *sess.* 21. *c.* 1. *de ref.* alibi cit.

§. VI.

De Litteris Testimonialibus.

TESTIMONIALES, seu Commendatitiæ Litteræ dicuntur, *Quæ testantur de natalibus, ætate, moribus, & vita Ordinandi.* Trid. *sess.* 23. *c.* 5. *Reform.* statuit, Primo, ut Tonsurandus habeat bonum testimonium a Parocho, & Magistro scholæ, in qua educatur: Secundo, ut Promovendus ad singulos majores ordines prius per mensem ab Episcopo committendus sit Parocho, aut cui magis videbitur, qui ex publica notitia testimoniales de natalibus, ætate, moribus, & vita reddat Episcopo: Tertio, ex *cap.* 8. Promovendum ab Episcopo alieno afferre debere testimoniales probitatis, & morum a suo Ordinario; secus ordinans suspensus sit a collatione ordinum per annum, & Ordinatus a susceptorum executione, quousque proprio Ordinario videbitur ex dictis c. 1. §. 5. & 6. Hinc

I. Tonsuratus a proprio Episcopo non potest ab Episcopo Beneficii promoveri sine testimonialibus proprii Episcopi tam originis, quam domicilii, & Constit. cit. Inn. XII. Convenit autem, ut Episcopus originis testetur de natalibus, & ætate; Episcopus domicilii, si sit diversus, de moribus, & vita: Croix n. xx51. addens Decl. S. Cong. quod, si quis fuerit absens per plures annos ab Ordinario, informatio de vita, & moribus habenda est ex loco, in quo fuit versatus. Si autem neuter Episcopus testetur de ætate ordinandi, aliqui dicunt sufficere testimonium Parochi, quia cessat periculum fraudis, & Episcopi omittentes præsumuntur, se remittere certitudini alienæ. Alii vero negant ob Const. cit. requirentem tale testimonium determinate ab Episcopo: v. Croix n. x252. Si quis vero afferat dimissorias ab Episcopo originis, non indiges testimonialibus; quia sic dimittens censet aptum, &c. indiges tamen dimittens testimonio ab Episcopo domicilii, si sit diversus. Si Titius certus sit, se fuisse tonsuratum, nec possit juridice probare, sufficit, si juret, ut admitti possit ad ordines, quia, ubi non potest haberi probatio plena, potest admitti privilegiata; potest tamen hæc etiam rejici, utpote non juridica: Croix a n. 2251.

II. Capitulum, Sede vacante, potest etiam primo anno vacationis dare testimoniales suis subditis habentibus aliunde dimissorias, quia id nullatenus prohibetur a Trid. & similiter potest dare licentiam Episcopo extraordinario, etiam nullatensi, exercendi ibi Pontificalia Sede Vacante; ideoque possunt tunc ibi ordinari quotquot habent dimissorias sufficientes a suis ordinariis; & multo magis Religiosi etiam primo anno in loco Sedis Vacantis afferentes dimissorias, & testimoniales ab eis, ad quos spectat: v. Croix n. x260.

III. Pro Regularibus dat testimoniales, non Episcopus, sed Superior Regularis: Barb. ap. Croix n. x255. cujus ratio valet etiam pro Novitiis; nam de aptitudine, vita, & moribus Novitii melius rescit Superior Regularis, quam Episcopus. Quoad scientiam vero, debet præcedere examen Episcopi etiam quoad Religiosos, ex Trid. *sess.* 23. *c.* 1x. *Ref.* Potest tamen Episcopus se remittere examini Superiorum, vel committere aliis. Quod, si Summus

mus Pontifex alicui Religioni (ut Societati Greg. XIII.) post hoc Trid. decr. concessit, ut ejus Religiosi absque examine promoveantur, certe examinare Episcopus non debet. Nota demum, ex S. Congr. ap. Barb. posse Ordinarium committere examen Episcopo, cui committit, & hunc posse etiam a suo examinatum examinare: v. Tamb. *de Ordin. c. 9. in fine*.

CAPUT III.

De Subjecto Ordinum.

SUBJECTUM capax Ordinis debet esse Mas, Baptizatus, & utrumque pertinet ad valorem: ut autem ordinetur licite, debet esse subditus, habens ætatem, & titulum, de quibus capitib. sequ. Item debet esse sine irregularitate, censura, & peccato, de quibus hic pauca.

§. I.

Debet esse Mas, & Baptizatus.

CERTUM est, feminam, & marem non baptizatum esse incapaces cujusvis ordinis, etiam primæ tonsuræ, quia institutio Divina tantum voluit mares, & Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum.

Quæres primo. An Hermaphroditus valide ordinetur?

Respondeo affirmative, Si in eo prævalet sexus virilis; quamvis non esset ordinandus, cum monstruosum sit, hominem, aliquo modo feminam, ordinari: Pal. apud Tamb. Invalide vero ordinatur, si prævalet sexus femininus, cum sic sit simpliciter femina: idemque est, si nullum sexum habet, qualem puerum natum esse testatur Liv. quia vere non est Vir. Si autem uterque sexus æque prævaleat, aliqui affirmant, aliqui negant, valide ordinari, certe illicite, cum sit irregularis: Tamb. Si demum ex viro quis desciscat in mulierem, evadit incapax ordinis, quia secundum præsentem statum femina esse supponitur; quod si antea ordinem suscepit, invalidus fuit cum revera esset femina latens: contra vero, si ex muliere erumpit in virum: Plura de hoc in de Irreg. r. 4.

Quæres secundo, An baptizatus baptismo tantum flaminis, vel sanguinis valide ordinetur?

Respondeo negative, Quia solus baptizatus baptismo fluminis efficitur de corpore Ecclesiæ, eique subjicitur, &c. v. Croix l. 6. p. 1. n. 165. ex Lug. aliisque communissime docentibus, hunc nullius Sacramenti esse capacem.

Quæres tertio: An baptizatus, sed nondum confirmatus, valide ordinetur?

Respondeo affirmative, Quia jam per baptismum est capax. An autem licite sic ordinetur? Bon. Tann. Fol. Avers. & alii dicunt, peccare mortaliter, quia Trid. *sess.* 23. c. 4. *de Confir.* ait, prima tonsura non initientur, qui Confirmationem non susceperint: Suar. Val. Con. Gran. Avil. & alii negant, peccare mortaliter; quia Tridentinum monere potius videtur, quam præcipere: addit Tamb. ne venialiter quidem peccare; sed contradicunt communius, quia est aliqua saltem levis deordinatio.

§. II.

Debet esse sine Irregularitate, Censura, & Peccato.

CERTUM est, peccare graviter sacrilege, si existens in irregularitate suscipias ordinem; imo etiam primam tonsuram, utpote contra grave præceptum Ecclesiæ ex motivo Religionis, sive ea irregularitas erat ex delicto, sive ex defectu: idem est, si suscipias Sacerdotium existens in peccato, vel in excommunicatione, etiamsi occulta, etsi minori, cum sit Sacramentum: idem communissime docent Doctores de Diaconatu: idem communius de Subdiaconatu: idem communiter de Ordinibus Minoribus, utpote Sacramentis (de prima Tonsura videtur venialis quædam deordinatio eam suscipere, & non in statu gratiæ, cum non sit Sacramentum) Eadem dic de interdicto personali speciali: Si autem cum suspensione suscipias alios ordines, non peccas graviter, nisi ei adnexa sit inhabilitas ad eos suscipiendos; quia suspensio præcise accepta prohibet tantum usum præteritorum. Denique probabile est cum Suar. & aliis contra alios, illum, qui suscipit Sacerdotium in excommunicatione, aliave censura, non incurrere irregularitatem, etsi tunc celebret cum Ordinante; quia non est actus distinctus ab ipsa ordinatione, sed ejus complementum.

Quæres, An valide ordinetur Irregularis, vel Censuratus ignotus Episcopo ordinanti?

Respondeo probabilius affirmative, Quia, etsi Episcopus enunciare faciat, se non intendere ordinare Excommunicatos, Irregulares, furtive accedentes, &c. tamen post hanc protestationem solet absolvere ordinandos ab omni excommunicatione ad solum effectum illos ordines suscipiendi; & eam solum ad terrorem enunciat, & præsumitur (nisi oppositum constet) priorem voluntatem mutare, dum actu ordinat: v. Sanch. l. 7. *de Matr.* 16. 11. Addit Sa, verba illa intelligi, *si sciat talem esse*; quare is, quem ordinat, non sciens talem esse, vere est ordinatus: hæc Sa; non tamen omitterem, ait Tamb. conditionatam reordinationem.

CAPUT IV.

De Circumstantiis Ordinationis.

DISCUTIENDA hinc sunt: I. Ætas Ordinandorum: II. Tempora Ordinationum: III. Extra tempora: IV. Interstitia: V. Locus, & reliquæ Circumstantiæ ad Ordinationem requisitæ.

§. I.

De Ætate Ordinandorum.

QUAMVIS olim requirebatur major ætas pro singulis ordinibus suscipiendis, hodie tamen standum est dispositioni Trid. *sess.* 23. c. 12. *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante* 22. *ad Diaconatus ante* 23. *ad Presbyteratus ante* 25. *ætatis suæ annum promoveatur*. Ad primam Tonsuram vero *Ex jure* præsertim ejusdem Trid. c. 4. colligitur, requiri saltem septennium; debet enim habere usum rationis, & scire rudimenta Fidei, & item legere, & scribere: &, licet Gob. & Quintan. putent, posse aliquem præcocis judicii tonsurari ante septennium, tamen standum est juri, & praxi Ecclesiæ: Croix n. 2306. Ad Ordines Minores, etsi multi cum Nav. probabiliter dicant, requiri annum 14. tamen probabilius, & communius apud Leandr. sufficit etiam septennium completum, quia non apparet prohibitio in contrarium: quoniam vero non statim a septennio scit puer, quæ requirit Trid. pro Minoribus, ideo communiter non statim, sed post 12. completum sunt ordinandi. Denique ad Ordinem Episcopalem requiritur annus 30. completus, ex cap. *Cum in cunctis de Elect.* & Bull. Greg. XIV. *Onus*; quamvis in Regno Galliæ ex concordatis sufficiat annus 27. v. Pal. *de Benef.* d. 4. p. 3. n. 1.

Quæres primo, An dicti ætatis anni debeant esse completi, an vero satis sit, si sint inchoati?

Respondeo, Pro Subdiaconatu, Diaconatu, & Presbyteratu satis esse, si sint inchoati saltem per unum diem, quia Trid. cit. non exprimit completionem, & sumus in odiosis: Doctores communiter. Ætas autem hic non numeratur a die conceptionis, nec necessario a die Baptismi, sed tantum a die nativitatis, & quidem ab hora talis diei usque ad diem, & horam præsentem, itaut non detur hic parvitas materiæ. Itaque, qui hodie hora 24 complet annum 21. non potest hoc mane ordinari Subdiaconus, quia nondum inchoavit annum 22. poterit tamen etiam medio quadrante post horam 24. quia jam inchoavit, &c. etsi non possit medio quadrante ante, quia parum non debet hic reputari pro nihilo, cum ex eo pendeat impletio totius præcepti, ut dicitur de media nocte jejunii: Sanch. & alii ap. Croix n. 2309. ubi etiam infertur, quod, si scias, te hodie complere annum 21. sed nescias, an ante, vel post meridiem, ordinari non possis subdiaconus, quia in dubio possidet præceptum, sufficit tamen in dubio attestatio parentum; &, si hi desint, aliæ conjecturæ, & indicia: item aliorum hominum testimonia. Putant hic Pelliz. & alii, posse detrahi dies bissextiles; sed communiter rejiciuntur, utpote contra praxim.

Quæres secundo, An sit valida ordinatio ante legitimam ætatem?

Respondeo affirmative, etiamsi conferatur puero Sacerdotium, aut etiam cum eo Episcopatus (sine Sacerdotio enim est nullus hic Ordo, ut suppono) Ratio est, quia in subjecto etiam puero adest capacitas cujusvis Ordinis, nec deest ex alibi dictis intentio interpretativa. Nec obest, quod Episcopus consecretur in pastorem, ad quod munus puer ratione carens videtur incapax; nam nec videtur capax absolvendi a peccatis, & tamen valide consecraretur Sacerdos: v. Sanch. l. 7. *Consil.* d. 32.

Eadem

Eadem die de perpetuo amente, utpote qui comparatur puero ante usum rationis. Illud hic notandum, puerum sic ordinatum, adveniente deinde rationis usu, non illico teneri ad onera Ordini adnexa, Castitatem, Horas Cannnicas, Impedimentum Matrimonii, &c. sed posse pro libito eligere statum; itant, si velit stare ordini recepto, mox, & in perpetuum teneatur ad onera ei adnexa; si nolit stare, ad nil tenebitur, poteritque ducere uxorem, &c. proindeque manebit etiam suspensus ab exercitio illius ordinis: Doctores communiter cum Sanch. *Ex jur.*

Quæres tertio, An sit licita ordinatio ante legitimam ætatem?

Respondeo cum communi negative, præcisa dispensatione. Et quidem peccat mortaliter tum conferens, tum recipiens aliquem ordinem majorem vel uno die ante ætatem. De prima tonsura, & ordinibus minoribus, quamvis negaverit Heur. esse mortale, tamen etiam affirmant communiter cum Sanch. d. 24. n. 16. quia etiam sic videtur violari lex Ecclesiastica in re gravi, & arguitur etiam ex pœna gravi, qua sic ordinans suspenditur a collatione primæ tonsuræ per annum (ut modo diximus) quæ pœna non infligitur, nisi pro culpa gravi. Ordinatus autem ante ætatem, si bona fide suscepit ordinem, non peccavit quidem, ideoque nec incurrit pœnam suspensionis ab ordine sic suscepto; sub gravi tamen tenetur abstinere ab exercitio talis ordinis, donec ad legitimam ætatem pervenerit; quamvis ea adveniente non indigeat dispensatione, utpote qui erat tantum quasi irregularis ex defectu ætatis, qui per se cessat illius adventu: si autem post talem susceptionem bona fide factam resciens defectum ætatis actum ordinis exerceat, peccat quidem graviter, sed nullam pœnam Ecclesiasticam incurrit. Contra vero, si mala fide suscepit, incurrit ipso facto suspensionem ab ordine sic suscepto; & Tamb. putat, etiam ab aliis ordinibus antea susceptis, quia Bull. Pii II. ait absolute *A suorum Ordinum executione ipso jure suspensus sit.* Itaque absolvi debet a tali censura, &, si cum ea exerceat, &c. fit irregularis, & indiget etiam dispensatione Pontificia, si res sit publica: Episcopali, si sit occulta, juxta dicenda de irr. Addit Croix 2313. quod ordinatus Sacerdotio uno die ante ætatem, putans nihil distare, quod parum distat, si fuit ignorantia culpabilis, peccavit mortaliter. Et quamvis Nav. Sa, Avil. Barb. & alii putent, non incurrisse suspensionem, utpote impositam contra præsumentes, &c. tamen sub mortali tenetur abstinere a Sacerdotalibus ante ætatem: qua expleta Hurt. Barb. Pal. & alii putant, nec indigere absolutione, &c.

Quæres quarto, Quis possit dispensare in ætate ad ordines requisita?

Respondeo, Solum Papam; quia nec concessione universali, nec consuetudine dispensare potest Episcopus, nec Nuncius Apostolicus, ne ad unum quidem diem: D. Anton. Sylv. Sanch. & alii apud Croix n. 2314. addentem, nunc tamen ex speciali Privilegio Episcopos dispensare ad certum tempus, saltem pro beneficio curato, ubi est necessitas, vel utilitas Ecclesiæ. Causæ autem, quæ afferri debent, ut Papa dispenset in ætate ad Presbyterium, sunt, Solatium parentum, dummodo 50. ætatis annos excedant, Doctoratus in Jure Canonico, vel in Sacra Theologia, vel hujus studium triennale: Croix, ex Decr. S. Congr. 1693. 14. Decemb.

§. II.

De temporibus Ordinationum.

SINE dispensatione mortale est ordinare, vel ordinari extra tempora a Jure statuta; & sic ordinatus est suspensus, & inhabilis ad alios ordines.

I. Tempora pro ordinibus majoribus sunt sex tantum Sabbata, hoc est quatuor Sabbata quatuor anni temporum, Sabbatum ante Dominicam Passionis, & Sabbatum Sanctum, ex c. *de eo*, *de Temp. Ordin.* Quod si contingat ob multitudinem Ordinandorum, vel aliam gravem causam non posse absolvi in Sabbato ordines, Sanch. Henr. Sylv. Ros. Tamb. & alii contra Aversam docent, absolvi posse in Dominica sequenti, sed continuandum jejunium ab ordinante, & ordinandis, ut censeatur manere eadem dies; ideoque addit Pal. Episcopum non posse tunc eidem conferre unum ordinem majorem in Sabbato, alterum in Dominica, quia censeretur eodem die: Croix n. 2291. Semper autem conferuntur in celebratione Missæ, ideoque mane; valide tamen,

etsi illicite, extra Missam, cum non deessent essentialia: Sanch. d. 4. contra Sylv. Ang. & alios.

II. Pro Episcopatu est quivis Dies Dominicæ, & non alius dies festivus, ex *c. Quod a Patribus* 71. Sanch. d. 15.

III. Pro Ordin. min. non solum sunt dicta sex Sabbata, verum etiam quivis dies Dominicæ, vel festum de præcepto; etiamsi solum in ea Diœcesi festum celebretur, ut addit Pal. vel etiamsi in sola Civitate, ut addit Tamb. &, quamvis Alex. III. velit, ut dictis Dominicis, & Festis non conferantur, nisi uni, vel duobus, addit tamen Sanch. posse etiam pluribus, quia intentio Pontificis est, ut non appareat ordinatio generalis. Nota hic, quod, quamvis Pontificale Romanum dicat, conferri posse *Diebus Dominicis, & Festivis duplicibus*; tamen Urb. VIII. in novo Pontificali apud Lug. l. 1. *Resp. Moral.* d. 34. addit, ultra Dominicam, *Solis diebus festis de præcepto*: hinc probabilius per festum de præcepto intelligitur, non illud, quod opponitur festo ad libitum, sed quod præcipitur celebrari in foro: Pal. apud Croix n. 2293. & notat Tamb. si dies S. Mathiæ incidat in diem cinerum, adhoc posse conferri ordines minores. Ex generali etiam consuetudine conferri possunt in qualibet vigilia quatuor temporum: Pal. apud Tamb. ubi additur, ex consuetudine conferri posse a prandio, quamvis Pontificale dicat de mane etiam extra Missarum solemnia.

IV. Pro prima Tonsura aptus est quivis dies, & hora ex Pontificali Romano.

§. III.

De Ordinatione extra tempora.

NEc concessione universali, nec consuetudine datum est Episcopis, ut possint dispensare in temporalibus, hoc est, ut quis ordinari possit extra tempora jam explicata. Nuncii Apostolici dispensare solent in his, tantum cum *Arctatis Beneficio*, quod in supplica exprimi debet: quare, si quis non esset beneficio, sed aliunde arctatus, v.g. quia in monasterio deessent Sacerdotes, ordinarie Nuncius non dispensaret, quia in ejus facultate utrumque additur, & ut sit sufficienter beneficiatus, & eo arctatus: Gob.

Ad obtinendam autem a Pontifice facultatem conferendi, seu suscipiendi ordines extra tempora, S. Congr. jussu Papæ decrevit, concedi posse ex his causis: Primo, Si arctatus sis beneficio ad Presbyterium, vel per teipsum inservire possis beneficio, quod obtines, aut Cappellaniæ ad vitam concessæ: Secundo, Ob solatium Patris, vel Matris, dummodo ex dictis excedant 50. ætatis annos, & saltem in Clericatu honeste triennio vixeris: Tertio, Si sis referendarius utriusque signaturæ, familiaris Pontificis, Canonicus Romæ, eorum Coadjutor, Magister, seu etiam Baccalaureus in Theologia, Doctor saltem juris Canonici, seu Licentiatus, dummodo in publica, & approbata Universitate: Quarto, Si saltem per triennium Theologiæ sedulo studueris: Quinto, Si triennio in Clericatu honeste vixeris, & excedas 16. ætatis annum. Tum addit, ejusmodi indulta non danda impeditis ex delicto, nec infra annum sedis Episcopalis vacantis, nisi arctatis beneficio; nec cogi Episcopos ad eorum executionem, sed relinqui eorum arbitrio, & conscientiæ; nec concedi ad titulum Patrimonii, nisi juxta Tridentinum; nec unquam concedi pro festivis diebus continuis, sed semper interpolatis aliquo temporis spatio arbitrio Episcopi definiendo; nec demum limites facultatis præscriptos cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu transgrediendos: v. Croix n. 2295.

Est demum privilegium concessum a Gregorio XIII. *Pium, & utile*, ut Religiosi Societatis Jesu possint licite ordinari extra tempora a jure statuta, tribus Dominicis, aut aliis festis diebus etiam continuis, privative ad alios Religiosos; non obstantibus, &c. Addit tamen Rodr. & alii multi cum Dian. Pal. apud Croix n. 2304. Religiosis, quibus ante Trid. licuit ordinari extra tempora, etiam nunc licere, cum non censeatur per Tridentinum sublatum hoc eorum privilegium; quam sententiam tutam esse in praxi, dicit Avers. & pro suis Clericis Regularibus Minoribus testatur sæpius etiam Romæ, in praxi positam: v. Tamb. l. 7. c. 10. in fine.

§. IV.

De Interstitiis.

INTERSTITIA sunt certa temporis intervalla jure statuta inter susceptionem unius, & alterius ordinis; ita ut non solum gradatim ab inferiori ad superiorem, verum etiam interruptim fiat ascensus. Itaque

Quæres primo, An intercedere debeant interstitia inter Tonsuram, & Ostiariatum, & inter hunc, & reliquos minores Ordines?

Respondeo, Tonsuram, & Ostiariatum non admittere necessario interstitia, adeoque suscipi posse eodem die, cum nullo jure sit prohibitum: Doctores communiter. Quoad minores ordines inter se, Trid. *sess.* 23. *c.* 11. *Refor.* requirit *Temporum interstitia (nisi aliud Episcopo expedire magis videretur) ut in unoquoque munere instruantur, & exerceantur, &c.* cum ergo non determinetur intervalli spatium, addatque, *Nisi aliud, &c.* ideo prudenti Episcopi arbitrio remittitur. Hinc, ut prima tonsura, & duo, vel etiam quatuor ordines minores simul, & eodem die suscipiantur, potest Episcopus dispensare ex causa (& sufficere hic qualemcumque, dicit Aversa apud Tamb.) imo, ubi est consuetudo, posset sine causa, quia huic consuetudini non derogavit Tridentinum: Tamb. ib.

Quæres secundo, An, & quæ intercedere debeant interstitia inter ordines minores, & majores, & inter majores inter se?

Respondeo, Ex Trid. *sess.* 23. *c.* 11. *cit.* inter minores, & majores debere intercedere annum, *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat:* Item annum inter Subdiaconatum, & Diaconatum: *Nisi aliud Episcopo videatur*, ex *c.* 13. Item annum integrum inter Diaconatum, & Presbyteratum, *Nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videatur*, ex *c.* 14. Annus hic ex communi sententia est Ecclesiasticus, v. g. a Sabbato quatuor temporum Quadragesimæ ad idem Sabbatum Quadragesimæ sequentis anni, quamvis non intercessissent 12. menses integri: Potest etiam intelligi annus naturalis, ideoque, si intercesserint 12. menses, quamvis annus Ecclesiasticus non finierit, adhuc poteris ordinari: Pasqual. apud Tamb. apud quem tamen non probatur, quod ille addit ex quodam Responso Pontificis, satis scilicet esse, si intercesserint quatuor intervalla temporum, ideoque ordinatum Sabbato Sancto posse anno sequenti ordinari Sabbato quatuor Temporum Quadragesimæ, cujus appendix tantum, & complementum est Sabbatum Sanctum. Demum inter Sacerdotium, & Episcopatum de jure communi nulla est necessitas, ut intercedat dies; ideoque Pal. Gob. Sanch. putant, posse suscipi eodem die Dominico; sed melius negant Suar. Barb. Aversa & alii, quia eodem die his celebraret: Croix n. 2296.

Quæres tertio, sub qua culpa, & pœna servanda sint interstitia?

Respondeo, Qui (præcisa Dispensatione, Privilegio, vel Consuetudine) suscipit ordinem non servatis interstitiis, peccare graviter; quamvis nullam incurrat suspensionem, aut irregularitatem, utpote nullibi statutam: Doctores communiter. Qui autem eodem die susciperet duos ordines majores, est suspensus ipso facto ab exercitio saltem ordinis ultimo suscepti, & reservatur Papæ, ex *cap. Literas, de Temp. ordin.* imo secundum Pal. etiam utriusque, si faceret inscio ordinante, quia tunc furtive ageret. Quod si seriem non servet, v. g. si fiat Diaconus, antequam sit Subdiaconus, ex dictis manet suspensus; quia per saltum ordinatur: Pal. Croix n. 2302. ex c. *Un. de Cl. prom. per salt.* Denique veniale tantum est suscipere tonsuram, & ordines sine prævia Confirmatione: Croix.

Quæres quarto, Quis dispensare possit in Interstitiis?

Respondeo, Posse Episcopum ex Trid. cit. & quidem Episcopum proprium, sive sit originis, sive beneficii, sive domicilii. De Episcopo familiaris triennalis negat Pal. affirmat Aversa uterque probabiliter; sed hic probabilius apud Tamb. §. 2. Capitulum autem sede vacante tunc solum potest in his dispensare, cum potest dimissorias concedere: Tamb. Qui ergo ab his accepit dimissorias ad alienum, non potest ordinari ab eo non servatis interstitiis, nisi in dimissoriis addatur; *Etiam non servatis interstitiis;* quia ordinat ex commissione, & tanquam delegatus: Sanch. & alii communiter ex declaratione S. Congr. apud Croix n. 2299. Similiter, si hic alter Episcopus haberet facultatem ordinandi suos extra tempora, & non servatis interstitiis, non ideo posset hunc dimissum; quia, quamvis hic ei subjiciatur quantum ad actum ordinationis, non tamen ad alium effectum dispensationis, vel jurisdictionis; Croix ib. Nuntii Apostolici, & Legati a latere communiter dispensare solent in temporalibus, & interstitiis, cum arctatis beneficio; quod in supplica exprimi debet. Nota demum, solum Papam dispensare, ut eodem die plures ordines majores suscipiantur, ex Trid. *c.* 15.

Quæres quinto, Quæ sint causæ dispensandi in interstitiis, & quomodo intelligenda verba dispensationis?

Respondeo: Primo, Sufficere qualemcumque causam, imo, ubi est consuetudo, etiam nullam, ut tonsura, & ordines minores simul, & eodem die suscipiantur. Secundo, Ut Acolythatus, & Subdiaconatus eodem die conferantur (in quo etiam posse dispensare Episcopum, docent Sanch. d. 55. & 56. & alii) requiritur *Necessitas, aut Ecclesiæ utilitas*, ex Trid. cit. Tertio, Ut duo ordines majores eodem die suscipiantur, Episcopus dispensare nequit, sed tantum in interstitiis annuis, & quidem cum causa, quam certe requirit quævis dispensatio proportionatam; minorem vero inter Subdiaconatum, & Diaconatum; majorem inter Diaconatum, & Sacerdotium, quia ibi Trid. tantum dicit: *Nisi aliud Episcopo videatur;* hic vero *ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem.* Itaque pro dispensatione interstitii inter Diaconatum, & Presbyteratum requiritur copulative necessitas, & utilitas Ecclesiæ, adeoque non sufficit sola utilitas: inter Subdiaconatum, & Diaconatum non requiritur necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, sed sufficit quævis rationabilis causa arbitrio Episcopis: inter Minores, & Subdiaconatum requiritur disjunctive, vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ.

Necessitas autem hic accipitur moraliter, & cum aliqua latitudine, ut si desint Ecclesiæ Ministri; vel si habeas Beneficium, vel Cappellaniam, cui debeas inservire, cum minus decens sit officium præstari per interpositam personam. Utilitas autem, si pauci sint boni Ministri, sive in tota Civitate, sive in aliqua peculiari Ecclesia; vel si tibi sint magnæ litteræ, aut virtus insignis; vel præsumeris aptius inservire Ecclesiæ, vel si vaces studiis in aliqua Universitate, ut scilicet media celebratione missarum te ibi sustentare possis: v. Tamb. §. 2. ap. Croix n. 2297. ubi etiam addit, causas sufficientes pro dispensatione extra tempora multo magis sufficere pro dispensatione in solis interstitiis. Nota denique, quod si dispensatio dicat, *Ad tres ordines majores tribus diebus festivis accipiendos non servatis Interstitiis*, intelligendum de tribus diebus festivis, non continuis, sed interpolatis aliquo die feriali; probabile tamen est, sufficere festum duplex, etsi non celebretur in foro, sed in choro tantum, & ad libitum.

Quæres sexto, An Superiores Regulares dispensare cum suis subditis possint in interstitiis, & quinam habeant in his Privilegium Papæ?

Respondeo, Bon. Vasq. Henr. Less. & alios cum Dian. negare ex declarat. quadam S. Congr. Econtra vero Suar. Sanch. Pasq. & alios affirmare, cum nomine Episcopi in Tridentino cit. veniant etiam, qui habentes jurisdictionem quasi Episcopalem tribuunt dimissorias suis subditis: utrique probabiliter apud Tamb. cit. etsi moneat Suar. ex modestia Religiosorum fieri, ut Superiores in suis dimissoriis rogent Episcopos; ut in his dispensent cum suis Religiosis: causam autem dispensandi requirendam a Superioribus, cum ipsi norint necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ suæ, ut addit Tamb. Ex privilegio autem Pontificio Religiosi Societatis Jesu ordinari possunt extra tempora statuta, & non servatis interstitiis, etiam tribus diebus festis continuis. Requiritur tamen licentia Provincialis, ut dispensentur in interstitiis; Generalis vero, ut dispensentur in extra tempora; ex *Comp. Privil. v. Ordines.* Cæteri Religiosi suam praxim, & privilegia consulant.

§. V.

De Loco, & reliquis Circumstantiis Ordinationis.

QUÆRES primo, An possit licite Episcopus ordinare extra suam Diœcesim?

Respondeo, Trid. *sess.* 6. *c.* 5. *Ref.* sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium prohibere, *Pontificalia in alterius Diœcesi exercere;* intellige, sine licentia Ordinarii illius diœcesis. Hinc, quamvis Azor. Henr. & alii cum Busemb. putent, posse Episcopum etiam in aliena diœcesi absque speciali licentia conferre suo subdito primam tonsuram, utpote quæ non est ordo; tamen melius contradicunt Barb. Avers. Sanch. d. 50. quia tonsurare est actin

Ponti-

Pontificalis: Croix n. 2305. Similiter nec Abbas potest extra suum monasterium tonsuram suis conferre. Contra vero quivis Episcopus, etiam titularis, si licentiam habeat ab Ordinario loci exercendi ibi Pontificalia, potest ibidem ordinare quoscumque sive suos, sive non suos ad se tamen dimissos: Croix n. 2188.; qui n. 2246. ex Led., Dian. contra Gutt., Rodr., Sanch. idem probabiliter ait, etiamsi dimissoriæ dicant, *A quovis Episcopo in sua diœcesi residente, seu ordinante*; quia, quod fit ex mandato, vel licentia Residentis, censetur fieri a Residente. Addit demum n. 2189., quod Episcopus ex licentia Ordinarii ordinans in aliena diœcesi, si ordinet ejus subditos, deberet sequi ejus statuta quoad ordinandos; secus vero, si suos, vel alienos ad se dimissos, quibus sufficit, si habeant requisita illius diœcesis, unde sunt dimissi.

Quæres secundo, An licite possit Episcopus ordinare extra Ecclesiam?

Respondeo, Tonsuram, & Ordines minores conferre posse etiam extra Ecclesiam in quovis loco decenti. Pro aliis sic statuit Trid. *sess. 23. c. 8. Ref. Ordinationes Sacrorum Ordinum in Cathedrali Ecclesia ... publice celebrentur: Si autem in alio Diœcesis loco ... dignior, quantum fieri potest, Ecclesia semper adeatur*. Itaque nequit Episcopus in quavis Ecclesia suæ Diœcesis eos conferre, sed vel in Cathedrali præsentibus Canonicis, vel in Ecclesia digniori alius loci Diœcesis præsente illius loci Clero: Sanch. dub. 50. n. 3.

Quæres tertio, Quæ sint reliquæ circumstantiæ?

Respondeo: Primo, ante ordinationem debent ex Trid. fieri publicæ proclamationes ordinandi, & item hunc alicui Ecclesiæ, aut pio loco adscribi, ubi suis fungatur muneribus; *Et, si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur*, quam pœnam videt esse ferendæ sententiæ, & passim ab Episcopis dissimulari: Croix n. 2317. Item secundum Pontificale Romanum apparatus ordinandorum est hic: Tonsurandus habere debeat suum superpelliceum super brachium sinistrum, & candelam in manu dextera: Minorandus indutus superpelliceo cum candela in manu: Subdiaconandus indutus amictu, non tamen super caput, alba, & cingulo, manipulo in manu sinistra cum tunicella in ejus brachio, candela in manu dextera: Diaconandus amictu, alba, cingulo, & manipulo paratus, stolam in sinistra manu, candelam in dextera, dalmaticam supra brachium sinistrum tenet: Presbyterandus, amictu, alba, cingulo, stola, & manipulo paratus, tenet planetam super brachium sinistrum complicatam, & in dextera candelam, insuper mappulam albam pro ligandis manibus: Secundo, In ipsa ordinatione Ordinans, & Ordinandus ante Sacros Ordines debent esse jejuni (illo tamen die, non pridie) cum communicare debeant ex dictis c. 1. §. 4. Ad Minores Ordines, & ad Tonsuram non requiritur jejunium, cum sæpe conferatur post prandium. Illud non omittendum, quod Presbyterandus, cum ex Ritu, & Consuetudine Ecclesiæ consecret cum Episcopo (ut ex decr. Innoc. III. ostendit Mendo contra Dur., Sot., & alios) ideo curare debet, ut verba consecrationis absolvat simul cum Episcopo, nec ante, nec post; unde habere debet hanc intentionem, *Si verba absolvero simul cum Episcopo, volo consecrare, alias non*: Suar., Aversf., & alii: sufficit etiam, si velit facere, quod ibi vult fieri Ecclesie, aut meliori modo, quo potest. Docent tamen Gob., & alii contra alios, non esse obligationem saltem gravem consecrandi cum Episcopo, cum nulla lex graviter obligans ostendi possit: v. Croix n. 2322., qui addit, quod, etsi possit eam missam offerre pro alio, non tamen videtur pro ea accipere posse stipendium, cum sæpe dubium sit, an ipse consecret. Tertio, De Nocturno dicendo post ordinationem, vide dicta c. 1. §. 4., & de Missis etiam ab Episcopo tunc Sacerdotibus impositis, v. in de Missæ de Sacrif. c. 4. §. 3.

CAPUT V.

De Titulo Ordinandorum.

Ut quis licite ordinetur in Sacris, requiritur ex jure communi Titulus, vel Beneficii, vel Patrimonii, seu Pensionis, vel Paupertatis Religiosæ: Idque, etiamsi quis ordinetur ab Episcopo ratione servitutis triennalis, ut docent Barbof., & alii contra Vasq. apud Pal. p. 55. n. 6. Imo alteruter ex prioribus titulis in Provincia Neapolitana requiritur etiam ad primam tonsuram, & ordines minores. Si autem modicum desit summæ ad titulum requisitæ, curandum non est, ait Sanch. ap. Croix n. 2276.

§. I.

De Titulo Beneficii.

Trident. *sess. 21. c. 2. Reform.* statuit: Ne quis *deinceps Clericus Secularis ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.*

Si ergo beneficium non sit sufficiens (deductis oneribus) ad victum honestum, seu congruum qualitati, si minus personæ, certe status sacri, non potes licite ordinari; itaut nequeat dispensare Episcopus: Croix n. 2287. An autem suppleri possit defectus talis beneficii per adjectionem patrimonii? est distinguendum; nam Ordinarius potest cum suo Subdito facere combinationem tituli ex beneficio, & patrimonio, ut habet praxis apud nunes; at Bull. Innoc. XII. *Speculatores* prohibet, id fieri posse ab Episcopo cum non subdito, nisi ratione talis beneficii in ejus diœcesi acquisiti: Croix n. 2280. Hinc, si Neapolitanus origine habeat beneficium tenue in Diœcesi Nolana, & ad constandum titulum adjiciat partem patrimonii, quod habet in Diœcesi Capuana, hic titulus potest per se loquendo approbari ab Ordinario Neapolitano, vel Nolano, non autem Capuano; praxis tamen habet, ut Capuæ fiat instrumentum de ea parte, & tum Neapoli approbetur in titulum: Croix n. 2281.

Quæres primo, An beneficium, ut sit titulus sufficens, debeat actu pacifice possideri?

Respondeo affirmative, Ex verbis Trid. cit. Hinc non sufficit, te esse Nominatum, Præsentatum, Postulatum, seu Electum, seu spem certem illius habere, quia non actu possides: Doctores communiter contra Sayr., Majol., & Gloss., quorum sententiam, stante Trid. cit., non censet Pal. posse sustineri; quamvis apud Croix n. 2273. secundum eam procedant communiter Episcopi, si sincere putetur, quod non sit impedienda possessio. Debet insuper talis possessio esse pacifica, ex Trid. cit. alias non haberes titulum certum; quare, si super eo mota sit lis, sive de jure, sive de facto, non poteris ea durante ordinari: nisi vero lis mota sit super aliqua tantum parte fructuum, itaut reliqua sufficiat ad honestam sustentationem, ut bene limitat Barb. apud Pal. t. 27. d. 27. p. 10. n. 8. At quid, si lis mota sit, non supra proprietatem beneficii, sed supra possessionem? Rebuf., Menoch., & alii putant, te posse ordinari, quia sic non censetur beneficium litigiosum; sed negant Barb., Pal., & alii communius, quia pacifica possessio requisita a Trid., non de proprietate, sed de possessione ipsa videtur debere intelligi; & insuper judicium petitorium semper imitatur possessorium, ex *cap. Significaverunt, de Testibus*. Illud certum, beneficium actu pacifice possessum sufficere, etsi primo anno non percipias fructus, vel nonnisi cum ascenderis ad Presbyteratum, ut ex Sacr. Congr. docet Garz. apud Pal. n. 6.

Quæres secundo, Quid veniat hic nomine beneficii?

Respondeo, Venire jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter officium spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum, ex cap. *Relatum, de Præb.* & quidem debet esse perpetuum, non solum in persona provisa (cujusmodi est etiam pensio, de qua §. 2.) sed etiam in seipso, itaut nunquam possit extingui, sed tantum vacare. Hinc non potes licite ordinari ad titulum Cappellaniæ manualis, vel Vicariæ temporalis, quia removeri potes ad arbitrium dantis: Doctores communiter contra Gonzal., & alios apud Croix n. 2269. putantes, posse, si ab ea nemo soleat removeri, nisi concessa alia provisione; sed immerito imponitur hoc onus patrono: Pal. n. 4. Neque dicas, etiam beneficiatum removeri jure posse a beneficio ob crimen enorme; nam id oritur præcipue ex ejus libertate, qua vult delinquere, & non ex arbitrio alterius: Croix ibid. Item nequis licite ordinari ad titulum coadjutoriæ cum futura successione, quia potest proprietarius supervivere, adeoque spem solam habes, eamque incertam: Doctores communiter contra Nev., Sanch., & alios: quorum sententiam tunc solum approbant Garz., Pal., & alii communiter, cum pars sustentationis tibi in perpetuum titulum sit assignata; sic enim potes ordinari ad titulum pensionis.

Quæres tertio, An beneficium, cujus titulo es ordinatus, possis deinde resignare, &c.?

Respondeo Trid. cit. ita statuere: *Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur,*

nisi constito, quod aliunde vivere commode possit: aliter facta resignatio nulla est. Itaque tunc solum poteris licite, & valide resignare, cum adest ea duplex conditio, & quod *mentionem facias, &c.* & quod *aliunde habeas*, &c. Si autem resignes sub pensione sufficienti ad honestam substentationem, Nav., Rodr., & alii putant, non oput esse *Fieri mentionem*, &c., quia non est plena resignatio, & aliunde satisfacit intentioni Trid., ne scilicet mendicare cogaris: sed oppositum dicendum cum Pal. n. 10., & aliis communius; quia intentio Tridentini est, ut id, unde vivere commode possit, vinculetur eisdem conditionibus Tituli, ac erat Beneficium, cui non satisfit, si *mentio non fiat, &c.* Croix n. 2286. idem docent Pal., & alii communiter de permutatione cum alio beneficio: qua in re non censetur legitima opposita decisio S. Congr. ap. Barbos. Idem de hypotheca, seu obligatione fructuum beneficii, vel in subsidium aliorum bonorum, quia hypotheca est quædam virtualis alienatio, Arg. *l. ult. C. de reb. non alienand.*

An autem valet tibi tale beneficium, si contra dictam Tridentini formam resignaveris? Distinguendum est cum Pall. n. 10., & aliis: & negandum, si aliunde habeas honestam substentationem, quia nullibi hæc vacatio cauta est in tali casu; affirmandum vero, si aliunde non habeas honestam substentationem, quia sic Ordinarius resignationem admittens tenetur tibi alimenta præstare, & beneficium illud remanet providendum a Superiore, ex Bull. Pii V., & Decr. S. Congr. ap. Pal. n. 12. Hinc, si post Subdiaconatum contra Trid. formam resignaverit, poterit super eodem titulo promoveri ad Superiores ordines in primo casu: secus vero in secundo: Croix ibid.

§. II.

De Titulo Patrimonii, seu Pensionis.

TRID. cit. addit.: *Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum; Eo quoque prospecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam substentandam satis sint.* Hinc, quamvis Episcopus teneatur ordinare eum, qui habet titulum beneficii de se sufficientis; non tamen eum, qui accedit cum titulo patrimonii, vel pensionis, etiamsi in supplementum defectus Beneficii insufficientis; nisi necessitati, vel commoditati suarum Ecclesiarum judicaverit expedire: Pal. p. 11. n. 1.

Quæres primo, Qualis debeat esse pensio, ut possit quis eo titulo ordinari?

Respondeo, Debere esse sufficientem ad honestam substentationem, & insuper perpetuam ad vitam ipsius ordinandi. Hinc non sufficit assignatio mensæ Episcopalis, ex Declar. S. Congr. apud Croix n. 2271., quia onus alendi ordinatum non potest imponi successori; addit tamen Croix, sufficere: si consentiat Capitulum, quod censetur facere, si sciat, & non contradicat; v. ibidem: similiter sufficit titulus alicui erectus a Monasteriis, vel Collegiatis, si adsit consensus Capituli, nec tunc requiritur hypotheca specialis, cum bona Ecclesiarum nequeant regulariter alienari: Engel. apud Croix n. 2270. Contra vero non sufficiunt Pitantiæ, aliave emolumenta, quæ exercitio suorum ordinum habere quis posset, quia per infirmitatem, vel aliam causam involuntariam impediri omnino ab iis posset; idque, etiamsi Episcopus se obliget supplere, quidquid postea defecerit, quia potest præmori ordinato: Pal. p. 10. n. 3. Idem a fortiori dicendum cum communi contra Henr., Avil., & alios de emolumentis ratione Doctoratus, Theologiæ, Scholæ, Musicæ, &c. ex decr. S. Congr. apud Croix n. 2275.

Quæres secundo, Quale debeat esse patrimonium, ut possit quis eo titulo ordinari?

Respondeo, Debere esse aliquid stabile, puta agros, domus, emptiones super arrendamenta, census, bancos, & similia, juxta constitutiones synodales; ideoque non esse quid Ecclesiasticum, quamvis gaudeat privilegio fori Ecclesiastici, quamdiu est titulus ordinati. Census etiam redimibiles censentur immobiles, si adhibeatur ea cautio, ut, si redimantur, pecunia ex Judicis decreto deponatur apud idoneas personas, ut iterum constituatur census: Pal. p. 11. n. 9., & alii contra Bon., & alios. Porro titulus patrimonii debet ordinarie assignari cum obligatione reali, & hypotheca, itaut transeat cum re ad quamcumque personam jure ordinario hypothecæ: Croix n. 2270., ideoque ordinarie cavetur, ne obligatio fiat tantum bonorum in genere, sed fiat in specie, & per instrumentum assignationis cum judicio Episcopi de ejus sufficientia; quare non satis est, si fiat in solis syngraphis, vel instrumentis per notarium tantum, & testes subscriptis: v. Croix n. 2279. Hinc, si Titius accipiens titulum patrimonii a Communitate obligante tantum in communi sua bona, & metuens, ne rejiciatur ab Ordinario, curet in instrumento assignationis exprimi hypothecam, etiam specialem, inscia Communitate, illicite ascendit ad ordines; nisi vero Ordinarius soleat admittere hypothecam tantum generalem: v. Croix n. 2285. permittit tamen n. 2272. ex Jord., & aliis, mentem Trid. esse, patrimonium constitui debere super aliquid certum, determinatum, & irrevocabile: subdit demum ib. ex Barb., quod, si urgeat penuria Sacerdotum, sufficiat ad titulum, si quis etiam privatus promittat, se subministraturum omnia Ordinando, quia minus videtur hoc damnum, quam illud. Denique pro titulo patrimonii non sufficit, quod filius certo expectet legitimam pinguem a patre, quia eam non actu pacifice possidet. Si tamen pater sit dives, potest filius eum adstringere, ut sibi patrimonium irrevocabiliter assignet pro titulo: Pal. n. 2. Hoc autem assignatum negant multi debere computari in legitimam, cum sit veluti donatum filio ad substentationem quotidianam; sed verius affirmant Pal. ib., Mol., Garz., & alii, quia bona talia non alienantur, sed redeunt ad hæredes; ergo censentur esse legitima.

Quæres tertio, An possis alienare patrimonium, seu pensionem, cujus titulo es ordinatus?

Respondeo, Trid. cit. ita subdere: *Atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. Antiquorum Canonum pœnas super his innovando.* Hinc absque licentia Episcopi nullatenus potes patrimonium, vel pensionem vendere, permutare, hypothecare, transigere, dividere, dare in solutum, &c., quia hæc omnia alienationes reputantur: Pal. p. 11. n. 9., & alii. An autem sint non solum illicitæ, sed etiam invalidæ ejusmodi alienationes factæ absque licentia Episcopi? Distinguendum est: si enim fiant, antequam habeas, unde stabiliter vivere possis, jure communi probabilius sunt nullæ; quia, quamvis Trid. non apposuerit hic clausulam expresse irritantem, ut in resignatione beneficii, tamen apposuit illam virtualiter sub illo adverbio *nullatenus* possint, quod omnem potentiam tollit: Pal., & alii communius contra Suar., Ledesm., & alios: si autem fiant ab habente, unde commode vivat, probabilius, & communius sunt validæ jure communi, quia licentia Episcopi requiritur *donec*, &c., ergo, si habeas aliunde, non videtur ex Trid. requiri ad valorem; requiritur tamen, ut actus sit licitus, ad erigendum scilicet novum titulum, & Jure Synod. hujus Provinciæ Neapolitanæ in utroque casu requiritur, ut actus sit validus. Episcopus autem dans hanc licentiam est Ordinarius domicilii, vel loci, ubi patrimonium situm est, vel originis, sicut ad ordines: Pal. n. 13.

Quæres quarto, An, si accepisti patrimonium ad ordines sub pacto, & conditione, ut donanti reddas totum aut partem, vel eo non utaris, &c., tenearis hanc conditionem implere?

Respondeo, Circa hoc punctum nihil disponere Jus speciale Synod. Neapolitanæ. Loquendo ergo de jure communi, dico cum distinctione: si enim tibi detur patrimonium sub obligatione reddendi, &c., cum beneficium sufficiens fueris adeptus, vel aliunde habeas, unde vivas, teneris conditionem implere; quia in eo casu nulla tibi obligatio imponitur jure communi irrita: Garz., Pal. n. 16., & alii; idemque est de pacto reddendi illud post mortem: Croix n. 2283. Si autem detur tibi patrimonium sub obligatione, &c., tametsi nec beneficium, nec aliud habeas, unde vivas, Nav., Henr., Rodr., Tol., & alii docent, susceptis ordinibus, pactum illud evadere nullum, utpote in præjudicium Episcopi, & Ecclesiæ. Avil., Suar., Sanch., & alii multi docent, esse validum, quia res non fuit absolute donata, sed ad summum accommodata pro aliquo tempore, nec poteras ejus dominium acquirere, nisi pro voluntate donantis. Pal. n. 15. melius distinguit, tripliciter posse constitui tale patrimonium fictum: Primo, Sub pacto, & conditione, ne donatum petas, neve illo utaris; ideoque verbo tenus, & absque intentione donandi: Secundo, Sub intentione donandi, sed pro limitato tempore, adeoque proprie commodandi:

Ter-

Tertio, Sub intentione quidem absolute donandi, sed sub onere retrodonandi: Primo, & secundo modo valet secunda sententia: tertio modo valet prima sententia; in foro tamen externo rescindenda est illa retrodonatio in pœnam Donatoris intendentis decipere Episcopum, & Ecclesiam: v. Pal. cit.

§. III.

De titulo Paupertatis Religiosæ.

SOLI Religiosi professi, ex Bul. Pii V. *Romanus*, & Religiosi Societatis Jesu post vota simplicia biennii novitiatus ex Bul. Greg. XIII. *Ascendente*, promoveri possunt ad Sacros Ordines titulo Paupertatis valide jam voto Deo, & perpetuo ex se duraturæ.

Hinc Novitii non possunt licite ascendere ad Sacros Ordines, nisi eitulo beneficii, aut patrimonii, vel pensionis; quia secus ordinarentur absque ullo titulo. Possunt tamen licite suscipere primam tonsuram, & ordines minores; quia ad hæc jure communi non requiritur titulus, & illi gaudent privilegio exemptionis a jure speciali Synodali. Quod autem S. Greg. *l. 8. ep. 23. de admissis ad Religionem*, dicit: *Nullo modo audeant tonsurare, priusquam biennium in conversione compleant*; sensus est, quod, ubi consuetudo est biennii pro novitiatu, non debeant ante hoc completum admitti ad tonsuram Monachalem: Sanch. l. 6. *Decal.* c. 10. n. 19.

Invalida autem professi ob aliquod impedimentum, &c. Neque possunt licite ascendere ad Sacros Ordines titulo paupertatis, ut docent omnes ex *eadem Bull. Pii V.* Item ejecti, sive erant in Sacris titulo paupertatis, sive quovis alio titulo, manent perpetuo suspensi, & a solo Pontifice relaxandi, ex *Decr. S. Congr.* apud Donat. t. 2. p. 2. Religiosi autem dimissi e Societate, si ordinati erant titulo paupertatis, quamvis possint in suscepto Ordine ministrare, non tamen possunt ad Superiores Ordines ascendere sine novo titulo beneficii, vel patrimonii, seu pensionis; nec Societas tenetur eos alere, &c. uti nec Episcopus tenetur alere Sacerdotem a se ordinatum titulo beneficii, si ob aliquod crimen jure eo privetur. Croix n. 2088.

§. IV.

De pœnis Ordinationis absque titulo.

VIDENDUM primo, De pœnis jure communi: Secundo, De pœnis jure speciali.

Jure communi, in Concil. Calcedon. relato in cap. *Neminem*, & in Concil. Placent. relato in cap. *Sanctorum d. 70.* irrita (hoc est suspensa ab exercitio) erat ordinatio absque titulo. Deinde ab Alex. III. in cap. *Episcopus*, & ab Innoc. III. in cap. *Cum secundum*, *de Preben.* sublata hæc pœna statutum fuit, ut Episcopus ita ordinans teneatur alere ordinatum, donec ei provideat de beneficio, nisi is habeat, unde commode vivat; quam legem Bonifacius VIII. in cap. *Si Episcopus*, *de Preb.* in 6. explicans definivit, ut intelligatur de ordinatione per commissionem, itaut, si Episcopus committens signavit ordinandos, teneatur ipse alere: si vero non signavit, teneatur Episcopus, cui fit commissio. Denique Trid. sæpe hic cit. statuit, quæ jam §§. ant. diximus, in quorum fine addit: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando*.

Quæres primo, Quas pœnas incurrat Episcopus culpabiliter ordinans aliquem absque titulo?

Respondeo, Incurrere obligationem providendi ordinato de beneficio sufficienti, & interim omnia necessaria subministrandi, ex cap. *Episc.* & cap. *Cum secundum* cit. quod aliqui cum Flam. extendunt, etiamsi ordinatus patrem habeat divitem; sed rectius Barb. Pal. p. 12. n. 1. negant, quia sic absolute non eget, cum jure naturæ debeantur ei alimenta paterna, & bona Ecclesiæ solum debeantur in subsidium egenorum, ex cap. *Clericos* 1. q. 2. Si autem inter Ordinantem, & Ordinatum intercesserit pactum, ut is illum non sit molestaturus super beneficio, & alimentis debitis, ordinans suspenditur triennio a collatione ordinum, cap. pen. *de Sim.*

Quæres secundo, Quas pœnas jure communi incurrat ordinatus absque titulo?

Respondeo cum distinctione: Si enim pactus sit cum ordinante, vel præsentante, de non petenda congrua substentatione sibi debita, suspenditur ab exercitio ordinis sic suscepti, cap. *Per tuas*, & cap. pen. *de Sim.* Si id pactus non sit, Sa, Tol. Henr. Tamb. & alii putant, non incurrere suspensionem; quia hæc pœna lata jam cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum* cit. sublata fuit cap. *Episcopus*, & cap. *Cum secundum* cit. nec videtur a Trid. cit. restituta, cum ejus expressam mentionem non fecerit: sed rectius contradicunt Suar. Barb. Pal. Bon. & alii; quia Trid. cit. non solum pœnam, sed pœnas antiquorum canonum innovat, & in cap. *Episc.* & cap. *Cum secundum*, una tantum pœna adversus ordinantem infligitur; ergo dicendum, innovari etiam pœnam adversus ordinatum statutam cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum*. Idem docent Suar. Laym. Bonac. Sanch. & alii plures contra Pal. & alios, si ordineris titulo ficto, itaut solus tu, & non ordinans peccet, quia cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum* cit. imponitur suspensio ordinatis sine titulo, sive scienter, sive ignoranter; cum ergo titulus fictus sit nullus, sequitur, &c.

Quæres tertio, Quas pœnas jure speciali incurrat, qui ordinatur absque titulo, vel titulo ficto?

Respondeo, Novitios, si ordinentur in Sacris titulo paupertatis, incurrere suspensionem; &, si sub ordine sic suscepto ministrent, irregularitatem, ex *Bull. Pii V.* cit. Idemque est, si sic ordinetur in Sacris, qui emisit professionem invalidam: item Professus, si ejiciatur e Religione, manet perpetuo suspensus: Secundo, Ultramontani omnes, vel nati extra Italiam, si ordinentur intra Italiam cum patrimonio ficto, suspensionem perpetuam incurrunt, nonnisi a Pontifice relaxandam, ex Bul. Urb. VIII. *Secretis*: Tertio, In Synod. Neapol. statuta est suspensio ipso facto a susceptis contra eos, qui falsum, fictum, aut fiduciarium patrimonium ad ordines suscipiendos subjecerint: Item contra eos, qui patrimonium, aut beneficium, cujus titulo sunt ordinati, alienaverint, aut resignaverint, non subrogato alio sufficienti patrimonio, vel beneficio facultate Ordinarii: & in Tabell. additur, ex dicendis infra, reservatus casus cum excomm. in Clericos exhibentes ejusmodi patrimonium, non absolvendos, nisi constituto reali patrimonio, & causa discussa: item contra constituentes, aut consulentes, aut quomodolibet cooperantes ad ejusmodi patrimonium quomodocumque fraudulentum, etiam ad primam tonsuram præsentandum.

Quæres quarto, quodnam dicatur patrimonium falsum, fictum, aut fiduciarium?

Respondeo, Dici falsum, seu fictum, cum bona assignata revera non sunt, vel non sunt propria ordinandi, sive in totum, sive quoad partem notabilem: fiduciarium autem dici, cum bona possidentur cum prævio pacto non exigendi fructus annuos, vel retrodonandi, vel quomodolibet retrocedendi, sive in totum, sive quoad partem notabilem, ante obitum provisi. Hoc autem confingere, præsentare, &c. mortale est ex toto genere: idemque est, si patrimonium, seu pensionem, cujus titulo es ordinatus, vendas, permutes, &c. v. Tamb. l. 7. c. 7. §. 4.

Huc usque de V. Tractatu Theologico-Morali dicta sint satis.

TRACTATUS VI.

Theologico-Moralis

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.



SALUBERRIMUM hoc Sacramentum varie appellatur a PP. & Conciliis; nempe Secundus Baptismus, Secunda Tabula post naufragium, Sacramentum Reconciliationis, Absolutionis, Exomologesis, seu Confessionis, sed præcipue Pœnitentia, ob contritionem, vel attritionem, qui sunt actus proprii hujus Virtutis. Hinc Theologi loquuntur hic de Pœnitentia, & ut Virtus est, & ut Sacramentum, nam ut virtus communis est omni legi etiam scriptæ, & naturali; ut Sacramentum, propria est legis Evangelicæ. Institutum enim fuit a Christo, *Præcipue cum mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos: Joan. 20. dicens, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Trid. *sess.* 14. *de Pœnit. c.* 1. & cum D. Th. definitur, *Sacramentum Reconciliationis post lapsum, in actibus Pœnitentis, & absolutione Sacerdotis consistens.* Itaque ejus materia remota sunt peccata, materia proxima sunt actus Pœnitentis: forma vero Sacerdotalis est Absolutio: Doctores omnes ex Flor. & Trid. cit. Equidem omissis, quæ ad Scholasticos pertinent, Tractatum moralem in duas disputationes divido: I. Erit de iis, quæ pertinent ad Pœnitentem: II. De iis, quæ pertinent ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ.

DISPUTATIO I.

De iis, quæ pertinent ad Pœnitentem.

QUINQUE ad Pœnitentem pertinent: I. Necessitas, & Præceptum Pœnitentiæ: II. Examen Conscientiæ: III. Cordis Contritio: IV. Oris Confessio: V. Operis Satisfactio: quæ omnia quinque quæstionibus absolvam.

QUÆSTIO I.

De Necessitate, & Præcepto Pœnitentiæ.

TRID. loc. cit. loquendo de Pœnitentia in genere ait, *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui baptismi Sacramento ablui petivissent.* Si fuit necessaria, fuit etiam præcepta, cum quisque teneatur adhibere medium sibi necessarium ad salutem. Hinc videndum, quæ sit hæc necessitas, quod præceptum, quando, & quos obliget?

CAPUT I.

Quæ sit necessitas Pœnitentiæ?

SUPPONO, ex dictis etiam alibi, aliqua dici tantum necessaria necessitate præcepti, quo scilicet præciso non essent necessaria ad salutem, ut est auditio Missæ die Festo, restitutio, &c. Aliqua vero dici necessaria etiam necessitate medii, itaut sine illis, utut invincibiliter omissis, non obtineatur salus: & hæc, alia dici sic necessaria in re, itaut in seipsis, & non aliter, haberi debeant; qualis est Fides, Gratia Sanctificans, &c. Alia vero dici sic necessaria vel in re, vel in voto, itaut, si in se ipsis haberi nequeant, debeant optari saltem implicite, & simul quæri per aliquid aliud, quod suppleat eorum defectum, qualis est baptismus, qui, si in seipso haberi non possit, debet saltem implicite desiderari, non quomodocumque, sed per actum amoris Dei, vel contritionis, vel martyrii, quæ suppleant ejus defectum. His suppositis

Dico primo: Ob peccatum originale, si solum sit, non est necessaria pœnitentia, neque ut Virtus est, neque ut Sacramentum: Doctores communissime. Ratio est, quia, cum originale non fuerit nobis physice voluntarium, non est opus physice a nobis retractari, sed sufficit, ut quisque sua voluntate, vel aliena, quando sua non potest, submittat se remedio, quod Deus instituit ad illud delendum; nempe circumcisioni in lege veteri, baptismo in nova. Hinc ab Alex. VIII. damnatur in Jansenist. hæc prop. 19. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.* At, si originale in adulto nondum baptizato conjunctum sit cum aliquo mortali personali, non remittitur sine aliqua de hoc pœnitentia prævia ad baptismum, ex Trid. cit. Quapropter hæc erit ei necessaria necessitate medii, vel in voto; itaut vel eliciat actum saltem attritionis in Baptismo fluminis, vel actum contritionis, aut charitatis in baptismo flaminis; vel subeat martyrium in baptismo sanguinis: Doctores communiter.

Dico secundo: Ob peccata venialia, si sola sint, etsi utilis, & consolenda sit pœnitentia, tamen non est simpliciter necessaria in hac vita, neque ut virtus, neque ut Sacramentum: Doctores communiter ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Ratio est, quia venialia per se non pugnant cum gratia, & sufficit ea retractari, eique satisfieri post mortem. Præterea ad remissionem venialis (si non sit conjunctum cum mortali) satis est quivis actus alterius virtutis supernaturalis, dummodo habeat oppositionem aliquam saltem virtualem cum illo, puta per actum eleemosynæ remittitur actus avaritiæ venialis, &c. Suar. & alii contra Vasq. & alios: item satis sunt Sacramentalia, ut aspersio aquæ benedictæ, benedictio Episcopalis, &c. quatenus per ea rite suscepta movetur Deus ad excitandos in nobis actus sufficientes ad talem remissionem: Bonac. & alii. Si autem retractentur a justo omnia venialia per actum virtutis pœnitentiæ, remittuntur quidem extra Sacramentum, sed non omnia; quia secus nunquam in Justo remitterentur vi Sacramenti, quod requirit dolorem eorum, quæ per ipsum remittuntur, ut not. Platel. & alii contra Suar. & alios.

Dico tertio: Ob peccatum mortale personale est cuique peccatori simpliciter necessaria necessitate medii pœnitentia vel in re, vel in voto: Doctores communissime cum D. Th. itaut Aversf. Platel. & alii dicant, esse de fide, ex Trid. cit. c. 1. Ratio est, quia Homo est agens liberum, & per mortale personale se libere avertit a Deo; ergo congruum fuit, ne se iterum per motum suæ liberæ voluntatis ad Deum convertat: atqui aptissimus motus se convertendi ad Deum erat actus pœnitentiæ, seu dolor, & detestatio peccati: ergo congruum fuit, ut hæc foret tali peccatori necessaria necessitate medii ad salutem, sive in re, sive in voto, quando per ignorantiam, aut impotentiam haberi ea in re non possit. Itaque peccatori, si non sit baptizatus, necessaria est pœnitentia ut virtus est, sive in re, sive in voto, juxta dicta concl. 1. At, si sit baptizatus, est jure positivo necessaria etiam ut Sacramentum est, ex Trid. *sess.* 14. *can.* 6. & 7. itaut absolvi debeat Sacramentaliter, vel si non potest, optet tamen saltem implicite ita absolvi; aliter non salvabitur; hoc autem votum confessionis non est qualecumque desiderium illius, sed præcise includi debet in aliquo ex tribus actibus mox explicandis, in quibus virtualiter habetur Sacramentum Pœnitentiæ.

Habetur primo In actu contritionis perfectæ, qui proinde justificat etiam extra Sacramentum, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 4. cum procedat ex amore Dei perfecto, & sit votum saltem implicitum servandi omnia præcepta graviter obligantia, inter quæ est præceptum divinum confitendi mortalia post baptismum commissa, ideoque est Sacramentum Pœnitentiæ in voto.

Habetur secundo In actu charitatis perfectæ; quo diligitur Deus super omnia simpliciter, quique etiam justificat extra Sacramentum, ex Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*, & 1. Petr. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum:* & sane, si tota vis contritionis ad delendum peccatum sita est in ratione charitatis, ut bene ponderat Lug.

d. 5. n. 95. & charitas etiam per se ipsam est votum saltem implicitum servandi omnia præcepta, adeoque etiam confessionis, sequitur, ut etiam sufficiat ad justificationem peccatoris, saltem obliti peccati sui; si enim recordetur, D. Th. Bell. Suar. Con. & alii putant, eam non sufficere sine formali, & actuali dolore; quamvis etiam sufficere probabiliter dicant Tann. Arriag. Lug. Avers. & alii, cum implicite includat votum suscipiendi suo tempore Sacramentum Pœnitentiæ, adeoque eliciendi tunc dolorem formalem.

Habetur tertio in Martyrio, quod remittit omnem culpam, & pœnam: Doctores communiter ex cap. *Cum Marthæ, de Celebr. Missæ*, ubi dicitur, *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*. Putant tamen D. Th. D. Bon. Nav. Alens. Scot. Dur. Vasq. Laym. & alii, id non habere ex se, sed ex actu charitatis adjuncto; itaut, si peccator bona fide, & invincibiliter talem actum omitteret in martyrio, non justificaretur per illud; quia 1. Cor. 13. dicitur, *Si tradidero Corpus meum, itaut ardeam; charitatem autem non habuero nihil mihi prodest*. Sed probabiliter etiam contradicunt Cajet. Sot. Val. Bell. Suar. Con. Bon. & alii; quia Math. 10. Marc. 8. Luc. 9. Joan. 12. expresse promittitur salus æterna hoc ipso, quod quis vitam suam ponet propter Christum; quod certe facit, qui mortem sustinet præcise pro defensione fidei, vel alterius virtutis christianæ, etsi tunc non cogitet de eliciendo actu charitatis perfectæ: ergo ex privilegio Cheisti per se habet martyrium, ut justificet; estque præterea Sacramentum in voto, cum voluntas subeundi martyrium pro lege Christi sit saltem implicite votum servandi omnia ejus præcepta, adeoque etiam suscipiendi Sacramentum, si possit. Illud autem Apostoli intelligitur, non pure negative, sed cooitarie, hoc est, *Si propria sponte, vel ex pravo fine, vel non ex aliqua virtute tradidero, &c.* ut notat Avers.

Objicies: Ex dictis sequitur, observantiam omnium præceptorum esse etiam peccatori necessariam necessitate medii, vel in re, vel in voto, quod etiam includitur in actu contritionis, charitatis, & martyrii, & consequenter nihil erit necessarium necessitate tantum præcepti.

Respondeo, Nego sequelam; ideo enim Sacramentum Pœnitentiæ est peccatori necessarium necessitate medii vel in re, vel in voto, quia ipsum est, quod talem peccatorem principaliter justificat, vel formaliter in seipso positum, vel virtualiter in ejus voto inclusum in contritione, charitate, martyrio, quæ proinde ab ipso habent, ut loco ipsius justificent. At aliorum præceptorum observantia non justificat peccatorem, ut patet: & consequenter nec ejus votum, nisi in quantum est etiam votum confessionis. Itaque votum servandi omnia præcepta est quidem peccatori necessarium necessitate medii; at observantia ipsa præceptorum est tantum necessaria necessitate præcepti.

CAPUT II.

Quod sit Præceptum Pœnitentiæ?

Dico primo: Nullum est præceptum per se obligans ad statim pœnitendum post mortale personale. Ita probabilius, & communius Doctores post D. Th. Suar. Vasq. & alios plurimos contra Cajet. D. Anton. Inn. IV. Sylvest. Abul. Carden. & alios, quos sequuntur Rigoristæ. Ratio est, quia præceptum statim pœnitendi non est positivum, cum nullibi sit clare expressum; &, cum plurimi illud ignorent, non est sufficienter intimatum; hinc nemo se accusat, quod non statim pœnituit, nec Confessarii de hoc interrogant. Neque hoc est præceptum naturale; nam, ut aliquid censeatur esse de lege naturæ, debet ejus obligatio afferre majus bonum toti generi humano, quam affert negatio talis obligationis; atqui obligatio statim pœnitendi hoc non affert; imo, cum difficillimum sit statim detestari, quod antea placuit, exponerentur passim homines continuis periculis peccatorum, omittendo pœnitentiam sic præceptam: ergo, &c. Perez. & alii. Addo tamen cum communi contra Vasq. quod, licet non sit obligatio statim pœnitendi, per se tamen obligatur peccator non diu differre pœnitentiam: Primo, quia Eccl. 4. dicitur, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, &c.* per quæ verba indicatur præceptum præveniendi articulum mortis: Secundo, quia per se, & intrinsece malum est exponere se periculo probabili damnationis, quale est pœnitentia dilata ad articulum mortis, cum communiter animus est perturbatus ex plurimis causis: ergo est per se obligatio non diu differendi pœnitentiam. Tertio, quia omnis homo etiam justus tenetur per decursum vitæ; & quidem sæpius, quam singulis quinquenniis elicere actum charitatis Dei, ut constat ex alibi cit. prop. 6. damnata ab Inn. XI. sed hoc præceptum est naturale, juxta omnes: ergo multo magis tenetur peccator ad talem actum, adeoque ad pœnitentiam saltem virtualem, imo addit Avers. ob majorem necessitatem, & periculum, quod affert peccatum commissum, merito brevius tempus constitui pro obligatione pœnitentiæ, relinquendum tamen arbitrio prudentium pro diversis statu personarum, & circumstantiarum.

Objicies primo contra conclusionem: Qui non statim dolet de peccato commisso, exponit se iterum periculo peccandi, cum sit hostis Dei merito subtrahentis auxilia: ergo non statim pœnitendo peccat; ut videntur inferre PP. ex parabola decem Virginum, in qua Christus præcipit *Vigilare*, hoc est a peccato statim surgere: Secundo, qui videt proximum peccasse, tenetur, quamprimum potest, eum corrigere, &, qui esset causa, ut ille permaneret in peccato, peccaret; ergo a fortiori, qui libere permanet in suo peccato: Tertio, Qui contraxit grave malum corporis, tenetur illud quamprimum curare: ergo a fortiori, qui contraxit malum animæ.

Respondeo: Ad primum, nego antec. loquendo de periculo proximo, cum Deus non soleat peccatorem statim deserere, sed si nimis diu differat pœnitentiam, vel perseveret in actu malæ voluntatis peccandi: quo sensu loquuntur PP. cit. Ad secundum, nego paritatem: ideo teneris, quamprimum potes, corrigere proximum, quia non est in tua potestate nova opportunitas; at semper potes teipsum corrigere: si autem esses causa, ut ille perseveret in peccato, utique peccares, quia positive influeres, & quoad tuam pœnitentiam mere omissive te habes, eo quod non tenearis tunc pœnitere. Ad tertium ait D. Th. in 4. d. 17. q. 3. a. 1. q. 4. ad 2. non esse de necessitate salutis corporalis, quod infirmus statim quærat Medicum, nisi, quando necessitas curationis urget; similiter de morbo spirituali.

Objicies secundo: Peccatum habet rationem injuriæ realis, cum auferat Deo debitum obsequium; sed pro injuria reali debetur restitutio, quamprimum potes: ergo, &c. Secundo, Si rebellis diceret Regi, *Nolo nunc pœnitere*, censeretur contemnere Regem: ergo similiter peccator, qui non statim reconciliatur Deo. Tertio, Qui peccavit contra Fidem, tenetur statim elicere actum Fidei: ergo & qui peccavit contra aliam virtutem. Quarto, Ex D. Th. non licet manere in peccato vel ad modicum tempus.

Respondeo: Ad primum, omissa majore, de qua aliqui dubitant, nego consequentiam. In tantum injuria realis facta homini inducit obligationem statim restituendi, in quantum dilatio pergit in effectu ei nocere; at Deo nulla injuria in effectu nocet, cum non sit in se capax; & ideo non tenetur peccator statim Dei reficere injuriam, neque quoties in ejus memoriam venerit, contra Valent. Ad secundum, nego paritatem. Homines non vident cor, & ideo ex illis dictis præsumunt sui contemptum, at Deus intuens cor cognoscit peccatorem non statim pœnitentem quasi dicere, *Non doleo nunc, quia Deus non præcipit nunc: pœnitentiam agam suo tempore*; in quo nullus est contemptus. Ad tertium, nego etiam paritatem. Ideo tenetur prior statim ad actum Fidei, quia status infidelitatis cognitus est actuale peccatum; non sic vero status peccatoris. Ad quartum, D. Th. loquitur de actuali voluntate non resistendi tentationi, quæ voluntas est actuale peccatum.

Dico secundo: Datur præceptum divinum positivum subjiciendi Sacramento pœnitentiæ omnia, & singula mortalia commissa post baptismum. Ita definitum est a Trid. *sess. 14. can. 6. & 7.* ubi dicitur, esse *Ab institutione, & mandato Christi*. Hoc præceptum infertur etiam ab eod. Trid. *c. 5.* ex Verbis Chisti, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; Si enim Sacerdotibus data est hæc potestas, quæ dicitur *Clavium*, datum est etiam præceptum Fidelibus subjiciendi his clavibus mortalia, ut remittantur, vel retineantur, & ut eo rubore deterreantur ab illis committendis, & ut pro commissis recipiant congruas medicinas, facilemque remissionem; cum contritio perfecta sit valde difficilis, & plerumque putata. Hinc neque eximitur ab hoc præcepto peccator perfecte contritus, ut putarunt D. Bonav. & Rich. a S. Vict. qui scripserunt ante Trid.

Objicies: Mortalia remissa sunt per contritionem perfectam:

fectam: ergo Sacerdos non habet amplius potestatem ea remittendi, item nec retinendi, cum sint jam a Deo remissa: ergo nec peccator habet tunc obligationem ex præcepto Divino ea confitendi.

Respondeo. Nego utramque consequentiam. Mortalia remittuntur per contritionem, quatenus ipsa est votum confessionis faciendæ; quapropter potestas ligandi in Sacerdote consistit in hoc, quod peccator, etiamsi contritus, debeat, aliquando se illi sistere, ut a tali obligatione solvatur, & pœnitentiam recipiat pro nova remissione Sacramentali: hinc ex potestate Sacerdotis infertur obligatio in contrito; nam nisi ei imposita esset obligatio procurandi absolutionem Sacramentalem, nullo modo posset Sacerdos peccatores ligare; cum non posset impedire, quominus per contritionem, sine voto confitendi, liberentur a peccatis. Idem est de potestate remittendi talem obligationem, & iterum peccata jam remissa; quatenus per absolutionem Sacerdotalem confert gratiam, quæ de se esset remissiva, si inveniret peccatum nondum remissum.

Quoad venialia, per se loquendo, nullum est præceptum Divinum obligans ad eorum confessionem, ex Trid. *sess. 14. c. 5.* & probabilius neque Ecclesiasticum juxta dicenda cap. 9. Posset tamen Ecclesia id præcipere; cum confessio venialium sit actus externus virtutis valde utilis, & non adeo difficilis: D. Th. Lug. Dicast. & alii contra Palud. Sot. Suar. & alios; imo probabilius est, Fundatores Religionum quandoque præcepisse confessionem venialium, saltem sub veniali, ut limitat Aversa. Neque ex dictis infertur, quod venialia fierent materia necessaria confessionis; nam sola confessio fieret materia necessaria præcepti, & liberum maneret confiteri quæcumque peccata, vel quodcumque veniale. Dixi *Per se loquendo*: nam aliquando per accidens præcipitur confessio venialium: ut si habens veniale, cui adnexa sit excommunicatio minor, suscipere debeas aliquod Sacramentum, teneris sub disjunctione vel illud confiteri Sacramentaliter, vel extra sacramentaliter absolvi a censura: item, si sit celebrandum, vel necessario communicandum, & habeas mortale reservatum, nec adsit, nisi simplex Confessarius, teneris huic confiteri aliquod veniale: idemque est, si in tali casu suscipiendum, vel ministrandum sit aliud Sacramentum, & dubites, an sis contritus: Gob. t. 6. n. 250.

Quoad mortalia commissa ante baptismum, nullum est præceptum ea confitendi post baptismum, cum non sint materia Sacramenti Pœnitentiæ: quod institutum est pro lapsis post baptismum. Dubium est de peccato fictionis, hoc est si adultus, dum baptizatur, nolit habere dolorem de mortalibus antea commissis, vel cum prava aliqua voluntate suscipiat baptismum? Probabilius videtur, hoc peccatum cadere sub præceptum confitendi; nam, quamvis hæc prava voluntatis dispositio præcedat baptismum, neque adeo qua talis sit materia Sacramenti Pœnitentiæ, tamen mala baptismi susceptio, per quam illa voluntas exterius consummatur, est aliquo pacto post baptismum: prius enim intelligitur baptismus constitutus, & deinde prave susceptus: Tamb. *De Sacr.*

Dico tertio: Præceptum confitendi mortalia, quamvis a Christo non sit determinatum quoad tempus, sed relictum, ut determinaretur ab Ecclesia, tamen per se obligat in articulo, vel periculo mortis: Doctores communiter cum D. Th. Ratio est, quia aliter talis peccator exponeret se periculo non amplius satisfaciendi huic præcepto; ergo, etiamsi tunc eliciat actum contritionis, adhuc peccaret mortaliter, si potens non confiteatur in articulo, vel periculo mortis, puta imminente prælio, insidiis hostium, partu periculoso, periculoso itinere, aut longa navigatione: idem dic de bannitis, & habentibus inimicitias capitales. Si vero hi nequeant tunc confiteri, elicere debent actum contritionis perfectæ cum voto saltem implicito confessionis faciendæ, si poterunt. Imo Suar. Val. Sanch. & alii communius contra Henr. Vasq. Laym. Sal. Lug. & alios docent, quod omnes teneantur in articulo, vel periculo mortis elicere actum contritionis perfectæ, sive intra, sive extra Sacramentum; quia recta ratio postulat, ut tunc adhibeatur medium tutius ad salutem, qualis est contritio, cum nemo sciat, suum mortale, seu personale, seu originale esse remissum, sive ex defectu sui, sive Confessarii, sive Baptizantis, &c. & pro supplendis omnibus defectibus, etiam baptismi, valet certe contritio. Extra periculum mortis D. Th. Scot. & alii dicunt, præceptum divinum non obligare per se. Communius affirmant alii cum Vasq. tum quia hoc Sacramentum est etiam institutum ad curandos animi morbos, & ad præservandum; tum maxime quia Trid. *sess. 14. c. 5.* *Neque enim per Later. Conc. Ecclesia statuit, ut Christifideles confiterentur, quod jure divino necessarium, & institutum esse intellexerat, sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur*; si ergo id statuit ex præcepto divino, hoc non est tantum de articulo mortis.

Quæres hic, Quodnam sit præceptum datum Medicis pro confessione Infirmi?

Respondeo, ex Bul. Pii V. *Super gregem* ann. 1566. præcipi: *Ne Medicus incipiat curare infirmum, nisi eum moneat de Confessione facienda; neque ultra tres dies eum invisat, nisi scripto Confessarii resciat, eum esse confessum, & ut Medici, antequam Doctoratus gradum assumant, jurent, se hoc præceptum observaturos, & ne Ordinarii illos admittant in suis Diœcesibus, nisi constiterit de hoc juramento*. Hactenus ex Bull. Notant tamen Doctores cum Suar. Sanch. & aliis, hanc Bullam in multis temperatam jam esse ab ipsa consuetudine, quæ est optima legum interpres: & Primo, ut intelligatur de morbis periculosis: Secundo, Sufficit, si Medicus moneat infirmum per alios: Tertio, Sufficit testimonium domesticorum, vel ipsius infirmi de confessione facta, modo sint fide digni: Quarto, Si infirmus nolit obstinate confiteri, non est deserendus a Medico, si hoc deserente grave periculum illi immineat; Bulla siquidem jubet, ægrotum deseri, quando desertionis timore speratur, quod resipiscat; secus vero, si omnino destituatur; sic nec deseritur Turca ægrotus, qui obstinate nolit baptizari: Quinto, Juramentum datum a Medicis intelligendum, juxta jam dicta, ex usu recepto.

Denique præceptum confessionis mortalium per accidens obligat aliquando etiam in vita: puta si sit quis in periculo relabendi, nisi muniatur hoc Sacramento: Lug. d. 5. s. 4. si requiratur confessio tanquam conditio ad dispensationem voti, aut impedimenti: Croix n. 2052. si sit communicandum, vel celebrandum: ex Trid. *sess. 13. c. 7. & can. 11.*

CAPUT III.

Quod sit Præceptum Confessionis annuæ?

Concil. Later. sub Innoc. III. & ex eo c. *Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss.* ita præcipit, *Omnis utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & mortuus careat sepultura*. Idipsum confirmans Trid. subdit, *Neque per Later. Concil. Ecclesia statuit, ut Christifideles confiterentur, quod jure divino necessarium, & constitutum esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno impleretur*. Ex quibus Doctores communissime inferunt contra Gabr. Sylv. Gran. Palud. Fagun. & alios præceptum confessionis annuæ non esse mere ecclesiasticum, sed etiam divinum: quatenus Christus præcipit confessionem; determinationem autem quoad tempus reliquit Ecclesiæ, quæ determinavit tempus annuum, qua determinatione posita, tanquam conditione, præceptum illud divinum obligat omni anno. His suppositis explicanda sunt verba præcepti.

I. *Omnis utriusque sexus*; dummodo sit fidelis, hoc est baptizatus; ad hos enim dirigitur præceptum Trid. cit. Obligat ergo etiam Hæreticos, Apostatas, & Schismaticos, quia & baptizati sunt, & subjacent Ecclesiæ. Item excommunicati, & personaliter interdicti tenentur petere ante lapsum anni absolutionem a censuris, ut satisfaciant huic præcepto. Item incarcerati, si aliter confiteri non possunt, & negligant liberari ante anni lapsum, peccant contra hoc præceptum: Croix contra Tamb. Item, si prævideas futurum impedimentum pro reliquo anni tempore, debes prævenire; quia præceptum urget ab initio: Suar. & alii communiter contra De-la Crux apud Dian. *p. 3. t. 4. r. 69.* Si autem per totum anni tempus sis physice, vel moraliter impotens, non peccas non confitendo: v. g. si non possis habere Confessarium, vel prudenter judices, unicum, quem habere potes, revelaturum confessionem, aut odio te habiturum, aut ignorare tuum idioma; non enim teneris confiteri per interpretem; Sot. Suar. Vasq. Bon. & alii. Item, si non possis adire, vel vocare Confessarium, nisi conficiendo longum, & laboriosum iter; quod tamen ex circumstantiis temporis, personarum, & similium judicio prudentis est expendendum: Suar. Vasq. Tamb. c. 4. §. 5. Addit Con. d. 3. n. 22. quod in his casibus nec tenearis vi hujus præcepti

cepti

cepti eo anno elicere contritionem, quia hanc nulla lex præcipit determinate hoc anno, sed tantum juxta dicta cap. antecedenti. Neque obstat, quod contritio sit pars confessionis, & juxta axioma, *Qui non potest totum, tenetur ad partem*; nam neque est pars necessaria, cum confessioni sufficiat attritio; & axioma intelligi debet, quando totum constat ex partibus similibus, itaut ponendo partem salvetur aliquo pacto ejus substantia: sic, qui tenetur ad Horas, si non potest omnes, tenetur ad partem, in qua salvatur ratio horæ: qui tenetur ad jejunium in pane, & aqua, si hoc non potest, tenetur ad jejunium commune, in quo stat ratio jejunii: econtra vero, si totum constat ex partibus omnino diversis: sic, qui vovit Religionem, si non possit servare castitatem, non ideo tenetur ad paupertatem, & obedientiam, quia in his non salvatur substantia status Religiosi, & ita est in casu nostro: Croix ib.

II. *Postquam ad annos discretionis pervenerit*. Improbabile ergo est, quod dicit Sa, pueros ante pubertatem non obligari hoc præcepto. Imo, si malitia suppleat ætatem, & puer ante septennium peccet mortaliter, probabilius obligatur hoc præcepto, quia non refertur ad ætatem, sed ad annos discretionis, hoc est ad plenum usum rationis: Croix n. 1026. contra Pal. Dian. & alios. In dubio autem, an puer habeat usum rationis, obligatur, si jam sit septennis; quia præsumptio stat pro pleno usu rationis: Pal. & alii contra Tamb. & alios; ideoque potest, imo & debet absolvi sub conditione, ut servetur præceptum: Lug. d. 17. n. 21. Cæterum per annos discretionis communiter intelligitur illa ætas, qua quis est potens ad peccandum mortaliter: Gob. n. 168. addens, faciendum discrimen inter pueros, & puellas; & Germanos serius obligari hoc præcepto, quam Italos; sed rusticos a S. Anton. & Sor. obligari solum circa ann. 12. citius vero educatos inter nobiles. Vide dicta in de Legibus d. 2. q. 3. c. 1.

III. *Omnia sua peccata*, intellige mortalia; quia sicut Christus non tulit præceptum indeterminate quoad tempus, nisi de confitendis mortalibus, ita Ecclesia nonnisi de iisdem præceptum ad tale tempus determinavit: Suar. d. 36. s. 2. & alii communiter. Hinc, si quis toto anno habeat tantum venialia, probabilius non obligatur hoc præcepto, ut colligitur ex ipsis verbis; præcipiunt enim confiteri *omnia* peccata: ergo non loquuntur de venialibus, cum non sit præceptum confitendi venialia, & multo minus omnia: Suar. Vasq. Lug. Pal. & alii contra D. Bonav. Rich. & alios. Idem a fortiori est de mortalibus ante hunc annum confessis, cum sint materia adhoc magis libera. Cæterum absolute melius est confiteri venialia, ut de his detur directa absolutio, & de mortalibus, si forte adsint occulta, indirecta; cum vix fiat, ut qui toto anno non confitetur, non labatur aliquando graviter, quamvis postea non recordetur. Idem dicendum de eo, qui habet unum mortale, a quo hoc anno confitens excusetur ob periculum gravis damni, &c. quamvis enim non obligetur hoc præcepto, utpote quod est de solis mortalibus: Suar. Dian. p. 3. t. 4. r. 125. tamen melius est confiteri tantum venialia. At, qui sæpe hoc anno confessus est tantum venialia, sed ultimo die lapsus est in mortale, vel recordetur ejus non confessi, tenetur ultimo die confiteri; quia nondum satisfecit præcepto, cum confessio venialium non fuerit materia præcepti: Vasq. Regin. Laym. Bonac. Lug. & alii communiter contra Rhod. & alios, Quod si mortale sit reservatum, & tunc solum sit copia Confessarii non habentis reservata, tenetur ei confiteri venialia, quia sic satisfacit præcepto, quantum potest. Contra vero, si mortale anno præcedente commissum, & absolutum indirecte confessus esset hoc anno, jam satisfecit præcepto, quia erat materia necessaria hujus confessionis: Croix n. 2040. Denique, qui intra annum semel confessus est mortale dubium simul cum venialibus, non tenetur iterum confiteri, si postea incidat in mortale certum; quia juxta probabiliorem sententiam erat obligatio confitendi illud mortale dubium Lug. n. 169. Secus vero, si solum illud confessus est, quia, si non fuit vere peccatum, absolutio fuit nulla, & præceptum est de confessione, quæ sit Sacramentum: Croix, & alii contra Lug. Dicast. Arriag. & alios. Qui autem post confessionem omnium mortalium incidit eodem anno in novum mortale, quamvis Sot. Suar. & alii dicant, teneri iterum confiteri eo anno: tamen probabilius negant Con. Laym. & alii, itaut Lug. dicat, esse certum, quia tantum præcipitur una confessio omnium tunc memoriæ occurrentium: ideoque nec tenetur iterum eo anno, si in confessione mortalium omisit unum ex oblivione: Bonac. & alii communiter; secus, si omisit scienter ex justa causa, quia sic nondum est confessus omnia, quæ occurrebant memoriæ: Arriag. Gorm. & alii.

IV. *Semel in anno*. Hinc annus quinque modis computari potest: Primo, Incipiendo a principio usus rationis usque ad simile tempus anni sequentis, & sic deinceps. Secundo, A primo mortali commisso: Joseph ab Augustino. Tertio, A confessione mortalium: Sot. & Valent. Quarto, A 1. Jan. ad ultimum diem Decemb. Vasq. Pal. Lug. &c. Quinto, A Paschate ad Pascha ex Suar. Bon. Con. aliisque ut diximus tract. præced. d. 4. q. 1. c. 5. §. 1. Ex his modis primi tres communiter non placent, quia verba illa *semel in anno* innuunt certos terminos, & determinatos pro omnibus: quartus, & quintus sunt probabiles, quia ea verba utrumque sensum facere possunt, cum annus possit sumi, vel Ecclesiasticus a Paschate ad Pascha, vel Civilis a Jan. ad Decemb. Hinc, si numeres a 1. Jan. ad ultimum Decemb. satisfacis huic præcepto, si confitearis hoc anno 1. Jan. & sequenti anno ultimo Decemb. quamvis inter has confessiones intercedant duo anni; quia adhuc est verum; quod semel in anno sis confessus: Pal. Lug. & alii communiter contra Sporer, & alios. Similiter, si numeres a Paschate ad Pascha, nihil obstat, quod confessio aliquando differatur ad tredecim menses, & aliquando bis fieri debeat confessio intra undecim menses; nam idem fit in communione Paschali, prout Pascha venit maturius, vel serius, & totum illud tempus est unus annus Ecclesiasticus, & sic semel confiteris singulis annis: Suar. & alii; atque hic modus est usitatior, cum similiter etiam servetur ex dictis loc. cit. tract. præced. præceptum communionis Paschalis.

Dubium est, An, qui omisit confessionem debitam hoc anno, teneatur anno sequenti illam reficere?

Negant S. Anton. Sylv. Tabien. Val. & alii, quam sententiam Dian. Fill. Tamb. vocant probabilem: Dicastil. probabilissimam; quia obligatio confitendi videtur alligata illi anno; uti obligatio recitandi Horas est alligata dici, cum quo desinit. Sed probabilius affirmant Sot. Nav. Med. Vict. Suar. Vasq. Con. Pal. Lug. Avers. & alii; quia talis annus ab Ecclesia præfixus est, non ad terminandam, sed ad urgendam obligationem, ne nimium differatur præceptum divinum, cujus finis, qui est reconciliatio cum Deo, non cessat: uti contra cessat finis præcepti horarum, qui erat bona Ecclesiastici occupatio pro eo die. Hinc, quo diutius ultra annum quis differt eam confessionem, eo gravius peccat: hanc tamen dilationem esse unicum peccatum continuatum dicunt Val. Con. Laym. Dian. Avers. & alii. Contra Bonac. dicit, esse tot peccata, quot occasiones confitendi negliguntur; & certum est, si voluntatem confitendi pluries retractet: Croix, & alii. At, qui multis annis non est confessus, confitendo hodie satisfacit pro omnibus annis præteritis, quantum tunc satisfieri potest; quia per unam hanc confessionem obtinetur finis præcepti, qui est reconciliatio cum Deo: Avers. Gorm. & alii contra Cesped. Si tamen adhuc ante finem hujus anni relabatur in mortale, Pal. Lug. Dicast. Gorm. & alii dicunt, non teneri hoc anno iterum confiteri, quod probabile etiam dicit Bonac. quia confessus est semel hoc anno, & plus non requirit præceptum; sed probabilius contradicunt Suar. Hurt. Laym. & alii, quia prior confessio censetur facta pro annis præteritis, quorum obligatio nondum erat sublata; & pro hoc anno advenit nova obligatio per novum peccatum: sic obligatus a Confessario jejunare semel in mense, si hoc mense omittat, tenetur mense sequenti bis jejunare.

V. *Confiteatur*. Confessio debet esse talis, ut habeatur validum Sacramentum Pœnitentiæ; quia hoc præceptum ex dictis est divinum, & Christus præcipiens vult suum Sacramentum validum; & dato, quod sit Ecclesiasticum, Ecclesia præcipit confessionem, ut institutam a Christo: hinc damnatur ab Alex. VII. hæc prop. 14. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*; imo nec satisfacit per confessionem quamtumvis involuntarie nullam, quia simpliciter & vere non est confessio: Platel. n. 744. Idem est, si Sacerdos etiam injuste noluisset te absolvere: Suar. & alii communiter contra Palud. Vict. Con. & alios; addit tamen Bosco, forte te excusandum, si anno sequenti posses ab eodem accipere absolutionem, ne scilicet cogaris duobus eadem peccata aperire, quod videtur valde molestum. Si tamen fiat confessio valida quidem, sed informis (ut contingit, cum invincibiliter oblitus furti doleas de solo homicidio ex propria ipsius turpitudine,

& hoc

& hoc solum confitearis, juxta dicenda q. 3.) probabilius satisfacis hoic præcepto; quia hæc absolutio est probabilius valida, & suo tempore revivifcit, & prodest, quando scilicet per contritionem, vel per subsequens Sacramentum removetur obex: Suar. Val. Bonac. Lug. & alii contra Aversf. Plarel. & alios. Probabiliter etiam satisfacis per confessionem peccati putati cum vero dolore, quia probabilis est senteotia Perez, & aliorum Doctorum, hanc esse validam.

VI. *Proprio Sacerdoti*, hoc est suo Parocho: attamen nunc certo satisfaciunt huic præcepto, qui confitentur cuivis Confessario rite approbato, sive Seculari, sive Regulari: ille enim substituitur loco Parochi ex usu recepto, & tacito consensu Episcopi approbantis; Regularis vero ex delegatione Papæ posita approbatione Episcopi: Doctores communissime ex pluribus textibus. Ac non sufficit, si Regularis dignus approbatione, & præsentatus Episcopo injuste sit reprobatus; ut constat ex prop. 13. damnata ab Alex. VII. *Satisfacit præcepto confessionis annuæ, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato*. Si autem quis inter mortalia hic & nunc necessario confitenda habeat reservatum, quod rationabiliter omittat, eo quod hic Confessarius, quem unicum habere potest, non habet potestatem in illud, putat Bosco n. 125. teneri hoc anno iterum confiteri; quia nondum est confessus proprio Sacerdoti, hoc est ei, qui possit eum ab omnibus directe absolvere. Sed probabiliter contradicunt Herin, Croix, & alii, quia ille erat proprius respectu omnium, quæ hic & nunc debebant exprimi; & ex opposita sententia sequeretur, quod, qui toto anno non posset recurrere ad Superiorem, non teneretur eo anno confiteri; cum non teneatur ad confessionem, per quam non satisfacit præcepto. Illud certum, quod si pœnitens Religiosus confiteatur reservatum in Religione suo Confessario, qui ad hunc finem petiit, sed non obtinuit facultatem a Superiore Regulari, valide absolvitur, & satisfacit huic præcepto; quia habetur specialis ejusmodi concessio facta Regularibus ab Urban. VIII. juxta dicenda d. 2. q. 2.

VII. *Alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, &c.* Hæc pœna interdicti non incurritur ipso facto, quantum est ex jure communi; dicit enim *Arceatur, &c.* ideoque est sententiæ ferendæ in eos, qui, cum possint, non confitentur semel in anno, dummodo habeant mortale confitendum; vel qui unicam confessionem fecerint mortalium voluntarie nullam: Lug. d. 15. n. 138. In hac tamen Diœcesi Neapolitana latum est interdictum tantum contra non communicantes in Paschate, & est reservatum Archiepiscopo, nec incurritur ante expletam pubertatem. Putat Tamb. quod, etsi in aliqua Diœcesi sit pœna excommunicationis latæ sententiæ, nec expresse excludat pueros ante pubertatem, censeri tamen exclusos, etsi omittant Confessionem, & Communionem annuam, quia c. 1. & 2. *de delictis puerorum* hi simpliciter eximuntur a pœnis; etsi ergo peccent, eas non incurrunt ex benignitate Ecclesiæ: sed de hac re recurret sermo infra, & in de Censuris.

CAPUT IV.

Quod sit Præceptum confitendi ante Communionem?

SIVE hoc præceptum sit mere Ecclesiasticum, ut tenent Nav. Med. & alii; sive sit Divinum, ut melius docent Suar. Vasq. Lug. & alii; certum est, ex Ecclesiastica consuetudine necessarium esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat; idque servandum etiam esse ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, modo non desit illi copia confessarii, & adsit urgens necessitas, ex Trid. *sess.* 13. *c.* 7. Itaque, ut hoc præceptum confitendi non obliget peccatorem volentem Communicare, vel Celebrare, tria debent concurrere; nimirum, & quod desit copia Confessarii, & quod simul adsit urgens necessitas communicandi, aut celebrandi; & quod tunc præmittat contritionem perfectam de mortali, quod habet in conscientia, cum voto saltem implicito postmodum confitendi, ad servandum præceptum Divinum confessionis.

Primo, *Quoad copiam*, &c. Non dicitur deesse copia Confessarii, si adsit unus, quamvis erubescas ei confiteri, vel non sit, quem velles, nec tuus ordinarius: Doctores communissime tanquam certum contra aliquos apud Mendo. Dicitur ergo deesse hæc copia: Primo, Si unicus, quem habes, sit mutus, vel excommunicatus vitandus, vel aliter amisit jurisdictionem, vel nolit audire, vel omnino impeditus, vel ab eo timeas fractionem sigilli, aut aliud grave malum: in quo tamen casu addit Tamb. confitenda ei esse alia mortalia, vel si non habes, venialia, iis omissis, propter quæ malum illud times. Secundo, Si distes ab omni Confessario; quam distantiam trium milliariorum vult Canus, quinque quadrantum Rhodes, duarum horarum Gobat. sed melius Suar. Vasq. Bon. & alii communiter dicunt, relinquendam arbitrio prudentis, qui attentis circumstantiis judicare debet, an ferat magnum incommodum; quod aliquando esse potest, etiamsi distantia sit brevissima, vel scilicet ratione brevissimi temporis, quo urget necessitas communicandi, vel ratione infamiæ, aut scandali, vel ratione ætatis, ægritudinis, pluviæ, &c. vel ob aliud urgens negotium. Tertio, Si habes mortale reservatum, aut excommunicationem, aliamve censuram reservatam, & urgente necessitate communicandi, aut celebrandi non habeas copiam, nisi simplicis Confessarii, tunc juxta triplicem sententiam hac in re probabilem potes, vel præmittere confessionem omnium peccatorum, itaut ab aliquibus absolvaris directe, ab aliis indirecte, & cum onere; vel confessionem de solis non reservatis cum eodem onere; vel omissa simpliciter confessione cum sola contritione communicare, aut celebrare, juxta dicenda q. 4. Addit tamen Tamb. si tunc valde difficilem experiaris actum contritionis, non posse uti hac tertia via.

Secundo, *Quoad necessitatem*, &c. Non dicitur sufficiens necessitas onus v. g. Cappellaniæ, quia obligatio celebrandi censetur suscepta, quantum fieri potest, cum debita decentia: Suar. & alii contra Arr. Nec sufficit paupertas Sacerdotis, nisi esset valde gravis: Lug. n. 117. Nec observatio voti, & probabiliter etiam alicujus præcepti Ecclesiastici, quia hæc non obligant, quando est moralis impossibilitas implendi debite, & legitime: Tamb. n. 43. Necessitas ergo esse debet urgens, & gravis, puta periculum mortis, aut alterius gravis damni, infamiæ, scandali: D. Th. Suar. & alii: v. g. si Sacerdos Missam est exorsus, vel vestitus sacris, ut addit Lugo; vel laicus ad linteum communionis accessit, & tunc recordetur mortalis, vel tunc peccet: si autem posset celebrans solemniter, dum cantatur gloria, vel dicitur concio, breviter confiteri Diacono Sacerdoti approbato, deberet, quia tunc cessat excusatio: Laym. & alii. Item, si celebrandum sit ad conficiendum Viaticum pro moribundo; vel si Parochus debeat ex officio celebrare, ut populus audiat Missam: Lug. n. 107. ob quam causam etiam alteri, qui non est Parochus, idem licere putant Dian. p. 9. t. 3. r. 9. & alii contra Pal. & alios. Si autem Sacerdos ipse non posset aliter audire Missam, vel urgeat præceptum communionis Paschalis, Henr. Sot. Dian. & alii probabiliter putant sufficere; sed probabilius negant Sa, Suar. Con. & alii, quia hæc præcepta non obligant, quando non possunt impleri convenienter juri Dominico. Gob. t. 7. n. 382. putant sufficere, si aliter diu abstinendum esset a communione, aut Sacrificio, quia longa mora est gravissima necessitas, præsertim si sedandæ sint propriæ tentationes, vel suffragandum sit defunctis. Item, si confessio deberet esse longa, nec posset tamdiu differri communio, vel celebratio sine infamia, vel scandalo, vel alio gravi damno, putant Gorm. Granad. & alii, posse tunc penitentem dimidiata confessione absolvi cum onere postea absolvendi totam; quod verum est saltem de infirmo periclitante de morte, ejusque confessario: v. Tamb. c. 1. *de Com.* n. 36.

Tertio, *Quoad contritionem*, &c. Concurrente necessitate, & defectu Confessarii juxta modo dicta, debes elicere actum contritionis perfectæ ante communionem, quia Eucharistia non potest suscipi cum mortali, D. Th. Suar. & alii communissime, cum sit Sacramentum vivorum. Et Sacerdos sic celebrans debet hunc actum elicere etiam ante Consecrationem, quia nec potest consecrare in mortali, ideoque tempus opportunum erit in Memento vivorum: &, si post consecrationem recordetur mortalis, debet conteri ante consumptionem: Tamb. & alii communiter. Si autem conatus sis, & ob perturbationem mentis, vel brevitatem temporis non possis elicere contritionem, & communices, aut celebres urgente necessitate, Vasq. Hore. Dian. Lug. & alii excusant a mortali, quia moralis impossibilitas tollit irreverentiam; sed Dicast. putat casum moraliter impossibilem, quia, si coneris, gratia Dei non deerit. Addunt Doctores hoc consilium, ut si non possis confiteri, nec conteri, comedas, si fieri commode potest, vel bibas aliquid coram aliis quasi per inadvertentiam; &, quam-

&, quamvis forte nascatur levis aliqua suspicio mali status, hæc non est tanti facienda, dummodo non sit gravis: Croix n. 536.

Quæres: An sit præceptum confitendi mortalia ante susceptionem, vel administrationem cæterorum Sacramentorum?

Respondeo, Rigoristas putare, talem peccatorem, quantumvis sibi videatur contritus, etiam teneri ante susceptionem, vel administrationem aliorum Sacramentorum confiteri. Sed, cum de hoc nullum inveniatur præceptum, communiter Doctores docent, tantam obligationem asserendam non esse absque magna auctoritate, vel evidenti ratione; ideoque Lug. d. 5. n. 114. ait, *Nullum esse dubium apud Theologos, quod tunc sufficiat contritio, etiamsi adsit copia confessarii, nec sit urgens necessitas*. Porro huc spectant fuse dicta tract. præc. d. 1. q. 2. c. 3.

CAPUT V.

Quod sit Præceptum Sacerdotibus confitendi Quamprimum?

TRIDENT. *sess.* 13. *c.* 7., postquam exposuit præceptum confitendi mortalia ante communionem, nec celebrationem, loquens specialiter de Sacerdote, qui cum sola contritione mortalium ob inopiam confessarii ex necessitate celebrat, ait, *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque confessione celebravit, quamprimum confiteatur*. Hoc non esse merum consilium, sed præceptum, declaravit Alex. VII. damnans hanc propos. 38. *Mandatum Trid. factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum*. Est tamen præceptum mere Ecclesiasticum, in quantum dicit, *Quamprimum*; sed obligans sub gravi, quia est in materia gravi, quæ multum facit ad reverentiam celebrandi: Doctores communiter. Itaque ly *Quamprimum*, non significat, quamprimum talis Sacerdos volet iterum celebrare, quia hæc obligatio antecedenter erat, & Trid. imposuit novam; ideoque idem Alex. VII. damnat hanc aliam prop. 39. *Illa particula Quamprimum intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. Igitur, si interea non celebret, adhuc debet confiteri quamprimum, hoc est, ad summum intra triduum; quia apud Juristas, quod fit intra triduum, dicitur fieri quamprimum, & continuo, ex *l. fin. C. de Judiciis*; Lug., Trul., Con., & alii apud Dian. p. 9. t. 3. r. 23. Si autem finita Missa habeat præsentaneum confessarium, quem postea intra triduum non est amplius habiturus, tenetur tunc confiteri; quia universim, qui ad aliquem actum intra certum tempus obligatur, tenetur prævenire, si non possit deinde præceptum implere: Lug., Dian., & alii communiter contra aliquos apud Dicast. Econtra vero, si habeat mortale reservatum, & nec tunc, nec intra triduum habere possit copiam, nisi simplicis Confessarii, non tenetur ei confiteri vi hujus præcepti, imo nec potest; quia non potest ab eo absolvi directe, nec est necessitas, ut absolvatur indirecte, ut supponimus: Dicast. d. 9. de *Euch.* n. 117.

Cæterum, ut obliget hoc præceptum confitendi quamprimum, tria simul requiruntur: conscientia alicujus mortalis, carentia Confessarii, & necessitas celebrandi: Doctores communiter ex Trid. cit. Hinc, si Sacerdos habens copiam Confessarii adhuc celebret inconfessus, etsi gravius peccet, non tenetur hoc præcepto, quia de hoc casu non loquitur Tridentinum, & in positivis non valet argumentum a minori ad majus: Suar., Vasq., Dian., & alii contra Sylvium. Item nec tenetur, si confessus celebravit invincibiliter immemor alicujus mortalis, quia non celebravit cum conscientia illius: idemque est, si immemor cujuscumque mortalis celebravit inconfessus: Gob., Dicast., & alii contra Præpos.; imo addit Moya, etiamsi ex negligentia non recordatus sit mortalium; quia sic adhuc celebrat absque conscientia illorum. Econtra vero, si post confessionem, antequam celebret, recordetur mortalis omissi, nec possit ad Confessarium redire, tenetur deinde confiteri quamprimum, quia sine illius confessione ex necessitate celebrat: Suar., Bon., & alii communiter contra aliquos apud Dian. p. 9. t. 3. r. 26. Idem dicunt Gob., & alii multi, si recordetur mortalis, dum actu celebrat, sive ante consecrationem, sive ante consumptionem; quamvis alii negent cum Pelliz., quia rubrica de illo, qui recordatur ante Missam, dicit, ut conteratur, & statim post confiteatur; de illo vero, qui recordatur intra Missam, solum dicit, ut conteratur.

Quæres, An etiam laici, qui ex necessitate communicant cum sola contritione mortalium, teneantur confiteri *Quamprimum*?

Respondeo Negative; quia hoc præceptum confitendi *Quamprimum* est mere Ecclesiasticum, & loquitur tantum de Sacerdotibus: ergo non est extendendum ad alios, cum in legibus positivis non valeat argumentum a pari: quare satisfacient confitendo illa mortalia in prima confessione, quandocumque eam erunt facturi. Hinc nec tenetur Sacerdos confiteri *Quamprimum*, si in dicto casu non celebret, sed more laicorum communicet: Vivald., & alii communiter: secus vero, si communicet, celebrando die Parasceves, vel perficiendo Sacrificium inchoatum ab alio coacto illud interrumpere; quia sic non communicat communione laica; sed Sacerdotali: Suar., Vasq., Lug. n. 129., & alii communiter, quamvis dubitet Dicast. n. 157.

QUÆSTIO II.

De Examine Conscientiæ.

EXAMEN conscientiæ est *Diligens perscrutatio peccatorum latentium in conscientia*: quoniam vero peccata mortalia sunt materia necessaria pœnitentiæ, venialia autem materia sufficiens quidem, sed libera; ideo videndum hic prius, quod examen sufficit præsertim pro mortalibus; deinde cætera ad examen ipsum spectantia expendemus.

CAPUT I.

Quod examen Conscientiæ sit sufficiens præsertim pro mortalibus?

EX Præcepto Divino tenetur pœnitens per se loquendo præmittere confessioni examen conscientiæ; quia ex eodem tenetur aperire confessario omnia, & singula mortalia, & nequit id communiter præstare, nisi se prius discusserit: Doctores communissime ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Qui ergo confitetur absque debito examine (excepto articulo mortis, de quo infra) peccat mortaliter, & tenetur ad iterandam confessionem, etiamsi suam negligentiam tunc confessus fuerit: Nav., Bon., & alii; nisi vero confessarius per diligentes interrogationes hunc defectum suppleverit, juxta mox dicenda.

Hoc examen ex Trid. cit. debet esse *Diligens*: sed hæc diligentia non exigitur exactissima, & summa; quia talis obligatio redderet Sacramentum maxime onerosum, & tædiosum; item conscientias inquietas, cum semper dubitare possent, an sufficientem diligentiam adhibuerint, quod est contra finem Sacramenti, & legem Christi suavem: Suar. d. 22. f. 10., & alii communiter. Exigitur ergo tantum diligentia moralis, & humano modo, pro capacitate pœnitentis, pro mora temporis ab ultima confessione, & pro reliquis circumstantiis occasionum, negotiorum, ac peccatorum in confuso pulsantium conscientiam: itaut cuique sufficiat regula, quam tradit Gob. t. 6. n. 491. Si conscientia testatur, esse a te adhibitam moralem diligentiam, quam adhiberet in negotio gravi, potes esse contentus.

Infers primo: Si post adhibitam moralem diligentiam, putes adhuc fore, ut, si plus temporis impenderes, occurrerent alia peccata, non ideo teneris plus temporis impendere; quia non teneris ad examen, quod ex se aptum sit generare horrorem, & tædium Sacramenti, & inquietudinem conscientiæ: Bon., Laym., Lug. d. 16. f. 15., & alii communiter. Quod si postea dubites, an in confessione præterita adhibueris, necne, debitam diligentiam, hoc indicio poteris dubium tollere: si enim plura mortalia memoriæ occurrant, quam quæ sunt confessa, non fuit diligentia sufficiens, ideoque teneris iterare confessionem: si vero aliqua, sed multo pauciora, credenda est sufficiens; ideoque satis est, si de omissis te accuses: Croix, & alii.

Infers secundo: Si ob fragilitatem tibi notam timeas, ne diu immorando in peccatorum examine, in eadem prolabaris consensu, poteris te examinare leviter, quamvis videas, ex defectu examinis te nonnulla omissurum, quia prævalet periculum vitandum: Tamb., & alii; & quid simile debet observare confessarius in ejusmodi interrogationibus de rebus turpibus, ut dicemus d. 2. Similiter, si pœnitens sit nimis scrupulosus, præstat leviter examinari, ob periculum faciendi odiosam confessionem,

nem, & ob summam difficultatem, quæ est moralis impossibilitas: Tamb., Pal., & alii.

Infers tertio, Neminem obligari adnotare scripto sua peccata, etsi forte timeat, se obliturum; nec qui multoties peccavit cum complice, tenetur illu interrogare pro investigando numero; nec, qui toto anno v. g. omisit Missam, tenetur videre in Kalendario dies festos, &c., quia hæ sunt diligentiæ extraordinariæ, quas Trid. non exigit, sed tantum *Diligentem sui discussionem*, in suis scilicet cogitationibus, varbis, operibus, & omissionibus.

Infers quarto: Pœnitens, quantumvis sciat, se a confessario esse diligenter interrogandum, nihilominus communiter tenetur se examinare; quia alioquin exponeret se periculo, vel perperam respondendi, vel aliqua penitus omittendi. Potest tamen hic talis esse contentus minori diligentia, præsertim quoad species peccatorum communes hominibus sui status: Suar. d. 2x. s. 11. Addit tamen, quod in hoc, vel simili casu possit quidem examen suppleri a Confessario; non vero in confessionibus longis, quin tunc impossibile fere est, ut quis repente interrogatus, recordetur omnia: & tantum id admittit in rudibus, qui se examinare nequeunt; quos admonet Sa *v. Confessio*, non esse nimis interrogandos de confessionibus præteritis bona fide factis, nisi intelligatur aliquid defuisse.

Infers demum, Timoratis, & frequenter confiteri solitis sufficere modicam diligentiam; quia non obligantur ad diligens examen venialium, utpote non cadentium sub præceptum confessionis; & aliunde, si peccassent mortaliter, certe ob oculos peccatum illud haberent: Tamb., Gob. n. 488. Idem est de eo, qui una, vel altera hora post absolutionem relabatur in mortale, & mox recurrat ad confessionem. In articulo autem mortis ea diligentia est adhibenda, quæ pro circumstantiis morbi, & temporis potest moraliter fieri: Doctores communiter.

CAPUT II.

Reliqua ad examen Conscientiæ spectantia expenduntur.

VIDENDUM hic Primo, Quomodo discerni possit veniale a mortali? Secundo, Quomodo cognosci possit peccatorum numerus? Tersio, Quomodo peccatorum species? Quarto, Quomodo circumstantiæ mutantes speciem? Quinto demum, Quomodo discerni possint peccata contra singula Decalogi Præcepta?

§. I.

Quomodo discerni possit Mortale a Veniali?

UT in Conscientiæ examine discerni possit mortale, quod est materia necessario confitenda, a veniali, quod est materia libera, hæc traditur regula a Doctoribus: Ibi est mortale, ubi concurrunt hæc tria, *Gravitas materiæ, Plena advertentia, & Plenus consensus*: contra vero ibi est veniale, ubi unum horum deficit, itant decidat a mortali, ratione, vel parvitatis materiæ, vel semiplenæ advertentiæ, vel semipleni consensus: quia tamen de hoc fuse actum est in de conscientia tom. 1. tr. 5. d. 1. q. 1. c. 2., & seq., idcirco hic amplius immorari non vacat. Porro quid agendum sit Pœnitenti, si dubitet, an plene consenserit in tentationem, necne? vide ibid. cap. 4. circa medium.

§. II.

Quomodo discerni possit peccatorum numerus?

TRIA hic forent examinanda, Primo, An actus physice unus possit esse multiplex numero peccatum? Secundo, An actus physice plures possint esse unum numero peccatum? Tertio, Quomodo peccatum numero multiplicetur per retractationem, aut interruptionem? Sed de his vide etiam abunde dicta loco jam cit. §. antec. circa finem capitis 2.

Duo tantum ad illius Doctrinæ complementum hic addenda reor. Alterum est, ut, quæ ibi dicta uberrime sunt de peccatis commissionis, dicantur proportionaliter de peccatis omissionis: v. g. Qui retinet rem alienam invito domino, toties peccat, quoties retractat voluntatem restituendi: item, quoties ex impotente evadit potens, & non restituit, cum per impotentiam discontinuata fuerit prior voluntas, ut not. Pal. Putat etiam Suar. cum aliis, multiplicari tale peccatum per interruptionem somni, aut omnimodæ distractionis; quia tunc nihil manet exterius, in quo continuetur. Sed in hoc contradicunt Lug., & alii, quia, si prior voluntas fuit efficax, non omnino periit in somno, sed mansit in aliquo suo effectu, etiamsi insensibili. Qui vero a primo mane festi decernit non audire Missam, & sæpe usque ad meridiem repetit hanc voluntatem, Ovied. dicit, fore unum peccatum, qualescumque fuerint tunc interruptiones (dummodo non adsint etiam retractationes) quia a primo mane incipit exterius peccare per omissionem Missæ, ex D. Th. 2. 2. q. 79. a. 3. ad 3., & hæc una omissio quasi continue perducitur usque ad meridiem.

Alterum est statuere, quid agendum sit pœnitenti, cui sit moraliter impossibile scire numerum suorum peccatorum? Qua in re dico, notandum apud se esse tempus, quo ita male vixerit; tum quoties circiter soleret per diem, vel hebdomadam, vel mensem peccatum suum repetere; tum si uno tempore plus peccaverit, quam alio, &c. Sic enim exponendo statum suum Confessario, satisfacit tali præcepto examinis, & confessionis; quia facit, quod potest: Doctores communiter: Hinc si meretrix v. g. quibuscumque exposita scire nequit quot personas, vel quot conjugatas, quotve liberas, aut sacras admiserit, vel parata fuerit admittere, satis est, si examinet, & dicat, quanto tempore ita vixerit parata ad quosvis; & an sæpe in hebdomada solita sit reipsa, vel saltem animo, quoslibet promiscue admittere; nec debet Confessarius eam ultra urgere ad certum numerum exprimendum, quia plerumque urgebit ad errandum, ut satisfaciat suæ scrupulositati. In peccatis vero, quæ sunt enormiora, aut rarius fiunt, facilius sciet numerum saltem circiter; quantum autem exprimat hoc verbum *Circiter*, dicemus q. 3.

§. III.

Quomodo discerni possint peccata specie diversa?

HÆC regula communiter traditur a Doctoribus: *Illa peccata specie differunt inter se, quæ, vel opponuntur diversis virtutibus, vel eidem virtuti modo notabiliter diverso*. Itaque, præter dicta hac super re in de conscientia cap. supra cit. quæsito tertio, quod fac consulas, Hic nota

I. Ex Sanch. l. 4. *Decal.* c. 11. n. 15., si parens filio imperet hodie studium, eras aliud negotium, licet materiæ secundum se sint notabiliter diversæ, tamen neglectus utrinsque sunt duo peccata numero tantum distincta: & satisfit dicendo, *Bis fui inobediens Patri*; quia hujus intentio censetur esse ex eodem motivo. Idemque est, si quis frangat votum jejunii, & votum orandi; sunt enim duo peccata numero tantum distincta, & satisfacit dicendo: *Bis fregi votum*.

II. Mollities, Fornicatio, Sodomia, Bestialitas specie differunt; quia, etsi opponantur eidem virtuti castitatis, opponuntur tamen modo notabiliter diverso; hoc est (ut bene Tanner. d. 4. *de Peccatis* ex Valent.) adeo diversa ratione, & malitia opponuntur eidem virtuti, ut qui est propensus ad unum eorum, quantum est ex malitia peccati; non sit similiter propensus ad aliud. Jure proinde damnatur ab Alex. VII. prop. 24. *Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem*: & propos. 25. *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit Confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam*. Similiter peccatum commissionis, & peccatum omissionis circa eandem virtutem possunt specie distingui, ut odium Dei, & omissio amoris debiti: item hæresis, & ignorantia respectu ejusdem articuli; item positive occidere proximum, & permittere emori fame; ideoque opus est id explicare in confessione: Dicast. d. 9. n. n. 396., & alii contra Montesin.

III. Licet copula incœpta, & completa opponantur eidem virtuti; quia tamen diversimode, ex dictis etiam in de Consc., opponuntur; idcirco earum diversitas est explicanda: similiter, si quis tangendo solutam se polluat, id debet explicare, quia non sufficit explicare solos tactus: item in Sodomia probabilius est explicanda in confessione, tanquam mutans speciem, circumstantia Agentis, vel Patientis; quia diversa est species malitiæ se polluentis, quam peccatum patientis: Doctores communiter contra Dian. p. 11. tr. 1. ref. 51. Item explicandum est, an ea commissa sit cum mare, an femina, an cum consanguineis, vel affinibus, & an uxoratus propria

uxo-

uxore abuſus ſit. Itam, num procurata ſic pollucio tactibus propriis, an alienis, vel cum aliqua commixtione corporum: Buſemb., Fill., & alii. Similitcr explicanda verius videtur in fornicatione circumſtantia ſponſi, vel ſponſæ de futuro, ob injuriam, quæ alteri ſponſo irrogatur; quamvis non ſit adulterium: ſicut & in inceſtu circumſtantia perſonæ in primo gradu lineæ rectæ ob ſpecialem violationem pietatis. Item probabilius circumſtantia filiæ legalis, vel ſpiritualis; videtur enim, quod confeſſarius peccans cum pœnitente ſacrilegium ſpeciale committat ratione vinculi ſimilis cognationi ſpirituali ax Sacramento contracti; item circumſtantia diſparitatis cultus, ob injuriam Sacramento Baptiſmi irrogatam peccando cum infideli; item videtur ſacrilegium diverſum, ſi quis peccet cum Sacerdote, ac ſi cum Religioſo, cum videatur diverſæ ſpeciei votum Caſtitatis unius, & alterius; & ſimiliter votum Caſtitatis ſolemne videtur communius ſpecie differre a voto ſimplici, contra Sanch. Similiter, ſi inducatur mulier ad peccandum, explicanda eſt circumſtantia inductionis, & ſcandali. Similiter demum in peccato adulterii explicandum eſt, an conjugatus peccaverit cum libera, an liber com conjugata; & in peccato ſacrilegii, an habens votum peccaverit cum non habente, an vero non habens votum com habente: Doctores communiter contra Dian. Reliqua habentur in præcepcis Dec. pro ſuis cujuſque materiis, quæ omnia habebis etiam infra in compendium redacta ſub finem hujus capitis §. 5.

Quæres primo, An exponere ſe periculo peccandi ſit ejuſdem ſpeciei cum eo peccato?

Reſpondeo affirmative; quia quælibet virtus obligat ad fugam periculi, & occaſionis ſuæ tranſgreſſionis, adeoque contra illam ſpeciatim peccatur: hinc, qui ſemel ſe expoſuit periculo v. g. ebrietatis, & ſemel periculo incontinentiæ, non ſatisfacit dicendo, *Bis me expoſui periculo peccandi*; ſed debet explicare objectum periculi. Imo, licet incontinentia, & ejus periculum ſit ejuſdem ſpeciei, debet explicari utrumque, ſi utrumque ſit ſeorſim admiſſum; quia ſecus vel confiteteris, quod factum non eſt, vel non confitereris, quod factum eſt; debet enim dici illa ſpecies infima, quæ reipſa eſt admiſſa: Doctores communiter.

Quæres ſecundo, Ad quam ſpeciem peccati pertineat jactantia de peccato præterito?

Reſpondeo, Probabile eſſe (dummodo abſit delectatio, deſiderium, ſcandalum, & infamia) unam continere ſpeciem irreverentiæ contra Deum, cujus offenſa eligitur ad captandam gloriam; ideoque per ſe loquendo non eſt opus explicare in ſpecie, de qua re te jactes, ſed ſufficit dicere, *Jactavi me de mortali*: Nav., Dian., Pal., Tamb. l. 2. *Conf.* c. 2. n. 10. Dixi *Probabile*; Nam oppoſitum probabilius reputant Sanch., Rodr., Dicaſt., Croix n. 1125., quia, ſicut quævis virtus ſpecialiter obligat ad non inducendum alium ad ſui tranſgreſſionem, ita etiam ne glorieris de ipſius tranſgreſſione, quia ſic etiam vilipenditur ſpecialis ipſius honeſtas. Cæterum non eſt opus addere, an revera commiſeris id, de quo te jactas, quia eadam aſt irreverentia, ſive peccatum ſit verum, ſivo ſalſum; & mendacium, quod additur, ſecundum ſe eſt tantum leve: Cajet. Nav., Sanch., Tamb. n. 12.

Quæres tertio, Ad quam ſpeciem peccati pertineat deſiderium?

Reſpondeo, Ad eam ſpeciem peccati, cujus eſt deſiderium: Doctores communiſſime: hinc non ſolum differunt ſpecie deſiderium furandi, & fornicandi; ſed etiam deſiderium aſpiciendi, tangendi, oſculandi, fornicandi, &c. ſingula ab invicem ſpecie differunt, quia tendunt in iſta objecta, prout a parte rei ponerentur; &, ſi a parte rei ponerentur, diſtinguerentur ſpecie, ut patet. Si autem quis concupivit mulierem non reflectens ad ejus conditionem, an ſcilicet eſſet libera, an conjugata, an conſanguinea, an voto adſtricta, &c., itaut nullam habuerit advertentiam ad has circumſtantias, ſatisfacit dicendo, *Deſideravi mulierem*: at in dubio, an adverterit; ſi ſolitus erat abhorrere ab adulterio, inceſtu, ſacrilegio, præſumi poteſt, quod fuit deſiderium ſolius fornicationis; ſi ſolitus erat ſine diſcrimine concupiſcere quaslibet, cenſeri debet reus omnium; unde accuſare ſe debet etiam de hac animi ſui diſpoſitione: Croix n. 1033. Plura de his vide in de Conſcientia loc. cit. cap. 2. quæſit. 3.

Quæres quarto, Ad quam ſpeciem peccati pertineat delectatio moroſa?

Reſpondeo (breviter tamen, cum huic quæſito ſatisfactum etiam ex parte ſit in de Conſcientia loc. cit.) Si delectationes moroſæ ſine de objectis diverſis formaliter ut talibus, vel de eorum circumſtantiis formaliter ut talibus, ſpecie inter ſe diſtingui pro illorum diverſitate: v. g. ſi quis ſecum delectatur de copula cum conjugata ut tali, contrahit malitiam adulterii, & ſic de aliis; quia actus ſpecificatur a ſuo objecto: Doctores communiſſime. At, ſi materialiter tantum ſerantur in talem circumſtantiam tenentem ſe ex parte objecti, quæ ideo non ſit expreſſe, vel directe volita: v. g. ſi quis ſecum delectetur de copula cum conjugata, itaut nec deſideret, nec delectetur de illa, prout eſt cum conjugata, Sanch., Leſſ., Lug., & alii multi adhuc dicunt, contrahere ſpecialem malitiam illius circumſtantiæ adulterii; ideoque hoc eſſe exprimendum in confeſſione. Sed oppoſitum dicunt etiam practice probabile Con., Sal., Fill., Bonac., Pal., Averſ., Ovied. Dicaſt., Carden., Croix num. 1024., & alii multi; quia, cum delectatio ſit actus inefficax, non tendit ad tale objectum, prout a parte rei poneretur (uti econtra aſt deſiderium) ſed prout eſt delectans; circumſtantia autem conjugatæ non habet in caſu delectationem; adeoque voluntas affective præſcindit a tali circumſtantia: ergo ſatis eſt dicere: *Habui delectationem moroſam de copula*; ſi autem ſit delectatio moroſa ſemel de pollutione, ſemel de copula, &c. etiamſi non ut talibus, non ſatisfacis dicendo, *Bis delectavi me in objecto turpi*, quia delectatio de pollutione eſt inchoata pollutio, de copula eſt inchoata copula, &c., ergo ſpecie diſtinguuntur: Dicaſt. poſt Vaſq., Leſſ., Pal., & alios contra Bertean, & alios apud Moyam c. 3. d. 5. n. 81.

Porro ad quam ſpeciem pertineat ſcandalum, ſeu inducere alterum ad peccatum, vide ſuſe dicta de Scandalo tom. 1. tr. 2. d. 2. q. 1. c. 3. §. 3. Sicuti demum, ad quam peccati ſpeciem pertineant, quæ fiunt ex conſcientia erronea, vel ignorantia culpabili, vel practice dubia, vide dicta in de Conſcientia. q. 2., & 3. per totas.

§. IV.

Quomodo diſcerni poſſint Circumſtantiæ mutantes ſpeciem?

CIRCUMSTANTIA peccati ſupponit illud in certa ſpecie malitiæ conſtitutum; eam tamen malitiam aliter afficit, vel augendo tantum, aut minuendo; vel etiam addendo novam ſpeciem peccati, addendo ſcilicet novam oppoſitionem virtuti diverſæ, aut eidem virtuti modo notabiliter diverſo. Atque hæ circumſtantiæ ex Ariſtotele, & Cic. ap. D. Th. 1. 2. q. 7. a. 2. præcipue ſunt ſex contentæ in hoc verſu:

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

I. *Quis* ſignificat perſonam agentem, vel patientem: ut ſi Sacerdos ſit fornicatus, vel ſolutus cum conjugata; ibi enim additur circumſtantia ſacrilegii, hic adulterii; imo videtur apud Illſun. diverſum ſpecie ſacrilegium, ſi ſit Sacerdos, vel ſi ſit Religioſus, vel habeat votum ſimplex caſtitatis: ſed probabile eſt etiam oppoſitum apud Sanch. Huc ſpectant omnia dicta §. 3. nuper expedito ſub num. 3. Denique injuſta læſio perſonæ in bonis corporis, honoris, aut famæ habet novam ſpeciem impietatis, ſi ſit in parentes, aut filios, aut conjugem, & probabilius etiam in fratrem, & ſororem: Illſun., Lug., Con., & alii. Non vero læſio in bonis fortunæ; furtum enim his factum non eſſet impietas, niſi etiam lædaret in corpore, honore, &c. Contra autem Superiorem, vel Benefactorem non habetur impietas, ſed tantum peccatum majus: Illſ.

II. *Quid* ſignificat materiam peccati: ſic in odio explicanda eſt qualitas mali alteri voliti, vel in bonis animi, vel corporis, vel fortunæ: in gaudio vero de malo alieno, vel in triſtitia de ejus bono, videtur recurrere eadem doctrina, quam §. antecedenti diximus de delectatione moroſa, cui hæc comparantur; dummodo abſit voluntas efficax, ac deſiderium.

III. *Ubi* ſignificat locum, ratione cujus peccatum contrahere poteſt ſpeciem ſacrilegii: Primo, Per effuſionem ſanguinis, vel ſeminis (& probabiliter etiam non publicam) in loco Sacro, hoc eſt intra Eccleſiam, non autem in Sacriſtia, &c. Secundo, Ob furtum e loco Sacro, hoc eſt Eccleſia, & Sacriſtia: at non e clauſtro, &c., etſi furtum rei ſacræ de ſacro, probabilius ſunt duo ſacrilegia ſpecie diſtincta: ſi autem crumenam fureris ab homine in Eccleſia, probabile eſt, non eſſe ſacrilegium, quia non furaris de Sacro (ut dicitur cap. *Quiſquis* 17. *q.* 14., & denotat depoſitum in Eccleſia) ſed in Sacro: Lug., & alii contra Suar., & alios. Si autem fureris

de Sacro per effractionem, incurris etiam excommunicationem reservatam Papæ c. *Conquesti de Sent. Exc.* Tertio, Per extractionem rei a loco Sacro, etiam Claustro, Cœmeterio, domo Episcopi, &c. Addunt tamen Fagun., Dicast., & alii, per publicas pugnas, percussiones hominum sine sanguine, contumeliosas rixas mulierum, exonerationem ventris, & similia, contrahi specialem malitiam sacrilegii, si fiunt in Ecclesia, quia specialiter dedecent, & inhonestant locum Sacrum, maxime si ibi asservetur Venerabile. Idemque est turpis comœdia in Templo: Suar., Bon., vel turpis cantio publice inter Divina Officia: Gob., vel turpis tactus publicus ante Altare: Lug., non autem oscula, aut tactus in alio loco Templi: Sanch.

IV. *Quibus auxiliis* significat instrumenta, & concausas, quæ mutant speciem, si specialem malitiam continent: uti si ope dæmonis aliquem occideris: & diversum etiam est, si cum expressa, vel cum tacita tantum ejus invocatione. Item si alios ad crimen induxerit, si verbo, exemplo, præsentia animaveris, &c.

V. *Cur* significat finem externum operantis, ut si fureris vinum, ut te inebries. Si autem omittas Missam die festo, ut studeas, satis est dicere, *Omisi Missam die festo*, quia inordinatus amor studii non est peccaminosus quoad intentionem finis, sed quoad omissionem Missæ. Contra vero, si pridie festi eas absque justa causa ad locum, ut ad Missam audiendam redire nequeas, non satisfacis dicendo, *Omisi Missam die festo*, sed opus est dicere: *Ex intentione non audiendi, &c. aliquid egi, quo me reddidi impotentem*, quia hic finis ipse est substantia actus peccaminosi: Ill., & alii.

VI. *Quomodo* significat modum, quo actio fit, qui, si sit specialiter inhonestus, mutat speciem: sic, qui feminam violenter luxuriæ causa abducit, committit peccatum raptus: qui vi alicui sua eripit, exercet rapinam: huc etiam reducitur modus, quo fit actio ex plena, vel semiplena deliberatione, ex scientia, ignorantia, conscientia erronea, &c., de quibus fuse dictum est in de Consc.

VII. *Quando* significat tempus, ut an die festo exercueris opera servilia, confabulatus sis in Missa, & quamdiu. Putant non pauci, nec ignobiles Doctores apud Sanch. l. 5. *Consil. c. 2. dub. 3.*, Omne mortale die festo commissum ob oppositionem cum divino cultu, habere speciem irreligiositatis, ac sacrilegii, quia cap. *Omnis l. de Feriis* specialiter præcipitur, *Die Dominice ab omni opere illicito abstinere*; & D. Aug., & D. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. *Magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo*. Sed communius, & probabilius Doctores apud Lug., Sanch., & Dian. p. 1. t. 7. r. 32. hoc negant ex communi praxi Confessariorum, & Pœnitentium, non curantium de hac circumstantia: text. autem, & PP. cit. tantum volunt, mortale die festo commissum gravius opponi fini ultimo sanctificandi festum, quam opponantur opera servilia alioqui licita; non autem quod tunc prohibeatur speciatim ex motivo religionis; uti prohibetur opus servile; hoc enim est materia præcepti sanctificandi festum, illud opponitur fini talis præcepti, & finis legis non cadit sub legem: Illsung. Cæterum, si peccatum fieret ex intentione profanandi, & contemnendi diem festum, utique esset species irreligiositatis, ac sacrilegii ob gravem contemptum Dei.

§. V.

Quomodo discerni possint peccata contra singula Decalegi Præcepta?

I. CONTRA primum præceptum: Errores, vel dubia in fide sunt ejusdem speciei in quacumque materia sint: qui ergo dubitavit semel de Eucharistia, semel de Purgatorio, semel de æternitate animæ, satisfacit dicendo, *Ter dubitavi in fide*; quia tota malitia desumitur ex oppositione cum divina auctoritate, quæ est eadem in omnibus. At ignorantia culpabilis Mysteriorum, dubium de fide, & positiva hæresis, distinguuntur specie inter se; sicut etiam apostasia a fide, & infidelitas; uti etiam defectio a fide in Judaismum, Paganismum, Hæresim, &c., quia hæ sectæ diversam habent oppositionem cum Religione: Lug. d. 16. n. 291. Superstitio cum pacto explicito specie differt ab ea, quæ fit cum pacto tantum implicito, & tacito ob malitiam notabiliter diversam. Sanch., Bon., & alii contra Dian. p. 1. t. 7. r. 66. Divinatio, sive fiat per aves, sive per stellas, &c., est ejusdem speciei; si autem misceantur sacra profanis, accedit species sacrilegii: Dian., Less., & alii: item hæresis tantum externa specie differt ab ea, quæ est simul interna, quia hæc habet strictam rationem hæresis, & afficitur excommunicatione Bul. Cœn. Denique simonia juris naturalis specie differt a simonia juris tantum Ecclesiastici, ob turpitudinem notabiliter diversam: Croix n. 993.

II. Contra secundum: Blasphemiæ in Deum, B. V., & SS., ex Suar., Sanch., Less., & alii communiter distinguuntur specie, sicut distinguuntur latria, hyperdulia, & dulia; tamen Cajet., Dian, Tamb., & alii probabiliter etiam negant, quia omnes blasphemiæ speciem sumunt ab ipso Deo, sive in se, sive in suis Sanctis honorando. At, si blasphemia sit hæreticalis, accedit species hæresis: Lug. communiter. Vide dicta tom. 1. cap. *de Blasphemia* §. 1. quæsit. 3. Juramenta per Deum, Sanctos, vel alias creaturas Dei sunt ejusdem speciei, quia in omnibus idem Deus vocatur in testem: Lug. n. 287. Item jurare, quod non vis implere, vel quod scis esse falsum, vel de quo dubitas, an sit verum, sunt ejusdem speciei: Dicast., & alii. At perjurium execratorium specie differt a simplici, quia est etiam contra charitatem propriam: Dicast. d. 9. n. 538, contra Lessium. Pal. dicit, perjurium assertorium spe differre a promissorio: sed negant Suar., Cajet., & alii, quia utrobique vocatur tantum Deus in testem animi præsentis. Vota facta Deo, B. V., vel aliis SS. sunt ejusdem speciei, ut dictum est de Juramento; item de quacumque re gravi fiant: sic qui vovit Jejunium, Missam, Rosarium, & nihil implevit, satisfacit dicendo, *Ter transgressus sum grave votum*: Dicast., Lug., & alii. At, si votum fuerit juratum, est etiam contra fidelitatem: Tamb., & alii. Qui vovit jejunium conditionate, si furetur, confitens furtum tacere potest votum, dummodo impleverit; qui vero vovit non furari, &, si furetur, jejunare; confitens furtum addere debet, fregisse votum non furandi, etsi jejunavit, quia commisit sacrilegium; qui autem vovit vel non furari, vel jejunare, confitens furtum tacere potest de voto, dummodo jejunaverit: Croix n. 1003.

III. Contra tertium: Ejusdem speciei est die festo exercere opus servile, ac forense tunc prohibitum: diversæ vero omittere Missam. Si tunc diu confabuleris in Missa inducendo alium, Tamb. putat, unum esse peccatum, dummodo paratus ille esset ad confabulandum; secus si eum compuleris. Qui die Natalis Domini unam audit Missam, non peccat; si nullam, unum peccatum est, etsi inciderit in Dominica, quia peccat tantum contra Religionem; secus, si eam etiam voverit, vel Confessarius adjunxerit in pœnitentiam. Eadem dicenda sunt de jejunio: nam violatio jejunii quadragesimalis per comestionem carnium specie differt a comestione lacticiniorum, ob notabilem diversitatem oppositionis cum temperantia, & similiter a comestione multiplici cibi non vetiti: Sanch., Ovied., & alii: & multiplex comestio carnium est multiplex peccatum, non vero multiplex cibi non vetiti. De comestione vero lacticiniorum in jejunio extra Quadragesimam, vide, quæ diximus in de Jejun. tom. 1. d. 1. q. 4. c. 4. §. 1. Qui in mortali suscipit Sacramentum vivorum, peccat peccato diversæ speciei ab eo, qui in peccato ministrat, quia ultra irreverentiam impedit in se ejus effectum. Qui in excommunicatione, & simul in mortali, & simul non jejunus communicat, Vasq., Dian., Lug., Tamb., Gob., & alii putant, unum peccatum committere contra reverentiam Sacramenti; sed probabilius Bon., Avers., & alii dicunt duo specie distincta, quia contra excommunicatum, & non jejunum est præceptum Ecclesiasticum ex motivo reverentiæ erga Christi Corpus, & contra peccatorem est præceptum divinum ex motivo non frustrandi Sacramentum suo effectu. Et idem est, si Sacerdos in mortali; & simul sine vestibus sacris, vel extra lapidem, vel cum corporali plicato celebret: Dicast., & alii: celebrans etiam in solo mortali peccat ut minister, & ut suscipiens. Qui culpabiliter omisit communionem Paschalem, & communionem per Viaticum, duo peccata commisit specie distincta; ob motiva præceptorum diversa. Qui autem suscipit Sacramentum pœnitentiæ sine debito examine, & sine dolore, & sine integritate, unum peccatum committit; ideoque satis est dicere: *Confessus sum sacrilege*. Probabile item est, Sacerdotem, qui sit & Beneficiatus, & Monachus omittendo Horas unum peccatum committere, adeoque satis foret dicere, *Omisi Horas debitas*; non enim peccat contra justitiam ratione beneficii, sed tantum non facit fructus suos: Henr., Sanch., Fill., Sal., Pelliz., Tamb., Pal., & alii contra Suar., Laym., Bonac, & alios.

IV. Con-

IV. Contra quartum : Odium, detractio, contumelia, &c. facta contra parentes sunt diversæ speciei ab injuriis alteri factis, quia sunt contra pietatem ; & nomine patentum venit etiam avus, & proavus: Lug. n. 298. Tamb. l. 2. *Conf.* c. 5. At, si furatus es parenti, satis est dicere, *furatus sum*, quie non est actio contra pietatem, nisi inducat periculum paupertatis : Croix n. 1006. Injurie, quam pater infert filio, aut nepoti, conjux conjugi, frater fratri, differunt specie; quia, licet singulæ sint contra pietatem, tamen in singulis est diversa deformitas ratione diversi tituli conjunctionis: at si injuria sit contra elios etiam propinquos, etiam benefactores, &c. non contrahit novam speciem in confessione explicandam; uti nec si fiat contra Sacerdotem; dummodo non sit percussio : Lug. n. 310. Si injuria fiat Superiori, qua tali, additur nova species contra reverentiam; hinc, si formali contemptu transgrediaris ejus præceptum leve, præter inobedientiam levem additur malitia gravis contra reverentiam debitam ; non tamen, si non tangat illum, ut Superior est; ut si reveles secretum, quod Superior tanquam amicus tibi commisit: Lug. n. 309. Nota demum, quod lex, & præceptum Superioris facere potest, ut actio præcepta, vel prohibita spectet ad illam virtutem, ex cujus motivo præcipitur, aut prohibetur; hinc Subdiaconus v. g. qui non vovit castitetem, si fornicetur, fit sacrilegus, quia contra præceptum Ecclesiæ id ei prohibentis ex motivo Religionis: Doctores communiter.

V. Contra quintum : Qui occidens præterea discerpet cadaver, præscindat membra, evellat cor, &c. fit reus malitiæ specie distinctæ, nempe feritatis. Suar. Lug. Tamb. & alii ; a fortiori, si hæc faciat adhuc spiranti, &c. Item velle occidere, & velle tantum graviter vulnerare, specie differunt, quia contra jura diversa ad vitam, & ad integritatem corporis. Similiter imprecari mala diversi generis, scilicet in fortunis, in honore, in corpore, in anime: Ov. & alii. Si odium sistat in mera delectetione mali proximi, vel displicentia ejus boni, absque voluntate efficaci, recurrit doctrina de delectatione morosa; idemque ait Lug. d. 16. n. 259. contra Suar. si odium sistat in mera desiderio inefficaci sine voluntate inferendi malum, quod tantum quasi fovetur, quia erit tantum contra charitatem in genere.

VI. Contra sextum: De hoc multa sunt dicta paulo ante §. 3. n. 2. & 3. per totos: plura dicentur alibi, præsertim in de Matrimon. Aliqua hic addo. Qui peccat cum conjugata, etiam consentiente marito, adhuc committit adulterium, ex proposit. 50. damnata ab Inn. XI. Si conjux in actu conjugali cum sua se morose delectet cum alia velut præsente, est species adulterii; ut etiam, qui accedit ad suam putans esse alienam: Sanch. & alii. Item specie differunt copula inchoata in vase, vel circa vas innaturale, & deinde perfecta in naturali. Item consummata extra vas est contra naturam; si autem in actu ipso pœnitentia ductus quis se retrahat a copula illicita, non peccat de novo, etsi prævideat semen decisum diffundi, quia id accidit tali voluntati bonæ : Sanch. Less. Qui habet votum castitatis, & causat in alio pollutionem tactibus, &c. peccat contra votum: Doctores communiter: si autem solo consilio, vel mendato, negant Sanch. & alii, affirmant Carden. & alii, quia castitas prohibet, ut nihil directe contra se procuretur. Prima fornicatio, vel pollutio tollentes virginitatem, secundum D. Th. Bonac. & alios distinguuntur specie a reliquis, quia opponuntur virginitati, quæ videtur habere specialem honestatem a castitate in communi ; sed negant Lug. & alii plures (nisi vero per fraudem, dolum, aut vim defloretur virgo) quia semper est contra castitatem tantum, ut primum furtum contra justitiam tantum. Equidem non est circumstantia aperienda necessario in confessione, quia virginitas non cadit sub præceptum, sed consilium, ax Ap. 1. 1. ad Cor. 7. Denique, si virgo sub potestate parentum consentiens defloretur, Fill. & alii putant, esse stuprum, quia fit specialis injurie parentibus ; sed negat Sanch. quia virgo tantum est domina sui corporis, & stuprum est vis ei illata; si autem inferatur non virgini, Jo. Sanch. putat, non mutare speciem: sed recte contredicunt alii eum D. Th. quia semper est contra justitiam.

VII. Contra septimum : Furtum per usuram, vel alium dolosum contractum est ejusdem speciei eum aliis furtis: rapina vero differt, quia fit per vim illatam personæ. Si furatus sis heri equum, hodie pecuniam, cras vestes, satisfacies dicendo, *Commisi tria furta gravia*, quia materiæ hic sunt moraliter ejusdem speciei. Si occasione confessionis fureris aliqnid Confessario, Lug. & alii dicunt, esse grave sacrilegium, etsi res sit levis, quie videtur cedere in gravem irreverentiam Sacramenti : sed negat Avers. si res sit levis, uti dicitur etiam de levi mendacio in Confessione; imo, etiamsi res sit gravis, dummodo animus, & furtum fuerit post absolutionem.

VIII. Contra octavum: Etsi mendacium in re levi semper sit leve, est tamen semper mortale, si addatur juramentum: dicere autem *In conscienzia mia*, ex dictis etiam in de Juram. non est tale (nisi adsit conscientia erronea) per se enim significat interpositionem suæ auctoritatis fide dignæ.

IX. Contra nonum : De non concupiscenda re aliena, &

X. Contra decimum: De non concupiscenda muliere aliene dictum est jam paullo ante §. 3. ubi de desideriis, & delectatione morosa, & fusius in de Conscient. loc. sup. cit.

QUÆSTIO III.

De Cordis Contritione.

CORDIS Contritio, ut vocatur a Florentino, definitur a Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. *Est animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Hæc contritio sic generice accepta dividitur ab eodem Trid. *can.* 3. *& can.* 5. in perfectam, quæ absolute vocatur *Contritio*, & in imperfectam, quæ ab eodem appellatur *Attritio*. Itaque ad vitandam æquivocationem, contritionem generice acceptam dicemus dolorem de peccatis; hunc deinde dividemus in dolorem perfectum, quem vocabimus Contritionem; & in imperfectum, quem dicemus Attritionem; tum demum agemus de Proposito.

CAPUT I.

Quid de Dolore peccatorum?

VIDENDUM I. Quinam dolor requiratur ad valorem hujus Sacramenti? II. Quæ sint ejus Qualitates? III. Quando debeat elici?

§. I.

Quinam dolor requiratur ad pœnitentiæ valorem?

DICO primo : Ad Sacramentum pœnitentiæ essentieliter requiritur dolor formalis peccatorum : Doctores communiter cum Suar. d. 20. s. 1. ubi oppositum vocat temerarium, & Vasq. erroneum. Ratio est, quia Flor. & Trid. loc. cit. requirunt absolute, & simpliciter aliquam contritionem tanquam partem hujus Sacramenti; atqui contritio est dolor, & detestatio de peccato commisso, ex eod. Trid. ergo requiritur dolor simpliciter, adeoque dolor verus, & formalis.

Hinc: Primo, Non satis est dolor virtualis, contentus in amore Dei super omnia, ut putavit Sylv. quia, quamvis amor Dei sit dolor virtualis, tamen absolute, & simpliciter non potest dici dolor, sed cum addito: ergo, quamvis per ipsum justificetur peccator extra Sacramentum, tamen per ipsum sine dolore formali non potest haberi Sacramentum. Similiter nec satis est solum propositum non peccandi de cætero, ut censuit Victor. quia est tantum dolor virtualis. Nec satis est voluntas suscipiendi hoc Sacramentum cum negatione actualis effectus ad peccatum, ut censuit Rosel. nec quæcumque displicentia peccati cum velleitate non peccandi de cætero, ut censuit Granad. quie nihil horum est dolor formalis. Atque hæc omnia procedunt etiam in confessione venialium; itaut peccaret etiam mortaliter, qui absque dolore formali confiteretur venialia; quia, quamvis venialia sint materia levis, tamen frustrare Sacramentum est ex toto genere peccatum grave: Doctores communiter contra Fabr. Secundo, Neque satis est dolor putatus, nempe, si quis bona fide putet, se dolere, cum reipsa non doleat, ut putarunt Cordub. Sot. Cajet. Con. & alii; quia, quamvis sic confitendo excuseris a sacrilegio, tamen bona fides non potest dare sufficientiam, quam dolor ex institutione Christi habet in Sacramento; & a fortiori nec satis est dolor tantum externus, seu ore manifestatus, quo quis dicat Confessario, se dolere, & in corde non doleat, ut putavit Carolus ab Ascensione in suo Pentalogo, quia Florent.

requirie contritionem cordis. Tertio demum, Nec faeis est dolor, quo quis doleat, se non dolere, ut putaront Palud. Nav., Sa, & alii; quia Coueilia requirunt absolute dolorem de peccato. Notat tamen Arriag., vix fieri posse, ut quis efficaciter doleat de earentia doloris, & reipsa non doleat de peccato: quamvis enim non experiatur tuue seusibilem dolorem, tamen habebit spiritualem; & ideo putat, hune talem posse tuto aecedere ad hoc Sacramentum.

Dico secundo: Dolor formalis requisitus ad Saeramentum Pœniteutiæ debet esse simul detestatio peccati: Doctores communius cum Con. d. 1. num. 20. contra Dicast. d. 2. n. 103., & alios putantes, sufficere alterutrum, vel scilicet dolorem, vel detestationem. Ratio est, quia Trid. dicit, Contritionem esse *Animi dolorem, & detestationem*: ergo utrumque requiritur ad valorem Saeramenti. Explieo utrumque. Dolor, & detestatio suut actus odii; sed dolor est tristitia odio habens malum qua præseus; detestatio est retractatio odio habens malum præteritum, ur olim admissum: utrumque hoc ex Trid. requiritur ad contritionem generiee acceptam; itaut pœnitens per dolorem tristetur de peccato commisso, quatenus est aliquod malum præsens, saltem quia præseus aliquod malum est olim peccasse; sieuti etiam olim beoe egisse est aliquod bonum præsens, de quo potest semper gaudere; simul etiam pœnitens per detestationem retractet peceatum, ue olim eommissum, itaut velit, ut illud non commisisset, & efficaciter impediret, si poneretur in eircumstantiis, in quibus posset illud impedire. Hinc Beati, qui aliquando in vita peccarunt, habent peecati detestatiooem, nou tamen dolorem, cum sint hujus incapaces, & ideo non possunt habere actum contritionis. Econtra damnati habent dolorem, non tamen detestationem, quia non possunt amplius retractare peccatum, & ideo nee possunt conteri. Ergo homo, ut conteratur, utrumque habere debet; sive quod ad detestationem sequatur dolor veluti proprieras, ut putant Cajet., Nav., Gob., & alii; sive quod dolor inferat detestationem, ut putant Con., & alii; sive demum quod in hac vita non possumus elieere dolorem, quin sit, vel adjunctam habeat detestationem, nec possumus elicere detestationem, quin sit, vel adjunctum habeas dolorem, ut notat Con. ex D. Th. 3. p. q. 84. Hine communis Doctorum sensus est, eum valide absolvi, qui aeeedit eum dolore formali, lieet expresse non cogiter de detestatione, satisque esse, si exercite detestetur peccatum; & ideo contritio perfecta, vel attritio præcipue significantur per dolorem.

Dico tertio: Dolor formalis sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ elici debet ex fide, & spe saltem virtuali: ita communis, & eerta Theol. sententia cum D. Tb. Ratio est, quia Trid. *sess.* 14. *c.* 4. eosdem actus exigit pro dispositione ad Saeramentum pœnitentiæ, quos *sess. 6. c. 6.* exigit pro dispositione ad baptismum, ubi exigit actum fidei, & spei: & ratio ulterior est, quia dolor sufficiens ad Saeramentum pœnitentiæ debet esse supernaturalis, uti est certum; atqui nequit esse supernaturalis, nisi procedat ex fide (sine qua impossibile est placere Deo, ex Apostolo, & Trid. *sess. 6. c. 6.*, ideoque D. Th. in 4. d. 14. q. 1. a. 2. ait, *Motum pœnitentiæ præcedit actus fidei, quia accedentem ad Deum oportet credere*) uti etiam est certum; & rursus nisi etiam proeedat ex spe veniæ, qood de attritione expresse habetur in Trid. *sess.* 14. *c.* 3., & de contritione D. Th. eum communi air, moraliser fieri non posse, ut voluntas in præsenti statu consurgat ad perfectum amorem, qualis est contritio, nisi prius erigatur per spem supernaturalem: ergo ad dolorem sufficientem in Sacramento pœnitentiæ prærequiritur etiam actus fidei, & spei. Dixi, *Saltem virtualis*; nam sufficit actus fidei olim habitus, qui maneat adhuc in aliquo suo effectu, dum elicis dolorem; qui actus olim habitus expresse credidit mysterium Trinitatis, & Incarnationis: D. Th. eum communi. Similiter sufficit exercite, & veluti experimentaliter cogitare, ac sperare a Deo remissionem, ejusque gratiam per dolorem in Sacramento.

§. II.

Quanam sint qualitates Doloris?

QUALITATES doloris requisiti ad valorem hujus Saeramenti sunt quinque: I. Ut sit liber: II. Efficax: III. Universalis: IV. Honestus: V. Supernaturalis.

I. Hie dolor debet esse liber, & voluntarius, ex Trid. *sess.* 14. *can.* 5., quia, si homo libere se avertit a Deo per peceatom, libere converti debet ad Deum per dolorem retractativum peccati. Quod verum est, etiamsi convertatur ad Deum es metu gehennæ, & pœnarum, ex Trid. eit., eum talis metus non tollat rationem liberi, & voluntarii simpliciter.

II. Debet esse efficax, hoc est, excludere debet voluntatem peccandi; quia Trid. eit. dicit, dolorem disponere ad gratiam in Sacramento recipiendam, si voluntatem peccaudi excludat. Hiue male putarunt aliqui apud Carden., ad valorem hujus Sacramenti sufficere, si dolor invineibiliter putetur esse efficax, eum debeat reipsa esse talis; aliter homo non diceretur simplicitee converti ad Deum. Quare peccator debet de peecatis dolere ex toto eorde, ex tota anima, & ex totis viribus, non quidem intensive, sed appretiative, quo sensu etiam debet esse summus; quatenus ita appretiat peccatum super omne aliud malum, ut ab eo efficaciter se convertat ad Deum ex toto eorde, &c., exeludendo omoino a se voluntatem peccandi. Ubi etiam uota primo, quod non ideo dolor dieitur efficax, eo quod faciat, ut nunquam amplius peccetur, sed ideo, quia est talis naturæ, ut quamdiu duret, eum illo componi non possit voluntas peccati, de quo ipse est dolor: Croix n. 668. Nota secundo, Quod talis dolor sufficit, si sit in sola voluntate efficaciter detestante peccatum, adeoqoe sit pure spiritualis; etiamsi non sentiatur in eorpore sina lacrymis, &c., quia uon est actus appetitus sensitivi, etsi illum comitari soleat aliquando dolor sensibilis, lacrymæ, &c., Debet vero per confessionem, vel aliud signum fieri sensibilis, boc est, externe manifestatus Confessario, ut possit hie valide absolvere; sic eoim dolor fit pars Sacrameoti, quod est signum sensibile.

III. Debet esse universalis, respectu scilicet mortalium, itant se extendar ad omnia mortalia, nondum remissa, quæ sunt in conscientia; quia in hac providentia non remittitur unum mortale sine remissione alterius, & nullum mortale remittitur sine efficaci dolore de illo: Doctores communiter. Non est autem opus descendere ad detestanda singula mortalia, quæ habes in conscientia; sed satis est, si ea universaliter detesteris, quia singulorum expressio requiritur in oris eonfessione, non in eordis dolore, ut notat Laym., uude, si advertis, te valde alicui crimini propensum, ne elicias actum doloris eirea illud peculiare crimen ob periculum, ne illud ex animo detesteris, dum ad illud te reflectis; sed doleas de eo universaliter, & simul cum aliis peecatis, quia sie difficultatem dolendi, vel nullam senties, vel exiguam, ut bene addit Tamb. l. 1. *Conf.* c. 1. Dixi, Dolorem debere esse oniversalem respectu mortalium, quæ habes in conscientia; nam non est necesse, ut sit ex motivo universalissimo ad omoia mortalia possibilia; quia non teneris dolere de peccatis, quæ non fecisti: Suar., & alii communiter contra Bou., & alios. Neque urget paritas propositi, quod debet esse universalissimum de vitandis impostetum omnibus mortalibus possibilibus; nam Trid. definit, contritionem requisitam ad valorem Saeramenti esse *Dolorem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*; ubi prior pars satis innuit, non requiri dolorem universalissimum, sed tantum de eommissis. Notat tamen Dicast., quod si prudenter timeas, ne alia etiam mortalia habeas, quæ non sunt in conscientia, teneris tune ad dolorem universalissimum, ne exponas Sacramentum periculo carendi suo effectu.

Dubitant hic Doctores, An Sacramentum pœnitentiæ possit esse validum, & informe, itaut valeat quidem, sed non producat gratiam, eo quod dolor inculpabiliter non se extendat ad omnia mortalia commissa, necdum remissa: uti esset, si Titius reus furti, & homicidii recordetur tantum homicidii, & de hoc doleat ex motivo speciali ipsius homicidii?

Respondeo affirmative cum Suar., Henr., Tol., Bon., & aliis plurimis contra Vasq., Con., Laym., Pal., & alios. Quia, quamvis in casu non causetur gratia, eum furtum invincibiliter oblitum, nec virtualiter retractatum, sit obex, ideoque Sacramentum sit informe; tamen huie nolla pars essentialis deest, cum adsit integra confessio peccatorum, quæ sunt in conscientia, & solus dolor possit esse pars hujus Sacramenri, qui per hane confessionem fieri potest sensibilis: dolur autem do furto, etsi adesset, non posset fieri sensibilis per haoe confessionem; nam pœnitens expresse dicit, se non habere aliud peccatum: ergo habetur Sacramentum validum, lieet informe; itaut postea recipiatur ejus gratia, si eliciatur novus dolor ex motivo universalissimo in alia confessione, &c.

Obji-

Objicies: Teid. *seff.* 14. *c.* 5. ait, *Reliqua peccata, qua diligenter cogitanti non occurruat, in universum eadem confesstone inclusa esse intelliguntur*; atqui furtum in casu non intelligitur inclusum in hae confessione ob defectum doloris non se extendentis virtualitae ad ipsum: ergo talis dolor non sufficit ad valorem, &c. Secundo, Idem Trid. *cap.* 3. *&* *can.* 4. ait, dolorem, quatenus ad plenam, perfectamqua peccatorum remissionem ax Dei institutione requiritue, esse partem hujus Sacramenti, & ad ejus valorem requiri. Atqui talis non est dictus dolor, cum non sufficiat ad plenam remissionem peccatorum in Sacramento, ut patet: ergo, &c.

Respondeo cum Aversf. *s.* 6., Trid. utroque loc. eit. loqui, prout per sa, & ordinarie res contingit: explicat enim modum ordinarium, qui est, & procurari debet pro justificatione; ad quod, per se loquendo, eequiritur, nt dolor se axtendat ad omnia mortalia nondum remissa, ne impediatue effectus Sacramenti. At Trid. præscindit ab eo, quod per accidens, & raro contingit, ratione scilicet doloris bona fide non sa extendentis ad aliqua peccata; nec ullibi negat, talem dolorem ita restrictum obesse valori Sacramenti, si pœnitens invineibiliter oblitus sit illius furti, vel etiamsi putabat, illud esse remissum, aut non esse mortale, nt addit Suar.

IV. Debet esse honestus, ex Trid. *seff.* 14. *can.* 5., hoc est elicitus ex motivo honesto; qualis non est, si doleas v. g. de ebrietate, quia sic non potuisti occidere hostem; hoc enim est motivom inhonestum: vel quia contraxisti morbum; hoc enim motivum est indifferens: vel quia contraxisti infamiam; nam est motivom humanum: vel qoia dadecet virum honoratum; etsi enim hoc sit motivum honestum, est tamen naturale, & ad dolorem in Saeramento requiritur motivum honestum supernaturale, ut mox dicam, idqoa esse potest quadruplex, vel bonitas Dei, vel turpitudo peccati, vel metus gehennæ, & pœnarum, vel spes gloriæ, & præmii, juxta dicenda c. 3.

V. Debet asse sopernaturalis; nam Trid. *seff. cit.* *c.* 4. ait, esse donum, & impulsum Spiritus Sancti; & *seff.* 6. *can.* 3. anatbema dicit illi, qui asserit, sine Spiritus Sancti inspirationa, & adjutorio posse hominem Pœnitere, sicut oportet. Hinc damnatur ab Innoc. XI. hæc prop. 57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem*: quæ damnatio indefinita excludere videtur etiam attritionem supernaturalem tantum quoad modum; vel tantum axtrinsece ratione acceptationis Divinæ, & solum includere dolorem entitativa, & substantialiter supernaturalem: Dicast., Croix, & alii communius contra Con., Cajet., & alios. Tunc autem doloe est entitative, & substantialitee supernaturalis, eum procedit ab uno ex quatuor motivis dictis numero antecedenti, non tamen ntcumque cognito lumine naturæ, sed ut cognito lumine fidei supernaturalis, quæ proinde essentialitee præequiritur ad hunc dolorem, tanquam principium supernaturala influens in ipsum: Sic, si quis doleat ex motivo bonitaris Divinæ, ot lumina naturæ noræ, dolor est naturalis, & insufficiens; secus vero, si ex eodem motivo, ut credito pee Fidem: similiter, si doleat ob turpitudinem peccati, nt dissonantis rationi naturali, dolor est insufficiens: secus vero, si ob turpitudinem peccati, ut dissonantis lumini Fidei: quatenus v. g. privat gratia, reddit indignum Christi membrum, &c. ax dicendis fusius infra.

VI. Denique in dolora venialium requiruntur etiam dictæ qualitates, excepta tertia. Nam potest licite, & valide suscipi Sacramentum Pœnitentiæ, etsi dolor non se axtendat ad omnia venialia, quæ pœnitens habet in conscientia, vel etiam confitetur. Et ratio est, qoia, cum non sit obligatio confitendi venialia, & possit unum etiam per absolutionem remitti sine altero, sequitur, ut possit pœnitens absolvi de uno, de quo dolet, & non de altero, de quo non dolet, etiamsi utrumque confiteatur; aliter timorati passim deterrerentur a confessiona venialium; cum facile accidat, nt inter ea sit aliquod, de quo quis efficaciter non doleat: Suar., Henr., Vasq., Hurt., Dian. p. 11. t. 5. e. 12., & alii communitee contra Pal., & alios.

Dices: Qui confitetur aliquod veniale, exercite dicit, se da eo dolere: ergo, si da eo non doleat, quamvis doleat de aliis, mentitur, adeoque irritat Sacramentum: rursus peccatum, da quo non doles, est materia inepta absolutionis; atqui subjicere materiam ineptam absolutioni Sacramentali ast mortale; uti etiam Hostiis triticeis consecrandis miscere avenaceam: ergo, &c.

Respondeo: Ad primum, etiam dato, quod sic mentiatur, tamen mendacium est circa rem levem, adeoque ad summum peccat venialiter, neque adeo irritat Sacramentum. Cæterum non mentitur, quia ex praxi, & sensu communi Fidelium intelligitur pœnitens in confessione venialium exarcite dicere, se dolere de aliquibus illorum, & ab eis vella absolvi: reliqua vero confiteri ad sui humilitatem, & confusionem, vel ad manifestandam magis suam conscientiam, ut a Confessario dirigatur; uti etiam manifestantur habitus pravi, & inclinationes inordinatæ, quæ non sunt peccata. Ad secundum, nego minorem, & paritatem; nam in consecratione tot sunt Sacramenta, quot sunt Hostiæ, adeoque unaquæque Hostia est mateeia gravis, quam ut physice distinctam afficit forma consecrationis; at per absolutionem venialium fit unicum Sacramentum, quod sufficienter salvatur in uno veniali rite absoluto: ita Dicast. Rursus verba consecrationis dieiguntur ad mateeiam, quæ absolute determinatur, & demonstratue per pronomen *Hoc*, adeoque de singulis Hostiis dicitur esse Corpus Christi; & ideo, si inter eas sit avenacea non apta fieri Corpus Christi, forma consecrationis fit falsa; at verba absolutionis non diriguntur ad peccata, sed ad pœnitentem, & indaterminate tantum, & in confuso attingunt peccata dicendo: *Quantum in me est, remitto tibi peccata*, quod manet verum, dummodo peccatum, da quo doleat, remittatue: ita Suar.

Ex dictis infers, quod si doleas solum de venialibus gravioribus, etsi in fine dicas, *De his, & omnibus aliis meis peccatis doleo*, neque mentiris, quia ex communi sensu aliud non vis significare, quam quod doleas da illis, a quibus vis, & potes absolvi. Idem dic, si confitearis multa vanialia, & doleas tantum de eorum frequentia, cum sit specialis inhonestas in eorum consuetudine, & propterea facilius possis fie dolere, ut notant Lugo, & alii. Cæterum, si advertas, ta non dolere de aliquo veniali, melius tibi consulis, omittendo ejus confessionem: Suar.

§. III.

Quando dolor sit eliciendus?

CERTUM est dolorem debere eliei ante absolutionem, quia secus peccator non esset dispositus ad remissionem peccati: Doctores communitee. Si autem eliciatur in ipsa absolutione, ante tamen finem illius: Tamb., Gob., & alii putant sufficera: negat Lugo; monentque omnes, cavendum essa, ne Sacramentum axponatur periculo frustrationis. Imo Con., Laym., Pal., & alii putant, ne sufficera quidem, si eliciatur post confessionem ante absolutionem; qoia, si confessio ipsa non procedat ex dolore, non est Sacramentalis, sed se habet veluti narratio historica, & aliunda dolor postea elicitus nec fit sensibilis pee ipsam, utpote antecedentem: & hanc sententiam, utpote in se probabilem, & tutiorem vult Croix sequendam esse in praxi post prop. 5. damnatam ab Innoc. XI. alibi eit., infertque, quod si pœnitens post confessionem eliciat dolorem, debeat iterum se accusare saltem in genere de peccatis antea dictis, quia sic confessionem sufficientee repetit.

Communior tamen sententia cum Nav., Tol., Vasq., Gurt., Dian., Bon., Fagun., Suar. d. 20. s. 4., & aliis plurimis docet, sufficere etiam dolorem elicitum post confessionem ante absolutionem; quod etiam probatur ax praxi Confessariorum, qui audita Confessione conantue efficacibus verbis addocere pœnitentes ad dolorem, prout etiam faciendum monet Rit. Rom. §. 12. Ut autem talis confessio differat a narratione historica, satis est, si fiat ax voluntate habendi absolutionem; pee quod etiam dicitur Sacramentalis: & similitee dolor postea elicitus sufficientee fit sensibilis ob eam confessionam, ut imperatam a tali voluntate suscipiendi Sacramentum, ad quod eequiritue dolor; fit etiam sensibilis per expectationem absolutionis, continuatam genuflexionem, tunsionem pectoris, &c., quæ sont quasi continuata confessio: Suar., Lug., & alii. Neque huic sententiæ obest prop. damnata; quia etiam dato, quod implicite loquatur da suscipiente Sacramentom (solum enim loquitur explicite de conferente) tamen in casu non sequimur opinionem probabilem, sed probabilissimam ex communi Doctorum sensu, & praxi Confassariorum, & intrinseca ratione; itaut Abelly dicat, esse in praxi tutam, & Lugo dicat, oppositam sententiam esse singularem, & contra communem Theologorum; & aliunde solom prohibemur sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, non vero prohibemur sequi opinionem probabilissimam, ut patet ex prop. 3. Tutio-

ristarum damnata ab Alexand. VIII. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*.

Quæres primo, An dolor elicitus ante confessionem, ut sit sufficiens ad Sacramentum, debeat esse elicitus ex intentione confitendi?

Respondeo, Plures Doctores cum Lug. Avers. Regin. Tamb. Gob. Moya, & aliis putare, satis esse, si per voluntatem consequentem referatur ad confessionem faciendam, quod Arriaga dicit esse certum. At contra Bon. Præp. Dicast. & alii etiam plurimi docent, quod debeat elici ex intentione confessionis, quia alias non esset actio Sacramentalis, nec pars Sacramenti; sicuti neque esset Sacramentalis ablutio facta sine intentione baptizandi, quamvis immediate post referretur ad baptismum, & proferatur forma. Hæc secunda sententia videtur probabilior, adeoque in praxi sequenda: addit tamen Pallav. quod, si dolori conjunctum sit desiderium justificationis, ut communiter accidit, tunc jam adest sufficiens voluntas confitendi saltem mortalia, quia horum confessio ex dictis q. 1. c. 2. est necessaria necessitate medii, vel in re, vel in voto.

Quæres secundo, Quamdiu ante confessionem elici possit dolor sufficiens ad illam?

Respondeo, Non opus esse, ut dolor physice per se ipsum coexistat cum confessione; quia hoc Sacramentum imitatur judicium forense, in quo sententia sequi potest diu post accusationem, processum, & confessionem rei; & ideo etiam differt ab aliis Sacramentis, quorum formæ plerumque significant materiam suam actu adesse præsentem. Satis ergo est, si dolor moraliter coexistat confessioni, hoc est ita existimetur perdurare, ut Pœnitens ex vi illius censeri possit adhuc pœnitere, dum absolvitur; quia sic constituit unum moraliter cum absolutione, eritque pars Sacramenti: Doctores communiter. Tamdiu autem dolor perdurare dicitur moraliter, quamdiu perdurat in aliquo suo effectu: ut si quis ex vi ipsius jam eliciti pergat examinare conscientiam, manere ante confessionale, expectare locum confitendi, &c. sic enim dolor ille præteritus manet virtualiter in ejusmodi actionibus, utpote elicitis vi ipsius ab actu quodam tenui, & imperceptibili in mente relicto; etsi per plures horas dolor ille antecessit: ut dicimus de intentione virtuali in celebrante.

Hinc Moya dicit, sufficere dolorem, si duabus, vel tribus horis præcedat confessionem: Tamb. si toto die antecedenti; Gob. si etiam duobus diebus: Hurt. si quatuor, aut quinque, aut etiam pluribus diebus: Tancred. si etiam per mensem; & aliqui apud Dian. p. 3. t. 4. r. 116. si etiam per plures annos, dummodo non sit retractatus. Verum ex dictis patet, statui non posse certum tempus, sed requiri, ut perseveret moraliter, seu virtualiter in aliquo ab eo relicto, ordinante cæteras actiones ad confessionem faciendam. Quare dictæ opiniones deservire possunt, ut si quis post signa doloris incidat in amentiam, delirium, &c. absolvi possit, ac debeat, saltem sub conditione, etiam post multum tempus. Cæterum dolor antecedens non sufficit ad confessionem, si sit notabiliter interruptus, vel retractatus: v. g. si post illum convertas te ad aliud negotium omnino diversum; in quo casu, quamvis positive nondum dimiseris voluntatem confitendi, tamen pro praxi breviter renovandus est dolor. A fortiori, si retractetur dolor de mortalibus, quod fit per quodcumque mortale postea commissum, quia sic destructum est jam propositum non peccandi de cætero. Si autem quis unico actu doluit de mortalibus simul, & venialibus, & postea venialiter peccat, putant Lug. Arr. Dicast. Pallav. Tamb. & alii communiter, dolorem illum non revocari quoad mortalia, quia erat virtualiter multiplex, & ideo remanet voluntas non peccandi graviter: similiter, si uno actu doleas de multis venialibus, & postea committas unum eorum saltem levius, non censetur revocari quoad reliqua: Doctores cit.

Quæres tertio; An idem dolor physice præteritus possit sufficere pro pluribus absolutionibus?

Respondeo affirmative, dummodo fiat intra tempus, quo censetur dolor ille moraliter perseverare: v. g. si quis statim post absolutionem addat novum peccatum oblitum, & iterum absolvatur sive ab eodem, sive ab alio Confessario: & similiter, si quis instante morte absolvatur nondum integre confessus, & postea remittente periculo compleat confessionem, potest iterum sine novo dolore absolvi: Ledesm. Sal. Escob. Henr. Avers. Arr. Platel. Dian. Dicast. Tamb. Illf. & alii communiter, idque indubitatum apud Doctores inquit Moya; & ratio est, quia sic dolor perseverat virtualiter in aliquo suo effectu, quamvis tenui, & imperceptibili, & per novam confessionem ordinatur tanquam nova materia proxima ad novam absolutionem. Neque obstat prop. cit. damnata ab Inn. XI. quia hæc sententia est probabilissima, quidquid dixerit Croix.

CAPUT II.

Quid de Contritione Perfecta?

CONTRITIO perfecta, prout distinguitur ab attritione, est *Dolor, & detestatio de peccatis ex motivo charitatis*, hoc est ex bonitate divina secundum se digna, ut diligatur, & ita a contrito dilecta. Hinc Actus Contritionis est formaliter, vel saltem præsuppositive amor Dei perfectus; unde a Trid. *sess.* 14. *c.* 4. vocatur *Contritio charitate perfecta*, & simul est odium peccati, quia Deo malum est, adeoque super omnia mala. Sed explananda latius sunt hæc duo, Motivum Contritionis, & Odium peccati super omnia.

§. I.

De motivo Contritionis.

PUTARUNT aliqui apud Suar. d. 4. s. 2. n. 53. Contritionem posse procedere ex motivo Religionis, vel justitiæ, vel alterius virtutis moralis respicientis Deum; adeoque ad eam eliciendam sufficere detestari peccatum, quia est contra Dei cultum, contra Divinum jus proprietatis, &c. Sed Vasqu. & alii merito vocant id erroneum; Primo, Quia ex Trident. supra cit. Dolor conceptus ex turpitudine peccati non est contritio, de qua loquimur, sed proprie Attritio; atqui dolor conceptus ex motivo Religionis, Justitiæ, &c. est conceptus ex turpitudine peccati; peccatum enim est turpe, quia opponitur honestati Religionis, vel aliis virtutibus moralibus respicientibus Deum, etiam præscindendo ab omni pœna: ergo, &c. Secundo, Quia, ut bene arguit Gormaz num. 267. contritio est odium peccati super omnia mala simpliciter, itaut homo per illam potius eligat suam annihilationem, quam Dei offensam; atqui per actum ex motivo Religionis hoc nequit eligere; cum per talem virtutem nequeat dicere: *Volo annihilationem mei, ut existat cultus Divinus a me ponendus*; hoc enim facit contradictionem: ergo, &c.

Idem dicendum est, si doleas ex motivo gratitudinis, nempe, quia offendisti Deum, a quo summa beneficia Creationis, Redemptionis, &c. acceperis; quia non habes pro objecto bonum Dei, sed honestatem gratitudinis, nec proinde detestaris peccatum super omnia, seu in quantum est summe detestabile; est enim detestabilius in quantum opponitur Deo secundum se, quam in quantum opponitur gratitudini, obedientiæ, &c. Gobat tr. 6. n. 60. Lug. & alii passim. Itaque motivum unicum contritionis perfectæ est sola Dei bonitas secundum se, itaut doleas, quia offendisti Deum summum in se bonum summo amore dignissimum, cui servire debueras propter seipsum, suamque summam amabilitatem, seu perfectiones infinitas, etiamsi nihil beneficiorum ab eo accepisses, aut speraturus esses. Atque hinc actus dicitur a Tridentino *Contritio Charitate perfecta*; habet enim pro fine Deum secundum se dilectum amore amicabili, ac benevolentiæ; & non ut bonum contrito; quia sic esset amor concupiscentiæ, qui tenderet in Deum, ut bonum sibi, adeoque non esset amor, & dolor super omnia simpliciter. Porro contritio perfecta, uti etiam amor Dei perfectus, justificat peccatorem ante absolutionem, juxta dicta q. 1. c. 1. cum sit etiam Sacramentum in voto.

Infers primo, Contritionem debere se extendere ad omnia mortalia, quia est ex motivo excludente omnia. Non tamen requiritur, ut se extendat ad omnia formaliter, itaut contritus debeat singula detestari per singulos actus, aut saltem uno actu omnia distincte tunc cognita, ut putarunt Sylv. Can. Medin. & alii apud Vasq. & Dian. p. 3. t. 4. r. 518. quia nec id est moraliter possibile, præsertim peccatori innumeris peccatis onusto; nec opus est antecedenter omnia recogitare, ut patet in Publicano, Zachæo, & Latrone in Cruce, qui subito proruperunt in actum contritionis perfectæ; nec aliquando expedit singula considerare, ob periculum infirmandi dolorem, juxta dicta cap. antecedenti. Imo nec requiritur, ut dicas, *Detestor omnia mea peccata, &c.* sed satis est, si uno eorum distincte cognito, doleas de illo ex motivo bonitatis Divinæ, quia, quamvis talis actus expresse non tendat ad alia, quorum es

etiam

etiam reus, tamen ratione motivi universalissimi virtualiter se extendit ad omnia, & singula mortalia, causatque proinde remissionem omnium: quod autem contra id obiicitur, ex Cathec. Rom. c. 6. est consilii, non præcepti: Doctores communiter cum Suar. d. 3. s. 6.

Infers secundo, Non opus esse, ut talis contritio se extendat etiam ad venialia; quia ex motivo bonitatis Divinæ haberi potest dolor, & detestatio de illis tantum peccatis, quæ pugnant cum amore Dei amicabili, qualia sunt sola mortalia. Neque obstat, quod summa Dei bonitas sit motivum, de se universale etiam ad detestanda venialia, & mereatur talem appretiationem sui, vi cujus excludatur etiam affectus ad illa; nam est utique tale secundum se, sed non semper æque universaliter movens; cum ex eo possit voluntas creata detestari tantum, quidquid solvit amicitiam Dei, & tunc contritio se extendit ad sola mortalia; vel quidquid plene deliberate fit contra Deum, & tunc contritio se extendit etiam ad venialia deliberata; vel demum quidquid aliquo modo displicet Deo, & tunc contritio se extendit etiam ad venialia subreptitia, estque omnium perfectissima, & in praxi ponenda, qui enim ad hanc non aspirat, vix perveniet ad prædictas: Croix n. 739.

Similiter bonitas Dei est quidem dignissima tantæ appretiationis, vi cujus excludatur affectus etiam ad quæcumque venialia; at hinc non sequitur, quod illam digne non appretiet, qui non excludit etiam venialia: quamvis enim non appretiet, quantum meretur, tamen simpliciter digne appretiat, quia potius vult subire omnia mala, quam illam, ejusque amorem amicabilem deserere.

§. II.

De odio peccati super omnia.

CONTRITIO perfecta detestari debet peccatum, ut malum Deo, adeoque super omnia simpliciter mala creata, itaut contritus debeat esse saltem virtualiter, & implicite ita comparatus, ut potius velit omnia omnino bona amittere, etiam vitam, gloriam, felicitatem, &c. Item omnia simpliciter mala subire etiam gehennam, sui annihilationem, &c. quam peccare. Et ratio est evidens, quia alioquin nec Deum appretiaret super omnia, nec odio haberet peccatum appretiative super omnia, & consequenter convinceretur, non amare bonitatem Dei secundum se, sed ut bonam sibi, vel aliis. Itaque homo vi actus contritionis pluris æstimat malum, quod per suum peccatum factum est Deo, quam quodcumque malum sui, vel totius universi; & similiter pluris æstimat reparare hoc malum, quam comparare sibi quodvis bonum, postponitque illi omnem suam felicitatem, etiam vitam, etiam æterna gaudia.

Dixi *Saltem virtualiter, & implicite*; nam non est opus, imo multis non expedit, facere comparationem explicitam inter peccatum, & alia mala, cum enim hæc plerumque a nobis magis sensibiliter cognoscantur, & vivacius terreant, contingere posset, ut eorum expressa consideratio impediret efficacem detestationem peccati: ut notant Doctores communiter cum D. Bonav. in 4. d. 16. a. 2. q. 1. ideoque Tamb. l. 1. *Conf.* c. 1. num. 6. monet Confessarios excitantes pœnitentem ad contritionem, ne descendant ad particularia, quæ Dei sunt amori postponenda: v. g. non oportet dicere, *Super divitias, filios, honorem, vitam, &c.* sed satis est dicere, *Super omnia Deum diligo, propter quem omnia peccata detestor, & execror.* Imo addit Croix n. 732. neque ad contritionem, requiri, ut quis virtualiter, & implicite dicat, se malle infernum, quam Deum offendere, quia non est possibilis casus, quo quis ad vitandum infernum indigeat peccato: hinc foret potius inutile se vexare in ejusmodi comparationibus, cum prudentis non sit conditionate deliberare de quibusdam eventibus præter intentionem omnis virtutis occurrentibus. Est itaque satis, ut voluntas contrita sit ita disposita, ut non sit desertura Deum pro quovis alio suo bono, sed potius electura sibi quodvis malum, si necessarium foret ad vitandam Dei offensam, quia Deo malum est.

Quæres, An per contritionem remittatur non solum peccatum, verum etiam tota pœna etiam temporalis?

Respondeo, Etsi multum pœnæ temporalis remittatur, non tamen semper tota hæc pœna, ex Trident. *sess. 6. c. 14. can. 30. & sess. 14. de Pœnit. c. 8. & can.* 12. Sic etiam ob contritionem remissum fuit David adulterium, & homicidium, sed in pœnam mortuus est infans ex adulterio natus 2. Reg. 12. Putant tamen Suar. d. 10. s. 3. Lug. & alii, cum culpa semper remitti aliquid pœnæ etiam temporalis: sed manet incertum, quam diuturna pœna temporalis per se loquendo maneat persolvenda post remissum quodvis mortale.

CAPUT III.

Quid de Attritione?

ATTRITIO est *Dolor, & detestatio peccati non ex motivo charitatis, sed alterius virtutis moralis*, ideoque vocatur a Tridentino *Contritio imperfecta*. Itaque videnda sunt Primo ejus motiva: Secundo, An se sola sufficiat ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, an vero requiratur etiam contritio, vel amor benevolus Dei saltem remissus?

§. I.

De motivis Attritionis.

HÆc enumerantur a Trid. *sess.* 14. *c.* 4. Et primum est, *Turpitudo peccati*: Secundum *Gehennæ, & pœnarum metus*: Tertium *Amissio præmii*, seu gloriæ, quod tertium, quamvis explicite non dicatur a Trid. cit. implicite tamen dicitur, ut inferunt Doctores communissime; nam ad gehennam pertinet etiam pœna damni, quæ est amissio Gloriæ, & item Gratiæ, cui debebatur Gloria. Itaque

I. Turpitudo peccati est inhonestas, quam habet peccatum relate ad legem Dei prohibentem, & ad virtutem, contra quam peccatur: item ad naturam rationalem, & ad rectam rationem, dummodo hæc saltem confuse concipiantur ut intimantes legem Dei. Inest etiam omni peccato realis turpitudo divinæ offensæ, irreverentiæ, ingratitudinis, inobedientiæ, temeritatis, &c. quæ ideo dicuntur motiva communia, ac præterea inest cuivis peccato specialis, ac propria turpitudo per oppositionem specialem honestati virtutis, quod proinde dicitur motivum speciale. Attritio ex aliquo prædictorum motivorum pertinet ad virum ingenuum; debet tamen esse supernaturalis, juxta dicta cap. 1. itaut ejus motivum cognoscatur lumine Fidei, puta, ut proprium virtutis moralis elevantis hominem ad statum supernaturalem, ut inquit Suar. d. 5. s. 2. & sic ex inspiratione Spiritus S. ipsa attritio eliciatur.

An autem detestatio peccati ex motivo hujus turpitudinis, quod scilicet sit contra Deum auctorem naturæ, possit esse supernaturalis, & sufficiens? Est dubium. Negant Suar. Con. & alii, quia hic actus respiciens tale motivum naturaliter cognoscibile non potest esse, nisi naturalis. Affirmant Scot. Ripal. Lug. & alii, quia actus etiam ex motivo naturali potest esse supernaturalis ex auxilio Dei supernaturaliter influente. Equidem, cum utraque sententia sit probabilis, censeo, priorem in praxi tenendam, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis, ex prop. 1. damnat. ab Inn. XI. supra recensita.

II. Metus gehennæ esse potest motivum detestandi mortale ob vitandas æternas pœnas, Dei inimicitiam, perpetuum cum dæmonibus consortium, &c. Item metus pœnarum esse potest motivum detestandi venialia ob pœnas Purgatorii, ob remorsus conscientiæ, anxietates, scrupulos, ariditates, &c. Atque hæc attritio pertinet ad servum, quia est ex metu; sed, quamvis sit servilis, non est tamen serviliter servilis, cum excludat voluntatem peccandi etiam conditionatam, ut infra explicabimus. Si quis vero doleat de peccato ob metum infamiæ, ærumnæ temporalis, infirmitatis, mortis infligendæ a Judice, &c. communiter non est attritio disponens juxta Trid. ad Sacramentum pœnitentiæ, quia, cum eliciatur ex motivo naturali, est communiter naturalis; ideoque cum ea stare posset voluntas interna peccandi saltem conditionate, si non ferret infamiam, ærumnas, &c. At, si quis doleat de peccato ob metum earumdem pœnarum temporalium hujus vitæ, ut infligendarum a Deo vindice peccati, Con. Hurt. Suar. & alii communiter dicunt, sufficere pro attritione, quod etiam indubitatum dicit Gob. num. 47. quia sic est dolor, & detestatio peccati ob malum, prout infligendum a Deo; adeoque cum respectu ad Deum offensum, & quidem lumine fidei cognitum, ut supponitur; & dolor ita excitatus ex motivo respiciente Deum, sine dubio, inquit Hurtad. absterret, & avertit animum a

quo-

quocumque peccato: ergo satis est pro attritione saltem venialium, cum sic esse possit honesta, supernaturalis, & efficax. Quæ sententia est probabilissima auctoritate, & ratione, itaut Gob. dicat indubitatam, & Arriag. omnino certam: quare non subjacet prop. 1. damnatæ ab Inn. XI. juxta dicta e. 1. quidquid dixerint Can. Pasq. Croix, & alii.

III. Spes præmii, & gloriæ esse etiam potest motivum attritionis, seu detestandi mortale, eo quod per illud amissa sit vita æterna, æterna gaudia, jus ad gloriam, item gratia, & amicitia cum Deo, virtutes supernaturales, &c. item detestandi venialia, quia per ea redditur homo indignus multis gratiis actualibus, speciali protectione Dei, fervore spiritus, singulari gloria, vel gaudio accidentali in Cœlo, &c. Attritio ex his motivis pertinet ad mercatorem, quia oritur ex spe, supernaturali tamen, ideoque & ipsa esse potest honestas supernaturalis, & efficax, excludens voluntatem peccandi etiam conditionate, juxta infra dicenda.

Ex dictis infers primo, Attritum ex quocumque ex tribus motivis expositis dolere, ac detestari peccatum, tanquam Dei offensam; ideo enim dolet, quia Deum offendit, a quo scilicet, vel placabili sperat gloriam, & gratiam, vel vindice timet gehennam, & pœnas, vel domino virtutum, horrorem haurit suæ turpitudinis, & dissonantiæ. Habet ergo pro objecto sui doloris bonitatem quidem Dei, non tamen secundum se, & ut finem *Cui*; sed ut bonam sibi; itaut ipsemet dolens sit finis *Cui* talis doloris; adeoque, etsi doleat, se Deum offendisse, dolet tamen ultimate, non quidem positive, sed negative, ob bonum sui, & in hoc attritio differt a contritione, quia hæc respicit bonitatem Dei secundum se, & ut finem *Cui*.

Infers secundo, Attritum detestari peccatum super omnia mala sibi; quia ipse est finis *Cui*. Hinc attritus non detestatur peccatum super omnia mala simpliciter, sed cum addito, v. g. qui odio habet peccatum ex motivo inferni apprehensi cum reatu condignitatis ad illum, eligeret potius infernum sine tali reatu, quam peccatum, quod essentialiter fert talem reatum; licet non esset per illam attritionem positive etiam dispositus, ut ex odio inferni etiam apprehensi sine tali reatu eligeret potius infernus, quam peccatum, sed ab hoc præscindat; cum non sit contra, sed supra suum motivum, de qua re fusius §. sequ.

§. II.

De sola attritione absque contritione, aut amore formali Dei.

CERTUM est, attritionem se sola non sufficere ad justificandum peccatorem extra Sacramentum pœnitentiæ: videndum, an se sola sufficiat ad justificandum in hoc Sacramento, itaut peccator ex attrito per Sacramentum fiat contritus, hoc est justificatus ejus valore, & gratia?

I. Negarunt olim Magist. Victor. Rich. Bonav. Alens. & Okam. apud Suar. d. 20. s. 1. putantes attritionem se sola non esse sufficientem, & proximam dispositionem ad hoc Sacramentum, sed necessariam omnino esse contritionem. Sed hæc sententia communissime censetur certo falsa: Primo, quia Sacramentum pœnitentiæ ex communi sensu Ecclesiæ dicitur Sacramentum mortuorum, & nunquam esset tale, si necessario prærequireret contritionem, quæ per se ante Sacramentum vivificat: Secundo, quia cap. *Si Presbyt.* 26. *q.* 6. Jul. Pap. dicit, *Si Presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, erit reus animarum*: quod non esset verum, si ad absolutionem necessaria esset contritio; nam, si contritio præcessit, adhuc sine absolutione moriens salvabitur: si non præcessit, adhuc cum absolutione per adversarios damnabitur: ergo nullatenus Presbyter dici posset reus animarum.

II. Negant hodie Jansen. Esti. Molan. Macar. Haverman. Delaverdure, Farvaques, Castr. Le Drau, & nonnulli alii Doctores Lovanien. apud Platel. num. 649. putantes, sufficere quidem in Sacramento Pœnitentiæ attritionem, dummodo tamen ei adnectatur aliqualis amor formalis; quo diligatur Deus secundum se: hunc autem amorem nolunt debere esse perfectum, quia sic se solo justificaret extra Sacramentum: quare requirunt amorem quendam saltem imperfectum (quem vocant amorem Dei initialem) sive quia movetur simul ex divina bonitate secundum se, & simul ex metu gehennæ, per quod deficit a contritione perfecta, quæ unice movetur ex Dei bonitate; sive quia est amor debilis, & remissus, & non ex toto corde, prout requireretur ad justificationem extra Sacramentum, & pro hac sententia Delaverdure citat ex Thomistis Cajet. Victor. Contenson, & ex Soc. Jes. Tol. Comitol. Filliuc.

Dico: Attritio, etiamsi nullam involvat formalem dilectionem Dei secundum se, est sufficiens dispositio ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ: ita communissima Doctorum sententia apud Platel. Putean. Becan. Gorm. & Lug. d. 5. n. 133. exceptis paucis supra citatis, quorum etiam aliqui apud Pallav. canunt palinodiam.

Ratio desumi potest, Primo, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 4. ubi satis aperte id declarat; ait enim, quod attritio, *Quæ ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ . . . quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere*. Satis ergo per Trid. est, si attritio excludat voluntatem peccandi, & includat spem veniæ, ut disponat ad gratiam in Sacramento; atqui hoc totum habet attritio, etiamsi nullam involvat formalem dilectionem Dei secundum se: ergo, &c. Neque dicas, Trid. loqui de dispositione remota; nam hoc habet attritio etiam independenter a Sacramento: loquitur ergo de dispositione proxima ad impetrandam gratiam in Sacramento. Secundo, ex absurdo: si enim ad Sacramentum pœnitentiæ requireretur semper aliqua dilectio Dei secundum se, semper haberetur justificatio ante Sacramentum; nam ex Scripturis huic dilectioni universim promittitur justificatio, ut 1. Joan. 8. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*; & Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*. Nec usquam in Scripturis limitatur hæc promissio ad dilectionem intensam, vel excludentem aliud commotivum distinctum a bonitate divina, & quidquid in contrarium dicitur, arbitrarie dicitur; sive enim dilectio Dei secundum se sit remissa, sive intensa, semper est ejusdem speciei ex motivo suo formali, ex quo semper habet, ut appretiative ex toto corde amet Deum super omnia simpliciter ideoque semper sufficiat ad justificationem; hinc *Quicumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem delet culpam*, ut inquit D. Th. in 4. d. 17. q. 2. Neque obest, quod Cathec. Rom. c. 7. requirat contritionem vehementem, acrem, & intensam; nam seipsum explicat dicens, *Omnibus rebus Dei amorem anteponendum esse*; quasi dicat: contritionem debere esse vehementem, &c. hoc est ex genere suo maximam appretiative in præferendo Deum omnibus rebus, quod utique habet ex objecto formali, etsi ipsa non sit intensissima. Similiter neque obest justificationi extra Sacramentum, si dilectio Dei secundum se sit simul dilectio sui ob metum pœnarum, vel spem præmii. Nam, sive non admisceat, sive admisceat etiam hæc motiva attritionis, semper stat, quod, prout procedens ex motivo charitatis, sit vera, & formalis dilectio Dei secundum se, ac super omnia simpliciter: ergo, ut justificet, non est necesse, ut positive excludat consortium alterius motivi, & unice eliciatur ex motivo charitatis: & ratio a priori est, quia nullus actus supernaturalis per se pugnat cum actu charitatis perfectæ, cum omnes fiant ex impulsu Dei, qui in se charitas est, & Deus non pugnet cum seipso. Quod autem dicitur Joan. 14. *Perfecta Charitas foras mittit timorem*, Patres communiter intelligunt de timore immoderato, inordinato, & serviliter servili, cujusmodi non est timor supernaturalis.

Objicies primo: Trid. *sess.* 6. *c.* 6. requirit ad Sacramentum pœnitentiæ actum, *Quo Deum, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiamus*: ergo præter actum attritionis requirit etiam dilectionem Dei.

Respondeo, Distinguendo consequens: requirit dilectionem Dei secundum se, nego; dilectionem Dei, ut est bonum nobis, conc. Nota diligenter verba Trid. non enim dicit, requiri actum, quo Deum *diligant*, sed quo *diligere incipiant*: atqui incipiunt diligere Deum per puram attritionem ex metu gehennæ, & pœnarum, qui est actus timoris Dei vindicis, ut expresse habetur Eccl. 25. *Timor Dei initium dilectionis ejus*: ergo, &c. Idem est de attritione ex spe præmii, & gloriæ, qua diligimus Deum, ut bonum nobis, quod expressius asserit Trid. illis verbis: *Tamquam omnis justitiæ fontem*, id est gratiæ justificantis. Igitur, si per dilectionem Dei initialem intelligant adversarii dilectionem

Dei

Dei, ne est bonum nobis, hæc utique imbibitur in ipsa attritione supernaturali, qua certe incipimus Deum diligere, quatenus per eam amamus Deum, ut bonum nobis, & sic per eandem impetrata gratia justificationis in Sacramento disponimur ad postea diligendum Deum, ut in se bonum, seu amore formali charitatis. Si vero intelligant dilectionem Dei secundum se, gratis omnino eam requirunt ad valorem Sacramenti; cum neque eam eruant ex Trid. neque ex ullis Scripturæ locis; quod enim dicitur 1. Jo. 3. *Qui non diligit, manet in morte*, intelligi debet de charitate habituali, non actuali; aliter infantes post baptismum essent in morte; unde etiam patet, sententiam nostram, tum auctoritate Trident. tum communi sensu Doctorum, tum etiam communi usu fidelium, esse probabilissimam; imo & moraliter certam; adeoque tutam in praxi, & oppositam valde tenuiter probabilem.

Dices: Alex. VII. vetuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis alterutram ex his sententiis *Audeat alicujus censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare:* ergo judicavit, sententiam oppositam adhuc esse probabilem; & cum ejus decretum fuerit post Trid. sequitur pariter, quod post Tridentinum nihil sit assertum pro nostra sententia.

Respondeo, Nego consequentiam; nam Pontifex ab hoc præscindit, & expresse dicit, se prohibere, &c. ut compescantur dissidia, quæ violant charitatem, & pacem. Cæterum non est censura theologica dicere aliquam opinionem esse improbabilem, cum sic tantum sit dicere, quod careat gravi fundamento; sed esset censura dicere, quod sit *Temeraria, &c.* quod non dicimus. Quod autem tale decretum sit post Trident. solum infert, quod a Trident. nihil sit assertum authentice per claram definitionem in Canonibus; non tamen quod nihil sit assertum doctrinaliter in Capitibus, ex quibus moraliter certe licet inferre nostram sententiam.

Objicies secundo rationem; Detestatio peccati ex solo metu gehennæ tacite habet adjunctum hunc affectum: *Peccarem, si gehenna non esset*, qui utique est affectus malus: ergo, ut attritio sit honesta, & supernaturalis, requirit etiam dilectionem Dei secundum se: Secundo, Detestans peccatum ex solo metu pœnæ non curat de hoc, quod peccatum sit malum Deo, sed tantum, quod sit malum sibi, adeoque tacite dicit, *Non detestarer, si tantum esset malum Deo*, quod certe est affectus pravus: ergo, &c.

Respondeo, Nego utrumque antecedens, utpote damnatum a Trid. *sess.* 14. c. 5. contra Lutherum; & iterum ab Alex. VIII. proposit. 14. quæ sic habet: *Timor gehennæ non est supernaturalis;* & expressius proposit. 15. *Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, & supernaturalis;* quæ propositio fuit Baji, Jansen. & aliquorum Rigoristarum: & ratio damnationis etiam est, quia, qui detestatur peccatum etiam ex solo metu gehennæ, ex hoc ipso excludere debet omnem voluntatem peccandi, tum absolutam, tum conditionatam; si enim tacite habeat hanc voluntatem conditionatam, *Peccarem, si gehenna non esset*, hæc voluntas est peccatum, ut patet, adeoque fere gehennam. Idemque est, si tacite habeat hanc voluntatem, *Non detestarer, si tantum esset malum Deo.* Neque dicas, cessante motivo detestandi, cessat detestatio: ergo, si cessaret metus pœnæ, non detestaretur peccatum: ergo virtualiter dicit, *Non detestarer, si non esset pœna;* ut etiam patet in eo, qui projicit merces ex metu naufragii. Nam contra, nego secundam consequentiam. Cessante metu pœnæ, solum infertur, quod tunc non detestaretur peccatum ex tali motivo; at neque positive infertur, quod tunc non detestaretur ex alio motivo per alium actum, cum ab hoc præscindatur; neque ullatenus infertur, quod nunc virtualiter dicat, *Non detestarer, si non esset pœna;* si enim hoc virtualiter diceret, sibi contradiceret. Paritas non est ad rem: voluntas conditionata retinendi merces non impedit, quominus reipsa projiciat merces, & sic evadat naufragium; at voluntas conditionata retinendi peccatum, si non esset pœna; est novum peccatum, & reatus novæ pœnæ; & ideo nequit haberi in eo, qui detestatur peccatum ex metu pœnæ. Neque replices: qui odit peccatum ex metu pœnæ, magis odit pœnam, quam culpam; hoc autem non videtur adeo ordinatum, nisi etiam accedat dilectio Dei; quia se solo videtur non curare de hoc, quod peccatum sit malum Deo. Nam contra: inordinatum non est plus fugere pœnam, quam culpam, si simul reipsa plus fugiatur culpa, quam pœna, quod hic fit; nam attritus odit quidem magis pœnam, quam culpam, in quantum ex odio pœnæ movetur ad odium culpæ; at sub alia ratione magis odit culpam, in quantum ordinat odium pœnæ ad odium culpæ, eoque utitur tanquam medio ad odium culpæ; & ideo, si minus signate, exercite saltem curat, quod peccatum sit malum Deo.

Objicies demum: Nemo adultus est dispositus ad habitum fidei, vel spei, nisi præcedat actus fidei, vel spei: ergo neque ad habitum charitatis, nisi præcedat aliquis ejus actus; & confirmatur: qui offendit Principem, non videtur dispositus ad ejus amicitiam, si petat veniam, dicens, illam petere unice ex metu: ergo, &c.

Respondeo, Conc. consequentiam, si loquamur extra Sacramentum; at in Sacramento Deus ex meritis Christi confert attrito habitum charitatis, & gratiæ, ut clare eruitur ex Trid. Ad Confirmationem, peccator per attritionem non est utique ex se dispositus, &c. at ex benignitate Dei est rite dispositus, ut in Sacramento includente merita Christi recipiat Dei amicitiam.

Infers ex dictis contra Card. Sot. & Nav. neque requiri, sive ad valorem, sive ad fructum Sacramenti, contritionem putatam, itaut pœnitens, etsi reipsa non sit contritus, prudanter tamen putet, se esse contritum. Si enim attritio ex voluntate Christi sufficit, nulla est ratio requirendi talem existimationem; cum hæc potius sit error, quem non est credibile a Christo specialiter requiri ad valorem, vel fructum Sacramenti.

CAPUT IV.

Quid de Proposito?

PROPOSITUM est *Voluntas non peccandi de cætero;* & hoc requiritur ad justificationem, sive intra, sive extra Sacramentum, cum sit pars essentialis contritionis generice acceptæ, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 4. Agendum de Proposito I. Quoad mortalia: II. Quoad venialia.

§. I.

De Proposito quoad mortalia.

QUOAD mortalia propositum esse debet Efficax, Firmum, & Universale. Itaque

I. Efficax est, si absolute excludat voluntatem peccandi mortaliter, dicendo *Volo, & decerno imposterum non peccare, omnemque occasionem proximam peccandi deserere.* Quare non sufficit velleitas; quia hæc est actus conditionalis, qui non excludit absolute, & simpliciter voluntatem peccandi, ut requiritur ex Trident. cit. Si ergo Consuetudinarius dicat: *Vellem utique abstinere imposterum a relapsu, sed non possum absolute velle sine his voluptatibus vivere*, non est dispositus; nam debet ita efficaciter velle, ut malit potius his carere, imo & omne malum generatim perpeti, quam iterum relabi; Navar. Suar. d. 20. s. 4. & alii communiter, quidquid dixerint Vict. Ledes. Con. Cajet. & alii.

Objicies: Propositum non potest esse efficax, nisi habeat adjunctam spem aliquam non relabendi; sed multi peccatores, præsertim consuetudinarii, hanc spem habere non possunt, cum nequeat illis apparere tale objectum, ut moraliter possibile, & probabiliter futurum, ut requiritur ad spem: ergo, &c.

Respondeo: Primo, nego majorem; nam D. Petrus post revelationem Christi de sua negatione non poterat sperare oppositum, & tamen tenebatur proponere, se non negaturum; sufficit ergo ad propositum, ut adsit desiderium efficax cavendi mortale, dicatque efficaciter, *Quantum in me est, illud absolute, & simpliciter nolo, etsi non adsit spes, &c.* Secundo, Omissa majore, nego minorem; quamvis enim intellectus judicet, & voluntas timeat, se relapsuram, tamen ideo debet pro adjutorio recurrere ad Deum, sicque potest erigi ad spem aliquam de hoc, quod mediante Dei adjutorio non relabetur; & hæc spes sufficit ad propositum efficax.

II. Firmum censetur propositum, si tunc, cum elicitur, absolute, & simpliciter velis perseverare imposterum in illo; si enim sit talis, evidens est, ut quam-

din manet in voluntate, tamdiu nequeat secum compati consensum in novum peccatum mortale. Hinc ad explorandam præsentem dispositionem animi pœnitentis, & propositum non peccandi de cætero, inquit Corn. a Lap. in ep. Jac. 2. posse aliquando a Confessario interrogari: v. g. vir nobilis, qui se accusat de duello, an, si iterum esset in eadem, aut simili occasione, adhuc vellet duellare; quia multi horum retinent principia vitiosa, v. g. duellum, si offeratur, acceptandum, &c. quæ nunquam deponunt, ne in confessione quidem, ideoque nec habent firmum, & serium propositum non peccandi de cætero, cum voluntas non sic ab his actu aversa; &, si adesset nunc occasio, acceptaretur juxta ea principia. Notant tamen Val. Laym. & alii passim, quod si quis considerata sua fragilitate, malis habitibus, &c. merito timeat, imo etiam existimet, se ad vomitum rediturum, id tamen nihil obest firmitati propositi, si vere, & serio resolvat imposterum non peccare; quia illa existimatio est ex parte intellectus, & propositum ex parte voluntatis, quæ duo possunt simul esse in eodem homine; quamvis enim ex illa existimatione oriatur in voluntate timor propositi defecturi, tamen etiam ex Dei adjutorio oritur spes non defecturi, & hac spe fundatus recidivus potest etiam firmiter proponere. Cæterum non est signum certum, quod propositum non fuerit firmum, si post illud relapsus sis in idem peccatum; cum potueris tunc firmiter nolle imposterum relabi, & deinde mutare voluntatem: ut accidere etiam potest in rebus humanis. Quare ad firmitatem propositi non requiritur, ut sit etiam constans in re, seu ut diu reipsa duraverit; quia sic nemo posset absolvi, nisi post diuturnam experientiam talis constantiæ, ut falso putarunt Jansen. & complures Rigoristæ damnati ab Alex. VIII. prop. præsertim 17. *Per illam praxim mox absolvendi, ordo Pœnitentiæ est inversus*. Sufficit ergo ad firmitatem propositi, si hic & nunc absolute, & simpliciter velis perdurare in illo, uti est dictum. Notat tamen Lugo d. 14. n. 160. qui efficaciter, & serio proponit, non ita facile statim oblivisci sui propositi, sed saltem per aliquod tempus perseverare in illo; ideoque frequentem, vel immediatum relapsum, præsertim si vehementior occasio non intervenerit, esse quandoque signum propositi infirmi, & inepti, quod sae videat Confessarius.

III. Universale est propositum, si se extendat ad omnia mortalia imposterum cavenda, atque ita debere esse, communissime docent Doctores cum D. Th. 3. p. q. 87. a. 1. contra Hurt. & alios paucos; cum Trid. *sess.* 14. *c.* 4. absolute dicat, *Cum proposito non peccandi de cætero*, ubi ly *non* est particula exclusiva omnium peccatorum in futurum: similiter Deus promisit impio veniam, *Si custodierit omnia præcepta mea*; Ezech. 18. hoc est, si custodire proposuerit. Cæterum sæpe expedit, propositum hoc universale concipi etiam universaliter; itaut caveat pœnitens, ne sibi proponat fugere hoc, vel illud peccatum in specie, præsertim si ad hoc, vel illud se videat natura, aut habitu propensum; quia sic adest periculum infirmandi propositum. Sufficit ergo formare propositum ex motivo universali, & communi omnibus mortalibus; vel ex consideratione unius in specie minus periculosi, & ex motivo communi omnibus: Gob. n. 193.

Quæret; An propositum debeat esse formale, & expressum, an vero sufficiat virtuale, & implicitum in ipso actu doloris?

Respondeo, Sufficere etiam propositum virtuale, & implicitum in actu doloris, dummodo hic sit elicitus ex motivo universali; quia per talem actum formalem doloris excluditur voluntas peccandi de cætero: hoc ipso enim, quod quis ex motivo universali efficaciter vult non fuisse peccatum, implicite, ac indivisim vult, illud nunquam iterum fore; &, cum motivum ita volendi sit universale, sequitur etiam implicite, ac indivisim, ut efficaciter nolit, ullum mortale fore: cum ergo ex Trident. loco cit. satis sit attritio, si excludat voluntatem peccandi, sequitur, ut satis sit propositum virtuale, & implicitum inclusum in ipsa attritione, saltem in eo, qui dum elicit dolorem, nihil actu cogitat de vita futura; nam, qui actu id cogitat, potest, & debet; cum tunc naturale sit, si doleat de commissis, expresse proponat de futuris. Dixi, *Si doleat ex motivo universali*, puta ex metu gehennæ, spe gloriæ, aut ex bonitate divina; si autem doleat ex speciali turpitudine v. g. furti, qua talis, non videtur implicite proponere, nisi cavere furtum futurum, adeoque non habere propositum universale.

Dices: Trid. l. c. initio hujus quæstionis ait, contritionem esse dolorem, & detestationem, *Cum proposito non peccandi de cætero*: ergo, sicuti ex institutione Christi requiritur ad Sacramentum dolor formalis, ita formale propositum.

Respondeo, distinguo consequens: si tunc actu cogitet de vita futura, conc. si invincibiliter de ea non cogitet, nego. Juxta hanc distinctionem conciliantur hic sententiæ oppositæ; nam Henr. Val. Tol. Caiet. Bell. & alii putant, requiri propositum formale: Dicast. & alii plurimi apud Dianą p. 3. t. 4. res. 156. putant, sufficere virtuale; &, cum utraque sententia sit probabilis, sequitur, ut in praxi tenenda sit prior a pœnitente, quando actu cogitat de vita futura; ne scilicet exponat Sacramentum periculo frustrationis. At, si de vita futura non cogitet, quod sæpe accidit, jam accedit dispositus cum proposito virtuali ad valorem, & fructum Sacramenti; quo sensu posterior sententia est tam recepta a Theologis, tamque firmis rationibus munita, ut non sit practice dubitandum de ejus veritate, ut notat Gob. t. 6. num. 205. Cæterum, quando pœnitens eliciendo propositum formale vulgo dicit, *Promitto, &c.* hæc promissio non est verum votum, neque adeo obligat sub novo, & distincto reatu sacrilegii ad non relabendum, cum sit modus loquendi vulgaris in tali materia, idemque sonet, ac *Propono*; nisi pœnitens ipse expresse intenderet vovere: Sanch. l. 4. *de Voto* c. 1. n. 31.

§. II.

De Proposito quoad venialia.

NON requiritur, ut tale propositum sit universale, itaut extendat se ad omnia, & singula venialia in futurum vitanda; cum nec possit rationabiliter haberi voluntas absoluta, & efficax cavendi omnia; est enim id impossibile sine speciali Dei privilegio, ut constat ex Trid. *sess.* 6. *can.* 13. & tantum posset quis proponere conditionate, *Quantum in me est, volo curare, ne unquam committam venialia*: Gob. n. 220. Itaque, qui novit, se frequenter labi in venialia, sive ejusdem, sive diversæ speciei, sufficit, si proponat, se emendaturum eorum frequentiam: Lug. d. 14. s. 9. Item, qui pluries est leviter mentitus cum causa, & sine causa, sufficit, si proponat in futurum non mentiri sine causa, eo quod mendacium sine causa dictum sit turpius officioso: Gob. num. 224. Item quandoque magis expedit proponere cavere aliqua tantum venialia, quæ sunt graviora, vel eorum radices, aut contra quæ sentis te magis moveri: Spor. num. 338. Item, si habeas venialia plene deliberata, aut alia semiplene, potes tantum proponere vitare priora, cum hoc sit moraliter possibile, & circa posteriora, si ea sola habeas, sufficit proponere diligentiam pro iis saltem minorandis, quantum humano modo fieri potest: Suar. d. 4. s. 3. Cæterum quodcumque sit tale propositum, debet etiam esse firmum, & efficax saltem respectu unius ex venialibus, quæ exponuntur in confessione; ideoque etiam respectu illius debet etiam esse propositum fugiendi occasiones proximas; quia secus non censeris vere, & sincere proponere illud cavere: Croix n. 914. & alii contra Con. Laym. Tamb. An autem propositum circa venialia debeat esse formale, & expressum, an vero sufficiat virtuale, & implicitum, pendet ex doctrina dicta §. antec.

Dubium est, An habens solum venialia debeat non solum habere propositum circa illa modo explicato, sed etiam propositum cavendi imposterum mortalia? Negat Gob. n. 216. quia hanc necessitatem nulla lex tunc indicat; sed forte requiritur, inquit Croix n. 906. quia qui suscipit Sacramentum pœnitentiæ, suscipit gratiam, quæ est forma amicitiæ divinæ de se perpetuæ: ergo vult servare deinceps omnia ejus præcepta obligantia sub mortali, quod est saltem virtualiter velle cavere mortalia.

QUÆSTIO IV.

De Oris Confessione.

ORIS confessio, uti appellatur a Florentino, est *Externa, ac sensibilis accusatio proprii peccati in ordine ad absolutionem Sacramentalem accipiendam*. Sexdecim habet qualitates hic breviter explicandas, ut inde ad plures difficultates enodandas descendamus.

C A P U T I.

Quæ sint qualitates bonæ Confessionis?

Sit Simplex, Humilis Confessio, Pura, Fidelis,
Atque Frequens, Nuda, & Discreta, Libens, Verecunda,
Integra, Secreta, & Lacrymabilis, Accelerata,
Fortis, & Accusans, & sit parere Parata.

I. *Simplex*; Itaut nihil non necessarium, vel impertinens admisceat. Si autem addantur superflua, non redditur invalida, modo Confessarius judicare possit de peccatis.

II. *Humilis*, Ideoque aperto capite, & flexis genibus; quorum unum, si sine rationabili causa omittatur, est veniale: Escob., & alii. Hoc etiam spectat, ut deponatur gladius, nisi sit Eques Melitensis, aut Teutonicus, qui merito gestant gladium etiam in Communione, eo quod profitentur militiam pro tuenda Fide: Jo: Sanch. d. 45.

III. *Pura*, Ex intentione scilicet habendi remissionem peccatorum per Sacramentum, ideoque vocatur confessio Sacramentalis, cum talis intentio sit de essentia. Hinc, si veluti historice narres propria peccata confessario, vel ad petendum ab eo consilium, non valet; valeret autem, si deinde ex corde adderes, *De his enarratie me accuso*; Croix n. 1941. Si autem confitearis ex fine venialiter malo vanæ gloriæ, puta ut censearis pius Sodalis, ut placeas Magistro, &c., valet, modo adsit dolor de aliis peccatis, quia illud veniale nec pugnat cum tali dolore, nec cum Sacramento: Lug., Dicast., aliique contra Sylv.

IV. *Fidelis*, Hoc est vera, & sincera, itaut nec taceat mortale, quod scit, se commisisse, nec asserat, quod scit, se non commisisse; & dicat certa pro certis, dubia pro dubiis, de qua re fusius infra.

V. *Frequens*, Non quidem ex præcepto, sed ex consilio, ut, qui frequentee peccat, frequenter confiteatur, &, si non babeat, nisi quæ jam confessus est, iterum cum novo dolore subjicere potest ea clavibus ad novam remissionem: Bon., Nav., Fil., Suar.

VI. *Nuda*, Non verborum fuco ornata, ac palliata; sed ita, ut Confessarius intelligar, & judicet, an mortalia, an venialia sint, quæ dicis, &c. Hinc etiam, si de industria confiteatis mortale Confessario ignoranti, surdastro, &c., itaut non bene intelligat, confessio est sacrilega; secus, si bona fide: Cajee., & alsi.

VII. *Discreta*, Idest prudens, & cauta, itaut peccata præsertim carnalia pudicis verbis, & cum solis circumstantiis necessariis dicantur; nec nominentur complices: sed, si opus est, tantum eorum status.

VIII. *Libens*, Seu sponte dicens peccata: si autem ex meto, aut importonis precibus traharis invitus, sed confitearis cum debito dolore, &c., valet, quia habet requisita. Si vero proposuisti quædam mortalia non fateri, quæ tamen prudens Confessarius de ore extraxit, debes fateri etiam illud propositum, utpote novum peccatum: Henr. Fagnud., & alii.

IX. *Verecunda*, Idest non proterva pee modum jactantiæ, sed cum erubescentia, & humili recognitione proprit peccati, tribuendo sibi culpam, non aliis.

X. *Integra*, Formaliter, & materialiter, itaur exponatur omnis materia necessaria; quod si fieri nequeat, sit integra saltem formaliter, itaur exponatur, quod sufficit ad valorem, & fructum Sacramenti, de qua re fusius infra.

XI. *Secreta*, Ad aurem solius Confessarit. Valida tamen, & Sacramentalis est, si fiat per interpretem, vel aliis etiam audientibus, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Uti etiam, si ex necessitate fiat nutibus, aliisque signis, ane scripto: extra vero necessitatem, Sylvius putat, non valere, quia a Florent. exigitur *Oris Confessio*, & ita servat communis usus Ecclesiæ; sed probabiliter Scot., Vasq., Laym., Dian., & alii putant, non esse mortale, si ob magnam verecundiam, scripto, nutu, aliove signo confitearis; quia consuetudo confitendi ore non obligat tam gravitee in hoc casu. Essentialiter tamen requiritor, ue fiat Confessario præsenti; quia Clem. VIII. ann. 1602. damnavit hanc proposit. *Licitum est per literas, aut internuncium Confessario absenti peccata sua Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*; vetuitque sub excommunicatione reservata, ne in ullo casu id deducatur in praxim. Ex quo etiam inferunt Doctores communiter, talem confessionem non solum illicitam, sed & invalidam fore; quia secus in casu extremæ necessitatis deberet licere; & rorsus hanc damnationem intelligi etiam in sensu divisivo, itaut neque liceat confessio in absentia, quamvis deinde absolutio detur in præsentia, neque liceat absolutio in absentia, quamvis confessio facta fuerit in præsentia; ut postea declaravit Paul. V. ann. 1605. nec Suar. oppositum docuit, ut falso ei appingitur, sed tantum dixit, posse moribundum absolvi, si testis dicat, illum antea absolutionem petivisse; ur dicam infra. Cæterum, si per literas miseris peccara tua confessario, qui ea legerit, & postea in præsentia addas, *Me accuso de peccatis, quæ tibi scripsi*, valet, & licet; quia moraliter repetis confessionem in præsentia; & a fortiori valet, si præsens das scriptum legendum confessario, addens postea, *De his me accuso*; modo id fiat ex rationabili causa: Log., Arriag., Pal., Gob., & alii.

XII. *Lacrymabilis*, Hoc est, ut dolor cordis fiat sensibilis, & aliquo pacto manifestus Confessario, quod sufficienter habetur per tunsionem pectoris, aliudve signum externum, vel per ipsam humilem confessionem peccati.

XIII. *Accelerata*, Seu non din dilata post commissum peccatum, quod tamen est consilii, non præcepti.

XIV. *Fortis*, Vincens nempe omnem repugnantiam; quæ sui victoria est quid intrinsecom tali Sacramento, ideoque nemo excusatur a manifestanda sua turpitudine confessario. Obtinetur autem hæc victoria recogitatione futuræ quietis conscientiæ, salutis animæ, &c. juxta illud Tertul. *Pereat pudor, ne pereat anima*: item sigilli inviolabilis Confessarii, & quod is multa tuis fœdiora frequenter audir, & qood te magis diligat in Domino, & apud se gaudeat de tua victoria, &c.

XV. *Accusans*, Itaut non se excuset, quasi non sit in colpa eorum, quæ fecit.

XVI. *Parere parata*, Confessario imponenti pœnitentiam, remedia, aliasque obligationes, de quibus infra.

Infers ex dictis, aliquas harum conditionum esse ad melius esse, ut air D. Th. *In suppl.* q. 9. a. 4., alias esse necessarias, præsertim, quod sit Fidelis, Integra, Sacramentalis, & Sensibilis Confessario, ut fusius dicetur infra.

C A P U T II.

Quæ sit materia Confessionis sufficiens quidem, sed libera?

I. CEATUM est ex Trid. *sess.* 14. *c.* 4. materiam sufficientem confessionis esse sola peccata fidelium; ideoqoe, nec censuræ sunt materia absolutionis Sacramentalis, quamvis huic præmitti debeat earum absolutio, juxta dicenda d. 2., nec sunt imperfectiones morales, utpote, quæ, per se loquendo, non sunt contra præcepta, sed contra aliquod consilium, quod eas nec præcipit, nec prohibet, juxta infra dicenda; nec sont peccata mere putata; quia hoc Sacramentum est remissionis, cujus non est capax, quod revara non fuit peccatum. Hinc communiter rejicitor Albert. Magn., qui, ut probaret, B. V. recepisse gratiam hujus Sacramenti, solitam fuisse asserebat confiteri B. Joanni peccata, quæ apprehendebat se fecisse; cum & hic error esset indignus B. V., nec per illum posset gratiam Sacramenti recipere.

II. Certum est ex eodem Trid. *can.* 5., venialia esse materiam quidem sufficientem hujus Sacramenti, etiamsi sola, vel etiam unum eorum in confessione exponatur; imo, etiamsi illud sit subreptitium, hoc est, cum semiplena advertentia factum, quales alibi diximus esse motus secondo primos; qoia jam participant rationem peccati, adeoque remissibilitatis. Sed ex eodem Trid. *c.* 5. est etiam certum, nullum esse præceptum confitendi venialia, ideoque esse materiam liberam; itant, sive aliqua eorum, sive etiam omnia scienter omittantur in confessione, adhuc licita, & valida sit expositorum absolutio: modo veniale scienter omissum non habeat adnexam excomm. min.

Infers primo, Licitam esse confessionem venialium in specie, nullum exprimendo numerum, ut si dicas, *Accuso me de mendaciis*: Doctores communiter; & sic ex vi absolutionis probabiliter remittuntur omnia mendacia, ad quæ se extendit dolor: Arr., Dicast., Dian., & alii contra Lug., & alios dicentes, tor solum remitti, quot censetur potuisse Confessarius percipere ex vi confessionis, & circumstantiarum; unde in praxi tutius esset addere aliquem numerum, si occurrat:

rat: Croix num. 623. At accusare se de venialibus in genere dicendo, v. g. *Accuso me de multis venialibus*, nihil aliud exprimendu, probabilius non videtur licere extra casum necessitatis; tum quia est contra praxim Ecclesiæ, tum quia hoc Sacramentum est institutum per modum accusationis, & judicii, quod per se loquendo fieri debet circa materiam saltem in specie certam, & determinatam: Suar. d. 23. s. 1. num. 10., Bonac., & alii contra Dicast., & alios. Valide tamen absolveretur, si adesset debita dispositio: Doctores communiter apud Bosco n. 114. Dubium tamen est, quæ, & quot venialia tunc remitterentur vi absolutionis? Dicast. ait, omnia. Lug. putat ea tantum, quæ Confessarius potuisset in specie percipere, sive ex verbis, sive ex modo confitendi, sive ex aliis circumstantiis; quia illa sola fierent ex vi confessionis sufficienter cognita.

Infers secundo, quamvis imperfectiones morales per se loquendo non sint peccata, tamen licitum, & laudabile etiam esse eas confiteri: Suar., Lug., Dicast., & alii communiter contra Ju: Sanch., singulariter putantem, minus utile esse eas confiteri Sacramentaliter, & reprehendendos Confessarios eas audientes. Ratio communis sententiæ est, quia, quamvis de se non sint materia confessionis, tamen ordinarie habent adjunctum veniale, quod est materia sufficiens; idcoque communis præsertim Virorum Sanctorum praxis est de iis se accusare; puta se non paruisse inspirationibus Divinis, attendisse propriis commodis, non retulisse omnes suas actiones ad Deum, non egisse gratias post cibum, non observasse Regulas, &c., Imo Suar. generatim negat, transgressionem Regulæ esse sine aliquo veniali, ob deformationem membri cum toto; ideoque posse Confessarium absolvere nihil aliud confitentes, quam transgressionem voluntariam unius, aut plurium Regularum. Addit tamen Gob. t. 7. n. 513., pro majori securitate addendum aliquod peccatum saltem præteritum, & non permittendum, ut quis texat longum catalogum talium imperfectionum, cum sit modus in rebus, & habenda sit ratio aliorum pœnitentium, & temporis alia in re melius impendendi.

III. Certum est, Peccata etiam mortalia alias rite, ac directe absoluta, esse materiam sufficientem præsentis confessionis, etsi ea sola dicantur; cum possit pœnitens de iisdem pluries, & a pluribus absolvi, juxta dicenda d. 2., exponi tamen debent cum novo dolore, ut habeatur nova materia proxima cum nova forma absolutionis, juxta ibidem dicenda. Cum autem, per se loquendo, nemo teneatur bis confiteri mortalia semel jam directe absoluta, sequitur, ut ea sint etiam materia libera novæ confessionis, etiamsi hæc instituatur generalis: per accidens autem possunt evadere materia necessaria præsentis confessionis, juxta dicenda cap. seq.

CAPUT III.

Quæ sit materia necessaria Confessionis?

CERTUM est, materiam necessariam confitendam ex Jure Divino esse *Omnia, & singula mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habetur, etiam occulta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant:* ita ex Trid. *sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 5. *can.* 7. Igitur ex Jure Divino confessio mortalium debet esse integra materialiter, quoad numerum, & species, etiam infimas mortalium, & circumstantias mutantes speciem, de quibus satis dictum est q. 2.

Quæres primo, An necessario confitendum sit peccatum mortale etiam in individuo?

Respondeo affirmative; quia confitendum est integre prout est factum; & sic institutum esse a Christo constat nobis ex perpetua praxi Ecclesiæ: Doctores communissime. Hinc non solum confitenda est prava voluntas, in qua formaliter habetur malitia peccati, sed etiam actus externus, qui ab ea voluntate processit; quia, quamvis actus externus nihil superaddat malitiæ, cum non sit formaliter liber, tamen simul cum actu interno, a quo procedit, facit unum complete individuum in genere moris; actus enim externus se habet veluti materia, internus veluti forma unius operationis humanæ. Itaque, qui v. g. vulneravit, non satisfacit dicendo, *Volui vulnerare*; satisfacit autem dicendo, *Vulneravi*, quia sic satis exprimit actum internum. Item, qui volens occidere vulneravit tantum, non satisfacit dicendo, *Volui occidere*, sed debet dicere, *Volens occidere vulneravi*.

Quæres secundo, An necessario confitendus sit effectus peccati mortalis?

Respondeo, Effectum peccati mortalis esse omne id, quod consequitur ad totum peccatum completum in individuo: v. g. voluntas occidendi completur externe in esse peccati per propinationem veneni: mors autem inde sequuta dicitur effectus peccati; & sic de reliquis. Certum est primo, quod si tales effectus nullo pacto fuerint prævisi, non est obligatio eos confitendi; sic non est obligatio confitendi homicidium factum in ebrietate, si nullo pacto fuerit ante prævisum; quia sic nullatenus est in se peccatum, sed merus effectus peccati ebrietatis. Certum est secundo, quod si tales effectus sequuti sint post retractationem causæ, neque sunt confitendi, quia sic sunt omnino involuntarii: sic qui projecit Breviarium in mare, vel propinavit alteri venenum, si statim post tale peccatum sit rite confessus, non tenetur deinde confiteri omissiones Horarum subsequentes, nec mortem postea sequutam. At, si tales effectus, & prævisi, & sequuti sint ante retractationem causæ, quamvis Sanch. l. 9. *Matr.* d. 45. num. 30. Sot., Lop., Pal., & Thomistæ fere omnes post D. Th. absolute dicant, esse confitendos; tamen probabilius distinguo: Si enim ex peccato sequatur effectus tunc, cum potes adhuc illum impedire, est confitendus, quia sic complet eam omissionem in ratione peccati externi: si vero non potes tunc impedire, per se loquendo, non est obligatio illum confitendi, quia sic nec est in se peccatum, neque externe illud complet: Sal., Gran., Lug., Bon., Tamb., Dian. p. 1. t. 7. r. 64. Itaque in casu veneni, &c., etiamsi voluntatem nondum retractaveris, tamen satisfacis, per se loquendo, si dicas, *Propinavi alteri venenum*, tacendo de morte inde sequuta; & ita de reliquis. Dixi *Per se loquendo*; nam per accidens sæpe addi debent tales effectus, aut quia ratione ipsorum contracta est aliqua censura, aut quia pœnitens est monendus de restitutione ex effectu sequuto; & ideo pœnitentes communiter eos addunt in confessione, ad quod etiam sunt suaviter invitandi, ut inquit Esparsa.

Quæres tertio, An necessario sint confitendæ circumstantiæ peccati mortalis notabiliter illud aggravantes?

Respondeo, Has esse illas, quæ multum augent peccatum intra suam speciem: sic furtum mille ducatorum est circumstantia notabiliter aggravans furtum in specie furti; & similiter odium grave durans continenter per annum, &c. Equidem in hac gravissima difficultate, expono prius duas sententias oppositas, deinde concludam, quod videtur probabilius. Itaque

I. Negant D. Th., D. Bonav, D. Antonin., & alii plusquam 45. probatissimi Auctores, quos refert, & sequitur Dian. p. 1. t. 7. r. 1., & p. 3. t. 4. r. 67., itaut satis in casu sit dicere: *Furatus sum materiam gravem, odio habui proximum graviter*. Ratio est, quia Trident. *sess.* 14. *c.* 5. *can.* 7. tantum ait, *Necessarium jure Divino confiteri omnia, & singula mortalia ... & circumstantias, quæ peccati speciem mutant:* ergo sufficienter indicat, circumstantias tantum aggravantes intra eandem speciem non esse necessario confitendas; alioquin non processisset doctrinaliter, sed valde mancè, inquit Lug. d. 16. num. 108. Et confirmatur primo, Quia Trident. expresse ibidem addit, nihil aliud exigi in pœnitentibus ab Ecclesia: Secundo, Quia, cum Trident. ibi agat de obligatione confitendi circumstantias, & non exprimat obligationem confitendi mere aggravantes; præsumendum, hanc obligationem non esse; contra illum enim, qui jus clarum dicere potuit, & non dixit, interpretatio est facienda, ex *Reg. Jur.* Tertio, Quia praxis Confessariorum, & Pœnitentium non est, vel interrogare, vel confiteri illas, ut notat Vasq. d. 19. a. 1. d. 2.

II. Affirmant necessario confitendas Cajet., Sot., Suar., Henr., Con., Sanch., & alii Auctores non minus nobiles, inquit Carden., quos usq. ad 25. refert Dian. l. c.; quam sententiam Sanch. vocat verissimam, Vasq. in Scholis communem, & Bonæspei deductam ex principiis Fidei. Ratio est: Primo, Quia Cath. Roman. *de Pœnit.* c. 9. ait, *Confitenda etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & gravitatem augent*; qui Cathec. jussu Pii V. conscriptus, & ex decr. Trid. editus, hujus mentem videtur optime assequutus: Secundo, Quia cap. *Consideravit de Pœnit.* d. 5. dicitur, pœnitentem debere considerare

qua-

qualitatem criminis, quantum in eo perseveravit, & ut cognoscat augmentum peccati, *Quia omnis ista varietas est confitenda:* Tertio, Quia id est necessariu confitendum, quod scire debet Confessarius, ut Judex, & ut Medicus, ex Trident. cit. Ut Judex autem scire debet has circumstantias, ut pœnam convenientem injungat; ideoque in fine decr. Gratian. designantur pœnitentiæ notabiliter diversæ pro peccatis etiam ejusdem speciei ob solas ejusmodi circumstantias, cas. 21. 22. 37. & 38. Similiter ut Medicus scire debet statum ægri, ut possit ei præscribere opportuna remedia: ergo, &c.

III. Concludo primo, Utramque sententiam esse probabilem, utpote nixam gravi auctoritate, & rationa. Quare sequendo in praxi primam santentiam, ne implicite quidem subjaces damnationi prop. 1. proscriptæ ab Inn. XI. ut contra aliquos recte notat Carden. quia non exponis Sacramentum periculo nullitatis; cum certum sit, ad ejus valorem non requiri confessionem materialiter integram, quando bona fide proceditur, ut est in casu. Concludo secundo, Secundam sententiam videri probabiliorem ob graviores rationes. Trid. autem ideo tantum posuit, *Circumstantias, quæ speciem peccati mutant*, quia noluit expresse definire hanc quæstionem: cæterum sufficientee adjecisse videtur fundamenta pro secunda sententia; nam per circumstantias mutantes speciem intelligi possunt, quæ mutant, vel formaliter ratione alterius malitiæ, vel æquivalenter ratione malitiæ ita exaggeratæ, ut in æstimatione prudentium censeri debeat aliud quasi specie peccatum; cum species peccati sit apparentia, & æstimatio, quam de eo habent prudentes: sic, si quarta pars ducati sit quid leve, si fureris medium ducatum, habetur circumstantia aggravans, quæ mutat speciem, quia mutat apparentiam, & æstimationem viri prudentis.

Quæres quarto, An necessariu sit confitenda consuetudo peccandi mortaliter?

Respondeo, Si Confessarius interroget pœnitentem de consuetudine peccati, esse necessario confitendam, ut constat ex prop. 58. damnata ab Inn. XI. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Ratio est, quia Confessarius ut Judex habet jus cognoscandi, an pœnitens serio proponat emendationem, & ut Medicus habet jus cognoscendi, an forte sit in occasione proxima relapsurus: ergo habet jus interrogandi de consuetudine peccandi, & consequenter pœnitens habet obligationem eam dicendi, & aperiendi peccata illius speciei etiam alias rita confessa: neque est novum, quod per accidens teneatur quis iterum ea peccata, alias absoluta subjicere clavibus; non enim fit, ut de iis novum judicium feratur, sed ut possit aptum judicium ferri relate ad peccata præsentia, cum quibus illa aliquatenus connectuntur, & dari remedia opportuna pro cavendis futuris. Hinc etiam fit, ut respondere similiter teneatur Confessario interroganti de occasiona proxima peccandi, ut communissime docent Doctores contra Joan. Sanch. apud Dian. p. 1. t. 7. r. 55. Sicut etiam, si interrogetur de circumstantiis peccatorum notabiliter aggravantibus, etiamsi probabile sit, non dari obligationem eas fatendi, si non petantur. Et ratio est, quia horum omnium notitia conducit ad recte judicandum in foro Sacramentali; unde jus habet Confessarius, na sibi celentur, si de iis interroget. Si vero Confessarius non interroget, tunc distinguendum est cum Lug. d. 16. nom. 204. Vel consuetudo jam olim contracta inducit ad peccata sine libertate, & advertentia, ut accidit, cum quis ex veteri consuetudine blasphemat, quin advetrat hic & nunc ad malitiam blasphemiæ; & hæc consuetudo libere nondum evulsa, est per se confitenda, utpote speciale peccatum omissionis; gravitee enim obligamur ad eam evellendam. Vel consuetudo jam olim contracta inducit ad peccata libere, & advertentet patranda, & videtur etiam per sa confitenda, quando quis advertit, quod per illam ponatur in periculo proximo; sed quia ad id homines non advertunt, idcirco raro se accusant de hac consuetudine, atque adeo raro datur obligatio eam manifestandi, antequam Confessarius de illa interroget.

Quæres quinto, Quid significet vox illa *Circiter* addita in confessione numero expresso peccatorum?

Respondeo, Significare parvum excessum supra, vel infra numerum expressum; quod parvum accipi debet respective ad summam expressam: quare, si numerus expressus est minor, etiam excessus debet esse minor; & quo numerus expressus est major, eo major potest etiam assa excessus: non tamen proportione Arithmetica, sed quasi Geometrica secundum judicium prudentium, quamdiu scilicet parvus excessus prudenter censeatur quasi absorberi in numero expresso. Sic parvus excessus censetur unum respectu quatuor; duo respectu decem; tria respectu 20. quatuor respectu 40. sex (vel etiam novem juxta Spor. num. 446. & alios) respectu 100. &c. Itaque, si duodecies v. g. peccasti, & ob incertitudinem dicas, *Decies circiter*, jam sufficienter explicas duodecimum in numero expresso. Addo, quod si excessus sit unius tantum, est aliquid etiam in se parvum absolute; & consequenter, si ob incertitudinem dixisti, *Ter circiter*, & postea reperias quater, non teneris iterum confiteri illud quartum; quia licet unum sit tertia pars trium, tamen est aliquid in se parvum: Dicast. Bosc. Croix n. 940.

CAPUT IV.

An Peccatum mortale dubium sit materia necessaria Confessionis?

HOc dubium potest esse triplex: Primo de ipso peccato, ut si dubites, an simpliciter peccaveris in materia cæteroqui de se gravi: Secundo de qoalitate peccati, ut si scias, ta jam peccasse, dubites tamen, an mortaliter, an venialiter: Tertio de confessione peccati, ut si scias, te jam peccasse mortaliter, dubites tamen, an sis de eo confessus. Circa hæc omnia versari potest vel dubium negativum, cum scilicet utrinqua sunt quædam motiva, sed adeo levia, ut neutra part possit prudenter asseri; vel dubium positivum, cum scilicet pro utraque parte sunt gravia motiva, itaut formari possit prudens judicium tam pro hac, quam pro illa parte, aut saltam reflexe judicari possit, quod pro utraque parta stet motivum grave: quando pro una tantum parte stat grave motivum, ea sola erit positive dubia, seu probabilis, & fundans prudens judicium. His suppositis

Dico primo: In dubio positivn pro utraque parte peccatum non est materia necessaria confessionis: Doctores communiter cum Sylv. Suar. Heor. Sanch. Bon. Laym. Lug. & aliis contra Elizal. Gorm. Merol. Con. & complures Rigoristas. Ratio est, quia in tali casu, cum etiam habeas grave motivum tibi favens, potes prudenter judicare, te non obligari, etsi illud non confitens opereris ex opinione probabili non spectante ad valorem Sacramenti. Dixi *Pro utraque parte:* nam, si tantum sit motivum grave contra te, utique teneris confiteri, quia sic non habes prudens motivum, unde excuseris. Neque dicas, in dubio facti, quale est in casu, motiva opposita se mutuo elidere, ut duo testes graves testificantes pro, & contra. Nam tunc motiva opposita se mutuo elidunt, cum sunt ejusdem speciei, & omnino similia, uti sunt duo testes de visu; quia sic certum est, alterutrum eorum velle fallere, &, cum ignoretur, quis eorum id velit, neuter meretur fidem. Non vero, si motiva opposita sint diversæ speciei, & dissimilia; uti essent duo testes, qui non de visu, sed ex aliis gravibus conjecturis pro & contra testentur; sic enim uterque meretur prudentem assensum, cum uterque habeat conjecturas probabiles ex motivis omnino diversis. Et ita est in casu nostro, in quo proinde potes prudenter judicare, te non obligari.

Hinc in dubio, an simpliciter peccaveris in tali actione, si probabile sic, te non advertisse ad peccatum, non consensisse, &c. vel probabile sit, te non plene advertisse, non plene consensisse, &c. potes de ea actione non confitari; etiamsi probabile etiam sit, imo & probabilius, te advertisse, plene consensisse, &c. quia sequens motivum probabile tuæ immunitatis a mortali, prudens operaris. Similiter, si certus sis olim, te peccasse graviter, sed probabile nunc tibi sit, te de hoc confessum etiam esse, non teneris iterum de eo confiteri, etiamsi probabile, imo etiam probabilius adhuc tibi videatur non confessum esse; & ratio ulterior est, quia, quamvis inter homines non censeatur per probabilem solutionem satisfactum debito certo, sed danda ast pars solutionis juxta proportionem dubii, eo quod homines non censentur remittere debitum, nisi posita sit perfecta æqualitas; attaman benignius præsumimus da Deo, quod scilicet ad impletionem suorum præceptorum non exigat, plus quam quod prudenter judicemus, nos eis satisfecisse; alioquin exponeremur infinitis anxietatibus, & scrupulis, cum nimis facile obliviscamur eorum, quæ fecimus. No-

tant tamen Sanch., Pallav., & alii, in periculo mortis fore obligationem eliciendi contritionem de his peccatis positive dubiis, vel confitenda ad minimum alia peccata, ut scilicet peccata illa dubia, si forte revera fuerint mortalia, necdum ante remissa, saltem indirecte tunc absolvantur; quia secus in ea extrema necessitate exponeretur periculo salus æterna. De Baptismo dubie suscepto, vide dicta suo loco in tract. præced.

Dico secundo: In dubio negativo pro utraque parte mortale dubium videtur potius materia necessaria confitenda: ita Cathec. Roman. *de Pænit.* c. 9., D. Th. in 4. d. 21. q. 2. a. 3. ad 3., aliique Doctores gravissimi, & prope innumeri, quorum 40. refert, & sequitur Sanch. l. 2. *Decal.* c. 10. n. 66., itaut, certum esse dicant plerique cum Gorm., contra complures etiam graves auctores infra citandos. Ratio est, Primo, Quia ex Trident. cit. tenetur pœnitens confiteri omnia, & singula mortalia, quæ habentur in conscientia, & memoria; sed qui negative dubitat de mortali commisso, illud aliquo pacto habet in conscientia, & in memoria, quia meminit v. g. facti præteriti, in quo dubitat, an peccaverit mortaliter: ergo tenetur illud confiteri.

Scio Egyd., Con., Caram., Martin., Marchant., Stoz, Joseph a S. Januario, & alios Doctores docere, ut probabile, oppositum; quia mortale dubium, inquiunt, revera non est in conscientia, quæ a D. Bern. dicitur *Cordis scientia*, & a D. Th. *Cum alio scientia*; neque in memoria, quia memorari est pronunciare, se prius aliquid scivisse, ex Aristot. 1. *de Memoria*: & negative dubitans nihil scire, aut pronunciare potest. Addunt insuper: Primo, Dubium, quod facta morali diligentia vinci non potest, æquivalet ignorantiæ invincibili, & tacere possum in confessione peccatum, quod ex tali ignorantia puto non esse mortale: Secundo, In dubio melior est conditio possidentis, & negative dubitans de mortali est in possessione suæ innocentiæ; Tertio, In dubio, an lex aliqua existat, non est obligatio eam servandi, & dubium est in casu, an existat lex confitendi peccata dubia. Cæterum, quamvis horum sententia spectatis rationibus intrinsecis videatur probabilior; tamen nostra sententia, spectata saltem auctoritate extrinseca, videtur in praxi tenenda; quia in iis, quæ pendent a voluntate Christi, tenendum est, quod dixerunt antiqui, quos præsumendum est, magis nosse voluntatem Christi, quam pauci Doctores, qui non priusquam ab annis fere 70. cœperunt de hoc dubitare. Et sane nemo negat obligationem confitendi mortale, quod certo scis, te olim commisisse, sed negative dubitas, an confessus sis; quia sic certo possidet præceptum confessionis, cui prudenter judicare nequis esse satisfactum. Si autem dubium negativum sit de ipso peccato, aut de qualitate peccati; per se loquendo, probabilior, & tutior in praxi est nostra sententia obligans ad illud peccatum dubium confitendum.

Dixi *Per se loquendo*. Nam non tenentur, Primo, Scrupulosi; quia eorum dubia ordinarie sunt inanes apprehensiones; qui proinde nec tenentur confiteri, peccata certa, nisi certo sciant non esse antea confessa: Doctores communiter. Secundo, Nec tenentur, qui sunt timoratæ conscientiæ, si negative dubitent, an peccaverint mortaliter, an venialiter; quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio: cum ergo hi soleant horrere a mortali, habent inde prudens motivum judicandi, se non peccasse mortaliter: Sanch., Bon., & alii communiter. Tertio, Nec tenetur, qui olim serio fecit confessionem generalem, & nunc negative dubitat, an tunc dixerit tale, vel tale mortale, quia confessio serio facta est in possessione pro sua integritate, & non meminisse, te hoc, vel illud esse confessum, non est prudens dubium, quod confessus non sis; cum vix recordemur hesternorum: Stoz p. 5. num. 169.; nisi ergo occurrat nunc positiva ratio prudenter dubitandi, non teneris, &c. Gorm. num. 170., & alii communius: unde etiam infert Jo: Sanch., estque valde notandum, inquit Dian. p. 5. t. 4. r. 107., hunc talem non teneri amplius, de vita anteacta cogitare; &, si occurrat dubium, an confessus jam fuerit tale peccatum, an non; an circumstantias, &c., poterit præsumere, quod sic: idemque infert Stoz n. 614. in confessionibus particularibus serio anteactis; nam, qui semper cum morali diligentia est confessus non tenetur in priorem vitam ulterius inquirere, etsi hic & nunc non recordetur, se hoc, vel illud esse determinate confessum. Ex quibus concluditur, quod obligatio confitendi mortale dubium solum urget eos, qui non sunt timoratæ conscientiæ, vel de quibus ignoratur, an timorati sint, vel an antehac fuerint diligentes in suis confessionibus, ut concludit Croix.

Quæres, An peccatum dubium sit se solo materia sufficiens confessionis?

Respondeo affirmative, Si reipsa sit commissum; sed cum hoc ipsum sit incertum, per accidens tunc datur obligatio addendi aliud certum, sive mortale alias absolutum, sive veniale, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis: quod, si aliud certum non possit addi, danda est absolutio sub conditione, præsertim in necessitate; maxime, cum probabilis sit speculative loquendo sententia Perez, & aliorum Doctorum, quod peccatum putatum (adeoque & dubium) cum vero dolore sit sufficiens ad hoc Sacramentum, & consequenter per eam confessionem satisfieri præcepto confessionis annuæ: si certum sit, te peccasse, & dubitas, an mortaliter, an venialiter, absolvi simpliciter potes absque ullo addito, quia jam exponis materiam certam; Sanch. l. 1. *Decal.* c. 10. num. 3. Similiter, si Confessarius ex circumstantiis pœnitentis advertat ut certa aliqua peccata, quæ pœnitens confitetur ut dubia, potest simpliciter absolvere; quia peccata sunt declarata, prout sunt in conscientia, nec Sacramentum exponitur periculo nullitatis: Spor. num. 56.

CAPUT V.

Quæ mortalia antecedentium Confessionum sint materia necessaria Confessionis præsentis?

Dico primo: Qui antehac confessus fuit invalide, undecumque provenerit invaliditas, tenetur eadem mortalia iterum confiteri: Ita omnes. Ratio, quia Christus præcepit confessionem mortalium in ordine ad valorem, & fructum Sacramenti: ergo, quandocumque pœnitens novit suas confessiones fuisse invalidas, sive ex defectu sui, sive Confessarii, debet illas repetere, &, si fuerunt voluntarie nullæ, debet etiam addere sacrilegia in illis, & in subsequentibus etiam communionibus commissa. Contra vero, si confessio fuit valida, sed informis, probabiliter non tenetur peccata sic confessa iterum confiteri, sed tantum peccatum omissum, quia absolutio fuit valida, & habebit fructum, cum sublata fuerit fictio; Suar. d. 22. s. 7. num. contra Adrian.

Si Confessarius habebat facultatem in reservata, & invaliditas fuit ex defectu ipsius, eo quod noluit absolvere, probabiliter ablata est reservatio: &, si invaliditas fuit ex defectu inculpabili pœnitentis putantis, v. g. non requiri dolorem, &c. probabiliter ablata est etiam censura; quia in primo casu pœnitens satisfecit præsentando se habenti facultatem in reservata: in secundo casu Confessarius absolvit, quantum potuit: Con., Cajet., Henr., & alii contra Laym., Bonac., & alios. Idem putant, Pasqual. Rodr. Boss. s. r. cas. 28., etiamsi invaliditas fuit ex defectu culpabili pœnitentis, eo quod possit etiam invitus, nedum indispositus, a censuris absolvi: sed in hoc merito contradicunt alii, quia fraus non potest cuiquam suffragari, nec debet lucrum reportari ex sacrilegio.

Cæterum, si confessiones invalidæ repetantur apud Confessarium diversum a primo, debent omnia, & singula mortalia repeti; quia hic Confessarius, cum sit novus omnino Judex, debet omnia, & singula, quoad fieri potest, cognoscere: Doctores communiter. Si vero repetantur apud eundem Confessarium, qui adhuc habeat distinctam memoriam eorum peccatorum, satis est, si pœnitens dicat defectum confessionum, & communionum præteritarum, & in genere addat, *Etiam me accuso de omnibus peccatis antehac tibi confessis*: idem etiam dicunt Nav., & alii, si talis Confessarius habeat confusam adhuc memoriam eorum peccatorum, & aliquo pacto recordetur de statu pœnitentis, vel saltem pœnitentiæ injunctæ; quia sufficit aliquando formatum fuisse judicium, de quo nunc meminit. Si autem nec confuse meminit peccatorum, nec pœnitentiæ impositæ, debent distincte repeti eidem peccata, quantum necesse est, ut ex vi confessionis partim præteritæ, partim præsentis possit Confessarius formare judicium saltem confusum de statu conscientiæ, & injungere pœnitentiam congruam: Lug. d. 16. num. 642.

At, si pœnitens sit cæteroqui scrupulosus, regulariter ne permittas quidquam repetere, nisi certum sit, esse male confessum, juxta jam dicta. Imo idem etiam di-

cunt

eunt Fill., & Gob. t. 7. n. 275., etiamsi pœnitens non sit scrupulosus; quia possessio est pro confessionibus factis, quarum valor præsumi debet, nisi graviter probetur oppositum, cum delicta non sint præsumenda: contra vero, si ille solitus fuerit negligenter se præparare, aut omittere aliqua, præsumptio est contra ipsum, ideoque tenetur repetere id, de quo dubitat, an valide sit confessus. Idemque est, si certus sit de mortali in confessione omisso, & sit dubium negativum, an ex verecundia, an ex justa causa; tenetur enim confiteri illud, & reliqua etiam mortalia tunc confessa, quia est etiam dubium negativum de valore illius confessionis: Moya d. 1. q. 8. n. 17. contra Bautium.

Pro praxi vero, si pœnitens mortale aliquod tacuit, pete, quale illud fuerit, & an, quando illud commisit, putaverit esse mortale: item, an putaverit esse mortale sic illud tacere in confessione; si enim hæc non adsint, nunquam peccavit mortaliter: si hæc constent, tunc pete, an, quoties confessus sit tempore intermedio, memor fuerit obligationis confitendi tale peccatum, & nihilominus perrexerit tacere; si enim bona fide, & cum debita dispositione fecisset has confessiones intermedias, fuerunt validæ, nec opus est has, vel peccata in his confessa repetere: Doctores communiter: si vero adfuit semper mala fides, tunc, si apud te semper fuit confessus, redit doctrina paulo ante dicta; si non semper est tibi confessus, vel per multos annos sic perrexit, itaut nec confuse recordari possis reliquorum peccatorum, communiter differendus est pro absolutione, usquedum se examinet, si capax sit ad se examinandum, & hoc antea non fecerit, quia vix fieri potest, ut tam subito omnium recordetur: Gob. t. 7. num. 261. Addit tamen optimum consilium Croix n. 1226., exquirenda tunc ab eo graviora peccata, quæ illum maxime remordent, ut sic aperto ulcere, & deposita parte verecundiæ facilius deinde redeat: addit etiam, quod si non esset futura occasio redeundi, nec putaretur alteri facile aperturus conscientiam, possis tunc per interrogationes supplere defectum examinis, quantum locus, & tempus ferent, & absolvere, & pro pœnitentia injungere, ut diligentius se examinet, &, si quæ alia occurrent, dein confiteatur.

Dico secundo: Mortalia indirecte absoluta in alia confessione sunt materia necessaria præsentis confessionis: ita omnes. Ratio est, quia ex Trid. *sess.* 14. *c.* 3. Confessarius est a Christo institutus Judex circa omnia, & singula mortalia fidelium; sed Confessarius nondum tulit sententiam de peccatis indirecte absolutis, utpote nondum subjectis directe ejus clavibus: ergo, licet indirecte sint remissa, tamen ex jure divino manet obligatio, ut directe Confessario subjiciantur; non quod illa reviviscant, sed quod novum peccatum omissionis committitur contra jus divinum, si non ita subjiciantur. Talia sunt mortalia inculpabiliter omissa in præterita confessione, vel eorum species, aut circumstantiæ mutantes speciem inculpabiliter omissæ, vel mortalia, dicta quidem in confessione, sed confessario non habenti jurisdictionem in illa, a quo bona fide, aut ex rationabili causa obtinuisti absolutionem directe cadentem super alia peccata sibi subjecta. Hinc damnatur ab Alexandr. VII. hæc proposit. 11. *Peccata in confessione omissa, sive oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Non sic autem in reservatione, aut censura peccati indirecte absoluti: si quis enim ab habente facultatem in talem reservationem, ac censuram generaliter absolvatur a censuris, & a peccatis, probabiliter manet omnino liber a reservatione, vel censura adnexa peccato oblito, quod proinde, si memoriæ occurrat, absolvi directe poterit a quovis Confessario: Regin., Con., Sylv., Nav., & alii apud Dian. p. 2. tom. 11. r. 19. contra alios. Et ratio est, quia nec reservatio, nec censura est peccatum, sed quædam pœna peccati. Secus vero, si ille Confessarius non habebat facultatem in talem reservationem, vel censuram, ut patet.

Quæres, An mortale in confessione oblitum, si memoriæ occurrat ante communionem, debeat ante hanc subjici clavibus?

Respondeo affirmative cum communissima apud Lug. *de Euch.* n. 126. contra Regin., Præp., Garz., & alios apud Dian. p. 9. tom. 3. d. 1. Ratio potissima est praxis communis fidelium, quæ satis indicat præceptum divinum de præmittenda communioni confessione materialiter integra, excepto casu urgentis necessitatis, juxta dicta q. 1. c. 4.

Dico tertio: Qui bona fide dixit in confessione, se v. g. decies circiter peccasse, si deinde certo sciat, se peccasse undecies, non tenetur iterum illud undecimum clavibus subjicere: Doctores communiter. Ratio est, quia jam subjectum fuit clavibus prout erat in conscientia, & sufficienter inclusum in verbis illis, *Decies circiter*, juxta dicta cap. antecedenti: ergo nulla est obligatio ex jure divino iterum subjiciendi clavibus, cum directe jam sit absolutum: Suar. d. 22. s. 5., Vasq., Con., Lug., & alii communiter contra Perez. Imo Tamb. *de Conf.* l. 2. c. 1. n. 20. ait, rusticos, mulieres, & pueros, qui bona fide crassiori modo confessi sunt, licet postea videant, se in multis defecisse, non esse obligandos ad repetendas ejusmodi confessiones, quia Confessarius satis saltem in confuso peccata eorum perceperit; quod Lugo facilius admittit circa numerum, quam circa speciem, quia major est obligatio exprimendi determinatam speciem, quam determinatum numerum. Illud communiter asserunt Doctores, quod, quando pœnitens post examinatam diligenter conscientiam aperuit in genere statum, vitam, consuetudinem, & tempus, quo in peccatis fuit, non teneatur postea repetere peccata, quamvis in particulari distinctius recordetur hujus, vel illius, in hoc, vel illo loco, aut tempore, cum hac, vel illa persona commissi, quia in illa confusa confessione fuerunt sufficienter intellecta a Confessario, qui potuit de his, & eorum numero formare morale judicium; atque adeo de omnibus directe absolvit: Croix num. 934.

Dico quarto: Mortale dubium confessum ut tale, si deinde deprehendatur ut certum, probabilius tenemur iterum confiteri ut certum: ita communis sententia cum Sanch. l. 1. *Decal.* cap. 10. n. 69. contra Arriag., Leand., Caramuel, & alios. Ratio est, quia ab initio erat obligatio illud assertive confitendi ut certum, & solum tunc excusavit ignorantia: ergo, hac sublata, redit obligatio, maxime quia notabiliter mutatur judicium Confessarii, debetque alia ferri sententia, & alia imponi satisfactio. Neque obstat primo, quod ab hoc absolutus jam sis directe; nam aliquando etiam datur obligatio iterum fatendi peccata directe absoluta, ut dictum est de consuetudine peccati: sicuti ergo ibi aperienda est consuetudo Confessario interroganti, ut ferat judicium de præsenti; ita hic etiam non interroganti fatendum mortale certum, ut feratur de eo justa sententia, utpote nondum lata. Neque obstat secundo paritas numeri peccatorum inclusi in illa particula *Circiter*; nam numerus certus deinde deprehensus non multum variaret judicium Confessarii, & sufficienter est expressus in illa particula *Circiter*. Cæterum, si confessus es integre tuum peccatum (v. g. dicendo, te osculatum esse virginem) apud te dubitans, an fuerit mortale, an veniale; non teneris iterum confiteri, si postea deprehendas fuisse mortale; quia confessus es integre, neque ex modo confitendi determinasti Confessarium ad falso judicandum: Sanch. n. 60. & alii. Et a fortiori non teneris, si peccatum quodcumque confessum bona fide, ut dubium, postea deprehendas fuisse tantum veniale, aut nullum.

Similiter, qui bona fide exposuit integre peccata sua Confessario imperito, probabilius non tenetur iterum confiteri Confessario perito, quia prior Confessarius directe absolvit de communiter notis, etiamsi sæpe illa non discernat a venialibus, sed vel judicium suum suspendat, vel etiam judicet mortale, quod fuit veniale: Suar., Henr., Sot., Con., Bon., & alii plures contra Sylv., Ricch., Vasq., Victor., Val., Turr., & alios. Secus vero, si pœnitens mala fide processit, cum sic prior confessio fuerit sacrilega.

CAPUT VI.

Quodnam peccatum sit mendacium in Confessione?

PECCATA sunt confitenda, sicut nunc conscientia dictat fuisse tunc commissa, quando fuerunt patrata; unde, si tunc invincibiliter ignorabas malitiam, vel non advertebas ad aliquam circumstantiam, illam non contraxisti, etsi nunc scias talem malitiam, &c. Itaque peccata certa confitenda ut certa, dubia ut dubia, nulla omnino non confitenda; si secus feceris, eris mendax in confessione: sed hoc mendacium esse potest, vel circa materiam necessariam, vel circa materiam liberam. Itaque

Dico primo: Mendacium in confessione circa materiam liberam probabilius est tantum veniale: Suar. Vasq. Lug., Tamb., & alii communiter contra D. Bon., Caj., & alios. Ratio est, quia, licet sit aliqua irreverentia,

non tamen gravis, tantum enim decipit in materia libera, sine qua potest stare judicium Confessarii circa substantialia, & valor Sacramenti; materia autem libera sunt venialia, & mortalia alias rite confessa. Sic venialiter peccas, si falso affirmes, vel neges aliquod veniale; vel, si interrogatus neges mortale antehac rite confessum; modo non faciat ad confessionem præsentem, ut diximus de Consuetudinario, &c. Idem est, si mentiaris in re non pertinente ad confessionem, vel si mentiaris in Confessionali quidem, sed ante confessionem, vel post absolutionem: Gob. t. 6. n. 545. Idemque est, si alteri prius confitearis mortalia, & postea tuo ordinario Confessario venialia, a quo interrogatus dicas, te ab ultima confessione illi facta non commisisse mortale, quia decipis circa materiam liberam: Bosc. num. 171.

Dico secundum: Mendacium in confessione circa materiam necessariam est grave sacrilegium contra Sacramentum, ejusque Auctorem: ita omnes. Ratio est, quia decipit Judicem in re gravi spectante ad substantiam Judicii Sacramentalis. Tale est, si absque rationabili causa neget quis in confessione mortale, quod fecit; vel affirmet, quod non fecit: item, si mortale certum dicat ut dubium, vel dubium ut certum; item, si numerum dubium mortalium asserat pro determinato, vel determinatum pro dubio; aut majorem, minoremve, quam ipse putet esse, vel demum sciens v. g. se detraxisse dicat, *Accuso me, si detraxissem, &c.*; quia in his omnibus corrumpitur judicium Sacramentale in re gravi, quamvis aliquando excuset bona fides, aut ignorantia. Idem est, si confitens mortale dicat, esse veniale; vel confitens veniale dicat, esse mortale; vel confitens mortale falso dicat, se illud esse alias confessum, quia notabiliter immutat judicium Confessarii circa materiam necessariam: Pal., Tamb., & alii communiter contra Dicastil. d. 9. num. 147. Si vero falso dicat, se non esse antehac confessum mortale, quod tamen sit antea rite confessus, probabiliter peccat tantum venialiter, quia decipit tantum circa materiam liberam: Dicast. contra Pal., Tamb., & alios. Qui autem confitetur mortale antehac rite confessum, sed id non exprimat, non peccat, quia confitetur malitiam, quæ est ex parte peccati, quæ semper est materia confessionis: Suar., Sanch., Con., & alii communiter.

Item, qui confitetur mortale, de quo dubitat, an antehac sit confessus, non tenetur dicere, se de hoc dubitare. Imo, qui confitetur mortale antehac non confessum, nec tenetur id exprimere, nisi interrogetur, quamvis videat, Confessarium forte putare esse antehac confessum, dummodo ex vi confessionis eum non inducat in illum errorem, sed mere permissive se habeat: Bonac., Dian., Lug., Dicast., Tamb., & alii contra Hurt., Pal., Turr. immerito vocantem hanc sententiam perniciosam, & improbabilem: excipe tamen, si Confessarius imponat pœnitentiam valde levem; tunc enim per accidens esset obligatio id exprimendi, aut saltem petendi pœnitentiam majorem: ita iidem Doctores.

Similiter neque peccat, qui dicit, se velle confiteri generaliter, & peccatis alias confessis miscet nova non antehac confessa, tacendo, hæc non esse antehac confessa; quia per verba illa, *Volo confiteri generaliter*, non dicit, se velle confiteri tantum peccata antehac confessa, sed quæ fecit in vita, Lohn. *de Conf. p. 2. c. 12.* dicens, id secure practicari: excipe tamen primo, Si inter nunquam confessa esset reservatum, a quo non posset absolvere hic Confessarius: Secundo, Si species peccati nunquam confessi aliter non intelligeretur, v. g. si recenter vovit castitatem, & peccatum oppositum intelligeretur factum ante votum: Tertio, Si Confessarius imponat pœnitentiam valde levem, ut dictum est supra; ideoque ordinarie semper expedit distinguere non confessa a confessis: maxime etiam, quia circa non confessa communiter diligentius interrogare debent Confessarii, ut bene explicetur species, & numerus: Croix n. 1182. Qui autem dicit, se velle confiteri generaliter de tota vita, & sponte omittit aliqua mortalia antehac rite confessa, non peccat mortaliter, quia non mentitur circa materiam necessariam; imo Tamb. num. 7. Dicast., & alii putant, nec peccare venialiter, quia sensus illorum verborum communiter est, quod velit confiteri omnia, prout ipsi videtur, & placet: & ita intelligunt Confessarii.

Similiter non peccat, qui ex necessitate confitens huic Confessario (cui ex rationabili causa non tenetur dicere peccatum, quod habet in conscientia, vel ejus speciem) id ab eo interrogatus neget; quia nullatenus mentitur, sed loquitur æquivoce: Doctores communiter. Qui autem mentitur circa individuum physicum peccati (puta, si dicat, se peccasse tali die, cum sciat, se peccasse alio die, vel occidisse Titium, cum sciat, se occidisse Cajum) Arriag., Bosc., & alii dicant, esse tantum veniale mendacium; quia moraliter sunt idem individuum peccati, & circumstantiæ illæ physice diversæ non sunt materia necessaria; nisi vero mutent speciem peccati, vel notabiliter judicium Confessarii: Suar. d. 22. s. 2. n. 3.

CAPUT VII.

Quando valeat Confessio formaliter tantum, & non materialiter integra?

CONFESSIO formaliter tantum integra est externa quidem accusatio Sacramentalis, sed non omnium peccatorum, quæ sunt in conscientia, adeoque non est materialiter integra; dicitur tamen integra formaliter, quia nihil ei deest ad valorem, & formam Sacramenti. Hæc autem præcise valet, si adsit impotentia physica, vel moralis confitendi omnia, quæ sunt in conscientia, quia tunc solum ex benignitate Christi cessat suum præceptum de integritate materiali, & ideo transacta postea ea impotentia teneris ex eodem præcepto, mortalia tunc omissa subjicere clavibus: Doctores communiter. Sit igitur

§. I.

Quid de impotentia morali?

SI necessitas sit confitendi (v. g. ob præceptum annuæ communionis, vel ad vitandam infamiam, scandalum, aliudve malum grave, vel, si aliter longo tempore confessio esset differenda) valida est confessio non integra materialiter ob impotentiam moralem in subsequentibus casibus.

I. Si pœnitens nec apud alium Confessarium, nec aliter possit integre confiteri suum peccatum, nisi nominando complicem; tunc enim probabiliter potest illud tacere, quia conservatio famæ, ad quam complex habet jus, videtur excusare: Nav., Armil., Medin., Bon., Busemb., Dian., & alii contra Suar., Lug., D. Bonav., D. Anton., & alios. Si autem sola circumstantia nequeat exprimi sine manifestatione complicis, fatendum est peccatum tacita circumstantia, dicendo v. g. *fornicatus sum*, tacendo circumstantiam incestus, ex qua talis Confessarius facile nosset complicem. Hinc fit, quod, quando confessio fieri integre potest sine complicis manifestatione, illicitum est tum pœnitenti complicem manifestare, tum Confessario complicis nomen interrogare. * Ubi nota, Praxim exquirendi nomen complicis a nonnullis Portugalliæ, necnon Algarbiorum Confessariis usitatam, fuisse nuper a Bened. XIV. felicit. Regn. per literas in forma Brevis ad Episcopos illius Regni scriptas, *Damnatam, ac reprobatam, tanquam scandalosam, & perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento, injuriosam, tendentemque ad Sacrosancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo, & necessario usu Fideles abalienantem.* * Si autem gravia damna timerentur a complice, quæ solus Confessarius posset impedire, esset ei manifestandus, quod expediret etiam fieri extra confessionem: Sot., Dian., Lug., Avers. quæst. 18. s. 7., & alii.

II. Si pœnitens ex confessione sui peccati, vel ejus circumstantiæ prudenter timeat grave damnum, sive spirituale, sive temporale sibi, aut Confessario, aut aliis, potest illud reticere; quia præceptum divinum de integritate materiali non obligat cum tanto incommodo: Doctores communiter: ut si prævideas, talem Confessarium fracturum sigillum, aut te odio gravi habiturum, aut aliis graviter nociturum. Item, si mulier v. g. prævideat ex confessione peccati carnalis fore periculum animæ suæ, vel confessarii; nullatenus potest ei confiteri, nisi in casu extremæ necessitatis, in quo etiam illud tacere debet, ob periculum alterutrius; nisi vero hoc omnino cessaverit: Doctores communiter apud Lug. d. 16. n. 362. Item, si Confessarius non posset aliter confiteri suum peccatum, nisi violatione sigilli: v. g. si invalide absolvisset simoniacum, nec posset confiteri, nisi illi, qui facile posset conjicere, quisnam ille esset.

esset. In his omnibus casibus requiritur necessitas supradicta confitendi, & defectus alterius Confessarii; Fill. Lug. & alii communiter, monentes, talia damna, & pericula non esse facile fingenda, & præsertim in Religioso vix posse locum habere.

III. Si pœnitens sit mutus; hic enim probabilius non tenetur confiteri scripto, quia scriptura ex natura sua nata est esse publica: Ledesm. Victor. Sot. Navarr. Val. Barb. Dian. Laym. Pal. & alii contra Suar. Vasq. Lug. Escob. & alios. Hinc satis est, si confiteatur per nutus, etsi prævideat, non posse integre intelligi a Confessario. Debet tamen hic, si fieri potest, instrui prius ab ejus domesticis de significatione nutuum. Si id fieri non potest, absolvere eum potest tempore præcepti, imo etiam jubilæi, aliisque celebribus festis, etsi nequeat ulla peccata in specie intelligere, modo tamen ex signis intelligat, eum dolere, & petere absolutionem: Gob. t. 7. n. 476. At, si quis a nativitate fuerit mutus, surdus, & cœcus, cum non videatur ullo modo posse ediscere mysteria fidei, solum est capax baptismi: Gob. t. 7. n. 476. Eadem dic de surdo, cui pariter satis est, si confiteatur integre, quantum scit se explicare: quod, si sit surdaster, neque est interrogandus a Confessario, nisi de plane necessariis, & sine periculo publicitatis: expedit tamen, ut audiatur, si fieri potest, in loco remoto: Dian. p. 3. r. 4. r. 129. Eadem dic etiam de puero, rudi, bardo (vulgo *locco*) qui nequeunt se in specie accusare; habent enim potius impotentiam physicam; ideoque in dictis necessitatibus impertienda est eis absolutio sub conditione, si dubites, an noverint mysteria fidei, vel an dent signa doloris, &c. qui autem est semifatuus, putat Gob. t. 7. n. 468. quod, etiamsi singulis mensibus petat absolutionem a Confessario, qui novit eum saltem imperfecte exercere actus necessarios ad hoc Sacramentum, absolvendus est: idem dic proportionaliter de pœnitente barbari idiomatis, qui, etsi possit, tamen non tenetur confiteri per interpretem, cum solum præcipiatur confessio secreta, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Quare in dictis necessitatibus, si non habeat Confessarium intelligentem suum idioma, poterit confiteri per signa. Addunt Val. Arr. Busemb. & alii contra Con. Laym. Lug. & alios, quod ne in articulo quidem mortis teneatur confiteri per interpretem; sed optime monet Avers. teneri tunc per illum confiteri aliquod saltem veniale, ob majorem securitatem salutis: & Dian. suadet, sic etiam tunc confitenda omnia, cum non sit certum non adesse obligationem ad hoc ex præcepto divino.

IV. Magnus concursus pœnitentium non est causa moralis sufficiens dimidiandi confessionem, ex prop. 59. damn. ab Inn. XI. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ;* adhuc tamen putat Lumb. sufficere, si tunc sit pœnitens non rediturus ad confessionem, vel accedat peregrinus non bene examinatus, qui abire statim debeat: sed hoc negat merito Caeden. nisi etiam adsit impossibilitas moralis, qualis esset, si ille esset valde rudis, nec alias posset confiteri; hic enim, si solitus sit confiteri generice tantum non explicando species peccatorum, posset tunc Confessarius audire peccata ab ultima confessione, & rudi aliqua cognitione præcedentium eum absolvere: Laym. l. 5. t. 6. c. 9. n. 4.

§. II.

Quid de impotentia physica?

I. HÆc est in periculo mortis, in quo non sit tempus confitendi omnia, ut in naufragio, terræmotu, prælio, aut alio simili; tunc enim sufficit dicere tantum in genere, *Accuso me de peccatis meis:* Doctores communiter ex Rit. Roman. Imo, quando imminens periculum aliud non permittat, possunt multi simul dolorem ostendere Sacerdoti, & sic omnes simul absolvi. Addunt tamen Con. Lug. Tamb. & alii, quod, quamvis tunc neque obliget publica confessio, tamen pro majori securitate expedit, ut quisque manifestet aliquod saltem veniale in specie, de quo minus erubescit, ut sic ab illo directe absolvatur, & indirecte a reliquis. Idem proportionaliter dic pro tempore pestis; si enim Confessarius accedens ad pestiferum non possit immorari ob periculum contagii, poterit unum tantum peccatum audire, & absolvere: illud tamen debet esse mortale, si sit in conscientia, quia, cum sit materia necessaria, debet dici, si potest. At, si ob tale periculum non possit confessarius accedere, satis est dicere publice aliquod veniale, ut supra, & sic absolvi: v. Laym. l. 5. t. 6. c. 13.

II. Est in articulo mortis, quando probabile periculum est, ne infirmus ante absolutionem moriatur, vel plus nimio debilitetur, vel mortem acceleret: sufficit etiam unum mortale, aut, si hoc non habet, veniale fateri Confessario, & sic absolvi: Doctores communiter. Quod si non possit in specie, dicat saltem in genere, *Peccavi graviter;* &, si neque hoc totum proferre possit, dicat, *Peccavi:* si nec loqui possit, det signum doloris, vel desiderii absolutionis, puta, tundat pectus, vel manum Confessarii stringat, vel interroganti annuat, quia sic etiam habetur sufficiens confessio sensibilis, & accusatio externa. Idemque est, si oculos ad cœlum tollat, si Sacram Imaginem devote intueatur, &c. Si autem dubium sit de signo aliquo, absolvendus est sub conditione; quia probabile est, illud esse signum pœnitentiæ, cum probabile sit, quemlibet etiam scelestissimum in eo articulo velle remedium animæ suæ, idque eo signo, cum aliter nequeat, manifestare: Doctores communiter. Quod si Confessarius eum inveniat lapsum in lethargum, phrenesim, aut etiam in delirio dicentem, se nolle absolvi, potest, ac debet pariter absolvere, si unus saltem fide dignus testetur, eum antea petiisse absolutionem, aut dedisse aliquod ex prædictis signis, quia sufficit confiteri per alium, uti per interpretem: & non est certum, su retractasse, aut confessionem sensibilem non perseverare moraliter: Moya, Avers. Dian. & alii communiter, ex Rit. Roman. *de Pœnit. c. ult.* Addunt etiam sufficere, si id testetur hæreticus, vel infidelis, quia præsumi non potest, quod hi dicant falsum, ut fiat Sacramentum. Addunt etiam sufficere, si testis referens Sacerdoti id tantum audierit ex relatione alterius. Addunt demum etiam sufficere, si testis hoc dixerit absens a moribundo, ad quem deinde accedat solus Sacerdos.

Difficultas maxima est, si hic talis neque per se, neque per alium dederit signum pœnitentiæ? Qua in re dicendum est, quod, si certum sit, nullum prorsus signum dedisse, non possit ne sub conditione quidem absolvi; quia tunc certum est, absolutionem fore nullam, cum confessio aliqua externa sit de essentia Sacramenti: Doctores communiter, præsertim Societatis Jesu, quibus in ratione studiorum prohibitum est docere hanc thesim: *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeout Sacerdos, nec sciat, nec prudenter putare possit, præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest.* Talis certitudo haberetur, cum ille vixerit infidelis, vel hæreticus, aut in eo articulo expresse diceret nolle confiteri, velle mori in peccato, &c. & hæc dicat, aut faciat non delirans, sed utens ratione. At, si hæc certitudo indispositionis non sit, sed ita improviso mortis articulo quis obruatur, ut nullum signum externum dare possit doloris, &c. Lug. Haun. Moy. Pallav. & alii dicunt, sufficere vitam christiane ante ductam, & confessiones sæpe ante factas in signum externum doloris præsentis, quem etiam probabile est interne habere. Negant Illf. & alii, quia vita christiane anteacta, &c. non est signum externum, quo ille active manifestet dolorem præsentem; aliter frustra, & deceptorie Concilia, & Canones requirerent in moribundo aliud signum, quod vel ipse Sacerdos viderit, vel de quo alii testentur.

Dico tamen, posse hunc absolvi sub conditione, quia sufficit quodcumque signum externum doloris, quamvis a Sacerdote clare non cognitum, sed sub dubio tantum præsumptum; Avers. f. 18. & alii dicentes, *Locum dubitandi adesse, quandocumque non constat oppositum.* Atqui in casu posito, cum non constet oppositum, præsumi potest, illum dare hoc signum; nam nescitur, an non utatur ratione, & tales moribundi ordinarie dant extrema aliqua signa, quæ possunt, quibus forte manifestare volunt suum dolorem, quale signum esse potest etiam ipsa anxia respiratio moribundis omnibus consueta: ergo absolvi potest conditionate, cum sic nec fiat injuria Sacramento, & succurratur extremæ necessitati. Unde, si potest, debet ex gravi obligatione charitatis ita absolvi: Moya, Sanch. & alii multi. Quando autem Concil. & Can. requirunt aliud signum, loquuntur de absolutione absoluta, non de conditionata, ut fertur etiam hanc contulisse ipsum Clem. VIII. cuidam decidenti e fabrica D. Petri, dicendo, *Si capax es, absolvo te a peccatis tuis.* Idem dicunt

Ponc., Gorm., & alii multi contra Bosc., etiamsi is antehac male vixisset; quia sufficit, si constet, fuisse Catholicum, ut habeatur aliqua saltem tenuis probabilitas accipiendi motus, quos facit, in signum doloris. Unde etiam infert Gorm. num. 226., quod, licet quis actualiter peccando subito destitueretur sensibus, regulariter sine absolutione dimitti non deberet: & Tamb., Carden., aliique addunt, Catholicum in duello, vel adulterio confossum, si supersit aliquid temporis ante mortem, vix dimittendum sine absolutione sub conditione. Secus vero, si sit infidelis, vel hæreticus, quia ille est omnino incapax, hic certe dispositus; nisi vero serio antea dixerit, se velle mori ritu catholico. Denique, si quis adveniente Sacerdote sit mortuus, certum est, non posse Sacramentaliter absolvi, quamvis antea dedisset signa pœnitentiæ, cap. *Multiplex* 49. *de Pœnit. d.* 1., quia non est amplius in statu viæ: neque citetur in oppositum Opusc. 65. D. Th., nam hoc falso ei adscribitur: Moy. num. 16., neque citentur aliqui Medici dicentes, animam rationalem manere etiam uno, vel altero quadrante post mortem vulgariter existimatam; nam ea opinio est communiter improbabilis: si autem auctoritate, vel ratione fieret alicui saltem dubie probabilis, posset is absolvere sub conditione.

QUÆSTIO V.

De Operis Satisfactione.

OPERIS satisfactio, ut vocatur a Florentino, est *Executio pœnitentiæ impositæ a Confessario*; ideoque est pars hujus Sacramenti, non quidem essentialis, cum sine illa adhuc sit essentialiter validum; sed certe integralis pertinens ad integrum ejus complementum. Hinc dicitur pœnitentia Sacramentalis, & causat ex opere operato remissionem pœnæ temporalis, non quidem omnis omnino, cum hoc sit proprium baptismi, sed certe majoris, quam si fieret sine Sacramento. Dividitur autem in mere pœnalem, seu vindicativam culpæ præteritæ, & in medicinalem, seu præservativam etiam a culpa futura. Videnda hic est ejus impositio, acceptatio, executio, & commutatio; tum demum satisfactio per Indulgentias.

CAPUT I.

Quid de impositione Pœnitentiæ?

DIco primo: Confessarius absolvens tenetur imponere pœnitentiam: Doctores communiter. Ratio est, tum quia ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Confessarius est Judex, & Medicus; ergo debet eam imponere, tum in punitionem, tum in medelam; tum quia ex eodem Trid. c. 8. Sacerdotes tenentur curare integritatem Sacramenti; ideoque *Debent Sacerdotes salutares, & convenientes satisfactiones injungere*: peccant igitur, si non injungant; & quidem graviter, si non injungant in confessione mortalium; si autem non injungant in confessione venialium, aut mortalium alias directe absolutorum, satis probabile est, peccare tantum venialiter ob levitatem materiæ: Lug., Tamb., & alii; & nihil peccant, si pœnitens in articulo mortis nullam exequi possit pœnitentiam, ut si impos sit mentis, omnino debilis, &c.; quia vel physice, vel moraliter est incapax; at, si potest minimam, injungi debet, puta proferre semel nomen Jesu, elevare mentem ad Deum, &c. Cæterum non expedit injungere, ut perferat patienter infirmitatem, cum fieri possit, ut id magnam ei molestiam afferat timenti, se non esse satisfacere, ut notat Bon. Si Confessario revelatum sit, quod pœnitens per se perfecte satisfecerit, nec indigeat in futurum remedio, Con., Suar., & alii putant, posse nullam pœnitentiam injungi; sed melius contradicit Croix n. 1238., quia integrandum est Sacramentum; quod, si nulla luenda sit pœna, satisfactio illa manebit in Thesauris Ecclesiæ. Idem est, si pœnitens certo lucratus sit indulgentiam plenariam contra Sot., Tamb., & alios. Idem, si pœnitens velit lucrari jubilæum; etsi tunc possit minorari pœnitentia vindicativa, non tamen medicinalis, quia æque ac aliis debet impendi relapsus: Suar., Bonac., & alii.

Neque obstat Gloss. in Extrav. *Antiquorum*, *de Pœnit. & Remis.* dicens, Bonif. VIII. ibi noluisse per Confessarios in Jubilæo injungi pœnitentias; nam tantum ait, Bonifacium tunc voluisse pro pœnitentia injungi tantum opera jubilæi a se præscripta; ideoque hæc tenebantur injungere Confessarii. Sed, quidquid sit de hoc, nunc Pontifices in jubilæis communiter addunt, ut pœnitentia salutaris injungatur, ideoque imponenda est, præsertim medicinalis.

Si pœnitens statim post absolutionem addat novum peccatum, cujus nova detur absolutio, Amic. putat, non esse opus injungi novam pœnitentiam, si peccatum illud non mutet notabiliter statum pœnitentis; & idem putat Tamb., si scrupulosus sæpius redeat cum novis culpis; sed melius Croix num. 1239. ait, ad integrandum Sacramentum aliquam levem addendam, vel saltem priorem injungendam pro utraque confessione.

Nota demum, pœnitentiam imponendam post audita peccata, quia est actus judicialis post cognitionem causæ; sed ante absolutionem, ut videatur, an pœnitens sit parere paratus; quamvis etiam imponi possit post absolutionem, modo moraliter cum ipsa conjungatur: Tamb.

Dico secundo: Pœnitentia injungenda est pœnitenti sub aliqua obligatione præcepti; Vasq., Turrian., Con., Lug., Arriag., Amic., & alii contra alios dicentes, posse injungi etiam sub consilio. Ratio est, Primo, quia Confessarius eam injungit, ut Judex, ex Trid. cit., & Judex obligat reum ad pœnam promeritam: Secundo, quia ex eodem Trid. c. 8. eam injungit ex potestate, quam habet ligandi, & non ligat, nisi obligat; ergo, &c. Addit tamen Aversa, Primo, Posse ex rationabili causa pœnitentiam de se gravem, & pro mortalibus debitam imponi sub obligatione tantum levi, puta nimium scrupuloso in ea exequenda: Secundo, Posse imponi sub disjunctione hanc, vel illam, itaut ad eam obligetur pœnitens, quam ipsemet elegerit: Tertio, Posse præter pœnitentiam obligatoriam injungi alia opera pro libertate pœnitentis agenda, quia sic vi absolutionis probabiliter elevantur ad satisfaciendum etiam ex opere operato; quamvis enim verba illa Confessarii, *Quidquid boni feceris, &c.*, probabilius nihil operentur ex opere operato, cum non auctoritative, sed mere deprecatorie dicantur; tamen aliquid operantur ex institutione Ecclesiæ, quæ potest concedere indulgentias, ideoque D. Thom. *Quodlib.* 3. a. 13. ait, *Opera per hoc accipere vim expiandi peccata.*

Dico tertio: Pœnitentia debet esse proportionata peccatis, non absolute, sed respective ad pœnitentem: Doctores communiter. Ratio est, quia Trid. *sess.* 14. *c.* 8. ait, Confessarios debere injungere *Salutares, & convenientes satisfactiones, quantum spiritus, & prudentia suggesserit*: ergo pœnitentia non debet esse proportionata peccatis absolute, sed respective ad facultatem, dispositionem, & utilitatem pœnitentis. Hinc, quamvis olim pro quovis mortali injungenda erat pœnitentia septennis, jejunandi in pane, & aqua die Lunæ, Veneris, & Sabbati, ut colligitur ex Canon. Pœnitential. Decr. Gratiani adjectis: tamen hodie merito remissus est talis rigor; non quia refrixit charitas, ut perperam dicunt Rigoristæ, sed primo, ne confessio ab hæreticis impugnata, ut impossibilis, per duras pœnitentias reddatur magis odiosa: Secundo, quia notum est, benignas potius prodesse, quam rigidas, eo quod sic magis alliciantur fideles ad frequentiorem usum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: Tertio, quia usus introductus indulgentiarum occasione Belli Sacri est modus satisfaciendi utilior, & facilior: v. Franc. Cler. Rom. p. 2. c. 1.

Itaque quantitas, & qualitas pœnitentiæ ex Trid. cit., prudentis Confessarii arbitrio relinquitur, *Prout spiritus, & prudentia suggesserit*. Et primo attendi debet facultas pœnitentis; nam pro iisdem delictis non eadem pœnitentia injungi debet debili, ac forti, pauperi, ac diviti, puero, vel mulieri, ac viro, &c. Secundo, Utilitas pœnitentis, ob cujus spiritualem infirmitatem sæpe expedit moderata pœnitentia etiam pro gravissimis delictis, ne scilicet scandalizetur, & omittat, ne confessionem fugiat, vel certe Confessarios ineptos adeat, qui eum curare nesciant: Lug. d. 25. s. 5. addens, monendum tunc pœnitentem de insufficientia pœnitentiæ, & suadendum usum indulgentiarum, & aliquando imponendum, ut per se satisfaciat: Tertio, Dispositio pœnitentis, ob quam multum minui potest pœnitentia, si v. g. pœnitens accesserit maxime contritus, si per se præstet multa bona opera pœnalia, si humiliter exceperit correctionem Confessarii; item, si adsit obligatio restituendi, se reconciliandi cum offenso, vel inimico, vitandi occasio-

nes

nes, &c. cum hæ obligationes sint per se graves, & pro parte pœnitentiæ injungi possint: Quarto demum, si adsit jubilæum, aut indulgentia, minui potest pœnitentia vindicativa, non autem medicinalis, juxta jam dicta. Si autem nulla ex his adsit rationabilis causa, peccant graviter Confessarii imponentes pro gravibus delictis pœnitentiam levem, quia Trident. cit. ait, *Eos fieri peccatorum participes, qui sine justa causa, &c.* In dubio autem, an adsit justa causa, inclinandum est in partem benigniorem, quia in ea minus est periculi, juxta illud Auctoris Op. Imperf. in Matth. *Etsi erramus, modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem?* Quare nunquam imponenda est pœnitentia perpetua, vel ingressus in Religionem, vel votum perpetuum: quod, si in pœnam admittat Confessarius votum pœnitentis de non relabendo, expedit, ut non permittat hoc votum, nisi ad tempus, ut videat, an possit, necne; & similiter, si imponat pœnitentiam conditionatam: v. g. ut toties jejunet, quoties relabitur, præfiniendum est tempus, v. g. usque ad proximam confessionem. Neque imponi potest pro delictis occultis pœnitentia publica, quia saltem indirecte revelaretur sigillum: D. Th. Suar. & alii. At pro delictis publicis, si opus esset ad tollendum scandalum, posset, ac deberet imponi, secundum Trident. *sess.* 24. *c.* 8. *de Refor.* quia aliunde esset jam ad id obligatio, ideoque nec revelaretur sigillum. Denique monet S. Franc. Sales *in instr.* c. 8. non dandas pœnitentias ex multis rebus diversis, quia pœnitens, vel obliviscitur, vel exequitur sine fervore.

Dico quarto: Pœnitentia debet esse opus bonum pœnale: Doctores communiter cum D. Th. Ratio est, quia non satisfit pro pœna, nisi exhibeatur opus pœnale. Talia ex Trid. *sess.* 14. *can.* 13. sunt jejunia, orationes, & eleemosynæ, &c. Ad jejunia reducuntur quælibet aliæ macerationes corporis, ut verbera, castigationes sensuum, subtractiones commoditatum, &c. quæ & pœnalia sunt, & medicinalia contra peccata carnis, gulæ, &c. Ad eleemosynas spectant quævis opera misericordiæ, etiam spiritualis; & imponi possunt divitibus, avaris, &c. caveat tamen confessarius, ne eleemosynas sibi, vel suis applicare velit. Ad Orationes pertinent reliqua bona opera etiam interna, ut actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, &c. item Orationes vocales, Confessiones, Communiones, Meditationes, Lectiones Librorum Spiritualium, Visitationes Ecclesiarum, &c. Quod si ad hæc opera pœnitens aliunde teneatur, possunt etiam injungi pro pœnitentia; & aliquando ita expedit, ut majorem diligentiam in eis pœnitens adhibeat; &, si omittat, contrahit novam malitiam contra integritatem Sacramenti: Vasq. Lug. & alii. Regulariter tamen expedit imponere opus distinctum; imo, si nihil addat Confessarius, ita intelligitur; v. g. si dicat, *Audias Missam*, intelligitur præter illam, ad quam aliunde teneris. At si dicat, *Hoc die festo audias duas Missas*, ex tali modo injungendi colligitur, quod velit, ut præter Missam debitam festo, unam aliam audias: Con. Tamb. & alii: Similiter, si dicat, *Per* 15. *dies audias quotidie duas Missas*, non ideo teneris die Festo tres audire; &, si dicat, *Quotidie per mensem audias Missam*, satisfacis die Festo audiendo unam; quia ita præsumitur mens Confessarii, eum pœnitentias per plures dies imponit; Dian. Aversf. Amic. & alii.

Potest etiam pro pœnitentia imponi opus, cujus tum impetrationem, tum satisfactionem applices pro aliis, pro defunctis, &c. quia satisfactio ex opere operato ratione Sacramenti semper applicatur tibi; & insuper ipsa applicatio pro defunctis est tibi satisfactoria: Lug. d. 25. s. 15. n. 62. Probabiliter etiam potest ipse Confessarius subire partem operis injungendi, eamque applicare pœnitenti; quia sic fit moraliter ejus opus, & satisfacit ex opere operato; & similiter potest concedere pœnitenti facultatem, ut pœnitentiam per alium persolvat: D. Th. Sot. Suar. & alii; quamvis probabilius dicant Vasq. Laym. Bonac. & alii, tunc partem integralem Sacramenti esse tantum ipsam procurationem, ut alius secundum voluntatem Confessarii ponat opus. Cæterum, si Confessarius nihil exprimat, pœnitentia persolvenda est ab ipso pœnitente; damnatur enim ab Alex. VII. hæc prop. 15. *Pœnitens propria auctoritate substituere alium sibi potest, qui loco illius pœnitentiam adimpleat:* si autem opus injunctum sit eleemosyna, perinde est, si eam des propria, vel aliena manu; & idem est, si imposita sit restitutio.

CAPUT II.

Quid de acceptatione, & exequutione Pœnitentiæ?

DIco primo: Tenetur pœnitens acceptare pœnitentiam impositam a Confessario, si sit tolerabilis; Doctores communiter ex Trident. cit. Ratio est, quia Confessarius ex dictis tenetur illam imponere: ergo a fortiori tenetur pœnitens eam acceptare, utpote qui tenetur ei obedire, ut Judici recte judicanti, & integrum reddere Sacramentum. Hinc Suar. Bonac. & alii temerariam post Trident. dicunt sententiam Cajet. Med. Nav. & aliorum putantium, posse a pœnitente eligi aliam pœnam, vel eam luere in Purgatorio; quamvis Sot. Reginal. & alii addant, hanc sententiam servire saltem, ut neminem, non absolutum dimittas, si saltem levem pœnitentiam subire velit: v. Dian. p. 3. r. 14. e. 51. Dixi, *Si sit tolerabilis*; nam, si pœnitenti justis de causis videatur suæ fragilitati minus accommodata, potest rogare Confessarium, ut eam minuat, quantum potest; & Confessarius in tali casu tenetur ei annuere, ut suavius efficiatur jugum confessionis. Quod si non annuat, poterit pœnitens nolle ab eo absolvi; Suar.

Dico Secundo: Peccat graviter pœnitens, si postea non exequatur pœnitentiam acceptatam, impositam in confessione valida pro mortali prima vice confesso: Doctores communiter. Ratio est, quia facit contra obligationem in re gravi: censetur autem materia gravis una Confessio, vel Communio, item unum Rosarium, & similia. Si autem omittas unam ex decem communionibus tibi impositis, probabile est, esse tantum veniale, quia unum respectu decem videtur quid leve: Gob. Croix n. 1277. Si injunctum sit absolute, ut recites v. g. septem Psalm. Pœnitentiales, potes recitare stando, vel sedendo; at, si injunctum sit, ut eos recites flexis genibus, Dian. Tamb. & alii putant, fore mortale, si ita non recites; quia id est quid grave spectans ad substantiam molestiæ: sed de hoc vehementer dubitat Croix n. 1280. quia non videtur esse molestia tanta. Dixi primo *Pœnitentiam gravem*; nam, si non exequaris pœnitentiam levem, etiamsi pro mortali injunctam, peccas tantum venialiter, quia materia de se levis non est capax obligationis gravis; Aversf. s. 6. contra Jo. Sanch. Neque obstat, quod non integretur Sacramentum; nam completio integralis per materiam levem non obligat, nisi leviter: Croix n. 1276. Censetur autem materia levis unum *Miserere*, & similia; si vero hoc imponatur per multos dies, evadit materia gravis, si omnino omittatur. Dixi secundo *Pro mortali prima vice confesso*; nam, si quis omittat pœnitentiam gravem impositam pro mortalibus alia vice directe absolutis, probabilius est tantum veniale; quia talis pœnitentia, in quantum est gravis, non est necessaria, cum Confessarius neque sub gravi, neque pœnitentiam gravem teneatur pro talibus peccatis imponere; imo nec videtur posse, cum debeat, obligare ut judex proportionate ad materiam non necessariam: Nav. Palud. Ledes. Suar. Laym. Fill. & alii contra Con. Fagund. Lug. & alios. Dixi tertio *In confessione valida*; nam, si fuit invalida, nulla est obligatio exequendi pœnitentiam, cum nullum sit Sacramentum, quod compleri debeat; & alias teneretur pœnitens persolvere duas pœnitentias pro iisdem peccatis: Escob. Fagund. & alii. Si vero fuit Sacramentum validum, & informe, tenetur exequi, ut patet.

Cæterum, si pœnitentia injuncta evadat deinde physice, vel moraliter impossibilis, non amplius obligat, nec necesse est aliud opus subrogare; quia id non potes propria auctoritate, nec teneris eadem peccata bis confiteri; idemque est, si omnino sis oblitus: Sot. Nav. Amic. Avers. s. 6. contra Ricch. & Sylvestr. putantes talem confessionem esse repetendam: neque obstat, quod Sacramentum non integretur, nam sufficiens excusatio est, ne cogaris bis confiteri eadem peccata. Si tamen convenire potes eundem Confessarium, qui saltem confuse memor sit tui status, expedit petere commutationem, ut sic integretur Sacramentum: similiter, si oblitus sis quantitatis pœnitentiæ; si autem non potes commode eum convenire, exequere, quantum videtur pro ratione dubii.

Denique, si materia pœnitentiæ sit divisibilis, nec possis partem majorem exequi, debes persolvere partem minorem, ut colligitur paritate de Horis Canonicis ex proposit. 54. Damnata ab Inn. XI. Hinc etiam probabilius videtur contra Dian. p. 9. t. 9. r. 54. quod, si sit injunctum jejunium in pane, & aqua, si sic non possis,

possis, tenearis jejunare more Ecclesiastico; quia manet substantia jejunii separabilis ab ea circumstantia: v. dicta in de Leg. d. 2. q. 4. c. 1.

Dico tertio: Peccat graviter Pœnitens, si pœnitentiam gravem diu differat exequi ultra tempus præfixum a Confessario: Bon. & alii communiter. Ratio est, quia facit contra obligationem in re gravi, ut patet in simili de obligatione restitutionis, vel voti adimplendi. Dixi tamen, *Si diu differat*; nam, qui jussus v. g. jejunare die Veneris, & jejunet Sabbato proximo; aut jussus communicare proxima Dominica, & differat ad octiduum a Confessione, ordinarie peccat tantum venialiter, quia plerumque præceptum Confessarii cadit magis in rem ipsam, quam in tempus præfixum: Dian. p. 9. t. 7. r. 57. Hinc recte monent Doctores cum Mendo, Bon. Avers. non cessare obligationem jejunandi, quamvis transierit ille dies Veneris, utpote qui erat statutus non ad terminandam, sed urgendam obligationem, seu non differendam absque justa causa. Ideoque recte addit Mendo, quod, si Confessarius unicum tale opus imponat una vice persolvendum, non præsumitur, quod velit alligare illi diei; quia præsumi non debet, quod voluerit Sacramentum manere posse incompletum integraliter. At, si injunctum sit opus persolvendum pluribus vicibus, tunc ex circumstantiis colligenda est mens Confessarii; si enim dicat, *Singulis v. g. mensibus confitearis*, præsumitur sit statuere, non ad terminandam, sed urgendam obligationem. Hinc, quamvis Lugo putet, esse mortale, si vel unicum diem differas ultra mensem; tamen melius negat Avers. quia præsumitur mens Confessarii esse, ut tunc sequenti mense bis confitearis: unde, si occasione Festi, vel indulgentiæ differas ad octo dies in alterum mensem, Dian. Pal. & alii dicunt nullo modo peccare; quod magis valet, si simili occasione anticipes, ut addit Avers. Si vero dicat, *Jejunes omni Sabbato in honorem B. V.* vel *Communices omni Festo B. V.* Con. Gob. Bon. & alii putant, quod, si tali die negligas, peccas quidem, sed non teneris alia die supplere; quia mens Confessarii videtur fuisse, alligare opus tali diei.

Dico quarto: Si Confessarius nullum præfixit tempus Pœnitentiæ, persolvenda est primo tempore, quo commode fieri potest: Doctores communiter. Ratio est, quia in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur: *Reg. Jur.* 14. ubi ly *Præsenti die* sonat primo quoque tempore. Hinc diu eam differre v. g. ad medium annum communiter censetur mortale; maxime si pœnitentia fuerit medicinalis. Si vero fuerit tantum pœnalis, non videtur mortale differre ad mensem: Croix n. 1288. Cæterum, exequi pœnitentiam ante communionem, non est necesse, ut infertur ex prop. 22. damnata ab Alexand. VIII. cit. in de Euchar. d. 4. q. 1. c. 4. §. 2.

Quæres primo, An possit satisfieri pœnitentiæ eodem tempore, quo satisfit alteri præcepto?

Respondeo affirmative, Si unum opus non impediat alterum: ut si pro pœnitentia recitare debeas Rosarium, satisfacis recitando intra Missam, ad quam tenearis die Festo: Croix n. 1191. At, si pro pœnitentia debeas audire duas Missas eodem die, ordinarie præsumitur præcipi a Confessario, ut eas audias successive: Croix n. 1281. contra Sanch. Ledes. & alios putantes, posse audiri simul.

Quæres secundo, An pœnitentia sit persolvenda cum aliqua intentione saltem virtuali integrandi Sacramentum, vel obediendi Confessario?

Respondeo probabilius affirmative, Quia, ut ea aliquid efficiat ex opere operato, debet esse pertinens ad Sacramentum: Vasq. Dicastil. Pallav. Mend. Avers. & alii contra Sanch. Lug. & alios. Neque obstat, quod aliis præceptis satisfiat sine tali intentione reflectente ad præceptum; nam illæ non sunt actiones Sacramentales, uti est ista.

Quæres tertio, An peccet, qui exequitur pœnitentiam existens in mortali?

Respondeo probabilius negative; Primo, Quia Confessarii ipsi sæpe imponunt pœnitentiam persolvendam, antequam absolvant a mortalibus: Secundo, Quia pœnitentes passim non faciunt sibi scrupulum, quod eas expleverint in mortali, creduntque, id melius esse, quam diutius differre: ergo ex communi sensu non est peccatum. Sot. Tann. Lug. Dicast. & alii contra Suar. Pal. Laym. Bonac. Bus. & alios putantes peccare saltem venialiter, eo quod minus digne tractent Sacramentum: sed hoc videtur falsum; nam etiam dolor, & confessio sunt partes, & quidem essentiales Sacramenti, & tamen sine ullo peccato ponuntur a pœnitente existente in mortali.

Quæres quarto: An satisfactio posita ab existente in mortali habeat suum effectum?

Respondeo: Etsi nullum habeat effectum ex opere operantis, cum ex se sit opus mortuum; tamen probabiliter habet effectum ex opere operato, saltem postquam removetur obex; quia sic est actio Sacramentalis ex institutione, & quasi nomine Christi posita; quo sensu Deus sic eam respicit, non prout est hominis, sed prout moraliter est Christi: sicut etiam Missa ab impio Sacerdote dicta valet ad effectus suos ex opere operato: Cajet. Suar. Henr. Con. Arr. Lug. Fagun. Laym. Dian. & alii contra Ledes. Val. Turr. Præp. Dicast. & alios ex D. Th. qui tamen explicari potest de opere operantis. Qui autem implet pœnitentiam in gratia, sed per actionem ex circumstantia venialiter peccaminosam, certe non privatur fructu ex opere operato, quia veniale non impedit effectum remissionis pœnæ debitæ aliis peccatis jam remissis: Croix n. 1257. Imo putat Lug. n. 33. neque id impediri, etsi interveniat mortale, dummodo pœnitentia quoad substantiam impleatur.

CAPUT III.

Quid de Commutatione Pœnitentiæ?

Dico primo: Non potest pœnitens propria auctoritate commutare sibi pœnitentiam in aliud opus, etiamsi melius: Doctores communiter contra Dicastil. inclinantem in oppositum. Ratio est, Primo, Quia reus non potest mutare pœnam sibi impositam a Judice; uti nec subditus opus sibi injunctum a Superiore: Secundo, Quia id, in quod commutabit, non erit satisfactio integrans Sacramentum, neque adeo remittet pœnam ex opere operato, quia non veniet a potestate clavium. Neque obstat, quod vovens possit sibi commutare materiam voti in aliquid melius; nam obligatio voti orta erat ab ipso vovente. Hinc, si pœnitentia sit medicinalis, pœnitens non liberabitur ab ejus onere, si lucretur indulgentiam plenariam, quia hæc non ita præservat a lapsu: Doctores communiter cum D. Thom. in 4. d. 29. At, si pœnitentia erat tantum pœnalis, liberari tunc dicunt Taun. Granad. Lug. Medin. Bonac. Dian. p. 5. t. 11. r. 3. & p. 9. t. 6. r. 36. non quidem ex propria auctoritate, sed quia Confessarius ipse ita præsumitur intendere: sed probabilius negant Val. Marchant. Avers. Gob. Croix, & alii; tum quia pœnitentia ordinarie est etiam medicinalis; tum quia incertum est, an quis indulgentiam plenariam lucretur; tum demum quia pœnitentia, ut a Confessario imposita, pertinet ad integritatem Sacramenti, unde non præsumitur alia mens Confessarii.

Dico secundo: Potest idem Confessarius in alia confessione quocumque tempore facta commutare priorem pœnitentiam, si recordetur status pœnitentis, vel saltem in confuso, peccatorum, ob quæ fuit a se imposita: Doctores communiter. Ratio est, quia potest Judex mutare, & moderari pœnam a se latam, quamdiu executioni non est data. Extra confessionem negant id fieri posse Suar. Con. Avers. Amic. Dicast. & alii, quia Confessarius nullam habet potestatem clavium, nisi dum sedet pro Tribunali, & agit partes Confessarii. Sed probabiliter etiam affirmant Lugo, Salas, & alii, quia, sicut Judex etiam transacto judicio habet jus agendi circa impletionem pœnæ, ita etiam Confessarius circa commutationem, si reus petierit; censetur enim moraliter perdurare idem judicium, quamdiu pœna imposita non est impleta; consentiunt Arriag. & Haunold.

Dico tertio: Pœnitentia ab uno Confessario imposita, non potest mutari, aut minui ab alio Confessario, nisi pœnitens apud hunc repetat peccata, ob quæ fuit imposita: Doctores communiter cum Sot. Vasq. & aliis. Ratio est, quia unus Judex, qui non est Superior, non potest ultimatam, & definitivam alterius sententiam mutare, aut reformare: cum par in parem non habeat jurisdictionem: & in hoc fere omnes confessarii sunt pares. Econtra vero, si pœnitens apud secundum Confessarium peccata repetat, poterit ille commutare, & minuere: quia sic secundus Confessarius est veluti successor primi: ideoque, ut potest prior, ita & posterior: idque verum est, etsi prior pœnitentia fuerit medicinalis, dummodo non sit absolute, & simpliciter necessaria, vel substituatur alia similiter medicinalis.

Potest

Potest pariter secundus Confessarius commutare pœnitentiam impositam a Confessario Superiore; quia, præscindendo a reservatione casuum, omnes Confessarii habent æqualem potestatem ad ligandum, & solvendum, adeoque etiam ad commutandam pœnitentiam. Si autem hæc fuisset imposita a Superiore propter peccata sibi reservata, Suar., Lug., Arr., & alii negant, commutari posse ab inferiore non habente facultatem in reservata, quia inferior non potest mutare præceptum Superioris; Sed probabiliter etiam affirmant Henr., Sanch., Bonac., Dicast., & alii, quia, cum semel sublata sit reservatio, æqualis remanet in omnibus Confessariis potestas.

Si pœnitens petat a secundo Confessario commutationem pœnitentiæ, eo quod sit sibi nimis difficilis, Nav., Tol., Henr., Rodr., Sa, Laym., Gob., Dian., Mareh., & alii multi apud Bose. docent, posse commutari, etiamsi non repetantur peccata; quia, licet sic secundus Confessarius judicare non possit de illis, tamen videtur habere potestatem judicandi, an talis pœnitentia hic & nunc ei expediat. Sed longe melius Suar., Vasq., Con., & alii communius hoc negant; quia nullus Judex potest agere, circa id, quod ad suum Tribunal non est delatum, ut esset in casu: ideoque Jo: Sanch. dicit, priorem sententiam esse improbabilem; quamvis Lug. n. 509. dicat probabilem saltem ex principiis extrinsecis. Cæterum, ut possit secundus Confessarius mutare pœnitentiam, non requiritur exacta repetitio peccatorum, sed sufficit ei aperire præcipua, ob quæ præserrim talis pœnitentia arat injuncta. Et fortasse sufficiet, inquir Aversa, quod ob similia, qualia nunc confitetur, talem pœnitentiam acceperit.

Illud hic principaliter notandum in commutatione, vel minoratione pœnitentiæ, nullum Confessarium id posse sine justa, & rationabili causa; quia, sicut in dispensatione legum humanarum requiritur justa causa, ita multo magis in commutatione, vel minoratione pœnitentiæ, quæ est pars Sacramenti a Christo instituti. Justæ autem causæ esse possunt necessitas, vel notabilis utilitas pœnitentis, vel ejus difficultas, vel oblivio pœnitentiæ.

Quæres, An post commutationem pœnitentiæ in aliam liberum sit pœnitenti alterutram persolvere?

Respondeo affirmative; Quia commutatio erat in favorem ipsius, & posterior pœnitentia non erat imposita absolute, sed sub conditione. *Si nolis priorem exequi*: Suar., Reginal., Bonac., Less., Dicastil. n. 231. contra Lug. At, si pœnitens, confitendo de novo peccata præterita, taceat priorem confessionem, & impositionem pœnitentiæ, Avers., Arriag., & alii dicunt, non commutari priorem pœnitentiam, ideoque exequendam esse utramque; quia, quamdiu non revocatur prior obligatio, manet in possessione; sed adhuc alii multi cum Dicastil. n. 519. probabiliter dicunt, posse etiam nunc peragi alterutram pœnitentiam, quam malueris: & Bose. n. 357. probabiliter ait, secundam esse complementum utriusque Sacramenti. Qui autem sic confiteatur eadem peccata secundo Confessario, ut se liberet a pœnitentia injuncta a primo, Suar., Con., Lug., Avers., & alii dicunt, non peccare, nisi venialiter; &, si id faciat ex justa causa, nullo modo peccare.

CAPUT IV.

De Satisfactione per Indulgentias.

QUONIAM non alibi da Indulgentiis recurret sermo, idcirco, quæ ad hanc materiam pertinent, duobus hic §§. breviter expendemus, in quorum I. Videbimus, Quid, & Quotuplex sit Indulgentia, Quis, & Qua causa possit eas concedere? In II. Qui sit Indulgentiarum effectus, & Quæ dispositio requiratur in eas lucraturo?

§. I.

Quid, & Quotuplex sit Indulgentia, Quis, & Qua causa possit eas concedere?

I. INDULGENTIA definitur a Clem. VI. in Extrav. *Unigenitus, de Pœnitentiis, & Remissionibus: Remissio extra Sacramentum pœnæ temporalis Deo debitæ per applicationem satisfactionis Christi, & Sanctorum*, idque vel per modum absolutionis erga subditos Ecclesiæ, vel nudæ solutionis erga non subditos, ut defunctos, & catechumenos, quibus proinde tantum dantur indulgentiæ per modum suffragii: Suar., Fil., Sanctarell., Bon. Ubi nota, indulgentias frui posse etiam, qui eas concessit, &, cum sint gratiæ, non expirare morte concedentis, imo, ex Sa, neque ante notitiam revocationis: largeque esse interpretandas, servata tamen verborum proprietate.

II. Dividitur primo, Ex Extrav. cit. in Totalem, & Partialem: Totalis seu Plenaria remittit totam pœnam in purgatorio luendam: Partialis vero solum pœnæ partem. Totalis dicitur etiam plena, plenior, plenissima ob majorem explicationem gratiæ, & dispensationis a Pontificibus concessæ. Partialis eam tantum pœnam remittit, quæ in ejus concessione exprimitur, quæ aliquando est indeterminata, & proportionaliter ad culpas: ut dum remittitur tertia pars pœnæ pro peccatis debitæ; aliquando est determinata, ut dum conceditur indulgentia septem annorum, &c., & sensus est, remitti pœnam, quæ remitteretur per pœnitentiam 7. annorum ab Ecclesia, ut olim fiebat, impositam, & a Pœnitente completam: Sot., Palud., & alii communiter ap. Suar. d. 50. sect. 5. Dividitur secundo in personalem, localem, & realem. Personalis est, quæ personæ conceditur, ut si Papa concedat Petro indulgentiam, quoties communicat, ubicumque sit: Localis est, quæ addicitur loco, ut si concedatur indulgentia visitanti Ecclesiam Cathedralem: Realis est, quæ affigitur alicui rei a. g. Cruci, Rosario, Imagini, &c., quæ ab iis acquiritur, qui coram tali Imagine, Cruce, &c. preces impositas ad Deum fundunt. Dividitur tertio in perpetuam, & temporalem: Perpetua est, quæ perseverat, donec revocetur: Temporalis, quæ conceditur ad tempus determinatum, quo finito cessat. Demum Indulgentia carena (sic dicta a *carendo* cibo, potu, hominumque commercio) erat, qua talis abstinentia, seu jejunium remittebatur, non secus ac septena, qua pœna remittebatur septem annorum.

Quæres, An, si pluries Ecclesia visitetur, poterit pluries acquiri indulgentia plenaria tali Ecclesiæ concessa?

Respondeo cum distinctione, ex Suar., & aliis communiter; & affirmo, si concessa sit indulgentia visitantibus Ecclesiam indefinite, quia nulla apparet ratio illam limitandi ad semel in vita, in anno, in hebdomada, &c. (Bene tamen semel in die, tum ex consuet., tum ex Decr. Innoc. XI., quidquid contra senserint Nav., & Laym. hic c. 3.) Nego tamen, si concessa sit definite quoad tempus, puta pro una tantum vice: Suar. Probabile tamen videtur, quod adhuc pluries eodem die lucrari possimus indulgentiam plenariam pro variis defunctis. Neque id videtur derogare cit. Decr., quia stat ejus veritas, si pro se quis non poterit pluries eadem die indulgentias applicare. Eo vel magis, quod in revocatione Indulgentiarum non intelliguntur revocatæ indulgentiæ applicabiles pro defunctis, nisi id exprimatur, cum talis revocatio sit odiosa, proindeque restringenda. Illud hic nota, indulgentias non posse applicari defunctis, nisi a Papa id expresse concedatur.

III. Pontifex habet a Christo facultatem immediata concedendi indulgentias tam pro vivis, quam pro defunctis; ei enim dixit Christus: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, &c.* Doctores communiter. Episcopus non jure divino, sed ex concessione Papæ potest Indulgentias concedere: ita Suar. ex D. Th., & aliis communiter. Ratio est, quia in Conc. Later. sub Inn. III. potestas concedendi indulgentias est ita restricta Episcopis, ut nonnisi unius anni indulgentia in die Dedicationis Ecclesiæ, & ob aliam justam causam 40. tantum dierum ab iis concedi possit, quæ restrictio certa non facta fuisset a Concilio, si potestatem haberent ex jure divino: probabilius tamen in Episcopis hujusmodi potestas est ordinaria, adeoque delegabilis, ex Lug., & aliis contra Nugnum, quia illis competit ratione proprii muneris, non secus ac potestas jurisdictionis in ordine ad absolvendum a peccatis. Porro relate ad mortuos nulla indulgentia concedi potest ab Episcopis: ita Suar. cum communi; quia Episcopis solum conceditur, ut possint eas suis subditis elargiri ex c. *Quod autem*: Mortui autem non sunt ipsis subditi. Cardinales etiam non Episcopi possunt de jure communi Indulgentias concedere in Ecclesiis suorum titulorum, quia in his habent omnem Episcopalem jurisdictionem ex cap. *Is, qui, de Majoratu, &c.* Non autem Abbates, Parochi, aut alii, qui Episcopi non sunt; unde hi solum ex concessione speciali poterunt illas elargiri, ut infert Bell. ex cap. *Accedentibus, de excessibus Prælatorum.*

IV. Indulgentia sine legitima causa est nulla: Doctores communiter: ratio est, quia per illas dispensatur the-

thesaurus Ecclesiæ, cujus Papa non est Dominus, sed merus dispensator, qui, si sine justa causa res Domini sui dispensat, dispensat nulliter. Adde, quod Dispensator sine causa neque remittere potest credita sui Domini: Papa autem eas largiendo credita remittit Christi Domini; ergo, &c. Justa autem, & rationabilis causa est, quæ pia, & grata sit Deo; & pariter proportionem aliquam habeat cum indulgentia, quæ conceditur: Bon., Nav., aliique communiter apud Bell. l. t. c. 12. Duo ergo requiruntur, primum, ut concedatur ad pium aliquem finem, puta ad deprimendos hostes Ecclesiæ, &c., alterum, ut opus injunctum ad indulgentiam dicat proportionem cum fine intento, seu aptum sit ad eum consequendum, e. g. preces ad Deum factæ dicuntur opera apta ad assequendam depressionem hostium. Notat Bell. l. c., hæc duo examinanda utique esse a solo concedente indulgentias, non vero a subditis: unde indulgentiæ semper magni faciendæ sunt, etsi Pontifex levissimas ob causas videatur illas concedere. Illud hic certum, quod ad habendam prædictam proportionem non requiritur, ut opus injunctum per se sufficiat pro remissione pœnarum, quæ per indulgentiarum lucrum remittuntur; secus indulgentia non esset indulgentia, quæ ex ipsa nominis etymologia fert remissionem cum liberalitate conjunctam.

Dubium est, An possit aliquando Papa concedere indulgentiam, nullum opus injungendo ad ejus assecutionem? e. g. an possit Petro decedenti in gratia indulgentiam in articulo mortis concedere?

Respondeo affirmative, Ex Suar., & Con. d. 12. d. 6., quia etiam in tali casu haberi potest justa causa, puta ob Petri merita erga Ecclesiam, & alia opera jam præstita, &c., & proportio habetur etiam propter opus proportionatum, sive quod antecessit, ut in casu, sive quod consequatur, cum æque dispensatio sit justa, sive fiat ob bona opera injuncta, sive ob jam posita. Illud hic non omittendum, ex defectu proportionis prædictæ accidere sæpissime, ut licet æquale opus injunctum ponatur ab uno, atque ab altero ob finem lucranni indulgentias omnibus concessas; non tamen uterque illas plenarie consequatur. Ratio est, quia, qui maximas pro peccatis pœnas debent, si tepide opus injunctum peragant, periculum est, ne ab indulgentia plenaria consequenda deficiant, ex Extrav. 1. Bon. VIII. *de Pœnit.*, *&c.*, & ex D. Bonav. dicente, *Homines plus, vel minus participare de indulgentia, prout plus, vel minus ad illius causam accedunt.*

§. II.

Qui sint Indulgentiarum effectus, & Quæ dispositio requiratur in eas lucraturo?

I. RESPONDEO ad primum, Esse remissionem, vel totalem, vel partialem pœnæ temporalis (non culpæ) luendæ tum in Purgatorio, tum in hac vita, sive ea injuncta sit in confessione Sacramentali, sive non. Ratio est, quia secus Pontifex non posset solvere omne vinculum impediens ingressum in Regnum Cœlorum, contra illud Christi Domini, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum .... Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*. Hinc potest quis per indulgentias liberari ab omnibus pœnis pro peccato debitis, etiam quando in Bulla indulgentiæ expresse conceduntur *De pœnis injunctis*, quia in cap. *Ex parte 17., de decimis* dicitur, *Ubi majus conceditur, etiam minus concessum esse videtur*, quod valet in iis, quæ sunt ejusdem rationis, & per se pertinent ad idem privilegium & potestatem: & clausula illa *De injunctis pœnis* ponitur, non ad limitandam, sed ad augendam concessionem. Porro, An assecutus indulgentiam plenariam teneatur ad pœnitentias Sacramentales, si minus pure satisfactorias, saltem medicinales? v. dicta c. 1., & 3. hujus quæst.

Quæres, Quid requiratur, ut indulgentiæ defunctis applicabiles illis prosint?

Respondeo, Requiri, ut opus injunctum ea intentione fiat, ut indulgentiæ defunctis requirantur: nec opus esse, ut opus injunctum sit de se satisfactorium, cum id sit solum conditio, qua posita Pontifex applicat indulgentias huic, vel illi: Con. d. 7.

Quæres iterum, An indulgentiæ pro defunctis concessæ prosint infallibiliter illis, quibus applicantur?

Affirmant Sot., Nav., Val., Suar., Con., aliique apud Laym. c. 7. Negant Bonav., Ricc., Caj., & alii, ex quibus probabilis redditur doctrina Henr., & Rodr., quod Deus longe facilius accepiet suffragia oblata pro sis defunctis, qui in hac vita magis studuerunt satisfacere pro suis peccatis, lucrari indulgentias, & pro defunctis orare.

II. Respondeo ad Secundum, Requiri primo, Ut sit baptizatus: Secundo, Ut sit subditus indulgentiam Concedentis; quamvis ex Laym., & Pal. concedi possit ab Episcopo v. g. Neapolitano suis subditis facultas, ut indulgentias ab alio Episcopo, v. g. Nolano concessas, lucrentur: Tertio, ut non sit excommunicatus excommunicatione majori: Quarto, Ut saltem, quando ponitur ultimum opus injunctum, sit in gratia. Dixi, *Saltem, &c.*, quia Cajet., Sot., & alii apud Bellar. l. 1. c. 12. putant, necesse esse, ut omnia opera injuncta fiant in gratia, quia opera peccatoris, utpote mortua, sunt inutilia ad placandum Deum, ejusque beneficia impetranda. Verum, quamvis hæc sententia tutior sit, probabiliorem taman putant Suar., & Con. sententiam oppositam, ex usu Ecclesiæ; nam in Jubilæis jejunia præscripta, visitationes Ecclesiæ, &c., plerumque præmittuntur confessioni, & tamen probabile est, quamplurimos non justificari ante confessionem. Quamvis autem opus peccatoris mortuum sit, non tamen in casu nostro est inutile ad finem; valet enim ad excitandam populi devotionem, ad diligentiorem præparationem ad Confessionis, & Communionis Sacramenta, & ad placandam Dei justitiam; hic enim, licet peccatores obstinatos non audiat, audit tamen volentes converti; aliter frustra clamarent, *Converte nos, Deus salutaris noster*. Hinc, si conceditur in Bulla, ut possit quis pro alio vivente indulgentiam acquirere (quod fieri posse, certum videtur Con.) licet is, cui indulgentia applicatur, debeat esse in gratia, quia non remittitur pœna inimicis ex D. Th., & Theologis communiter, non tamen is, qui ponit opus præscriptum, ut alius indulgentiam assequatur: secus vero, si sibi eam lucretur: Quinto, Ut nullum opus injunctum prætermittatur, etsi inculpabiliter; quia indulgentiæ tantum valent, quantum sonant: Doctores communiter ex D. Th. ap. Bell. l. 1. c. 13.; unde, si quis ponat mediam partem operum præscriptorum, non proinde mediam partem indulgentiarum lucrabitur, nisi hoc ipsum in concessione exprimatur. Quod si in Bulla concedatur, ut possit a Confessario opus injunctum commutari ex justa causa, tunc certe poterit quis indulgentiam lucrari, ponendo opus a Confessario subrogatum: Sexto, Ut habeatur intentio lucrandi indulgentiam, vel actualis, vel virtualis, ex Cordub., Leon., Vega; quamvis Sanctarell. *de Jubil.* c. 15. dub. 4., & Laym. putent, sufficere habitualem, & interpretativam: imo Lug., Portell., Mol. probabilius docent, indulgentias prodesse posse etiam amentibus, si a Papa iis conferantur, ut possunt, nullo opere iis injuncto, cum satis sit ad indulgentias lucrandas passive se habere, modo is non sit invitus; beneficia enim isthæc invitis conferri non debent.

Hinc infert, Primo, Adhuc lucrari indulgentiam, qui ponit opera injuncta principalius ob alium finem, e. g. ob curiositatem; quia Papa non jubet, poni opus principalius ob indulgentiam lucrandam, sed tantum præcipit, ut opus ponatur: Suar., Gran., Boss., Pasq. Secundo, Videri probabile, quod lucretur indulgentiam, quia e. g. visitat Ecclesiam, præcise ob curiositatem, nil cogitans de indulgentia, dummodo ibi oret; quia ponit conditionem a Papa requisitam: Tertio, Probabile esse, confessionem non requiri in Bullis Indulgentiarum, tanquam opus injunctum, sed tanquam conditionem requisitam ad tollendum obicem, si est, peccati: in quo casu nec requiritur contritio, sed sufficit attritio cum Sacramento, etsi in Bullis concedantur indulgentiæ pœnitentibus *Vere contritis, & confessis*, quæ omnia nec requiruntur in eo, qui non est in peccato mortali: Quarto, Veniale peccatum impedire tantum, ne remittatur pœna ipsi nondum remisso debita, non vero debita aliis venialibus, & mortalibus jam remissis; quia culpa remanente non remittitur pœna: at veniale non impedit, ne remittatur aliud veniale, aut mortale; unde a fortiori non impedit, ne remittatur pœna illis debita: &, dum conceditur indulgentia plenaria, sensus est, quod concedatur plenissime juxta capacitatem subjecti: Demum, Indulgentiam probabiliter reviviscere, recedente fictione, seu peccati obice, ex Henr., Quintan., Palud., Gran., Dian., & aliis apud Pasq. q. 30., quia effectus indulgentiæ est infallibilis ex opere operato: communius tamen docent oppositum Suar., Sa, Fill., Sot., Pal., quia effectus indulgentiæ pendet a voluntate Papæ concedentis tantum pro tempore, quo sunt primo posita opera a se præscripta, & dum-

dummodo tunc ponantur in statu gratiæ, licet possit Papa aliter indulgentias concedere. De Bulla Jubilæi, vide dicenda infra q. 3. c. 3. §. 3. quæsito 5. De Jubilæo autem Anni Sancti, vide uberrime dicta tom. 1. in calce tr. 1. *in Appendice*.

DISPUTATIO II.

De iis, quæ pertinent ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ.

ARS *artium est regimen animarum*, præsertim in confessionibus audiendis, ut ex D. Gregor. inquit Gerson. ideoque Ludovicus de Ponte ait, *Audire, & absolvere Pœnitentes esse actum plane heroicum, vixque posse porrigi eleemosynam, quæ isti valori, & pretio æquivaleat*. Quinque autem ad tale Ministerium pertinent hic explananda: I. Potestas: II. Officium: III. Casuum reservatio: IV. Absolutio: V. Sigillum. Sit itaque

QUÆSTIO I.

De Potestate Confessarii.

AD expeditam potestatem Confessarii tria requiruntur, potestas Ordinis, potestas Jurisdictionis, & approbatio. Si unum horum desit, Sacramentum Pœnitentiæ ministratur invalide.

CAPUT I.

Quid de Potestate Ordinis?

DIco primo: Solus Sacerdos complete ordinatus potest esse Minister hujus Sacramenti, ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. Ratio est, quia solis Sacerdotibus in personis Apostolorum dictum est illud Joannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, &c.* Per quæ verba traditur potestas clavium, seu tollendi impedimentum intrandi in Regnum Cœlorum. Dixi, *Complete ordinatus*; nam, si quis esset ordinatus Sacerdos per traditionem Calicis, & non per impositionem manuum, quibus accipitur Spiritus Sanctus, esset incomplete Sacerdos, & tantum haberet potestatem in verum Christi Corpus ad consecrandum, non vero in Corpus Christi mysticum ad absolvendum: Doctores communiter contra Val. & alios ap. Dian. p. 3. t. 4. r. 187. ex quorum sententia, cum sit etiam probabilis, si Episcopus post traditionem calicis deficeret, deberet ab alio Episcopo ordinari per impositionem manuum. Si autem quis esset ordinatus per impositionem manuum, & non per traditionem calicis, nec posset valide consecrare, nec absolvere; quia secunda potestas essentialiter supponit primam, ideoque neque incomplete esset Sacerdos: Arriag. cum communi.

Infers, Neminem non Sacerdotem posse valide absolvere Sacramentaliter, ne per errorem quidem communem, aut titulum coloratum; etsi aliquando ex delegatione absolvere posset a censuris: & ratio est, quia hoc est ex institutione Ecclesiæ, illud ex institutione Christi; ideoque in hoc, non in illo, supplere potest Ecclesia. Imo, si quis non Sacerdos absolvat sacramentaliter, vel incipiat audire confessionem sacramentalem, est denunciandus, utpote suspectus in Fide; si delictum sit notorium, evadit irregularis, & infamis.

Dubitatum est olim, an, si quis in extrema necessitate confiteatur Laico, Deus tunc suppleat effectum gratiæ, quæ conferretur ab hoc Sacramento? Nam videtur id affirmari cap. *Quem pœnitet* 88. *de pœnitentia* dist. 1. & a D. Th. & a Magistr. sentent. in 4. Sed id merito negant omnes apud Raynaudum; etsi aliquando esset utile sic confiteri extra Sacramentum Laico, ut ille deinde referat peccata Sacerdoti superventuro; vel ut juvet ad contritionem de illis, vel ut dirigat circa restitutionem, &c. vel ut ea humiliatione impetret a Deo veniam: Atque hoc sensu intelligi debent textus citati.

Denique, quamvis communior sententia neget, posse Laicum in extrema necessitate absolvere a censuris; tamen oppositum probabiliter tenent graves Doctores ap. Dian. p. 3. tr. 40. resol. 133. eo quod putant, piam Matrem Ecclesiam, quæ certe id Laico delegare potest, nolle pro eo articulo pœnitentem moribundum privari beneficio Ecclesiasticæ sepulturæ, & communium suffragiorum; unde infert Sanch. Laicum teneri pro tali casu absolvere a censuris; & Quintanad. infert, etiam posse Laicum in defectu Clerici, adeoque debere, applicare Indulgentias ei concessas in articulo mortis, si talis applicatio fieri debeat per alium.

Dico secundo: Quilibet Sacerdos, etiamsi sit Suspensus, Irregularis, Excommunicatus vitandus, Degradatus etiam realiter, Hæreticus, Apostata, &c. potest quoscumque Fideles a quibuscumque peccatis, & censuris valide, & licite absolvere in articulo mortis: Doctores communiter ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. Ratio est, quia potestas absolvendi data est a Christo ad salvandas animas; ergo restringi non debet, ubi extreme periclitatur anima. Hinc Durand. Armil. Vasq. & alii putant, simplicem Sacerdotem habere pro tali articulo facultatem expeditam a Jure divino per præcisam potestatem Ordinis; sed melius D. Th. & alii communiter docent, præter potestatem Ordinis, habere tunc a jure Ecclesiastico tacitam approbationem, & jurisdictionem a Papa; ut colligitur ex Trident. cit. ubi dicitur, *Ne aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes a quibuscumque peccatis, & censuris absolvere possunt.*

Infers primo, Moribundum per simplicem Sacerdotem a quibuscumque peccatis reservatis absolutum, si convalescat, non teneri se sistere Superiori; quia ex Trid. cit. nulla tunc fuit reservatio, ideoque absolutus est directe ab illis, & sine ullo onere: Bonac. & alii communiter. Hinc, si ea peccata tunc dicere non potuit, satis est, si postea aperiat cuivis Confessario, quia simplex ille Sacerdos ex potestate, quam habebat, absolvit, quantum potuit: Navar. Reg. & alii.

Infers secundo, Idem dicendum esse de censuris, quæ retardarent moribundum a consecutione Gloriæ, qualis esset excommunicatio, & interdictum personale; non autem si esset suspensio, interdictum locale, aut irregularitas, quia pro his non militat ratio Tridentini *Ne aliquis pereat, &c.* Sanch. Bonac. aliique. At, si excommunicatio erat reservata, fuit quidem directe absolutus ab illa, sed cum onere se præsentandi, quamprimum commode poterit, Superiori, non ut iterum absolvatur, sed ad præstandam obedientiam, ex cap. *Eos, qui, &c. de sententia excommunicationis in 6.* Addunt tamen probabiliter Januar. Marc. & alii apud Dian. p. 10. tr. 14. r. 63. solum haberi hoc onus, si excommunicatio erit denunciata; tum quia simplex ille Sacerdos absolvit tunc ex potestate delegata; tum quia Tridentinum dicens, quod tunc nulla sit reservatio, correxit jus antiquum.

Dubium est primo, An in tali articulo valide absolveret Sacerdos simplex, si præsens etiam adesset Parochus, vel alius Confessarius approbatus? Affirmant Ledesma, Rodriq. Hurt. Barb. Sayr. Reg. Tamb. & alii, quos refert, & sequitur Illsung, quia Trident. dicit universaliter, *Omnes Sacerdotes*; & , ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; maxime cum beneficium Principis sit ampliandum. Negant Suar. Vasq. Sanch. Con. Laym. Bonac. & alii communiter, tum quia ratio Tridentini est extrema necessitas, *Ne aliquis pereat*, quæ ratio cessat, si adest alius habens facultatem; tum etiam quia idem Tridentinum confirmat, *Quod in Ecclesia Dei custoditum semper fuit*, & ex cap. *Jubet, &c.* 26. q. 6. custoditum fuit, ut simplex Sacerdos absolvat, *Si absit Prælatus Ordinarius*: ergo, si hic adsit, non potest ille absolvere. Hæc secunda sententia, cum sit tutior, est in praxi tenenda, quia in articulo mortis sequi debemus tutiora. Limita tamen primo cum Sanch. si Parochus superveniat confessioni jam cœptæ apud simplicem Sacerdotem, quia hic cœpit jam judicium, quod debet complere. Limita secundo cum Bonac. Si Parochus sit excommunicatus, vel habeat aliud impedimentum canonicum, quia sic decentius est confiteri alteri. Limita tertio cum Croix ex D. Th. Si moribundus horreat manifestare sua peccata Parocho, quia secus haberetur periculum confessionis non integræ. Limita demum cum Lessio, si moribundus, præsente privilegiato, eligat suum Parochum, quamvis non habentem potestatem in reservata, quia mens Tridentini, & Canonum est, ut Parochus habeat tunc omnem potestatem.

Dubium est secundo: An, quæ dicta sunt de articulo mortis, procedant etiam in periculo mortis? Negant Sotus, Can. Cov. Valen. & alii, quia extrema necessitas habetur tantum in articulo mortis, quando scilicet hæc certa est moraliter, & proxime instat; non vero in ejus periculo, quando scilicet probabili-

babiliter sub dubio timetur. Sed probabilius affirmant Sylv. Med. Suar. Sanch. Laym. Aversf. aliique communiter, quia in jure canonico quoad rem præsentem pro eodem sumitur articulus, & periculum mortis, ut constat ex cap. *Si quis suadente, &c.* & cap. *Eos, qui, &c. de sententia excommunicationis in 6.* & ex ratione Tridentini *Ne aliquis pereat*, quæ militat etiam in periculo mortis, in quo scilicet est prudens dubium, quod morte quis præveniatur, antequam Sacerdotem approbatum habeat, ut notat Tamb. &c. Hinc, si nullus haberi possit Confessarius, potest simplex Sacerdos æque absolvere eum, qui suscipere debet navigationem periculosam, iter prædonibus expositum, pugnam, &c. In tali periculo sunt etiam Banniti: item, qui inter pestiferos agere debent: item Prægnans primo partui proxima, vel si in simili experta sit periculum vitæ; item, qui timet insaniam proximam, vel insidias hostium, vel incidit in febrem malignam, & similia, in quibus sub timore probabili expectatur mors, antequam habeatur copia Confessarii. Cæterum, sicuti in articulo, ita in periculo mortis absolutio a censuris reservatis per simplicem Sacerdotem datur cum triplici onere Pœnitentis, scilicet comparendi coram Superiore sub pœna reincidentiæ, standi mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendi parti læsæ, de quibus talis Sacerdos, si potest, debet eum monere: imo, si sit censura Bullæ Cœnæ, tenetur ab eo exigere juramentum, ut colligitur ex verbis Bullæ: in aliis vero censuris Filliuc. Boss. Bord. Pelliz. aliique contra alios probabiliter putans, sufficere solam promissionem, quia jura exigentia juramentum videntur loqui de absolutione in foro externo: v. Tamb. *de Pœnitentia* c. 12. §. 4.

Dico tertio: Extra articulum, vel periculum mortis non potest simplex Sacerdos licite absolvere a venialibus: probabile tamen est, quod valide absolveret. Ratio primæ partis est, quia Innocentius XI. decreto de communione quotidiana Anno 1679. sic præcipit Episcopis, & Ordinariis: *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario:* ergo talis absolutio nunc est saltem illicita; quidquid antea dixerint Doctores. Ratio secundæ partis est, quia ex hoc, quod Pontifex tantum velit prohiberi, non sequitur irritari talem absolutionem, vel tolli jurisdictionem in venialia concessam cuivis Sacerdoti ex immemorabili consuetudine Ecclesiæ: Carden. & alii contra Platellium; Idemque est de mortalibus alias rite confessis, quia hæc sunt etiam materia libera novæ confessionis. Imo, si quis simplici Sacerdoti bona fide confiteatur prima vice mortalia simul cum venialibus, probabile etiam est valide absolvi a venialibus quidem directe, indirecte a mortalibus, quæ proinde, si resciat, subjicere debet clavibus apud alium approbatum: Lugo d. 19. & alii contra alios. Denique, si veniale habeat adnexam excommunicationem minorem, Nav. Fill. Tamb. & alii &c. adhuc putant, valide absolvi a simplici Sacerdote; sed in hoc melius contradicunt alii communiter, quia cap. *Nuper, de sententia Excommunicationis* taxtum dicitur, excommunicationem minorem absolvi posse *ab Episcopo, vel a proprio Sacerdote;* & hoc nomine in jure venit Parochus, vel Confessarius approbatus ab Ordinario.

CAPUT II.

Quid de Potestate Jurisdictionis?

CUM absolutio Sacramentalis sit actus judicialis, & hic exerceri valide non possit sine jurisdictione in subditos, sequitur, ut Sacerdos, præter potestatem Ordinis, quam habet a Christo Domino adnexam characteri, habere etiam debeat ab Ecclesia potestatem jurisdictionis, per quam fideles fiant ejus subditi, & valide absolvantur. Hinc, quamvis Sacerdoti consecranti non possit Ecclesia reddere irritam consecrationem, cum hæc sit actus tantum Ordinis; tamen Sacerdoti sacramentaliter absolventi potest reddere irritam absolutionem, cum hæc sit actus simul Ordinis, & jurisdictionis. Dividitur hæc jurisdictio in ordinariam, delegatam, & eam, quæ habetur ex errore communi cum titulo colorato; & de singulis hic agendum.

§. I.

Quid de Jurisdictione ordinaria?

HANC habent ii Sacerdotes, qui ex vi proprii Officii habent curam animarum, ut Papa pro tota Ecclesia, Cardinalis pro sua, Legatus pro sua Provincia, Episcopus pro sua Diœcesi, & similiter Vicarius ejus Generalis, & Vicarius Capitularis Sede vacante: item Archiepiscopus pro Diœcesi etiam suffraganei, quando actu eam visitat, vel si suffraganeus injuste absolutionem negaverit, ut addit Barbosa: item Parochus pro sua Parochia; & similiter Abbas, Archipresbyter, & Archidiaconus pro suis Collegiatis, & Superiores Regulares pro suis Religiosis. Hi omnes jure ordinario absolvunt suos subditos: subditi autem Episcopo, vel Parocho jure ordinario sunt, qui intra ejus Diœcesim, vel Parochiam habent domicilium, quod scilicet acquiritur a primo die, quo ibi corporaliter habitant cum animo ibidem perpetuo manendi, etiamsi deinde animum mutent, dummodo corporaliter etiam non discesserint. Qui vero habent ibi quasi domicilium (hoc est alibi habent domicilium, sed habitant ibi majori, vel saltem æquali parte anni, ut sunt studentes, mercatores, litigantes in Curia, famuli, &c.) censentur utrobique subditi. Vagi vero, qui scilicet nullibi habent domicilium, aut quasi domicilium, censentur subditi ejus Parochi, in cujus Parochia hic & nunc reperiuntur: Doctores communiter, &c.

Quæres primo, An, qui habet jurisdictionem ordinariam absolvendi suos subditos, possit eam delegare alteri?

Respondeo, Per se loquendo, affirmative; quia actus proprius jurisdictionis ordinariæ etiam est ipsiusmet delegatio: Doctores communiter: idque verum est, etiamsi eam habens non sit Sacerdos, qualis esse potest v. g. Vicarius Generalis Episcopi: licet enim nequeat ipse uti sua jurisdictione absolvendo sacramentaliter, cum non habeat potestatem ordinis, potest tamen illam delegare alteri Sacerdoti, constituendo eum Confessarium. Imo Episcopus v. g. existens extra suam Diœcesim etiam potest eam delegare alteri, constituendo eum Confessarium pro sua Diœcesi; ut dicemus etiam de approbatione cap. 3. Dixi *Per se loquendo;* nam Parochus (& idem est de Abbate, Archipresbytero, & Archidiacono) quamvis habeat jurisdictionem ordinariam absolvendi, tamen non potest eam delegare simplici Sacerdoti ad absolvendos suos subditos; quia ex jure novo Trident. requiritur approbatio Episcopi, vel ejus Vicarii juxta dicenda cap. 3. Potest tamen, Episcopo saltem non contradicente, eam delegare alteri Parocho ejusdem Diœcesis ad absolvendos suos subditos in sua Parochia: Suar. & alii communiter: imo probabiliter etiam Parocho alterius Diœcesis: ut iidem addunt apud Tamb. c. 5. *de Pœnitentia* §. 3. num. 5. Quamvis quoad hoc probabilius ex dictis videatur oppositum. Econtra vero Superiores Regulares delegare possunt suam jurisdictionem cuivis Sacerdoti etiam alterius Ordinis, etiam Seculari ad audiendas confessiones suorum Religiosorum; etiamsi ille non sit approbatus ab Episcopo; quia Tridentinum requirit hujus approbationem tantum ad audiendas confessiones Secularium.

Quæres secundo, Quando cessat jurisdictio ordinaria?

Respondeo cessare, Primo, Amissione officii, cui erat adnexa; destructo enim principali corruit accessorium: hinc Parochus amittens, vel resignans alteri Parochiam, non potest amplius valide absolvere, nisi alias approbetur ab Episcopo; & Vicarius Generalis Episcopi, cum eo mortuo, vel amoto statim desinat esse Vicarius, statim amittit hanc jurisdictionem. Secundo cessat per excommunicationem, aut suspensionem ab officio, in quibus sis vitandus; sic enim, nec absolveret, nec delegaret valide: si vero non sis vitandus, valide absolveret, ac delegaret; &, si esset requisitus, etiam licite. Putant Vasq. Bonac. & alii, posse Parochum per Episcopum suspendi a sua jurisdictione ordinaria. Sed Lug. dist. 21. & alii apud Tamb. negant, quia ea gaudet Parochus jure Tridentini: ideoque non potest ab Episcopo privari, nisi removeatur ab officio. Denique nec cessat jurisdictio ordinaria per interdictum, & probabiliter neque per irregularitatem, nisi huic officium supervenerit, juxta dicenda in de censuris.

§. II.

Quid de Jurisdictione delegata?

I. SACERDOTES Regulares, cum constituuntur Confessarii, habent Jurisdictionem delegatam a Papa ad absolvendum sacramentaliter quoscumque Fideles undecumque ad se accedentes; sed communicatur ipsis per suos Superiores posita etiam approbatione Episcopi tamquam conditione essentialiter requisita a Tridentino pro absolvendis Secularibus, vel Monialibus. Hinc posset Confessarius Regularis absolvere etiam Religiosos alterius Ordinis. Sed hodie quivis ordo habet privilegium, ut sui Religiosi non possint absolvi ab aliis extra Ordinem, nisi ex licentia sui Superioris: si autem Regularis absque licentia sui Superioris approbetur ab Episcopo, tunc nec poterit valide absolvere, quia non habet Jurisdictionem sibi communicatam per suos Superiores, qui possunt eam negare, limitare, &c. Quod si Episcopus approbando communicet etiam suam jurisdictionem (quam, dum approbat, communicat, nisi quid expresse limitet) juxta hanc valide absolveret Seculares, illicite tamen, quia contra voluntatem sui Superioris. Excipe Religiosos Ordinis Prædicatorum, qui, si absque licentia suorum Superiorum approbentur ab Episcopo, invalide omnino absolvunt ex speciali Bul. Jul. III. Vide Tamb. *de Pœnitentia* c. 5. n. 26.

II. Sacerdotes seculares, cum constituuntur Confessarii, habent jurisdictionem sibi delegatam ab Episcopo eos approbante. Hac ergo habita jure non possunt absolvere subditos alterius Diœcesis ad se accedentes; sed hodie possunt ex consuetudine, & tacito simul consensu Ordinariorum, vel potius Papæ, quo subditi alterius Diœcesis per delegationem subduntur illis, dum ad eos accedunt. Putant tamen Bon. Con. Vasq. Garz. & alii, Peregrinum invalide absolvi, si ex industria e sua Diœcesi discedat, ut absolvatur a Confessario hujus Diœcesis, quia sic operatur in fraudem, adeoque non præsumitur sui Ordinarii, vel Papæ consensus. Sed probabiliter contradicunt Ponc. Tamb. & alii ex illa regula Juris: *Nullus videtur dolum facere, qui utitur jure suo;* unusquisque autem habet jus adeundi alium locum, ibique se in statu gratiæ ponendi; nec unquam Ordinarii, vel Papa in dicto casu signum aliquod sui dissensus dederunt: ut notat Tambur. &c.

III. Sacerdos, sive Regularis, sive Secularis, constitutus jam Confessarius, quamvis ex quadam æquitate petere debeat licentiam a Parocho, ut audiat confessiones in ejus Ecclesia; tamen, si non petat, valide absolvit, quia Confessario seculari sufficit jurisdictio delegata ab Ordinario, qui eam habet in tota Diœcesi, & Regulari sufficit jurisdictio delegata a Papa, qui est Ordinarius Ordinariorum. Imo, quamvis Episcopus in delegatione addat: *De licentia tamen Rectorum in Ecclesiis eorum*, tamen Suar. d. 27. Bon. & alii contra Abbat. & alios dicunt, illam non esse proprie conditionem, sed modum, quem deberes saltem ex æquitate servare, etiamsi non admonereris ab Episcopo. Similiter si Episcopus tantum prohibeat, ne Regulares v. g. extra proprias Ecclesias audiant confessiones, adhuc hæ erunt validæ extra illas, ob eandem rationem; illicitæ tamen, nisi excuset hic & nunc Epikeja.

Extra Diœcesim potest Parochus absque ulla alia facultate jure suo audire confessiones suorum subditorum; quia ratione muneris est eorum Pastor: & similiter Confessarii Principum, qui respectu illorum sunt veluti Parochi, possunt eos absolvere, quando per varias Diœceses, vel Provincias eos comitantur: Illsung, Laur. & alii. Idem dicit Laym. de Missionario Castrensi alicui Legioni præfecto, qui merito censetur veluti Parochus illius Legionis tamquam Parochiæ ambulantis; ideoque absolvere eos poterit, ubicumque terrarum Legio fuerit, licet novi milites accedant, vel succedant. Item Confessarius secularis hujus Diœcesis ex communi Doctorum sententia apud Suar. d. 28. sect. 6. potest extra hanc Diœcesim audire confessiones eorum, qui subditi sunt huic Episcopo; quia ad hoc habet jam jurisdictionem delegatam, quæ, cum sit voluntaria, exerceri potest extra territorium Episcopi in ejus subditos. Econtra vero Confessarius regularis hujus Diœcesis non potest extra hanc Diœcesim audire confessiones eorum, qui subditi sunt huic Episcopo, nisi sit approbatus etiam ab illo Episcopo, juxta dicenda cap. 3.

Quæres primo, Quid requiratur ad acquirendam Jurisdictionem absolvendi sacramentaliter?

Respondeo, Requiri consensum sive expressum, sive tacitum concedentis, dummodo sit de præsenti: Doctores communiter. Hinc, si Episcopus v. g. videat, aut sciat, simplicem Sacerdotem audire confessiones, & non prohibeat, quando sine incommodo posset, valida est absolutio ex tacito ejus consensu: Avers. sect. 4. Si tamen, nondum existente eo consensu, incipiat talis Sacerdos audire confessionem, peccat, quia invalide incipit: Conin. Dian. & alii. Rursus si Sacerdos vi, aut metu extorsit jurisdictionem ab Ordinario, probabiliter etiam valide absolvit, dummodo Episcopus aliquo signo externo annuerit; quia talis concessio, etiam sic extorta, manet simpliciter voluntaria: Sanch. Con. & alii contra Azor. Pont. & alios. Addunt Tancr. & alii, quod, si Sacerdos petat ab Episcopo licentiam audiendi confessiones, & nulla subsit ratio denegandi, & Episcopus taceat, habetur licentia pro concessa, quia positis his conditionibus silentium est signum externum concessionis. Econtra vero non sufficit consensus interpretativus, vel prudenter præsumptus, quem scilicet Episcopus daret, vel certo creditur daturus, si rogaretur. Neque sufficit ratihabitio danda de futuro; quia ad actualem jurisdictionem requiritur consensus de præsenti existens, & aliquo signo saltem tacite manifestatus: Lugo d. 19. & alii communiter. Requiritur etiam, ut Sacerdos delegatus habeat notitiam concessionis sibi factæ, sive oretenus, sive per literas, aut internuncium destinatum a Delegante, alioquin invalide absolvit, etsi aliunde id resciat; quia non censetur concessa facultas, nisi legitime acceptetur: Avers. q. 16. sect. 5. Si autem concessa sit jurisdictio Ordini religioso, Ordo acceptat pro singulis suis Religiosis, ideoque quivis illorum valide absolveret, etiamsi ignoraret, se illam habere: Lugo n. 17. Item, si Sacerdos putans, se habere jurisdictionem ex uno titulo, cum tamen habeat ex alio titulo sibi ignoto, valide absolvit, quia intendit facere, quantum potest, ex quocumque titulo possit: Lugo n. 18.

Quæres secundo, Quando cessat jurisdictio delegata absolvendi sacramentaliter?

Respondeo primo, Cessare, si Sacerdos delegatus incidat in excommunicationem, aut suspensionem ab officio, in quibus sit vitandus; si autem non sit vitandus, adhuc valide absolvit, sed illicite, nisi sit requisitus: Doctores communiter. At non cessat per interdictum, & probabiliter neque per irregularitatem, etsi supervenientem, quia talis jurisdictio, cum sit mere delegata, non fundatur in officio, vel beneficio, quibus privat irregularitas, ex dicendis de censuris. Neque cessat, si Episcopus ipse, postquam delegavit, evadat excommunicatus vitandus, quia est gratia facta jam delegato, quæ neque cessat morte concedentis. Cæterum præscindendo a censuris

Respondeo secundo, Si jurisdictio concessa sit ad certum tempus, puta ad annum, hoc transacto statim cessare, quia facultas non extenditur ultra voluntatem concedentis. At, si bona fide cœpta sit aliqua confessio, quæ finiri non potuit intra illum terminum præfixum, prosequendus est actus judicialis usque ad absolutionem & postea cessabit facultas: Doctores communiter. Imo probabiliter potes iterum ea uti, si Pœnitens redeat cum mortali invincibiliter antea oblito, quia tunc sequens confessio pertinet ad integritatem prioris: Tamb. Dicast. & alii contra Fagun. & alios: secus vero, si redeat etiam cum novo peccato; tunc enim neque conjunctim absolvi poterit cum oblito: Dian. p. 11. tr. 7. r. 28.

Respondeo tertio, Si jurisdictio concessa sit ad tempus incertum, ut si Episcopus concedens dicat, *Quamdiu vixero*, eam cessare morte concedentis, nisi vero tunc cœpta sit aliqua confessio, quæ postea est finienda, juxta modo dicta: idem est, si dixerit, *Ad meum beneplacitum*, vel *Donec ego voluero:* quia beneplacitum, seu voluntas finitur morte personæ: Doctores communiter, ex cap. *Gratiose, &c. de rescriptis in 6.* contra Tamb. & alios, &c. Idemque est, si concedens removeatur ab officio: Perez d. 47. *Matr.* s. 7. n. 15. Si vero dicat, *Pro uno anno ad beneplacitum*, cessat, statim ac concedens intra annum moritur, aut removetur ab officio: Suar. *de Legibus* lib. 8. cap. 31. Idemque est, si dicat, *Ad annum, & beneplacitum meum:* Perez ibid. At, si dicat, *Ex beneplacito ad annum*, non cessat, nisi post annum, quia beneplacitum hic ponitur, ut principium gratiæ factæ per annum: Perez n. 18.

Respondeo quarto: Si jurisdictio concessa sit absolute, nunquam cessare, nisi concedens, vel ejus successor revocaverit; quia Episcopus sic delegans censetur

velle favere ipsi Sacerdoti, judicando absolute idoneum ad confessiones; ideoque est gratia facta, quæ non expirat morte concedentis, juxta regulam Doctorum ex cap. *Si cui*, *&c. de Præbendis in 6.*, &c. Idem est, si dicat *Ad beneplacitum Sedis*: Ratio est, quia, cum Sedes sit perpetua, perpetua erit concessio, donec revocetur. Idem, si dicat *Ad beneplacitum Sedis*, *& personæ*: Sanch. lib. 8. *de Matrim.* dist. 28. num. 5. Idem demum, si dicat, *Donec revocavero*; vel *Donec aliud ordinavero*; quia revocatio, & ordinatio sunt actus positivi, qui non habentur præcise post mortem: Perez num. 10.

Respondeo quinto, Si jurisdictio concessa sit certo Sacerdoti ad audiendam pro una vice confessionem certi Pœnitentis, non cessare morte concedentis, si tunc res non sit integra, hoc est, si Sacerdos cœperit jam audire confessionem, quam nondum potuit perficere; quia per actum juridicum firmata est in eo jurisdictio, donec ponatur Absolutio: at, si res sit integra, hoc est nondum cœpit audiri confessio, Sanch. num 82., & alii communiter dicunt, cessare; quia sic non est gratia facta, sed facienda; & gratia facienda cessat morte concedentis, ex opposita regula Doctorum in cap. cit. Sed probabiliter etiam contradicunt Con., Lug., Perez, Tamb., & alii, &c., quia sic concedens voluit favere Pœnitenti, ideoque talis jurisdictio concessa Confessario est gratia a concedente facta ipsi Pœnitenti, & consequenter neque expirat per ejus mortem, & idem dicunt in aliis concessionibus, nisi aliter sit exceptum in jure. Vide dicta in de Leg. d. 4. q. 4. c. 2.

§. III.

Quid de errore communi cum titulo colorato?

Error communis habetur, quando Sacerdos communiter putatur habere jurisdictionem ad absolvendum, quam non habet: titulus coloratus, seu putativus habetur, quando fuit a legitimo Superiore collatus ei titulus ad talem jurisdictionem, ut titulus Parochi, Confessarii, &c. Sed vel fuit nullus ob aliquod occultum impedimentum, vel jam amissus, & talis amissio communiter ignoratur. Certum communiter est apud Doctores ex *l. Barbarius*, *&c. ff. de officio Prætoris*, & cap. *Infamis* 3. q. 7., errorem communem cum titulo colorato dare tali jurisdictionem absolvendi, etiamsi cæteroqui illam non habeat. Ratio est, quia tunc Ecclesia, cum possit, tacite supplet talem jurisdictionem ob bonum communitatis bona fide ita existimantis; aliter innumeræ animæ invincibili errore perirent: ergo valide absolvit talis Sacerdos, si adsit error communis cum titulo colorato; peccat tamen, si sciat nullitatem sui tituli, quia scienter usurpat jurisdictionem, quam non habet.

Porro ad talem errorem communem sufficit, si sit communis in hac Civitate, etiamsi alibi non sit talis error; puta si Confessarius sit alibi excommunicatus denunciatus, sed id communiter hic ignoretur: Tamb. *de Pœnitent.* cap. 5. §. 7. Item valide absolvit, si fuerit excommunicatus denunciatus, sed tantum temporis sit elapsum, ut communiter ignoretur ejus denunciatio: Nav., Cajet., & alii, &c. Item Sacerdos approbatus per annum, hoc elapso, etiam valide absolvit, si id communiter ignoretur. Idemque est, si absolvat virtute privilegii jam revocati, si revocatio communiter ignoretur: Henriq., & alii, &c. Idem, si Episcopus ficte dederit licentiam audiendi confessionem, sed fictio illa communiter ignoretur: Sanch. lib. 3. *Matrim.* d. 22. Si post errorem communem incipiat populus dubitare de jurisdictione talis Sacerdotis, tunc debet investigari prius veritas: aliter error esset crassus, & supinus, nec sufficiens ad dandam jurisdictionem ex tacito consensu Ecclesiæ: at, si facta morali diligentia, adhuc manet dubium, erunt validæ absolutiones, quia, dum vinci non potest dubium, prævalet possessio acquisita ex præcedenti errore communi. Si tu, vel etiam alii pauci privati sciant talem Sacerdotis defectum, adhuc valet ejus absolutio, quia scientia privata non tollit errorem communem; tu tamen, si scias, illum scire suum defectum, invalide absolveris, quia cooperaris ejus peccato: secus vero, si prudenter putes, illum nescire, & tu non possis alii confiteri, quia sic necessitas te excusat a cooperatione illa peccato materiali alterius. Econtra vero, si non sit error communis, sed unius tantum, vel etiam paucorum, invalide absolveris, saltem a mortalibus prima vice confessis; quia Ecclesia non supplet jurisdictionem ob errorem privatum: Doctores communiter.

Quæres primo, An Ecclesia suppleat jurisdictionem, si adsit error communis, sed sine titulo colorato?

Respondeo, Duas esse hac in re sententias: Prima cum Suar., Con., Bon., & aliis comm. negat; quia, quoties jura statuunt ex errore communi suppleri jurisdictionem, semper faciunt mentionem auctoritatis Superioris, quæ intervenire debuerit conferendo titulum: ergo non sufficit solus error communis. Secunda cum Poncio, Sanch., Rod., Dian., & aliis affirmat; quia etiam hic militat ratio Boni communis, ob quam Ecclesia tacite supplet jurisdictionem, ut scilicet provideatur saluti communi animarum inculpabili errore laborantium: quod autem jura id concesserint, cum adest titulus, hic fuit occasio concedendi; absolute tamen concesserunt, quoties vitandum est commune damnum, ut notat Con.; ergo credendum, piam matrem Ecclesiam etiam velle supplere stante solum errore communi; si nimirum Sacerdos communiter putetur Parochus, vel legitimus Confessarius, quamvis absque auctoritate Superioris per se sit intrusus in Parochiam, vel Confessionale. Prima sententia est probabilior, saltem auctoritate extrinseca: tamen Castro, Tamb., & alii plurimi dicunt, utramque esse probabilem.

Quæres secundo, An Ecclesia suppleat, seu tacite det jurisdictionem Confessario absolventi ex opinione probabili circa suam jurisdictionem?

Respondeo affirmative, Dummodo talis opinio sit solide probabilis: Ratio est, quia licet ex cap. *Si Episcopus*, *&c. de Pœnitent.*, *& remissionib. in 6.* se sola non conferat jurisdictionem absolvendi Sacramentaliter, tamen potest conferre, si accedat consensus saltem tacitus Ecclesiæ, ut docent communiter Doctores ex Trid. *sess.* 22. *de reform. cap.* 3. Sed apud Confessarios communiter adest consuetudo absolvendi ex opinione probabili circa suam jurisdictionem, idque scit Ecclesia: ergo videtur tacite consentire, adeoque dare jurisdictionem, si ea forte non esset. Ita communior sententia apud Carden. cum Suar., Sanch., Con., Bon., & aliis plurimis; itant Lugo dicat, hanc esse praxim omnium fidelium, & totius Ecclesiæ; &, cum hæc communis persuasio sit saltem error communis cum titulo colorato, nempe auctoritate Ecclesiæ per communem praxim satis nobis explicata, est tutissima; cum non exponatur Sacramentum periculo nullitatis, eo quod suppleat Ecclesia jurisdictionem, quam Sacerdos probabiliter putat se habere. Hinc infert Bonac., quod, qui sequitur opinionem probabilem Doctorum sentientium, ipsum habere jurisdictionem absolvendi ab hoc, vel illo reservato in tali, vel tali casu, &c., valide, & licite absolvit, etiamsi forte opinio illa sit falsa; nam Ecclesia supplet jurisdictionem, ne sequantur incommoda in communitatem. Addit Verricelli apud Tamb. contra Aversa, id valere, sive probabilitas sit circa jus, sive circa factum: ut si probabile sit, quod in hoc, vel illo casu non sit incursa reservatio; si probabile sit, quod jurisdictio nondum expiraverit, non sit revocata, &c., quia ratio utrobique est eadem. Addit insuper id etiam valere, quomodocunque ea opinio sit probabilis, sive ex auctoritate extrinseca, sive ex intrinseca ratione de novo a docto viro considerata, dummodo sit solide probabilis.

Dixi, *Si sit solide probabilis*, hoc est nixa gravi fundamento apto movere virum prudentem ad de ea assensum, vel de ejus probabilitate, etsi æque, vel etiam probabilius sit oppositum; quia sic etiam prudenter operaris; &, si forte ea opinio sit falsa, cum communiter ignoretur, supplet Ecclesia: contra vero invalide absolvis ex opinione tenuiter probabili circa tuam jurisdictionem: puta, si sit opinio, quam unus, vel alter asserit, & non habet rationem intrinsecam, vel adeo levem, ut virum prudentem non moveat; si unus, vel alter eam docet: complures autem Doctores eam parum tutam pronuntiant, si per transitum unus, aut alter eam innuit sine sufficienti examine, præsertim si alius, qui ex professo de ea agit, firma ratione oppositum docet: in his enim opinio sit leviter probabilis, vel ad summum dubiæ probabilitatis; ideoque Ecclesia non dat jurisdictionem sic imprudenter operanti.

Quæres tertio, An licite absolvat Sacerdos in dubio de sua jurisdictione?

Respondeo, Affirmative, si cœpit bona fide eam possidere, & postea negative dubitet, an valide eam obtinuerit; quia sic melior est conditio possidentis, &, si forte adsit error, supplet Ecclesia: Con., Dicast., Gobat. tract. 7. n. 21. Econtra vero, si cœpit mala, vel dubia fide

possi-

possidere; aut negative dubitet, an unquam eam obtinuerit, vel an jurisdictio, quam haber, extendat se ad casum allatum a pœnitenre, an peccatum a pœnitente allatum sit reservatum, necne, &c., quia tunc non ipse est in possessione: Lugo d. 19. n. 28. Cæterum, si legitimus Confessarius cœpit audire pœnitentem afferentem plura peccata, & oriatur dubium, an habeat jurisdictionem circa unum, aut alterum illorum, licite etiam absolvit (monendo tamen pœnitentem, ut postea accedat ad habentem certam jurisdictionem) si adsit necessitas: puta ad vitandum scandalum, aut infamiam, si tunc pœnitens non communicet; vel si alioquin deberet omittere Confessionem annuam, vel diu manere deberet in statu peccati mortalis: Gobar. n. 520., ubi Hurtadus non audet resolvere, an spatium unius noctis sit in hac materia habendum pro diuturno, quod tamen merito negat Diana, quicquid ingeniose dicat Caramuel. Addit demum Laym. cap. 52. n. 11., aliqualem urgere necessitatem, si talis pœnitens bona fide confessus ægro animo discedat non absolutus, & coactus bis confiteri, modo ejus peccato non sit adnexa excommunicatio reservata.

CAPUT III.

Quid de Approbatione?

APPROBATIO est *Judicium, quo Superior declarat, aliquem Sacerdotem esse idoneum ad audiendas confessiones*. Sine hac Sacerdos, sive secularis, sive regularis invalide absolvit; quia ex dictis potestas ordinis non censetur expedita, nisi accedat potestas jurisdictionis, & hæc non confertur, nisi per approbationem. Agendum de Approbato I. Ad confessiones secularium: II. Ad confessiones Regularium: III. Ad Confessiones Monialium: IV. Ad Confessiones Privilegiatorum.

§. I.

Quid de Approbatis ad Confessiones Secularium?

TRIDENTINUM *sess.* 23. *cap.* 15. statuit, *Nullum etiam Regularem posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari; nisi, aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat*. Itaque

Primo, Approbatio fieri potest tripliciter, vel per collationem beneficii Parochialis, vel per examen, si est necessarium, vel sine examine, si alias idoneus quis judicetur. Præcipitur etiam, ut detur gratis; tamen, quamvis peccet, qui eam non det gratis; at probabile est, sic etiam valere, quia verba Tridentini quoad hoc sunt tantum præceptiva, non irritantia: Suar., Lugo, disp. 21. Probabile etiam est valere, si detur ex vi, & metu, juxta dicta de jurisdictione: probabile item est valere, si Episcopus in approbando erret circa idoneitatem: Suar., Bon., & alii, &c. Addit Lugo n. 25., probabiliter etiam valere, si Episcopus externe tantum approbet, quem non judicat idoneum; sed in hoc contradicunt Suar., Bon., & alii, &c., quia Trident. dicit, *Si idoneus judicetur*.

Secundo, Superior approbans ad confessiones secularium est Episcopus ex Tridentino citato, vel ejus Vicarius Generalis, qui habet potestatem ordinariam, & facit unum Tribunal cum illo; vel Vicarius Capitularis sede vacante, qui succedit Episcopo: Doctores communiter. Approbare potest Episcopus, etiamsi nondum sit consecratus, modo sit electus, & confirmatus; quia approbatio non est actus ordinis, sed meræ jurisdictionis: Lug. n. 27. Addunt Bossius, & Tambur., Episcopum etiam excommunicatum vitandum posse valide approbare; quia approbatio est tantum simplex testificatio Episcopi, prout Superior est, qualis in excommunicatione videtur etiam manere: sed communius negant Aversa, Poncius, & alii; quia approbatio est actus jurisdictionis Episcopalis, quam non habet Episcopus vitandus: Possunt pariter approbare, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem in Diœcesim nulli Episcopo subjectam. Item Nuncius Apostolicus, & Legatus a latere pro sua Provincia. Item Cappellani Majores relate ad confessiones militum, vel domus Regiæ: Episcopus existens extra suam Diœcesim potest approbare Sacerdotem pro sua Diœcesi; quia approbatio non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, quæ extra proprium territorium exerceri potest: Putant tamen Doctores cum Lugo Lib. 1. *Respons. Moral.* dubio 57., Episcopum v. g. Neapolitanum existentem Capuæ non posse approbare Sacerdotem Capuanum pro suis subditis ibidem existentibus; quia sic nullo modo potest esse Superior respectu talis Sacerdotis, cum non posset illum punire, si Capuæ circa confessiones Neapolitanorum delinqueret: & ideo nec potest ipsemet Episcopus ibidem confiteri tali Sacerdoti non approbato, ut supponitur, a suo Episcopo Capuano, ut constat ex declaratione Sacræ Congregationis apud eundem: Econtra vero poterit ibi eum approbare pro audiendis confessionibus in sua Diœcesi Neapolitana; quia sic evadere potest ejus superior potens illum punire, si quoad hoc deliquerit in sua Diœcesi. Uti etiam potest Capuæ approbare Sacerdotem Neapolitanum pro audiendis confessionibus Neapolitanorum Capuæ existentium, cum sit verus ejus Superior.

Tertio, Sacerdos, sive secularis, sive regularis, hoc ipso, quod obtinet beneficium Parochiale, est ipso jure approbatus, quia Canones volunt, illud obtineri per concursum, vel saltem prævio examine ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 18. Hinc, si per fraudem, vel per incuriam Episcopi, vel aliter sine examine, aut Episcopi judicio pervenisset ad Parochiam, indigeret approbatione: Croix num. 1533. Item indiget approbatione Superior Regularis; quia talis revera non est Parochus, cum non habeat beneficium Parochiale, ut requiritur a Tridentino: Doctores communiter contra Valerum, & alios paucos. Si Parochus mutet Parochiam, quamvis in aliquibus Diœcesibus non iterum examinetur, tamen merito in aliis fit oppositum; quia idoneus pro uno loco, non semper est idoneus pro alio, in quo esse possunt oves diversæ exigentes in Parocho diversas qualitates, & scientiam. Si autem desinat esse Parochus, desinit ejus approbatio, nisi prius fuisset aliunde approbatus absolute: Suar., Henriq., & alii communiter: At, si moriatur, non ideo desinit approbatio Sacellani dati ei ab Episcopo, ut requisitus eum adjuvaret; quia hic approbationem habet ab Episcopo, & non præcise ratione Parochi, sed loci: tamen non potest assistere matrimoniis, quia hæc pendebant immediate a Parocho ad singulos actus suo modo ipsum delegante: Croix n. 1543. Putant Suar., Sanch., Lugo, Aversa, & alii, Parochum vi beneficii Parochialis approbatum esse jure communi Tridentini, tamquam publicum Ministrum Ecclesiæ; unde inferunt, Parochum unius Diœcesis posse etiam in alia Diœcesi absolvere illius Parochianos ex licentia tantum illius Parochi (modo non contradicat Episcopus, ut addit Suarez disp. 28. sect. 4. n. 9.) quia ex jure communi Ecclesiæ habet approbationem, & ibi acquirit jurisdictionem ex delegatione illius Parochi. Probabiliter tamen contradicunt Laym., Gutierez, Garzia, & alii, &c., quia ex dispositione Tridentini videtur approbatus tantum a suo Episcopo, cujus solius examen, & judicium requiritur. Illud videtur communius admissum, Parochum etiam extra Diœcesim posse audire confessiones suorum subditorum, juxta dicta, & mox fusius dicenda.

Quarto, Sacerdos sive secularis, sive regularis ad confessiones secularium indiget approbatione Episcopi ex Tridentino cit. Quare non sufficit approbatio Universitatis ad gradus Licentiati, Magistri, Doctoris, &c., quia Tridentinum requirit approbationem ab Episcopi judicio provenientem. Nec sufficit, esse semel approbatum in Urbe a Vicario Papæ, ut censeatur approbatus in toto Orbe; quia Urbanus VIII. anno 1628. revocavit omnia Privilegia audiendi confessiones sine approbatione ab Episcopis Diœcesanis, & absque examine facto ab Ordinario.

Dubium est primo, A quonam Episcopo fieri debeat hæc approbatio? An scilicet ab Episcopo Pœnitentis, ut ait Sylvester, an Confessarii, ut Suarez., an Loci, in quo fit confessio, ut Guttierez, an demum a quovis Episcopo, sive Loci, sive Confessarii, sive Pœnitentis, ut Henriquez?

Equidem dico cum Lugo disp. 21. n. 35., requiri, & sufficere approbationem ab Episcopo, qui sit Ordinarius ipsius Confessarii, non quomodocumque, sed in ordine ad hoc ministerium audiendi Confessiones talium Pœnitentium: Ratio est, quia sic optime verificantur verba Tridentini, & Decretorum subsequentium, ut mox patebit. Hinc quivis Sacerdos, etiam Regularis, etiam Peregrinus, potest in hac Diœcesi approbari ab hoc Episcopo ad Confessiones suorum Diœcesanorum; quia in ordine ad istos quivis Sacerdos potest hic ei subdi, tamquam suo ordinario, hoc ipso, quod velit eos audire: ergo potest, ac debet ab illo approbari, cum ad illum spectet

judicare de idoneitate volentis curare suas oves; &, si deinde in hoc deliquerit, punire. Item Sacerdos Peregrinus, sive secularis, sive regularis ab hoc Episcopo approbatus, hoc ipso, quod egreditur extra hanc Diœcesim, amittit approbationem; quia non amplius subditur huic Episcopo, a quo nec potest, si deliquerit, puniri: Similiter Sacerdos Diœcesanus, sive secularis, sive regularis, hoc ipso quod mutat domicilium extra hanc Diœcesim, amittit approbationem. At, si deinde redeat ad pristinum domicilium, eam reparat, si fuerat absoluta, necdum ab Episcopo revocata: Lug. loco citato.

Dubium est secundo, An Confessarius secularis Diœcesanus approbatus absolute quoad locum, si peregrinetur extra hanc Diœcesim, possit ibi absolvere subditos hujus Diœcesis pariter peregrinantes?

Communis sententia cum Suar., & Sanch. lib. 3. *Matr.* disp. 19. n. 8. contra Mattheucci, & alios paucos affirmat; quia etiam ibi manet subditus sui Episcopi approbantis in ordine ad tales Pœnitentes, & exercet jurisdictionem in foro conscientiæ; & in iis, quæ fiunt sine strepitu judicii, non violatur jus alterius: Neque obstat primo responsum Sacræ Congregationis Episcopo Valentino, *Approbatum ab alio, quam a Valentino Episcopo, in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario:* Nam, ut bene notat Lugo n. 42., hoc responsum intelligi debet juxta intentionem interrogantis, quæ erat ad confessiones illorum, qui subduntur Episcopo Valentino. Neque obstat secundo Constitutio Innocentii XII. *Cum sicut, &c.* 19. *Aprilis* 1700., *Confessarios, tam seculares, quam regulares, quicunque illi sint, nullatenus posse audire pœnitentes Bulla-Cruciatæ sine approbatione Episcopi loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, & Confessarios eligant; neque ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum Diœcesum obtentam, etiamsi pœnitens illorum Ordinariorum, qui tales Confessarios approbassent, subditi sint.* Non, inquam, obstat; nam hæc etiam intelligi debent secundum intentionem Episcoporum Portugalliæ, quorum querelis Pontifex hac constitutione respondet. Querelæ autem non erant, imo nec esse poterant, quod subditi alterius Episcopi peregrinantes in sua Diœcesi absolvebantur vi Bullæ Cruciatæ a Confessariis illius Episcopi pariter peregrinantibus; quia id, etiam præcisa Bulla, erat communiter a Doctoribus admissum; & Episcopi ipsi ratum haberent, cum sic possent etiam ipsi extra suam Diœcesim confiteri suo Confessario Diœcesano absque approbatione alterius Episcopi. Querelæ ergo erant, quod absque sua licentia sui subditi in sua Diœcesi, vi Bullæ Cruciatæ hispanico sermone traditæ, eligebant in Confessarium Sacerdotem per quemcumque alium Ordinarium approbatum; & extra Diœcesim eligebant Regularem *Semel tantum* ab ipsis approbatum, etiamsi ipsi repugnassent, vel approbationem revocassent; ut videre est apud Doctores tractantes de Bulla Cruciatæ apud Tamb. cap. 5. §. 4. n. 11. Remanet ergo integra sententia communis, quod possit Confessarius secularis Diœcesanus absolute approbatus audire extra Diœcesim Diœcesanum suum peregrinantem.

Dubium est tertio, an idem dici possit de Confessario Regulari Diœcesano pariter extra Diœcesim peregrinante?

Affirmant Ledesma, Peyrinus, Lugo n. 42., & alii, qui scripserunt ante Clementem X. Sed Constitutio Clementis X. *Superna &c.* 2. Augusti 1670. ita statuit: *Religiosos ab Episcopo ad confessiones secularium approbatos non posse in alia Diœcesi eos absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati.* Adhuc tamen Platellius, Taberna, & alii apud Croix num. 1513. putant, Confessarium Regularem in una Diœcesi approbatum, dum iter agit per alias Diœceses, audire posse confessiones quorumcumque secularium in locis, in quibus Ordinarii non existunt, dummodo Parochi non repugnent, ex privilegio Gregorii XIII.; putant enim plures apud Dianam, Decreta Pontificum, quæ videntur talem facultatem revocare, tantum loqui de potestate audiendi confessiones permanenter, non autem transeunter. Verum, cum Clemens X. loquatur indefinite, & revocet qualiacumque data privilegia, non auderem hanc sententiam sequi.

Quinto, Ad approbationem pro confessione secularium non sufficit esse idoneum, & esse præsentatum Episcopo, sed requiritur ejus judicium tacite, vel expresse manifestatum. Hinc ab Alexandro VII. damnatur hæc prop. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato; sed ab eo injuste reprobato.* Si ergo non satisfacit, ideo est, quia confessio est invalida, etsi bona fide accesserit: Doctores communiter. Hinc Episcopus potest approbare, vel absolute, vel limitate ad tempus, locum, aut personas: puta ad sex menses, in Cathedrali, pro viris tantum, &c. Putant tamen Henriq., Fagundez, & alii apud Dian. p. 5. tr. 11. r. 10., restrictionem approbationis v. g. pro viris tantum non valere, si fiat ex mero Episcopi arbitrio, & Sacerdos, præsertim regularis, sit absolute idoneus: sed communiter rejiciuntur, quia, sicut non est simpliciter Confessarius, qui etiam ex arbitrio Episcopi non est simpliciter approbatus, utut cæteroqui sit idoneus, ita &c. Cæterum, licet Episcopus possit non admittere ad examen, si tamen admiserit, & repererit idoneum, peccat contra justitiam, si sine justa causa neget approbationem quia intervenit quasi contractus: Lug., Gorm., & alii: & quoad Regulares ex Constit. Clem. X. cit. debet Episcopus Regularem repertum idoneum simpliciter approbare; nec potest iterum examinare, revocare, aut limitare priorem approbationem, quam ipsemet dedit (secus vero, si eam dederit suus Vicarius, vel Antecessor) nisi accedat nova justa causa ad confessiones pertinens. Nec potest, inconsulta Sede Apostolica, suspendere facultatem audiendi confessiones omnium simul unius Conventus. Denique Regularis simpliciter approbatus potest in ea Diœcesi quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumque, etiam infirmorum, confessiones audire absque ulla Parochorum licentia: tenetur tamen eorundem infirmorum Parochum illico certiorem facere, saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. Hæc ex Constit. cit.

§. II.

Quid de Approbato ad Confessiones Regularium?

AD Confessiones Regularium exemptorum (uti hodie sunt fere omnes) non requiritur approbatio Episcopi, quia Tridentinum hanc tantum requirit ad confessiones secularium. Requiritur tamen approbatio, seu designatio Superioris regularis, qui ad confessiones suorum subditorum potest deputare quemvis Sacerdotem, etiam alterius ordinis, imo etiam secularem non approbatum ab Episcopo: Doctores communiter: Nomine Religiosorum veniunt hic etiam equites melitenses, secundum Sanch. contra Aversa: & ex praxi id eis conceditur Melitæ, negatur extra Melitam: Diana, Tamb., & alii.

Extenditur hoc etiam ad Novitios, quia in favorabilibus communicant cum Religiosis: Sanch., & alii communiter: possunt tamen Novitii, etiam absque licentia Superioris (quod non possunt Religiosi) confiteri Confessario seculari, vel alterius Ordinis approbato ab Episcopo; quia in odiosis non communicant cum regularibus: Doctores communiter. Extenditur etiam ad seculares domus Religiosæ, *Qui inibi sunt veluti de familia, & continui commensales; non autem qui tantum illis serviunt;* ex citata Constit. Clem. X., quæ, cum sit novissima in hac materia, ad eam reduci debent reliqua in hoc punctum privilegia. Itaque familiares domus Religiosæ non sunt Hospites, Ruricolæ, aliive ei inservientes, sed extra commorantes. Sunt vero Tertiarii, Oblati, Educandi, Famuli, etiamsi Mercenarii, cæterique Seculares, etsi solventes expensas, modo hi omnes intra septa Religiosorum degentes communi eorum tecto, & victu continenter utantur. Item Alumni, & Convictores in Seminariis Religiosorum, ut addit Bordonus, modo locus ille sit Religiosorum; secus vero, si immediate, & per se sit erectus in Seminarium, cui Religiosi ministrent, ut recte limitat Lug. l. 4. *Resp. Moral.* dub. 33. Tenentur tamen prædicti familiares ire ad Parochialem Ecclesiam pro communione Paschali, ex Decr. S. Congreg. 2. Februar. 1676., quamvis non desint, qui dicant oppositum de famulis, de quibus est privilegium bullarum concessum Minimis a Leone X., cui per Decretum S. Congreg. derogari non potuit.

Confessarius Regularium potest etiam extra Conventum, imo in quacumque Diœcesi peregrinetur, absolvere Regulares ejusdem Conventus pariter itinerantes; & similiter etiam Novitios, & Familiares ejusdem Conventus; quia Constitutio Clementis X. tantum id limitat de secularibus non familiaribus: Cespedes, & alii: imo Regularis (saltem Societatis Jesu) in itinere confiteri debet Socio ejusdem Ordinis, etiamsi alias a Superiore non approbato; quia Superior tacite tunc illum approbat. Si vero non habeat Socium

ejus-

ejusdem Ordinis, poterit (nisi sit Carthusianus, aut Capuccinus) confiteri cuivis Confessario alterius Ordinis, vel etiam seculari approbato ab Episcopo; imo etiam simplici Sacerdoti, ut addunt Suar., Tamb., & alii, contra Vasq., & alios, quia præsumitur Superior illum tacite approbare, si sit consuetudo, vel necessitas communicandi in via. Denique, si talis Religiosus in itinere divertat ad aliquam Domum sui Ordinis, tenetur confiteri aut Socio itineris, aut uni ex Confessariis illius Domus, qui in quovis conventu esse debent duo, vel tres, aut plures, juxta numerum Religiosorum ex Decr. Urbani VIII., & usus est, ut in magno Conventu sint quatuor.

§. III.

Quid de Approbatis ad Confessiones Monialium?

UT dicatur quis approbatus ad confessiones Monialium, non satis est, eum esse generaliter approbatum ad omnes Christi-fideles; sed requiritur specialis approbatio, in qua fiat expressa mentio de Monialibus: imo approbatus pro uno earum Monasterio non censetur approbatus pro alio, & approbatus pro una vice non potest pro pluribus vicibus, nisi iterum approbetur: Doctores communiter ex Decreto Sacræ Congregationis confirmato a Gregorio XV., & Urbano VIII., & novissime ex citata Constitutione Clementis X. Addit Pellizarius, approbatum ad audiendam confessionem duarum, vel trium Monialium ex aliqua peculiari occasione non posse audire confessionem aliarum Monialium ejusdem Monasterii; quia approbatio est limitata.

Approbatio ad confessiones Monialium dari debet ab Episcopo Diœcesano, etiamsi Moniales sint exemptæ, seu subjectæ regularibus ex citata Constitutione Clementis X. Ut autem audiri possint exemptæ, præter specialem approbationem Episcopi, requiritur etiam licentia Superiorum Ordinis, in quo est ista exemptio; quia Pontifices non intendunt derogare Constitutionibus, & Privilegiis Religionum, vi quorum non possunt Regulares confiteri, nisi Confessariis ab eorum Superiore designatis: si autem non sint exemptæ, sufficit sola specialis approbatio Episcopi, quamvis Superiores Ordinis nollent: Croix n. 1533.

Hæc omnia procedunt de Confessario Monialium, sive ordinario, qui durat ad tres annos, sive extraordinario, qui bis, aut ter in anno offeratur ab Episcopo, & aliis Superioribus ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 10. *de Regularibus*. Itaque, si Monasterium sit subjectum Episcopo, hic debet bis, aut ter in anno offerre extraordinarium; si sit subjectum Prælatis regularibus, ad hos spectat offerre, approbante Episcopo; quod si hi non offerant, potest de se assignare Episcopus: Pellizar. tr. 10. *de Regularibus* c. 10.

Cæterum, Novitiæ, Educandæ, aliæve feminæ in Monasteriis Monialium commorantes, confiteri etiam possunt cuivis Confessario generaliter approbato ab Episcopo; quia in odiosis non veniunt nomine Monialium, ob quam rationem Pellizarius cum aliis idem probabiliter dicit de Abbatissis, nisi obstet consuetudo. Et certum est, idem esse de iis, quæ vivunt in Conservatoriis, etiamsi ibidem votum emittant; quia Conservatoria non veniunt nomine Monasterii, aut Monialium. Idem demum est de Moniali, quæ cum licentia degit extra Monasterium, quia Constitutio Clementis X. intelligitur de Monialibus in Monasterio degentibus: Croix, & alii.

§. IV.

Quid de Approbatis ad Confessiones Privilegiatorum?

PRIVILEGIATI hic sunt, qui, sive a jure, sive a consuetudine, sive ab homine habent facultatem eligendi sibi Confessarium non approbatum ab Ordinario.

I. A jure hoc habent Episcopi, ex cap. *Ne pro dilatione &c., de Pœnit., & Remiss.*; etiamsi sint Episcopi tantum titulares, vel tantum confirmati; imo etiamsi sint excommunicati, suspensi, aut depositi, cum neque sic priventur dignitate, neque adeo ejus privilegiis; secus vero, si sint degradati, aut nondum confirmati, licet sint electi: Pasqual. dec. 57. Cæterum, Episcopus sic eligendo approbat; ideoque potest Episcopus v. g. Neapolitanus, etiam existens in Diœcesi Nolana, eligere sibi Sacerdotem Neapolitanum, cum possit etiam ibi eum approbare; imo etiam potest ibi eligere sibi Sacerdotem Capuanum approbatum tantum a suo Episcopo; quia ille est vere approbatus idoneus, & ipse ex vi privilegii potest sibi eligere Sacerdotem idoneum, nec ibi est alius Ordinarius, ad quem spectat de hoc ei providere: Lug. d. 21. n. 38. At non potest ibi eligere Sacerdotem sive Nolanum, sive Capuanum non approbatum a suo Episcopo; quia ibi non potest ei dare approbationem ex Decr. Sacr. Congr.; quidquid dicant Pasqu., & alii, quod tale Decr. non sit in forma authentica. A jure etiam privilegium habent Prælati minores exempti, ex text. cit., ut sunt Abbates exempti, non autem Abbatissæ exemptæ: item Vicarii Generales Episcopi: item Prælati Curiæ Romanæ, ut Auditores Rotæ, Clerici Cameræ Apostolicæ, Magister Sacri Palatii, &c. Quamvis, ut notat Dian., non audeant uti privilegio. Hoc certe non habent Parochi, ut constat ex prop. 16. damnata ab Alex. VII. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*. Ratio est, quia non sunt exempti: a jure etiam privilegium habent Superiores Regulares, ex text. cit. apud Pasqu., qui etiam id concedit eorum Vicariis; sed quidquid sit de aliis Religionibus, id certe non competit nostris Œconomis, nisi sint Vice-Rectores.

II. Ex consuetudine, vel etiam a jure, ut addunt Abbas, & alii, hoc privilegium habent Cardinales, etiamsi non sint Episcopi; quia habent jurisdictionem Episcopalem in suis Ecclesiis titularibus; &, cum sint Prælati universalis Ecclesiæ, possunt, sive Romæ, sive alibi commorentur, eligere sibi non approbatum ab Ordinario. Imo, cum Cardinales sint Ordinarii propriæ familiæ, possunt unicuique de familia providere de Confessario, vel tribuere facultatem eligendi sibi Sacerdotem idoneum; talis enim concessio est simul approbatio. Ex consuetudine etiam, tacitaque approbatione Ecclesiæ possunt Reges, & Principes Absoluti eligere sibi in Confessarium Sacerdotem simplicem, ubicumque fuerint: sed id ad eorum familiam non extenditur: Busemb., & alii.

III. Ab homine privilegium habere possunt ii, quibus Pontifex, vel Episcopus concesserit. Hi autem nunquam concedunt, ut possis eligere Confessarium non approbatum; imo, si Episcopus id concederet, invalide concederet; quia non potest dispensare in jure Trid. Ita Suar. d. 28. f. 3. Cæterum, qui habet Bullam Cruciatæ, nullum habet in hoc speciale privilegium, ex Constit. Innoc. XII. cit. §. 1., idemque est de Bulla Jubilæi.

Hinc infertur, Approbatum pro viris tantum non posse tempore Jubilæi audire confessiones mulierum: Suar., Lug., & alii contra alios apud Dian. An autem tempore Jubilæi possint Regulares absque licentia Superioris eligere sibi Confessarium approbatum tantum ab Episcopo? Affirmant Lug., Pelliz., Fill., & alii; quia in Bulla Jubilæi Pontifices derogant privilegiis omnibus in oppositum, etiam speciali mentione dignis: sed melius negant Rodriguez, Reginald., & alii; quia cap. 1. *de Privilegiis* prohibetur, ne quis Religiosos absolvat invitis suis Superioribus. Idem a fortiori dicunt Faustus, Pellizar., & alii contra Bonac., Peyrin., & alios, de Monialibus; quia, sicut approbatus pro viris tantum non potest tempore Jubilæi eligi a Mulieribus, ita nec a Monialibus, qui non est specialiter approbatus pro illis.

QUÆSTIO II.

De Officio Confessarii.

CONFESSARIUS quadruplex gerit Officium, Ministri, Judicis, Medici, & Doctoris, ex Trid. *sess.* 14. *de Pœnit.* c. 2., 5., 6., & 7. Hinc plures habet obligationes, nimirum probitatis, & scientiæ: item admittendi, ac docendi Pœnitentem: item injungendi Pœnitentias, Restitutiones, Denunciationes, Juramenta, & Ecclesiasticam Sepulturam. Porro de Pœnitentiis, necnon de Restitutionibus nihil hic, cum abunde dictum de eis sit propriis locis. De cæteris hic agendum. Itaque sit.

CAPUT I.

Quid de probitate Confessarii?

PRÆCIPUA Ministri Sacramenti Pœnitentiæ dos est *Vitæ integritas, ac morum honestas*, ex cit. Constit. Clem. X. Maxime requiritur status gratiæ, dum absolvit: hinc.

Quæres primo, Qualiter peccet Confessarius ministrans hoc Sacramentum in statu peccati mortalis?

Respondeo, Committere grave sacrilegium, utpote qui agit ut Minister Christi specialiter consecratus, adeoque est reus gravis irreverentiæ in Sacramentum, ejusque auctorem, cujus nomine conficit Sacramentum, & confert Gratiam: ergo omnino illicite, quamvis valide operatur: Doctores communissime.

Quæres secundo, Quid agere debeat talis Confessarius, si petatur ad audiendas confessiones?

Respondeo, Non teneri determinate ad confitendum suum peccatum; teneri tamen vel confiteri, vel elicere actum contritionis juxta dicta d. 1. q. 1. c. 5. Si autem incipiat audire confessionem, & se conterat, antequam absolvat, per se loquendo, non videtur peccare, quia, dum audit, nondum operatur, ut Minister Christi, seu nondum causat gratiam: Henr., Lug., Dian., Tamb., & alii contra Suar., Arriag., Gon., & alios; per accidens tamen peccat, si nimirum temere, & imprudenter differat suam contritionem ad illas angustias temporis, quia sic exponit se periculo non bene tunc conterendi. At, si vocetur ad audiendam confessionem alicujus mox morituri, & ob angustias temporis non possit sine magna difficultate se recolligere ad conterendum, non peccat, si non conterat; quia defectus contritionis in tali casu non imputatur illi, sed extremæ necessitati alterius; imo peccaret contra charitatem, si tunc non absolveret: Tamb., Lug., & alii.

Quæres tertio, An Confessarius ligatus censura peccet absolvendo, si per contritionem se ponat in gratia?

Respondeo affirmative, loquendo extra casum necessitatis, & de censura impediente actum Ordinis, & Jurisdictionis: qualis est excommunicatio major, suspensio ab officio, & interdictum personale speciale: & invalide quidem absolveret, si hæ censuræ essent vitandæ. Si vero non sunt vitandæ, illicite tantum, & quando se ingereret; si enim non se ingerat, sed esset requisitus, valide, & licite absolveret: Doctores communiter, ex Concil. Constant.

CAPUT II.

Quid de Scientia Confessarii?

CONFESSARIUS ea scire debet, quæ ad officium suum pertinent; itaut mortaliter peccet, si sine debita scientia extorqueat licentiam audiendi confessiones, aut hanc exerceat extra articulum mortis: & similiter peccat Superior, qui scienter ipsum eligit, tolerat, aut permittit; quia exponitur periculo non rite administrandi hoc Sacramentum: Doctores communiter. Igitur, ut licite ministret Confessarius, triplicem habere debet scientiam, Habitualem, Actualem, & per interrogationes acquisitam.

§. I.

Quid de Scientia Habituali?

ANTEQUAM ad audiendas confessiones accedat, tria scire debet Confessarius: Primo, Quæ pertinent ad seipsum, quam scilicet habeat potestatem, in quos pœnitentes, ad quæ peccata, ad quos casus, & censuras, & quænam sit formula absolutionis? Quare scire debet saltem in confuso, quot sint casus, & censuræ, a quibus ob reservationem nequit ipse absolvere, de quibus agendum q. seq. Secundo, scire debet, quæ pertinent ad Pœnitentem, quo scilicet examine, dolore, ac proposito debeat esse dispositus, qua integritate confessionem instituere debeat, quam pœnitentiam pro qualitate peccatorum, & personæ subire debeat, de quibus actum est disp. antec. Tertio, Scire debet, quæ pertinent ad ipsa peccata, quænam scilicet habent onus restitutionis, aut satisfactionis parti, denunciationis, aut alterius obligationis; quænam ex se sint mortalia; quænam venialia, unde discerni possint eorum species, & circumstantiæ mutantes speciem, de quibus partim actum est etiam disput. anteced., partim agendum infra.

Quæres primo, An talium scientia sit in Confessario requisita tum ad licite, tum ad valide absolvendum?

Respondeo, Requiri tantum ad licite absolvendum, dummodo sciat formam essentialem absolutionis, quia valor Sacramenti satis habetur, si ponatur a pœnitente materia proxima, & a Confessario forma cum debita intentione; & ad hoc sufficit, si Confessarius sciat formam essentialem, & peccatum sub ratione saltem confusa peccati, ut patet in articulo mortis, in quo quilibet indoctus Sacerdos moribundum valide absolvit: Suar., d. 28. s. 2. n. 12., & alii communiter contra Boss. putantem, invalide absolvere, qui ignorat distinguere inter mortale, & veniale. Si autem sit ita indoctus, ut ne sciat quidem rationem confusam peccati, invalide absolvit, quia non potest habere intentionem absolvendi, quod ne confuse quidem agnoscit: Tamb. c. 6. n. 6. addens, hunc casum esse difficilem, nisi is sit mente læsus.

Quæres secundo, Quanta debeat esse talis scientia in Confessario ad licite ministraodum hoc Sacramentum?

Respondeo, Non requiri scientiam summam; imo hæc aliquando est minus utilis, quam scientia mediocris conjuncta cum naturali judicio, & praxi; quia, qui subtiliter vult omnia revocare ad apices theologiæ, sæpe seipsum, & pœnitentem implicat scrupulis, redditque odiosam Confessionem: Croix n. 1787. Satis ergo est scientia mediocris, qua ita in communi cognoscat, quæ frequenter in Confessionibus occurrunt, ut de aliis minus frequentibus saltem dubitare possit, sicque ea, vel ex libris, vel ex aliis Doctoribus sciscitari possit; quia secus nullus reperiretur aptus ad confessiones, cum nullus fere cognoscat omnes peccatorum rationes, & omnes causas difficiliores: Suar. d. 28. s. 2., Bon., & alii. Addunt etiam communiter Doctores, majorem scientiam requiri in Confessario pro Civitate, quam pro oppido, rure, &c., quia majores, & magis impliciti sunt ibi casus, quam hic; item majorem in Confessario Ecclesiasticorum, quam tantum laicorum, quia ibi requiritur scientia etiam suspensionum, irregularitatum, &c. Cæterum, si Confessarius ipse dubitet, se non habere scientiam suo muneri sufficientem, deponere potest dubium, dum videt se rite approbari ab Ordinario: Bon., Tamb., & alii. Addunt demum Gob. t. 7. n. 321., & alii communiter, Confessarium debere scire plures sententias oppositas, quæ tamen solide sint probabiles, circa materias morales, quia sæpe, ubi non agitur de valore Sacramenti, non potest, nec expedit dirigere pœnitentem secundum unicam sententiam; sicuti nec Medicus potest omnes unica methodo curare. Tenetur autem sequi eas sententias, quæ, salvo valore Sacramenti, sunt utiliores pœnitenti; &, si sic possit, debet sequi probabiliores, ad magis vitandum periculum erroris etiam materialis: quare, si pœnitens sit paratus eas sequi, debet etiam Confessarius; sin minus, poterit se accommodare opinioni illius, juxta dicenda quæst. 4.

Quæres tertio, An peccet pœnitens, qui de industria quærit Confessarium minus doctum?

Respondeo affirmative; quia talis Confessarius nequit ei utiliter mederi: Suar. d. 28. s. 2., Præp., Dian., Tamb., & alii; secus vero, si non de industria; nam præsumere semper debet, omnes Confessarios expositos sufficienter esse doctos: quare, nisi contrarium tibi constet, potes pro libito mutare Confessarium, si forte ob verecundiam nolis confiteri tuo ordinario, dummodo vere doleas, & proponas emendationem; quia uteris jure tuo; adeoque non est fraus ulla, aut dolus malus. Hinc monent communiter Doctores cum Bosc. d. 7. s. 7. n. 172., Confessarios non debere ita arctare pœnitentem, ut sibi tantum confiteatur; hoc enim esset tyrannice sibi usurpare libertatem a Christo omnibus pœnitentibus exhibitam, inquit Sanch.; quare, etsi sit valde expediens semper uni confiteri, tamen relinquenda est talis libertas, ne detur occasio sacrilegii; cum infirmum pœnitentem sæpe pudeat aliquid fateri suo ordinario, ne bonam æstimationem apud eum perdat.

§. II.

Quid de Scientia Actuali?

SCIENTIAM actualem voco, quam habere debet Confessarius hic & nunc ex ipso pœnitente, audiendo ejus confessionem; quæ scientia consistit in attentione ad peccata, quæ affert pœnitens, & in judicio, quod de his ferre debet ipse Confessarius. Hinc

Dico primo: Peccat Confessarius, si audiendo confessio-

sionem non attendat ad peccata pœnitentis: Doctores communiter cum Suar. d. 28. s. 2. Ratio est, quia debet ferre sententiam per modum judicii, adeoque cum cognitione causæ: ergo debet, quantum moraliter fieri potest, ad omnia peccata pœnitentis attendere: uti debet pœnitens omnia, & singula ei dicere: peccat ergo, si eum absolvit, cujus peccata ob negligentiam non satis intellexerit; valide tamen absolvit, si propter somnum, aut aliorum cantum, aut animi distractionem, aliqua mortalia non intellexit; quæ tamen, si pœnitens postea sciat non fuisse tunc audita, tenetur iterum confiteri apud eundem, aut alium Confessarium ad integritatem confessionis servandam: Doctores communiter. Hinc specialiter cavere debet Confessarius, ne inter audiendum dormitet, ne distrahatur, ne omnino obliviscatur peccatorum, antequam injunxerit pœnitentiam. Si autem casu distrahatur, & ob notam sibi conscientiam pœnitentis præsumere possit id, quod non intellexit, esse quid leve, nec possit sine ejus molestia interrogare, potest tacere, & absolvere. Imo addit Gob. t. 7. n. 239., quod, si per experientiam sciat, suum pœnitentem non solere committere mortalia, sed tantum se accusare v. g. de mendaciis, possit illum absolvere, etiamsi ob distractionem non sit memor ullius peccati ab eo expressi: sed pro praxi expedit, ut jubeat repeti unum saltem veniale, puta ultimum, & sic absolvat.

Quæres, Quomodo Confessarius debeat recordari peccatorum pœnitentis, dum eum absolvit?

Respondeo, Si confessio fuerit valde longa, vel interrupta, satis esse, si recordetur, vel peccatorum in confuso, vel status pœnitentis, vel pœnitentiæ impositæ; & sic, si confessio fuerit interrupta per aliquot dies, sufficit, si pœnitens uno verbo dicat, *Accuso me de omnibus, quæ jam dixi* (addendo tamen alia, si forte de novo occurrerint) Ratio est, quia hæc sufficiunt Confessario ad judicium, vel absolutionem ferendam: Suar. d. 22. s. 6. in fine. Imo, si Confessarius pœnitentiam jam imposuerat, non est necesse, quod recordetur peccatorum, aut status pœnitentis, aut pœnitentiæ impositæ, dum actu absolvit; quia status ille recolendus fuerat ad formandum judicium, & taxandam pœnitentiam; ergo satis tunc erit recordari, quod ille fuerit sibi confessus, & judicatus dignus absolutione: Suar. ibidem. Si autem, quando audiebat confessionem, non habebat jurisdictionem, non audiebat ut Judex; ideoque debet repeti confessio saltem in confuso dicendo, *Me accuso de illis, quæ jam tibi dixi*; quia sic Confessarius poterit resumere cognitionem peccatorum, vel status pœnitentis. v. Tamb. l. 3. *Confe.* c. 2.

Dico secundo: Debet Confessarius formare judicium de auditis in confessione, antequam absolvat: non tamen tenetur judicare de singulis peccatis in particulari: Doctores communiter cum Suar. d. 20. s. 2., Bonac., & aliis. Ratio primæ partis est, quia tenetur taxare debitam, ac proportionatam pœnitentiam: ergo debet prius facere judicium de merito causæ. Ratio secundæ partis est, quia multoties nequit ferre judicium determinatum in hoc, vel illud peccatum pœnitentis, an fuerit mortale, an veniale; sive quia pœnitens nequeat se melius explicare; sive quia discerni nequeat, an adfuerit plena advertentia, plenus consensus, &c.; sive demum quia ipse Confessarius ignoret omnes rationes, & circumstantias peccatorum in particulari, ad quod ex dictis non tenetur, sed sufficit, si sciat communiter, quæ sint mortalia, quæ venialia, ut possit debitam pœnitentiam, & remedia prudenter humano modo injungere; sic enim virtualiter fert judicium eo modo, quo ea potuit cognoscere: Bon., Tamb., & alii.

Hinc, si post datam in tali casu absolutionem Confessarius, vel Pœnitens, re melius considerata, advertat, esse veniale, quod absolutum fuit, ut mortale, ad nihil tenetur; si advertat esse mortale, quod absolutum fuit, ut veniale, tunc, si Confessarius poterat illud mortale absolvere, ad nihil etiam tenetur; quia fuit directe absolutum; si vero non poterat absolvere, utpote reservatum, &c., tenetur pœnitens illud iterum confiteri, ut absolvatur directe; ut & Confessarius eum monere de hoc debet, juxta infra dicenda. Cæterum, si pœnitens confitendo afferat casum difficilem, quem Confessarius nequeat hic & nunc resolvere, potest primo Confessarius adjuvari ab ipsomet pœnitente, si is satis pius, & doctus sit, cujus judicio stare possit; præsertim quando casus est de professione, quam pœnitens peritus exercet, ut si sit peritus mercator, poterit Confessarius ei fidem dare dicenti v. g., talem contractum non continere usuram, &c. Secundo, Potest differre absolutionem, donec libros consulat, vel doctiores interroget de casu, tacita persona, quod fit præsertim in casibus pertinentibus ad jus: Tertio, Si agatur de restitutione, satisfactione partis, &c., poterit etiam tunc absolvere, si pœnitens promittat, se facturum quidquid deinde judicatum fuerit: Bonac., & alii.

§. III.

Quid de interrogationibus Pœnitenti a Confessario faciendis?

Dico primo: Confessarius non tenetur interrogare pœnitentem, si sciat, eum bene nosse, quid requiratur ad validam confessionem: Doctores communiter: Ratio est, quia obligatio Confessarii ad interrogandum succedit ad defectum pœnitentis; ergo, &c. Hinc pœnitentes, qui prudenter existimantur docti, ut Religiosi, Sacerdotes, aliique in Theologia versati, non sunt facile interrogandi, nisi manifestum sit omitti, vel non facile discerni aliquod necessarium. Imo, si vir doctus in aliis peccatis addat circumstantias, numerum, &c., & in uno aliquo hæc omittat, præsumi potest, quod in ejus commissione, vel non advertit ad tales circumstantias, vel non apprehenderit ut mortale.

Dico secundo: Confessarius tenetur interrogare pœnitentem, si advertat, eum deficere in integritate confessionis, aut ignorare, quid requiratur ad ejus valorem, &c.: Doctores cum D. Th. contra Med., Sot., Henr., Vasq., & alios putantes, non teneri interrogare eum, qui se examinavit, nisi quando cederet in detrimentum tertii. Ratio communis sententiæ est, quia Confessarius, ut Judex, cognoscere debet causam pœnitentis secundum omnia mortalia, numerum, species, & circumstantias mutantes speciem, quæ pœnitens tenetur ei dicere, ejusque sententiæ submittere: ergo, si advertat pœnitentem in his deficere, tenetur interrogare, etiamsi pœnitens sit Princeps, Imperator; &c. Similiter tenetur interrogare peccata omissionis spectato statu pœnitentis, si advertat, eum ad hæc non animadvertere; & similiter interrogare tenetur, si advertat, eum deficere in dolore, &c., ideoque etiam pœnitentem sæpe lapsum post ultimam confessionem tenetur interrogare de consuetudine præterita, occasione proxima, &c., juxta dicta l. 1. q. 4. Cæterum pro praxi sit hæc regula: Confessarius non tenetur exactius interrogare, quam teneatur pœnitens se examinare. Hinc

Infers primo, Confessarium post moralem diligentiam in interrogando non teneri amplius interrogare, etiamsi putet, quod, si plus interrogaret, plus nosceret, aut distinctius intelligeret tale peccatum; ideoque non expedit minutissimis interrogationibus torquere pœnitentem, sed humano modo, quamvis omittenda sit aliqua differentia, aut numerus alias aperiendus: Tamb., & alii.

Infers secundo, Non teneri, nisi leviter interrogare, si timeat, vel sibi, vel pœnitenti aliquod periculum peccati exactius examinando: quia præceptum integritatis materialis non obligat, si impleri non possit sine periculo, scandalo, aut gravi molestia. Hinc caute procedendum in peccatis præsertim carnalibus, ut non instruat pœnitentem ad peccandum, ut inquit D. Th., ne Confessarius ipse, maxime si juvenis sit, scandalum pariat, vel de seipso suspicionem faciat, ut ait Gob. Quare, si spectatis omnibus prudenter judicet Confessarius interrogandum de peccatis carnalibus, utatur formulis, quod fieri potest, honestis, & primo interroget de verbis: si pœnitens neget, & sit puer, vel puella, plerumque non opus est ulterius procedere. Si affirmet, interroga, quo fine hæc dixerit, &, si fateatur finem pravum, interroga, quid inde fecerit, & sic deinceps procedendo ad opera: si enim non sic interrogentur pueri, sæpe tacebunt. Sæpe etiam homines rudes interrogandi sunt de cogitationibus pravis, quia plerumque putant, quod non sint peccata. At non facile interroges conjuges de debito conjugali: sed, si prudenter suspiceris, quod illud denegent, quæres, an inter se sint unanimes, &, si rei sint, facile erumpent.

Infers tertio, Interrogationem debere esse discretam, spectato statu, sexu, ætate, qualitate, natura, & viribus pœnitentis: ideoque minus interrogandus est æger, quam sanus; ne nimium fatigetur; magis rusticus, quam civis, quia rudiores minus sciunt confiteri; magis qui e longo tempore, quam qui brevi non est confessus; magis qui plura peccata, quam qui pauciora soles afferre, quia hic facilius recordatur. Sæpe etiam ex circumstantiis personæ oritur motivum interrogandi; ut si homo alias innocens dicat, se habuisse delectationem

mo-

morosam, est interrogandus, an voluntariam, an cum plena advertentia; secus vero, si assuetus sit rebus venereis. Denique complicum nomina nullatenus requirat, ne sub prætextu quidem, quod velit, aut possit eis prodesse.

Infers quarto: Pœnitentem rudiorem ordinarie interrogandum, an sciat articulos fidei, quando ultimo sit confessus, an aliquid tunc omiserit, an tunc doluerit, an pœnitentiam expleverit, & an sit ligatus matrimonio: si incidat dubium, an prior Confessarius satis illum examinaverit, præsume satis examinatum, nisi clare deprehendas oppositum, quia præsumi debet officium suum bene explevisse: Gob. t. 7. n. 321. An autem possit Confessarius supplere defectum pœnitentis, qui nihil se examinavit, dictum est d. 1. q. 2. c. 1., ubi id fieri tantum posse diximus, cum pœnitens est ita rudis, ut nequeat seipsum examinare.

Infers demum, Confessarium teneri interrogare pœnitentem tacentem mortale, quod clare commisit, dummodo advertat, tale silentium oriri ex malo examine, aut verecundia. At quid, si ille interrogatus neget? Dico, si Confessarius scit illud peccatum ex aliorum relatione, potest dissimulare, & absolvere, quia in tali casu pœnitentis potius dicto stare tenetur, cum non sit major ratio credendi aliis; si vero ipsemet Confessarius illud vidit; tunc, si non constat, eum scienter, & deliberate peccasse, nec alias confessum fuisse, nec habere causam rationabilem negandi, potest etiam absolvere, quia in dubio quilibet debet præsumi bonus, atque ideo recte dispositus, nisi contrarium clare constet: si vero Confessarius sciat evidenter, quod peccatum commiserit, & quod alias confessus non sit, & quod non habeat rationabilem causam negandi, non potest absolvere, quia tunc constat, absolutionem esse nullam: Suar. d. 31. s. 3., & alii: sed, ut bene Tamb., rarissima est talis evidentia, ideoque regulariter videtur danda absolutio.

CAPUT III.

Quid de obligatione admittendi, & docendi pœnitentem?

VIDENDUM, Quis Confessarius, & Quoties teneatur admittere pœnitentem ad confessionem, ejusque ignorantiam docendo, ac monendo tollere? Sit

§. I.

Quid de Confessario admittente Pœnitentem ad Confessionem?

DIco primo: Parochus, aut alius habens ex officio curam animarum, regulariter tenetur sub gravi admittere subditum ad confessionem toties, quoties subditus vult ei confiteri: Doctores communiter cum Suar. d. 32. s. 1. n. 4. contra Med., Armil., Reginal., & alios paucos. Ratio est, quia Parochus tenetur ex justitia ministrare Sacramenta suis subditis, ideoque dicitur Confessarius ex officio: ergo regulariter toties tenebitur, quoties subditus petierit ei confiteri. Dixi *Regulariter*; nam non peccat, si tunc temporis detineatur gravioribus negotiis, ita ut nequeat illius confessionem excipere; neque, si subditus irrationabiliter petat, aut si non expediat ejus saluti, ut accidit cum scrupulosis, qui sæpius redeunt ob inanes apprehensiones: excusant tamen a mortali Nugnus, & alii Parochum, qui semel, aut iterum deneget confessionem petenti etiam rationabiliter, quod nec improbat Bonac. d. 5. q. 7. p. 4. n. 23., modo sciat, illum non solere confiteri nisi venialia, & importune, & nimis frequenter confiteri velit; quia habenda est etiam ratio aliorum negotiorum, & obligationum, quibus premuntur Parochi, ut notat etiam Suar. Ex qua ratione a fortiori excusatur Episcopus, cum habeat universalius regimen, & quamplura negotia, quibus passim detinetur; ideoque, si petatur a subdito, potest (præcisa gravi necessitate) eum remittere ad Parochum, vel ad alium substitutum, ut audiatur: Bon. ib.

Infers ex dictis, Parochum tempore pestis non posse populum suum deserere, nisi alteri æque idoneo officium suum cum consensu Episcopi committat, aut resignet: Laym., Val., & alii communiter. Si autem tunc sit solus, potest deserere, quem prudenter putat non esse reum mortalis, ut se servet incolumem pro aliis indigentibus confessione; ideoque etiam curare debet, ut ex loco libero, seu aere non infecto eorum confessiones audiat, & tunc pœnitens peste affectus dicere publice potest unum tantum veniale, juxta dicta q. 1. c. 1.

Dico secundo: Reliqui Confessarii, qui non habent ex officio curam animarum, non tenentur admittere ad confessionem pœnitentes, nisi in extrema necessitate; Doctores communiter. Ratio est, quia hi non sunt Confessarii ex officio, sed voluntarii: ergo liberum ipsis est, quos volunt, & quando volunt, ad confessiones admittere; nisi urgeat præceptum charitatis: puta, si peccator moriturus sit, nec adsit Parochus, a quo absolvatur: idemque est, si populus laboret peste, nec adsit Parochus, aliusque Confessarius, in quibus casibus tenetur etiam simplex Sacerdos assistere, quia *Debemus pro fratribus animam ponere*, Joan. Ep. 1. Si autem simplex Confessarius suscipit curam alicujus pœnitentis, quem existimat dignum frequenti communione, & is petat confiteri, quoties communicat, agit saltem contra consilium, si non admittat, inquit Jo: Sanch. d. 31. n. 12., imo etiam contra decretum Inn. XI. *de Communione quotidiana*, inquit Croix l. 6. p. 1. n. 670.

§. II.

Quid de Confessario Pœnitentem docente?

SI Confessarius advertat pœnitentem ignorare mysteria necessaria fidei, tenetur ante omnia eum docere, vel absque absolutione remittere ad Parochum, ut addiscat, juxta dicenda q. 4. Si advertat, eum ob ignorantiam, sive culpabilem, sive inculpabilem accedere indispositum, tenetur ante omnia docere, ac disponere, quia tunc proprie debet agere munus Doctoris. Cæterum homines bene educati, & qui frequenter confitentur, prudenter supponuntur scire hæc omnia; ubi tamen esset prudens ratio dubitandi, tenetur Confessarius docere. Difficultas est, quando pœnitens accedit cum ignorantia inculpabili circa tale, vel tale peccatum, vel circa obligationes inde sequentes? Qua in re

Dico primo: Si talis ignorantia est contra pœnitentem, tenetur Confessarius eum docere: Sanch. l. 2. *Matrim.* d. 38. n. 5., Tamb., Franc., & alii communiter. Ratio est, quia secus maximum pœnitenti damnum enasceretur: v. g. si Confessarius advertat, pœnitentem putare aliquid, quod aliquando fecit, esse peccatum, quod in se tale non est; vel esse mortale, quod tantum est veniale, debet dedocere talem errorem, ne ob conscientiam erroneam pergat sic peccare.

Dico secundo: Si ignorantia inculpabilis sit in favorem pœnitentis, per se loquendo, tenetur etiam Confessarius eum docere: Sanch. loc. cit., & alii communiter. Ratio est, quia tenetur Confessarius, per se loquendo, cavere peccata etiam materialia pœnitentis: v. g. si is putet, aliquod non esse peccatum, quod in se peccatum est; & sic speciatim est docendus, qui laborat ignorantia turpitudinis, quæ reperitur in mollitie, si eam committat; nam vix est in hoc ignorantia invincibilis: &, quamvis esset, tamen prudenter judicari potest, admonitionem profuturam: adde quod ignari hujus malitiæ facile alios seducunt, aut pessimum habitum inducunt, quem postea difficile emendant. Dixi, *Per se loquendo*; nam per accidens aliquando præstat tacere, si nimirum prævideas, pœnitentem, ignorantia ablata, satis difficulter emendandum; quia minus malum est millies peccare materialiter, quam semel formaliter: Suar., Vasq., Sanch., Con., & alii plusquam 48. Doctores apud Dian. p. 3. t. 4. r. 80. contra Gonzal., Elizald., aliosque probabilioristas. Neque dicas, talem non esse dispositum, cum non sit paratus implere omnem Dei legem; nam ratione ignorantiæ invincibilis est pro nunc rite dispositus, & paratus implere omnem Dei legem, quam cognoscit, & aliunde nulla est necessitas explicandi aliam legem, quam prævidetur difficillime observaturus: hinc D. August. citatus cap. *Si quis autem, de Pœnitent. d. 7.* ait, *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, te non terrerem.*

Hinc, si Confessarius prudenter judicet, pœnitentem ignorantem invaliditatem sui matrimonii adhuc remansurum in eo, si aperiat impedimentum, expedit non aperire, nisi interrogetur, nec sit in promptu dispensatio, ex dicendis de Matr.; idque verum est, etiamsi pœnitens sciat, se contraxisse illicite, non autem invalide: Tamb., & alii. Similiter, si prævideat confessarius, pœnitentem non restituturum, si ei aperiat obligationem, quam habet, sed ignorat, neque expedit aperire, si non interrogetur, etiamsi id sit in præjudicium tertii; quia frustra erit talis admonitio, & nocens

po-

potius pœnitenti: Sauch. n. 7., Tamb., & alii. Addit Lug. d. 22. s. 2. n. 30., hæc procedere, etiamsi putares quidem, pœnitentem suscepturum admonitionem, sed tameu remedium esse difficillimum ratione infamiæ, scandali, &c., quia majus est tale damnum, quam peccatum materiale: & similiter, si putares, pœnitentem nunc difficile accepturum remedium, sed alia vice melius accepturum, poteris nunc eum relictum in bona fide absolvere. At, si nesciat, vel dubitet, an sua admonitio profutura sit pœnitenti, an damnum allatura; tunc comparanda est usilitas, quæ sub eo dubio speratur, & damnum, quod sub dubio timetur; atque illud fiat, quod magis præponderare in Domino judicabitue: Tamb., & alii.

Dico tertio: Si pœnitens prudenter dubitans interroget Confessarium de re aliqua, an sit peccatum, vel an ad aliquid obligetur, necne; per se loquendo, tenetue Confessarius aperire vetitatem: Sanch., & alii communiter. Ratio est, quia, si tunc taceret, illud sileutium esset erroris appeohatio, quod nunquam licet. Dixi primo, *Prudenter dubitans*, nam, si sit merus scrupulus sine fundamento, posset non responderi, quia non sullitur bona fides, ut explicat Sanch. n. 5t. Dixi secundo, *Per se loquendo*, quia, si veritas esset pœuirenti, vel aliis geavius ubfutuea, adhuc posset Confessarius dissimulare, quasi non audivisset, aut oblitus esset respondere; quia tunc dicere veritatem esset gladium illi porrigere, quo se, vel alium formaliter jugularet: Lug. Apud Arr., Tann., Dicast., & alii. Ad quid autem seneatur Confessarius, si, eum deberet, non admonuit pœnitentem de restirutione facienda, vide in de Restit. dicta d. 1. q. 5. c. 6. qoæsit. 2.

CAPUT IV.

Quid de obligatione monendi Pœnitentem ad denunciationem?

IN multis tenetue Confessarius mouere pœnitentem ad denunciandum, & primo in impedimentis dirimentibus matrimonium, juxta dicenda in de Matrim. Secundo, In monitoriis contra scientes, & non revelantes, juxta dicenda iu de Censuris: Tertio, In delictis pendentibus iu damnum tertii, communitatis, aut innocentium, juxta dicta in de Charitate proximi tract. 1. d. 2. q. 1. e. 2. §. 6. Quarto, Præcipue monere debet de obligatione, quam habet pœnitens sub pœna excommunicatiouis ipso facto reservatæ Papæ, si intra 12. dies (nunc intra mensem ex decr. Congr. Generalis Inquisit. 5677.) a scientia delicti non denunciet hæreticos (modo non sint publice tolerati, etsi commixtim vivant eum Catholicis) vel quomodolibet suspectos de hæresi, ex præcepto Inqnisit. Generalis Cardin. ann. 1623. Quinam autem sint hujusmodi suspecti de hæresi, fuse habes tr. 2. d. 1. q. 1. e. 2. §. 4. *de Suspectis de hæresi*, ubi etiam eirca finem habes, quid de libris tantum coutra bonos muret? Porro de libris hæreticorum rucurret fusior seemo q. seq. in Append., ubi de casibus eeservatis in Bul. Cœn. Jam vero de Cousessariis sollicitantibus, proindeque denunciandis, quoniam hic proprie locus, idcirco de iis hic fusius agam. Igitur obligatio denunciandi Confessarios sollicitantes habetur ex Constitutionibus Pauli IV., Pii IV., Pauli V., & Greg. XV., sed quoniam Bulla Greg. XV. præcipua est in præsenti matceia regula, ac norma, idcirco ejus præcipue verba hic teferemus, & explicabimus.

Itaque Bulla Greg. XV., quæ incipit *Uuiversi Dominici geegis*, edita an. 1621. sic habet: *Statuimus, &c., quod omnes, & singuli Sacerdotes, tam Seculares, quam Regulares cujuscumque dignitatis, &c., qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet pertractanda in actu sacramentalis confessionis, sive aute, vel post immediate, sive occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa Sacramentalis confessione non sequuta, sive extra occasionem confessionis iu confessionario, aut loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & iuhonestos sermones, sive tractatus habuerint, iu Officio Sanctæ Inquisitionis severissime puniantur, &c. mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis. Quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra; iidem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant, &c.*

* Præfatam Greg. Constitutionem nuperrime confirmavit Ben. XIV. in Bulla edita ann. 1741., quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*, ubi declaeat, sollicitantem esse denunciandum, *Etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & Pœniteutem mutua fuerit, sive sollicitanti pœnitens conseaserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit.* * Venio jam ad explauationem Bullæ Greg. XV.

I. *Omnes, & singuli Sacerdotes, &c.* Est ergo denunciandus etiam simplex Sacerdos sollicitans: Pal. tr. 4. d. 9. p. 9., & alii communiter contra Bordon, & Leand. * quorum seutentia nullo modo censenda est probabilis, præsertim, post laudatam Ben. XIV. Declarationem * Non autem, si Confessarius sollicitans sit Episcopus, vel Nuncius, vel Legatus, vel Officialis Sedis Apostolicæ, quia hi uon sunt subjecti Inquisitoribus: Pal. n. 2., & alii. Neque, qui fingens, se esse Sacerdotem, sollicitet, audiendo confessionem: Pal. p. 9. n. 5., & alii communiter: si autem hic etiam absolvat, etiamsi non sollicitet, est denunciandus, utpote ficte ministrans Sacramentum ex Constit. Greg. XIII. Neque demum est denunciandus interpres, licet sit Sacerdos, si pœnitentem ita in confessione sollicitet, quia potius se senet ex parte pœnitentis, ut nec denunciandus est ipse pœnitens sollicitans Confessarium. Pal., & alii.

II. *Personas, quæcumque illæ sint.* Hoc est, sive mares sint, sive feminæ; imo, etiamsi sint pueri, vel puellæ rationis expertes; solent enim parentes filios suos noudum rationis capaces Confessariis præsentare, ut eos paulatim ad hoc Sacramentum alliciant; unde, si Confessarius aliquem ex ipsis sollicitet, est denunciandus: Potest. t. 2. p. 3. c. 3.

III. *Ad inhonesta, &c.* Si Confessarius sollicitet ad furtum, homicidium, aut aliud gravius crimen, quamvis mortaliter peccet, non est denunciandus, sed tantum, si sollicitet ad res venereas, quod habetur, quomodolibet turpitee agat, tangat, loquatur, vel provocet ad obscœna, sive secum, sive cum aliis, sive etiam, ut mediet pro se, vel pro aliis, & probabilius, etiamsi turpiter tangat feminam iuter confitendum somno, aut gravi morbo correptam; quia sic etiam teutat provocare: Bonac., Graff., & alii contra Jo: Sanch., aliosque. Imo, licet tantum tradat chartam continentem ubscænа postea legendam, ut constat ex prop. 6. damnata ab Alex. VII. *Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non ceusetur sollicitasse in confessioue, ac proinde non est denunciandus.* Imo, etiamsi famulo hujusmodi chartam det alteri tradendam, quia in confessione ponit medium aptum ad sollicitationem. Denique, si inhonestos sermoues, vel tractatus habeat, etiam sine animo provocandi pœnitentem ad turpia. Si autem actus externus sollicitatiouis sit de se venialis, ut si manum, vel pedem feminæ tangat, laudet de pulchritudine, &c., Pal., & alii apud Dian. putant, non esse denunciandum, dummodo pœnitens intelligat, Confessarium non habere animum progrediendi ulterius. Sed communiter contradicunt alii apud eundem Dian., quia, quamvis hæc extea Sacramentum forent venialia; tamen sunt mortalia, si fiant tempore confessionis, ob gravem injuriam irrogatam Sacramento: sicuti parum cibi relate ad jejunium pævium communioni. Hinc Peyrin., & alii apud eundem Dian. docent, esse denunciandum, etiamsi sollicitatio fiat verbis ambiguis, & obscuris: nisi tamen constet, vel rationabiliter præsumatur, hæc prolata esse absque animo sollicitandi. In dubio autem de hac prava intentione, Bonac., Sanctarel., & alii dicunt, ita esse præsumendum, ex communiter contingentibus: addit tamen, oppositum a nonnullis Doctoribus existimari, quia in dubiis, & obscuris benignioe interpretatio est facienda: *Reg. Juris in 6.*

IV. *In actu Sacramentalis, &c.* Sex hic designantur casus sollicitationis denunciandæ: Primo, Si fiat *In actu Sacramentalis confessionis*; non ergo est denuncianda sollicitatio facta in administratione aliorum Sacramentorum: Castropal., & alii: Secundo, Si fiat *Immediate ante, vel post confessionem*, itaut inter hanc, & sollicitationem nihil aliud mediet, quo se uterque diverterit; unde, si extra Confessionale impudice loquantur sine ulla intentione prævia confessionis, & postea pœnitens tactus conscientia confessionem postulet, non tenetur denunciare, quia per accidens sequuta est confessio. Similiter, si

post

post absolutionem alio externe divertant, & confessarius postea sollicitet extra confessionale, non videtur denunciandus: Pal., Jo: Sanc. Ægyd. Tertio, *Occasione confessionis*, nimirum petitæ, vel factæ, ut si hodie vocatus ad audiendam cras confessionem, cras accedat, & nullo facto verbo de confessione sollicitet; vel si post auditam hodie confessionem, & peccatum venereum pœnitentis, cras ad id eum sollicitet: Doctores communiter; vel si pœnitens dicat Confessario, velle cras confiteri, & is statim sollicitet; sumit enim occasionem ex petitione confessionis: Potestà, & alii contra Leand. Quarto, *Prætextu confessionis*, hoc est, ejus ficto colore, ac velamine, ut si Confessarius ficte invitet ad confessionem, & accedentem ad Ecclesiam sollicitet, nullo sequuto verbo de confessione: Bord., & alii; vel si mulier ex condicto vocet domum suam Confessarium, fingens, se velle confiteri, & pariter sequantur obscœna: Potestà, & alii communiter: Quinto, *In Confessionali*, quod scilicet construi solet ex tabulis ligneis cum lamina perforata, & collocatur in Ecclesia, Sacristia, Aula &c. unice ad audiendas confessiones; in hoc ergo Confessarius sedens, si turpiter loquatur cum quavis persona stante, aut sedente ante illud, est denonciandus, etsi nulla adsit intentio, occasio, prætextus, aut simulatio confessionis: Potestà, & alii contra Leand., requirentem simulationem confessionis. Sexto, *In loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur*, quale est genuflexorium in Sacristiis pro præparatione Sacerdotum, & gratiarum actione, ubi etiam confessiones audiri solent: *seu ad confessionem audiendam electo*, scilicet hic & nunc ex placito Confessarii, ut scamnum, domus &c. Atque in his locis pro denunciando sollicitante requiritur simulatio confessionis; additur enim in Bulla *Simulantes ibidem confessiones audire*.

V. *Mandantes omnibus Confessoriis*, &c. Ex quibus verbis eruitur, teneri Confessarios sub gravi monere pœnitentem ab alio sollicitatum de denunciatione facienda; itaut, si culpabiliter non moneat, aut positive deobliget, puniri possit ab Ordinariis locorum, & ab Inquisitoribus, & incurrat etiam excommunicationem reservatam, aliasque pœnas latas contra non monentes, aut deobligantes a denunciando hæreticos, vel quomodolibet suspectos de hæresi: Potestà, & alii ex Bulla Alexand. VII. *Licet alias*, an. 1660. confirmante ampliativè Bullam Pauli V. *Romanus*, an. 1606. Quod si Confessarius sit idem, qui sollicitavit; tunc, si potest seipsum deferre ad Inquisitores, vel Ordinarium, antequam denuncietur a pœnitente, tenetur monere pœnitentem de denunciatione facienda, quia sic sibi non nocet, cum omnem pœnam declinet: si autem id facere nequeat, non tenetur monere contra se; pœnitens tamen non declinabit obligationem suam, ut mox dicam.

VI. *De Obligatione*, &c. Obligatio denunciandi Confessarium sollicitantem urget personam sollicitatam, seu mas sit, seu femina. Item eum, qui talem sollicitationem vidit, aut propriis auribus audivit. Item eum, qui scit auditu immediato ex dicto ipsius sollicitantis, aut personæ sollicitatæ, dummodo sit fide digna; idque, etiamsi ab his sciverit sub secreto naturali, & jurato: nisi vero secretum sit ex consilio petito, cum consilium inductum in favorem non sit retorquendum in detrimentum: Potestà, & alii. Qui autem scit audito mediato, nempe a tertia persona etiam fide digna, excusatur a denonciando a Bordon. quia *l. 2., ff. de Aqu. pluv.* de auditu mediato dicitur: *Quod audis, nescire diceris*. Sed non excusatur a Bon., Potest., & aliis, quia dat viam inquirendi in causa Fidei, & hoc colligitur ex edicto Inquisitionis universalis, ubi habetur, *Qui scierit, vel audierit*.

Quæres primo, Cui fieri debeat hujusmodi denunciatio?

Respondeo, Debere fieri judicialiter Tribunali S. Officii, ubi est, vel Ordinario loci ex hac ipsa const. Greg. XV., & quidem nulla præmissa correctione fraterna, utpote in causa Fidei ex citata Bull. Alex. VII. *Licet alias*; quidquid olim docuerint Doctores. Fieri autem debet, ubi non est Tribunal S. Officii, intra ix. dies a scientia delicti sub pœna excommunicationis latæ sententiæ reservata Papæ ex præcepto Inquisit. universalis an. 1623., sed nunc satis est, si fiat intra mensem ex decreto Inquisitionis Generalis an. 1677. Si autem pœnitens obligatus ad denunciandum ante dictum tempus petat confessionem, absolvi poterit, modo sit timoratæ conscientiæ, & promittat, se ante præstitutum tempus denunciaturum, quia sic satis est dispositus ad Sacramentum: Bordon., & alii. Si vero ob denunciationem tempore præfinito omissam incidit jam in excommunicationem, Dian. contra Lucium ait, nec posse absolvi ab habente privilegium in casus papales, nisi prius denunciet, quia satisfaciendum est parti in causa spectante ad Fidem.

Quæres secundo, Quinam sollicitantes excusentur ab hac obligatione denunciandi?

Respondeo primo, Non excusari sollicitatum a denunciatione per hoc, quod confiteatur eum sollicitante, & hic eum absolvat absque onere denunciandi, ut constat ex prop. 7. ab Alex. VII. damnata: *Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest illum absolvere absque onere denunciandi*. Ratio est, quia onus denunciandi imponitur pœnitenti sollicitato a Pontifice, non a Confessario, qui tantum illud declarat: ergo, licet Confessarius id non faciat, adhuc tenetur pœnitens ad denunciationem. Neque excusatur, si sollicitationem probare non possit, ut docent communissime contra nonnullos apud Mendo. Ratio desumitur tum ex praxi inquisitionis, tum ex verbis hujus constitutionis, *Testibus etiam singularibus*. Similiter non excusatur, si femina sollicitata sit complex, seu sollicitationi consenserit: ita contra Portell., Simanch., Pegna, & alios apud Dian. docent communius cæteri cum Bonac., Avegn., Sanctarel., Dian., & patet ex quadam epistola nomine Urbani VIII. ad Archiepiscopum Mediolanensem missa an. 1624. apud eundem Dian., & alia missa ad Archiepiscopum Neapolitanum Caracciolo 27. Sept. 1614. * & præcipue ex supracitata declaratione Bened. XIV. * Esto non debeat talis femina suum consensum prodere, nec de eo interrogari, nec in actis Curiæ scribi, etiamsi a complice Confessario manifestaretur; idemque est, si ipsa prior sollicitaverit, & Confessarios etiam minis coactus consenserit, quia jam habetur tractatus de rebus obscœnis: secus vero, si Confessarius eam repulerit, ut patet. Probabilius nec excusatur, si constet, Confessarium esse emendatum, ut contra Sot., Peyr., Lez., Pal. docent Suar., Bonac., Dian., Potest., & alii, quia finis denunciationis etiam in suspectis de hæresi est punitio delinquentis ad aliorum exemplum: * Accedit, quod Bened. XIV. declaravit, denunciationem esse faciendam, etiamsi longum tempus post sollicitationem effluxerit. *

Respondeo Secundo, Sollicitatum excusari a denunciatione facienda ob impotentiam physicam, vel moralem. Hinc, si ob ægritudinem, vel clausuram, aliudve impedimentum non possit personaliter accedere ad Judicem, ad id non tenetur; sed in hoc casu, quamquam Sanch., Henr., Azor., & alii dicant, non teneri pœnitentem ad denunciandum per literas, quia hæ amitti possunt, neque per internuncium, quia apud hunc infamaret Confessarium: tamen absolute dicendum, quod, qui non potest personaliter accedere ad denunciandum, monere debet Judicem per internuncium, ut mittat domum Notarium, & aptior Nuncius esse potest aliquis Confessarius, cui etiam Judex committere potest, ut recipiat denunciationem in scriptis cum juramento, & subscriptione denunciantis ex Decr. S. Congreg. jussu Urb. VIII. an. 1624. apud Bordon. Ratio est, quia sumus in causa spectante ad bonum publicum. Quod si pœnitens, neque per internuncium denunciare possit, Tamb. & alii dicunt, Confessarium non teneri vices pœnitentis supplere, quia onus denunciandi non est Confessarii, sed pœnitentis; sed oppositum eruitur ex citata Epistola ad Archiep. Mediolanen., & ratio est, quia agitur de causa Fidei. Neque tenetur pœnitens denunciare, si ex denunciatione immineat damnum notabile, puta jactura famæ, honoris, vitæ, aut magnæ partis bonorum sibi, vel suis consanguineis, & affinibus, quia sollicitans non est hæreticus formalis, sed suspectus de hæresi, ideoque præceptum denunciationis non obligat cum tanto onere: Lezan., & alii ap. Dian., qui idem docent, si Confessarius sollicitans sit consanguineus personæ sollicitatæ, quia damnum illius censetur damnum proprium, quod extendunt aliqui ad quartum gradum, sed nimis laxe, alii etiam ad vinculum arctissimum amicitiæ, sed laxissime: excusatur pariter, si sollicitator sit mortuus: Potest., & alii. Si persona sollicitata denunciavit, excusatur, qui ab ea audivit, quia nihil adderet: secus vero, si fuerit testis oculatus, aut auritus, aut si audierit ab ipso sollicitante: nisi vero iste seipsum detulerit apud Judicem.

Si femina sollicitata, eo quod sollicitationi consenserit, non possit induci ad denunciandum, videndum primo, an possit opinionibus benignis (vere tamen, ac solide probabilibus) liberari. Si non potest, Sacra Congregatio Inquisitionis annuente Pontifice decrevit in

su-

supracit. Epist. ad Archiepisc. Mediolan. ut Episcopus, vel Inquisitor tribuat Confessario facultatem accipiendi denunciationem in scriptis, & sub juramento, quam statim deferat ad Judicem competentem. At, si neque ad id possit pœnitens induci, voluit Pontifex, ut ad S. Sedem recurratur pro opportuno remedio, & interim non absolvatur pœnitens, utpote indispositus, & aliquando S. Sedes rescripsit, dando facultatem absolvendi pro ea vice pœnitentem citra onus denunciandi, quod fatebatur subire non posse prætextu magnæ verecundiæ, & panici cujusdam timoris.

VII. *Quod si hoc Officium*, &c. Ex his verbis eruitur, Confessarium, qui non monet pœnitentem de obligatione denunciandi, & sic eum absolvit, esse & ipsum denunciandum, ut suspectum de Fide. De obligatione autem denunciandi Confessarium non monentem eodem modo discurrendum, ac supra dictum est de obligatione denunciandi Confessarium sollicitantem.

* Illud denique hic adverte, quod ex Decreto Bened. XIV. die 5. Aug. 1745. Sacerdotes, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel illius occasione, aut prætextu ad turpia sollicitantes perpetuam inhabilitationem incurrunt ad Sacrificii Missæ celebrationem. Eandem pœnam ex eod. decr. incurrunt Sacerdotes abutentes Sacrificio Missæ ad sortilegia. *

CAPUT V.

De reliquis obligationibus Confessarii monendi Pœnitentem, & præsertim quoad Ecclesiasticam sepulturam eligendam.

CONFESSARIUS imponere debet pœnitentiam sub præcepto, juxta dicta d. 1. q. 5. Supersunt exponendæ quatuor aliæ obligationes, quas hic quatuor numeris expendemus.

I. Confessarius in mortis articulo, vel periculo (vel etiam in impedimento perpetuo, juxta dicenda q. sequ.) absolvere potest pœnitentem ab omnibus casibus reservatis, & a qualibet etiam excommunicatione, juxta dicta q. 1. c. 1. ubi etiam dictum est, absolutionem a casibus reservatis, quibus non est adnexa excommunicatio, tunc impendi sine ullo onere pœnitentis; a casibus vero, quibus adnexa est excommunicatio reservata, impendi cum onere, ac reincidentia. Hinc, in percussione Clerici ex cap. *Ex tenore*, *de Sent. Excom.* & in omnibus casibus Bull. Cœn. ex clausul. 20. injungere debet Confessarios pœnitenti juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, idest, quod iterum talia pœnitens non sit commissurus; quod tamen Pelliz. & Dian. p. 5. t. 9. r. 23. dicunt, non esse ex necessitate sub mortali, quando absolutio datur in foro occulto conscientiæ. Rursus in casibus Bull. Cœn. aliud juramentum injungere debet, nempe de satisfacienda parte, si, quæ læsa fuit, nondum remisisse appareat, ex eadem clausul. 20. Addunt tamen Pelliz. & Dian. p. 2. t. 16. r. 42. quod, quando absolutio est in foro conscientiæ, & pœnitens non potest satisfacere parti, nec est imponendum tale juramentum, sed sufficit simplex propositum, ut in cæteris obligationibus: v. Sanch. l. 1. *Decal.* c. 13. n. 57. Denique in omnibus excommunicationibus reservatis aliud juramentum est exposcendum, quod scilicet pœnitens, propter impedimentum diuturnum ab ea absolutus a non habente alias facultatem, comparere debeat, si convalescat, quamprimum coram Superiore sub pœna reincidentiæ in eandem excommunicationem, a qua fuerat absolutus, ex cap. *Eos, qui*, *de Sent. Exc. in 6.* Addit tamen Tamb. l. 3. *Conf.* c. 6. n. 4. juramentum hoc de comparendo probabilius imponendum esse in sola percussione Clerici; cum in aliis excommunicationibus nullo jure caveatur; ideoque tantum exposcendum erit onus comparendi; & Bordon. tr. 3. contr. 27. n. 20. putat, onus comparendi adesse solum, quando quis absolvitur ab excommunicatione deducta ad forum contentiosum, cui consentit Avil. esto oppositum sentiat Pal. Cæterum, ab impubere ejusmodi juramenta non sunt exposcenda; quia non præsumitur pollere usu rationis, ut juramentum pro dignitate præstet: Sanch. l. 2. *Decal.* c. 53. n. 26. Bonac. & alii. Neque quando judicatur, ea juramenta, aut onera impleri non posse, v. g. quando pœnitens sit brevi moriturus, vel impedimentum fore perpetuum, quia frustra imponerentur: Pal. Tamb. & alii.

II. Confessarius magi, aut veneficæ, &c. monere debet eos teneri: Primo, Pactum expressum, si quod habent cum dæmone, aut commercium, abjurare, & dissolvere: Secundo, Libros suos, schedas, ligaturas, aliaque instrumenta artis comburere: præstat ea tradere Confessario ad comburendum; uti etiam chirographum, si quod habent: si vero solus dæmon id habeat, non necessario cogendus est, ut reddat; quia pactum sufficienter dissolvitur per pœnitentiam: Tertio, Damna illata resarcire; ad quod proinde tenentur etiam hæredes, si ad eos bona deveniant; & similiter fiscus, ubi veneficorum bona confiscantur: Laym. Suar. Sanch. Fil. Bosemb. l. 3. t. 1. Denique energumenum, etsi propter peccata prius commissa obsideatur a dæmone, absolvere potest vere pœnitentem; item potest aliquos exorcismos exhibere ante ejus confessiones, si expertus sit solere tunc a dæmone turbari; ex officio autem confessarius non exorcizet sine præscientia Superioris, sed regulariter remittat ad Parochum, cui id munus incumbit: Gob. t. 8. n. 69.

III. Confessarius Rei, si hic teneatur crimen etiam capitale fateri Judici hic & nunc legitime interroganti, suadere, imo & obligare potest, ut fateatur; nec ideo fit irregularis: Vasq. Turr. Lug. Avers. & alii. Dixi, *Si teneatur*, &c. nam communior sententia cum D. Th. est, teneri; probabile tamen est, etiam non teneri saltem sub mortali fateri suum crimen, modo crimen sit capitale, Judici etiam legitime interroganti, & simul sit spes evadendi, & nullum grave damnum Reipublicæ timeatur, Sylv. Sa, Less. Tann. cum Lug. dicente esse sententiam valde probabilem, & in praxi tutam; quia inhumanum videtur, ut, qui convinci non potest, teneatur præbere arma contra se, quibus occidatur, aut gravem pœnam v. g. perpetui carceris subeat. Ideoque non semper opus est, ut Confessarius Reum urgeat ad crimen Judici fatendum.

Hinc, si per testimonia convictus neget Judici suum crimen, quamvis Suar. & Sanch. nolint, absolvi; tamen Hurt. & Portel. volunt, absolvi; quod, si etiam neget Confessario, Avers. dicit, absolvendum, si saltem dubie præsumi possit non fecisse, quia hic potius credendum est Reo.

At, si ad vitanda tormenta falsum sibi crimen imposuit, non tenetur postea crimen revocare, quamvis antea perjurio confirmasset; quia non peccavit mortaliter ratione mendacii, cum non sit mentitus perniciose: Less. Lug. & alii; peccavit quidem ratione perjurii, sed hoc jam transiit; & sic non retractando nemini facit injuriam, ideoque sufficit coram Deo pœnitere: Taon. Less. Excipe, nisi inde grave damnum aliis sequeretur; Doctores cit.

Demum, si Reus coactus denunciavit alium innocentem, tenetur sub mortali ante suam condemnationem, &, si tunc non fecit, etiam post sententiam revocare; ad quod etiam a Confessario est obligandus: Tol. Less. Tann. & alii communiter; excipe, nisi tunc revocatio esset inutilis. At, si Reus sciat complices, tenetur revelare etiam non rogatus, si crimen sit exceptum, puta hæresis; &, si nolit, non est absolvendus: Nav. & alii. Si vero crimen non sit exceptum, & sit occultum, itaut nec aliis indiciis, aut testimoniis convinci possit, non tenetur; imo nec potest eos revelare; si tamen vi tormentorum coactus prodat, ordinarie non peccabit: Less. Laym.

IV. Demum, Confessarius moribundi monere eum potest de testamento, cui tamen ipse non assistat; tum etiam de electione sepulturæ, de qua, quoniam alibi non est locus agendi, aliqua hic breviter explicabo. Quilibet utriusque sexus (exceptis tantum Religiosis, & Impuberibus) etiamsi sit Uxor, Filiusfamilias, Clericus, Novitius, aut Servus, potest sibi eligere sepulturam in quavis Ecclesia, sive Seculari, sive Regulari, sive propinqua, sive remota, sive etiam in claustro, aut sacristia: Doctores communiter ex tit. *de Sepult.* solum enim prohibetur, ne ullus intra Monasteria Monialium sepeliatur: bene vero intra Ecclesiam exteriorem, ut addit Pelliz. *de Regul.* tr. 8. c. 5. n. 174. Denique, qui potest eligere, juxta communem sententiam potest etiam committere alteri, ut pro se eligat; hic vero id potest etiam post ejus mortem, quia ejus mandatum, cum debeat habere effectum post ejus mortem, non expirat, sed ex ejus intentione extenditur: Spial. Gutt. Pasqu. & alii contra Gen. & alios. Non potest Parochus impedire electionem, dummodo ei detur quarta pars funeralium secundum consuetudinem suæ Parochiæ; quod si quis plus petat, eo quod quis sepeliatur apud Regulares, peccat, & excommunicatur per Clement. & Urban. VIII. Pignat. tom. 4. consult. 208. & econtra peccant, & excommunicantur excommunicatione reservata Religiosi, & Clerici seculares, qui aliquem inducunt ad vovendum, jurandum, vel

fide

fide interposita, seu alias ad promittendum, ut eligat sepulturam apud eorum Ecclesiam, vel ut non immutet eam electam: Clem. *Cupientes*, §. *fin. de Pœnit.* & talis electio est nulla, & per ipsam annullatur etiam alia electio libere ab eo facta, aut facienda, ex c. *Animarum*, *de Sepult. in 6.* Si autem ad id hortentur adhibitis etiam precibus non incurrunt, dummodo non obligent: Suar. Rodr. Nav. Portel. & alii contra Gloss. neque si obligent ad eligendam sepulturam in Ecclesia alterius: Rodr. Tol. & alii, nisi fiat cum fraude, nempe ad instantiam alterius: Doctores cit. neque si obligent ad eligendam sepulturam in Ecclesia, in qua de jure debet sepeliri, quia est in favorem Ecclesiæ, cui de jure: Rodr. & , quamvis in hoc opponantur Portel. & Pasq. dicunt tamen esse validam electionem.

Dum quis ex electione, sive ex jure, sepelitur in Ecclesia Regularium, Pignat. t.3. consult.48. late probat, Parochum non tantum posse prosequi, sed etiam cum Cruce, Superpelliceo, & Stola adstare funeri in eorum Ecclesia: attamen officium sepulturæ peragendum esse a Regularibus: quod si in Ecclesiis Regularium, vel quibuscumque aliis funeralia non peragantur, his non competit pars ulla funeralium, sed soli Parochiæ: Pignat. t. 6. conf. 88. Possunt etiam Regulares concordare cum Parocho, ut hic officium illud peragat in eorum Ecclesia: t. 3. conf. 30. sed Parochus non potest petere quartam partem, si quis sepeliatur apud Regulares ab eo contra privilegiatos, si apud eos fiant etiam funeralia: t. 9. conf. 145. & econtra Regulares non possunt cum stola funus apud se sepeliendum prosequi, quia stola denotat jurisdictionem externam, quam ad hoc non habent, nisi deleget Parochus: t. 5. conf. 54. Statutum etiam est a S. Congr. ut in funeralibus una tantum Crux deferatur, non Regularium, sed solius Parochiæ, vel certe solius Capituli Cathedralis, si hoc comitetur, nisi alia alicubi sit consuetudo: t. 6. conf. 59. Pleraque alia v. t. 8. conf. 73.

Dubitatur, An peccetur, si cadaver occulte transferatur de uno loco in alium, non persoluta quarta funeralium illis Parochis, per quorum Parochias transit? Pelliz. tr. 8. c. 5. n. 177. negat, quia usus etiam timoratorum habet, ut ex eo sibi non faciant scrupulum; unde talis lex non censetur habere locum in foro conscientiæ; ex Decl. tamen S. Congr. 1604. nullus Regularis invito Parocho potest efferre funus per Parochiam.

Electio sepulturæ probari potest etiam per duos testes singulares, quia in eo, quod principaliter probant, evadunt contestes: Gloss. & alii communiter: imo etiam per dictum solius Confessarii, ex praxi Cur. Neap. Sufficit etiam simplex scriptura manu propria subscripta, quæ æquivalet voci ipsius defuncti: Pasqual. & alii: imo etiam codicillus invalidus quoad jus civile, validus tamen quoad jus canonicum in ordine ad pias causas; si autem neque quoad hoc sit validus, si per testes probari potest, quod in eo voluerit declarare suam voluntatem, sufficit etiam pro foro externo; sin minus, sufficit tantum pro foro interno: Pasqual. & alii.

Impubes ob consilii imbecillitatem non potest sibi eligere sepulturam, ex cap. *Licet*, *de Sepult. in 6.* nisi malitia suppleat ætatem, ut addit Sperell. decis. 89. Ubi vero est consuetudo legitime præscripta, potest ei eligere pater, ex text. cit. etiamsi filius sit naturalis, spurius, aut adoptatus: Pignat. t. 4. conf. 208. quod t. 7. conf. 21. intelligit, vivente adhuc, non autem mortuo filio; sed Nav. ait, etiam hoc mortuo, quia textus universaliter ait, *Pater minores filios potest*, *quo voluerit*, *loco sepelire*; si autem post electionem patris filius evadat pubes, non valet, nisi hic ratificet: Nav. Sperel. & alii communiter. Eadem dicunt Sperel. & alii communiter de matre, ubi est consuetudo; negant tamen Genuens. & Ricc. in Prax. Neapol. Eadem de tutore, & consanguineo, qui succedat patri in cura impuberis, dicit Pasqual. quamvis negent Ricc. & alii. Eadem de domino relate ad servum impuberem dicunt Barbos. & alii.

Religiosus non potest sibi eligere sepulturam, cùm careat voluntate propria, cap. *Religiosi*, *de Sepult. in 6.* ubi additur, quod, si moriatur extra claustra, sit apud suum Monasterium tumulandus, nisi commode illuc deferri non possit. Hinc addunt Doctores cum Glos. contra Inn. Franc. & alios, posse eligere sepulturam, si commode illuc deferri non possit, quia talis electio fit cum voluntate interpretativa Superioris; nisi vero ibi adsit aliud Monasterium sui Ordinis, & ille teneatur obedire illi Prælato: Sanch. Pasq. & alii; si autem nec ibi sit Monasterium, nec ipse eligat, pertinet ad Parochiam, in qua moritur: Doctores communiter. Superior autem Regularis, ubicumque sit, potest sibi eligere sepulturam etiam extra Monasterium sui ordinis, dummodo moriatur in gradu Superioris, quia in multis habet propriam voluntatem, etiamsi Generali sit subjectus: Sanch. l. 6. *Decal.* c. 14. n. 7. Ab. Franc. & alii; imo potest eligere sepulturam subdito, ut pater filio impuberi. Novitius vero in domo paterna moriens cum habitu Religioso, si non eligat sepulturam, sepeliatur in Monasterio, si commode fieri potest, sine obligatione solvendi Parocho canonicam, quia gaudet juribus, & privilegiis: Sanch. Dicast. Pign. t. 7. conf. 70.

Qui autem moritur non electa sepultura, soluta quarta parte funeralium Parocho, ubi moritur, debet sepeliri in sepulchro suæ familiæ, ex cap. *Nos*, *de Sepult.* etiamsi filius renunciavit paternæ hæreditati; imo etiamsi sit exhæredatus, nisi sit specialiter exclusus a sepulchro familiæ; imo, etiamsi sit filius adoptivus, qui, si non habeat sepulchrum adoptantis, sepeliatur in sepulchro patris naturalis: Doctores communiter apud Pasqual. Filius vero damnati læsæ Majestatis nequit sepeliri in sepulcro familiæ, ex l. t. *ff. de Suis*, *& legitimis*. Canonicus autem Cathedralis debet sepeliri in Cathedrali, ubi est sepulchrum proprium Canonicorum &, si hoc non sit, sepeliatur in sepulchro suæ familiæ: Pign. t. 8. conf. 5. item Clericus, qui administrationem habuit in Ecclesia, vel ex alio titolo tenebatur ibi residere, sepeliri debet in ea Ecclesia: Barb. & alii. Item vidua in sepulchro ultimi mariti, ex c. *Is*, *qui*, *de Sepult. in 6.* etiamsi alibi habitasset, &c. Sperell. decis. 88.

Si autem quis nec sepulchrum habet, nec sepulturam elegerit, sepeliendus in Parochia sui domicilii, ex cap. *Licet*, *de Sepult. in 6.* quo etiam deferri debet, etsi moriatur ruri extra territorium suæ Parochiæ, si absque periculo valeat eo deportari, ex cap. *Is*, *qui* cit. Si autem non valeat deportari, sepeliatur in Parochia, ubi moritur, soluta tamen quarta parte funeralium Ecclesiæ domicilii. Pignat. t. 7. conf. 63. nisi vero moriatur, ubi habet quasi domicilium: Sperel. decis. 87. Advenæ, & Viatores, secundum Pign. t. t. conf. 145. ex decl. S. Congr. debent sepeliri in Cathedrali; sed recte cum aliis Sperel. decis. 87. ait, si non sunt Clerici, ex consuetudine sepeliri in Parochia, in qua moriuntur, & in qua acceperunt Sacramenta. Moriens in carcere secundum aliquos debet sepeliri in Parochia sui domicilii, quod non deseruit; ideoque huic Ecclesiæ deberi quartam funeralium, si alibi elegisset sepulturam; sed probabilius alii cum Pignat. t. 7. conf. 86. ajunt, spectare ad Parochiam carceris; quod certum videtur saltem de alibi damnatis ad perpetuum carcerem, vel in exilium involuntarium missis; ubi enim mori, vel exulare debent, ibi censentur etiam inviti habere domicilium, *L. Filii*, *ff. ad Municip.* Si Secularis moriatur in Monasterio, ubi, relicto suo domicilio, habitabat, Pign. t. 7. conf. 63. ait, jus sepulturæ spectare ad Parochum illius Parochiæ, in qua est Monasterium, &, si in eo petierit sepeliri, soli Parochiæ deberi quartam funeralium; & idem dicit de pueris, & famulis in Monasterio habitantibus; sed recte contradicunt alii, quia acquisivit in Monasterio saltem quasi domicilium: sic etiam si quis moriatur in hospitali intra Parochiam constituto, & in eo sepeliatur, nihil debetur Parocho; nisi vero sepeliatur alibi extra hospitale: De Luc. *de Paroch.* disc. 23. Præterea per Bull. Paul. III. in nostris Cœmeteriis sepelire possumus omnes, qui in nostris morantur obsequiis; &, quamvis Gob. hoc intelligat de illis famulis tantum, qui serviunt, & habitant permanenter in domiciliis nostris, alii tamen cum Dian. intelligunt etiam illos domesticos, qui perpetuo commensales sunt; hi enim etiam sunt de familia, & Clem. X. tantum dicit, *Qui inibi sunt vere de familia*, *& continui commensales*. Denique, si quis in testamento disposuerit, ut sepeliatur in Parochia, in qua fuerit moriens, & casu moriatur in aliena Parochia, adhuc debet in Parochia sui domicilii sepeliri, quia per illam brevem absentiam non amiserat eam Parochiam, nec alteram acquisierat: Pign. t. 4. conf. 151. notatque Shiarra l. 4. diff. 44. legatum, quod quis fecit Ecclesiæ sub conditione, *Si ibi sepeliatur*, valere, si quid accidat, per quod non possit, aut non debeat ibi sepeliri, quia tale legatum ad pias causas secundum jus, & mentem disponentis est favorabile ipsi, & ei, pro qun disponit.

Denique solus Episcopus, & non Parochus (nisi alia alicubi sit consuetudo) potest alicui concedere jus proprium,

prium, & perpetnum sepulturæ in certo loco, e quo alios possis exclndere; & hac quidem conditione addita a Pio V. *Ut cadavera profunde insepeliantur*; Tenentur antem Regulares accedere ad Ecclesiam Parochialem, & inde cum Parocho se conferre domnm, a qua funus efferendum ex S. C. in Senogal. 26. Aug. 1616. apud Cesp. Habens vero jus patronatus, non ideo habet jus sepulturæ in Ecclesia: Barb. *de Off. Ep. alleg.* 3. Cæterum Regulares possuns vendere sepulturam, nec prohiberi possunt ab Episcopo, cum sint exemptі; nec est simonia, si accipiatur pretium pro loco honoratiori: Sanch., Dian., & alii contra alios ap. Cesped., nec potest quis in eorum Ecclesia sepeliri ipsis invitis, ex Resp. S. Congr. apud eundem; nec io eorum Ecclesiis Presbyteri seculares, postquam corpus associarunt, cantare possunt officia, ex Resp. S. Congr. in una Turritan. 1617., non obstante quacumque consuetudine: Tamb. som. t. d. 55. q. 18. Ad Parochum autem spectas determinare iter in associando cadavara, ex S. Congreg. in una Castell., at in Ecclesiis Societatis Jesu non recipiuutur defuncti sine licentia Generalis, exceptis fundatoribus, fundationem juvantibus, Principibus, & Prælatis: Congr. 3.

QUÆSTIO III.

De Reservatione Casuum.

VIDENDUM hic I. Quid sit Reservatio, Quæ peccata, & a Qnibus reservari possint? II. Quinam reservationem incurrans, ant ab ea excusentur? III. Quis possis absolvere a Reservatis? IV. Demum addemus in calce Appendicem de Casibus Reservatis.

CAPUT I.

Quid sit Reservatio, Quæ peccata, & a Quibus reservari possint?

QUÆRES primo, Quid sit Reservatio?

Respondeo, Est *Restrictio jurisdictionis concessæ Sacerdoti inferiori in ordine ad aliquod peccatum, seu censuram*. Esse autem convenientissimum, nt Superiores aliquorum peccatorum absolutionem sibi reservens, snm nt atrociora quædam, & graviora crimina exactius judicentur, iisque efficacius remedium adhibeatnr, tum ut fideles ab iis committendis coerceantur ob difficultatem obtinendæ absolutionis, docet Trid. *sess.* 14. *c.* 7.

Quæres secundo, Qnæ peccata reservari possint?

Respondeo primo: Peccata etiam venialia reservari probabiliter possunt a Summo Pontifice, cum ab eo omnis jurisdictio in alios Prælatos derivetur; de factn samen nunquam reservantur peccata venialia; imo Con., Laym. docens, Episcopos, aliosque Prælatos Pontifice inferiores invalide sibi reservare venialia, quia universali Ecclesiæ consuetndine, cui solns Pontifex derogare potest, cuilibet Sacerdoti concessa est facultas absolvendi a venialibus.

Respondeo secundo: Peccata mortalia mere interna reservari possuns, sicuti reservanrur Papæ vota aliqua mere inteona; quia, licet Ecclesia non judices de insernis, samen jurisdictin ad absolvenda peccata mere interna conceditur ab Ecclesia, quæ proinde potest eam limitare. De facto tamen non reservantur, nisi peccata externa. Hinc neo reservaionem, nec excommunicationem incurris, qui hæresim mere insernam habuis: si autem illam aliquo actn externo de se moraliter malo manifestat, etiamsi id occulte faciat, reservationem, & excommunicationem incurris, qnia, quotiescumqna in reservatione aliud non exprimitur, incurrisur, licet externum peccatum sit occnltissimum. Duo præterea requirnntur ad reservationem incurrendam: primnm, nt actus externus de se sit gravis: secundum, us actus insernus mortaliter peccaminosus influat in actnm externum de se gravem; quare excusatur ab incursn reservationis, & excommunicationis, qui volens Clericum occidere, illum solum leviter perentit, vel qui intendens levem Clerici percussionem, casu illum occidat. Quoniam vero ex Trid. supra cit. reservatio fieri debet *In ædificationem, non in destructionem*, & quoad *atrociora, & graviora crimina*, illieite Pontifex reservaret omnia simul mortalia externa, vel majorem eorum partem: Episcopus vero etiam invalide, ut contra Suar. addit Vasq., præsertim si notabiliter minueret jurisdictionem Parochi, ut concludit Lug.

R. P. Nicolai Mazzotta Theol. Mor.

Quæres tertio, Quis possit casus reservare?

Respondeo, Posse illos omnes reservare, qui habene jurisdictionem ordinariam, eamque aliis delegant; possunt enim illam delegare vel plene, vel restricte santum; unde non solum Summus Pontifex, Episcopus, aliique Prælati, verum etiam Parochus posset easus reservare respectn illius, eui ab ipsn deber delegari jurisdictio: Vasq., Dicast., Croix contra Suar., & Busemb., qui negant Parochis hanc potestatem.

CAPUT II.

Quam incurrant Reservationem, & quinam ab ea excusentur?

CERTUM est, neminem incurrere reservationem, aut censuram, qui ex consciensia erronea peccat, falso putando eam incurrere, quia non incurritur pœna bumana, ubi a lege non est statuta. Videndum igisur hic, An, & quam reservationem incurrant, & a qua excusentur Pueri ante pubertatem, Ignorantes, Peccantes ex metu, Vagi, Peregrini, Regulares, & Moniales?

Quæres primo, An pneri ante pubertatem peccanses incnrrant casus reservatos?

Respondeo, Certe non incurrere ullum casum etiam enm excommunicatione, aut intardicto reservatum in hac Diœcesi Neapolisana, in cnjus tabella expresse excipiuntur, si peccarent ante 14. annum completum; as, quoad casus Papales, & Episcopales alterius Diœcesis, ubi non expresse excipiunsur, est dubium: negans etiam Palud., Graf., Belloch., & alii cum Dian. p. 2. t. 55. r. 1., quia, sieus minor ætas excusat impuberes a pœna in foro externo, ita pariter in foro interno, & consequenter etiam a resarvatione, maxime si hæc adnexam habeat excommunicationem, quæ est pœna atrox, & improportionata imbecilli eorum ætasi, ex cap. 1. *de Delict. Puer.* Verum probabilius affirmant Homob., Lug., Avers., & alii, quia ad bonum regimen Ecclesiæ etiam pertinet, nt impuberes a committendis atrocioribus delictis per talem reservasionem absterreantur; text. antem cit. intelligitur de pœnis latis ab homine, ex cap. ult. *de Jud. in 6.*, non de pœnis latis a jure. Et quidem quoad casus Papales, certum est impnberes incurrere casum cum excommunicatione Can. *Si quis suadente*; nam cap. *Pueri, de Sent. Excomm.*, expresse datur facultas Episcopis, nt eos ab hac excommunicasione absolvant. Certum etiam videtur, eos incurrere casum ingredientium Monastecia Monialium; nam Trid. *sess.* 25. *c.* 5. *de Reg.* dicit, *Cujuscumque sint ætatis*; dummodo scilicet sint doli capaces, ut hic supponuntur impuberes: ergo idem dicendum quoad reliquos casus Papales, & etiam Episcopales, nisi expresse excludantur, cum certum sit, Episcopum posse reservare mortalia impuberum; & consequenter, nisi hi excipianrur, ligantur, sicut alii; ubi enim lex non distinguis, nec nos distinguere debemus, ut arguis Floron.

Quæres secundo, An incurrat reservationem, qui commissis casum reservatum ignorans reservationem?

Respondeo primo, Si casus sit Papalis, & illud committens ignorabat excommunicationem ei adnexam, probabiliter non incurrere reservationem; quia casus de facto nullus est reservatus Papæ, nisi quando conjnnctus est cum excommunicatione, ae censura. * Ab hac generali regula excipiendus est casus falso insimulantium sollicitationis apud Jndices Ecclesiasticos innoxios Sacerdotes, sive per seipsos calnmniando, sive procurando, nt id ab aliis fiat, qui casus a Bened. XIV. in Const. *Sacramentum Pœnitentiæ* Papæ resarvatur sine censura. * Porro igoorans excommnnicationem, eam non incurrit, ex cap. *Cum animarum, de Const. in 6.*; ergo neque rescevationem Papalem. Excipe, nisi ignorantia suetie crassa, & supina, ex eod. cap.; imo, si in lege Pontificia feratur excommunicatio contra *Scienter, Temerario, &c.* excusat etiam ignorantia crassa, & supina, modn non sit affectata, juxta dicenda in de Censur. Si autem sciens excommunicationem casui adnexam, ignorabat, eam esse reservatam, Bon., & alii putans, etiam excusari a reservatione, atque adeo posse a quovis Confessario absolvi; sed probabilius videtur oppositum, quia jam consentit in pœnam excommunicationis, adeoque implicire in ejus reservationem, sicuti etiam in alios ejus effectus licet ignoratos: Quart., & alii.

Secnndo, Si casus sis Episcopalis, eique adnexa sit excommunicatio, qui hanc ignorat us supra, certe hanc ooo incucrit: & hinc etiam inferuns Fagund., Avers.,

Januar., Bonae., Quart., & alii, neque incurrere reservationem talis casus; quia pariter in tali casu Episcopali fit una, & indivisibilis reservatio peccati sub excommunicatione; neque in pœnalibus facienda est ampla, sed stricta interpretatio. Sed probabilius Suar. d. 3. s. 3., Bos., Tamb., Merol., & alii docent, incurrere reservationem talis casus; quia, cum soleant Episcopi, & de facto sibi reservent plures casus, tum sub excommunicatione, tum absque excommunicatione, quando atrociora reservant sub excommunicatione, intendunt fortius ligare, & duplici reservatione punire.

Tertio, Si demum casus Episcopalis non habeat adnexam excommunicationem, Sanch., Lug., Avers., & alii communius ap. Dian., & Pell. t. 2. s. 31. docent, etiam, qui ignorat, reservationem incurrere; quia reservatio casus non est pœna peccantis, sed restrictio jurisdictionis Confessarii; atqui ignorantia privata peccantis nequit dare confessario jurisdictionem, quam non habet: ergo, quamvis ignorantia pœnæ excuset a pœna, non tamen a reservatione, & consequenter hic talis nequit absolvi a quovis Confessario. Sed oppositum probabile etiam reputant Nav., Gras., Jan., Coriolan., Chapeavil., Mald., Reginald., Quintanad., Bas., Burgheb., Quart., & alii apud Dian. p. 10. t. 4. r. 95., & p. 6. t. 6. r. 42., quibus ipse etiam mutata opinione adhæret; quia, quamvis reservatio sit restrictio jurisdictionis Confessarii, non tamen absolute, sed respective ad pœnitentes, qui cum notitia reservationis ausi sunt peccare; ut colligitur ex ejus fine, qui est, ut scientes utique reservationem, a talibus casibus patrandis absterreantur: ergo relate ad tales habet simul rationem pœnæ, & consequenter non est restrictio jurisdictionis relate ad alios, qui peccando eam ignorarunt, cum pœnæ sint restringendæ. Idem dicunt de eo, qui, dum peccat, invincibiliter non advertit ad reservationem; quia inadvertentia æquiparatur ignorantiæ, ex Sanch. l. 1. c. 10. num. 31.; secus vero, si nullam adhibuit diligentiam pro deponendo dubio, quia sic habetur ignorantia crassa, & supina, quæ non excusat: Quart., & alii. Idem demum dicunt, si reservatio ab Episcopo fiat, postquam delictum est commissum, vel etiam omissum in antecedenti confessione, vel postquam cœpta sit, sed nondum finita confessio; quia talis reservatio non poterat a tali delinquente cognosci: Pasq. t. 2. q. 166. n. 6.

Quæres tertio, An incurrat reservationem, qui compulsus metu committit casum reservatum?

Respondeo affirmative, Si metus sit levis, quia facile contemni posset: negative vero, si metus sit gravis, seu cadens in constantem virum, qualis est metus mortis, mutilationis, carceris diuturni, infamiæ gravis, amissionis majoris partis bonorum, aut rei notabilis, & pretiosæ, sive suæ, sive suorum, & probabiliter etiam usque ad 4. gradum, cum damnum suorum censeatur etiam proprium: ratio est, quia ex benignitate Ecclesiæ reservantis præsumitur nolle comprehendere sub reservatione peccantem ex tali metu gravi; nec enim leges humanæ obligant cum damno notabili; quamvis lex naturalis, & divina tunc etiam obliget, itaut peccet graviter, qui ex tali metu committit casum prohibitum etiam lege naturali, aut divina: Suar., Avers., Bordon., Graff., & alii communiter. Excipiunt tamen Doctores cum Suar., contra Salas, nisi talis metus incutiatur in contemptum Ecclesiæ, aut Religionis, quia sic Ecclesia ipsa per se, & directe obligat etiam cum periculo vitæ: v. dicenda fusius in de Censur. disp. 1.

Quæres quarto, Quos casus incurrant Vagi, & Peregrini?

Respondeo, Certum esse, hos omnes incurrere casus Papales, ubicumque eos commiserint, etiam inter infideles, quia ubique terrarum territorium est Papæ. Item vagi probabilius incurrunt casus Episcopales illius Diœcesis, in qua illos committunt; quia ex communi Doctorum sententia contra Sayr., Less., Ugol., subjacent legibus illius loci, in quo hic & nunc versantur: nisi vero eos excuset ignorantia, juxta dicta quæsit. 1. At peregrini, juxta Pelliz. *de Monial.* c. 5. n. 111., Dian. p. 3. t. 2. r. 48., & alios, probabiliter non incurrunt casum reservatum in Diœcesi, in qua versantur, si ibi illum committant; quia non tenentur legibus loci, in quo sunt per transitum, ex Sanch., Azor., Con., & aliis. Probabilius tamen tenendum oppositum cum communiori apud Avers. q. 17. s. 3., quia, etsi peregrini non teneantur legibus locorum quoad forum externum, tamen quoad forum pœnitentiæ Sacramentalis ex communi consuetudine, & praxi judicantur a Confessario juxta leges loci, in quo confitentur; ergo non possunt hic absolvi a quovis Confessario, cui restricta est jurisdictio relate ad omnes, qui ausi sunt in hac Diœcesi committere talem casum, nisi excuset metus gravis, vel ignorantia. Atque hæc sententia est in praxi tenenda, ita tamen, ut, quamvis peregrinus hic peccans incurrat casum hic reservatum; non tamen excommunicationem, aliamve censuram illi adnexam, quia hæc, cum sit pœna fori exterioris, non ligat, nisi supponat subditum, ut not. Con. d. 13. dub. 7. n. 58., & nos dicemus in de Censuris. Contra vero, si Neapolitanus v. g. peregrinans Nolæ committat ibi delictum reservatum Neapoli, non autem Nolæ, Fag., Bon., Januar., & alii ap. Quart. probabiliter putant, non incurrere reservationem, neque excommunicationem adnexam: unde etiam probabiliter inferunt Pelliz. Bordon., Pasq., Januar., & alii ap. Dian. p. 10. t. 4. r. 7. contra Dicast., Croix, & alios, Neapolitanum committentem talem casum Nolæ, posse etiam Neapoli absolvi a quovis Confessario, quia, cum statuta Synodalia affigantur territorio, non restringunt jurisdictionem Confessarii relate ad transgressores extra territorium. Idem pariter dicunt, si commisit in loco intra Diœcesim exempto, qui æquiparatur loco sito extra territorium; hic tamen locus quinam sit, vide dicta tr. 2. d. 2. q. 3. c. 4. q. 4.

Quæres quinto, Quos casus reservatos incurrant Regulares?

Respondeo, Si excipias casus Papales, & proprios suæ Religionis, aut Monasterii, de quibus agemus mox in Appendice, non incurrere casus Episcopales, si sint Religiosi exempti, quales hodie sunt fere omnes; quia non subjacent Episcopo. Et similiter etiam eorum Novitii, quia in favorabilibus gaudent privilegiis suæ Religionis. Extendunt hoc Peyrin., & alii ad familiares Religiosorum, modo *Inibi sint, quasi de familia, & continui commensales*, ex Constit. Clem. X. *Superna*; & Bord. extendit etiam ad alumnos degentes in Monasteriis Religiosorum. Illud videtur certum, hos familiares, & alumnos non posse per quemcumque Confessarium secularem absolvi a casibus Episcopalibus; ut dictum est de peregrinis; vide, quæ in hanc rem fusius dicemus in de Censuris. Cæterum, si Novitius ante ingressum in Novitiatum incidit in casum reservatum Episcopalem, manet reservatio: unde non potest absolvi per quemcumque Confessarium secularem approbatum ab Episcopo; potest tamen absolvi a Confessario suæ Religionis, quia hic habet jurisdictionem a Superiore Religionis, cujus privilegiis gaudent Novitii: Sanch., Tamb., & alii. Idem dicunt Peyrin., Vecch., Tamb. *de Jur. Abb.* t. 2. d. 13. q. 15. n. 29., de existente in Novitiatu, veluti in prima probatione, etsi nondum habitum induerit. Idem addit Vecch. de petente admitti in Religionem cum animo sincero ingrediendi quamprimum, nimirum absolvi posse per Confessarium Regularem ab omnibus casibus, censuris, imo etiam sententiis, & pœnis Episcopalibus, cum hoc tamen, ut incidat in pristinas sententias, nisi mox ingredi, & peractis experimentis vota emittere paratus sit.

Quæres sexto, Quos casus reservatos incurrant Moniales?

Respondeo, Moniales, alias esse exemptas a jurisdictione Episcopi, alias non exemptas; omnes tamen incurrere casus Papales, uti est certum; & exemptas, si subditæ sint Superiori Regulari, incurrere casus reservatos in sua Religione: secus vero, si non sint subditæ tali Superiori. Quoad casus autem Episcopales, Pelliz., Quintanad., Tamb., & alii putant, Moniales exemptas non incurrere, quia non sunt subjectæ Episcopo: quod Pelliz. extendit etiam ad earum educandas, quia per quasi domicilium commorantur in eo loco exempto, ideoque participant de earum exemptione. Cæterum, cum Confessarius Monialium etiam exemptarum approbandus sit ab Episcopo, ex cit. Constitut. Clem. X., ideo casus commissus a Moniali, sive exempta, sive non exempta censendus est reservatus respectu talis Confessarii, nisi specialiter ei delegetur facultas ab Episcopo: Sylv. p. 1.; v. Cas. Reserv. cas. 2., Croix n. 1645.

CAPUT III.

De Absolutione a reservatis.

De potestate absolvendi in articulo, vel periculo mortis dictum est jam q. 2.; agendum ergo remanet de potestate extra tale periculum. Quare sic

§. I.

§. I.

Quis possit absolvere a casibus Papalibus extra articulum, vel periculum mortis?

VIDENDUM hic Primo, Quid possit Summus Pœnitentiarius, aut Legatus a latere? Secundo, Quid Episcopus, ejusque Vicarius Generalis, ac Vicarius Capitularis? Tertio, quid possit Prælatus Regularis, aut Confessarius Regularis? Quarto, Quid possit Parochus, aut Confessarius sæcularis? Itaque

I. Summus Pœnitentiarius Cardinalis ex concessione Papæ officio adnexa potest quoscumque absolvere ab omnibus Papalibus: item Legatus a latere in Provincia suæ legationis absolvere potest quoscumque etiam pro foro externo; & utraque facultas, cum sit ordinaria, durat etiam mortuo Pontifice. Itaque accedere ad hos possunt etiam Religiosi absque licentia suorum Superiorum, ut absolvantur a quovis casu Papali, etiam Bull. Cœn. etiam ab hæresi: Doctores communiter.

II. Episcopus, ex Trid. *sess.* 14. c. *6.*, potest in sua Diœcesi per seipsum, aut Vicarium ad id specialiter deputandum absolvere in foro conscientiæ subditos suos a quibuscumque casibus etiam Sedi Apostolicæ reservatis, dummodo sint occulti; & etiam ab hæresi occulta, per seipsum tantum, non per Vicarium: item potest dispensare in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario. Hactenus ex Trid. cit., ubi ly *Per Episcopum* intelligunt Doctores etiam habentem jurisdictionem quasi Episcopalem. Per ly *In sua Diœcesi* non intelligunt taxative, sed mere demonstrative; ideoque dicunt, posse etiam extra Diœcesim, cum non sit actus fori contentiosi, *Per ly Non per Vicarium*, intelligunt ex commissione universali, posse tamen ex commissione particulari, juxta dicenda de Censuris. Cæterum hodie probabilius non potest Episcopus absolvere ab occultis Bull. Cœn., & præsertim ab hæresi; quia ab Alex. VII. damnatur hæc prop. 3. *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. die 8. Julii in Consist. S. Cong. Eminent. Card. visa, & tolerata est.* Quamvis oppositum adhuc probabile putent Dicast. d. 3. *de Censur.* n. 130., & alii apud ipsum, dicentes, in hac propositione solum declarari, quod ea non sit hactenus in Consistorio perpensa: &, quamvis in Bull. Cœn. dicatur, quod nemo, nisi in articulo mortis possit ab his absolvere; tamen dicunt, id non derogare Trid. cit., utpote non expresse ibi nominato. Sed quicquid sit de hac sententia, Episcopi hodie solent petere, & obtinere a Roma ad quinquennium facultatem absolvendi a casibus Bull. Cœn., & ab hæresi. Potest Episcopus ex concessione perpetuo adnexa ejus dignitati absolvere a sequentibus Papalibus etiam publicis. Primo, A percussione Clerici, dummodo sit levis, vel facta inter Clericos collegialiter viventes, aut ab Officialibus causa arcendi turbam (dummodo non sit enormis) vel facta a muliere, aut ab impubere, etiamsi sit enormis, & etiamsi petatur absolutio post pubertatem: Doctores communiter ex plur. text. *de Sentent. Excom.* Secundo, Ab abortu fœtus animati effectu etiam secuto, ex Bull. Gregor. XIV. Tertio, Fratres Minores admittentes tempore interdicti Fratres tertii ordinis ad divina officia, ex Clement. *Cum eo, de Sentent. Excomm.* Potest etiam Episcopus absolvere ab omnibus Papalibus, quantumvis publicis, etiam Bull. Cœn., etiam hæresis; in casu legitimi impedimenti adeundi Romam, sive impedimentum sit perpetuum, sive temporale, modo sit diuturnum: Doctores communiter ex cap. *Quamvis, de Senten. Excomm.*, etiamsi sic impediti possent per literas, aut per procuratorem petere absolutionem a Sede Apostolica, ut probabiliter addunt Sanch. l. 2. *Decal.* c. 13. n. 14., & alii contra Bonac., & alios. Imo, etiamsi sic impediti possent adire legatum habentem facultatem absolvendi; cum ea potestas sit jure communi concessa Episcopis tanquam ordinaria: Henr., Avil., Hurt., Dian. p. 5. t. 9. r. 5. contra Bonac. & alios, Neque huic facultati Episcopi obstat Bull. Cœn., excipiens tantum articulum mortis; nam jus canonicum hanc exceptionem ampliavit etiam ad legitimum impedimentum, *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*, arg. c. ult. *de Pœnit., & Remis.*

Porro impedimentum perpetuum est, quod habent mulieres omnes ratione sexus, & a fortiori Moniales: item senes, cœci, claudi, laborantes podagra, alioque morbo perpetuo, quibus Tamb. addit etiam damnatos ad triremes per decennium, aut etiam quinquennium: atque hi omnes absolvi possunt per Episcopum absque ullo onere: uti etiam impuberes, quamvis hoc impedimentum sit temporale; imo absolvuntur post pubertatem, ex c. *Quamvis, de Sent. Excom.* Impedimentum temporale diuturnum est duorum saltem, vel trium mensium, juxta Pal., Marchant., & Dian. apud Gob. t. 7. n. 309., unde hoc impedimentum habent detenti in carceribus, laborantes quartana, habentes inimicitias capitales, pauperes, seu viventes ex proprio labore, qui, cum non soleant, deberent ire Romam mendicando; filiifamilias, & quicumque alteri subjacent, habentes curam animarum, corporum, aut rerum, ita ut timeretur damnum aliquod ex eorum absentia: denique quodcumque aliud impedimentum, quod prudentis arbitrio longam faceret moram proficiscendi Romam, saltem per duos, aut tres menses ex Pal. cit.; atque hi omnes absolvi possunt per Episcopum, cum onere tamen (excipito etiam juramenta, quæ tamen Dian. p. 2. t. 16. n. 42. cum aliis probabiliter exigit tantum in absolutione pro foro externo) quamprimum commode poterunt, accedendi ad Sedem Apostolicam, cessante tali impedimento, non quidem, ut denuo absolvantur, cum sint jam directe absoluti, sed ad obedientiam præstandam, accipiendumque mandatum sub pœna reincidentiæ ipso facto in easdem censuras, ex cap. *Eos, qui, de Sent. Excom.* Sed hæc obligatio, seu onus tollitur, si postea ante cessationem impedimenti lucreris Jubilæum, vel Bull. Cruc., vel adeas Legatum a latere: Dicast., & alii communiter.

Quæ dicta sunt de Episcopo, dic pariter de Vicario Capitulari; quia is succedit in jura Episcopi, excepta facultate per se ordinandi. At Vicarius Generalis Episcopi probabilius indiget speciali ejus concessione relate ad hæc; ideoque notant Quaran., Merol., Tambur., & alii, solere ab Episcopo speciali commissione committi ei hanc facultatem generaliter, excepto casu hæresis occultæ ex Trid. cit., ad quam tamen delegari posset, quando casus occurrit, supposito quod Episcopus haberet hodie facultatem ad talem casum, ut not. Sanch. Eadem die de Pœnitentiario Ecclesiæ Cathedralis: Tamb. c. 8. *de Cas. Reserv.* n. 3., Dian. p. 9. tt. 8. r. 11., & alii.

III. Prælatus Regularis quoad casus Papales potest relate ad suos subditos, etiamsi novitios, etiamsi familiares Conventus, quidquid potest Episcopus relate ad suam Diœcesim. At relate ad reliquos pœnitentes Seculares, certum est, non posse eos absolvere ab hæresi occulta, ex prop. 4. damnata ab Alex. VII. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa:* Potest tamen, posita approbatione Episcopi, uti etiam quivis alius Confessarius Regularis, vi privilegiorum Pontificiorum, absolvere etiam Seculares ab omnibus casibus reservatis Papæ etiam publicis, exceptis Bull. Cœn., & 6. intra Italiam extra urbem; quia Decretum Clem. VIII. hos tantum eis tollit: ergo quoad reliquos casus Papales manent integra eorum privilegia: Pelliz. t. *6.* c. 2. q. 3., Dian. p. 3. tr. 2. r. 13. & alii. An autem absolvere adhuc possint a casibus Bull. Cœn., & a. *6.* intra Italiam, quando sunt occulti, dubitant Doctores: & aliqui ex Sanch. apud Dian. *de Bull. Cœn.* r. 28. affirmant; quia in tantum ex Decr. Clement. VIII. non possunt Regulares ab his absolvere, in quantum ibi sunt soli Papæ reservati, seu sunt mere Papales; atqui, quando sunt occulti, desinunt esse mere Papales, cum ex Trid. cit. concedantur Episcopis: ergo, &c. Sed merito contradicunt alii, quia decretum loquitur indefinite, & neque hodie concessi videntur Episcopis casus occulti Bull. Cœn. juxta dicta n. 2.

In casu autem legitimi impedimenti eundi Romam, Pasq., & alii ap. Dian. tr. 9. r. 51. putant, Regulares posse absolvere etiam a Casibus Bullæ Cœnæ, & a *6.* intra Italiam, sive sint occulti, sive publici, & eodem modo etiam ab hæresi. Ratio est, quia tunc non sunt mere Papales, sed concessi etiam Episcopis, juxta dicta n. 2. neque obstat Decr. Clem. VIII. prohibens etiam *In Casu necessitatis, vel impedimenti*, nam hæc verba fuerunt omissa in Decr. Confirmativo Paul. V. an. 1617., ut not. Bordon. r. *6.* n. 5. fol. *46.* Unde etiam alii contra ipsum inferunt, Regulares in casu legitimi impedimenti, vel etiam necessitatis, posse absolvere ab his directe, quia absolvunt ex vi privilegiorum tunc non revocatorum. Addunt aliqui cum Pecorar., ex Peregr., & Merol., etiam sine onere, & a fortiori in articulo mortis; quia

tunc absolvunt ex privilegio tanquam Sedis Apostolicæ Delegati: verum (quidquid sit de articolo mortis) certe id negandum in casu necessitatis juxta dicenda n. 4., & in casu impedimenti merito negant Bord., Pelliz., & alii communiter, quia tunc concessio facta Episcopis est cum onere juxta dicta n. 2., & sic solum non sunt mere Papales. In dubio facti, vel juris dicam n. 4. Possunt demum Regulares Confessarii commutare omnia vota pœnitentium (exceptis tantum scilicet ex dictis de Voto §. 4.) etiam in aliquid notabiliter minus, ex justa tamen causa. Imo etiam dispensare, idest vice Dei declarare, Deo non placere, ut in his, vel illis circumstantiis votum servetur, ex privilegio Eug. IV. Bullato Monachis Benedictiois Italiæ concesso: Pelliz. t. 2. tr. 8. c. 3. fol. 522. etiamsi vota sint jurata; etiam in juramentis, dummodo non cedant in præjudicium tertii, vel non sint ab eo acceptata: Pelliz. ib.

IV. Confessarii Seculares, etsi Parochi, noo possunt absolvere a supradictis Casibus Papalibus, sive publicis, sive occultis, neque dispensare, aut commutare vota, nisi specialiter eis delegetur; com per se privilegium non habeant. Possunt tamen absolvere a Papalibus: Primo, In dubio facti, an scilicet pœnitens incurrerit, necne Casum Papalem: Suar., Bonac., & alii contra Armil. Secundo, In dubio juris, an scilicet delictum pœnitentis sit, necne comprehensum sub lege Papali; & adhibita morali diligentia adhuc perseveret dubium; quia in dubiis melior est conditio possidentis, & Confessarius approbatus est in possessione suæ jurisdictionis: Bon., & alii. Neque obstat Decret. Clement. VIII. ann. 1610. prohibens absolutionem a Casibus *Etiam dubie* contentis in Bulla Cœnæ, &c.; nam Decret. moderat. ann. 1612. id omisit, ideoque censetur revocasse: Pelliz., & alii apud Dian. p. 10. t. 14. r. 8.: hinc, si propter tale dubium data sit absolutio, & postea innotescat, peccatum certo fuisse reservatum, Hurt., Sa, Portel., Gob., Dicast., & alii probabiliter dicunt, sublatam esse reservationem, & censuram, quia in eo dubio habebat etiam simplex Confessarius jurisdictionem, adeoque absolvit directe, & sine onere, quæ omnia a fortiori procedont de Confessario Regulari. Possunt etiam probabiliter Confessarii Sæculares absolvere cum onere ab omnibus Papalibus in articulo, vel periculo mortis, etsi excommunicatio Casui adnexa non sit deducta ad forum contentiosum, juxta dicta q. 1. c. 1. Probabiliter etiam possunt (cum onere tamen) absolvere ab omnibus Papalibus, in casu legitimi impedimenti, quo pœnitens non solum nequeat adire Romam, ejusque delegatum, sed neque ad Episcopum, itaut impedimentum sit saltem diuturnum, juxta dicta n. 2., quia tunc etiam militat ratio, *Ne dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*; arg. cap. ult. *de Pœnitent. & Remiss.* Sylv., Henr., Bon., Dicast., Gran., Tann., & alii, contra Sanch., Lug., Suar., & alios: cum onere tamen comparendi coram Superiore, si casus adnexam habeat excommunicationem; non quidem, ut iterum ab ea absolvatur, cum absolutio fuerit directa, sed ad præstandam obedientiam, ac recipiendum mandatum, juxta dicta n. 2. Demum id possunt in casu necessitatis communicandi, vel celebrandi, ad vitandum scilicet grave damnum, infamiam, scandalum, &c., nec sit copia habentis facultatem in reservata; tunc enim quivis Confessarius potest absolvere talem pœnitentem directe a non reservatis; indirecte vero tantum a reservatis, adeoque com onere hæc iterum confitendi habenti facultatem; nullatenus vero a censuris adnexis, quas tantum suspendit quoad effectum communicandi hic & nunc, aut celebrandi: Bon., & alii communiter. Et ratio est, quia quivis Confessarius habet jurisdictionem in non reservata, & aliunde habet justam causam ejus exercendæ ob dictam necessitatem. Quod autem Trid. *sess.* 18. dicit, Confessarium inferiorem nihil posse circa casus reservatos, præcisa articulo mortis, intelligitue tantum de absolutione directa, non autem de indirecta in casu dictæ necessitatis, in quo proinde pœnitens debet confiteri etiam non reservata, ut valide absolvatur. Imo non obstante Trid., & Bulla Cœnæ, in casu legitimi impedimenti Confessarius inferior probabiliter absolvere potest directe; quia jus Canonicum, sicut exceptionem hanc, *Nisi in articulo mortis*, ampliavit ad legitimum impedimentum relate ad Episcopos, ita ex identitate rationis etiam ad alios Confessarios, si adiri Episcopus non possit, *Ne scilicet dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*; cum onere tamen comparendi ad recipiendum mandatum, juxta jam dicta n. 1.

§. II.

Quis possit absolvere a casibus Episcopalibus extra articulum, vel periculum mortis?

PRÆTER casus, quos sibi reservant Episcopi, & exponunt in tabellis, sunt etiam alii, qui Episcopo reservantur a jure, aut consuetudine: a jure quidem communi sunt quidam casus Pontificii, quorum absolutio concessa est Episcopis, juxta dicta c. antecedent. n. 2., adeoqoe dici debent potius his concessi. A jure Diœcesano sunt quidam casus reservati in Synodo, sed ab Episcopo non expositi in tabella. A consuetudine demum sunt homicidium, mutilatio, crimen falsi, &c., quæ communiter in omnibus Episcopatibus reservari solent; item alia ex consuetudine particulari cujusvis Diœcesis. His suppositis

I. Episcopus absolvere potest non solom ab omnibus a se reservatis, sed etiam a soo antecessore, ut patet. Imo, si Episcopus sic staturret, *Volo, ut qui tale delictum commiserit, incurrat casum, & censuram a me reservatam Papæ*: Rayn. apud Croix n. 1635. ait, adhuc posse ipsum absolvere; quia non potest a se tollere potestatem ordinariam, quam habet in casum a se reservatum. Eandem facultatem habet Vicarius Capitularis sede vacante, utpote successor Episcopi quoad jurisdictionem; non tamen Vicarius Generalis, nisi specialiter ei coocedatur ab Episcopo: Barb., Meroll., & alii ap. Tamb. *de Cas. Res.* c. 10. n. 10. Eandem facultatem de facto habet Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis saltem ex concessione speciali Episcopi committentis illi generaliter; imo Chapeavill. c. 4. sustinet, illum ratione officii habere hanc potestatem in omnes casus, & censuras Episcopales. Archiepiscopus vero non potest absolvere a reservatis Episcopo suffraganeo, nisi in actuali visitatione illius Diœcesis, vel in casu appellationis, si ille injuste nolit absolvere. At Legatos a latere absolvere potest a reservatis cuivis Episcopo suæ Provinciæ, exceptis censuris per sententiam particularem latis, ut limitat Gavant. apud Tamb. n. 2.

Quæres, An possit Episcopus auditis tantum reservatis absolvere, & remittere pœnitentem, ut a reliquis absolvatur per alium Confessarium?

Respondeo negative; Quia esset dimidiare Confessionem, quod jure Divino non licet, nisi ratione impotentiæ physicæ, vel moralis, ex dictis d. 1. q. 4. c. 7. §. 1., & 2. Quare extra talem impotentiam tantum posset Episcopus, vel etiam quivis alius habens facultatem in reservata, absolvere extrasacramentaliter a censuris adnexis, & similiter tollere reservationem casuum, & sic remittere pœnitentem, ut absolvatur ab omnibus peccatis per alium Confessarium. Cæterum, si ipse Sacramentaliter absolveret tantum a reservatis etiam extra casum dictæ impotentiæ, pœnitens in bona fide esset valide absolutus; secus, si in mala fide, quia sic & ipse peccaret: Bon. d. 5. q. 7. p. 5. §. 3.

II. Nullus alius Confessarius, sive Secularis, sive Regularis, etiamsi sit Parochus, absolvere potest a casibus sive publicis, sive occultis, quos sibi reservant Episcopi, nisi ab his habeant licentiam, qualis in Synodo Neapol. conceditur Parochis absolvendi sponsos, &c., brevi contracturos, & eos, qui præcepto Paschali non satisfecerint, ex Decret. Clem. VIII. an. 1601. ejusque moderat. ann. 1612., ubi irritando vetatur, ne extra urbem intra Italiam audrant prætextu privilegiorum absolvere *A casibus, quos Ordinarii eorum sibi reservarunt vel imposterum reservabunt*: item ex Confirmatione Paul. V. an. 1617., ubi additur, ne absolvere audeant *Ab excommunicationibus, vel a casibus eisdem Ordinariis reservatis*: demum ex Innovativo Urb. VIII. ann. 1628., ubi ampliando additur, *Nec intra, nec extra Italiam posse absolvere a casibus Ordinario loci reservatis*. Hinc ab Alex. VII. damnatur hæc prop. 12., *Mendicantes absolvere possunt a Casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id eorum facultate*. Putant tamen Comitol. Homob., Pelliz., Cesped., & alii contra Bord., Flor., Viv., & alios complures, quod adhuc possit simplex Confessarius absolvere a casibus per Synodum reservatis Episcopo, si non sint ab eo expositi in tabella, etiamsi neqoe in ea concedatur talis facultas, ut expresse conceditur in nostra Tabella Neapolitana. Ratio ipsorum est, quia, quando Episcopus eos non exponit in Tabella, censetur non curare, atque adeo tribuere generalem facultatem omnibus Confessariis absolvendi ab illis. Neque obstare dicunt Decret. Paul. V., Urban. VIII., & Alexand. VII.; nam hæc referri debent ad Decret. Clement. VIII., quod confirmant,

inno-

innovant, & ampliant etiam extra Italiam; cum ergo ibi dicatur, *A caſibus, quos Ordinarii ſibi reſervant, &c.*, de his etiam loquuntur reliqua decreta, non autem de aliis, quos non ipſi ſibi Epiſcopi, ſed Synodus eis reſervat. Idem dicunt de caſibus ex conſuetudine, ſive Communi, ſive Diœceſana, reſervatis Epiſcopo, niſi exponantur in Tabella. Caſus vero jure communi reſervatus Epiſcopo nullus eſt hodie, ut clare oſtendit Suar. d. 29. Fagund., Peyrin., Ceſped., & alii contra Bordon., & alios. Quos autem retulimus cap. antecedent. n. 2., non ſunt reſervati Epiſcopo, ſed Papæ, & pro aliqua cauſa commiſſi ſunt tantum Epiſcopo: ſi tamen eos Epiſcopus ſibi non reſervat in Tabella, abſolvi poſſunt, non quidem a quocumque Confeſſario, ſed ab habente aliunde privilegium, juxta ibidem dicta n. 3. Sunt tamen aliquæ excommunicationes jure communi reſervatæ Epiſcopis, puta Communicantis in crimine criminoſo cum excommunicato denunciato ab Epiſcopo, ex c. *Nuper, de Sent. Excom.*, Abſoluti ab excommunicatione ſpecialiter lata ab Epiſcopo cum onere comparendi poſtea apud illum, nec illud adimplentis, ex cap. *Eos, qui, de Sent. Excom.* in 6., atque ab his (qui tamen non ſunt caſus, ſed cenſuræ) ſolus Epiſcopus, qui excommunicationem tulit, vel abſolvit cum dicto onere, poteſt abſolvere: &, ſi ſint occultæ, poteſt quivis alius Epiſcopus, ex Trid. cit. c. antecedenti n. 2., adeoque nemo alius ſive ſecularis, ſive Regularis, niſi ei fuerit ab Epiſcopo commiſſum. Sicuti nemo abſolvere poteſt a cenſura ſpecialiter lata ab homine, niſi is, qui tulit, vel ejus Superior, aut Succeſſor, etiamſi, qui tulit eam, ſibi expreſſe non reſervavit ex c. nuper cit. Denique, quamvis Regulares vi privilegiorum abſolvere poſſint ab excommunicatione generaliter lata ab homine, v. g. contra complices innominatos, tamen Sacerdotes Societatis Jeſu non poſſunt ſine ſpeciali commiſſione ſuorum Superiorum, ut habetur *In eorum Compendio: v. Abſolutio.* Putant deinum Pelliz. *tom.* 2. *fol.* 508., & alii, Regulares vi ſuorum privilegiorum adhuc poſſe abſolvere a cenſuris, quas ſibi reſervant Epiſcopi, excepta excommunicatione; quia in odioſis nomine caſuum non veniunt cenſuræ ex Nav. c. 27. n. 262.; & Decr. Paul. V. cit. ſolum limitat, *Ab Excommunicationibus*: ergo poſſunt a reliquis Cenſuris, quas ſibi reſervant Epiſcopi; modo non ſint ſpecialiter latæ ab homine. Imo addunt probabiliter alii, Regulares vi privilegiorum poſſe abſolvere etiam ab excommunicatione, quam generaliter ferat Legatus Apoſtolicus ſoli Papæ reſervatam, v. g. contra Clericos arma portantes; quia hæc non eſt incluſa in dicto Decret. Paul. V., quod tantum loquitur de excommunicationibus Ordinariis loci reſervatis.

Dubium eſt, An poſſint aliquando extra articulum, vel periculum mortis Confeſſarii ſive Regulares, ſive Seculares, abſolvere a Caſibus expoſitis in Tabella, non petita prius facultate?

Reſpondeo, Poſſe aliquando. Primo, Si probabiliter putent, quod poſſint abſolvere ab illis; ſive quia pœnitens putabat, ſe peccare tantum venialiter; ſive quia eſt dubium facti, an ſcilicet pœnitens eam incurrerit; ſive quia eſt dubium juris, an ſcilicet delictum pœnitentis comprehendatur ſub lege Epiſcopali reſervante; ſive quia reſervatio delicti publicata ſit poſt delictum jam commiſſum, modo reſervatio ſit facta generaliter, & non in particulari pro tali numero delicto jam commiſſo. Secundo, Probabiliter in caſu legitimi impedimenti perpetui, aut diuturni, quo pœnitens adire nequeat Epiſcopum, ejuſve delegatum; & quidem ſine onere quoad caſus reſervationem; cum onere tamen quoad cenſuras adnexas, niſi vero impedimentum ſit perpetuum, vel Confeſſarius abſolvens ſit privilegiatus. Putant tamen Bonac., & alii communius, quod, ſi talis pœnitens impeditus adire perſonaliter Epiſcopum poſſit per literas, aut internuncium petere facultatem ab illo, ut abſolvatur, ad id teneatur, neque adeo poſſit aliter abſolvi; quia ſecus omnis vis reſervationis plane enervaretur, præſertim quoad Moniales, &c., niſi vero citra grave incommodum, aut longam moram non poſſit ea facultas obtineri, ut limitat Suar. d. 30. ſ. 3. n. 9. Sed adhuc Pal. ex Sanch., & Henr. probabiliter putant, nullum teneri per literas, aut Nuncium, petere ab Epiſcopo talem facultatem, quia Canones tantum obligant ad adeundum Superiorem, non autem ad faciendas alias diligentias; ideoque, ſi quis impeditus ſit adire ad longum tempus, poſſe abſolvi. Tertio, In caſu neceſſitatis, ratione ſcilicet ſcandali, infamiæ, &c. abſolvere tantum poſſunt indirecte a caſibus reſervatis Epiſcopo, adeoque cum onere iterum confitendi illos habenti facultatem; at nullatenus abſolvere poſſunt a cenſuris adnexis, quia talis neceſſitas non dicitur abſolute legitimum impedimentum, in quo ex dilatione pœnitentiæ ſit periculum animarum: Quart. & alii communiter contra Paſqual. non recte hæc duo confundentem. Quarto, Peyrin. apud Ceſped. cap. 6. d. 543. ait, probabiliter defendi poſſe, quod poſſint Regulares certis diebus Indulgentiæ plenariæ in ſuis Eccleſiis abſolvere a caſibus Epiſcopalibus; quia, qui obſervantiam legis ad tempus ex privilegio quoad effectum ſuſpendit, eam etiam illo tempore dicitur obſervare: qua ratione utitur Henr. l. 13. c. 48. n. 5. ad probandum, quod privilegia Regularium concedentia ſuſpenſionem interdicti in certis diebus non ſunt revocata per Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 12. *de Regular.* Ad Decret. Clem. VIII. dic, quod loquitur de probabilitate generali, & ſic revocat ea privilegia, quæ dictam generalem abſolutionem concedebant: cum quo ſtat, quod poſſint Minimi in aliquibus diebus anni a dictis caſibus abſolvere: hæc Peyrin., nec improbat Ceſped.; alii vero communiter negant. Quinto, Laym. l. 5. t. 6. c. 12. n. 51. ait: Si pœnitens bona fide ad Confeſſionem venerit, vel quia neſcivit tale peccatum Superiori reſervatum eſſe, vel, tametſi ſciverit, exiſtimavit tamen, legitime ſe ab inferiori Sacerdote abſolvi poſſe cum obligatione poſtea tempore opportuniore ſe præſentandi Prælato, in hoc caſu arbitror, plerumque abſolutionem cum onere dari poſſe; modo pœnitens præter reſervatum aliud peccatum abſolutioni ſubjiciat. Ratio eſt, quia aliqualis neceſſitas urget; ſiquidem pœnitens ægro animo diſcederet abſque abſolutione, cum ex ſua parte bene diſpoſitus ſit. Excipe, niſi excommunicatio adnexa ſit: de qua re Rich. in 4. d. 18. a. 9. q. 4. Hactenus Laym. Sexto. Si pœnitens afferat caſum reſervatum in alia Diœceſi, non autem in hac, ubi ſit confeſſio, abſolvi poteſt a quovis iſtius Diœceſis Confeſſario; quia abſolvitur juxta leges hujus loci: Doctores communiter, præſertim ex Conſtitutione Clem. X. *Superna*; quæ tamen limitat, niſi Confeſſarius noverit, illum *In fraudem reſervationis alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe*; Quæ tamen fraus intelligitur a nonnullis Doctoribus, cum illud delictum eſt deductum aliquo pacto ad forum contentioſum illius Epiſcopi: ſi autem ſit occultum, non cenſetur fraus mala; utitur enim jure ſuo volens ſe reponere in gratia, ubi exiſtit: Tamb. At, ſi pœnitens cum caſu reſervato incurſo in alia Diœceſi accedat ad hanc, ubi eſt etiam reſervatus, non poteſt hic abſolvi a quovis Confeſſario, ex ead. Conſt.: & ratio eſt, quia conſuetudo ex tacito conſenſu illius Ordinarii dat huic Confeſſario juriſdictionem abſolvendi talem peregrinum juxta leges hujus Ordinarii reſervantis eundem caſum. Reliqua de peregrinis, & Vagis vide dicta c. 2. quæſit. 4.

§. III.

Quis abſolvere poſſit Pœnitentem Regularem a reſervatis?

I. REGULARES abſolvi poſſunt a reſervatis Papalibus per Legatum a Latere, qui eſt Judex ordinarius etiam Regularium exemptorum; ideoque hic etiam ſine licentia Superioris Regularis poteſt eos abſolvere etiam a reſervatis in eorum Ordine: item poteſt hanc facultatem delegare aliis, ut eos abſolvant etiam extra ſuam Provinciam, & etiam eo amoto ab officio, modo facultas obtenta ſit intra ejus Provinciam, & perſeverante Officio: Pelliz. tr. 8. c. 5. n. 7. 8. ſol. 454. ex Nald., Molfeſ., Coriolan., & aliis: Idem eſt de Summo Pœnitentiario Papæ, qui eſt etiam ſupremus Ordinarius Regularium: non ſic vero de Epiſcopo, qui nequit abſolvere Religioſos exemptos, niſi de licentia eorum Superiorum, & a caſibus tantum, a quibus ipſi Superiores poſſunt abſolvere: Sanch. l. 4. *Decal.* c. 39. n. 32., poteſt tamen etiam ſine hac licentia abſolvere a Cenſura Religioſum exemptum, qui percuſſit Clericum Secularem, ex c. *Religioſo, de Sent. Excom. in 6.*

II. Regulares abſolvi poſſunt per ſuum Superiorem localem ab omnibus reſervatis in ſuo ordine: a Papalibus autem, quantum poteſt Epiſcopus relate ad ſuos ſubditos, juxta dicta c. 5. n. 2.; excepta tamen percuſſione jam dicta Clerici ſecularis, quæ tantum ab Epiſcopo abſolvitur; & percuſſione Religioſi alterius Ordinis, in quo caſu requiritur præſentia, vel conſenſus Superioris Religioſi percuſſi, ex c. *Cum illorum, de Sent. Excom.* Poteſt item Superior Regularis abſolvere ſuos Novitios a reſervatis Epiſcopo, quos etiam ante ingreſſum commiſerint, & a Papalibus, quantum poteſt Epiſcopus,

& a reservatis in ordine (quos incurri etiam a Novitiis Societatis Jesu, docet Mangionius in MS. *de Jur. Societ.*, licet non in aliis Religionibus teste Dian. p. 3. t. 2. r. 110.) Similitee absolvere potest existentes in Novitiatu veluti in prima probatione, licet nondum indutos veste Religionis: Peregr., Vecch., Ascan., Tamb. *de Jure Abbatis* t. 2. d. 13. q. 15. n. 29. Similiter absolvere potest volentes ingredi Religionem, petendo admitti amore ingrediendi quamprimum; ita tamen ut, si parati non sint mox ingredi, & peractis experimentis vota emittere; reincidant in censuras, sententias, & pœnas: Vecch., Tambur., & alii. Similiter absolvere potest seculares familiares Monasterii, dummodu sint quasi de familia, & continni commensales, ex cit. Constit. Clem. X. Peyr., & alii. Similiter demum absolvere potest alumnos degentes in suo Monasterio, velut in Seminario: Bord. apud Pellix. t. 8. c. 3. n. 57.; dummodo locos, in quo degunt alumni, & convictores, sit Regularium; & non econtra, ut bene limitat Lug. *In Resp. Moral.* Verom, si quis dictorum pœnitentium, vel sit secularis, vel Novitius, vel etiam Professus, ante ingressum in Religionem fuit nominatim excommunicatur ab Episcopo, ab hoc tantum absolvi debet; quia privilegia Regularium non possunt lædere jurisdictionem contentiosam Judicis: Bordon. t. 3. q. 7.

III. Superior Regularis dictam suam facultatem potest delegare aliis Sacerdotibus, tum intra, tum extra Religionem. Hoc ipso autem, quod deputat Confessarium suorum subditorum, non censetur ei delegare facultatem ad reservata in Ordine; & in Societate Jesu neque ad Papalia, ut addunt Tambue., & alii contra Quintanad. Imo neque in Societate, cum his in anno in renovatione votorum deputantur plures Confessarii, censetur his concessa facultas ad reservata, teste Mangionio in MS. *de Jur. Soc.* Imo, quamvis possit Superior concedere facultatem absolveodi suos subditos a reservatis, tamen in Societate expresse cautum est, ut, si ipse Superioe incidat in reservatum, non possit ipse concedere facultatem pro se; sed ex Congr. Generali 8. c. 6. n. 8. designatur a Provinciali Confessarius domus pro Superiore locali, & a Generali solius pro Provinciali.

Superior localis absolute loquendo non tenetur dictam suam facultatem concedere generaliter Confessarin domus, aut subdito pœnitenti, quia fere semper intra domum ipse existit, a quo peti possit. Potest tamen eam concedere etiam generaliter; qoia, quamvis Decr. Clement. VIII. cit. c. 3. §. 1. dicat, *Quando casus occurrit*, non addit clausulam negativam, ut non possit generaliter committere: Tamb. *de Cas. Reserv.* c. 9. §. 2. n. 26., imo quandoqoe, inquit Quintanad. apud eundem, expedit, ut ita committatur, si nimirum ipse sit occupatus, vel ire debeat extra Urbem, vel siot pauci subditi, vel pro aliquibus magnis festis anni, &c. Magister autem Novitiorum habet hanc facultatem relate ad illos, etiamsi non sit superior, uti etiam Instructor in Societate relate ad peragentes tertium annum. Si autem Confessarius Regolarium petat a Superiore facultatem absolvendi aliquem sobditum ab aliquo reservato, & Superior neget absque causa, potest pro ea vice talis Confessarius eum absolvere (quod aliqui cum Tamb. extendunt etiam ad Sacerdotem Monasterii non Confessarium) secus vero, si Superior rationabiliter neger, eo quod damnum proximo, aut Religioni, vel ipsi pœnitenti ex tali absolutione timeatur: Doctores communiter ex cit. Decr. Clem. VIII. & Urban. VIII. Cæterum non licet Superiori confessiones subditorum Regolarium audire, nisi sponte, & proprio motu id ab eo petierint, aot nisi quando reservatom admiserint; ideoque in singulis domibus deputet duos, tres, ant plures Confessarios, pro sobditorum majori, vel minori numero, ut additur in eod. Decr. Clem. VIII. Si ergo in domibus non designentur duo Confessarii, aux plures, ubi major est numerus subditorum, Mendo d. 24. a c. 5. putat, reservationem pro eo tempore videri impeditam, seu suspensam. In Residentiis, Missionibusque fixis, in quibus e nostris pauci morantur, jus idem habent earum Superiores, ac Rectores Collegiorum, integra tamen illis subditis manente concessione Congr. VIII. Decr. 25. pro parvis domibus, qua scilicet pœnitens, si non vult petere facultatem a Superiore, absolvi possit a reservatis per Confessarinm ordinarium cum onere se præsentandi postea Provinciali, si brevi sit in ejus domum discessorus; item, si Soperior ex Urbe abierit, Viceprępositus, vel Vicerector ab eo dictus; habet facultatem absolvendi a reservatis, qualem habet ipse Superior. Quod si nullum suo loco substituerit, etiamsi per unum, integrum tamen diem, sit tunc absens, nec consuli possit; is, qui Minister est, & domui tunc præest, facultatem habet tunc absolvendi, & etiam delegandi. Denique, ut omnes eximantur scrupuli, cum Confessarius bona fide dubitat, an mortale sit, quod proponitur, etiamsi ex genere suo reservatum sit, potest absolvere, licet ejusmodi dubitatio ex ignorantia procedat; sed neque postea, si animadverterit manifeste fuisse mortale, repetenda erit confessio; bona siquidem, & vera fuit absolutio: hactenus ex Ordin. General. c. 6.; ubi etiam c. 5. additur, Clem. VIII. vivæ vocis oraculo dispensasse cum Societate Jesu, & concessisse, ut Magistri Novitiorum possint eorum confessiones audire; ut non teneatur Superior deputare duos, vel plures, quibus reservatorom absolutio committatur, quando casus occurrit; ut ne judiciom talis commissionis relinquatur Confessario; sed interdum Superiori pro ratione sui officii, in quibus casibus constet, & discreta charitas doceat esse denegandam.

Denique Religiosus itee faciens (præsertim si sit Societatis Jesu) absolvi potest a reservatis per Sacerdotem socium sui itineris; &, si it desit, per quemcumque alium Sacerdotem: quod si ad aliquem Societatis locum devenerit; absolvi debet per Confessarium ordinarium illius loci; aut, si is haberi non possit, per quemlibet Societatis approbatum; aut, si is quoque desit, per quemlibet externum: & in omnibus his circumstantiis cum onere, ut se postmodum sistat suo Superiori, ad quem est iturus, vel rediturus, ex Ordin. Gen. c. 6.; nec mirum est, inqoit Tamb. ex Lug., illum obligari bis confiteri illa eeservata, jam directe absoluta; nam seipsum ad id obligat, quia supponitur voluntarie prima vice confiteri: si autem adsit necessitas communicandi, vel celebrandi, ratione scaodali, infamiæ, præcepti, &c. absolvitor tantum indirecte, itaut debeat deinde directe absolvi, licer possit tunc tantum conteri, & commonicare, aut celebrare. Ac, si spatio saltem unius mensis sie hospes in aliquo Collegio moraturus, si eo tempore incidat in reservatum, poterit, & debebit absolvi a Superiore illius loci, vel de ejus licentia absque ullo onere, ex cit. Ordin. Si autem in eo Collegio secum babeat hospitem etiam suum Superiorem, poterit etiam hic, si velit, eum audire, & absolvere: Quintanad. in MS. v. *Confess.*

Extant duo privilegia Fr. Minorum de Observantia apud Rodr., & Soar. *t. 4. de Relig.* Primum est, uc semel in vita eligere possint Confessarium de Ordine, a quo absolvantur ab omnibus omnino reservatis, & censuris, & dispensentur in irregularitate, excepta ex homicidio, vel mutilatione voluntaria. Secundum est, ut in articulo mortis ab eo absolvi possint ab omnibus omnino sine ullo onere, & quidem toties, quoties sunt in eo articulo, ut addit Suar. loc. cit. v. Rodr. tom. 1. q. 62. a. 6. pag. 364. idipsum asserentem de Novitiis, & Familiaribus Conventus. An autem hæc privilegia sint bullata, ignorat Pelliz. t. 8. c. 2. n. 79.

§. IV.

Quomodo intelligenda sint concessiones absolvendi a reservatis?

AD absolvendum a eeservatis extra casus supra enumeratos requiritur licentia specialis, & expressa, ex cap. 2. *de Pœnit.*, *& Remis. in 6.*; qoia, cum Superior sibi specialiter reserver tales casus atrociores, non videtur verisimile velle concedere aliis facultatem, nisi pee expressam, & specialem licentiam, seu delegationem: quamvis ergo simplex Sacerdos absolvens pœnitentem, præsente, & non contradicente Episcopo, valide absolvat ex licentia tacita illius; non tamen, si absolvat a reservatis, qnia tunc Superior tacite approbat, ut solet alios authentice approbare, tantum quoad non reservata: Avers. q. 17. s. 7.

Quæres primo, An petere talem licentiam pro reservatione sit onus pœnitentis, an Confessarii?

Respondeo, per se loquendo, esse onus pœnitentis; quia ad ipsum delinquentem pertinet eam difficultatem pati adeundo Soperiorem ad impetrandam licentiam. Hinc Trid. *sess. 14. c. 7.* monens Confessarios, *Id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.* Cæterum, si pœnitenti sit valde difficile adire Superiorem, vel dictam licentiam impetrare, & simul periculum sit, ut potius perseveret in statu mortalis in grave

da-

damnum animæ, charitas obligat Confeſſarium ad obviandum ejus damno ſpirituali, quoties fieri id poteſt abſque gravi incommodo: Pelliz. t. 8. c. 3. num. 26. & alii. Addit Quart., Confeſſarium, ſi rogatus a pœnitente petiit, & obtinuit licentiam, teneri poſtea illum abſolvere, quia, quando cauſa fuit deducta in judicium apud ipſum, tenetur eam complere, poſita dicta facultate; quamvis enim hæc ſit privilegium, tamen res non eſt integra; ideoque tenetur eo uti in favorem pœnitentis.

Si autem petita ſit licentia, & non obtenta non poteſt eum abſolvere, etiamſi injuſte ſit negata: Doctores communiter contra Heur., Rodr., & alios apud Averſ., & Dian. p. 2. t. 4. r. 29., & colligitur ex prop. 13. damnata ab Alex. VII., juxta dicta q. 1. c. 3. §. 2., quamvis quoad pœnitentes Regulares benignius procedatur ex ſpeciali Decr. Clem., & Urb. VIII., juxta dicta cap. antec. Cæterum, quamvis Superior, per ſe loquendo, non teneatur concedere talem licentiam, ut colligitur ex natura ipſa reſervationis, qua Superior ad ſe avocat ſententiam ſuper reſervatis, communiter tamen non denegat, niſi in caſu aliquo atrociori, ut ſic territi pœnitentes efficacius proponant ab eo abſtinere: imo aliquando tenetur Superior concedere, quoties ſcilicet denegatio vergeret in grave damnum pœnitentis, qui actus in deſperationem plura peccata committeret, v.g. ſi quis non haberet animum accedendi ad Superiorem, & præ nimia repugnantia, aut verecundia mallet omittere confeſſionem, & perſeverare in peccatis, quam confiteri Superiori, & a fortiori, ſi eſſet periculum infamiæ, ſcandali, &c.; tunc enim Superior tenetur ex officio, adeoque ex juſtitia dare licentiam, vel Confeſſario petenti, vel alteri magis idoneo: Suar. d. 3. ſ. 4., & alii.

Quæres ſecundo, An Pœnitentiarius, vel alius habens a Superiore facultatem delegatam abſolvendi a reſervatis, poſſit eam alteri Confeſſario ſubdelegare?

Reſpondeo: Primo, Non poſſe concedere generaliter: Secundo, Poſſe in caſu particulari occurrente pro ea vice: Doctores communiter cum Sanch. l. 3. *Matrim.* d. 31.; vel etiam occurſuro intra aliquot dies, ut addit Pelliz. t. 8. c. 3. ſ. 2. dub. 2. num. 134. Patet primum, quia ex *L. fin., ff. de Off.*, delegatus non poteſt ſubdelegare, hoc eſt facultatem ſibi delegatam alteri ſimpliciter concedere; niſi forte ſit delegatus Principis, ex cap. fin. *de Off. delegat.*, qualis in caſo eſſet Summus Pœnitentiarius Papæ, vel Legatus a latere. Patet ſecundum, quia ex *L. 1., ff. Quis, & a quo*, delegatus ad univerſalitatem cauſarum reputatur, quaſi Ordinarius; ergo poteſt ſaltem unam, vel alteram cauſam ſubdelegare in caſu particulari hic & nunc occurrente, aut intra aliquot dies occurſuro; & hanc poteſtatem non poſſe limitari a principali delegante, ait Pelliz., eo quod ſit a jure. Imo, etiamſi habeas delegatam facultatem *Per teipſum tantum* abſolvendi, adhuc putant aliqui ap. Croix num. 1687., te poſſe ab alio per te ſubdelegando abſolvi; quia non debes eſſe deterioris conditionis, quam alii, quod certum eſt de Epiſcopis ex decl. S. Cong., ſed quoad alios id negat Averſ., quia, dum dicitur *Præcipuum*, negatur poteſtas ſubdelegandi. Dicitur autem delegatus ad univerſalitatem cauſarum is, cui aliquod ſaltem genus cauſarum committitur ſub uno nomine collectivo, quamvis non ſit genus generaliſſimum, ut ſi ei detur facultas abſolvendi a reſervatis pro tali feſto, vel a reſervatis in tali loco, vel a reſervatis abſque cenſura, vel generaliter a tali caſu; is enim poteſt ad caſus particulares hic & nunc occurrentes dare facultatem ſimplici Confeſſario approbato, ut abſolvat pro eo feſto, pro eo loco, &c., & ſic, quoties pro eo feſto, pro eo loco, &c. petatur. Cæterum ſubdelegatus non poteſt alteri ſubdelegare, quia nullatenus eſt ad univerſalitatem cauſarum, ut patet.

Quæres tertio, Quomodo intelligendæ ſint licentiæ limitatæ abſolvendi a reſervatis?

Reſpondeo, Si licentia ſit limitata quoad certum tempus, puta pro tali feſto, durat per totam octavam, ſi feſtum octavam habeat; quia tota octava reputatur idem dies cum feſto, & pro toto hoc tempore militat finis conceſſionis, cum fideles toto eo tempore ſoleant accurrere ad ſolemnitatem: Pelliz. t. 8. c. 3. ſ. 2. ſub. 2. n. 136.; ubi addit, talem conceſſionem incipere etiam prodeſſe a puncto temporis, quo data eſt; &, ſi feſtum ſit ex ſolemnioribus, puta Nativitatis, Reſurrectionis, Pentecoſtes, Aſſumptionis, probabiliter prodeſſe etiam per octo dies ante, idque ex rationabili interpretativa voluntate concedentis ſpectato conceſſionis fine, & concurſu populi, &c. Si autem licentia dicat, ut hic pœnitens abſolvatur a reſervatis, poteſt per eam abſolvi etiam poſt plures annos, & probabiliter etiam mortuo concedente, ſive ea data ſit Confeſſario, ſive pœnitenti; quia eſt gratia facta, juxta dicta q. 1. c. 2. §. 2. Si autem pœnitens, antequam dicta licentia mandetur executioni, iterum incidat in reſervatum, Lug. Dicaſt., Gob., Bon., & alii apud Dian. p. 4. t. 4. r. 109., & Averſ. q. 17. ſ. 7. dicunt, etiam ſe extendere ad illum, niſi expreſſe limitetur ad præterita; quia mens concedentis eſt, ut conſulatur ſaluti pœnitentis, & per abſolutionem liberetur integre a peccatis. Si Confeſſarius obtinuit licentiam pro determinata perſona, Moronus, & Pelliz. putant, poſſe ea uti pro alia loco illius, quia idem eſt finis concedentis, & gratia late interpretanda; niſi vero, aliunde præſumatur mens concedentis hunc alium excludere. Si vero obtinuit licentiam pro una perſona innominata, Pelliz., Averſ., Dian., & alii putant, poſſe paſſive uti pro ſe, niſi moraliter conſtet, Superiorem intendiſſe dare ei ſolam activam poteſtatem, ut addit Lug.

Quæres quarto, Quomodo intelligendæ ſint licentiæ illimitatæ abſolvendi a reſervatis?

Reſpondeo primo: Si licentia dicat, *Ab omnibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ*, non comprehenduntur caſus Bull. Cœn., quia indigent ſpeciali mentione, utpote ſtrictiſſime reſervati; uti nec in conceſſione omnium caſuum Bul. Cœn. comprehenditur hæreſis, niſi exprimatur, utpote etiam indigens ſpecialiſſima mentione; Doctores communiter contra Tann. ap. Croix n. 1616. Putant tamen Suar., Vaſq., Laym., Henr., & alii, in dicta licentia comprehendi etiam caſus Epiſcopales; quia, quos ſibi reſervant Epiſcopi, reſervantur etiam Sedi Apoſtolicæ, a qua ſcilicet abſolvi etiam poſſunt: ſed omnino negandum eſt cum Veg., Rodr., Bonac., & aliis præſertim poſt Conſt. cit. Clem. X., ubi loquens de Regularibus expreſſe ait, *Habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo a caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere:* ergo pariter dicendum de aliis conceſſionibus abſolvendi a reſervatis Sedi Apoſtolicæ.

Reſpondeo ſecundo: Si licentia dicat, *Ab omnibus caſibus reſervatis Epiſcopo*, non comprehenduntur caſus, quos Epiſcopus non vult concedere, niſi nominatim exprimantur, qualis eſt in hac Diœceſi collocutio cum Monialibus de obſcœnis. Probabiliter tamen putant Suar. d. 7. *de Cenſur.* ſ. 4. n. 3., & alii, in dicta licentia comprehendi etiam caſus Epiſcopales, quibus eſt adnexa excommunicatio, aliave cenſura, quia ex recepto more loquendi nomine caſuum reſervatorum veniunt etiam, qui adnexam habent cenſuram, &, ut addit Pelliz. ex Nav., in favorabilibus (non tamen in odioſis) cenſura eſt caſus; ſed probabilius negant Sanch., Bonac., & alii; quia ſunt multi caſus Epiſcopales, quibus non eſt adnexa cenſura, ut patet in eorum tabellis: ergo de his tantum videtur loqui dicta licentia.

Quæres quinto, Quomodo intelligenda ſit Bulla Jubilæi, præſertim quoad facultatem abſolvendi a reſervatis?

Reſpondeo, Solere in ea concedi omnibus Confeſſariis approbatis ab Ordinario amplam facultatem abſolvendi pro ea vice tantum quoſcumque a caſibus, & cenſuris ordinariis locorum, & Sedi Apoſtolicæ, etiam in Bul. Cœn. reſervatis, ſatisfacta tamen parte: item commutandi omnia vota, exceptis votis Religionis, & Caſtitatis.

Dicitur primo, *Abſolvendi*, & quidem pro utroque foro, dummodo conſtet, pœnitentem tempore Jubilæi eſſe abſolutum: ſed dubium eſt, an abſolutio a cenſuris dari tunc poſſit extra confeſſionem Sacramentalem, cum verba Jubilæi plerumque dicant, *Auditis Confeſſionibus, &c.*, probabilius tamen ex Sanch. l. 8. *Matr.* d. 34. n. 29. videtur poſſe, quia hæc verba non ponuntur cum particula aliqua denotante conditionem, qualis eſt, *Si*, *Dummodo*, &c., ſed tanquam modus ad finem lucrandi Jubilæum. Similiter commutatio votorum, & operum injunctorum, ac temporum pro impeditis fieri poteſt extra confeſſionem, Croix num. 1460.

Dicitur ſecundo, *Pro ea vice tantum*, hoc eſt durante Jubilæo, & quidem toties quoties pro eo tempore, præſertim ea ſeptimana, qua peraguntur opera injuncta: imo, ſi prima ſeptimana lucratus ſis Jubilæum, & in ſecunda incidas in reſervatum, adhuc poteris

teris

teris tunc absolvi, etiamsi opera pæscripta non repetas: Bonac., Pal., & alii contra Nav., Dian., & alios. Item, si rite confessus tempore Jubilæi omiseris inculpabiliter reservatum, aut censuram, sive ex oblivione, sive ex justa causa silentio presseris, utrumque sublatum est, quia Confessarius absolvit quantum potuit; quare, si post Jubilæum recordeeis, poteris peccatum oblitum subjicete cuivis Confessario, juxta dicta c. 5.; imo Lugo apud Croix addit, etiamsi confessio fuerit saerilega, modo adfuerit intentio bene postea confitendi: sed boc communitet videtur esse contra mentem Pontifieis; bene tameo, si fuerit invalida inculpabiliter: Dicast., & alii. Item, si justa ex causa prorogatum tibi sit Jubilæum, frui poteris dictis licentiis, quousque durat prorogatio; quod, si iote-rea toeidis in reservatum, Lug., Gob., & alii negant, posse ab boc absolvi; quia jurisdictio prorogatur tantum respectu ad reservata axistentia tempore Jubilæi communis, probabilitee tamen etiam affirmant Boss., Faust., Dian., & alii, quia prorogatio Jubilæi conceditur, ut possis illud lucrari, & secundum hanc sententiam possent tunc etiam commutati vota post illud tempus emissa. Item, si oblitus mortalium impleveris reliqua opera injuncta tempore Jubilæi absque confessione, & postea tecorderis reservatorum, Sanch., Lug., & alii probabiliter putant, posse absolvi a quovis Confessario; quia probabile est, lucrari tunc Jubilæum.

Dicitur tertio, *A casibus, & censuris, &c.* Per casus Sedi Apostolicæ eeservatos, Sayr., Cord., Fagun., Regin., Gob., & alii intelligunt tempore Jubilæi etiam hæeesim, & ita declaratum testatur Filliue.; sed probabilius negant Suar., Vasq., Pal., Avil., Bonac., & alii, quia hætesis ex dictis indiget specialissima mentione, & adest Declar. S. Congreg. sub Alexand. VII. an. 1656. apud Tamb. *in Op. post.* Item pee casus Sedi Apostolicæ reservatos, Suar., & alii intelligunt tempore Jubilæi etiam reservatos Episcopo, etiamsi de his in Bulla non fiat mentio: sed probabilius videtur oppositum, juxta dicta quæsit. 4. Per censuras autem intellige eas, quæ pet se impediunt Sacramenta pœnitentiæ, & communionis, qualis est omnis excommunicatio etiam publica, & vitanda: item inteedictum personale speciale; non autem interdictum locale, aut personale generale; neque suspensio, ut addit Avers. s. 7. contra alios; neque irregularitas, ut docent communiter contra Bann., Medin., aliosque Thomistas putantes, irregularitatem ex delicto habere vim ceosuræ. Addit Avila, quod, si excommunicatio sit denunciata, vel deducta ad forum contentiosum, satius sit, ut pœniteos remittatur ad Judicem.

Dicitur quarto, *Quoscumque, cujuscumque sint Diœcesis, modo confiteantur Confessario approbato ab Ordinario loci*. An autem possint tunc Regulares, & Moniales absolvi sine licentia sui Superioris a quovis Confessario, sive Regulari, sive Seculari, modo approbatus sit ab *Ordinario loci*, hoc est ab Episcopo, dictum est q. 1. c. 3. §. 4. An autem approbatus tantom pro viris possit tunc absolveee etiam mulieres, negaot Doctores communiter cum Suar. d. 28. s. 7., quia scilicet non habet approbationem relate ad illas; quamvis Fagund., & alii apud Dian. p. 1. t. 11. r. 9. putent, quod, si restrictio approbationis ad solos viros sit solum ratione ætatis, non vero idoneitatis, possit etiam a mulieribus eligi. Similiter approbatus limitate ad eertum locum, tempus, aut personas, non est universim eligibilis vi Jubilæi: Doctores communitet cum Filiue., Gob., Boss., & aliis contra alios apud Dian. cit. Deoique nota ex Sanch., Gob., & aliis, quod Pœoitens vi Jubilæi rite eligens Confessarium approbatum, etiamsi non Paeochum, eum obligat sob mortali ad audiendam suam confessionem, &c., quia habet a Papa jus eligendi.

Dicitur quinto, *Satisfacta tamen parte*, si qua scilicet fuerit ab eo læsa. Quod si non possit, sufficit juramentum, vel juxta Navarr., Henr., & Dian., propositum satisfaciendi, cum commode poteris: & nomine partis, non venit hic Judex, vel Ecclesia, cui fuit contumax: nisi forte sit etiam læsa: Avil., & alii. Si autem possit satisfacere, & accedit tantum cum proposito statim satisfaciendi, Suar., & alii communiter dicunt, invalide absolvi; quamvis Sanch., & alii probabiliter putent, valide quidem, quamvis illicite, quia talis conditio, cum non sit expresse irritans, censetue tantum prohibens.

Dicitur sexto, *Commutandi vota, &c.* Commutari ergo possunt, ex justa tamen causa, etiam in aliquod minus, vota etiam jurata; imo etiam juramenta, modo non fiat in damnum tertii: Suar., Saoch., & alii communius contta Bonae., Less., & alios: exceptis tantum votis Castitatis, & Religionis, si tamen sint vota perfecta, & ex amote virtutis emissa, ut limitant Pal., & alii: quare hæc etiam commutari possunt, si sint vota pœoalia; vel sint conditionalia, etiamsi purificata sit conditio; vel sint alteroativa cum alia materia, etiamsi hæc evaserit impossibilis; vel sint elicita ex metu, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco, sive injuste incusso, etiam levi; vel emissa ab impubere; vel sub obligatione levi; vel ad tempus; vel si fuerint plura vota partialia pertineotia ad castitatem; vel demom si sine meta jurameota servandi Castitatem, iogrediendi Religionem, &c. Ita probabiliter Pal., Saoch., & alii contta alios. Illud nota, ut valide fruaris dictis facultatibus vi Jubilæi, eequiri, ut accedas ad Confessarium cum animo luctandi Jubilæum, quia ad hunc finem conceduntur a Pontifice: Doctores commoniter. Si autem postea mutes voluotatem, & nolis prosequi opera injuncta, valida fuit absolutio a reservatis, censuris, commutatio votorum, &c. Suar., Sanch., & alii communiter; etsi aliqui cootra alios addant, peccare tunc contra finem Pontificis.

Quæres sexto, Quomodo intelligatur Bulla Cruciatæ, præsertim quoad facultatem absolvendi a reservatis?

Respondeo, Bullam Cruciatæ alicubi publicari, & sumi singulis annis; ideoque durat per annum, & in novæ Bullæ publicatione espirat prior. Intra annum ubicumque sit Bullacruciatus potest pro foro conscientiæ, & satisfacta parte pet quemeumque Confessarium approbatum ab Ordioario loci absolvi toties quoties ab omnibus casibus, & censuris Episcopalibus etiam publicis (illicite tamen, si sit deductus ad forum contentiosum lite juste pendeote, vel si nominatim sit denunciatus) A Papalibus vero, si sint publici, semel in vita, & semel in morte intra illum annum; si sint occulti, toties quoties intra illom annum (excepta sempee hæresi, quæ nec occulta absolvi potest) Eadem die, si pœnitens renovat Bullam anno sequenti: v. Tamb. c. 5.

Quæres septimo, Quid agendum sit Confessario dubitanti, utrum habeat facultatem in reservata?

Respondeo com distinctione: Si enim dubium sit positivum, itaut probabilitee putet, se habere facultatem in aliquod reservatum, vel eam nondum expirasse, potest valide, & licite absolvere; quia nititue opinioni probabili, & sic defectum jurisdictionis, si esset, supplerei Ecclesia: similiter: qui a Papa habent facultatem in reservata, probabiliter absolvete possunt ab illis etiam tempore Jubilæi anni sancti; quia hæc opinio, quamvis non sit certa, tamen communiter recepta est a sapientibus, adeoque, etiamsi esset falsa, est error communis cum titulo colorato putativo, nempe privilegio Papæ, & approbatione Ordinarii: Lug. d. 13. a num. 114., Carden., Croix num. 1690. Si vero dubium sit negativum; tunc, si dubites, an licentia olim concessa nunc expiraveeit, adhuc potes absolvere, quia in tali dubio possidet licentia jam certo habita; contra vero non potes, si dubites, an olim haboeeis licentiam, an sit expedita, &c., quia possessio stat pro reservatione: Bon., & alii. Hioc, si licentia absolvendi, a reservatis sit ad ceetum tempus, puta ad mensem, potes ea uti etiam die sequenti immediate post mensem: quia probabile est posse, secundum Pelliz. t. 6. c. 2. num. 130., ex eo quod dies teemini non computatur in terminum, quamvis Tamb. putet oppositum, eo quod licentia æquiparatue donationi, in qua dies termini computatur in terminum. Si autem licentia data simol sit ad audiendas confessiones, & ad reseevata pee mensem, & post meosem prorogetue licentia ad audiendas confessiones, non potes postea absolvere a reservatis, qoia oon intelligitur de novo concessa, seu prorogata facultas in reseevata, nisi de novo exprimatur: Bordon., Tamb., & alii.

Reliqua pro iotelligendis clausulis licentiarum dicta sunt in de Legibus tom. 1. tr. 1. d. 4.

APPENDIX

De Casibus Reservatis.

CAsus reservati alii sunt Papales, alii Episcopales, alii specialiter reservati in Ordinibus Religiosis; de his ut distincte agamus, sit

CAPUT I.

De Casibus Reservatis Papæ.

CAsus Papales, seu Pontificii in triplici sunt classe: in prima sunt 20. Casus Bullæ Cœnæ: in secunda sunt 6. a Clem. VIII. specialiter reservati extra Urbem intra Italiam: in tertia sunt reliqui in corpore Juris, aliisque Constitutionibus Papalibus contenti.

§. I.

De Casibus Bullæ Cœnæ.

USus Bullæ Cœnæ fuit antiquissimus ante Mart. V. nam in Bibliot. Vatic. invenitur Bulla Greg. XI. 1370. & Hostiens. meminit ejus consuetudinem 1255. ideoque ejus initium ignoratur: Bonac. Porro hæc Bulla renovatur singulis annis in Cœna Domini: continetque 20. excommunicationes latæ sententiæ contra omnes, & strictissime reservatas Papæ; quo mortuo etiam durant, donec nova Bulla publicetur. Hinc eas alii appellant excommunicationes a jure, quæ durant post mortem auctoris; alii vero ab homine, quia cessant in publicatione novæ Bullæ; alii melius dicunt, participare de utraque specie: cum autem talis Bulla multas contineat excommunicationes, quæ extant in corpore juris, non has multiplicat pro eodem delicto, sed strictius reservat; ideoque, si nova Bulla aliquas earum omittat, obligant tantum, ut in corpore juris, si, seclusa Bulla, erant in vigore: Pal. d. 3. p. 1. De his ergo primo hic sigillatim nos agemus: itaque excommunicantur, & reservantur Pontifici

I. *Hæretici, & eis credentes, eorumque receptatores, ac fautores; item scienter legentes, retinentes, imprimentes, aut defendentes hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, nec non schismatici, & pertinaciter se subtrahentes ab obedientia Romani Pontificis.*

Prima itaque excommunicatio Papæ reservata fertur primo contra hæreticos; quinam autem hi sint, & quandonam hujusmodi excommunicationem incurrant, vide dicta tr. 2. §. *de Hæresi* quæsito 1. & 3.

Secundo contra hæreticis credentes. Hi autem sunt, qui errorem explicite non habent, sed implicite ex Palud. Sylv. Tolet. ut si quis crederet, Calvinum vera docere, & mori vellet in ejus fide: porro debet hoc ipsum externis signis exprimi.

Tertio contra hæreticorum receptatores. Dicuntur autem receptare omnes illi, qui in domibus, vel aliis locis hæreticos recipiunt, illos occultando (etsi semel id præstent, ex stylo Curiæ, & *l. Congruit, ff. de Officio Præsidis*, non obstante, quod *receptare* ex vi vocis importet *frequenter recipere*) ne in manus Judicum veniant, & sic pœnas contra hæreticos latas evitent. Ubi nota, quod ad incurrendam excommunicationem requiritur, ut receptatio in favorem hæresis cedat, ideoque fiat in causa hæresis: unde non incurritur, si receptatur hæreticus, ne a latrone occidatur, vel ne incidat in manus Judicis procedentis ratione homicidii, vel alterius criminis: bene vero, si receptatur in causa hæresis, etiamsi id fiat ex motivo amicitiæ, vel consanguinitatis: Sayr. Tol. &c. imo, etiamsi effectus sequutus non sit: puta, quia adhuc hæreticus reipsa captus fuit a Judicibus. Ratio est, quia saltem pro eo tempore, quo hæreticus receptatur, & impeditur, ne capiatur a Judicibus, receptio in favorem hæresis cedit, licet postea effectus cesset hæretico capto: ita Suar. Sayr. Pal. contra Sanch. Bon. Fill.

Quarto contra hæreticorum fautores. Quidam autem sunt fautores omissione, quidam commissione ex Sylv. Palud. Tol. Fautores omissione sunt, qui, cum ex officio teneantur hæreticos punire, vel incarcerare, non faciunt. Addit Sylv. sub hac censura comprehendi etiam personas privatas, quæ ex juramento tenentur hæreticos denunciare, & non denuntiant; non tamen, qui ad id tenentur solum ex charitate (cum ad id teneamur omnes) nec proinde, nisi sint jurati, dici possint fautores. Fautores commissione sunt, qui verbis, literis, vel factis favent, & qui laudant hæreticos, dicendo, *Inique Inquisitores contra ipsos procedunt, &c.* vel illis præstant opem, qua fugiant, vel alia hujusmodi: favor tamen debet esse in causa hæresis.

Quinto contra defensores hæreticorum, vel eis credentium, nempe, ut explicant Sylv. Archidiac. Tolet. qui viribus, ac potentia eos defendunt, ne excommunicentur, capiantur, puniantur. Item Notarii, Advocati, qui in causa hæresis eis patrocinantur.

Sexto contra scienter legentes libros hæreticorum. Porro libri in hac bulla prohibiti sunt omnes, & soli libri auctoris hæretici continentes hæresim, vel tractantes de Religione; hoc est vel unam saltem continentes hæresim, vel tractantes ex professo de rebus sacris, asceticis, aut bonis moribus. Non ergo prohibetur in hac bulla liber Ethnici, Catechumeni, aut Judæi, etsi contineat errorem in fide, quia non est liber hæretici. Neque liber Catholici, quomodocumque contineat hæreses, vel hæreticorum scholia, seu commentationes etiam copiosissimas, quia adhuc absolute non dicitur liber hæretici: Sanch. Tamb. & alii contra Suar. & alios. Si autem damnetur auctor tanquam hæreticus, jam liber ille est hæretici, & continet hæresim; at, si tractabat de Religione, nec continebat hæresim, Bonac. adhuc putat, posse legi, quia scriptus jam fuit spiritu catholico.

Reliqui libri prohibiti in indice sunt in duplici classe: alii enim prohibentur sub excommunicatione, alii tantum sub peccato. Sub excomm. lata, ac reservata a Sixto V. *Cœli, & Terræ* prohibentur omnes libri; & scripta astrologiæ judiciariæ, seu divinationum de futuris contingentibus liberis. Porro Potestà pag. 562. ex cit. Constitut. Sixt. V. colligit excommunicationem, sed non reservationem; &, si tales libri astrologiæ, necromantiæ, veneficiorum, sortilegiorum, &c. non contineant hæresim, nec eam sapiant, nec ejus suspicionem, nec falsum dogma, non incurri excommunicationem. Dicuntur autem continere suspicionem, si asserant, Astra, nedum inclinare, sed cogere nostras voluntates, vel esse infallibile indicium: item, si præcipiant dæmonis adorationem, abusum Sacramentorum, si asserant, signa habere vim ex opere operato, &c. Sub excommunic. lata non reservata prohibentur a Clem. VIII. *Cum sicut* omnes libri hæresiarcharum, etiamsi non tractent de Religione, nec hæresim contineant; idemque est de libro hæretici nondum examinato, & approbato jussu Episcopi, vel Inquisitionis, juxta Reg. 2. Ind. item libri eorum, qui sunt suspecti de hæresi, vel catholicorum, in quibus sunt aliquæ hæreses immixtæ, donec corrigantur; item Talmud, & alii libri hebræorum, in quibus fit aliquid contra fidem, & Alcoranum Basileæ impressum. Denique sub peccato mortali tantum prohibentur cæteri libri vetiti quocumque alio nomine, puta obscœni, impostores, &c. juxta Regulam Indicis 10. putatque Tamb. esse posse aliquando veniale aliquem istorum legere, nisi contineat errorem, nec vetetur ex fine gravi; at nullus liber vetari solet a S. C. nisi ex fine gravi.

Legere autem diceris, etiamsi tantum oculis, & mente simul intelligendo librum percurras; quia sic proprie, & sensibiliter legis, quamvis vocem non proferas: Doctores communiter. Contra vero excusaris ab excommunicatione, si ignorans idioma librum percurras, quasi legendo, vocesque efformando; quia sic proprie non legis: Tamb. & alii contra Bonac. & similiter, si mente tantum recites, quæ olim legisti. Excusaris etiam, si, ignorando librum esse prohibitum, vere, & proprie legas, etiamsi ea ignorantia sit crassa, & supina; quia Bulla dicit, *Scienter*. Excusaris etiam, si parum legas, ratione parvitatis materiæ; hanc alii dicunt esse unum, aut alterum versiculum, sic Azor. alii non multas lineas, sic Suar. alii decem lineas, sic Sayr. alii unam paginam, & aliquid plus, sic Sanch. alii unam paginam libri in folio impressi, sic Pal. Omnes probabiliter, inquit Tamb. dummodo ibi non contineatur doctrina, ob quam ille liber est prohibitus; quia tunc, si scienter legas, ea inobedientia est gravis; si autem casu, & non ex intentione, poteris excusari. Nullatenus tamen excusaris, si in magna quantitate legas partem libri, quamvis ibi non sit error, sive ea sit epistola dedicatoria, sive proœmium, sive index, &c. quia ea est pars libri, qui totus est prohibitus. Si vero legas ibi aliquem tractatum sanæ doctrinæ, quamvis in eo tomo compactum, habeat tamen rationem libri

bri

bri secundum se distincti, excusant Sanch. Bon. Tamb. & alii, & a fortiori, si sit in tomo distincto. Quod si legas concionem, epistolam, quaternionem, aut quid simile typis impressum, & solutum, Pal. Pignat. & alii non excusant, quia secus, si liber ita dissolveretur, aut nondum esset compactus, singuli quaterniones possent legi: sed excusant Sanch. Dicast. & alii, dummodo quaternio ille non sit in tractatus formam redactus; quia sic non habet rationem libri. Probabilius tamen non excusaris ab excommunicatione legendo (imo a fortiori retinendo, ne scilicet in aliorum manus libri isti deveniant, quod etiam lex prohibitiva intendit avertere, cum velit illos omnino comburi) librum prohibitum, etsi cesset periculum propriæ subversionis ex doctrina explicata in de Legibus d. 2. quæst. 4. c. 3.

Dubium est primo, An excuseris ab excommunicatione, si tantum audias legentem tales libros?

Negant Suar. & alii, quia intelligentia mentis est propria, ac principalis actio in ratione lectionis; præsertim, si induxeris illum ad legendum, ut addit Azor. quia sic censeris legere per alium. Sed probabilius te excusant Sanch. Con. Fil. Pal. Tamb. Bon. & alii; quia ille proprie dicitur legere, qui mente simul, & oculis librum percurrit; ideoque addit Steph. n. 51. probabile esse, te neque peccare, si præcisio periculo propriæ perversionis jubeas, legi tibi librum ab alio idiomatis ignaro, vel habente facultatem legendi, ut addit Sousa.

Dubium est secundo, An excuseris ab excomm. si legas librum non typis impressum, sed manuscriptum?

Negant communiter Suar. Sanch. Dicast. Pignat. & alii; quia secus facile eluderetur prohibitio, cum possent hæretici sola manuscripta divulgare, & alii facere sibi transcribi tales libros; per quod non evitaretur periculum perversionis: adde, quod liber manuscriptus in communi acceptione est vere liber, & de materiali se habet, quod sit typis impressus, aut manu exaratus, ut antiquitus fiebat. Affirmant tamen alii cum Tamb. l. 2. *Decal.* c. 1. num. 14. quia MS. non sunt hodie in rigore libri, & in odiosis non est facienda extensio; lex autem ista, quamvis sit favorabilis Fidei, tamen immediate gravamen continet, cum privet hominem legendi libertate, qua fruitur, neque ideo eluditur lex; nam libri impressi facilius habentur, libentius leguntur, & diutius manent, quod non habetur in MS. & confirmat, quia, quando Pontifex vult scripturas sub prohibitione librorum includere, facit speciatim eas nominando, ut in Conc. Lat. & Trid. in ordine ad impressionem, ac divulgationem, ut infra patebit, & est in Reg. Ind. 10. ubi habetur, quod si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris *scripta* ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem prohibita legerit, sive habuerit, statim in sententiam excommunicationis incurrat; ergo, dum solos libros nominat, ut in Bull. Cœn. non includit MS.

Septimo contra retinentes prædictos libros. Retinere autem dicitur, qui apud se habet librum etiam alienum, vel suum apud alium loco depositi, aut pignoris, quia utrovis modo revera dicitur retinere: idque verum est, etiamsi ille, apud quem retines, librum non intelligat, vel quocumque fine apud te retineas: quare neque excusantur aromatarii eum retinentes ad involvendum aromata, medicinas, &c. Sanch. Tamb. & alii. Si loco commodati tradas habenti facultatem, probabile est excusari; quia sic non habes liberum usum, adeoque non retines rigorose. Excusat hic etiam parvitas materiæ: puta, si retineas unum, duo, vel tria folia; quia minus periculum est retinere, quam legere, ut notat Tamb. Similiter, quamvis possis commode librum extradere, si retineas per unum, aut alterum diem, excusaris a mortali, & ab excommunicatione, ratione parvi temporis: Sanch. Pal. Tamb. Dian. Pignat. pag. 182. Similiter, quamvis pecces graviter, si habeas voluntatem diu retinendi, si tamen paulo post proponas extradere, non incurris excommunicationem, quia non habetur peccatum exterius consummatum, juxta dicta d. 1. q. 1. c. 4. Excusat pariter, si desit commoditas tradendi, etiamsi diu hanc expectes, dummodo paratus semper sis tradere, absque ulla fraude, ac negligentia: Pignat. Croix n. 351. Similiter, si petiisti, & expectas licentiam illum legendi, potes retinere, donec licentia data sit, vel negata; dummodo responsum quamprimum expectetur: idemque est de renovatione licentiæ post elapsum triennium; atque hæ licentiæ ex Constitut. Urb. VIII. ann. 1631. nonnisi a Congr. S. Off. quæ singulis hebdomadis habetur Romæ, conceduntur, v. Tamb. n. 19. Illud hic obiter noto cum Croix n. 346. quod, cum in licentia legendi libros hæreticos additur, *Ad salutem animarum, ad effectum errores confutandi, &c.* tunc, si legas non ex tali fine, sed ex sola curiositate, peccas quidem, quia agis contra finem, quem Legislator serio, & efficaciter intendit, non tamen incurris excommunicationem, quia licentia adhuc manet valide in ordine ad cavendam censuram, nisi expresse dicat, *Alias non, &c.*

Tradendus est autem liber Inquisitoribus, vel Episcopo, juxta Constit. Jul. III. & Pii IV. Hinc communiter negant, posse propria auctoritate comburi; sed adhuc probabiliter te excusant Sanch. Fil. Pignat. pag. 483. quia, quando præcipitur, ut tradatur Inquisitoribus, vel Episcopo, ideo est præcipue, ne retineatur, & tu comburendo jam non retines. Hinc potes etiam tradere habenti facultatem legendi, dummodo abdices a te dominium donando, aut vendendo, & similiter tradere potes Religiosis, ut reponant in loco in singulis Monasteriis assignato, qui dicitur *Carcer*, seu *Infernus hæreticorum*: Ugol. Sayr. Fag. Bonac. Pignat. & alii. Idem dicendum, si hæreditate acceperis tales libros, quamvis aliqui apud Croix num. 354. putent, etiam posse vendi Bibliopolæ hæretico, vel commutari cum aliis ejus libris non prohibitis; quia, si ibi sit similium librorum copia, causa Religionis non fit multo deterior, ut ait Less. cas. 22. Si autem Bibliopola catholicus deceptus sit in emendos tales libros, potest dissoluto contractu repetere suum pretium; quod si nequeat, attribuat casui suum damnum: Less. cas. 20. Compactores vero, si libros compingant, ut statim mittant habenti licentiam, excusantur; uti etiam famulus, qui jussu domini habentis licentiam conservat tales libros: Sanch. Ugol. Ovied. Pignat. pag. 482.

Quæ dicta sunt, procedunt etiam de libris prohibitis, donec corrigantur: qua in re ab Alex. VII. damnatur hæc prop. 45. *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.* Correctio autem fieri debet a tribus viris doctis, ac piis ex licentia Inquisitorum, aut Episcopi, juxta §. 1. & 5. corr. Ind. idemque est de examine, & approbatione, juxta Reg. 1. ideoque communis sententia cum Rodr. Port. Dian. Leandr. Sanch. l. 2. *Decal.* c. 10. num. 34. & aliis plurimis, negat, tuam particularem correctionem tollere prohibitionem: quamvis Sylvius p. 1. v. *Libri* q. 2. dicat, quod, cum talis rigor non sit in viridi observantia, probabile sit viro docto licere juxta indicem expurgatorium per seipsum corrigere, & Peyrin. tr. 1. *de Privil. Minim.* Constit. 9. Paul. V. n. 10. dicat, posse etiam corrigi a Prælatis Regularibus, non obstante decreto Urb. VIII. an. 1631. quia Pontifex loquitur de licentiis particularibus, non de privilegiis Regular. Demum quoad retentionem quaternionis soluti, vel libri manuscripti idem dicendum, ac dictum ibidem est de eorundem lectione. Unum addo, ex Trid. *sess.* 4. sub finem, excommunicationem non reservatam incurrere illum, qui librum MS. tractantem de rebus sacris communicat, vel evulgat, nisi ante examinatus, probatusque fuerit; quod tamen intelligendum de MS. quod sit opus completum, & perfectum, quale typis mandari solet, non de aliis, quæ sine prævia approbatione discipulis passim communicantur in scholis: Bon. Azor. Tamb. n. 16.

Octavo contra imprimentes hujusmodi libros. Porro dicitur imprimere librum auctor faciens imprimi; item dominus officinæ impressoriæ; &, qui componit typum, humectat chartam, imponit atramentum, aut premit prælum: Suar. Tamb. Laym. Pignat. pag. 484. qui autem corrigunt impressionem, aut faciunt sumptus pro ea, quamvis proprie non dicantur impressores, tamen ex alio capite subjacent excommunicationi Bullæ Cœnæ, vel quia legunt, ut corrector; vel quia favent hæreticis, ut faciens sumptus, trascribens, &c. Ugol. Sayr. Fil. Dicast. Pign. &c. Econtra vendentes chartam, characteres, atramentum, aut alia instrumenta sunt causæ valde remotæ, nec videntur incurrere censuram: Pal. Tamb. n. 46.

Quoad reliquos libros extra Bullam Cœnæ est excommunicatio lata non reservata a Concil. Later. *sess.* 10. contra imprimentes, vel imprimi facientes libros, vel quamcumqe scripturam sine Episcopi approbatione, & hi libri comburuntur ultra alias pœnas ibi contentas: hoc ipsum confirmatur a Trid. *sess.* 4. *in fin.* & extenditur ad imprimentes, vendentes, aut retinentes librum agentem de rebus sacris sine nomine auctoris; &

addi-

additur, ut approbatio in scriptis detur, & appareat in fronte libri; &, si auctor libri sit Regularis, habeat approbationem, tum Ordinarii, tum suorum Superiorum. Ex quo vides, inquit Tamb., hos libros, nisi aliunde sint prohibiti, posse a te legi, si apud te non retineas; quia Concil. prohibet imprimi, vendi, aut retineri; nihil de lectione. Si tamen moraliter constet approbatio, etsi non sit in libro apposita, non peccas saltem graviter, imprimendo, vendendo, aut retinendo; quia jam servatur tota substantia præcepti, & a fortiori si apponatur illud *Cum licentia Superiorum*, quod usu ipso non raro approbati, notant Tamb. num. 51., & Bon. num. 7. Rursus, qui habuit prædictam approbationem, sed deinde, dum imprimit, addit, vel demit aliqua, non peccat; nisi tale, vel tantum addat, ut censeatur novus moraliter liber: Tamb. num. 52., Bonac. num. 8. Denique, qui libro de rebus sacris non apponit nomen verum auctoris, sed fictum, vel per anagramma mutatum, non excusatur a pœnis Tridentini, nisi apponat nomen alterius sufficientis, ut collegii, aut ordinis, cujus est auctor: Tamb., Bonac., & alii. Quamvis Dicast. n. 1241. dicat, se videre viros doctos, & pios id sine periculo facientes, ponendo nomen fictum auctoris, impressoris, & urbis: sed reipsa non videntur omnino excusari.

Nono contra defendentes. Ille dicitur defendere librum hæretici, qui facto, vel verbo illud tuetur. Ut, si occultet librum, aut impedias, quominus extradatur, comburatur, &c., si cures, ut imprimatur, introducatur in Civitatem; &c., si scribas in ejus defensionem etiam occulte in tuo cubiculo, si ex pravo animo proponas argumenta pro ejus defensione, aut hæresis in eo contentæ; si laudes stylum, aut doctrinam eo animo, ut damnationem impedias: Pignat. pag. 489. Si autem laudes stylum, ingenium, nec ejusmodi verba faciant ad libri conservationem, non incurris excommunicationem. Similiter, si dicas ex hic, vel illis rationibus male oppugnari, dummodo simul absolute dicas, esse reprobandum ex aliis rationibus: Dicast, num. 1219. Si vero dicas, te velle librum defendere, nec tamen defendas, non est contra Bullam, nisi id dicas in circumstantiis, in quibus retraherentur, qui illum extradere deberent: Sanch., Pal., Tamb., & alii.

Decimo contra schismaticos, qui tamen in Bullis antiquis ante Pium V. non continebantur. Dicuntur schismatici a schismate. Est autem schisma *Rebellis separatio a capite Ecclesiæ, & Christi Vicario*. Duo igitur sunt necessaria ad hoc peccatum contrahendum ex D. Th. 2. 2. q. 39. a. 1. ad 2. Primum, ut homo se separet a Summo Pontifice per inobedientiam: Secundum, ut hoc fit cum rebellione quadam, scilicet pertinaciter ipsius judicium subire nolendo, ejusque præcepta contemnendo. Schisma aliquando conjungitur cum hæresi, quando scilicet, quis opinatur, Romanum Pontificem non esse verum Christi Vicarium, & Caput Ecclesiæ. Aliquando est sine hæresi, quando scilicet quis credit, Romanum Pontificem esse Caput Ecclesiæ; sed ex malitia, vel passione non vult illum opere recognoscere. In hanc excommunicationem incidunt schismatici, licet schisma non sit cum hæresi conjunctum.

Undecimo contra pertinaciter se subtrahentes ab obedientia Romani Pontificis, aut ab ea recedentes, quibus verbis non intelliguntur schismatici, ut bene Tolet., sed illi, qui mandato Romani Pontificis pertinaciter, hoc est, scientes esse tale mandatum, nolunt obedire: quod non satis est ad schisma; nam schisma habetur, ex dictis, quando homo in totum a judicio Romani Pontificis se subtrahit.

II. *Appellantes ab Ordinationibus Roman. Pontif. ad futurum Concilium, eisque auxilium, vel favorem præstantes*.

Nota primo, Nomine Ordinationis comprehendi omnes sententias, præcepta, leges, censuras, & pœnas generaliter, vel specialiter latas. Secundo, Ad hoc, ut ii, quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit, excommunicationem incurrant, duo requiruntur, ut notant Nav., Sayr., & Bon. Primum, ut auxilium, seu favor appellationem antecedat; unde approbantes appellationem jam factam, vel appellantibus faventes post appellationem, hac excommunicatione non ligantur; Secundum, ut appellatio cum effectu sequatur; secus enim non verificatur, quod vi auxilii, vel favoris appellatum sit. Tertio, Additur hic interdictum ob eandem causam pro Collegiis, aliisque cujusvis nominis Communitatibus appellantibus, vel auxilium, aut favorem præstantibus. Ad incurrendum autem hoc interdictum non est necesse, ut omnes de illa Communitate, sed satis est, si major pars appellet, vel auxilium præstet.

III. *Piratæ, Cursarii, aut Latrunculi maritimi discurrentes mare pontificium, præcipue a monte argentario usque ad Terracinam, eorumque receptatores, ac fautores*.

Nota primo: Sub diversis nominibus Piratarum, Cursariorum, &c. venire easdem personas, ex Sylv., Sayr. Dicuntur autem Piratæ quicumque per mare, aut flumen discurrunt animo deprædandi, mutilandi, occidendi. Qui per flumen discurrunt, dicuntur fluviales, & sub hac excommunicatione non comprehenduntur: qui vero per mare discurrunt, dicuntur maritimi; & olim omnes hujusmodi Piratæ excommunicabantur in Bulla Cœnæ, ut constat ex Bullis antiquis: nunc vero excommunicantur solum illi, qui discurrunt per mare Pontificium, quod scilicet pertinet ad Pontificem etiam mediate ratione feudi, ex Bon. Secundo, Hanc excommunicationem non incurrunt, qui, dum est indictum bellum, hostes deprædantur; non enim animo deprædandi, sed vindicandi hostes, deprædantur: incurrunt autem Piratæ, etiat deprædationem non committant, dummodo animo deprædandi discurrant mare Pontificium; quia actio sub hac excommunicatione prohibita est maritimus discursus: ita Tol., Bonac., Ugolin. Tertio, excommunicationem istam afficere piratas, qui mare discurrunt, ut fideles expolient, non vero qui infideles; ut nec afficit, qui piratas ipsos deprædantur. An autem incurratur a deprædantibus naves infidelium cum damno fidelium, vel quia in illis repositæ sunt merces fidelium, vel quia dictæ naves a fidelibus assecurantur, est quæstio, cui affirmative respondet Bonac., negative Suar., Filliuc., Pal. Dubium potest esse, an comprehendantur sub hac excommunicatione remigantes, & inservientes piratis? Communis solutio est, per se comprehendi: excusari tamen, si sine gravi periculo a dicta cooperatione abstinere nequeant; &, licet aliquando teneantur omittere etiam cum vitæ periculo, tamen credibile non est, velle Pontificem censuris obligare eos ad omittendum.

IV. *Surripientes cujusvis generis bona naufragantium Christianorum etiam in litoribus inventa, &c.*

Huic excommunicationi similis est alia in corpore juris, sed non reservata, quæque non incurritur statim, sed requiritur insuper, ut, qui bona capiat naufragantium, sit in mora non restituendi; non ita de hac excomm. Bullæ Cœn., quæ statim incurritur, quippe quæ fertur in surripientes (& sane cujusvis generis sint bona, dummodo sint fidelium, non infidelium, & in quocumque mari inventa) Porro debet subreptio esse peccaminosa: hinc non incurritur, si prædicta bona accipiantur animo restituendi ea Domino, &c. Ex Bon. tamen incurritur per injustam acceptionem etiam manifestam, quidquid sit, quod subreptio proprie importet acceptionem injustam clandestinam. Illud demum adverte, a Pontifice derogari privilegiis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus in oppositum, dummodo & illa, & hæ sine justo titulo essent introducta: secus, si justo titulo, puta quia naufragantibus auxilium præstatur, &c.

V. *Imponentes nova pedagia, seu gabellas, vel eas augentes, præterquam in casibus sibi a jure, vel ex speciali licentia Sedis Apostolicæ concessis*.

In Bullis antiquis solum excommunicabantur imponentes nova pedagia. Sunt autem Pedagia *Tributum, quod solvitur ob transitum personæ, vel mercium*. A Pio V. additum est verbum illud *Gabellæ*: hæ autem sunt *Quodcumque tributum impositum, sive pro delatione, sive pro translatione, sive pro emptione, ac venditione mercium*. Ad incurrendam hanc excommunicationem debet nova gabella imponi, vel augeri a Dominis temporalibus in terris suis (si enim imponeretur in terris alienis, esset, non impositio gabellæ, sed furtum, quod ex Bonacin. hac excommunicatione non notatur) & quidem extra casus a jure, sive de licentia Sedis Apostolicæ permissos. Jure autem id permittitur Imperatori, *C. super, de verb. sign.* Item Regibus, & cuilibet in temporalibus Superiorem non agnoscenti; item iis, quibus ex consuetudine immemorabili impositio isthæc competit, *ex Gloss. in cit. cap. Super, &c.* Demum cui id ex speciali Sedis Apostolicæ licentia conceditur. Duo demum adverte: primum ex Tul. contra Pal., & alios, quod probabilius non excommunicantur, qui habentes potestatem imponendi gabellas, imponunt injustas, eo quod hic excommunicatur non quomodocumque imponentes gabellas,

las, sed novas sine potestate: alterum est, quod Ministri, & cæteri Officiales, qui supradictas gabellas exigunt, etiam excommunicatione ligantur, quam tamen non incurrunt ex Sylv., Navar., si a sponte solventibus (quod tamen præsumi non potest) recipiant, eum sic dici non possint vere, & proprie exactores.

VI. *Falsificantes literas Apostolicas, aut falso fabricantes: Falsificantes supplicationes, vel eas falso signantes.*

Excommunicantur hic primo Falsarii literarum Apostolicarum etiam in forma Brevis. Dicuntur autem falsarii literarum, qui iisdem literis aliquid addunt, vel tollunt, ex quo eorum sensus mutetur; mutatio enim verborum retento sensu falsitatem non inducit, *Cap. ex Conscientia, de Crimin. falsi*. In Bullis vero antiquis etiam qui unum punctum, vel literam mutarent in dictis literis excommunicabantur; poterat tamen eos absolvere summus Pœnitentiarius: Literæ autem Apostolicæ appellantur illæ, quæ nomine Summi Pontificis (cujusmodi non sunt literæ Pœnitentiariæ, Inquisitionis, Nuntii, Legati, Episcopi; proindeque, qui has falsificat, non incurrit hanc excommunicationem) expediuntur, quæ, si sint plumbatæ, dicuntur *Bullæ*; si sigillo cereo signatæ, vocantur *Brevia*. Falsarii igitur tam Bullarum, quam Brevium hac excommunicatione afficiuntur: item excommunicantur falsarii, seu falso signantes supplicationes, gratiam, vel justitiam concernentes per Rom. Pontificem, aut Vicecancellarium, aut per eorum Vicesgerentes, aut de mandato Summi Pontificis signatas. Supplicationes sunt, quæ Rom. Pontifici offeruntur, & ab eo, vel a Vicecancellario, vel ab eorum Vicesgerentibus signantur. Incurritur hæc excommunicatio, etsi falsitas, vel leve, vel nullum damnum afferat parti, aut Fisco, ut in dispensationibus, indulgentiis, &c., quia hæc falsificatio, præcise ob injuriam, quæ fit Pontifici, cujus auctoritas contemnitur, sub ea excommunicatione est prohibita.

VII. *Deferentes arma, aut alia hujusmodi usui bellico idonea ad Turcas, vel ad alios Christiani nominis inimicos, aut Hæreticos per Apostolicam Sedem expresse, & nominatim declaratos; vel eosdem certiores facientes per se, vel per alium de pertinentibus ad statum Christianorum in eorundem damnum.*

Hanc excommunicationem incurrunt, Primo, Qui per seipsos deferunt Infidelibus, vel Hæreticis arma, equos, &c., sive deferant nomine proprio, sive alieno: qui vero deferri mandant, non incurrunt. Nomine Armorum, &c. non solum veniunt arma, sed etiam eorum materia, scilicet ferrum, funes, filum ferei, stannum, chalybs, & alia metallorum genera ad id idonea: item instrumenta bellica: item lignamina (intellige ligna, ex quibus conficiuntur naves, vel aliæ machinæ ad bellum idoneæ, non quæ ad comburendum, vel ad alios usus deserviunt: non intelligi naves ipsas putat Cajet., oppositum tamen admittitur communiter a Nav., Tol., Say.) Item veniunt arma tum offensiva, tum defensiva, ut communiter docent, ex *l. Armorum, ff. de verb. sign.*, non sunt autem arma cultri ad scindendum pannum, aut panem, neque alia instrumenta ad usum agriculturæ. Nomine equorum veniunt omnia animalia bello inservientia ad trahendos currus, portandas sarcinas, victualia, &c. excusantur tamen Christiani coacti remigare in triremibus Turcarum, & qui eas res deferunt ad Saracenos non gerentes bellum cum Christianis. Similiter excusantur ab excommunicatione (etsi non a peccato) ex Nav., & Tol., qui deferunt vestes, & victualia, quia hæc non intelliguntur per illa verba Bullæ, *Et alia hujusmodi*. Incurrunt secundo, qui de rebus ad statum Reipublicæ Christianæ pertinentibus certiores faciunt prædictos infideles, aut hæreticos in perniciem, & damnum Christianorum: duo igitur ad hanc excommunicationem requiruntur, alterum, quod certiores faciant infideles de rebus ad Christianam Rempublicam spectantibus; alterum, quod hoc in damnum vergat Christianorum. Incurrunt tertio, qui ad id præstant favorem, &c. hoc est, ex Pal., qui Christianis prohibita deferentibus, vel certiores facientibus opem præstant, &c. Demum omnia privilegia revocantur concessa Dominis Principalibus, Rebuspub., & particularibus personis asportandi vetita ad infideles.

VIII. *Impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, aut alia necessaria ad usum Romanæ Curiæ convehunt, & prohibentes, ne prædicta deferantur: item eorum defensores vel per se, vel per alium, &c.*

Primo, Nomine victualium veniunt omnia, quæ ad cibum, potum, & vestitum deserviunt, *l. Cætera, de V. S.* Per alia necessaria intellige, quæ curialibus tum ad habitandum, tum ad negotia, & munera peragenda, tum ad honestam recreationem deserviunt. Secundo, Nomine cur. rom. venit tam familia Papæ, seu Tribunal Pontificium, in quo negotia Ecclesiastica conficiuntur, ubicumque Pontifex resideat, quam locus, in quo Cardinales resident, post obitum Papæ. Dubium est, an excomm. incurrat, qui impedit deferentem Romam victualia vel in proprium usum, vel in usum personæ alicujus particularis? Affirmat Bon., si victualia deserviant personæ curiali: secus, si ad usum proprium, etsi ipse sit curialis; tamen probabilius ex Sayr., Pal. dicendum, quod ad incurrendam hanc excommunicationem ly *Ad usum Curiæ* intelligendum sit relata ad illos, qui Curiæ deserviunt, non quidem collective sumptos, sed divisive, sive hos, sive illos; adeoque non relate ad personam determinatam. Tertio, Dicuntur impedire, prohibere, &c., qui dolo, fraude, vel vi impediunt, vel id præstant injuste; si enim Princeps, vel Respublica, e.g. justo titulo, puta, ut suis prospiciant, prohibent, impediunt, &c. ne triticum, vel vinum ex suis confinibus extrahatur, & Romam deportetur, ex Suar. hanc excommunicationem non incurrunt. Quarto, Excommunicantur tam impedientes, vel per se, vel per alium, quam defendentes, cujuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, &c.

IX. *Lædentes sua, aut aliorum opera eos, qui veniunt ad Sedem Apostolicam, vel ab ea recedunt, & sine jurisdictione vexantes eos, quia in Curia commorantur.*

Nomine venientium ad Sedem Apostolicam non intelliguntur omnes, qui Romam veniunt; sed illi, qui ratione Pontificis veniunt; quia nimirum negotium aliquod, vel prætensionem, vel gratiam, vel quid aliud cum Pontifice immediate, vel mediate habent: unde, si Pontifex esset extra Romam, ibi esset Sedes Apostolica, non Romæ. Hinc, qui aliquid ex prædictis faciunt contra eos, qui Romam veniunt, non intuitu Pontificis, licet devotionis causa veniant, non incurrunt hanc excomm.: Nav., Tol., Sayr., Hugol. Excommunicantur etiam, qui non habentes jurisdictionem ordinariam, aut delegatam, eam temere usurpantes contra morantes in Curia aliquid prædictorum audent perpetrare. Dicuntur morantes in Curia, qui vulgo Curiales dicuntur, qui ratione Curiæ Pontificiæ Romæ sunt, sive immediate, sive mediate Pontifici inserviant, sive sint cum Episcopis, vel Cardinalibus, qui Curiæ adsunt. Illud nota, ad incurrendam hanc excommunicationem non sufficere, ut quis aliquid prædictorum contra morantes in Curia perpetret, sed requiritur, ut id faciat jurisdictione usurpata, hoc est tamquam Judex, & auctoritatem habens.

X. *Interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos, qui devotionis causa eunt Romam, vel ibi morantur, vel inde abeunt; item lædentibus consilium, auxilium, aut favorem præstantes.*

Dicitur ad urbem accedere causa devotionis, qui ob aliquem virtutis actum exercendum accedit: quam intentionem si signis externis manifestet, puta vestitu, & modo procedendi, peregrinationis causa accedere judicabitur. Incurrunt hanc excommunicationem, qui aliquid ex prædictis perpetrat etiam contra morantes Romæ, modo ibi morentur, ut advenæ, & peregrini, secus, si mutata voluntate incolæ urbis facti sint. Item excommunicationem incurrit, qui aliquid prædictorum facit etiam contra recedentes ab urbe præstito devotionis opere; secus, si recedant opere devotionis culpabiliter omisso, ex Bonac., Hugol., Pal. Demum, qui lædentibus modis jam explicatis consilium, auxilium, aut favorem præstant eadem excommunicatione ligantur.

XI. *Interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos, vel Nuntios: item mandantes, id ratum habentes, auxilium, consilium, aut favorem præstantes.*

Tria hic notanda: Primo, Licet certum sit, hanc excommunicationem incurrere, qui Cardinales, &c. a suis Diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejiciant; tamen probabilius ex Nav., Pal. contra Bon. non incurrunt, qui eos ejiciunt a terris suæ originis, vel domicilii, in quibus jurisdictionem spiritualem, vel temporalem non habent, neque ex Toledo incurrit, qui Episcopum ejiceret electum quidem, sed non consecratum:

tum : Secuudo, Contra impedientes Legatos, aut Nuntios , ne exequantur suum officium , lata est alia excommunicatio non reservata in Extravag. *Super gentes* : immo additur interdictum in ea loca , quamdiu in eadem pertinacia duraverine : quod neutrum habetur per hanc Bull. Cœnæ excommun. Tertio , Fere omnes præfatæ actiones, si contra Clericum qoemcumque perpetrentur , puniuntur pœna excommunicationis, cap. *Si quis suadente* ; quare docet Bonac., personas hac Bullæ Clausula comprehensas duplicem excommunicationem incurrere , quarum altera imposita est in reverentiam urdinis Clericalis , altera in reverentiam diguitatis Ecclesiasticæ .

XII. *Occidentes , vel quoquo modo percutientes , sive per se , sive per alios , sive directe , sive indirecte , seu bonis quibuscumque tum mobilibus , tum immobilibus spoliantes eos , qui pro suis negotiis recurrunt ad Romanam Curiam , vel illa in eadem prosequuntur , &c.*

Nota primo , *Spoliantes* , hoc est , per violentam rapinam , & deprædationem : non vero per quamcumque subreptionem , etsi clandestinam : Secundu, Dicitur *Recurrere* , *&c.* qui causas ad Curiam Rumanam transfert , sive personaliter ad Curiam accedat , sive per Procuratorem, sive pet literas : Tertio , Qui Judires uffendunt prædictarum causarum , tum solum excommunicatiunem incurrunt , cum negotia adhuc in Romana Curia pendent : non autem , cum causa decidenda integre illis committitur : Quartu , Ut incurratur hæc excommunicatiu, debet occisiu , spoliatio , &c. patrari occasione causarum , vel negotiorum : nomine autem negotiorum veninnt , ex Suar. contra Navat., non solum causæ spirituales , sed etiam temporales , quæ ad Sedem Apostolicam spectant ratione sui dominii temporalis : Quintu demum , Excommunicantur, qui *directe , vel indirecte , &c.* hujusmodi delicta committant , exequantur , &c. directe , qui exemp. grat. juberer , consuleret , his delictis auxiliaretur : inditecte , qui juberet consulere , &c. aliquam actiunem , ex qua talia delicta prævidetentur secutura .

XIII. *Omnes , tam Ecclesiastici , quam Seculares , cujuscumque dignitatis , qui prætexentes frivolam uppellationem a gravamine , vel futura execútione literarum Apostolicurum etiam in forma Brevis tam gratiam , quam justitiam concernentium , necnon citationum , inhibitionum , sequestrorum , &c. a Sede Apostolica , &c. emanatorum , ud Curius Seculares , & Laicum potestatem recurrunt : item , qui procurant hujusmodi appellationem , & recursum ud Curiam Secularem admitti etiam instante Fisci Procuratore , vel Advocato : qui literas Apostolicas , Monitoria , &c. capi , vel retineri faciunt : qui impediunt , prohibent executionem prædictarum literarum , quique quibuscumque personis , ne pro quibusvis eorum negotiis exequendis , seu gratiis , vel literis impetrandis , ad Romanam Curiam accedant , vel recursum habeant , seu gratias ipsus impetrent , seu impetratis utantur directe , vel indirecte prohibere , &c. , ne eas upud se , aut Notarios , vel Tabelliones , vel alias quomodolibet retinere præsumant .*

Quid veniat nomine literarum Apostolicarum , diximus in expositione VI. excomm., eujus expositiu hic etiam militat . Illud unum hie obitet nota , hanc excommunicationem incurri ob quamcumque appellationem , etsi hæc procedat ad propulsandam manifestam injoriam Judicis Apostulici , quia quævis appellatiu est inanis , & frivola ; tum quia facta est Judici non superiori , sed potius inferiori ; tum quia facta sine justa caosa , eum nulla esse possit causa justa , vi cujus Judex Laicus habeat jurisdictiunem in Judicem Apostolicum : ita Bon. contra Sayr. dicentem , nullimode diei posse inanem , & frivulam appellatiunem , quæ fit ad pulsandam injuriam manifestam .

XIV. *Omnes , qui per se , vel per alios auctoritate propriu , ac de facto quarumcumque exemptionum , vel aliarum gratiarum , & literarum Apostolicarum prætextu causas spirituales , & spiritualibus adnexas , beneficiales , decimales , &c. ab Auditoribus , & Commissariis Sedis Apostolicæ , aliisque judicibus Ecclesiasticis avocant : illurumque cursum , &c. impediunt , vel impedientibus favorem , auxilium , assensum præstant : quique vel se in dictarum cuusarum cognitione tamquam Judices interponunt , vel partes actrices compellunt , uut ad revocandas citationes , &c. , aut ad consentiendum , ut absolvantur u censuris illi , contra quos tales inhibitiones emanarunt .*

Nuta , quod ad incurrendam hanc excommunicationem duo requiruntur , & quod Avocatio (idem dic de

aliis actiunibus hic prohibitis : Doctores communiter ap. Pal.) fiat auctoritate propria hoc est publica , & quod fiat de facto : si enim fiat ex concessione juris , vel Papæ, cessat excommunicatiu. Dicitur antem quis avocare ab aliquu Judice causam , si eam ad se traht faciat , eitando partes, ut coram se compareant, inhibendo Judicem, coram quo causa agitur , ne ulterius procedat , &c. ex cap. *Ut nostrum , de appellantibus* . Causæ autem avocandæ pendere debent coram Judice Apostolico , & non mere Ecclesiastico , licet in Bulla dicatur *aliisque Principibus Ecclesiasticis* ; quia dictio *Aliis* repetit qualitatem præcedentem : præsertim, cum hæc Clausula sit in favorem Judicum Apostolicorum : Hugol. , Pal. contra Fil. Demum additur in clausula committentes aliquid prædicturum etiam excommunicationem incurrere, licet id faciant *Prætextu violentiæ prohibenda , &c.* utut talia committentes fuerint *Præsidentes Cuncellariarum , Consiliarii , Ordinarii , Episcopi , Archiepiscopi , vel quacumque alia dignitate præfulgentes , &c.*

XV. *Judices Seculares , qui ex prætenso officio , vel ad instantiam partis , vel aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas , Capitulu , Conventus , Collegia Ecclesiarum quorumcumque coram se ad suum Tribunal , Audientiam , &c. præter juris cunonici dispositionem trahunt , vel trahi faciunt quovis quæsito colore : item qui statuta , ordinationes , &c. faciunt contra Ecclesiasticam Immunitatem , vel iisdem utuntur , &c.*

Primo , Dicuntur Judices laici persunas Ecclesiasticas *trahere , &c.* , cum illas compellunt , ut ad suum tribunal accedant , licet id fiat indirecte , vexando scilicet consanguineos Ecclesiasticæ personæ , eo fine , ut personæ Ecclesiasticæ ad suum tribunal accedant : Secundo, Hæc adductiu facienda est a Judicibus , quatenus Judices sunt , ut liquet ex ipsis Bullæ verbis *ad suum Tribunal* . Quare persooæ, quæ Tribunal non habent , adducentes Ecclesiasticus ad Tribunal seculare non comprehenduntut hoc canune , ut nec Judices , qui illas nun ad suum traherent , sed ad alienum : Tertiu , Nun comprehenduntur sub nomine *Statuta , &c. facientium* Consiliarii disponentes statuta , & præcones voce publicantes , sed uni Principes , quorum auctoritate fiunt : Suar. , Pal. , contra Filliuc. Quartó , Usus talium statutorum , &c. probabilius debet fieri a persona publica ad hoc ; ut incurratur ab utentibus excommunicatiu : e. g. a Judice , qui his statutis nixus sententiam contra libertatem Ecclesiasticam proferet : Bon. , Pal. , contra Sayr. Demum adduntur illa verba *Præter juris dispositionem* : sunt enim aliqui casus , in quibus adductio isthæc jure conceditur , & hic Neapoli addendi sunt alii , qui extant in mox eitandis concordatis , quæ fac consulas.

XVI. *Impedientes Prælatos , & Judices Ecclesiasticos quominus sua jurisdictione utantur , quique illorum , aut delegatorum judicia eludentes ad curiam secularem recurrunt , uut contru illos decernunt : item præstantes consilium , patrocinium , favorem , &c.*

Igitur excommunicantur , qui directe , vel indirecte impedinnt , ne Prælati , &c. Ecclesiastici sua jurisdictiune utantut ; probabilius tamen ex Nav. , Suar , aliisque ap. Pal. hie contra Hogol. hujusmodi impedimentum debet apponi auctoritate publica ; quia hæc censura est adnexa præcedenti , quæ fertur contra eus, *qui auctoritate publica , &c.* Verum debet impediri usus jurisdictionis (& quidem ordinariæ , non delegatæ) Ecclesiasticæ ; quare non incurritor excommunicatio ob impedimentum appositum Episcopo , ne sua jurisdictione temporali utator . *Qui Ad Curiam recurrunt , &c.* Non requiritur ad escommonicatiunem incurrendam , ut impetrentur , & executioni mandentur inhibitiones , &c. ut volunt Nav. , Fil. , Hugol. , sed sufficit ex Bon. solus recursus . Porro Judex laicus , ex Doctoribus supra cit. ad hoc ut excommonicationem & ipse incurrat , non sufficit , si hujusmodi inhibitiones , &c. decernat , nisi etiam exequi faciat .

XVII. *Qui jurisdictiones , seu fructus , redditus , & proventus ad Sedem Apostolicam , & quascumque Ecclesiasticus personas ratione Ecclesiarum , Monasteriorum , & uliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes , usurpant , vel etiam quavis occasione , vel causa , sine Romani Pontificis , vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant .*

Illi dicuntut bona aliena usurpare , qui ea tanqoam propria , & ut sibi debita assumunt, utut sciant ad alium pertinere , ex Nav. , Tol. , Fill. , Bon. Hinc , si quis ea assomit , ut aliena , sicut faciunt fures , non dicitur usurpare , ut bene Suar. Illi autem dicuntur bona illegitime usorpare , qoi

sine legitima facultate apud se, vel alium deponunt impedientes iis, quibus de jure competit, illorum liberum usum. Nomine bonorum intellige tam jurisdictiones Ecclesiasticas, quam temporales, puta fructus, redditus, & quascumque utilitates etiam temporales. Porro ad hoc, ut incurratur excommunicatio, debent hujusmodi bona competere personæ Ecclesiasticæ ratione Ecclesiæ, &c., secus, si ex proprio labore, licet occasione beneficii, &c.

XVIII. *Imponentes quavis auctoritate decimas, & tallias, aliaque id genus onera personis Ecclesiasticis; & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum bonis, eorumque fructibus sine expressa Summi Pontificis licentia: necnon qui hujusmodi onera sic imposita diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut etiam a sponte dantibus, & concedentibus recipiunt, innovantes decreta super his edita, &c.*

Ad incurrendam hanc excommunicationem non satis est tributi impositio per modum statuti, seu legis; sed requiritur insuper ejus exactio. Non est autem necesse, ut dicta onera imponantur, & exigantur ex bonis Ecclesiasticorum; sed satis est, si imponantur ipsis Ecclesiasticis personis etiam super bonis patrimonialibus: Sayr., Tol., Suar., Bon. contra Nav. Rursus incurritur excommunicatio, si prædicta onera imponantur *Sine expressa Summi Pontificis licentia*, ut dicitur in Clausula. Hinc, cum multæ hac in re facultates concessæ sint Carolo Utriusque Siciliæ Regi nostro a regnante Pontifice, consulenda hic concordata inter Sedem Apostolicam, & ipsum Regem, ex quibus habere potes, ad quantum se extendere possint bona patrimonialia Clericorum in Regnis utriusque Siciliæ existentium. Innovat demum Pontifex decreta super his per Sacros Canones tam in Later., quam in aliis Conciliis generalibus edita etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis. Ubi notanda sunt illa verba *Super his*; non enim omnia decreta de immunitate bonorum Ecclesiasticorum loquentia innovantur, sed solum, quæ loquuntur de contentis sub hac excommun. ita Suar., Bon., Tol. Sayr.

XIX. *Quicumque Magistratus, Judices, Notarii, Scribæ, Executores, &c. quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra Personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, &c. sine speciali hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia; quique hujusmodi licentiam ad Personas, & casus non expressos extendunt, vel alias perperam abutuntur, etsi fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.*

Hoc fori Privilegium, ex Trident., amittere Clericum, nisi deferat habitum, & tonsuram, & alicui Ecclesiæ inserviat, diximus tract. præced., ubi de Ordine egimus d. 5. q. unic., quamobrem hic nihil superest dicendum.

XX. *Omnes, qui per se, vel per alios, directe, vel indirecte, sub quocumque titulo, vel colore, invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint loca, & terras Romanæ Ecclesiæ, Romanique Pontificis, sive ipsi immediate, sive mediate subjecta; necnon supremam jurisdictionem in illis nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, &c. necnon adhærentes, fautores, auxilium quomodolibet præstantes, &c.*

Habet Pontifex dominium immediatum in iis locis, in quibus jurisdictionem temporalem exercet: habet vero mediatum in iis, quæ in alios transtulit feudo, vel emphyteusi retento dominio directo. Quænam autem sint loca, in quæ Pontifex sive directum, sive indirectum dominium habeat, vide fuse apud Pal. hic p. 21. num. 1. Nomine autem supremæ jurisdictionis non venit ipsum dominium directum, vel utile, quod Pontifex habet in terris suis; sed venit ea jurisdictio, quam ille, ut supremus Princeps exercet; hæc enim nemini subjecta est, & ab omni alia independens. Porro quinam ab his potestatem habeat absolvendi, vide quæ sparsim diximus quæst. præc. c. 3.

§. II.

De Casibus specialiter reservatis Pontifici extra Urbem intra Italiam.

Hi sunt sex mox explicandi. Dicuntur specialiter reservati, quia per Decr. S. C. jussu Clem. VIII. 1602. sublatæ sunt omnes facultates, & privilegia alias concessa Confessariis præsertim Regularibus ab eis absolvendi extra Urbem intra Italiam; & nomine Italiæ veniunt etiam Sicilia, Sardinia, aliæque Insulæ adjacentes: Doctores communiter ap. Merol. t. 1. d. 1. pag. 48. Porro singulos casus sequentibus ex ordine numeris expendemus.

I. *Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Const. Greg. XIV., quæ incipit*. Cum alias nonnulli.

Immunitas Ecclesiastica est *Privilegium Ecclesiæ concessum, ut nemo ex illa violenter extrahatur*. Talis est quævis Ecclesia auctoritate Episcopi stabiliter fundata, etsi nondum benedicta; imo, etsi cœperit construi: rursus, etsi polluta, aut interdicta, imo etsi diruta, dummodo non sit diruta auctoritate Episcopi sine spe reædificandi; & comprehendit tectum, parietes, scalas, sacristiam, campanile, & cœmeterium etiam separatum: imo ex jure communi extenditur ad 40. passus circa Ecclesiam Matricem, & ad 30. circa alias: consuetudo tamen est in contrarium. Gaudent hoc privilegio Monasteria Regularium cum claustro, & horto, & Grangiæ Cisterciensium, & cum illis communicantium ex Priv. Eug. IV. Item Loca pia, Hospitalia, Seminaria publica, Oratoria fundata auctoritate Episcopi, & palatium ipsius Episcopi, etiamsi distet a Cathedrali ultra 40. passus, nec habeat Oratorium, dummodo non sit alteri locatum: Suar., & alii ex c. *Item Constituimus* 17. q. 4. Item Sacerdos deferens Eucharistiam cum suo comitatu: Doctores communius cum Suar. contra Bon., dummodo non sit in ipso carcere. Qui impedit, vel non recipit confugientem ad talia loca, peccat graviter, nisi ille indecenter ibi vivat, & turbet disciplinam Ecclesiasticam, ac ter monitus non se emendet; tunc enim potest expelli, ut se recipiat in aliam Ecclesiam: Delb. d. 48. Qui vero eum violenter extrahit ab Ecclesia (etiamsi Judæum, vel Paganum, ut addunt Barb., Fagn., & alii contra Clar.) dicitur violator Immunitatis Ecclesiasticæ, & incurrit excommunicationem latam a Gregor. XIV. specialiter reservatam extra Urbem intra Italiam a Sacr. Congr. jussu Clement. VIII.; idque verum est, etiamsi extractio secuta non fuerit, si tamen opere externo sit attentata, quia in textu dicitur *Attentare præsumpserit, &c.* Bonac. cum communi contra Gambacurt. Extenditur etiam ad mandantes, ob eandem rationem: Genuens. *In Praxi*, Bon., Far., & alii communiter; non tamen ad consulentes, quia neque extrahunt, neque attentant. Extenditur denique etiam ad incarcerantes, & restituere nolentes, etiamsi non concurrerint ad extractionem, quia in textu dicitur *capere*, *extrahere*, aut *carcerare*, & ly *aut* est alternativa: Bon. contra Suar.; idque verum est, etiamsi ille consenserit capturæ in Ecclesia, vel nolit restitui, cum non possit renunciare juri Ecclesiæ jam acquisito: Doctores communiter: non tamen ad ratihabentes extractionem nomine suo factam, quia hi neque extrahunt, neque attentant: Doctores communiter.

Extrahi quis dicitur ab Ecclesia, etiamsi clausas ejus januas, vel seram, vel quid simile manu apprehendit, aut illis adhæret; aut in Ecclesiæ ambitu, vel super tegulas tecti existit; non vero, si humeris tantum adhæreat parieti Ecclesiæ, & ambobus pedibus in via existat: Bon., & alii. Extrahi etiam dicitur, si ex aliqua necessitate, aut gravi metu injuste incusso coactus exeat, quia non censetur sponte exire: Bon., Fag., & alii. Non vero, si blanditiis, promissionibus, aut deceptione exiens capiatur extra, quia immunitas violatur per violentam extractionem ex cap. *Inter*, *de Imm.* Neque, si captus extra ducatur ad carceres per Ecclesiam, quia non dicitur capi in illa: Bon., & alii communiter. Neque, si ab Ecclesia extractus, & in carcere seculari inclusus, hinc evadat, sed a fuga retrahatur, quia sic censetur captus extra: Delb. d. 31. num. 17. Neque, si per alios ereptus e manibus satellitum confugiat ad Ecclesiam, quia sic Curia secularis injuste est spoliata jure acquisito in illum, adeoque juste potest illum repetere ab Ecclesia non prosequente injustitiam: secus vero, si ille e carceribus, vel e manibus satellitum seipsum exemit, aut hos secum traxit in Ecclesiam, quia sic nulli fit injustitia: Delb. f. 7. Denique, quamvis Judex Ecclesiasticus possit illum ob justas causas constringere compedibus in ipsa Ecclesia, & imponere pœnitentiam aliquam salutarem, si peccatum sit publicum, vel ad tollendum scandalum; nullatenus tamen constringi potest a Judice seculari, quia sic fieret ex Ecclesia carcer, quod magis repugnat Immunitati: Suar. c. 12. n. 2. Potest tamen ab eo apponi custodia extra ambitum Ecclesiæ, ut, si forte terminos sacros egrediatur, capi possit: Doctores communiter.

Ex c. Const. Greg. XIV., extrahi possunt ab Ecclesia,

Pei-

Primo, *publici latrones*, hoc est, qui ob frequentia latrocinia pro talibus communiter habentur. Secundo, *Grassatores viarum, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident ad viatores ex insidiis aggrediendos*. Tertio *Depopulatores agrorum*, hoc est, qui agros, vineas vastant, incendunt, &c. Quarto, *Committentes homicidium, vel mutilationem in ipsis Ecclesiis, earumve cæmeteriis*, qui proinde neque gaudent aliis Ecclesiis, quia omnes sunt una: Doctores communiter apud Delb. d. 19. s. 1. contra Sylv. scribentem ante hanc constitutionem: idemque est, si lethaliter vulneres in Ecclesia, etiamsi ille moriatur extra; vel si existens extra occidas existentem in Ecclesia: non vero, si existens in Ecclesia occidas existentem extra, juxta dicta d. 1. q. 1. c. 4. §. 2. Neque, si occidas in Sacristia, Campanili, &c., quia sumus in odiosis, qualis est restrictio Immunitatis Ecclesiasticæ: Doctores apud Delb. s. 6. contra alios. Quinto, *Qui proditorie proximum suum occiderit* (etiam infidelem, ut addit Delb. s. 4.) hoc est amicitiam simulando, dolose seducendo, aut nihil tale prævidentem: ut si mater occidat infantem; si sine præcedente inimicitia, & rixa veneno occidas, vel inimicum, cui promiseras amicitiam; secus vero, si inimicum dormientem, aut a tergo, quia ille prævidere poterat, & præcavere: Gomez, & alii. Sexto *Reus Assassinii*, hoc est, qui pretio conductus occidit proximum; adeoque etiamsi infidelem: Bon., Delb. s. 2., dummodo non sit suus etiam inimicus: Bon., Delb. s. 3.; & extenditur ad conducentem, utpote etiam reum assassinii, etiamsi non sequatur effectus: Masc., Delb. s. 4. Septimo, *Reus Heresis*, quod etiam extenditur ad fautores: Octavo, *Reus læsæ Majestatis in persona ipsiusmet Principis*, hoc est, sui Principis, & quidem absoluti; quod etiam extenditur ad mandantes: Dian. p. 1. tr. 1. r. 6. Ad hos revocantur omnes alii casus juris antiqui ex cit. Constit.; atque in his octo casibus extrahi debet reus auctoritate Episcopi: eo vero culpabiliter nolente, extrahi potest a Judice Seculari, sed in carcere Episcopi deponi, usquedum Episcopus, vel ejus Superior cognoverit de crimine excepto, quantumvis etiam notorio: Rich., Dian., Delb. s. 1., & 3. * Hæc de jure communi. Hic autem in Rrgoo Neapolitano attenda Concordata inter Sanctissimum P. Nostrum Bened. XIV., & Carolum Utriusque Siciliæ Regem, sub die 8. Jun. 1741., quæ initium sumunt a Bulla ejusdem Pontificis incip. *Memores Apostolici*, quorum concordatorum idcirco non meminit auctor, quod post ejus obitum emanarunt. *

Clericus autem non videtur gaudere Immunitate Ecclesiæ contra suum Judicem Ecclesiasticum, quia Jurisdictio Ecclesiastica exerceri potest in loco sacro, & jura nullibi loquuntur de Clerico, nisi contra Judicem Laicum: Abb., Sylv., Suar., Bon., & alii. Attamen Far., Clar., Tusch., Barb., Fagn., & alii contradicunt, & Curia Romana an. 1695. improbasse dicitur Episcopum in Germania, qui Abbatem sibi subjectum e Monasterio extraxerat. Cæterum Religiosus non gaudet comparative ad Prælatum suum, si confugerit ad Ecclesiam suæ Religionis: Doctores communiter contra Gambacurtam: si autem ad aliam, Rebuf., Barb., Dian., & alii contra alios dicunt, gaudere: v. Delb. s. 15. Servus gaudet comparative ad dominum suum: si tamen hic juret, & præstet securitatem de ejus impunitate, debet etiam invitus reddi domino, cap. *Inter, de Immun.* Idem est de milite, de damnato ad triremes, qui ad suum servile ministerium sunt etiam ab Ecclesia reducendi:

II. *Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem.*

Clausura Monialium est spatium intra Januam Monasterii semper clausam, & cætera Monasterii loca, quæ ea Janua continentur, ex cap. *Periculoso, de Stat. Regular. in 6.* Violatur tum per egressum ipsarum Monialium; tum per ingressum aliarum personarum cujuscumque sexus, ætatis, aut conditionis; exceptis Regibus, Reginis, eorumque Filiis: Suar., Sanch., Bon., & alii contra Merol. & alios: item pueris ante usum rationis: Doctores communiter: non tamen amentibus post septennium, cum possint ad peccatum incitare, &c. Moniales etiam Conversæ post professionem e Clausura exeuntes sine licentia in scriptis, concedenda tantum in certis causis, incurrunt excommunicationem reservatam Papæ: item eas comitantes, & receptantes, necnon etiam Prælati licentiam indebite concedentes, ex Constit. Pii V. *Decori*: non tamen Novitiæ, Oblatæ, aut Educandæ, quæ tantum tenentur ad Clausuram, dum ibi existunt, &, si exeant sine licentia, non possunt regredi: Sanch., De Lugo, l. 3. *Resp. Moral.* d. 7. Reliqui vero utriusque sexus ingredientes Clausuram Monialium sine debita licentia in scriptis, &c. incurrunt excommunicationem latam a Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 5., quæ pro Clausura Monialium SS. Francisci, & Dominici reservatur a Bonif. IX., & Eug. IV. ap. Nav. Ingredientes vero prætextu facultatum jam revocatarum, tum eos permittentes, vel ingredi facientes, incurrunt excom. reservatam a Greg. XIII. *Ubi gratiæ*. Prælati Pontificalis dignitatis, si ingrediantur, præterquam in casibus sibi concessis, incurrunt 1. vice interdictum ab ingressu Ecclesiæ: 2. vice suspensionem a Pontif., & Divinis: 3. vice, & reliquis excomm. ex Bull. Greg. XIII. *Dubii*. At Regulares a 1. vice omni officio, ac ministerio privantur, & excomm. incurrunt: Pal. tr. 16. d. 4. p. 10. §. 4. n. 5.

Excipe, si necessitas ingrediendi, vel egrediendi sit talis, ac tanta, ut careat lege expectandi licentiam, puta incendium, terræmotus, vel aliud imminens vitæ, aut honoris periculum, qua ratione etiam videtur excusandus, qui eo confugit ad asylum. Datur insuper parvitas materiæ in ingressu, vel egressu excusans a mortali, & excommunicatione; ut, si pars corporis sit intra, pars extra. Imo Nald., Gras., & Merol. putant, esse etiam modicum, si totum corpus esset ad duos pedes intra, vel extra, quod tamen negant Sanch., Bass. & alii, quia sic habetur perfecta legis transgressio. At violantes clausuram Monialium ob malum finem, puta furandi, percutiendi, aut turpe aliquid faciendi (Pelliz. intelligit tantum de fine fornicandi) incurrunt excommunicationem specialiter reservatam extra Urbem intra Italiam. Qui autem cum debita licentia ingressus habuit malum finem, etiamsi finito negotio non statim exeat, non dicitur juxta Sanch. violator clausuræ, uti neque Monialis cum licentia egressa, si finita causa non statim redeat, quia violatio consistit in egressu, vel ingressu; quamvis contradicant Pal., Bon., & alii. Cæterum, quamvis peccatum sit non statim exire, vel redire, tamen ly *Statim* intelligi debet moraliter, itaut, si sine malo fine discurratur aliquantisper intra, vel extra, non sit peccatum saltem grave: Doctores communiter.

III. *Provocantes, & pugnantes in duello, juxta Decr. Trid., & constit. Gregor. XIII. incipientem*, Ad tollendum.

Duellum est *Duorum, vel etiam plurium pugna deliberate suscepta ex condicto, statuto tempore, & loco cum periculo mortis, vel gravis vulnerationis*. Si ergo certo non absit tale periculum, non est proprie duellum, ut si fiat pugnis, neque, si conventio fuit in rixa, ut si duo rixantes in Ecclesia dicant, *Egrediamur foras*, & ibi pugnant; quia sic censetur una actio moraliter continuata ex rixa, adeoque non ex deliberatione. Neque demum, si non sit statutum tempus, & locus, ut si duo inimici sibi occurrentes se provocent ibi ad pugnandum: secus, si statuant locum, & eo pergant ad pugnandum; vel si alter dicat alteri, *Vade ad capiendum arma, hic te expecto, &c.*

In duobus tantum casibus licitum est duellum: Primo, si fiat ad dirimendum bellum, ad servandas vitas proprii exercitus, ad debilitandas vires hostium; quia sic est potius pars belli: Doctores communiter. Secundo, Si non potes aliter effugere mortem, ut si duo damnati ad mortem falso judicis duellant, quia sic alter est carnifex alterius, & potius se defendit; secus vero in aliis circumstantiis, in quibus poteris te defendere non acceptando, nec duellando. Hac in re ab Alex. VII. damnatur hæc propos. 2. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*. Hinc ex Trid. *sess.* 25. *de Ref. c.* 19. excommunicantur publice duellantes, tum Reges, Impreratores, aut domini temporales concedentes locum ad tale duellum in terris suis, tum patrini, consulentes, & spectatores (intellige ex proposito, non vero, si casu, aut ut illud dirimant) quam excomm. Pius IV. reservavit; & Greg. XIII. extendit etiam ad illos, qui privatim monomacbiam (hoc est duellum) commiserint, etiam sine patrinis, sine scriptis provocatoriis, &c.; & ad dominos locorum non impedientes, ad mandantes, instigantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia subsidia scienter subministrantes; ad spectatores ex proposito, vel socios quovis modo se præbentes, etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per ipsos non steterit, quominus illa committatur. Hæc Greg. XIII.

Talis excommunicatio incorritur a duellantibus se-

quuta pugna, quia in textu dicitue *Pugnam commiserint*; Sanch. l. 2. *Decal*. c. 39. n. 28. A reliquis vero incurritur, etiamsi pugna non sequatur, dummodo tamen pee ipsos non steterit, quominus illa sequatur, ut dicitur in eodem textu; horum ergo illi, per quos stetit, non incurrunt; per quos non stetit, incurrunt. Atque ab hac excommunicatione Religiosi ex vi suorum privilegiorum non possunt intra Italiam absolvere *Provocantes, & pugnantes in duello*; reliquos tamen absolvi probabiliter posse, ait Lug. l. 2. *Resp. Moral. dub*. 2. quia in hac prohibitione solum exprimuntur provocantes, & pugnantes; sed communius negant cum Bonac. qoia usu, & consuetudine receptum est, nt pro reliquis etiam petatur a Roma absolutio, quæ consuetudo optime interpretatur verba illa S. Cong. *Juxta Trid. & Const. Greg. XIII.* referri ad omnes ibi contentos; consuetudo enim est optima legum interpres: absolvere autem potest Episcopus, si res sit occulta, joxta Trid. *sess*. 24. *de Refor. c*. 6. Deoique, ex Constit. Clem. VIII. incipiente *Illius vices* an. 1592. excommunicatio reservata iocurritur a provocantibus, aut acceptantibus duellum, etiam pugna non sequuta; & expresse extenditue etiam ad Magistratus, Duces, & Capitaneos in castris, & dominos Ecclesiasticos non impedientes, vel impunitatem post duellum dantes, ad componentes, dictantes, scribentes, subscribentes, imprimentes, affigentes, publicantes, mittentes, deferentes chartam duelli, vel etiam solo verbo denunciantes, attestantes, vel quomodolibet se immiscentes; etsi neque pugna, neque accessus, nec actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta provocatio sequuta, aut cuiquam intimata fuerit, si per eos non steterit, quominus publicatio, aut denunciatio fieret: hæc ex Clem. VIII. ubi notat Bonac. principaliter, ac seorsim excommunicari provocationem, publicationem, intimationem, acceptationem, accessum ad locum, & pugnam; reliquas vero actiones respective ad singulas istarum; ideoque dans v. g. consilium ad provocandum incurrit hanc excommunicationem, si provocatio sequatur, vel sequi debuisset, si aliunde impedita non fuisset, quia sic per eum non stetit, quin sequeretur; secus vero, si per eum stetit: similiter, si chartam affigas, etsi postea laceres, incurris; quia illa affixio est publicatio: secus, si scribas, sed non affigas, publices, &c. Similiter, si des arma, &c. incurris, dum ille accedit ad locum duelli, vel accedere debuisset, nisi aliunde fuisset impeditus, quia per te non stetit, &c. secus vero, si tu impedivisti, ne accedat; & sic de reliquis. Utrum autem teneatne ad restitutionem occidens, aut mutilans in duello, dictum est in de Restit. d. 2. q. 3. c. 1. §. 1.

IV. *Injicientes violentas manus in Clericos, juxta Can. Si quis suadente, ac juris dispositionem*.

Hæc excommunicatio reservatur in dicto Can. & ex dispositione juris extenditur ad mandantes, consilium, auxilium, favorem præbentes, percussionem suo nomine factam ratihabentes aliquo actu externo, necnon etiam ad non impedientes, si ex officio, aut justitia tenebantur: quid autem possit Episcopus, quid Prælati Regulares, dictum est d. 1. ubi alia plura in hanc rem notavimus. Hic tria supersunt explicanda percussus, percussor, percussio. Itaque

Primo, Percussus debet esse Clericus, vel Monachus, ex cit. Can. Gaudet ergo hoc privilegio Canonis Clericus habens saltem primam tonsuram, etiamsi sit excommunicatus, suspensus, irregularis, degradatus taneum verbaliter; imo, etiamsi sit hæreticus, ue ait Nald. & alii contra Barbos. imo etiamsi sit mortuus, & percutiatur ejus cadaver. Item si sit conjugatus, dummodo cum unica virgine, deferat habitum, aut illum reassumat, & serviat Ecclesiæ deputatæ ab Episcopo. Non ergo gaudet Clericus bigamus, neque quem dicimus Clericum, seu Diaconum salvaticum, coi Sacr. Congr. apud Fagn. n. 9. tribuit tantum privilegium fori in criminalibus, & in civilibus quoad carcerationem, & onera personalia; neque Clericus existens in Sacris, si sit degradatus realiter. Neque demum Clericus non existens in Sacris, si vacat per annum publico officio Buffonis; si deserto habitu committat assassinium, immisceat se tyrannidi, seditioni, aliisve gravibus criminibus; si dimisso habitu, vel conjugatus etiam cum habitu, exerceat publicum officium Tabernarii, ant Macellarii, & tee monitus ab Episcopo non desistat; aut, si destiterit, iterum exerceat; si demum ter monitus ab Episcopo dimissum habitum non reassumat, aut ab officio vili, aut a negotiis secularibus non desistat: Pal. d. 3. p. 22. ex pluribus textibus. Gaudet etiam privilegio Caoonis Monachus, hoc est, Regularis utriusque sexus, etiamsi Laicus, Conversus, Novitius, imo etiamsi Bigamus; cum lex tantum excludat Clericos Bigamos, ut notat Suar. item Terciariæ SS. Francisci, & Dominici, si collegialitee vivant cum habitu. Eremitæ etiam, & oblati, dummodo tamen voto aliquo, aut pacto perpetuo subjecti sint alicui Regulæ, aut Superiori. Item Equites Melitenses, & Teutonici, utpote veri Religiosi, quod etiam ad Equites S. Jacobi, Calatravæ, &c. extendunt Navar. Bonac. & alii; sed in his attendenda est consuetudo.

Secundo, Percussor esse potest quicumque utriusque sexus habens usum rationis, etiamsi impubes, dummodo percutiat *Suadente Diabolo*, hoc est, non ex ignorantia, inadvertentia, aut ex joco, etiamsi forte aliqua levis ira interveniat, cum debeat actio tum interna, tum externa pertingere ad culpam lethalem; estque talis, etiamsi ipse percussus consentiat, quia fit injuria ejus status, cujus privilegio renunciare ipse non potest; ideoque etiam ipse consentiens incurrit excommunicationem ferendam, ex cap. *Contingit eod. tit.* atque adeo probabilius incurrit excommunicationem latam, si ipsemet suadente diabolo se percutiat, cum hæc prohibitio magis sit in favorem status, quam personæ, ut notant 30. Doctores apud Sperel. contra Tol. Barb. & alios paucos. Denique ex dispositione juris extenditur hæc excommunicatio ad mandantes, consensum, consilium, auxilium, favorem præstantes, suo nomine factam ratihabentes non mere interne, sed externe, & ad non impedientes, si ex officio, aut justitia tenebantur: Laym. Booac. & alii communiter ex pluribus textibus. Excusantur autem tum a peccato, tum ab excommunicatione Primo, Prælatus, Præceptor, & Pater, si percutiant Clericum subditum in Minoribus constitutum, dummodo fiat correctionis causa, nec sit excessus in modo; idem est de Decano Chori relate ad talem Clericum disturbantem divina officia; imo idem pariter de Prælato, & Præceptore Ecclesiastico relate ad Clericum constitutum in Sacris, quod tamen de patre negat probabiliter Pal. contra alios: Secundo, Excusaris pariter, si percutias ob justam defensionem tuæ, vel alterius personæ, honoris, rerum; dummodo fiat incontinenti in ipso actu aggressionis, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut, si mulier tentetur a Clerico, nec aliter potens suum honorem tueri illum occidat; si aggressus sis a Clerico, & fuga tibi sit ignominiosa; si Clericum asportantem tua bona insequaris, detineas, & pee vim auferas, dummodo ea sint alicujus valoris, nec sint in tuto deposita: Doctores communiter: Tertio, Excusaris ab excommunicatione, etsi non a peccato, si etiam excedendo, & ex vindicta occidas Clericum turpiter inventum cum tua uxore, matre, filia, aut sorore (non vero, si eum alia, etiamsi tibi conjuncta, ut notant Doctores) ob difficultatem temperandi dolorem, & impetum vindictæ, ut addit Gloss. Censetur autem Clericus turpiter inventus, etiamsi inveniatur tantum osculans, amplectens, turpitee tangens, vel in loco suspecto, ita ut ex circumstantiis merito conjici possit turpitudo: Suar. Bonac. & alii: item, si sine dolo expectes, eumque in tali delicto deprehensum percutias; non vero, si dolose inducas, neque si post finitum delictum percutias: Pal. & alii communiter.

Tertio, Percussio est violenta manuum injectio in personam, vel res aliquo pacto ei adhærentes, ita tamen, ut, præcisa etiam excommunicatione, sufficiat arbitrio prudentium ad culpam gravem. Hinc non incurris excommunicationem, si tantum verbis contumeliosis, aut minacibus afficias, expellas, quia non pervenis ad opus manuum. Neque, si manus violentas inferas in ejus domum, familiares, vestes non indutas, &c. etiamsi in odium, & injuriam ipsius, quia nihil horum ei adhæret; neque si pallium, crumenam per furtum ab eo abscindas, cum non sit actio violenta. Neque, si lapidem in eum injicias, qui tamen nullo pacto attingat, nec lædat. Neque demum, si ex intentione graviter injuriosa, ita tamen leviter tangas, ut judicio prudentium censeatur actio externa tantum venialis: Doctores communitee. Contra vero incurris, quomodocumque manu, vel instrumento percutiendo graviter noceas corpori, vel honori; ut si sputum, aquam, pulverem, lotum, pileum in eum per injuriam projicias; si vestem, pileum, pallium, pee vim, & injuriam auferas; si similiter equum, cui insidet, occidas, vulneres, cædas, per frenum sistas; quia, licet hæ actiones sint leves respectu

ctu corporis, non tamen respectu honoris; si venenum clam ei propines, quia sic vitæ vim infers, idque statim ac venenum incipit agere, quamvis non sequatur mors: Bonac. cum communi contra Avil., Fil., & alios; si ita persequaris, ut sis moraliter causa ejus lapsus ex equo, vel in foveam: censeris autem causa, si ille ex metu talis percussionis cadat; similiter, si explodas sclopetum in eum, qui ex timore cadat quasi exanimis, quamvis ne leviter quidem tangatur: denique si capias absque auctoritate Ecclesiastica, aut violenter detineas in carcere, vel in loco, unde sine dedecore exire non possit, ut si se lavanti in balneo vestes depositas auferas, &c.

Quartu, Quævis talis percussio esse potest, vel gravis, vel mediocris, vel levis. Gravis, seu enormis habetur primo ex quantitate læsionis, ut si mutiles membrum, aut reddas inhabile, si effundes sanguinem in magna copia aliunde, quam e naribus, si includas in tetro carcere, si flagelles cum dolore, & contumelia: Secundo ex circumstantia personæ, ut si sit Cardinalis, Episcopus, Prælatus, proprius Abbas, Pater, Patruus, in quos offensa, ex se alioqui levis, crescit ex dignitate personæ offensæ; similiter crescit ex conditione offendentis, ut si sis subditus, filius, vilis, &c. idemque est, si impingas alapam in personam gravem, vel si officialis laicus percutiat auctoritative, quasi usurpans jurisdictionem Ecclesiasticam: Tertio ex aliis circumstantiis, ut si cum magna irrisione, & irreverentia, notorietate, & scandalo, si in conspectu Prælati, aut Judicis, si Sacris indutum, si ad Altare, in publica Ecclesia, in foro, tempore magnæ solemnitatis, &c., quæ singula pensanda sunt, ut judicium fiat de gravitate, seu enormitate actionis, quæ alioqui se sola spectata non esset talis. Ex gravi facile dignosci potest mediocris, & levis; si enim a gravi non multum distet, dicitur mediocris, ut si præcisis aliis circumstantiis Clerico dentem detrahes, capillos evellas in copia, sugillationem carnis relinques, sanguinis copiam absque gravi læsione effundas, &c. Levis denique dicitur, non quæ sit tantum culpa venialis, quia sic nulla incurritur excommunicatio; sed quæ intra latitudinem peccati mortalis est infima; ut si, præcisis aliis circumstantiis, fiat pugno, palma, manu, pede, baculo, vel lapide sine sugillatione carnium, effusione multi sanguinis, evulsione multorum capillorum, &c.

V. *Simonia realis scienter contracta.*

Simonia realis est, cum ex conventione, seu pacto, sive tacito, sive expresso commutatur temporale cum spirituali. Differt a simonia mere intentionali, vel mere conventionali, quia ultra intentionem, & conventionem dicit etiam effectum, seu traditionem rerum sequutam, & quidem utrinque: si ergo datum sit tantum temporale, vel tantum spirituale, & non alterum, nondum est simonia perfecte realis, sed veluti mixta ex conventionali. Hoc supposito. In Extr. 2. *De simonia* habetur excommunicatio reservata contra dantes, & recipientes aliquod temporale ob ingressum in Religionem, quicumque sint dantes, vel accipientes, modo fiat ex conventione in pretium talis ingressus, & intelligitur de ingressu perfecto per professionem, aut vota constituentia Religiosum, non autem de ingressu in novitiatum. Si autem des aliquod sponte, & gratis, non habetur simonia; neque, si des in tui, aliorumve sustentationem, etsi aliter non te ad professionem reciperent; uti dicimus de eleemosyna data Sacerdoti, ut celebret, alitea non celebraturo; ideoque, nec simonia, nec excomm. incurritur a paciscentibus super dotibus Monialium, ex Clem. VIII. In Extrav. 2. eod. tit. habetur excommunicatio pariter reservata contra dantes, & accipientes, & horum mediatores in ordine, aut beneficio. Per ordinem, Bonac. communiter contra Less., & alios, intelligunt etiam minores; imo etiam primam tonsuram, quam Sacri Canones, etiam vocant ordinem cap. *Cum conjug. de Ætat., & qualit.* Per beneficium multi cum eodem Bonac. contra Suar., & alios intelligunt hic, quod proprie dicitur beneficium, non vero pensionem, officium, aut dignitatem Ecclesiasticam, quia sumus in odiosis; intelligunt tamen communiter etiam beneficiorum permutationem, resignationem, pensionum reservationem, vel æquationem fructuum pro beneficio resignato, si fiant sine auctoritate Superioris, quia sic est simonia juris Ecclesiastici in beneficio. Per mediatores intellige non solum eos, qui pretio a te inducuntur ad impetrandum a Superiore pro te, vel pro alio ordinem, aut beneficium; verum etiam, qui talem simoniam inter te, & Superiorem procurant; non vero si des illis aliquid tantum, ut ibi aditum, aut facilem ingressum apud Superiorem concedant, vel ut certiorem eum faciant de tuis meritis, modo non intercedant; & secundum aliquos, neque si sint mediatores remoti, qui intercedant apud alium mediatorem.

Itaque excommunicatio simoniæ realis incurritur tantum in ingressu Religionis, Ordine, & Beneficio; at non in aliis materiis, puta in venditione Baptismi, Chrismatis, &c., in quibus tantum est excommunicatio comminatoria, cap. *Quidquid* 101., neque adeo est casus Papalis: Bonac., & alii contra Sot., & alios. Addo tamen quatuor alias excommunicationes reservatas: Primam contra ambientes Papatum, ejusque causa simoniam committentes, ex Constit. Paul. IV. *Cum secundum:* Secundam contra dantes, & accipientes pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam, ex Constit. Greg. XIII. *Ab ipso:* Tertiam contra proponentes ad quæstum populo indicem casuum, & gratiarum cum indulgentiis, ex Pio V. *Infelicis;* Quartam contra recipientes aliquid ex fructibus primi, & secundi anni beneficii vacantis in collatione, aut provisione ad possessionem illius, ex eodem, *Quam plenam.* Sed hæ excommunicationes incurruntur ante simoniam realem, adeoque non pertinent ad rem præsentem, nisi pertingant ad simoniam perfecte realem.

VI. *Simonia confidentialis etiam scienter contracta.*

Simonia confidentialis, quæ & confidentia dicitur beneficialis, committitur a resignantibus, conferentibus, eligentibus, aut præsentantibus alium ad beneficium cum intentione, seu spe, seu certa confidentia, quod tale beneficium, seu ejus pars aliquo tempore reversura sit in favorem ipsorum, aut alterius cujuscumque; atque hæc confidentia completur ab acceptante tale beneficium in ipso actu acceptandi; & solus acceptans incurrit excommunicationem latam, & reservatam ex Constit. Pii IV. *Romanum*, & Pii V. *Intolerabilis:* estque casus specialiter reservatus extra Urbem intra Italiam.

Ut autem acceptans incurrat hanc excommunic., requiritur, ut illam intentionem resignantis, collatoris, electoris, aut præsentantis animadvertat, etiamsi non in pactum deductam; imo, etiamsi acceperit sine animo annuendi tali intentioni, ut probabilius docet Bon. ex illis verbis Pii IV. *Etiamsi sola dimittentis intentione receperit;* non tamen si falso putans, esse in eo talem intentionem, & cum animo ei annuendi acceperit; quia sic non committitur simonia confidentialis, quæ originem trahit a tali intentione: Suar., Bonac., & alii: neque demum, si intentio v. g. resignantis sit, ut sibi resignetur aliud beneficium distinctum, vel ut sibi remittatur pensio aliunde debita, quia hic casus non comprehenditur in dictis constit. v. plura in de Simonia tr. 3. d. 5.

§. III.

De reliquis Casibus Papalibus.

RELIQUI Casus Papales reservati sunt supra 80. partim in corpore juris, partim in aliis Constitut. Pont. Horum reservationem, ubi nulla exprimitur persona, incurrunt omnes, præter unum Papam: ubi vero exprimuntur personæ, vel earum gradus, aut officium, istæ tantum incurrunt. Itaque eorum Catalogus hic est:

1. *Sacerdotes sive Seculares, sive Regulares, extra Urbem intra Italiam, præsumentes prætextu privilegiorum absolvere a Casibus Bullæ Cœnæ, vel a 6. Clement. VIII., vel ab illis, quos Episcopi sibi reservant:* Clement. VIII. Sacra Congreg. 1602. 2. *Publicantes, vel concedentes ob quæstum indulgentias, aut facultates absolvendi a Casibus:* Pius V. *Quam plenum;* 3. *Audentes docere, tueri, aut in praxim deducere opinionem, quod Bulla Cruciatæ possit eligere quemcumque Sacerdotem a quocumque semel approbatum:* Innoc. XII. 19. April. 1700. 4. *Docentes, defendentes, vel tractantes (nisi forte impugnando) Propositionem aliquam ex damnatis ab Alexand. VII. Inn. XI., & Alexand. VIII.* 5. *Docentes, licitum esse confiteri Sacramentaliter per literas, aut internuncium Confessario absenti, & absolutionem Sacramentaliter a Confessario absente obtinere; aut in praxim quovis modo id deducentes:* Clem. VIII. an. 1602. 6. *Non denunciantes intra 12. dies a scientia delicti hæreticos, aut quomodolibet suspectos de hæresi:* Ex Præcept. Inquisit. General. anno 1623. Item

non monentes, aut deobligantes a denunciando, ex Bull. Alex. VII. Licet alias an. 1660. confirmante ampliusive Bull. Paul. V. Romanus an. 1606. 7. Inquisitores inferiores Episcopis male procedentes contra Hereticos: Clement. Multorum. 8. Superiores Regularium non denunciantes suos Religiosos Hæreticos, aut de heresi suspectos: Paul. V. cit. 9. Communicantes in crimine criminoso cum excommunicato nominatim a Papa, cap. Nupec de Sent. Excomm. 10. Perseverantes per unnum in excommunicatione lata a Delegato Papæ, cap. Quærenti de Offic. Deleg. 11. Absoluti ab excommunicatione Papali cum onere, & illud non implentes, cap. Eos, qui, de Sentent. Excomm. in 6. 12. Violantes Interdictum Sedis Apostolicæ: Extrav. Etsi, de Pœnitent. & Remiss. 13. Præsumentes violare Interdictum his modis: vel cogendo ad celebranda Divina Officia in loco interdicto: vel quomodolibet vocando alios ob ea ibi audienda, vel prohibendo, ne ab Ecclesia tempore Missæ exeat excommunicatus, aut interdictus vitandus, postquam is a celebrantibus monitus est exire: vel demum, si is nominatim ab illis monitus non exeat: Clement. Gravis, de Sentent. Excommunic. 14. Vexantes eos, qui censuram in aliquem tulerunt, cap. Quicumque, de Sentent. Excommunic. in 6. 15. Clerici (etiamsi Regulares: Fil. contra Bonac.) scienter, & sponte admittentes ad Divina Officia excommunicatos nominatim denunciatos a Papa, cap. Significavit, & de Sentent. Excommunic. 16. Clerici, sive Seculares, sive Regulares (exceptis Parochis) inducentes aliquem ad jurandum, vovendum, aut promittendum de eligenda Sepultura apud ipsos, vel electa non mutanda: Clement. Cupientes, de Pœnis. 17. Regulares administrantes Sacramentum Viatici, aut Extremæ Unctionis Secularibus non familiaribus, aut Matrimonii, absque licentia Parochi: Clem. I. de Privil. 18. Supponentes se in examine, ut beneficium impetrent pro alio; Paul. IV. Inter cæteras. 19. Incendiarii locorum, sive piorum, sive profanorum, si sint ab Episcopo denunciati, cap. Tua nos, de Sentent. Excommunic. 20. Effringentes, & spoliantes Ecclesias, si sint ab Episcopo denunciati, cap. Conquesti, eodem tit. Ubi nota, particulam Et requirere utramque simul actionem, & nomine Ecclesiæ non venire Oratorium privatum, neque arcam, in qua res Ecclesiæ continentur: Bon. 21. Facientes jurare illicita, impossibilia, damnosa, vel contraria Libertati Ecclesiasticæ, aut Decr. Trid. Greg. XIII. Inter Apostolicos. 22. Procurantes quomodolibet abortum fœtus animati, sequuto effectu: Greg. XIV. Sedes Apostolica 23. Occupantes quomodolibet bona Montium Pietatis, Ecclesiæ, Beneficii, aut loci pii: Trid. sess. 24. c. 11. 24. Impugnantes Conceptionem B. Virginis, vel legentes, retinentes, aut pro veris habentes libros, in quibus asseritur, esse heresim, vel peccatum id credere, celebrare, aut in Concione audire. Et econtra damnantes heresis, vel mortalis eos, qui tenent sententiam oppositum: Sixt. IV. Grave nimis. 25. Legentes, retinentes, edentes, describentes, advehentes, quovis modo dantes, aut ementes libros Thalmud, Cabalistas, aliosve Hebræorum contra vetus, aut novum Testamentum, &c. Clem. VIII. Cum Hebræorum. 26. Petentes, vel exigentes aliquid (non ad pios usus) ex fructibus primi, aut secundi anni beneficii vacantis, in ejus Collatione, Provisione, aut admissione ad possessionem: Pius V. Durum nimis. Si autem hi sint Antistites, suspenduntur tantum. 27. Dantes, aut accipientes aliquid pro gratia, aut justitia obtinenda in Curia Romana; item promittentes, aut promissionem acceptantes; item præbentes his auxilium, consilium, favorem; item id scientes, & non revelantes: Greg. XIII. Ab ipso. 28. Dantes, vel promittentes aliquid Nunciantibus Provisiones a Sede Apostolica factas: Greg. XIII. Sollicite. Hoc tamen Fil. dicit non esse usu receptum. 29. Habentes literas Apostolicas falsas, & eas intra 20. dies non destruentes, c. Dura, de Crim. Fals. 30. Impedientes quomodolibet executionem literarum S. Pœnitentiariæ: Jul. III. Rationi. Id tamen inclusum esse in Casu 14. Bull. Cœn. ait Bon. contra Reginal. 31. Provocantes, vel acceptantes duellum, etiam pugna non sequuta; Item quicumque quomodocumque se tali provocationi, acceptationi, aut duello immiscentes: item Domini quicumque permittentes duellum in suis Terris, Castris, &c. Clem. VIII. Illius vices. Ex usu tamen includuntur hi etiam in cas. 3. §. antecedentes: Bon., & alii, contra Lug., & alios. 32. Feminæ ingredientes Monasteria Regularium, prætextu, aut etiam sine prætextu facultatis Apostolicæ: Pius V. Decet Romanum, Excipe Reginas cum suo comitatu; vel si comitentur SS. Sacramentum. 33. Ingredientes Monasteria Monialium prætextu facultatis Apostolicæ: Paul. V. Monialium. 34. Moniales præsumentes admittere intra Clausuram, virum, aut mulierem prætextu facultatis Apostolicæ ingredientem: Gregor. XIII. Ubi gratiæ. 35. Moniales exeuntes e Clausura absque licentia concedenda tantum in certis causis: Pius V. Decori. 36. Regulares euntes ultra mare, sine licentia Superiorum: Extravag. Ad nostrum, de Regul. 37. Regulares Mendicantes transeuntes ad non Mendicantes (Excepto Ordine Carthus.) sine licentia suorum Superiorum: Extravag. Viam, de Regular. 38. Regulares recipientes aliquem de Societ. Jes. sine licentia superiorum hujus; & ipsi de Societate sic ingredientes, hisque auxilium dantes: Pius V. Æquum. 39. Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. Jul. II. Virtute. 40. Minores recipientes Fr. Ordinis Prædicatorum sine licentia Papæ, vel detinentes talem Apostatam: Bonif. apud Div. Antonin. 3. par. 41. Tertiarii, Eremitæ, &c. portantes habitum Minimorum: Leo X. Licet. 42. Minimi subtrahentes se ab obedientia Correctorum: Paul. V. Cum. 43. Minores tempore interdicti admittentes ad Divina Officia Fr. Tertii Ordinis: Clement. Cum ex eo, de Sentent. Excommunic. 44. Minores de observantia subornantes in electionibus, vel procurantes favorem extra, ad officium obtinendum in Religione: Pius V. Pastoralis. 45. Iidem appellantes ad Secularia Tribunalia, contemptis Superioribus suis: Greg. XIII. Quoniam. 46. Impugnantes Institutum Societ. Jesu, ejusque Constitutiones: Greg. XIII. Ascendente. 47. Conficientes libellos famosos, vel aliam scripturam contra statum Ordinis Prædicatorum, vel Minorum: Alexand. IV. Ex alto 48. Extrahentes per se, vel per alium ex Bibliothecis Fratrum Minorum de observantia libros, quinterna, folia, & res alias ibi existentes, eisque auxilium, vel opem præstantes: Sixt. V. Cum sicut. 49. Præsumentes amovere, vel subtrahere ex Bibliothecis Fratrum Carmelitar. libros, & monumenta, sive impressa, sive MS. ibi existentia: Clement. VIII. Quæ ad tuenda. 50. Extrahentes Reliquias ex Cœmeteriis, Cryptis, vel Catacumbis, intra, vel extra Urbem, existentibus. Paul. V. anno 1613. 51. Extrahentes frumentum, legumina, animalia, &c. e statu Ecclesiastico, & locis immediatis; Paul. V. Inter. 52. Diripientes animalia, & alia bona in statu Ecclesiastico, & illa ementes, permutantes, & recipientes: Paul. V. Non sine. 53. Suadentes Papæ, ut infeudet loca Ecclesiæ Romanæ: Pius V. Admonet. 54. Eligentes potentia insignem in Senatorem Romanum, c. Fundamenta, de Elect. in 6. 55. Capientes in servitute Christianos habitantes inter Turcas: Pius V. Licet. 56. Deferentes Alumina ex partibus Infidelibus ad Fideles: Pius IV. Ex Apostolica. 57. Accedentes ad Sepulcrum Domini causa devotionis, absque licentia Papæ: Ex libro Pœnitent. 58. Episcopi, aliique Ordinarii vexantes per Censuras eos, qui in suis negotiis, vel pro servitio Papæ, & Curiæ Romæ commorantur. Extrav. 9. de privileg. 59. Episcopi, qui in suspensione conferunt beneficium: Pius V. Quanta. 60. Personæ Ecclesiasticæ trahentes aliam personam Ecclesiasticam, vel Collegium, aut Conventum ad forum Laicale, pro causis spectantibus ad forum Ecclesiasticum: Martin. V. Ad reprimendam. 61. Officiales Papæ (exceptis Cardinalibus) accipientes munera, præter comestibilia biduo consumptibilia; item dantes, & recipientes: Paul. III. Munera. 62. Officiales Cameræ in contractibus Cameræ quomodolibet participantes: Paul. III. Alias. 63. Commissarii, & Judices Sedis Apostolicæ, inferiores Episcopis, concedentes, alienationes bonorum Ecclesiasticorum fieri in detrimentum Ecclesiarum: item alii dolose, vel scienter id procurantes: Paul. II. Cum in omnibus. 64. Officiales S. Pœnitentiariæ expedientes, aut concedentes sibi interdicta: Pius V. In omnibus. 65. Conspirantes in personam Summi Pontificis: Extrav. Etsi, de Pœnitent., & Remiss. 66. Ambientes Papatum, ejusque causa Simoniam committentes; item tractantes de electione Summi Pontificis, vivente adhuc Pontifice, eoque inconsulto: Paul. IV. Cum secundum. 67. Facientes sponsiones super vita, morte, aut futura electione Summi Pontificis, etiam sede vacante, aut super promotione Cardinalium: Gregor. XIV. Cogit nos. 68. Mittentes literas, scriptum, nuncium, notam, aut signum ad existentes in conclavi; & qui ibi recipiunt, vel econtra: Pius IV. In eligendis. 69. Occupantes bona Cardinalium in conclavi existentium: Concil. Constans. session. 41. 70. Cardinales non servantes formam præscriptam in eligendo Summo Pontifice, aut præsumentes aliquid facere, vel attentare contra Bull. Greg. XV. Æterni. 71. Cardinales non servantes statuta Julii II., ut scilicet sine Simonia eligatur Papa; Jul. II. Cum tam Divino. 72. Cardinales revelantes gesta in con-

cistorio

cistorio secreto præcepta sub silentio servari; Leo X. Superna. 73. Invadentes armata manu domum Cardinalis, aut aliquid violenter, & hostiliter inde rapientes, aut aliquem ibi existentem vulnerantes; item mandantes, consulentes, aut ratihabentes; Leo X. Temerarium. 74. Fingentes se nepotes Cardinalium, ut expediant literas Apostolicas: Leo X. Inhærendo. 75. Non revelantes Papæ, vel Ordinario conspiratores contra Cardinalem: Pius V. Infelicis. 76. Offendentes Magistratus Provinciæ Marchiæ Anconitanæ; Extrav. Dierum de Pœnis. 77. Præsumentes turbare, vel impedire, quæ statuta sunt pro Ecclesia Tolosana: Extrav. Salvator, de Præb., & dignit. 78. Falsificantes monetam Regis Franciæ; Extrav. Prodiens, de Crim. 79. Parochi non adimplentes juramentum de residendo certo tempore in suis Parochiis: Pius IV. Inter. Verum hoc juramentum hodie non exigitur. 80. Domini temporales prohibentes subditis, ne aliquid vendant, neve ab eis emant, &c. c. final. de Immunit. Eccl. in 6., Verum, si hoc fiat per statutum, includitur in cas. 15. Bul. Cœn., si secus, non reservatur: Bon., & alii. 81. Domini temporales bannientes personas Ecclesiasticas; Urb. VI. Quia sicut. Verum id hodie includitur in cas. 19. Bul. Cœn. 82. Legati, & gubernatores facientes aufugere, aut defendentes bannitos. Item personæ Ecclesiasticæ hos receptantes in statu Ecclesiastico, vel in Regno Neapolitano: Pius V. Ex superna. Verum hæc excomm. jam sublata est a Sixt. V. Hoc nostri. * His addendæ sunt duæ excomm. nuper reservatæ a Benedict. XIV., quarum I. est contra Laicos, qui majus stipendium pro missis celebrandis accipientes, eas minori stipendio celebrandas curent, ex Const. Quanta cura, citat. in de Stip. Miss. §. 3. II. contra Sacerdotes Sacramentaliter absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si adsit alius, ex Constitut. Sacramentum pœnitentiæ, cujus meminerimus infra capit. 2. §. 1. in exposit. 8. casus reservati hujus Diœcesis.

Excommunicationibus hisce reservatis ex tract. de Censuris hic adjiciuntur a Collectore etiam aliquæ non reservatæ magis obviæ, quo tota hæc materia integra hic sub Lectoris oculis ad ejusdem commodum versetur * Sunt autem supra 60., quarum

1. Contra Gubernatores, & Judices non reddentes jus Ecclesiasticis ob negligentiam, vel animum iniquum, c. Administratoees 23. q. 5. 2. Religiosos professos, qui diutius duobus mensibus absunt a suis Monasteriis ad audiendas leges, vel medicinam; c. Non magnopere, de Cler., vel Monach. 3. Sacerdotem, vel alium Clericum habentem officium Vicecomitis, aut Præpositi Secularis, qui admonitus non vult se emendare, c. Clericis ne Cler. vel Mon. 4. Ementes, vel quovis alio modo acquirentes rem Ecclesiasticam a Schismatico, vel recipientes beneficium ab illo, vel consentientes ordinationi ipsius, cap. 1. de Schismat. 5. Mittentes scripturam, vel nuncium alicui Cardinali in Conclavi existenti, ad Romani Pontificis electionem, vel cum eo secreto loquentes, cap. Ubi, de Elect. in 6. 6. Dominos, Rectores, aliosque Officiales, qui diligenter non observant, aut fraudem aliquam committunt in eis, quæ præcipiuntur observanda in morte Summi Pontificis in terra ipsorum, capit. Eodem. 7. Omnes, qui per se, vel per alios præsumpserint vexare personam Ecclesiasticam, vel alia loca pia, eo quod rogata noluerint, aut nolint eligere eum, pro quo ipsi rogarunt, aut induxerunt, cap. Scimus, de Elect. in 6. 8. Illos, qui usurpare conantes jus custodiendæ, & servandæ alicujus Ecclesiæ vacantis præsumunt capere aliqua bona illius, capit. Generali, ibidem. 9. Accersitum in directorem Monialium non temperantem a rebus, ex quibus nasci, vel ali potest discordia, cap. Indemnitatibus, ibidem. 10. Procurantes, quod Judices, Conservatores sibi dati, intromittant se ad alia, quam ad manifestas injurias, & violentias, & extendant potestatem ad ea, quæ judicialem exigunt discussionem, cap. Hoc, de Off. Jud. Deleg. in 6. 11. Illos, qui vi, aut metu consequuntur absolutionem, vel revocationem sententiæ excommunicationis, interdicti, vel suspensionis, cap. un. de his, quæ vi in 6. 12. Illum, qui fingit casum, vel fraudem aliquam facit, quo Judex ipse vadat ad accipiendum testimonium alicujus feminæ, cap. Mulieres, de Jud. in 6. 13. Illos, qui compellant Ecclesiasticos, ut submittant Ecclesias, vel earum bona immobilia, aut jura laicis in casibus jure prohibitis, cap. Hoc, de rebus Eccl. in 6. 14. Illos, qui statuunt novum Ordinem Religionis, aut accipiunt novum habitum illius, & Mendicantes, exceptis quatuor Ordinibus, qui recipiunt aliquem ad suum ordinem, cap. un. de Relig. Dom. in 6., sed hæc hodie non habet locum 15. Illos, qui per se, vel per alios suo nomine, vel alieno exigunt ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis pedagium, pro personis, aut rebus, quas deferunt, vel deferri faciant non causa negotiationis, capit. Quamquam, de casibus in 6. 16. Dominos temporales prohibentes suis subditis vendere sua Clericis, aut præstare officia, cap. final. de Immunit. Eccles. in 6. 17. Religiosos temere habitum relinquentes, & dimittentes, & Doctores, seu Magistros, qui Religioso habitu dimisso, Leges, vel Physicam audientes scienter docere, aut in Scholis retinere præsumant, cap. ult. Ne Cler., vel Mon. 18. Præsumentes tradere Ecclesiasticæ sepulturæ Hæreticos, eisve credentes, receptatores, defensores, vel fautores, cap. Quicumque, de Hær. in 6. 19. Potestates temporales, vel earum officiales cognoscentes, vel judicantes de crimine hæresis, vel absque Diœcesani, aut Inquisitionis licentia liberantes e carcere captos pro eodem crimine, vel eorum executionem non implentes, vel directe, aut indirecte eorum sententiam, aut processum impedientes, eisque scienter dantes consilium, auxilium, vel favorem, capit. Ut de Hær. in 6. 20. Clericos non Episcopos permittentes in suis terris usurarios publicos alienigenas, vel eos ex illis non expellentes, vel locantes illis, aut alio prætextu concedentes domos ad usuras exercendas, capit. Usur., de Usur. in 6. 21. Illos, qui impediunt capientes fructus beneficii, vel infringunt sequestrum super beneficia ab Ordinario factum, ob latam in Curia Romana unam sententiam definitivam super possessione, vel proprietate ejusdem, Clem. un. de Sequest. 22. Sepelientes aliquem in loco sacro interdicto in casibus a jure non permissis, aut interdictum nominatim, aut excommunicatum publicum, aut usurarium manifestum, Clem. I. de Sepulc. 23. Religiosos, qui non habentes beneficium, nec administrationem sibi appropriant decimas, &c. Clem. Religiosi, de Decimis. 24. Religiosos simplices, qui petunt aulas Principum animæ nocendi suis Prælatis, aut Monasteriis, Clem. Ne in agro, de Stat. Monach. 25. Monachos, qui sine facultate Abbatum habent arma intra claustra Monasteriorum, ibidem. 26. Illos, qui præsumunt impedire Visitatores Monialium in eo, quod statuitur a Concilio, si a Visitatoribus admoniti non cessant, Clem. Attendentes, de statu Monach. 27. Eos, qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis jure Canonico interdictis, aut cum Monialibus matrimonia contrahunt, necnon Religiosos, Moniales, Clericos in Sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, Clem. I. de Consang. 28. Inquisitores, & Commissarios eorum, aut Episcopi, aut Capituli Sede vacante, qui prætextu sui officii illicite sumunt pecuniam aliquam, & qui scienter confiscant bona Ecclesiastica, Clem. Nolentes, de Hæret. 29. Officiales Civitatum facientes, scribentes, vel dictantes statuta, ut solvantur usuræ, vel quod solutæ non possint repeti, & eos, qui judicant, usuras esse solvendas, aut non esse repetendas solutas, & qui ad id potestatem habentes non eradunt e libris talia statuta, Clem. I. de Usuris 30. Religiosos, qui concionantur, vel alias dicunt aliquid ad avertendos audientes a solvendis decimis debitis Ecclesiæ; & illos, qui de industria nullum conscientiæ scrupulum incutiant in confessione pœnitentibus de solatione decimarum, Clem. Cupientes, de Pœnis. 31. Religiosos non servantes interdictum, vel cessationem a Divinis, quam servat Ecclesia Cathedralis, vel Matrix, vel Parochialis oppidi, Clem. I. de Sent. Excomm. 32. Imprimentes, imprimi mandantes, vendentes, apud se retinentes libros de rebus sacris, sine nomine Auctoris, & sine approbatione, Trid. sess. 4. 33. Prædicantes, docentes, aut pertinaciter asserentes, non esse necessariam confessionem Sacramentalem habita copia Confessionis ante Communionem his, quos conscientia peccati mortalis gravat, etiamsi contriti accedant, sess. 13. can. 11. 34. Raptores mulierum, ac illis consilium, auxilium, favorem præbentes, sess. 24. c. 6. 35. Illos, qui subditos suos, vel quoscumque alios cogunt minus libere matrimonia contrahere, sess. 24. c. 9. 36. Magistratus sæculares, qui non præbent auxilium invocatum ab Episcopis ad restituendam, vel conservandam Clausuram Monialium, sess. 25. c. 5. 37. Illos, qui cogunt aliquam feminam, præter quam in casibus a jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum Religionis, vel ad Professionem; quique consilium, auxilium, favorem in id dederint, vel præsentes ei actui scienter fuerint, ibid. 38. Illos, qui sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel profitendi quoquo modo sine justa causa impedierint, ibid. 39. Negantes matrimonia Clandestina ante Trident. celebrata valida fuisse, aut post illud, matrimonium a filiisfamilias inconsulto patre. celebratum validum esse, sess. 24. c. 1. 40. Eos, qui ausi fuerint impugnare litteras Apostolicas concessas a Papa non coronato;

Ex-

Extrav. ult. de Sent. Excomm. 41. *Legentes, retinentes libros, scripta, opera, &c. Astrologiæ judiciariæ, divinationum saturorum liberorum, vel artis magicæ:* Index libr. prohib. 42. *Præsumentes edere glossas, commentarios, adnotationes in Decr. Trid. Pius IV.* Benedictus 73. 43. *Commentantes Clem.* Exivi, de V. S., ibid. 44. *Eos, qui ob quæstum publicant, vel concedunt Indulgentias, & facultates absolvendi a Casibus reservatis: Pius V.* Quam plenum. 45. *Omnes, qui recipiunt, seu nutriunt Apostatas Religiosos, aut auxilium, consilium, vel favorem præstant, ne redeant ad suum Monasterium. Paul. IV.* Postquam 14. 46. *Nuntios Apostolicos, & alios ex quavis causa missos ad Imperatorem, Reges, Duces, aliosque Principes, impetrantes ab ipsis literas, aut favores vocales ad dignitates obtinendas: Sixt. IV.* Etsi 47. *Vexantes Inquisitores, aliosve S. Officii Ministros: Pius V.* Si de 82. 48. *Impugnantes in concionibus, aut disputationibus Montem Pietatis: Leo X.* Inter 14. 49. *Eos, qui in Civitate diversarum linguarum, & rituum munus administrandi suscipiunt sine consensu Episcopi, cap.* Quoniam, de Offic. Jud. Ord. 50. *Sacerdotes, aliosque Clericos, dignitatem, aut personatum habentes, qui legibus, aut physicæ operam navant, nisi ab his infra spatium duorum mensium destiterint, cap.* Super 1. 51. *Clericos interessentes agitationi Taurorum, & ferarum: Pius V.* De Salute 48. 52. *Ficte resignantes, vel permutantes beneficia: Inn. VIII.* Sicut 53. *Alienantes bona Ecclesiæ, aut retinentes sine justa causa, & solemnitate, ac consensu Summi Pontificis, Extrav.* Ambitiosa, de Reb. Eccl. 54. *Mendicantes recipientes novas domos, vel alienantes jam receptas sine licentia Papæ, Clem.* Cupientes, de Pœnis. 55. *Violantes exemptionem Ordinum Mendicantium pro eorum personis, bonis, colonis, mercibus, & animalibus a solutione gabellarum, & quarumcumque contributionum, & onere hospitandi milites: Pius V.* Dum 11. 56. *Doctores Universitatum, Gymnasiorum, & alios facultatem Doctorandi habentes, si patiantur aliquem ad Cathedras, vel ad gradum aliquem promoveri, non facta Fidei professione: Pius IV.* In sacrosancta. 57. *Deferentes, vel deferri concedentes in statu Ecclesiastico arma brevioris mensuræ trium palmorum: Pius V.* Cum vices 143. 58. *Mandantes Christianum aliquem interfici per assassinos, etiam morte non sequuta;* & extenditur *ad eos, qui receptaverint, defenderint, occultaverint tales assassinos, c. un.* De Injur. in 6. 59. *Concedentes repræsalias adversus personas Ecclesiasticas, vel extendentes concessas.* Eodem cap. 60. *Magistratus, & Officiales non obedientes Cardinalibus Congregationis SS. Inquisitionis: Pius V.* Sanctissimus t. 61. *Officiales intromittentes se in causis interdictis a Pio IV.* Universi 54., & Superne 83., &c.

C A P U T II.

De Casibus reservatis Episcopis.

CAsus Episcopales, alii sunt a jure, vel consuetudine, ex dictis q. præc. c. 3. §. 2. alii, quos ipsi Episcopi sibi reservant, & exponere solent in suis agendis, seu tabellis, quæ proinde aliæ alibi sunt, & propriæ cujuscumque Diœcesis, manetque earum reservatio etiam mortuo Episcopo, nisi Successor revocaverit, quia sunt per modum statuti perpetui, ut notat Chapeavil. p. 1. c. 5. Si autem Episcopus alium sibi casum reservat per modum mandati, cessat talis reservatio mortuo Episcopo, ut habet Pasqual. decis. 495. Porro casus in nostra tabella Neapolitana nunc sunt 23. quorum 16. habent adnexam excomm. ipso facto; 7. sunt absque excommun.; sed postremo adnexum est interdictum ipso facto. De singulis hic agam, adjectis cuilibet casui aliquibus notis, ex quibus facile etiam cuique fiet alios aliarum Diœcesum casus expendere.

§. I.

De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus adnexa est Excommunicatio ipso facto.

I. *OMnes utriusque sexus, & cujusvis status, aut dignitatis persona, quæ Hæreticorum cujuscumque secta cœtus adeunt, in quibus conciones, & catechismi, aut quicumque eorum ritus, præsertim a S. Catholica Romana Ecclesia damnati, exerceatur, quoties hujusmodi exercitiis, quovis prætextu, & occasione, etiam simplicis curiositatis assistunt.*

Nota primo; *Cœtus.* Ad cœtum constituendum non sufficit una, aut altera persona, sed tres ad minimum requiruntur, quia in jure cœtus collegium significat, ut interpretatur Glossa in Clement. *Ne Romani, de elect.* Ad collegium autem tres saltem personæ requiruntur, *l. Neratius, ff. de ver. signif.* Secundo *Adeant &c.* Qui e domo sua hæreticorum conciones audit, vel eorum ritus adspicit, juxta quorundam opinionem non incurrit hanc reservationem, ad quam requiri videtur tum accessus, tum assistentia. Ita in casu simili docent Dian., Pelliz., & alii. Sed Pasqual., Quart., aliique probabilius oppositum docent, quia assistentia principaliter prohibetur. Quod, si quis adeat cœtum hæreticorum; sed eorum ritibus non assistat, distinguendum est; vel enim adit non animo assistendi, sed solum comitandi herum, & non peccat remoto scandalo, & contemptu, ac proinde hanc reservationem non incurrit, vel adit animo assistendi, licet postea mutata voluntate non assistat, & peccat mortaliter, incurritque excommunicationem Synodalem; quia Synodus disjunctive prohibet sub excommunicatione reservata, tam accessum, quam assistentiam, sed non incurrit reservationem, quia Confessarii omnes absolvere possunt ab omnibus casibus, & censuris a Synodo reservatis, præter eos, qui in tabella proponuntur: in tabella autem fertur excommunicatio reservata contra eos, qui adeunt cœtus hæreticorum, quoties illorum ritibus assistunt. Ubi adverte, quod non censetur assistere, qui assistit mere materialiter, quia nimirum ob ignorantiam idiomatis nihil percipit: ita sentire videntur Merol., Pelliz., Sanch., aliique docentes, non incurri excommunicationem a legente librum ob hæresim prohibitum conscriptum idiomate sibi ignoto. Tertio *Præsertim.* Particula hæc, utpote implicativa, denotat, incurri hanc excommunicationem, licet ritus non sint expresse ab Ecclesia damnati, dummodo sint ritus hæretici; nam, si sint communes cum Catholicis, illis adesse non est prohibitum præciso scandalo, &c.

II. *Omnes personæ utriusque sexus, quæ vel per se, vel per alium, SS. Altaris Sacramento, Chrismate, Oleo Sancto, sive quacumque alia re consecrata, ad Veneficia, Divinationes, Sortilegia, aut ad alium usum, quam fuerint ordinata, vel instituta, quomodolibet abutantur: omnesque utriusque sexus, qui de prædictis ad prædictos fines aliquid sumpserint, vel alicui dederint, aut datum acceperint, etiam abusu minime subsecuto.*

Nota primo: *Sive quacumque alia re consecrata.* Nomine rei in pœnalibus non venit locus, aut persona: *arg. l. Inspiciendum, ff. de Furtis*; qui ergo abutitur Ecclesia, vel Sacerdote, non incurrit hunc casum, Ian. r. 19.; nec nomine rei consecratæ venit res quomodocumque sacra, aut benedicta; ut sunt Biblia, Missales, Imagines, & Reliquiæ SS., Incensum, Candelæ, Rami, Cineres, Aqua Lustralis, &c. Veniunt autem, non solum res Sacro Chrismate injunctæ, ut sunt Lapis Altaris, Calix, Patena, Agnus Dei, Aqua Baptismalis, Campanæ, &c.; verum etiam contra Januar. r. 18. veniunt res omnes, quæ SS. Eucharistiam immediate contingunt, ut sunt Pixides, Ciboria, Sphærulæ, seu Lunulæ, Corporalia, Purificatoria, Pallæ, &c., utpote quæ ex contactu Eucharistiæ communiter dicuntur consecratæ, ut not. Tamb. l. 1. *Method. Celebr. Miss.* c. 2. Non autem veniunt ea, quæ nec Eucharistiam immediate tangunt, nec Chrismate inunguntur; ut sunt Mappæ Altaris, Vestes Sacerdotales, &c. Secundo, *Aut ad alium usum, quam fuerint ordinata:* Puta si abutaris re consecrata ad usus sordidos, aut profanos, aut alios graviter peccaminosos contra ejus institutionem. Si autem abutaris Chrismate loco Olei Sancti ad Extremam Unctionem, peccas quidem, sed non incurris hunc casum; quia probabile ap. Doctores est, id fieri valide, adeoque juxta institutionem. Idem ait Januar., si utaris Eucharistia ad tui defensionem, devotionem, &c., quia non est contra ejus institutionem. Idem, si abutaris fragmento Lapidis, aut Calicis jam fracti, aut frustulo Corporalis jam dilacerati, &c., quia amiserunt jam consecrationem, quamvis ex prava intentione abutaris his frustulis tanquam consecratis: Jan. r. 17. Incurris vero, si aliquod frangas ad abusum. Tertio, *Qui de prædictis, &c.* Si des ad abutendum, & accipiens id non intendat, tu solus incurris; & similiter vice versa. Si ex eodem fine des licentiam, ut alius accipiat, vere diceris dare; secus vero, si des tantum consilium, auxilium, aut mandatum. Si quis furetur ad abutendum, non incurrit, nisi abutatur; quia revera non *Datum accipit.* At ad verificandum, quod quis abutatur, satis est, si per *Alium* etiam abutatur, scilicet mandato: non vero tantum consilio: Dicast. d. t. *de Censur.* n. 229.

III. *Omnes utriusque sexus Personæ, quæ dæmoni spon-*

dent

dent obsequium, thus, & sacrificia offerunt, quamvis absque errore intellectus. Insuper quicumque, sive suo, sive alterius nomine, condunt, aut condere faciunt imagines, annulos, aut quodvis aliud artefactum, in quo dæmonem constringant.

Nota primo: *Qui dæmoni spondent, &c.* etiamsi obsequium non sit secutum, sed sola promissio externa facta sit de obsequio præstando; licet putes, hoc ei non deberi; quia actus ille externus adhuc conjungitur cum mortali interno, a quo procedit: Si autem actu tantum interno spondeas, non incurris, quia actus mere interni nec reservantur, nec subjacent censuris. Secundo *Insuper, &c.* Si simules, te condere tales imagines, annulos, &c. & ita des alteri, peccas quidem graviter, sed non incurris hunc casum; quia vere non condis. Neque incurris, si mandes condi, & non condantur.

IV. *Venefici, & Venefica omnes, Necromantes, Divinatores, Sortilegi, Lamiæ, Striges, sive quovis alio nomine nuncupentur, ex utroque sexu, qui cum expressa dæmonis invocatione ad captandam dilectionem, vel odium concitandum, sive ad inveniendos thesauros, aut ad alium finem quemcumque, utuntur incantationibus, aliisque maleficiis, sive etiam ligaturis, ut a naturali, & legitimo matrimonii usu conjuges avertant; aut scienter in præfatis cooperantes, aut quovis modo consentientes. Declaramus autem ex prædictis criminibus in supradictis II. III. & IV. Casibus contentis, excommunicationem Nobis reservatam ipso facto incurrere non solum eos, qui sæpe, & ex arte hujusmodi criminibus operam dant, sed etiam eos, qui quomodocumque, etiam semel, ea perpetraverint.*

Nota primo: *Cum expressa, &c.* Dicitur expressa dæmonis invocatio, sive fiat verbis expressis, sive ipsomet facto, eum scilicet sciens dæmonem alligatum alicui signo, hoc uteris spe finis per eum consequendi: econtra dicitur tacita tantum invocatio, cum mediis de se ineptis (puta sortibus, cabalis, somniis, avium volatu, extis animalium, &c.) utaris ad divinandum, aliudve obtinendum, etsi in his nec implores opem dæmonis, nec aliquid ab eo speres, nec de illo cogites; tacite enim se immiscet tuæ vanæ credulitati, & fiduciæ in tale medium ineptum: Sanch. l. 2. *Decal.* c. 38. n. 3. Priori tantummodo incurritur hic casus, posito usu incantationis ad quemcumque finem, etiam fine intento non secuto. Secundo: *Ac scienter, &c.* Incurrunt cooperantes, sive mandato, sive consilio, auxilio, favore, pecunia, &c. item quovis modo consentientes, nisi excuset ignorantia etiam crassa, & supina. Item, qui utitur v. g. annulo, cui alligatus est dæmon, licet a se non condito, quia utitur jam incantationibus: at, si illum ab alio accepit, emit, aut etiam retinet, si tamen neque utitur, neque promittit dæmoni, se eo usurum, non incurrit præsentem casum; imo neque antecedentem, quia neque condit, aut condere facit, neque spondet dæmoni obsequium: at incurreret, si tantum promitteret, se usurum, quia talis usus est species quædam obsequii: Quarti.

V. *Loquentes sine Nostra, vel Vicarii nostri Monialium licentia cum Monialibus, in Monasteriis etiam exemptis, vel cum aliqua, aut aliquibus earum, etiamsi sit Conversa, aut Novitia, sive educationis, sive alterius rei causa ibidem commoretur: conjunctis in primo, vel secundo consanguinitatis gradu dumtaxat exceptis. Declarantes, quod, qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua prædictarum, non possit data opera, & ex professo cum aliis loqui.*

Insuper ii præsertim, qui cum aliqua ex prædictis, aut coram ipsis, tam in Monasteriis, quam in Conservatoriis, seu Collegiis commorantibus, de rebus obscœnis, per verba, aut actus impudicos, præsentes egerint, absentes vero per literas, aut internuncios. Necnon viri, aut mulieres, sive intra, sive extra Monasterii, vel Conservatorii, aut Collegii claustra, ac septa, qui prædictas literas, vel mandata detulerint.

Nota primo: *Loquentes:* Qui loquitur cum Moniali nihil respondente, incurrit hanc excommunicationem: similiter incurrit, qui e domo sua loquitur cum Moniali: incurrit etiam, quamvis locutio cæteroqui licita foret; quin hæc sub gravi prohiberi potest ob finem gravem, nimirum, ne moniales a studio orationis, divinoque servitio avertantur. Qui loquitur per nutus, aut signa (modo non sint obscœna) Pelliz. Dian. Tambur. & alii probabiliter negant, incurrere, quia proprie non loquitur; sed probabilius affirmant Graf. Januar. Bauc. Quart. & alii, quia perinde est signis, ac verbis suos conceptus alteri manifestare. Idem dicit Graff. si loquatur per interpretem, internuntium, aut literas; sed hæc melius negant Dian. Januar. Quart. & alii, quia sic non loquitur immediate cum moniali; & a fortiori, si loquatur idiomate ei ignoto. Excusat ab hoc casu primo Necessitas, sicut eadem excusat a locutione cum excommunicato vitando, juxta Reg. illam: *Non veniunt sub prohibitione, quæ quis non esset verosimiliter prohibiturus, si in specie exprimerentur:* Hinc Dian. Lezan. Januar. Peyr. Bord. & alii apud Pelliz. c. 10. num. 277. inferunt, neque Religiosum subjacere ullis pœnis, si loquatur de rebus pertinentibus ad Pietatem, Conscientiam, &c. quia S. Congregat. non videtur comprehendere casum Pietatis, & Charitatis, sed casus Urbanitatis, Negotii Secularis, &c. quare etiam posset ex causa pia committi ab Ordinario, ut infert Pelliz. monet tamen Diana p. 5. tr. 12. r. 96. hæc in praxim non facile deducenda, cum jura contra Religiosos loquantur indefinite. Excusat secundo Parvitas materiæ: puta si locutio fiat per unum Miserere, & aliquid amplius, juxta Dian. vel etiam per unum quadrantem, ut addunt Verricel. Quart. & alii, quamvis hoc non judicat consulendum Tamb. *de Cas. Reserv.* cap. 6. num. 14. At quoad Religiosos Sac. Cong. cit. prohibuit quodvis modicum tempus. Cæterum monet Januar. tales locutiunculas non debere esse frequentes, nec sine necessitate; quia secus etiam adversarentur fini legis, qui est, ut monialis expeditius Deo vacet, ex cap. un. *de Stat. Reg. in 6.* & ideo personis etiam honestis locutio est prohibita, ut ait Gloss. Secundo. *Sine nostra, &c.* Feminæ ex consuetudine non videntur indigere licentia: Januar. r. 14. n. 15. & ita declaratum in Syn. Neapol. testatur Bauc. Similiter neque indigent Episcopi, tum quia præsumuntur habere licentiam, tum quia lex non ligat æqualem, ex cap. *Cum Inferior de Major. & Obed.* Neque Pauperes, & publice quæstuantes, quia pariter est tacita licentia ex usu, & praxi: Pellizar. *de Monialib.* cap. 5. Neque famuli deferentes dona, brevique se expedientes: Pelliz. ib. Neque qui 14. annum nondum expleverint, ut expresse habetur in fine Tabellæ. Neque demum, qui gravi metu compulsi sunt ad loquendum, quia Lex Ecclesiastica non obligat cum tanto onere: Doctores communiter. Religiosi peccant quidem contra jus commune, si absque debita licentia Ordinarii loci (a quo illis concedi potest per quatuor vices ad summum quolibet anno, modo sint conjuncti in primo, & secundo gradu consanguinitatis tantum, ex Decret. Sacr. Congregat. jussu Urban. VIII. an. 1623.) loquantur, vel tractent cum monialibus, sive sui, sive alterius ordinis, aut (occasione Concionis, vel Missæ) cum qualibet alia persona intra Clausuram degente; & incurrunt ipso facto privationem officiorum, vocisque activæ, & passivæ, ex Decret. Sacr. Congreg. jussu Sixt. V. an. 1590. Putant tamen Pal. Vivald. & alii, eos peccare tantum venialiter secluso scandalo, periculo, &c. quia lex fundata in præsumptione non habet locum in foro conscientiæ, quando veritas est in contrarium, ex cap. *Tuæ nos, 26. de Sponsal.* Sed oppositum est commune; quia hæc lex non fundatur in præsumptione, sed in periculo, quod semper adest: hinc Sacr. Congregat. ann. 1626. declaravit, esse mortale; &, cum aliqui Religiosi putarent, non esse mortale loqui per unum quadrantem cum dimidio, eadem Congreg. ann. 1669. declaravit, eos peccare mortaliter loquendo etiam per quodcumque modicum spatium temporis; eosdemque accedentes ad Monasteria, quamvis exempta, posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, coerceri pœna excommunicationis: quam declarationem Clem. IX. approbavit, & typis dari, ac observari jussit: v. Pignat. t. 6. consult. 85. n. 53. Hinc recte in Synod. Neapol. Pignatel. pag. 189. §. 14. dicitur, incurri hanc excommun. a Regularibus, præsertim ex declarat. S. Congreg. approbata a Clement. IX. apud Synod. Cantelm. pag. 267. Peregrini (qui scilicet in hac Diœcesi non habent domicilium, nec quasi domicilium, sed alibi) peccant etiam contra jus commune, si sine licentia loquantur cum Monialibus, ex cap. *Periculoso, de Statut. Regul. in 6.* &, si frequentent, excommunicari possunt ab hoc Ordinario, si sint Laici; suspendi ab officio, si sint Clerici, ex cap. *Monasteria de vit. & honest. Cl.* An autem incurrant hunc casum, & excommunicationem, dubitant Doctores: Affirmant Merolla, & alii putantes, Peregrinos teneri legibus loci, ubi per transitum morantur, quam sententiam Januar. r. 34. approbat solum, si peregrini accedant ad Monasteria exempta, cum relate ad hæc Episcopus procedat, ut Sedis Apostolicæ Delegatus: sed negant absolute Dian. p. 5. t. 2. r. 48. Pelliz. & alii; quia nec peregrini tenentur legibus loci, ubi per transitum reperiuntur, ex Sanch. & aliis, nec Delegatio Sedis Apostolicæ a Teid. facta

est

est Episcopo, nisi in ordine ad restrictionem, & conservationem Clausuræ, ad quam non pertinet simplex locutio. Illud est certum, posse ab Episcopo, si frequentent, excommunicari; &, si semel accedant, posse carcerari, & puniri. Tertio, *Cum Monialibus*. Nomine Monialium in odiosis non venit Abbatissa, aut Priorissa: Pell. c.5. n. 208. etsi præsens casus comprehendat Novitias, Conversas, & quascumque in Monasteriis commorantes, nec venit Monialis existens extra Monasterium: Doctores communiter. Quarto. *In Monasteriis etiam exemptis*. Nomine Monasterii non veniunt Conservatoria; extenditur autem casus Episcopalis etiam ad Monasteria exempta, vel quia Episcopus procedit, ut Delegatus Sedis Apostolicæ, ut vult Hugol. vel quia procedit contra loquentes, ut Bonac. vel melius, quia ea non sunt exempta ratione loci, sed ratione monialium exemptarum, ut docet Suar. ideoque etiam ibi incurritur casus a loquentibus: uti incurritur quilibet alius casus Episcopalis a committentibus illum intra Claustra Regularium hujus Diœcesis. Quinto: *Declarantes*, &c. Qui habent facultatem, sive specialem, sive communem, ut consanguinei in primo, & secundo gradu, incurrunt hunc casum, si data opera, & ex professo loquantur cum aliis ibi commorantibus; secus vero, si id fiat per accidens, urbanitatis causa, & verbis compendiosis, itaut excuset parvitas materiæ; vel si illæ sint auscultatrices, quæ ex munere debent interesse: Pelliz. n. 219. sicuti etiam Socius Religiosi loquentis ex licentia cum Moniali potest cum ea pariter loqui ob regulam connexorum: Peyr. Rodr. Ricc. Pelliz. cap. 10. num. 20. contra Delben. Sexto, *Insuper ii*, &c. Incurrunt hunc casum etiam feminæ, quia nequit in hoc esse consuetudo in contrarium: Tamb. *de Cas. Res.* cap. 6. num. 6. num. 30. Non tamen incurrunt ipsæ Moniales, aliæve degentes intra Monasterium, si obscœne loquantur cum existentibus extra; quia neque hic, neque antecedens casus loquitur de commorantibus intra relate ad existentes extra. At, si una earum turpiter agat, vel loquatur cum alia intra idem Monasterium, Tamb. n. 29. ait, incurrere, quia ly *ii* denotat omnes loquentes obscœne cum aliqua in Monasterio existente; sed probabile est, tantum referri ad omnes existentes extra; ideoque non incurrere, nisi forte turpiter agat, vel loquatur cum alia in alio Monasterio existente.

. Incurrunt hunc casum etiam consanguinei in primo, vel secundo gradu, & qui habent licentiam loquendi, & qui loquuntur cum Abbatissa, si agant de obscœnis; quia licentia non potest ad hoc extendi: Doctores communiter: idemque est, si coram illa fiant a te verba, actus, aut signa quæcumque obscœna cum quovis alio; vel si loquaris de aliorum actibus, aut moribus obscœnis: Tamb. n. 21. Idemque est, si ad eam mittas literas, aut nuncium de obscœnis, sive tecum, sive cum aliis, sive ut mediet inter alios; modo literæ, aut nuncius ad illam pervenerint, & intelligantur; quia secus non haberetur actus consummatus in sua specie, in qua est hic prohibitus. Neque in hoc casu datur parvitas materiæ, etiamsi duo, vel tria tantum verba obscœna dicas, agas, scribas, mittas, &c. quia ratione qualitatis semper habetur materia gravis: Verricel. & alii, quidquid dixerit Bordon. Cæterum non incurris hunc casum, si cum obscœna intentione loquaris de aliis rebus etiam malis in alia specie, dummodo aliquo signo non ostendas animum obscœnum. In dubio autem mitior interpretatio fieri poterit. Septimo: *Necnon viri*, &c. Incurrunt hunc casum etiam Moniales deferentes literas, vel mandata obscœna ab aliqua persona externa ad personam existentem in Monasterio, modo sciant, vel graviter suspicentur agi de obscœnis. Qui vero sive intra, sive extra Monasterium existens scienter accepit has literas: vel mandatum cum animo deferendi, si tamen non detulit, peccavit quidem, sed non incurrit hunc casum, sicuti neque qui mandatum, aut literas dedit; quia nondum habetur actus consummatus in sua specie, in qua est vetitus.

VI. *Omnes in causa criminali, aut civili cum gravi damno alterius falsum deponentes, aut deponendum curantes, necnon inducentes ad falsum deponendum, falsisque testibus, depositionibus, instrumentis, scripturis tam publicis, quam privatis, quomodocumque utentes, directe, vel indirecte, in quavis Curia Civitatis, & Diœcesis Neapolitanæ. Item quicumque falsum aliquod impedimentum matrimonii dolose objecerint: necnon consilium, vel auxilium ad illud dolose objiciendum dantes. Falsificantes, etiam cum gravi damno alterius, vel corrumpentes, falso, aut quæ falsum continent, conficientes Apochas, Syngraphas*, vulgo Fede di credito, o Polize notate in fede, *sive Instrumenta, Processus, aut Scripturas publicas & authenticas, aut scienter his utentes, necnon mandantes, aut cooperantes.*

Similiter præsentantes falsum, fictum, aut fiduciarium Patrimonium, aut quomodolibet fraudulentum pro Ordinibus suscipiendis, etiam pro prima Clericali Tonsura: necnon constituentes, consulentes, aut quomodolibet concurrentes, sive cooperantes. Declaramus autem, quod Clerici præsentantes, quando ab excommunicatione absolvuntur, remanent ab exercitio susceptorum Ordinum suspensi: quam suspensionem nullus, nisi Nos personaliter, constituto reali Patrimonio, & causa discussa, relaxare valeat.

Præter hos, Actuarii, Subactuarii, Notarii, Scribæ, qui cum alterius Partis offensione, aut cum Reipublicæ, aut legalis justitiæ detrimento, dolose auctam, vel diminutam informationem capiunt, & sic dicta Testium scribunt, ac Nuncii, Cursores, aut alias nuncupati, qui in grave tertii præjudicium falsum in actu referunt.

Nota primo: *Cum gravi damno*, &c. Hæc conditio requiritur in omnibus actionibus hic prohibitis, præterquam in secunda, & quarta parte. Damnum autem grave non est, quodcumque sufficit ad mortale, sed quod ascendit ad valorem 50. aureorum ordinarie; &, si illatum sit pauperi, sufficit 10. aureorum. Ratio est, quia voluntas Principis semper præsumitur talis, qualis est intentio juris *l. ex facto, de vulg. & pupill. subst.* & intentio juris pro hac Diœcesi Neapolitana est, ut non publicetur excommunicatio, nisi pro 50. aureis ordinarie, & in pauperibus saltem pro 10. Januar. Bauc. Quarti, & alii. Secundo, *Deponentes*, &c. Depositio fit, Primo, Accusatione: Secundo, Denunciatione, non tamen Evangelica, sed vel Canonica, vel Judiciali: Tertio, Testificatione jurata: Quarto, Probabilius confessione rei. Si reus ad vitanda tormenta falsum crimen confiteatur, quæstio est, an peccet graviter, si sibi soli noceat; si autem alteri noceat, peccat, & incurrit hanc excommunicationem: si reus solum taceat veritatem, quando tenetur fateri, licet peccet, non incurrit excommunicationem, quia non deponit falsum. Idem dic, quando utitur æquivocatione. Si mentitur, quando tenetur fateri verum, incurrit excommunicationem posito damno tertii, ubi hoc requiritur; quando vero non tenetur fateri, non incurrit; quia mendacium illud est de se leve, licet sit grave perjurium; excommunicatio enim fertur ob depositionem falsam de se mortalem. Si testis legitime interrogatus dicat, se nescire, quod scit, peccat contra justitiam legalem, & religionem, non contra justitiam commutativam, ideoque non incurrit excommunicationem, & damnum tertii non sequitur vi illius mendacii positive, sed negative. Tertio, *Inducentes*, &c. Qui inducit ad deponendum verum a deponente ignoratum, peccat quidem, sed non incurrit excommunicationem. Qui vero inducit ad deponendum falsum, quod a deponente verum putatur, ut assequatur, quod sibi non debetur, peccat, & incurrit excommunicationem. Probabilius etiam peccat, qui inducit ad deponendam aliquam circumstantiam falsam, ut assequatur, quod suum est, & incurrit excommunicationem, quando non requiritur damnum tertii. Quarto, *Scripturis*, &c. Si falsificetur scriptura, quæ tamen vera contineat quoad substantiam, nec alteri damnum injuste inferat, non solum non incurritur casus, quando non requiritur damnum tertii; verum etiam, si scriptura sit privata, puta apocha, &c. probabiliter non excedit veniale; quia non potest dici falsum, quod innititur primordio veritatis, ex *L. cum filius, ff. de Legat.* 2. Si vero scriptura sit publica, communius est mortale, quia maxime interest Reipublicæ, ne fides publica ullo modo minuatur, aut in dubium declinet: Dian. p. 3. t. 6. n. 56. cum communi, contra Jul. Clar. Menoch. Alciat. & alios: idemque est, si eam scripturam ab alio jam confectam producas, quia semper fit contra justitiam legalem, & bonum Reipublicæ: Dian. p. 9. t. 8. r. 61. Laym. Lug. Jan. r. 59. & alii contra Sa in secunda editione correctum, & Baucium in *Singul. cas. conf. cas.* 53.

VII. *Confessarii omnes, etiam Parochi, ad inhonesta personam quamcumque, sive in actu confessionis, sive ante, vel post immediate, aut prætextu, vel occasione confessionis, etiam confessione non secuta, vel extra confessionem in confessionalibus, sollicitantes, aut quomodolibet cum iisdem impudice tractantes. Respectu Regularium vero censuram suspensionis ab audiendis confessionibus, quam ipso facto incurrunt, Nobis tantummodo reservamus.*

Nota primo, *Confessarii*. Non comprehenditur simplex Sacerdos fingens se Confessarium: qui tamen est denun-

denunciandus, justa dicta q. 2. c. 4. Secondo, *In Confessionalibus*: licer non fiat vera, aut simulata confessio, ut constat ea Synodo. Tertio, *Sollicitantes*: in iis fere omnibus casibus, in qoibus sunt denunciandi. Quarto, *Aut quomodolibet*; nimirum per quælibet verba, aut signa ad venerem ordinata. Quintu, *Censuram suspensionis*: hoc est non meram negationem approbasionis, sed veram censuram, quæ in hoc casu fertur ab Episcopo, tanquam a delegato Pontificis.

VIII. *Pariter Confessarii omnes, etiam Parochi, attentantes prædictas personas, & quascumque alias, cum quibus extra antedictos casus quomodolibet impudice versati fueriat, a peccatis, quorum ipsi complices sint, nulliter absolvere: qui omnes, etiam Regulares, etiam in Censuram suspensionis ab audiendis confessionibus ipso facto incidunt, Nobis tantummodo reservatam.*

Nota primo, *Nulliter absolvere*. In Synodo tollitur omnis facultas absolvendi a peccatis venereis, quorum Confessarius est complex, qui proinde ab illis nulliter absolvit; quando tamen sunt mateeia necessaria confessionis, Potest vero absolvere ab aliis. Quod si pœnitens bona fide confiteatur peccatum venereum, cujus Confessarius ast complex, & alia peccata, & Confessarius absolveret, esset quidem valida absolutio, sed Confessarius hanc reservationem incurreret; quia illa absolutio directe in peccatom venereom est nulla. Si Confessarius obtineat generalem facultatem absolvendi a reservatis, non potest absolvere complicem; quia hæc non est reservatio peccati complicis, quippe qui potest a quolibet alio absolvi, sed negatio approbationis, seu potius positiva reprobatio Confessarii relate ad illud peccatum. Secundo, *Qui omnes etiam, &c.* Confessarii seculares incurrunt, tum excommunicationem, tum suspensionem ab audiendis confessionibus: Regulares vero solam suspensionem a confessionibus; qoia hæc unice potest illis ab Episcopo infligi: incurrunt tamen excommunicationem Papæ reservatam, si prætextu privilegiorum absolvant a casibus Episcopalibus.

* Addendum hic, quod Bened. XIV. in Bulla *Sacramentum pœnitentiæ* 1741. Omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam secularibus, quam regularibus, prohibet, ne aliquis eorum extra mortis articulum, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato torpi contra sextum Decalogi præceptum commisso excipere audeat; sublata propterea illi quacomque jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, itaut absolutio, si quam impertierit, nulla sit: quod si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, excommunicationem ipso facto incurrat Papæ reservatam. Declarat insuper, quod nec etiam vi Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, aot alterius cujuslibet indulti confessionem complicis quisquam valeat excipere. Cum autem super ea dictæ constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quædam exortæ fuissent, idem Summus Pontifex in alia Constitutione, quæ incipit, *Apostolici muneris* 1745. declarat, singulis Sacerdotibos, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in peccato turpi complicem confitentem audire, & absolvere, ita interdici reipsa prædicto modo tunc audire, & absolvere, si adsit alius Sacerdos, qui hoc munus obire possit, licet iste alius sit simplex Sacerdos ad audiendas confessionet non approbatus; quod si alios Sacerdos sine infamia, vel scandalo vocari, aut accedere nequeas, tunc alium Sacerdotem perinde haberi, ac si deficeret; ac proinde non prohiberi sociu criminis ab eo quoque peccato absolvere. Quod si complex hujusmodi Sacerdos prædictæ infamiæ, aut scandali pericula confingat, ubi non sunt, vel hujusmodi periculum removere neglexeric, cum posset, & sic complicem absolverit, quantumvis hujusmodi absolutio valida futura sit, si pœnitens sit dispositus, nihilominus Sacerdotem ipsum latam in Superiori Constit. Excomm. majorem Papæ reservatam incurrere. *

IX. *Incestus cum conjunctis in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis. Mulieres autem, si vere sint pœnitentes, a quocumque Confessario a Nobis approbato absolvi possunt, gravi tamen imposita pœnitentia salutari; & dummodo occasio proxima facta sit salutaribus mediis moraliter remota.*

Nota primo: *Incestus*. Quamvis congressus non completus, vel innaturalis cum consanguineis, &c., & congressus cum cognatis cognatione legali, vel spirituali habeat malitiam incestus; hic tamen non reservatur, nisi congressus completus, & naturalis cum consanguineis, vel affinibus in 1., & 2. gradu. Comprehenditur incestus cum affina ex copula illicita. Probabilius non comprehenditur copula cum uxore, cum qua contracta est affinitas; quia non est incestus perfectus, cum non habeat malitiam fornicationis. Secundo, *Si vere, &c.* Prima, & tertia conditio requiruntur ad valorem absolutionis: secunda, probabilius non; quia est monitio, ut servetur, quod de jure servandum est, ex Trid.

X. *Qui contra dispositionem Sac. Canon. Clericos, quos noverint, ad Forum seculare traxerint, etiam consentiente reo extra casus hac in re tam in Bul. Cœn. Dom., tum in Mart. V. Const.* Ad reprimendos, *Summo Pontifici reservatos.*

Nota primo, *Extra casus, &c.* Casus 15. Bul. Cœn. loquitur tantum de Judice laico trahente personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal.: Casus Martin. V. positus a nobis cap. 1. §. 3. num. 60. loquitur tantum de persona Ecclesiastica trahente aliam personam Ecclesiasticam, collegium, vel conventum, ad forum laicale, & de Judicibus laicis, executoribus, auxiliantibus, consulentibus, & ratihabentibus, postquam constiterit, ad eos non spectare. Hi duo casus sunt Papales, & Clemens VIII. an. 1602. prohibuit, ne Episcopi superflue sibi reservent casus Papales: ideoque Lug. d. 20. num. 151. cum aliis ait, Episcopum invalide eos sibi reservare, quia causa pertinens ad Superiorem non potest judicari apud Inferiorem. Itaque extra hos casus, quivis laicus, seu mas, seu femina, incurrit præsentem casum Archiepiscopalem, si traxerit, &c. Secundo, *Traxerint, &c.*, sive per se, sive per alium, cum verbum *trahere* utrumque sensum proprium habeat in hac materia. Hæc tractio fieri potest quadrupliciter, per citationem, per capturam, per mandatum, per alios actus jurisdictionis. In his non prohibetur tractio in causa feudi, in qua licite potest conveniri Clericus coram Judice laico domino feudi, utpote ejus vassallus, ex cap. *Transmissa de For. Comp.*; neque in causa reconventionis, quando scilicet Clericus convaniens laicum coram Judice laico, ab eo coram eodem reconveniatur, ex c. 1., & 2. *de Mat. Petit.*, quamvis non possit tunc Clericus condemnatus cogi ab eo Judice ad solvendum. Incurritur ergo casus in reliquis causis civilibus, aut criminalibus; nisi vero Clericus citatus non compareat, cum sola citatio per se non sit tractio, ut notant Hogol., Suar., Bon., & alii. Tertio, *Clericos, &c.* Nomine Clerici veniont hic etiam Religiosi, & Moniales, eorumque Conversi, & Novitii, quia hi omnes in favorabilibus appellantur Clerici: Doctores communiter: item Equites Melitenses, & Teutonici, Tertiarii, & Tertiariæ SS. Dominici, & Francisci collegialiter viventes, & Eremitæ obligati voto, aut pacto perpetuo obedientiæ; item Clerici sæculares, dummodo gaudeant privilegio fori, quales sunt Clerici in sacris, quousque non degradentur realiter, vel per sententiam Judicis Ecclesiastici eo privilegio denudentur, ex cap. *Cum non ab homine, de Judiciis*, & Clerici in Minoribus, aut in prima Tonsura, dummodo non sint bigami, & habitum cum tonsura deferant, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, aut scholæ ex ejus licentia incumbant, ex Trid. *sess.* 23. *c.* 6. Clerici autem selvatici gaudent privilegio fori in criminalibus, & in civilibus tantum qoad carcerationem, & onera personalia, ex Decr. S. Congregat. pro Regn. Neap. apud Fagnan. Quarto, *Etiam consentiente reo, &c.*, quia Clericus non potest renunciare huic privilegio, utpote juris divini, & proprio status Ecclesiastici. Imo, qui tempore Clericatus commisit delictum, & postea dimisso habitu statum laicalem elegit, non potest pro eo delicto trahi ad forum laicale, ex Synod. Neap. apud Gramm. decis. 10. n. 3., & similiter neque Novitius post relictam Religionem, quia inspiciendum est tempus delicti: Bonac. ex Bald. contra Navarr., Mol., & alios. Contra vero, si post delictum Religionem, vel Clericatum assumpsit; quia præsumitur fraus: Bon., & alii. Denique Clericus, qui dimisso habitu statum laicalem elegit, potest ex se habitum, & statum clericalem reassumere, & sic iterum frui privilegio fori: idemque probabiliter est, etiamsi privatus fuerit per sententiam Judicis Ecclesiastici, præcise quod dimiserit habitum; secus vero, si ob aliud delictum: v. Sanch. l. 7. *Matr.* d. 46.

XI. *Homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, Cœmeteriis, aut Sacristiis, aut publicis Oratoriis patrantes.*

Nota: *Patrantes, &c.* Non ergo mandantes, aut consulentes, cum simus in odiosis; Homicidium autem fit etiam per abortum fœtus animati. Mutilatio vero debet esse membri, & non tantum partis membri: neque si membrum tantum debilitetur, aut arefiat, reddaturve inanime, sed non abscindatur; neque si tantum vulne-

re-

retur, etiamsi sanguine effuso pollueretuc Ecclesia; dummodo non sit vulnus lethale, ut mox patebit; si enim vulnus lethale, aut venenum aboreus datum sit in Ecclesia, Sacristia, aut Cœmeterio, incurritnc hic casus, etiamsi mors postea sequatur extra (non tamen antequam hic effectus sequatuc) quia posita est causa per se efficax intra Ecclesiam, &c., & per accidens est, quod moriatur extra: Suar., Bonac., & alii: idemque est, si ab existente extra Ecclesiam occidatur quis existens in Ecclesia: Doctores eit. Contra vero est, si existens in Ecclesia sclopo v. g., occidat existentem extra Ecclesiam, etsi ille postea moriatur in Ecclesia; quia vere non occidit in Ecclesia, sed ab Ecclesia, ex dictis eap. præc. §. 2. n. 1. Item, si occidas, vel mutiles existentem in Campauili, vel supra tectum Ecclesiæ, vel in Oratorio privato, non incurris hunc casum. Neque demum, si occisio, vel mutilatio facta in Ecclesia non fuerit peccatum lethale.

XII. *Conficientes cujuscumque generis venena in hominum perniciem: eadem scienter dantes, apponentes, vel quomodolibet propinantes, sive ad hoc qualitercumque cooperantes, vel consulentes, etiam non secuto effectu.*

Nota primo: *Conficientes, &c.* Incureunt hoc ipso, quod conficiunt, seu componunt venenum, etsi deinde non applicent, neque alteri dent applicandum; dummodo conficiant ex prava intentione inferendæ mortis, vel gravis morbi proximo. Si autem conficiant ad experitndam eorum efficaciam in canibus, ad præparandas medicinas, ad temperandos colores, &c. non incurrunt: Quarti, & alii communiter. Secundo, *Eadem scienter dantes, &c.*, qui scilicet ax prava intentione mortis, vel gravis morbi ea etiam ab aliis in alium finem confecta applicant, vel præbent alteri sumenda, modo secuta sit applicatio, vel sumptio, etsi pernicies non sequatur: cooperantes aotem sumptioni, vel applicationi sunt omnes ca ead. prava intentione veudentes, ementes, mandantes, consulentes, auxilium, favorem, pecuniam præstantes, aut venenum potui, aut cibo, &c. miscentes, qui omnes incurrunt posita applicatione, etiam peruicie non secuta. Si autem hæc sequatur in Clerico, incurritur etiam ex dictis casus Papalis. Hinc, dum Pharmacopolæ vendunt venena, distinguendum; vel enim suut talia, quæ solum deserviunt ad perniciem, ad procurandum abortum, &c., vendendo scientec, incureunt hunc casum posita applicatione; quia sic sunt cooperatores; vel suut talia, quæ deservire possunt usui bono, & malo, & pariter incurrunt, si vendant persouis suspectis: secus vero, si moralitec constet, peti ad usus licitos. Simile est de pharmaco, quod datur ægrotæ prægnanti; si enim per se illud tendat ad abortum fœtus animati, incurritur casus: secus, si per se tendat ad medendum ægrotæ, etsi prævideatur, quod forte sequatur abortus, quia id est pec accidens, & præter intentionem, & aliunde præstat vitam matris servare, quam mortem utriusque permittere: v. Sauch. l. 1. *Decal.* c. 7. n. 47.

XIII. *Cujusvis conditionis persona, quæ libros in Civitatem, vel Diœcesim introducunt, vel scienter introductos tradunt, aut traditos recipiunt, sive etiam de eadem Civitate, & Diœcesi extrahunt, priusquam a Deputatis nostris fuerint recognitii. Similitce Bibliopolæ, qui Bibliothecas emunt, non exhibito prius prædictis Deputatis emptorum librorum catalogo: transgressores autem etiam de nostra licentia numquam absolvantur, quoadusque libros sine prædictis requisitis introductos, aut emptos, recognitioni subjecerint. Typographi similiter, & eorum Operarii, qui sine nostra, vel Vicarii nostri licentia libros, aut cujuscumque generis folia imprimunt: præterea Auctores eorum, si typis mandent, vel quicumque mandari faciunt.*

Textus est clarus. Nota tamen Primo, Ad incurrendum hunc reservatum requiri scientiam in omnibus actionibus probibitis, præter actionem introducendi libros: Secundo, Non comprehendi in hoc casu libros prohibitos in Bulla Cœnæ: Tertio, Comprehendi eos, qui imprimere, vel imprimi facere præsumunt librum, vel scripturam sine debita licentia, licet incurrant excommunicationem ipso facto latam a Concil. Lateran., quia potest excommunicatio papalis non reservata reservari ab Episcopo, urgeuti gravi causa, qualis fuit in casu stænare nimiam licentiam scribendi, & legendi: Quarto, Quod attinet ad introductionem, satis esse ad incurrendam excommunicationem, sive liber in Civitatem, sive in alium locum Diœcesis introducatur; at quoad extractionem requiri, ut extrahatur a tota Diœcesi: Quinto, Probabilius non esse materiam levem introducere, &c. parvum liberculum, sicuti non esset materia levis illum legere, si esset probibitus: Sexto, Non excusaci introducentes, &c., etiamsi liber sit sanæ doctrinæ; quia non cessat lex, cessante in casu particulari ejus fine, ut dictum est c. ant. §. s. in t. casu Bul. Cœn.

XIV. *Qui in Paschate non communicantes ab aliis dolose accipiunt schedulas, seu chartulas, quæ eo tempore distribui solent in Metropolitan., vel in Parochiis, ut fidem Parocho exhibeant de peracta Communione. Item illi, qui easdem non communicantibus quomodocumque accomodant in fraudem, aut utcumque cooperantes.*

Nota, *Qui, &c.* Intellige etiam feminas, arg. cap. *Si quis suadente*. Requiruntur ad hunc casum tria simul: Primo, Quod non communices in Paschate, hoc est a Dominica Palmarom ad Dominicam in Albis, & in hac Diœcesi ad Ascensionem Domini: Secundo, Quod dolose ab aliis accipias schedulam, sive sponte dantibus, sive furto, sive casu inventam: Tereio, Quod eam exhibeas Parocho in fidem, &c.; itaut, si nondum exhibueris, non incurris. Alii vero, qui eam tibi quomodocumque accommodant in fraudem, incurrunt, secuta dicta exhibitione, quia tunc videtur consummata fraus, & casus in sua specie hic prohibitus.

XV. *Falsarii monetarum, videlicet ii, qui monetas quomodocumque vitiant, nimirum, vel eas diminuendo, vel fundendo, aut imprimendo cum deteriori liga, aut sine legitimo Principis sigillo.*

Nota primo, *Diminuendo*. Non incurrit excommunicationem attondens monetam exuberantem, itaut remaneat justum pondus; quia non est falsarius monetæ; hæc enim falsa non dicitur, nisi vel in pondere, vel in materia, vel in legitimo sigillo deficiat. Secundo, *Principis*. Etiam extranei; quia vere falsarius est, qui monetas etiam extranei principis vitiat. Qui in ære, vel pondere vitiat monetas Regni Franciæ, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, & consequenter incurrit præsentem casum reservatum; licet Fill. dicat, dictam excom. Papalem fuisse latam ad solum tempus Caroli Magni.

XVI. *Sponsi, & Sponsæ post contracta sponsalia, etiam privata inter se, & ante matrimonium legitime celebratum, carnalem inter se copulam habentes; necnon parentes, consanguinei, & affines omnes, aut quicumque domus curam habentes, eandem carnalem copulam, vel Sponsorum cohabitationem, vel pernoctationem, etiam pro una vice, permittentes.*

Nota primo, *Copulam*. Intellige perfectam: idem die de permittentibus eandem copulam. Copula sodomitica probabilius non comprehenditur, cum in jure nomine copulæ veniat copula naturalis. Secundo, *Cohabitationem*, quæ scilicet apta sit ad acquirendum domicilium, vel quasi domicilium; quod intellige, si facilis sit ad invicem accessus; secus vero, si altera ad alterum accedere nequeat. Hinc permittentes commorationem sponsorum in eadem domo per paucos dies, dummodo copula non sequatuc, non incurrunt excommunicationem: si vero eam permittant per tempus aptum ad domicilium acquirendum, incurrunt, etiam non secuta copula; quia permissio cohabitationis principalitec prohibetur. Tertio, *Pernoctationem*, hoc est, moram in eadem domo per totam, vel fere totam noctem: Quarto, *Permittentes*. Incurrunt hanc permittentes, qui scilicet non impediunt, cum possint, licet pro una vice, & licet non sequatur copula.

§. II.

De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus non est adnexa Excommunicatio.

I. B*Lasphemantes Deum, vel B. Virginem ex perversa consuetudine coram pluribus supra quatuor.*

Nota: *Blasphemantes, &c.* Tria requiruntur ad hunc casum: Primo, Quod blasphemia sit in Deum, vel B. Virginem: Secundo, Quod sit ex perversa consuetudine: Tertio, Quod sit coram pluribus supra quatuor. Hinc primo, Non incureit, qui blasphemat alios Sanctos, vel falsum Deum, puta Bacchum; incureit vero, qui blasphemat Christum, vel ejus membra, Corpus, Sanguinem, &c., vel si dicat, *A dispetto di Dio*, vel dicat, Deum non esse justum, dæmonem esse fideliorem Deo, &c. Secundo, Non incureit, qui bis, vel tec blasphemavit Deum, vel B. V., quia nondum ex perversa consuetudine, quæ secundum Homob., Avers., & alios, non dicitur acquisita, nisi post quinque saltem actus intra paucos dies; ideoque neque incurrit, qui raro blasphemavit, etsi plusquam quinquies, quia caritas non induxit consuetudinem; neque, qui continenti

ti sermonis, iræ, aut ludi serie blasphemavit etiam plusquam quinquies; quia veluti unico impetu, & ante contractam consuetudinem, ut supponitur: Graff. Bauc. Quart. & alii: si post consuetudinem in ultima confessione retractatam quis semel, aut bis blasphemet, Homob. Avers. & alii contra alios negant, incurrere, quia non fit ex consuetudine voluntaria, & quæ sit materia necessaria novæ confessionis, neque demum incurrit, qui ex perversa quidem consuetudine blasphemavit, sed inadvertenter; quia non peccavit blasphemando, sed tantum in causa non tollendo consuetudinem: Doctores citati cum Suar. Tertio, Non incurrit, qui ex perversa consuetudine blasphemat coram tribus, aut quatuor; vel si plures supra quatuor alio sint distracti, surdi, aut non percipientes blasphemiam, quia non dicuntur formaliter præsentes: Graff. & alii ex *l. Coram, ff. de V. S.* Incurrit vero, qui ex consuetudine contracta per blasphemias occultas, semel postea blasphemet coram pluribus supra quatuor: Graff. Quart. & alii.

II. *Exercentes peccatum Sodomiæ, vel cum Brutis coeuntes; ita tamen, ut in his luxuriæ casibus tantum masculi comprehendantur.*

Nota primo, *Exercentes, &c.* Tria requiruntur ad hunc casum, exercitium, sodomia perfecta, & persona ejusdem sexus: hinc primo, Non incurrit, qui semel, aut bis, aut ter sodomiam commisit, sed in quarta, aut quinta, &c. quia sic dicitur eam exercere: Dian. p. 2. t. 12. r. 65. & alii; modo non fuerint antecedentes per confessionem retractatæ, ut addit Quarti: Secundo, Non incurrit, qui non consummat in vase præpostero, quia nondum est sodomia perfecta: Doctores communiter: si autem consummat, probabiliter solum incurrit agens, quippe dicitur sodomita; patiens enim dicitur tantum mollis: Cajet. Quart. & alii, quamvis Tamb. probabile etiam putet oppositum: Tertio, Probabiliter non incurrit mas, si abutatur vase præpostero feminæ, quia proprie non sodomiam, sed peccatum contra naturam committit: Quart. & alii communius contra alios; incurrit vero mas, si consummet in vase præpostero maris, quia sodomia proprie est copula carnalis personarum ejusdem sexus: feminæ autem non incurrunt, ut expresse ait textus. Secundo, *Vel cum Brutis, &c.* Ad hunc alium casum sufficit unum peccatum bestialitatis, quia non requiritur exercitium ex textu; debet tamen consummari intra vas, ut ait Tamb. quamvis alii id non requirant. Qui coit cum dæmone, per Arsdech. Quart. & alios incurrit hunc casum, quia coit cum specie diversa ab homine; sed alii cum Tamb. negant, quia non est proprie bestialitas. Feminæ neque incurrunt hunc casum, ut patet ex text.

III. *Confessarii omnes, etiam Curati, ad obscæna quaslibet personas sibi frequenter confitentes, licet non immediate post, vel ante Confessionem, inducentes, seu sollicitantes, vel cum iis quomodolibet impudice tractantes.*

Nota primo, *Confessarii.* Hoc est Sacerdotes habentes jurisdictionem, & approbationem, etiamsi ex solo errore communi, & titulo colorato; non vero simplices Sacerdotes, licet fingant se Confessarios. Simplex Sacerdos, qui frequenter feminam in mortis articulo in confessione audivit, si illam eo tempore sollicitet, incurrit hunc casum reservatum, itaut absolvi nequeat, nisi ab habente facultatem; quia vere sollicitavit, dum erat Confessarius; secus, si elapso mortis articulo sollicitet. Idem dic de Confessario, qui, dum talis erat, sollicitavit: & postea amittit jurisdictionem. Secundo, *Frequenter.* Quot actus ad frequentiam requirantur, prudentis arbitrio definiendum, spectatis circumstantiis, tum rei, de qua agitur, tum temporis, intra quod agitur. Sanch. ait, frequenter fieri, quod semel in mense fit, vel quod ter fit tribus diebus continuis. Tertio, *Vel cum iis quomodolibet, &c.* Hinc incurrit Confessarius, licet non ipse inducat, sed inducenti consentiat.

IV. *Medici, qui visitantes in lecto infirmos post tres dies a visitatione non curaverint, ut prædicti infirmi peccata sua idoneo Confessario confiteantur, aut alias non deservierint, secundum terminos Constit. S. Pii V. & Innocent. XI.*

Quomodo obliget hæc Bulla, juxta usum receptum, vide dicta d. 1. q. 1. c. 2. in fine, nihil ergo hic restat addendum.

V. *Debitores quorumlibet piorum locorum, sive eorumdem debitorum administratores, si intra mensem, etiam extrajudicialiter, requisiti a Rectoribus, Procuratoribus, seu Administratoribus dictorum locorum, redditus, & census non solverint.*

Nota: *Debitores, &c.* dummodo physice, & moraliter possint; quia impossibilium non est obligatio: puta, si non possis, nisi cadendo cum dedecore a statu juste acquisito, vel nisi cum damno longe majori eo, quod patitur creditor; vel cum damno famæ, honoris, & similium bonorum superioris ordinis pecunia: Doctores communiter; si autem potes intra mensem, & culpabiliter reddis te impotentem in fine mensis, incurris; quia es causa voluntaria prævisæ impotentiæ. Mensem hic computandum mathematice a momento ad momentum, putat Quart. quia est tempus a lege determinatum, ex *l. Deniq. ff. de Minoribus:* sic etiam computatur annus Noviciatus, ex Trid. & tempus Paschale pro præcepto Communionis, & dies jejunii, Horarum Canonicarum, &c. Sed probabile etiam est, si in casu differas duos, vel tres dies, non incurrere; quia modica non veniunt in considerationem, ex cap. *Ceram dilecto, ff. de Off. Delegat.* & ratio est, quia in materia restitutionis dilatio trium dierum censetur modica apud Sayr. l. 10. tr. 5. c. 5. Sic etiam lex jubens Superioribus Regularium, ut tali mense, tali die curent legi Constitutiones Pontificias, &c. permittit, si curent legi intra decem dies sequentes, ex Declar. S. Congreg. Quarti probabiliter etiam putat, incurri hunc casum a debitoribus pecuniæ mutuo acceptæ, vel rerum mobilium, ut sunt vasa, paramenta, &c. quia finis hujus statuti est consulere indemnitati piorum locorum; sed in textu solum exprimuntur debitores *Redditum, & Censuum.*

VI. *Non absolvantur Concubinarii, & Concubinæ, etiamsi excommunicationis sententia in eos lata non fuerit, nisi, facta reali separatione, & thori, & domus, per duos se menses continuerint: vel, nisi certo, aut valde probabiliter constet, factos physice, vel moraliter impotentes ad reincidendum, aut paulo post esse inter se matrimonium contracturos.*

Nota primo, *Non absolvantur Concubinarii, &c.* Hæc non est mera admonitio, sed vera reservatio; est autem Concubinarius, *Qui frequenter habet copulam cum eadem femina, cum animo retinendi illam, tanquam suo usui mancipatam:* Doctores communiter ex *l. Penult. ff. de Concubin.* Ad inducendam hanc frequentiam, Graff. Diaz, & alii requirunt copulas ad minus quatuor: alii requirunt quinque: utrique probabiliter. Cæterum, si quis pluries etiam supra quinque copulam habuit cum eadem femina, sed absque animo retinendi illam, ut suam, non dicitur Concubinarius, neque adeo incurrit hunc casum; quia deest animus retinendi, &c. incurrit autem, si habeat talem animum, sive eam retineat domi suæ, sive in aliena: Doctores communiter. Si filiusfamilias frequenter copulam habeat cum serva etiam cum animo perseverandi, quamdiu ea domi patria sui manserit, non est concubinarius, neque incurrit hunc casum, quia non ipse eam retinet tamquam suo usui mancipatam: Verricel. Quart. & alii. An autem negari ei debeat absolutio ratione occasionis proximæ, dicemus infra q. 4. Si quis retineat feminam ad deosculandum, & ad similes tactus carnales, seclusa copula, neque est concubinarius, neque incurrit hunc casum; quia requiritur copula: Quart. & alii communiter: secus, si ad eam sodomitice cognoscendam, quia reservatio extenditur ad casus atrociores ejusdem generis: Doctores communiter: quod etiam aliqui extendunt, si ad se cum ea molliter polluendum, quia pollutio extra vas naturale est etiam atrocior. Cæterum non incurrit, qui retinet masculum ad se cum eo polluendum; si autem ad eum sodomitice cognoscendum, incurrit casum secundum hujus §. Secundo, *Nisi facta reali, &c.* Cessat hæc reservatio, itaut concubinarius absolvi possit a quovis Confessario, si duobus mensibus a reali separatione thori, & domus se continuerit; vel si valde probabiliter constet moralis impotentia reincidendi, cum scilicet ob ægritudinem, senectutem, deformitatem, aut aliunde cessavit periculum: Pal. & alii apud Dian. p. 2. t. 16. r. 45. demum, si paulo post eam ducat in uxorem, scilicet intra tres dies ad summum; quod enim intra triduum fit, dicitur fieri quamprimum, & continuo, ex l. fin. cap. *de Judiciis.*

VII. *Omnes utriusque sexus, qui a Dominica Palmarum usque ad diem Ascensionis Domini inclusive, Paschalis Communionis præcepto in Cathedrali, vel propria Parochia non satisfecerint, Interdicti pœnam, ex cap.* Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss. *ipso facto incurrant, a Nobis, sive facultatem a reservatis absolvendi a Nobis, vel Vicario nostro Generali habentibus, tantummodo relaxandam, dummodo non fuerint nominatim denunciati.*

Nota, quod C. *Omnis*, *&c.* minatur interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & ab Ecclesiastica sepultura; sed in hac Diœcesi id incurritur ipso facto ab iis, qui non satisfecerint præcepto communionis Paschalis, vel non communicando in Cathedrali, aut in Parochia propria, etiamsi alibi communicent; vel ibi tantum communicando sacrilege, cum sic neque satisfaciant præcepto, ex alibi cit. propos. 55. damnata ab Innoc. XI.; secus, si ibi suscipiant Sacramentum communionis validum, sed informe, v. g. invincibiliter obliti mortalis commissi, vel cum confessione putata valida: Suar., Con., Gran. contra Vasq. Si autem ultimo die superveniat impedimentum non prævisum, non incurrunt, si postea, quam primum poterunt, intra triduum communicent; incurrunt vero, si prævidentes tale impedimentum non antea communicaverint, juxta dicta d. 1. q. 1. cap. 3. Qui incurrit hoc interdictum peccat graviter, si ingrediatur Ecclesiam, quando in ea celebrantur divina officia; secus vero, quando hæc in ea non celebrantur, vel si hæc audiat in Oratorio privato, juxta dicenda de Censur.; imo neque peccat, si vocatus inserviat Missæ in Ecclesia, quia non se ingerit, ex Concil. Const. ex quo neque videtur esse privatus Ecclesiastica sepultura, nisi fuerit nominatim denunciatus. Cæterum non potest recipere Sacramentum Pœnitentiæ, aut Communionis, nisi prius absolvatur a tali interdicto, utpote speciali personali; & hæc absolutio reservata est in hac Diœcesi.

Additur in fine Tabellæ: Primo, Nullum ex prædictis casibus, & censuris incurri ab iis, qui 14. annum nondum expleverint; quod verum est juxta Dian. p. 10. t. 14. r. 49., etiam in dubio, an quis expleverit 14. annum, qui proinde absolvi potest ab his casibus per quemvis Confessarium, etiamsi confessio fiat post 14. annum: Secundo, In generali concessione facultatis absolvendi ab his casibus, & censuris, nunquam intelligi casum 5. §. antecedentis de locutione de obscœnis cum Monialibus, &c., nec intelligi casum, *Invitationum ad Ecclesias Monialium*, *& Regularium*, nec casum, *Expensarum factarum a Monialibus*, *aliisque in monasteriis*, *Conservatoriis*, *Collegiis*, *Domibusque Oblatarum degentibus*, *ratione officii*, *in quibuscumque functionibus*, *aut festivitatibus*: Tertio, Nullum ex Confessariis, quibus quomodolibet concessum fuerit a reservatis absolvere, etiam Pœnitentiariis, subdelegare valide posse alium quemcumque Confessarium, neque ad unum tantum reservatum, sive ad nudum ministerium. Quarto, Nulli ex Confessariis facultatem in reservata habentibus, vel Pœnitentiariis, licere quempiam a censuris absolvere, nisi audita integra confessione eundem absolvat etiam sacramentaliter: imo nullum posse absolvere tantum a reservatis, seu reservationem auferre remittendo absolutionem non reservatorum ad simplicem Confessarium: si secus fiat, absolutionem a reservatione, & illicitam, & irritam esse. Quinto, Confessarios posse absolvere ab aliis censuris, sive ex Synodo, sive ex consuetudine reservatis huic Archiepiscopo: qua in re addunt Comitol., Homob., Pelliz., & alii, hoc ipso, quod Episcopus non proponit in tabella aliquos casus reservatos in Synodis, censeri tribuere generalem facultatem absolvendi ab illis; quia, si voluisset eos sibi reservare, exposuisset in tabella. Demum noto, ex Chapeavil. apud Croix num. 1634., manere reservationem casuum expositorum in tabella, quamvis moriatur Episcopus, qui reservavit, quousque Successor non revocet; est enim per modum statuti perpetui: secus vero dicendum de reservatione facta tanquam ab homine. Noto insuper, quod, si Episcopus edat novum catalogum casuum reservatorum, in quo aliquem prioris tabellæ omittat, hunc etiam ante commissum desinere esse reservatum, non tamen desinere excommunicationem per illum jam incursam: contra vero, si Episcopus addat novum casum, cui etiam adnectat excommunicationem, qui hunc antea commiserat, non ligabitur ea excommunicatione, quia hæc non imponitur, nisi peccatis committendis; ligabitur tamen reservatione ex Bordon., Avers., & aliis apud Croix num. 1634., quia ablata est jam jurisdictio respectu illius; quamvis alii probabiliter aliter sentiant.

CAPUT III.

De Casibus specialiter reservatis in Ordinibus Religiosis.

PRÆTER casus Papales, quibus etiam subjacent Religiosi, Clem. VIII. an. 1593. concessit Superioribus Regularium, ut possint sibi reservare 11. casus, quos ipsemet exprimit in Bulla, aut omnes, aut eorum aliquos, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverint: &, si quod aliud peccatum grave, præter 11., pro Religionis conservatione, aut pro Conscientiæ puritate reservandum videatur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, vel Provincialis in Provincia, matura discussione, & consensu. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis a Confessariis imponendas, quæ subditos ab ejusmodi perpetrandis cohibere possint. Hactenus ex Clem. VIII., quod confirmavit Urb. VIII. Venio jam ad casus Bullæ Clement. VIII., qui undecim numerantur, quosque undecim numeris hic breviter absolvam.

I. *Veneficia*, *Incantationes*, *sortilegia*.

Nota: *Veneficia*, etsi non habeant magicum quid conjunctum, modo venenum propinetur, etiamsi mors non sit secuta: Fagond., Portel., Homob., Bass., & alii. *Incantatores*, sive tacite, sive expresse invocato dæmone; & in hunc casum incidit etiam, qui incantatoris opera utitur: Doctores cit. *Sortilegia*, etiam sine pacto expresso; item, qui sortilegos consulit, eorum opera utitur; item divinatio; item astrologia judiciaria: Coriolan. contra Cours. apud Bass.

II. *Apostasia a Religione*, *sive habitu dimisso*, *sive retento*, *quando eo pervenit*, *ut extra septa Monasterii*, *seu Conventus fiat egressio*.

Nota, *Apostasia*, *&c.* Si animo apostatandi dimisso habitu tentes egredi extra septa, nec potes, non incurris hunc casum; incidis tamen in excommunicationem, cap. *Ut periculosa*, *ne Cler.*, *vel Monach. in 6.*, ob temerariam habitus dimissionem. Si animo apostatandi exeas, sed statim redeas, peccas mortaliter, tamen non incurris hunc casum, quia peccatum non est exterius consummatum in ratione apostasiæ, cum non dicatur rigorose recessus: Navarr., Gras., Bon., Bordon., Bass., & alii. Si apostates e domo, vel loco, ubi Fratres morantur, dum fabricatur Monasterium, vel e domo alicujus secularis, incurris hunc casum; quia talis fuga est desertio Instituti animo non redeundi: Cours., Bass., & alii: secus, si desit hic animus, qui requiritur essentialiter ad apostasiam.

III. *Nocturna*, *& furtiva e Monasterio*, *seu Conventu egressio*, *etiam non animo apostatandi facta*.

Nota, *Nocturna*, *&c.* Si fiat in crepusculo diei, Coriolan. dicit, non incurri hunc casum, Cours. dicit, incurri; in dubio censendum factam de die etiam pro foro externo, ut sic pœna mitigetur: Bassæus. *Et furtiva*, hoc est sine licentia Superioris, etiamsi alii sciant, ut addit Cours. contra Corol., & March., quia fit invito Superiore; imo, etiamsi Prælatus indebite consenserit, quia licentia est nulla, ut addit Suar. Idem est, si ipse Prælatus egrediatur, quia contra regulam, & suum Superiorem majorem: Suar., Cours., Bass., & alii. Parvitas tamen temporis excusat juxta jam dicta; in Religione tamen observanti non excusat quadrans: Bordon.

IV. *Proprietas contra votum Paupertatis*, *quæ sit peccatum mortale*.

Nota: *Proprietas*, *&c.*, qua scilicet Religiosus tenet aliquid contra voluntatem expressam, vel probabiliter præsumptam Superioris, & Domini. Qui autem accipit, aut tenet absque licentia, sed cum dependentia a voluntate Superioris, non est proprietarius, nec incurrit hunc casum, etsi peccet graviter. Quantitas rei est, quæ sufficeret in seculari ad furtum mortale; addit tamen Marchant., ut circumstantiis loci, Monasterii, abundantiæ regionis, consuetudinis, &c., major etiam quantitas proprietatem non faciat; habenda est etiam ratio rerum unico usu consumptibilium, in quibus quandoque plus displicet Superiori modus, quam res; quod si etiam res displiceat, adhuc quantitas debet esse major, cum hujusmodi res sit frequenter objectum liberalis donationis, & oblationis: v. Bass. v. hic *cas.* 8.

V. *Juramentum falsum in judicio regulari*, *seu legitimo*.

Nota: *Juramentum*, *&c.*, quando scilicet juridice, ac legitime interrogaris a Superiore, sive ut reus, sive ut testis; secus vero, si pejeres in judicio non legitimo, vel circa alt-

aliquid, de quo non interrogeris: Suar. t. 4. *de Relig.* l. 2. c. 8. n. 7.; neque, si ex conscientia erronea putes, te pejerare, quia actus externus non est perjurium: Suar. contra Fagund.; quando autem testis, vel reus teneatur fateri, dictum est q. anteced.

VI. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.*

Nota: *Procuratio, &c.*, ex intentione scilicet abortus animati; requiritur tamen ut sit applicata v. g. potio, &c., etiamsi abortus non sequatur. Hic non incurris hunc casum, si ex alio fine percutias prægnantem, ex quo per accidens sequatur abortus; neque si des auxilium, vel consilium, & illa non applicet; neque, si dubitans de animatione fœtus, procures abortum, quem non procurares, si probabiliter scires, esse animatum, quia ex intentione non lædis fœtum animatum: Bordon. q. 7. Mandans autem comprehenditur sub voce illa, *Procuratio:* Bordon., Bass.

VII. *Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterii, aut Conventus.*

Nota: *Falsificatio, &c.* Fit hæc imitatione manus, vel si aliquid eorum litteris addatur, aut detrahatur, quo sensus ab eis intentus mutetur; similiter, si eorum sigillum applices litteris falsis, vel aliud simile effingas, eoque utaris. Si autem fureris eorum sigillum, aut aliud effingas, animo signandi scripturam, sed postea non signes, non incurris, quia propriè non habetur falsificatio, quæ respicit litteras signatas: Suar. l. 8. c. 18. n. 7. Neque si signes epistolam continentem materiam levem, & animo non inferendi damnum: Suar. ib.

VIII. *Furtum de rebus Monasterii, seu Conventus in ea quantitate, qua sit peccatum mortale.*

Nota: *Furtum, &c.*, & similiter detentio, & usus rei, invito Superiore; & res Monasterii est etiam, quæ ad usum particularium est assignata: unde incurrit hunc casum, qui furatur, aut detinet scripta aliorum Religiosorum sui Monasterii, ut transcribat, & postea restituat, modo supponatur alter rationabiliter invitus: Bassæus. Addit Cours., talem furem incurrere etiam excommunicationem reservatam Papæ contra occupantes bona Ecclesiarum, quod probabile reputat Boss. Quantitatem saltem quatuor argentorum sufficit; & quandoque minor, juxta occurrentes circumstantias; modo non sit in comestibilibus: Suar. l. 8. *Relig.* c. 21. num. 40., & 41. Ait Sanch. l. 7. *Dec.* c. 20. n. 3., Opinionem unius Recentioris exigentis quantitatem requisitam ad furtum filiorum probabilem non esse, cum Instituti ratio, vox ipsa Superioris, & demum omnia jura prohibeant ejusmodi furta. Quamvis Tamb. l. 8. Decal. t. 2. c. 4. n. 6. alleget Rebel., Ledes., Cened., & Caram. in oppositum: v. tamen Lug. *de Just.* d. 3. an. 172.

IX. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.*

Nota: *Lapsus, &c.*, significat seminis emissionem; imo etiam distillationem, quæ est vera seminis effusio, ut addit Gob. contra Dian. Dicitur autem *Voluntarius*, si voluntas volendo influat in illum; quale non est desiderium seminationis nocturnæ ob sanitatem, quia non peccas, juxta dicta d. 1. q. 2. Si proveniat ex sola delectatione interna absque omni actu externo, Coriolan., & alii apud Dian. p. 4. t. 4. r. 41. putant, non esse casum hic reservatum, quia requiritur, ut opere externo consummetur; sed absolute tenendum oppositum cum D. Th., Suar., Sylv., Gob., & aliis, quia, quoties peccatum pervenit ad pollutionem, est in sua specie opere consummatum. Si seminatio sequatur ex nimio potu, & crapula, vel ex actu externo venialiter tantum libidinoso, qui scilicet leviter ex natura sua ad libidinem provocat, qualis est aspectus solius faciei, vel personæ decenter vestitæ, non incurri hunc casum, censent Bass., & alii, quia non est lapsus carnis externo opere graviter libidinoso consummatus; sed si intentio libidinosa sit graviter prava, ex qua sequatur pollutio, dicendum oppositum, ut supra; præsertim, si sit aspectus verendorum, aliarumve partium graviter ad libidinem allicientium, ut docent communiter.

X. *Occisio, vel vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ.*

Nota: *Occisio, &c.*, etiamsi fiat per alium, juvando, ministrando instrumenta, &c. Bassæus. Dicitur autem percussio gravis, quæ conjuncta est cum gravi læsione, vel injuria, ex cap. *Si quis suadente*. Ut vero incurratur hic casus, debet id fieri pravo animo; non ergo incurris, si lædas coactus metu gravi, licet graviter tunc pecces: Floron., Bass.; incurris autem, si pravo animo lædas consentientem, quia hic non est Dominus membrorum suorum; & similiter, si pravo animo lædas teipsum, quia es persona: Bass.

XI. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio literarum a Superioribus ad Inferiores, aut ab Inferioribus ad Superiores.*

Nota: *Malitiosum, &c.*, hoc est ex intentione impediendi effectum literarum, juxta Suar. l. 2. c. 18. n. 13. vel ex intentione mali, sive positivi, sive privativi, sive Superiorum, sive subditorum, juxta Bass. Incurris hunc casum, etiamsi aperiri facias ab alio, ut legat; etsi non legeret: item, etiamsi Superior ille non sit tuus Superior; cum satis sit, si sit Superior ejus, ad quem scribit. Non vero, si legas absque eo, quod aperias; vel si aperias cum tacito mittentis consensu, aut bona fide sperando in ratihabitione ejus, cui mittuntur; neque, si detineas, retardes, aperias, aut etiam comburas, probabiliter timens, in his contineri injustum aliquod malum, quia uteris defensione naturali: Fagund., Portel., Bass., & alii: secus vero, si malum sit justum, & tibi debitum, quia sic malo animo impedis actum justitiæ. Molin., & alii.

QUÆSTIO IV.

De Absolutione Sacramentali.

ABSOLUTIO Sacramentalis peccatorum est *Forma, in qua præcipue est vis hujus Sacramenti*, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 3.; & differt ab absolutione a censuris, quia hæc est extrasacramentalis, & tantum absolvit a pœnis Ecclesiasticis. Videndum, in quo consistat, quando, & quomodo danda sit, vel iteranda, & num aliquando neganda, vel differenda?

CAPUT I.

In quo consistat Absolutio Sacramentalis?

DICO primo: Absolutio Sacramentalis essentialiter consistit in verbis formalibus: Doctores communissime, itaut Suar. dicat, esse certum; Lug., Arr., Avers., & alii dicant, oppositum esse errorem, vel hæresim. Ratio deducitur ex Traditione, & perpetuo usu Ecclesiæ: unde Florent. in Decr. Eug. ad Armen. docet, Formam hujus Sacramenti esse *Verba absolutionis, quæ Sacerdos profert*; & Trid. cit. *In illis Ministri verbis positam esse*. Neque obstat, quod absolutio a censuris dari possit scripto, aut etiam signo, & tantum nutu saltem a Pontifice. Nam hæc non est Sacramentalis, & est ex institutione Ecclesiæ; at absolutio a peccatis est Sacramentalis, & ex institutione Christi dari tantum potest verbis formalibus, ut constat ex Traditione, & Conc. cit. Hinc Sacerdos mutus, etsi in articulo mortis absolvere possit nutu, aut signo a censuris; at nullatenus absolvere potest a peccatis, ut docent communissime contra Joann. Pont. apud Dian. p. 1. tr. 6. r. 14.

Infers primo, non solum illicitam, sed invalidam esse absolutionem Sacramentalem datam absenti; quia nemo in absentem uti potest verbis formalibus. Hinc Clem. VIII. ann. 1602., Constit. 87. damnavit, ut falsam, temerariam, & scandalosam hanc Prop. *Licet per litteras, aut internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Sacramentaliter absolvi*. Additque excommunicationem reservatam in eos, qui illam in aliquo sensu tamquam probabilem defendunt, aut in praxim quovis modo deducunt: atqui, si talis absolutio posset esset unquam valida, Pontifex non posset eam prohibere in omni casu; cum jure Divino, ac naturali fuisset licita in casu extremæ necessitatis pro moribundo absenti: ergo dicendum, esse omnino invalidam. Et, quamvis multi cum Palud., D. Anton., Sot., Med., & aliis antea dixerint tunc posse, tamen in Ecclesia nunquam fuit positum in praxi. Quod autem fertur de D. Th. Cantuar. de D. Cypr., & cap. *Qualis* 3n. *q.* 5., intelligitur de absolutione a censuris, vel testimonio resipiscentiæ.

Infers secundo, Ad valorem absolutionis Sacramentalis essentialiter requiri præsentiam moralem, hoc est, ut tam parum distet pœnitens, ut., quamvis non sit necessarium audire verba absolutionis, posset tamen audire confessarium absolventem voce communi etiam aliquanto altiore, qua scilicet uti solet Judex pronuncians in Curia sententiam contra reum, quia sic verificatur loqui formaliter, & particula *Te* directa ad præsentem. Quod maxime valet in absolutione, quæ datur

plueibus simul in casu Prælii, Terræmotus; &c., dicendo, *Absolvo Vos*, &c., tnt enim tunc absolvuntur, ad quot pertingere posset vox loquentis ad præsentem, & verificari ly *Te:* ordinarie tamen expedit absolvere voce submissa, ne circumstantes advertere possint, quando negatur: Croix n. 652. Hine Gob. t. 7. n. x88. ait, se, si aliter commode nequeat, sine scrupulo absolucurum eum, qui adhuc est intra cancellos Confessionalis, non jubendo iterum genuflectere. Et Bon., Lug., Tamb., & alii dicunt, si non posset commode vocari, adhuc absolvi posse pœnitentem abeuntem a Confessionali, & aliis vicinis permixtum, quia adhuc est moraliter præsens. At nimis laxum est, quod addunt Bon., Leand., Moy., & alii sufficere, quousque Confessarius aliquo sensu percipere possit pœnitentem, etiamsi distet ad 20. passus, ut addit Moll.; nam certum est, me posse videre simpliciter absentem, quin possim absolvere, & verificare particulam *Te;* Tamb., & alii. A fortiori rejicitur communiter Leand. dicens, Sacerdotem, modo videat domum moribundi, posse illum absolvere: nam sic nullo sensu illum percipit, nec ullo pacto diei potest simpliciter præsens: Tamb., Gob., & alii communiter.

Dico secundo: Ad essentiam absolutionis Sacramentalis non videntur sufficere hæc tantum verba *Absolvo te*, nt probabiliter docent D. Th., D. Anton., Suar., & alii communniter ex Cath. Rom.; sed requiritur insuper *A peccatis;* ut probabilius docent Gabr., Lug., Aversf., Arr., Palud., Major., Pasqual., Martinon., Gorm., & alii. Ratio est, quia Christus instituens hoc Sacramentnm Joan. 20. expresse aie, *Quorum remiseritis peccata:* sicut ergo, quia dixit *Quorum*, exprimendum est *Te;* ita, qnia dixit *peccata*, exprimendum est, *A peccatis*. Idque est verum, etiamsi pœnitens unicum habeat peccatum post baptismum; quia ex communi modo loquendi sæpe ponitur plurale pro singulari; ideoque nec in Rit. Rom. ponitur necessario ly *Ab omnibus*, sed tantum *A peccatis*.

Objicies: Dum Confessarius dieit pœnitenti, *Absolvo Te*, ex circumstantiis confessionis factæ, & simul ex intentione Confessarii sufficienter daterminantur hæc verba ad significandam absolutionem a peccatis: ergo non requiritur essentialiter, ut expresse dicatue *A peccatis*.

Respondeo, nego consequentiam. Christus enim pro forma absolutionis Sacramentalis assumpsie solum verba, ut a Sacerdote prolata, ac per se ipsa determinate significantia absolutionem pœnitentis præsentis a peccatis, & non mere determinata ex circumstantiis: aliter sufficeret etiam, si Confessarius digito demonstrans pœnitentem præsentem, & confessum, dicat tantum, *Absolvo;* cum ex circumstantiis etiam pateat, velle eum absolvere a peccatis, quod tamen communiter rejicitur contra Sot. male in hoc audientem, teste Aversf.

Infers primo, Non requiri essentialiter ly *Ego*, & ly *Tuis;* quia primnm sufficienter exprimitnr per personam primam verbi *Absolvo*, secundum per primitivum secundæ personæ *Te;* peccat tamen Confessarius hæc omittens contra consuetndinem, & præscriptum Ecclesiæ; venialiter tamen, quia parum notabilis est hæc mutatio; mortaliter vero peccat, si omittens ly *Te*, dicat *Absolvo a peccatis tuis*, quia valde notabilis est mutatio; etsi valeat ea absolutio, cum ly *Te* includatur in ly *Tuis:* Croix a n. 639. Item venialiter peccat, si pro ly *Te* dicat *Dominationem*, *Excellentiam; Majestatem tuam*, *&c.* Et similiter, si absque necessitate absolvat simul plures, dicendo *Vos*, *&c.* Henr., Val., Reg., & alii contra Scot., Gabr., Con. dicentes, in hoc peccari mortaliter: item venialiter peccat, si sciens latinn, absolvat vnlgari idiomate, Vasq., Dicast., & alii.

Infers secundo, Quod, quamvis Christus in institutione hujus Sacramenti dixerit *Remiseritis*, tamen Ecclesia ex traditione merito utitur synonimo, *Absolvo;* ad significandam sententiam judicialem Confessarii contra Hæreticos damnatos a Trid. *sess. 14. cap. 6. can. 9.* dicentes, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nodum ministerium pronunciandi, & declarandi, remissa esse peccata. Imo, etsi peccata pœnitentis fuerint ante remissa a Deo per contritionem, adhoc tamen Confessarius vere dicit *Absolvo*, etsi nihil tunc sit absolvendum, quia verba absolutionis Sacramentalis ex humana institutione habent hunc sensum; *Quantum est ex me judicialiter libero te a peccatis;* & rursus in Institutione Christi habent huno alium sensum: *Quantum ex me est, confero tibi gratiam per se remissivam peccatorum*, adeoque, quæ remitteret, si non inveniret jam remissa: & revera Deus per infusionem novæ gratiæ iterum eedit jure ad odium peccatoris: Croix, & alii. Cæterum valet absolutio, si dieas, *Remitto*, *Condono*, *Solvo*, *Libero te a peccatis*, quia sunt synonima; peceas tamen saltem venialiter contra consuetudinem, & præscriptum Ecclesiæ: si autem dicas, *Mundo te a peccatis*, est adeo notabilis mutatio, ut sit dubium de valore, cum nullam habeat speciem judieialis sententiæ; & a fortiori, si dicas modo deprecativo, *O Deus*, *absolve hunc a peccatis;* D. Th., & alii: idemque ait Lug. contra Arr., si modo imperativo dicas, *Absolvat te Deus a peccatis*. Et Croix num. 639. etiam dubitat de valore, si dicat, *Sis absolutus*, vel *Absolvaris a peccatis*. Valet tamen, si dicas, *Jubeo*, *volo te absolutum a peccatis; Tu a me absolveris a peccatis; &c.*, quia adhuc exprimitur actus judicialis.

Infers tertio, Non requiei ad essentiam absolutionis Sacramentalis ly *In nomine Patris &c.* Doctores communissime contra Dur., & Aur., quia nullatenus id exprimitur in verbis Christi instituentis hoc Sacramentum; sed tantum in forma baptismi exprimuntur, Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine &c.*, & ratio diversitatis esse potuit, quia baptismus est speciale Sacramentum Fidei; ideoque merito Christus in eo requisivit professionem Dei unius, & Trini; quæ ratio non militat in Sacramento pœnitentiæ: peccat tamen saltem venialitee Confessarius id omittens contra consuetudinem, & præscriptum Ecclesiæ. Cæterum, si omittat ante confessionem dicere, *Dominus sit in corde tuo*, *&c.*, & ante absolutionem, *Misereatur tui*, *&c.*, & post absolutionem, *Passio Domini nostri*, *&c.* non peccat, quia dicuntur ex consuetudine libera: Lug. d. 13. n. 9. Ait tamen Gob. n. 161., addendum ly *Passio Domini nostri*, *&c.*, etiam pœnitente recedente; quia per hæc verba probabiliter elevantur omnia opera bona illius ad satisfactionem Sacramentalem, eaque de causa posse minui pœnitentiam, juxta Nav., & Dian. p. 3. t. 4. r. 82. Itaque sufficit ex Rit. Rom. incipere, *Dominus noster Jesus Christus te absolvat*, *&c.* ..... & in confessionibus brevibus addere: *Ego absolvo te a censuris, & peccatis tuis in nomine*, *&c.*, & in confessionibus longis, *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis, si sit in Sacris) & Interdicti*, *&c.*, *Ego absolvo te a peccatis tuis in nomine*, *&c.* Addit demum Gob. n. 161., si multi adsint pœnitentes, etiam omitti posse ly *Dominus noster*, *&c.*

Quæres primo, Quomodo danda sit absolutio Sacramentalis?

Respondeo, Servandam esse consuetudinem cujusque loci, & Ecclesiæ, ex Rit. Rom. Quidam absolvunt tecto capite, quo se judices ostendant, ut volebat Sa: quam tamen sententiam expunctam ex ejus libris a Sacris censoribus testatur Raynaud. Mos ergo communis est, ut fiat detecto capite, ut significetur absolvere nomine Christi. Gob. non damnat peccati eum, qui absque scandalo absolvit tectus pileolo plicatili. Item communiter elevantur manus ad verba, *Dominus noster*, *&c.* & formatur Crux ad verba, *In nomine Patris*, *&c.* quæ tamen omittere per se non est peccatum, ut notat Croix. Nec hodie obligat mos antiquus imponendi manus capiti pœnitentis, ex quo hoc Sacramentum vocabatur *Impositio manuum;* Gob. num. 163. Item Confessarii seculares utuntur superpelliceo, & stola, quando in templo publica absolvunt; & alicubi est eis injunctum sub censura. Item sedando absolvitur etiam Rex, vel Pontifex, quia tunc confessarius est Judex. Quoad modum internum, danda est absolutio cum debita intentione saltem virtuali; item cum debita attentione, itaut distractio voluntaria sit saltem grave veniale: Gob. t. 7. n. 177. Si vero erret circa personam, putans Titium, quem absolvit, esse Cajum, valet; quia intentio saltem virtualis est absolvere præsentem: Doctores communiter. Si absolvat Sacramentaliter coactus metu gravi, adhuc valet, modo metus incussus sit a tertia persona, & pœnitens bona fide accesserit; quia sic nullo jure irritatur. Uti econtra irritatur absolutio a censuris data ex metu, ex cap. *Un. de his, quæ vi*. Denique, si duo Sacerdotes accurrentes ad moribundum absolverent, itaut singuli habeant hanc intentionem conditionatam, *Si alter non absolvat*, tunc neuter absolvit, quia neutrius purificatur conditio: Suar. d. 23. s. 3., Si autem absolute uterque absolveret, conficerentur duo Sacramenta.

Quæres secundo, An absolutioni Sacramentali præmittenda sit absolutio a censuris?

Respondeo affirmative, Itaut graviter peccet Sacerdos, si pu-

si putans, pœnitentem esse excommunicatum, etiamsi excommunicatione minori, absolvat a peccatis, antequam absolvat a censuris; quia Ecclesia graviter prohibet, ne talis ullum recipiat Sacramentum: Suar. & alii communiter. Quare tunc Confessarius teneretur subjungere absolutionem ab excommunicatione, non tamen repetere absolutionem a peccatis, quia excommunicatio non obstitit Sacramento, quando pœnitens non fuit in culpa: Suar. d. 31. Nav. & alii contra Sanctum, & alios. Si autem Confessarius intendens agere, quantum potest, solum protulit absolutionem a peccatis; tunc, si habebat facultatem absolvendi a censura, satis probabile est, etiam absolvisse ab illa, quia in absolutione a peccatis videtur includi etiam ex ea voluntate absolutio ab omni eo, quod e peccato nascitur: Suar. Tamb. & alii; quod præsertim valet, cum pœnitens agit animam, itaut sit periculum mortis, antequam detur absolutio a peccatis. At, si Confessarius non habebat facultatem super censura, pœnitens ab hac non fuit absolutus, extra articulum mortis; quamvis ob bonam ejus fidem maneat absolutus a peccatis, quæ subjecta erant huic Confessario: Croix n. 1569. Cæterum Suspensio, & Interdictum, cui pœnitens non dedit causam, ex cap. *Alma Mater.* cum non privent usu passivo hujus Sacramenti, non foret mortale, si absolverentur post absolutionem a peccatis: regulariter tamen absolvi debent ante.

Quæres tertio, Quænam sit forma absolvendi a censuris?

Respondeo, Quamvis sufficiant quæcumque verba, imo etiam signa, & nutus externi cum intentione interna; tamen ex Rit. Rom. sunt sequentes: Primo, Pro foro interno: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis* (*Suspensionis*, si pœnitens sit in Sacris) *& interdicti, quantum possum, & tu indiges;* Et in brevibus Confessionibus, *Absolvo te a censuris, & peccatis tuis, &c.* juxta jam dicta: quod si ex delegatione ex litteris S. Pœnitentiariæ, aut Episcopi, absolvas in eodem foro, dicas: *Auctoritate SS. Domini nostri Papæ* (vel *RR. Episcopi*) *mihi concessa, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurristi* (vel *incurrisse declaratus es*) *propter tale factum* (vel *Causam*) *& restituo te communioni, & unioni Fidelium, & Sacramentis Ecclesiæ, in nomine, &c.* Si vero agatur de Irregularitate in eodem foro, dicatur post absolutionem a censuris: *Eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate, in quam ob talem causam* (hanc nominando) *incurristi, & habilem reddo, & restituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum, in nomine, &c.* At, si detur absolutio a censuris publice, & pro foro externo, sunt plures cæremoniæ servandæ, ut habetur in Rit. Rom.

Quæres demum, quomodo exequendæ sint litteræ S. Pœnitentiariæ pro absolutione a Censuris, &c.?

Respondeo, De hoc actum esse in de Legib. d. 4. q. 3. c. 1. ex quibus solum noto primo, Si dicat, ut absolvas ab omnibus reservationibus, & censuris, *Quas propter præmissa quomodolibet incurrerit*, Krimer ait, etiam posse absolvere ab iis, quæ non ex peccato, ob quod dispensatur, sed aliunde proveniant; quia Pontifex tacite vult removeri, quicquid dispensationem impediat: arg. c. *Præterea, de off. & potest. Jud. Del.* sed contradicit Croix, quia dispensatio non trahitur ad disparata. Secundo, si pœnitens nolit secum dispensari, aut non posset ex defectu alicujus conditionis, &c. nec posset absolvi a Censuris, &c. quia additur ibi, *Ad effectum concessæ gratiæ*. Tertio, Si dispensatio danda esset saltem post duos, aut tres annos, posset etiam nunc absolvi in ordine ad illam tunc ab eodem accipiendam: Lug. Gob. n. 199. & sic, etiamsi interim relabatur in easdem censuras, &c. quamvis dicatur, *Hac vice absolvas;* quia durat hæc potestas, quamdiu ex rationabili causa durat executio dispensationis, quæ est ejus finis: Gob. n. 204. Quarto, Si dicat, ut injungatur *Gravis pœnitentia*, & pœnitens antea confessus proportionatam pœnitentiam accepit, aut lucratus est Indulgentias, aut accedat cum magna contritione, gravis pœnitentia mutari potest in levem: Gob. n. 208. Secus vero, si ibidem determinetur in specie, ut si dicat, *Confessionem unam singulis mensibus*, hæc durabit tota vita, etsi poterit eadem confessione menstrua satisfieri alii obligationi.

CAPUT II.

Quando, & Quomodo danda sit, vel iteranda Absolutio?

Confessario, ut licite absolvat, constare moraliter debet, Pœnitentem esse rite dispositum; quia secus exponeret Sacramentum periculo frustrationis: Busemb. & alii communiter. Verum hæc moralis certitudo non est accipienda absolute, sed respective ad pœnitentem, ex quo, si haberi nequeat notitia major, quam probabilis, & aliunde non appareat grave motivum in oppositum, ea erit sufficiens certitudo moralis respectiva. Hoc supposito

Dico primo: Confessarius, qui audivit in confessione peccata Pœnitentis, & prudenter judicat rite dispositum, seque præditum jurisdictione in illum, tenetur sub gravi eum absolvere: Doctores communiter. Ratio est, quia talis Pœnitens per confessionem acquisivit jus ad absolutionem, etiamsi confessus fuerit tantum veniale, cum semper sit jus grave ratione gratiæ acquirendæ per Sacramentum: ergo, &c. Hinc absolvi tunc debet absolute, itaut graviter peccet Confessarius, si eum absolvat conditionate, utpote constat jus absolutum: Lug. d. 17. s. 3. Item per se loquendo absolvi debet statim, ob eandem rationem; ideoque in Jansenistas damnatur ab Alex. VIII. hæc prop. 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus*. Monent tamen communiter Doctores, aliquando per accidens posse differri tali Pœnitenti absolutionem, si nimirum prudenter judicet Confessarius, eam dilationem redundare in majus ipsius bonum; pro concipiendo scilicet majori horrore peccati, acriori dolore, ac firmiori proposito; sic enim non facit contra ejus jus, sed favet potius, agitque officium boni Medici, prout infirmitas ejus postulat. Cæterum, id ne fiat in articulo, vel periculo mortis, neque in casu necessitatis communicandi ad vitandum scandalum, vel infamiam; neque, si alias diu careret opportunitate confitendi; neque si alias non posset lucrari indulgentiam; quia sic non esset majus ejus bonum: Lug. ib.

Dico secundo: Si Confessarius prudenter dubitet de dispositione Pœnitentis, non potest eum absolvere absolute; potest tamen, & aliquando debet eum absolvere conditionate: Doctores communiter. Ratio est, quia, si eum tali dubio absolveret absolute, exponeret Sacramentum periculo frustrationis. Quia tamen aliquando charitas exigit consulere optimo modo saluti talis pœnitentis, ideo aliquando potest, ac debet absolvi sub conditione, per quam etiam providetur reverentiæ debitæ Sacramento: puta, in articulo mortis, si prudens sit dubium, utrum vivat, an exspiraverit? Utrum signa, quæ dat, sint contritionis, an morbi, &c. tunc enim omnino debes absolvere sub conditione, *Si capax es, si es dispositus, &c.* idque, etiamsi valde tenuis sit probabilitas, quod vivat, quod sit dispositus, juxta dicta q. 1. c. 1. Similiter pueri, semifatui, aliique, de quibus prudenter dubitas, an habuerint usum rationis sufficientem ad peccandum, an sufficienter doleant, ut oportet, an integre confiteantur, &c. absolvi debent sub conditione in his circumstantiis; nempe tempore Præcepti Paschalis; in casu necessitatis ad vitandum scandalum, aut infamiam; si alias diu carere deberent confessione; &, ut addit Gob. si aliter lucrari non possent indulgentiam. Extra has circumstantias, si afferant materiam de se gravem, & dubium sit, an in ea revera peccaverint, an sufficienter doleant, &c. debent etiam absolvi sub conditione, ne, si forte peccaverint, vivant in peccato: at, si afferant materiam de se levem, & dubium sit, an simpliciter in ea peccaverint, an doleant, &c. Sporer, & alii dicunt, non posse absolvi, ne sub conditione quidem, quia, cum nulla sit necessitas, fieret injuria Sacramento. Laym. Dian. Dicast. Lug. n. 22. dicunt posse, tum ne priventur gratia Sacramenti, tum ne, si forte habeant mortale occultum, vivant in eo statu. Cæterum, si nullam afferant materiam, vel nulla sit, ne tenuis quidem, probabilitas dispositionis, non possunt ne in articulo quidem mortis absolvi sub conditione, juxta dicta q. 1. c. nuper cit.

Quæres primo, An, quando absolutio datur sub conditione, debeat hæc exprimi verbis?

Respondeo probabilius negative; quia conditio, etiamsi mente tantum sit apposita, adhuc reddit absolutionem conditionatam, cum absolutio secundum sensum a Christo intentum tacite involvat conditionem hic & nunc necessariam, juxta valorem Sacramenti: Con. Less. Dicast. & alii contra Caramuel. & Haunold.

dicentem, regulariter fore peccatum, si non exprimatur. Addunt Croix, Pal. Gorm. & alii, sæpissime non expedire, ne exprimatur, præsertim si prævideatur offensio pœnitentis. Addit Gob. t. 7. n. 271. sufficere, si conditio habeatur implicite in mente Confessarii, qua scilicet vult audire confessiones secundum institutionem Christi, & intentionem Ecclesiæ. Cæterum, si in casu necessitatis ad vitandum scandalum, &c. absolvas sub hac conditione, *Si habeo facultatem ad reservata*, de qua prudenter dubitas, debes id manifestare pœnitenti, ut postea videatur, an teneatur adire Superiorem pro illis: Denique, si absolvas sub conditione de futuro, puta, *Si restituet*, *&c.* peccas mortaliter, quia, cum nequeat suspendi Sacramentum, esset simpliciter nullum. Si autem absolvas sub conditione de præsenti, sed omnino extrinseca Sacramento, puta, *Si est vir nobilis*, *&c.* peccat quidem, sed valet Sacramentum, si ille revera sit talis.

Quæres secundo, An aliquando iteranda sit absolutio? Respondeo, Esse ex genere suo sacrilegium mortale iterare absolutionem eorundem omnino peccatorum in eadem confessione; quia secunda absolutio est irrita ex defectu novæ materiæ, scilicet novi peccati, vel novi doloris: Bonac. Gob. t. 7. n. 171. Si vero pœnitens statim post absolutionem addat nova venialia, vel circumstantias non notabiliter aggravantes, non est necesse iterum absolvere; si tamen absolvas, expedit id facere submissa voce, nec formata cruce (uti etiam fieri debet, si afferat novum mortale) ne scilicet Circumstantes suspicentur attulisse aliquod grave: Croix n. 644. At, si rationabiliter dubites, an absolveris pœnitentem, an protuleris verba essentialia, an cum debita intentione, &c. teneris (& quidem sub gravi, si pœnitens confessus sit mortalia; si venialia, & sit innocens anima, probabiliter sub levi: Gob. t. 7. n. 171.) iterum absolvere sub conditione mente concepta, *Si antea non absolvi*, *si prior non fuit valida*, *&c.* Quod, si pœnitens surrexit a confessionario, potes eum discedentem submissa voce absolvere, modo adhuc sit moraliter præsens juxta dicta c. 1. Imo etiam poteris multo post, si videas, eum petere communionem, quia adhuc censetur dispositus: Gob. & alii. At, si ille jam abiit, & confessus fuit mortalia; tunc, si est periculum, ne amplius confiteatur (ut si esset graviter ægrotus) teneris etiam cum tuo gravi incommodo illum reperire; quia tunc est periculum mortis æternæ illius: Tamb. Lug. & alii. Si vero tale periculum non sit, sed potius spes, ut iterum confiteatur, non est tanta obligatio; quia in sequenti confessione indirecte absolvetur ab aliis antea non absolutis: Tamb. l. 3. *Conf.* c. 8. n. 5. Quare, si iterum redeat ad confitendum, excita in eo dolorem de omnibus tibi confessis, & absolve, tacito tuo priori defectu; si non redeat, debes, si commode potes, invenire, & monere de tuo defectu, petita prius licentia, & probabiliter etiam non petita, imo etiam negata; cum hæc absolutio spectet ad conficiendum Sacramentum inceptum jam, & nondum completum: Suar. Fil. Hurt. Laym. & alii apud Croix n. 1775.

Quæ dicta sunt, procedunt, quando dubium est rationabile. Nam, si sit leve, an absolveris, necne, &c. Gob. n. 171. dicit, esse mortale, si repetas etiam sub conditione absolutionem, quia moveris ex inani dubio, & imprudenter in materia gravi. Tamb. l. 1. *de Sacr.* c. 1. §. 3. dicit, esse tantum veniale, quia non irrogatur, nisi levis imprudentiæ injuria Sacramento. Croix l. c. ait plurimos Confessarios in talibus repetitionibus omnino excusari ideirco, quod non apprehendant vanitatem sui scrupuli, aut in eas compingantur angustias, ut apprehendant peccatum, sive repetant, sive non repetant; cum tunc sit minus malum iterare; *Non enim temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis*, inquit S. Leo. Cæterum ex eo, quod protuleris formam distractus, non habes rationabilem causam dubitandi, an revera integre protuleris: similiter, si ob distractionem ignores, an protuleris verba essentialia, sed scias, te dixisse *In nomine Patris*, *&c.* nisi vero non sis habituatus integre omnia proferre: Gob. n. 176. Si autem sine determinatione, utrum velis absolvere a censuris, an a peccatis, dicas *Absolvo te*, non peccas, si, statim ac te determines, repetas eadem verba, quia probabile est, in his tantum verbis non contineri absolutionem Sacramentalem, & potes inter probabiles sequi tutiorem; uti neque peccas, si non repetens determines voluntatem prosequendo, quia sufficit, si verba absolutionis habeant suam determinatam significationem, quando profertur ultima syllaba: Gob. t. 7. n. 155.

C A P U T III.

An aliquando neganda sit, vel differenda Absolutio?

VIDENDUM I. de ignorante Mysteria Fidei: II. de habente occasionem proximam: III. de Recidivo.

§. I.

Quid de ignorante Mysteria Fidei?

DICO primo: Qui sive culpabiliter, sive inculpabiliter ignorat hæc duo Mysteria, *Quod unus Deus sit*, *& quod Remunerator sit*, nullatenus potest absolvi. Ratio est, quia horum fides explicita est necessaria necessitate medii ad justificationem, ex Apost. ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod Remunerator sit*: ergo, adultus, qui hæc ignorat, non potest justificari per Sacramentum Pœnitentiæ; & consequenter ne in articulo quidem mortis potest absolvi sub conditione, sed debet prius breviter de his instrui, ut ant explicite ea credat; aliter est certo indispositus.

Dico secundo: qui sive culpabiliter, sive inculpabiliter ignorat hæc alia duo, *Trinitatem*, & *Incarnationem*, non potest licite absolvi extra articulum mortis. Ratio est, quia, quamvis multi cum Gran. & Sanch. probabiliter dicant, hæc duo mysteria esse necessaria tantum necessitate præcepti; tamen alii communius cum Suar. Con. Sot. probabiliter, imo & probabilius docent, esse necessaria necessitate medii: ergo, si Confessarius talem ignorantem absolveret, peccaret sequendo primam opinionem probabilem, relicta secunda tutiore, adeoque exponendo Sacramentum periculo frustrationis; quod damnatur ab Inn. XI. prop. 1. Ideoque ab eodem damnatur hæc alia prop. 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C.* Hinc in articulo mortis debet confessarius breviter talem ignorantem instruere de his mysteriis, antequam absolvat. At, si nullum omnino esset tempus instruendi, absolvere eum potest, ac debet sub conditione; quia in tali casu potest, ac debet uti prima opinione probabili, & conditio apposita salvat reverentiam debitam Sacramento: in dicta enim propositione solum damnatur, quod sit *Capax* absolutionis licitæ, non autem absolutionis validæ; cum adhuc hodie maneat probabilis prima illa sententia: unde etiam infert March. apud Dian. p. 5. t. 13. r. 84. non esse repetendas confessiones factas ab eo, qui ignorabat hæc mysteria, quia probabile est, quod sit valide absolutus: v. dicta tr. 2. d. 1. q. 1. c. 1. §. 2. quæsito 3.

Dico tertio: Qui sive culpabiliter, sive inculpabiliter ignorat reliqua Mysteria Fidei ab omnibus scienda, & credenda ex necessitate præcepti, regulariter non est absolvendus, donec addiscat. Ratio est, quia hæc Mysteria sunt Symbolum Apostolorum, oratio Dominica, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, Sacramenta omnibus necessaria, scilicet Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, & quæ ad hæc recipienda requiruntur. Sed, qui talia ignorat, quamvis proponat addiscere, tamen ea communiter contingentibus præsumitur, quod nolit efficaciter addiscere; ergo regulariter differenda est ei absolutio, donec addiscat. Dixi *regulariter*; nam in articulo mortis est absolute absolvendus: item in casu necessitatis communicandum ad vitandum scandalum, aut infamiam, aut aliud grave damnum; modo doleat de sua negligentia, si fuit negligens, & proponat postea addiscere. Cæterum præceptum hæc addiscendi memoriter ex consuetudine solum obligat sub veniali: Nav. Lop. & alii contra Barbos. Quare, si ea ita imperfecte sciat, ut saltem interrogatus sciat respondere, potest licite absolvi, etsi nesciat ea memoriter recitare. Si vero nec sciat respondere, instrui prius debet, vel remitti ad Parochum, qui tenetur ex officio eum instruere. At, si quis sit adeo stolidus, ut nullam propriam rationem de his Mysteriis formare queat, est quoad hoc adnumerandus inter infantes, & perpetuo amentes: Tann. Vide dicta §. supra cit. n. 2. quæsit. 6.

§. II.

Quid de habente occasionem proximam?

OCCASIO peccandi alia est remota, alia proxima. Remota dicitur, in qua quis nunquam, aut raro admodum peccavit, nec prudenter timet, se peccaturum:

rum: ut si decies accesserit ad tale consortium, & nunquam, aut forte semel, seu raro, & potius veluti casu est lapsus; & hinc per se loquendo non videtur neganda absolutio, ex eo præcise, quod nolit eam occasionem deserere, quia aliter deberemus exire ex hoc mundo, ut loquuntur Theologi ex Ap. 1. *ad Cor.* 5. Proxima occasio dicitur, in qua quis frequenter peccavit, vel prudenter timet, se peccaturum: ut si decies accesserit, & octies, vel septies est lapsus, ea est occasio certe proxima; si vero ter, aut quater, est probabiliter proxima: Gob. *in Exper.* t. 7. n. 527. Et huic est omnino deneganda absolutio, si nolit deserere talem occasionem proximam peccandi mortaliter, quia jam est ei voluntaria; ideoque actuale peccatum, ex illo Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*, hoc est, ipse amor periculi peccatum est, ut explicant Doctores communiter: idque verum est, etiamsi periculum sit probabiliter proximum, enm hoc etiam sit præsens animæ malum: Carden. & alii contra Caram. Gob. & Mendu. Hinc ab Inn. XI. damnatur hæc prop. 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere.*

Dubium est, An talis absolvi possit, antequam tollat occasionem proximam, si serio promittat eam tollere?

Negant Con. Azor. Carden. & alii; quia, qui accessit ad Confessionem, antequam illam tollat, præsumitur, nolle eam deserere; & in hoc, quod ea non deseritur, quando potest deseri, peccatur. Sed probabilius Suar. d. 32. s. 3. Cajet. Tamb. Cordub. & alii communiter affirmant; quia potuit pœnitens immediare ante audiendo concionem, vel ipsius Confessarii admonitionem, aut alia ex causa, excitari ad verum dolorem, & efficax propositum tollendi illam, itaut possit prudenter præsumi, quod de præsenti eam nolit imposterum retinere: ergo potest absolvi saltem prima vice; nam de aliis vicibus dicam §. 3. Excipe tamen eum Tamb. publicum peccatorem, qui propter scandalum debet ejicere occasionem publicam, antequam absolvatur: excipe etiam in hac Diœcesi Neapolitana concubinarium, quem non possumus absolvere ante bimestre a separatione, juxta dicta in Append. c. 2. §. 2.

Quæres primo, An possit absolvi, qui versatur in occasione proxima necessaria, quam scilicet non potest tollere physice, vel moraliter?

Respondeo affirmative, Si aliunde ex signis veri doloris, & propositi prudenter præsumi possit, eum non relapsurum. Ratio est, quia talis occasio materialiter accepta est ei involuntaria; & ex dictis signis præsumi potest, quod non erit amplius voluntaria formaliter, & in ratione peccati: ergo non est, cur non possit absolvi. Sic absolvi potest, qui in eodem carcere detinetur cum concubina, quia est occasio physice necessaria: item Mancipium cohabitans apud dominum cum domestica secum peccante, quia est occasio moraliter necessaria, cum non possit deserere dominum sine injustitia. Item filiusfamilias, quamvis domi adsit serva, vel alia, cum qua consuevit peccare, & quam ipse expellere domo non potest; & a fortiori, si cum fratre, sorore habet occasionem peccandi, a quorum convictu moraliter sejungi nequit: Tamb. *de Confess.* l. 3. c. 3. n. 8. Idem die de eo, qui domum, officium, artem, mercaturam, &c. in quibus frequenter peccavit, deserere non potest sine valde gravi damno, quod subire vires humanas superat; puta, si deferendo incidat in periculum vitæ, scandali, infamiæ, mendicitatis, ac miseriæ: Laym. l. 5. t. 6. c. 4. n. 9. Tenentur tamen hi omnes orationibus, jejuniis, ciliciis, frequentia Sacramentorum, aliisque remediis (præsertim iis, quæ pro cujusque necessitate, ac facultate suggeret Confessarius) reddere, quantum possunt, periculum illud a se eemotum; sic enim deserunt occasionem illam formaliter, quando non possunt etiam materialiter: Doctores communiter.

Quæres secundo, An possit absolvi, qui non potest tollere occasionem proximam sine aliquo incommodo non valde gravi, si eam nolit tollere?

Respondeo negative, Quia, si damnum non est valde grave, non affert impotentiam moralem, seu superantem vires humanas ad illam ejiciendam: ergo præsumitur, quod occasio sit ei voluntaria, adeoque actu peccaminosa, & consequenter non est absolvendus, quamvis dicat firmissimum habere propositum non amplius peccandi in illa: eum hoc ipsum nolle talem occasionem tollere sit peccare, & facta sint contraria dictis. Hinc damnatur ab Alex. VII. prop. 41. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Idem est, etsi illam ejiciendo amitteret lucrum in negotio, cui illa sit necessaria, vel non posset recupetare, v.g. 100. aureos, quos illi mutuo dedit; quia ad retinendam proximam occasionem materialem non sufficit quæcumque utilitas, sed requiritur periculum damni valde gravis; quale esset, si v. g. non recuperando dictos 100. aureos, incideret in gravissimam necessitatem, & mendicitatem, ac miseriam, cui non posset alia via occurrere: Mendo v. *Occasio*, Idem dic de aliis occasionibus odii, rixæ, blasphemiæ, detractionis, delectationis morosæ &c. Imo nec potest absolvi, qui directe quærit occasionem proximam pro quocumque bono temporali, vel spirituali, sive suo, sive alieno; ut constat ex prop. 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit*, & 63. *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi*, damn. ab Inn. XI. quia ejusmodi causæ non efficiunt, ut illa occasio non sit directe volita, atque adeo peccaminosa. Dixi, *qui directe quærit*; nam Confessarius, Chirurgus &c. qui sæpe lapsi sunt in turpes consensus, audiendo confessiones, medendo, &c. absolvi possunt, si proponant, non quærere directe eas occasiones, quamvis parati sint audire confessiones, mederi &c. ab aliis rogati, & sanctis cogitationibus muniti: Doctores communiter.

§. III.

Quid de Recidivo?

Recidivus dicitur, qui post pœnitentiam relabitur in idem peccatum, sive ex fragilitate, aut consuetudine, sive ex occasione extrinseca.

Dico: non potest absolvi recidivus, si nulla appareat spes emendationis, etiamsi ore proferat, se dolere, & proponere emendationem: potest tamen absolvi, si aliqua appareat spes emendationis. Ratio deducitur ex prop. 60. damnata ab Innoc. XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem*: ergo, si aliunde appareat spes emendationis, potest licite absolvi: Porro signa talis spei sunt: si a confessione facta aliquanto rarius, difficilius, aut tardius peccavit: si sæpius sibi vim fecit, occasiones aliquas formales vitavit, locum, & tempus relabendi aliquando præcavit: si remedia aliqua adhibuit, præsertim ex præscriptis a Confessario: si sponte sua, & non ab aliis compulsus ad confessionem, & præsertim ad eundem Confessarium accedat: si statim post peccatum dolore tactus confiteri statuit, vel post multam luctam tandem resolvit: si initio graviora dicat, accuset se etiam de alias omissis, feliciter exponat numerum, & minutas circumstantias, curetque, ut omnia bene intelligantur: si petat efficaciora remedia, desideret, aut alacriter acceptet magnam pœnitentiam, optet pati ad satisfaciendum Deo, injurias ultro condonet, &c. Hæc, vel aliqua horum prudenti Confessario esse possunt argumenta sperandi emendationem, adeoque bonæ dispositionis de præsenti, & consequenter potest licite absolvere: Croix n. 1733. Contra vero, si nihil horum appareat, etiam ore proferat, se dolere, & proponere emendationem, nequit absolvi, cum in hoc tali nulla appareat spes emendationis.

Infers primo: Si recidivæ peccati proveniant ex sola fragilitate, aut consuetudine, non peccare Confessarium, si talem absolvat toties, quoties affulget ex prædictis signis spes aliqua emendationis, quia sic pœnitens ex parte sui aliquid affert: Laym. Lezan. Croix n. 1822. & D. Jeron. relatus c. *Septies* d. 4. *de Pœnit.* ait, *Non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad pœnitentiam, peccata condonentur*. An autem sit consilium differre huic absolutionem, pendet ex prudentia Confessarii; si enim pœnitens id non multum ægre ferat, & speretur, non ob id retrahendum a confessione, sed potius id fore medicinam, erit consilium differre absolutionem majori suavitate adhibita: si autem oppositum speretur, non erit consilium, nisi quando ille his peccatis magnum præberet scandalum: ita Sanch. l. 2. *Decal.* c. 33. n. 45.

Infers secundo, Si recidivæ proveniant ex occasione extrinseca, quam potens non deseruit, ut in priori Confessione promisit, neque peccare Confessarium, si absolvat secunda vice, si similiter appareat spes emendatio-

dationis, & propositi eam mox tollendi: Suar. d. 32. s. 3., & alii communius contra Fill., Con., Azor., & alios: sic etiam passim absolvitur pœnitens per hoc, quod serio proponat restituere, quamvis antea admonitus non restituerit. Addunt Cajet., Cordub., & alii, quod possit etiam tertia, & quarta vice, præsertim, si adsint specialia signa doloris, & propositi. Quod maxime valet, cum urget Præceptum communionis Paschalis, aut necessitas ad vitandum scandalum, infamiam, &c., aut non sit ille habiturus opportunitatem redeundi, aut si alias non lucraretur indulgentiam, juxta dicta c. 2.

Quæres, An possit absolvi pœnitens, qui versatur in occasione proxima sibi necessaria, & adhibitis omnibus remediis semper labatur, ut prius?

Respondeo, non posse absolvi, nisi proponat, eam deserere etiam cum periculo omnium bonorum, famæ, vitæ, &c. Ita Cajet., Nav., Lop., Regin., & alii communiter contra Pal., Tamb., Pallav., Gob. & alios. Ratio est, quia fugiendum est periculum formale peccati, etiam cum periculo vitæ, si aliter vitari non possit; velle enim manere in illo est velle peccatum, & quisque tenetur potius mori, quam peccare: ergo, si hic nequit efficere, ut occasio illa necessaria evadat sibi remota formaliter, tenetur eam deserere etiam cum quovis suo damno; & consequenter, si nolit, non est absolvendus, utpote indispositus. Neque hinc inferas, quod neque posset absolvi, qui similem habens occasionem peccandi venialiter, nolit eam deserere: nam licet, similis esset obligatio, cum præstet potius mori, quam peccare etiam venialiter; tamen hæc obligatio est sub levi, ideoque absolutio cadere posset in alia ejus peccata.

QUÆSTIO V.

De Sigillo Confessionis Sacramentalis.

VIDENDUM, Primo, Quid sit Sigillum Confessionis, & Quæ ejus Materia? Secundo, Quos, & ad Quid obliget? Tertio, An possit aliquando Confessarius uti notitia habita in Confessione?

CAPUT I.

Quid sit Sigillum Confessionis, & quæ ejus Materia?

DICO primo: Sigillum confessionis est strictissima obligatio non revelandi, neque directe, neque indirecte ea omnia, quæ cognita sunt ex confessione Sacramentali alterius, & quorum revelatio redderet confessionem odiosam: Doctores communiter. Ratio talis obligationis deducitur non solum ex jure naturali, & Ecclesiastico, sed præcipue ex jure Divino per traditionem noto, quo Christus indispensabiliter noluit, tale sigillum posse revelari, ne pro salute quidem Confessarii, aut ipsius pœnitentis, aut etiam totius mundi; ne scilicet periculum sit, confessionem Sacramentalem a se institutam reddi Fidelibus suis odiosam. Hinc differt Sigillum Sacramentale a secreto naturali, quia oritur unice ex confessione, & ex jure tum naturali, tum divino obligat in omni casu, itaut nec Pontifex, nec tota Ecclesia possit in eo dispensare: itaque violator sigilli dupliciter peccat; tum scilicet contra Justitiam ratione pacti tacite initi cum pœnitente, adeoque graviter, vel leviter pro quantitate materiæ; tum præcipue contra reverentiam debitam huic Sacramento (quod peccatum semper est grave sacrilegium, etsi materia revelata sit levis) nullam tamen incurrit irregularitatem, utpote non expressam in jure, Suar., & alii communiter contra Majolum: verum est deponendus, & detrudendus in Monasterium, si sit Sacerdos; si laicus, puniendus est pœna extraordinaria; ex cap. *Omnis utriusque sexus, de Pænit., & Remiss.* Et, si putet, id sibi licere, est denunciandus ad inquisitionem: Molfes., & alii communiter.

Infers primo, Hoc sigillum unice oriri ex confessione Sacramentali, hoc est, ex manifestatione peccati facta cum animo se accusandi in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ: quare habetur, etiamsi talis confessio fiat Sacerdoti non approbato, nec habenti jurisdictionem, nec intentionem absolvendi, quia sufficit, si bona fide fiat cum animo se accusandi, &c. Doctores communiter. Item, etiamsi fiat Confessario nolenti audire, ut addunt Dian., Lug., & alii contra Suar., Averf., Leand., & alios; sicuti etiam, qui invitus audit peccatum confitentis alteri, tenetur ad sigillum ex communi sententia. Item, etiamsi confessio fiat laico, qui se finxit Sacerdotem; quia adhuc fit bona fide cum animo se accusandi, &c. Suar., Bon., & alii communiter contra Laym., Nugn., & alios: secus vero, si scienter fiat laico humilitatis causa: Suar., Bon., Vasq., & alii contra Nav., Palud., Leand., & alios. Item, etiamsi fiat confessio in Confessionario, putando adesse Confessarium, qui revera non adest; quia sic etiam fit cum animo se accusandi, &c.: ideoque, si quis tunc aliquid audierit, tenetur ad sigillum: Gob., Croix, & alii: secus vero, si quis rudis peccata sua dicat coram statua alicujus Sancti, quia credibile non est, quod id faciat ex animo se accusandi in ordine ad Sacramentum: Gob. t. 7. n. 824.

Infers secundo, Oriri hoc sigillum, etiamsi talis confessio quacumque ex causa non finiatur, vel non sequatur absolutio, & hæc sit invalida; quia sufficit, si inchoata sit confessio cum dicto animo: Doctores communiter. Item, etiamsi facta sit absque dolore, proposito, integritate, aliisque requisitis ex parte pœnitentis, modo adsit dictus animus. Item, etiamsi dixerit quis peccatum suum confessario ad habendum consilium pro pacanda conscientia, cum animo tamen confitendi, si opus fuerit; quia sic habetur etiam inchoative, vel saltem reductive confessio. Item, etiamsi prius peccata ei enarravit mere historice, vel ex jactantia, si tamen postea ex corde eidem adhuc memori addat, *Me accuso de antea tibi enarratis:* Item, si peccata scripserit ei absenti, cum animo tamen, ut postea ab eodem præsente ab illis absolvatur, secus, si sine tali animo, vel si cum animo, ut absolvatur ab eo absente: Croix n. 1939.

Infers tertio, Nullum haberi sigillum, si quis simulet se confiteri, itaut nullum dicat peccatum, sed tantum petat schedulam confessionis. Item, neque si dicat peccata cum animo, non quidem se accusandi in ordine ad Sacramentum, sed sollicitandi, aut injuriandi Confessarium, aut jocandi, furandi, &c. Item, neque si dicat peccatum cum animo tantum habendi consilium pro vitanda pœna, infamia, aliove damno, &c., nullatenus vero cum animo se accusandi in ordine ad Sacramentum; idque verum est, etiamsi illud peccatum dicat in confessionario; imo etiamsi addat, se illud dicere sub sigillo confessionis, & confessarius etiam sub sigillo acceptet: Suar., Vasq., Fil., Gob. & alii communiter; qui tamen addunt, servandum secretum naturale pro qualitate, & quantitate materiæ.

Dico secundo: Materia sigilli est omne id, quod, si revelaretur, redderet confessionem Sacramentalem merito odiosam. Ratio patet ex dictis. Hinc materia sigilli sunt

Primo, Omnia, & singula mortalia, tum in genere, tum in specie, etiamsi sint dubia, aut putata, aut alias confessa, aut etiam designata in futurum, modo cognita sint ex confessione Sacramentali, in qua proinde, si voce alta Confessarius interroget pœnitentem, *Quoties peccaveris*, frangit sigillum, quia revelat adstantibus, materiam esse gravem: similiter, si alta voce acriter increpet, vel imponat pœnitentiam gravem: similiter, si injungat magnam pœnitentiam publicam pro peccatis occultis, nisi consentiat pœnitens: Nav., Fagun., & alii; imo sunt etiam materia sigilli peccata publica, itaut non possit Confessarius de Titio publico usurario dicere, *Cum magna contritione confessum esse sibi suas usuras;* si autem peccatum esset aliunde notum Confessario, non frangit sigillum, si de eo loquatur, nulla facta mentione confessionis, nec certius, vel amplius affirmet, quam quod extra confessionem novit; quia confessio non privat jure loquendi de rebus, quas ante, vel post aliunde novit; modo addat, unde sciverit, ad tollendam omnem suspicionem revelationis confessionis: Nav., Suar., & alii communiter contra Heur., Fariu., Abb., & alios.

Secundo, Sunt materia sigilli omnes circumstantiæ, & ea omnia, quæ dicta sunt a pœnitente ad explicandum suum peccatum, etiamsi non essent necessaria, nec forte utilia ad illud explicandum: ut si ad explicandum suum peccatum dixerit, se esse pauperem, illegitimum, aut alium defectum, vel circumstantiam, quam pœnitens non libenter diceret extra confessionem: secus vero est de aliis defectibus naturalibus, qui ex modo confitendi innotescunt, ut quod sit blæsus, rudis, tardi ingenii, &c.; vel de aliis circumstantiis, quas pœnitens non ægre vult sciri, ut quod sit Sacerdos, Uxoratus, Germanus, &c. Lug., Tamb., Averf. q. 18. s. 4. Sub sigillum etiam cadunt pœnæ peccatorum, ut censuræ, inhabilitates, item impedimenta cognita ex confessione.

Tertio, Sunt materia sigilli omnia, & singula venia-

lia

lia in specie; ut si Confessarius revelaret, Titium sibi confessum *verbum otiosum*: non autem venialia in genere; ut si dicat, confessum esse *Venialia*; quia hoc non alium significat, quam quod receperit Sacramentum, in quo aliquod saltem veniale absolvi debet. Si vero dicat, *Plura*, vel *Nova venialia*, Henr., Lug., & alii contra alios apud Croix n. 1972. dicunt; frangi sigillum, quia potuit confiteri unum, vel tantum vetera; tutius ergo erit dicere, confessum esse *materiam venialem*. At, si auditis duorum confessionibus, de uno dicat, habere tantum materiam venialem, esse timoratæ conscientiæ, &c., frangit sigillum, si hoc dicat respective ad alterum, quia indirecte significat, alterum non esse talem: secus vero, si absque ullo ejusmodi respectu: Suar. d. 33. s. 3. n. 9., & alii.

Quarto, Sunt materia sigilli etiam scrupuli, si eos pœnitens afferat ad declarandam conscientiam, aut peccata: Lug. d. 23. s. 5. n. 60. contra Marchant. Si autem cognoscantur tantum ex modo confitendi, negat Lug., frangi sigillum, cui adhæret Tamb., si sint palam noti: addit Leand., posse dici, *Illum esse scrupulosum*, quia regulariter loquendo, id potius est indicium bonæ, & timoratæ conscientiæ; sed Croix ait, perinde esse, sive Confessarius eos audierit, sive viderit in pœnitente; cum jam noverit ex ipso actu confessionis, & molestum esset pœnitenti, si promovendus esset ad Prælaturam, & Confessarius diceret, eum esse scrupulosum, irresolutum, morosum, &c., idemque ait de aliis defectibus mere naturalibus.

Quinto, Sunt materia sigilli etiam vota, virtutes, aliave bona pœnitentis, si ab eo dicta sint in ordine ad declaranda sua peccata: sic, si habens votum castitatis confiteatur, se fornicatum fuisse, votum cadit sub sigillum: Lug. d. 23. n. 52. Similiter, virtutes, aut dona divina cadunt sub sigillum, si pœnitens confiteatur, se fuisse pro his ingratum, &c. Lug. n. 48. Secus vero, si hæc dicat quidem in confessione, non tamen ratione alicujus peccati, sed tantum, ut status animæ suæ innotescat Confessario: Lug., Stoz., Croix, & alii.

Sexto, Sunt materia sigilli etiam peccata aliena dicta a pœnitente, ut connexa peccatis propriis: ut, si mater dicat, se imprecatam esse filio furaci, moroso, imprudenti, &c., hæc vitia sibi cadunt sub sigillum: Stoz., Croix, & alii. Similiter peccatum complicis dictum etiam absque necessitate in confessione est materia sigilli, quia aliqualiter ad eam confessionem spectat: Suar., Aversa, & alii contra De la crux. Contra vero non cadunt sub sigillum peccata aliena, si tantum historice in confessione narrentur, & absque ulla prorsus connexione cum propriis, quia sic se habent omnino impertinenter ad confessionem; quamvis etiam tunc cavendum est scandalum, & offensio pœnitentis, ut bene monet Croix n. 1948.

Septimo demum, Cadit sub sigillum etiam id, quod dubitatur, an sit materia sigilli: ut si Confessarius dubitet, an aliquid audierit intra, an extra confessionem, &c., quia in dubio standum pro pœnitente, ne confessio fiat odiosa: Suar., Bon., & alii communiter contra Bardi, cujus opinio habet plus speculativæ, quam practicæ probabilitatis: Gob. n. 848. Idem ait Croix, si tantum probabile sit, quod nulla sit fractio sigilli; quia sequendo meram probabilitatem contra pœnitentem, confessio hominibus etiam fieret odiosa: ideoque expedit sequi eas Doctorum opiniones, quæ favent sigillo, quia in pari probabilitate non prævalet possessio tuæ libertatis, cum obstet periculum saltem, quod confessio reddatur odiosa: Dian., Gob. t. 7. n. 855.

CAPUT II.

Quos, & ad quid obliget Sigillum?

DIco primo: Sigillum obligat omnes, & singulos, ad quos notitia materiæ sigillo clausæ, sive immediate, sive mediate, sive licite, sive illicite, pervenerit: Doctores communiter: ratio est, quia quivis horum, si revelaret, redderet confessionem Sacramentalem merito odiosam.

Hinc obligatur Primo, Confessarius, etiam potatus, juxta dicta c. 1., non autem pœnitens circa ea, quæ novit ex Confessario in sua confessione, quod scilicet sit indoctus, imprudens, &c.; quia sigillum non est a Christo inductum in gratiam Confessarii, sed Pœnitentis: Aversa s. 5., & alii communiter contra Adrian., Palud., & Nav.; tenetur tamen pœnitens secreto naturali circa defectus sui Confessarii, ut patet.

Secundo, Obligatur Superior, a quo petitur licentia absolvendi aliquem a reservatis, vel cui se sistit, qui fuerit absolutus ab alio cum onere, &c. Suar., Lug., Dicast. dicens, hoc esse certum contra Con., Vasq., & alios.

Tertio, Obligatur interpres pœnitentis: D. Th., Suar., & alii communiter contra Cajet., & Sot. Item, qui per examen peccatorum dirigit aliquem ad confessionem, etiam cras faciendam alteri: Croix n. 1952., & alii contra Con., & Henr. Item is, cui quis dictat sua peccata, ut postea ex ejus scripto confiteatur alteri: Præp., & alii.

Quarto, Obligatur, qui, sive ex industria (in qua peccat mortaliter) sive ex casu, aut necessitate audit, dum pœnitens confitetur alteri: D. Th., & alii communiter contra Sot., Henr., & Becan., & similiter ille, cui talis auditor illicite revelavit, aut Confessarius licite, vel illicite dixit, & sic de reliquis, ad quos talis notitia pervenerit; quia transit cum suo onere sigilli. Si vero pœnitens omnino sponte ad majorem sui confusionem publice confiteatur coram Confessario, & aliis, Con., & Pal. putant, solum Confessarium obligari; Stoz vult, obligari etiam alios, si ita velit pœnitens; Lug. d. 23., & Aversa s. 5. dicunt, ipso facto censeri datam licentiam omnibus.

Quinto, Obligatur, qui legit chartam confessionis traditam a pœnitente Confessario, & ab hoc deperditam; quia esset idem, ac si audisset in confessione: Vivald., Veg., Laym., Lug., & alii contra Henr., Gran., & alios; & peccat insuper, si advertenter legat. Si autem legat, antequam tradatur Confessario, Pal., Aversa, & alii multi dicunt, obligari solum secreto naturali, quia ea charta non est actualis confessio, nec signum, quo pœnitens manifestat peccata Confessario; sed tantum, ut ea sibi manifestet, & memoria retineat: sed contradicunt Nav., Veg., Graf., Dian., Gorm. & alii, quia videtur esse quædam inchoata confessio, quod ex communi sententia est verum, si charta sit pœnitentis muti, quia sic intendit manifestare peccata sua Confessario: si autem missa sit Confessario distanti, non censetur in ordine ad confessionem; cum nemo possit, neque adeo præsumatur velle sic confiteri: Croix, & alii.

Dico secundo: Qui obligatus est sigillo, in nullo prorsus casu, neque directe, neque indirecte, potest ejus materiam ulli revelare, nec ipsi pœnitenti, nec alteri scienti etiam sub sigillo, nec etiam post mortem pœnitentis; nisi vel aliunde materiam illam sciverit, vel nullum sit periculum revelandi pœnitentem, vel habuerit ab hoc expressam licentiam: Doctores communiter. Ratio est, quia secus redderetur merito odiosa pœnitentibus confessio: ideoque D. Th. *in suppl.* q. 11. a. 1. ad 1. *Ex confessione scitum est quasi nescitum*; imo, *Minus scit, quam qui nescit*, ut loquitur D. Augost. Hinc maxime caveat Confessarius, ne in confessione loquatur de auditis in confessione aliorum, præsertim complicis: &, si quis accuset, se audivisse confessionem alterius, præstat aliquando non eum monere de obligatione sigilli, ne forte ex malitia id dixerit, ut sic confirmetur sua suspicio. Caveat etiam Confessarius, vel quicumque viderit aliquem clam confiteri Confessario extraordinario, id aliis dicere, ne scilicet ingerat suspicionem peccati gravioris. Caveat item Parochus daturus Viaticum ægro, ne interroget Confessarium, an absolverit, sed solum interroget, an sit ille confessus, ne scilicet Confessarium incautum exponat periculo frangendi sigillum: Croix, Gorm., & alii. Porro quilibet Confessarius, si ab aliis interrogetur, potest, & debet negare peccatum pœnitentis, &, si opus fuerit, cum juramento, quomodocumque interrogetur, etiam ut Confessarius, quia habet scientiam omnino incommunicabilem, adeoque perinde est, ac si nihil sciret. Advertat tamen, quod, si interrogetur, an v. g. publica meretrix ipsi jam confessa dixerit suas fornicationes, tunc non potest positive negare, quia inde inferretur, confessionem non fuisse integram; debet ergo, vel remittere interrogantes ad pœnitentem; vel dicere, ipsam confessam esse, & se functum suo officio: Henr., Gorm., & alii. Si autem eam non absolvit (quod caute fieri debet, ne advertant adstantes) & tamen ipsa petat schedulam confessionis; tunc, si nullum dixit peccatum, potest negare, quia nulla habetur ne inchoata quidem confessio. Si vero cum animo se accusandi dixit aliquod peccatum, probabilius non potest negare, si soleat dare aliis; quia negare esset indirecte manifestare, quod confessam non absolverit: Con., Laym., Avers., & alii contra Bonac., Fagund., & alios.

Dixi primo: *Nisi aliunde materiam illam scierit*; si enim peccatum pœnitentis esset aliunde notum Confessa-

sario, hic non frangit sigillum, si de eo loquatur, nulla facta mentione confessionis, nec certius, vel amplius affirmet, quam, quod extra confessionem novit, quia confessio non privat jure loquendi de rebus, quas ante, vel post aliunde scit; solum ergo caveat, ne appareat loqui ex notitia confessionis: Nav., Suar., & alii communiter contra Henr., Abb., Farinac. Hine, si publicus peccator, quem non absolvit, petat ab eo Communionem, Viaticum, Extremam Unctionem, &c., potest, & debet negare etiam publice petenti; quia utitur notitia publica, & quam ipse etiam aliunde habet: ne tamen revelet negationem absolutionis, dicat, *Cum sis publicus peccator, debes ante Communionem, &c. publice ostendere, quod mutaveris malam vitam*: Regin., Lug., Aversf., & alii.

Dixi secundo: *Nisi ullum sit periculum revelandi pœnitentem*; quia, si nullum sit tale periculum, nulli redditur odiosa confessio. Hine Confessarii passim consulunt viros doctos de casu in confessione audito, tacendo personam pœnitentis. Contra vero, si aliquod sit ejusmodi periculum etiam suspicandi de illa, non possunt; ideoque, si Confessarius non possit aliter confiteri suum peccatum, nisi cum periculo manifestandi peccatum sui pœnitentis, debet illud tacere, juxta alibi dicta: si dicat aliis, *Primus mihi confessus fuit adulter*, exponit se periculo frangendi sigillum, quia facile sciri potest, quis fuerit ille primus: item si dicat, *Hodie Mulier, Sacerdos, &c. mihi confessus est furtum*; quia exprimendo statum, & tempus, facit, ut persona in suspicionem prudenter venire possit: Fagun., & alii: item, si coram pœnitente, & aliis multis dicat, *Unus vestrum adulteravit*, frangit sigillum; quia merito reddit pœnitenti confessionem odiosam. Quod autem cap. *Sacerdos, de Off. Jud. Ord.* dicitur, *Pœnitentem argui posse indeterminate, sicut dixit Christus, unus vestrum me traditurus est*, intelligi debet de peccato aliunde noto: Sylv., & alii. Similiter, si de aliqua Communitate, Monasterio, vel Cœtu dicat, inesse aliquod peccatum, peti licentiam a reservatis, &c.; quia quilibet est pars magna parvæ Communitatis; unde est non leve periculum suspicandi de reo: Suar., Vasq., Bonac., Lug., & alii communiter contra Nav., Aversf., & alios. Secus vero, si id dicat de ampla Civitate, quia omnes sciunt in magna Republica esse peccata cujusvis generis; nec est periculum, ut Rei innotescant: Bon., Gran., Leand., & alii: etsi sæpe expediat ab his locutionibus abstinere, cum sæpe adsit saltem scandalum.

Dixi tertio, *Nisi habuerit a pœnitente expressam licentiam*; quia sigillum inductum est a Christo in gratiam pœnitentis, qui proinde potest illud relaxare: D. Th., & alii communiter contra Gabr., Duran., & alios. Debet autem hæc licentia esse espressa (nec satis est tacita, vel præsumpta: Doctores communiter contra Graff.) sive facto, ut si pœnitens incipiat loqui cum Confessario de alias dictis in confessione, & sic dat licentiam loquendi secum; sive verbo, ut si dicat, ut de his loquatur cum alio. Debet etiam esse omnino libera, itaut non valeat, si sit ob metum reverentialem, aut ob preces importunas concessa: Nav., Henr., Suar., & alii communiter. Debet etiam esse concessa in bonum, itaut, si sit in malum pœnitentis, aut aliorum, non valeat: Nav., & alii; si autem ad animi solatium, valet: Leand. Debet denique stricte accipi, itaut, si dicat, *Do licentiam, ut loquaris cum Titio*, debeas cum aliis servare sigillum, & dicere Titio, te loqui ex licentia pœnitentis de auditis in confessione, ut scilicet Titius accipiat sub eodem sigillo: si dicat, *Quod dixi, sit tanquam dictum extra confessionem*, tunc, etsi possis loqui cum aliis, at non potes dicere, te audivisse in confessione, quia non loqueris ex ea notitia, neque ex facultate respectu illius, sed ex nova notitia: Suar. d. 33. s. 5. n. 7.

Infers hinc, Quod si Confessarius velit loqui cum pœnitente extra confessionem de auditis in illa, debeat prius petere ab eo licentiam: Suar., Nav., & alii communiter contra Palud.; itaut, si pœnitens neget licentiam, debeat Confessarius tacere: Dian. p. 1. t. 11. r. 18., & alii communiter contra Suar., cujus sententiam probabilem dixi q. 4. c. 2. in eo tantum casu, quo oblitus fuerit illum absolvere, quia non erat completum Sacramentum: Cæterum, si statim post absolutionem occurrat error emendandus, potest loqui etiam non petita licentia, quia, quæ fiunt in continenti, inesse dicuntur: Henr., Gran., & alii: idem est, si postea ad confessionem redeat, quia pertinet ad idem omnino forum: Gran., Leand., & alii contra Fag., & Dian.

CAPUT III.

An aliquando possit Confessarius uti notitia habita tantum in confessione?

Dico primo: Illicitum est uti scientia confessionis cum aliquo gravamine pœnitentis, etiamsi absit omnis revelatio sigilli, & etiamsi multo gravius gravamen pœnitentis sequeretur ex non usu talis scientiæ. Ita decretum est in Congr. Gen. universalis Inquis. sub Inn. XI. 18. Nov. 1682., quæ damnavit hanc in terminis prop. *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur*. Ratio est, quia, quamvis abesset omne periculum revelandi sigillum, & ita clam fieret, ut nemo prorsus adverteret, tamen adhuc merito redderetur fidelibus odiosa confessio, si scirent, aliquod gravamen sibi fieri posse ob notitiam datam in confessione. Quod verum est, etiamsi gravamen sit parvum, & multo gravius gravamen pœnitentis sequeretur ex non usu talis scientiæ; quia semper magni momenti est gravamen publicum, quod scilicet in omnes redundaret per hoc, quod sibi persuadeant, posse licite Confessarium uti scientia confessionis cum aliquali gravamine pœnitentis, & simul posse facile Confessarium ex nimio zelo, aut ex proprio affectu induci ad putandum, quod gravamen hic & nunc sit leve, &c., unde confessio ex hac persuasione redderetur merito odiosa.

Hinc non amplius probabilis est sententia eorum (quos supra 40. refert, & rejicit Sanch. l. 3. *Matr.* d. 16. n. 1.) dicentium, Confessarium ex sola notitia confessionis posse indigno negare Eleemosynam, Sacramenta, Ordines, Suffragium gratuitum, & Secretum in electione gratuita, Beneficium, &c., quæ alias esset daturus; quia, etsi absit revelatio sigilli, habetur tamen gravamen pœnitentis. Similiter nec potest ex tali notitia removere aliquem ab officio etiam ad nutum auferibili, nec expellere famulum confessum ei suum furtum, nec ostendere illi vultum severiorem, nec desistere a committendis ei negotiis, nec specialem inquisitionem instituere circa subditos, nec dicere alteri, ut invigilet super familiam suam, &c., Immo addunt Lug., Aversf., Croix n. 1977., frangi sigillum, etiamsi in confessione juberet, famulum clavem reddere, aut sua sponte discedere, quia hæc jussio est actus non spectans ad confessionem. Similiter non est amplius probabilis sententia Fagund., Tamb., & aliorum putantium, posse Superiores Regolares ex sola notitia confessionis statuere novas leges, crebrius visitare, claves reficere, ostium claudere, licentiam solitam exeundi negare, mutare cubicula, &c., etiam seclusa omni periculo revelationis; quia semper adest gravamen pœnitentis, nisi ipse licentiam dederit: ideoque expresse Clem. VIII. 26. Maji 1594. prohibet Superioribus Regularibus, *Ne notitia confessionis utantur ad exteriorem gubernationem*.

Dico secundo: Non est illicitum uti scientia confessionis, si nullum sit gravamen pœnitentis; vel si ex non usu deberet confessarius facere aliquid intrinsece malum: Doctores communiter. Ratio est, quia non eodem pacto prohibetur revelatio sigilli, ac usus scientiæ confessionis; illa enim est semper illicita, etiamsi fieret in bonum pœnitentis: hic vero est solum illicitus, quando cedit in gravamen pœnitentis; si ergo nullum sit tale gravamen, erit licitus. Hinc ex notitia confessionis potest Confessarius omittere modum suum agendi, quem novit pœnitenti esse ingratum; familiarius cum eo se gerere ob spiritualem ejus indigentiam, vocare ad se, & volentem exercere studiis, ut sic honeste occupetur, & abducatur a malis consortiis; etsi enim ille advertat, propter peccata confessa id fieri, tamen censetur ipso facto dare ad id licentiam, si scilicet non ostendat, id sibi esse molestum: Lug., Aversf., Bus., Croix n. 1970.

Dixi: *Vel si ex non usu, &c.*: v. g. Si maritus invita uxore suscepit Sacerdotium, & audiens ejus confessionem in articulo mortis intelligit peccatum, ex quo scit, matrimonium ab initio fuisse nullum; ea postea convalescente, & petente debitum, non posset reddere, quamvis ipsa adverteret eum negare ex notitia confessionis. Ratio est, quia talis redditio debiti esset intrinsece mala: Croix n. 1978. Addit Ills n. 253., si sciam ex confessione, aliquem non esse Sacerdotem, posse desinere ei confiteri, quia sic simulare susceptionem Sacramenti est intrinsece malum; sed probabilius dicit Lugo, me posse, ac de-

debere pergere ire confiteri; quia dicere peccata non Sacerdoti absque intentione absolutionis non est intrinsece malum, & ex causa justa talis simulatio, & cooperatio ad peccatum illius videtur tantum materialis. Similiter, si Episcopus ex confessione sciat, aliquem non esse Sacerdotem, non ideo posset illum non designare in Confessarium, si alias hoc erat facturus, quia sic materialiter tantum, & ex justa causa cooperatur his sacrilegiis: Dicastil. ap. Croix n. 1977. Item Sacerdos non potest non communicare eum aliquo, quem ex sola confessione scit esse excommunicatum vitandum: neque potest non celebrare in Ecclesia, quam ex sola confessione scit esse publice pollutam; nisi vero nec revelatio sigilli, nec ullum gravamen pœnitentis inde resultet: Aversf. s. 8.

At, quid, si Sacerdos celebrens ex confessione sciat, in Calice esse venenum; vel ex confessione sciat, domi parari sibi mortem, aut in itinere parari sibi insidias, aut machinari in Principem, in Religionem, &c. Dico, si pœnitens nolit dare licentiam, & sit periculum revelendi sigillum, aut sit aliquod gravamen pœnitentis, teneri propinare venenum, exponere se periculo, &c. quare muniat se orationibus, & in divino auxilio speret, quod non sit aliquid mali eventurum: sic enim se, & omnia Deo committendo, rem ei gratissimam facit ad reverentiam Sacramenti, simulque ad augendam apud omnes securitatem sigilli, & ad omne pœnitentis gravamen vitandum: Croix, Viv. & alii post Decr. cit. Inquisitionis contra alios hodie non facile probandos. Hæc de Pœnitentiæ Sacramento dicta sint satis.



TRA-

TRACTATUS VII.

Theologico-Moralis

DE SACRAMENTO MATRIMONII.



AMplissimam æque, atque implexam materiam aggredimur: sed valde utilem, ac scitu necessariam, tum utriusque juris Doctoribus, tum maxime Confessariis, & Parochis, ob multiplicem doctrinam, quam continet, pro decisione casuum, qui hac potissimum in re frequenter occurrunt. Equidem, ut brevitati simul, & claritati consulam, universum Tractatum in quinque Disputationes distribuo; quarum I. Erit de Impedimentis: II. De Sponsalibus: III. De Matrimonio secundum se: IV. De Debito conjugali: V. De Divortio.

DISPUTATIO I.

De Impedimentis Matrimonii.

IMpedimentum Matrimonii est *Circumstantia quadam, cum qua matrimonium vel non valet, vel non licet*. Hinc duplicis sunt generis impedimenta; quædam enim reddunt matrimonium invalidum, quædam dumtaxat illicitum: & priora dicuntur dirimentia, posteriora mere impedientia. De utrisque est hic agendum; sed antea agendum de Potestate statuendi hæc impedimenta.

QUÆSTIO I.

De Potestate statuendi Impedimenta Matrimonii.

QUamvis contractus matrimonialis pertineat ad jus naturæ; certum tamen est, posse legem humanam in illum inducere impedimentum aliquod, quod ab ipsa natura non insit. Nam, licet lex humana nihil possit in jus naturæ præceptivum, prohibendo, quod illa præcipit, vel præcipiendo, quod prohibet; potest tamen in jus naturæ permissivum (qualis est contractus matrimonialis) prohibendo hoc, vel illud, quod seclusis circumstantiis simpliciter liceret: sic enim tantum modificat libertatem naturalem, ut notat Croix hic n. 515. Videndum hic I. Quis possit impedimenta statuere? II. Quos obligent? III. In quo casu?

CAPUT I.

Quis possit Impedimenta Matrimonii statuere?

DIco primo: Circa matrimonia infidelium potest quivis Princeps Secularis sive fidelis, sive infidelis: Ita communiter cum D. Th. Bellarm. Sanch. l. 7. d. 3. Ratio est, quia & hi sunt veri Principes, & matrimonium infidelium non est Sacramentum, sed merus contractus civilis: ergo possunt in illud, ut in reliquos contractus, impedimentum inducere. Excipe cum Sanch. n. 6. Remp. Hebræorum, quæ, cum hodie non sit libera, nec Principem habeat, nequit matrimonii impedimenta statuere; & statuta a Lege Mosayca *Levit.* 18. exspirarunt cum eadem Lege in Christi morte: nisi vero duret adhuc impedimentum aliquod ab ipsismet ante Christi mortem statutum, ut bene notat Sotus apud eundem. Itaque, si infideles in loco suo Principi subjecto contraxissent contra ejus leges matrimonium irritantes, & deinde converterentur, deberent separari, nisi iterum velint contrahere juxta leges Ecclesiæ: Sanch. n. 4. Dixi *In loco, &c.* Nam extra illum non adstringuntur legibus sui Principis, nisi eadem sit lex civilis Principis loci, in quo reperiuntur; at non, si eadem sit lex Ecclesiastica, quæ solos Fideles afficit: Sanch. n. 10.

Dico secundo: Circa matrimonia Fidelium potest Ecclesia statuere impedimenta. Est de Fide ex Trid. *sess.* 24. *can.* 3. Ratio etiam est, quia, licet Ecclesia non possit mutare formaliter institutionem Christi, qua voluit, ut contractus matrimonialis Fidelium sit Sacramentum, debet tamen posse statuere, quinam sit, vel non sit legitimus ejusmodi contractus; cum id Christus in specie non determinaverit. Jam vero, licet olim Episcopi constituerint impedimenta, nunc tamen certum est, talem potestatem esse reservatam Papæ, & Concilio generali, ex consuetudine saltem, ut communiter notat Sanch. l. 7. d. 1. n. 9. Episcopus autem solum potest, ultra pœnas a jure statutas circa impedimenta, alias pœnas addere, ut notat de Lugo l. 2. *Consil.* d. 45. An autem possit Episcopus inducere impedimenta circa sponsalia, dicemus disp. sequ.

Dico tertio: Non possunt de facto Principes Seculares statuere leges, & impedimenta circa matrimonia Fidelium. Ita communiter cum D. Th. in 4. d. 41. q. 2. a. 2. ad 4. & colligitur ex cap. *Euphemium* 2. q. 3. & c. 1. *de Sponsal.* & cap. *Tuam*, *de ordine cognationum*. Ratio est, quia, licet materia matrimonii Fidelium sit contractus civilis, & in quantum talis subjacere possit legibus civilibus, ut notat idem D. Th. 4. *contra Gentes*; attamen, cum a Christo sit elevata ad rationem Sacramenti, adeoque jam sacra, subducta jam est a potestate laicali: ut Ordinatus in Sacris ab eadem potestate eximitur. Neque obest, quod in Gallia Principes Regii sanguinis non possint sine consensu Regis valide contrahere; nam, si ita est, fit ex approbatione Ecclesiæ: Ponc. l. 6. c. 1. Hinc recte Aversa q. 9. s. 1. rejicit Sanch. n. 6. & alios, qui putant, Principes saltem infideles posse circa matrimonia fidelium sibi subditorum inducere impedimentum, eo quod ii constitutionibus Ecclesiasticis non arctantur, cap. *Gaudemus*, *de divort.* Nam, licet Principes illi non arctentur, arctantur tamen Fideles, cum Sacramentum matrimonii, hoc est, rem Sacram conficiunt.

Infers, nullum Magistratum civilem posse imponere pœnas fidelibus, qui e. g. sine consensu parentum, vel cum aliquo extraneo contrahunt; quia, ubi nulla est prohibitio Ecclesiæ, matrimonia debent esse libera, cap. *Gemma, de Sponsal.* Quod, si volens adjuvare prohibitionem Ecclesiæ imposuerit pœnam illis, qui cum aliquo impedimento contraxerint, nec poterit pœnam talem exigere, si Ecclesia dispensaverit, quia, ubi nulla culpa, ibi nulla debet esse pœna, & matrimonia debent esse libera. Noto tamen, licitas esse leges civiles, quibus sancitur, ut si quis e. g. gaudere velit hoc, vel illo privilegio, munere, &c. sit cælebs, vel non ducat uxorem alienigenam, &c. quia sic non fertur lex sub pœna, neque adeo statuitur impedimentum proprie dictum, sed solum requiritur honesta quædam conditio ad tale privilegium, &c. quam servare qui nolit, libere abeat: Tanner. d. 8. q. 4. n. 14. Hinc probabiliter putat Gob. tr. 9. n. 21. contra Acugnam, & alios, valere statutum Mutinense, quo cavetur, ut mulier, quæ ex seipsa nupsit alicui forensi, sit incapax ex testamento, vel ab intestato, bonorum districtualis Mutinæ; quia proprie non prohibet nuptias cum forensi, sed beneficium successionis lege positiva inductæ non impertit; unde nec Doctores, nec Nuntii Apostolici ibi commorantes illud habent pro irrito.

Quæres, An saltem consuetudo inducere possit novum impedimentum matrimonii fidelium?

Respondeo cum Sanch. Less. & aliis, posse, ut colligitur ex cap. *Super eo, de Cogn. Spir.* ubi quæstio erat, an valeret matrimonium inter duorum compatrum filios: & dicitur, *De his te volumus consuetudinem tuæ Metropolitanæ Ecclesiæ, & aliarum circumpositarum exquirere*. Verum, cum consuetudo non habeat ex virtute propria vim legis, sed ex consensu saltem tacito Principis, sequitur, ut ejusmodi impedimentum adhuc esset a Pontifice inductum, eam consuetudinem tacite approbante.

CAPUT II.

An Leges Ecclesiasticæ statuentes impedimenta matrimonii obligent omnes ?

Certum est primo, Irrita esse matrimonia etiam hæreticorum, etiam infidelium, facta cum impedimento dirimente juris divini, & naturalis, puta ligaminis, consanguinitatis in primo gradu lineæ rectæ, &c., quia nulla esse potest rationabilis consuetudo contra jus divinum, ac naturale. Certum est secundo apud Gob. tr. 9. n. 41., Irrita esse matrimonia etiam hæreticorum facta cum impedimento impediente juris divini, & eodem simul dirimente juris Ecclesiastici, puta cum voto solemni castitatis, quia nulla consuetudo potest tollere vim legis, nisi ex consensu Principis saltem præsumpto; atqui hoc ipsu, quod Deus vetat ut illicitum matrimonium cum tali voto, præsumendum non est, Pontificem in illud consentire; cum Romani Pontificis sit omni ratione tueri jura divina, cap. *Ecclesiæ 5., de Elect.*, ergo, &c. Solum hic quæritur, an irrita sint matrimonia etiam hæreticorum facta cum aliquo impedimento dirimente juris Ecclesiastici, puta criminis, cognationis spiritualis, &c.? (præscindo nunc ab impedimento clandestinitatis, & raptus, de quibus q. sequ. cap. 13., & 14.)

Dico, Probabilius esse irrita: ita cum Less., Fagn., & aliis Gob. tr. 9. n. 49. afferens declarationem Sacr. Congr. de mente Pontificis contra Laym., Dicast., & alios, præsertim Illsung. dicentem, prædictam declarationem, vel non esse sufficientem promulgatam, vel tacito consensu Pontificis abrogatam. Ratio nostra est, quia hæretici, generaliter loquendo, tenentur legibus Ecclesiasticis, ut communiter docent cum Suar. lib. 4. *de Leg.* c. 19.; sola ergo consuetudo contraria posset eos eximere a legibus statuentibus impedimenta: atqui hæc nulla esse potest; ut enim consuetudo vincat legem, non habet ex virtute propria, sed ex consenso Principis saltem tacito, vel præsumpto, ex quo usus contrarius legi evadit legitimus, & purificatur mala fides, si qua fuit initio talis usus, ut communiter docent cum Cajet., Sylv., Sanch., &c. Verum non est præsumendum, Ecclesiam consentire in ejusmodi hæreticorum consuetudines, cum sint ei rebelles, neque ullum hac in re favorem, aut benignitatem mereantur: alioquin magnum sane ex sua contumacia commodom reportarent: ergo, &c.

Confirmatur: *Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit*, ut ex antiquo jure loquitur Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. *de Ref. matr.* contra eos, qui ignorantes impedimentum sine debitis proclamationibus conjunguntur: quod potiori jure dicendum de hæreticis, qui omni modo conantur Ecclesiam ipsam omni potestate spoliare, atque evertere. Rursus c. *Quod super, de Consang.* Matrimonia quorundam intra gradus prohibitos inhibentur cum clausola, *Non obstante consuetudine, qua dicenda est potius corruptela:* ergo a fortiori consuetudines hæreticorum dicendæ sunt potius corruptelæ.

Objicies primo: Potest per consuetudinem abrogari impedimentum aliquod matrimonii, ut cum pluribus docet Sanch. d. 4. n. 11., etiamsi lex eam vocet corruptelam; dummodo postea Legislator eam sciens tacite approbet, vel per circumstantias ita postea justificetur, ut hic & nunc merito posset approbari: ergo non est, cur id denegetur consuetudini hæreticorum saltem ex consensu præsumpto piæ Matris Ecclesiæ, ne scilicet a conversione absterreantur videntes, se habendos pro illegitimis, & inhabilibus ad Feuda, ad Prælaturas, ad Sacros Ordines.

Respondeo, Antecedens, etsi verum sit de possibili, non tamen de facto; cum Ecclesia, ejusque Pastores ubique advigilent, ne consuetudo aliqua abroget ejusmodi leges circa impedimenta: sed omisso antecedenti, nulla est consequentia; tum quia ex dictis non est præsumendum, quod consuetudinem hanc approbet Ecclesia; tum quia nec præsentet circumstantiæ eam justificant, præsertim circa impedimenta criminis, publicæ honestatis, &c., ex quorum relaxatione plora peccata, & scandala orirentur; tum denique quia bene norunt, vel noscere possunt hæretici, quod, si convertantur & petant, facile & integre possint a pia Matre Ecclesia legitimari ad omnia.

Objicies secundo: Matrimonia hæreticorum, licet facta contra leges Ecclesiasticas, sunt tamen legitima secundum leges naturales, & civiles: ergo, quamvis Ecclesia ea non admittat, ut Sacramenta, præsumi tamen potest, quod ea permittat, ut contractus mere civiles.

Respondeo, Ex cap. *de Divort.* generatim definiri, matrimonium inter baptizatos esse *Sacramentum*; tale igitur de jure divino esse debet matrimonium etiam hæreticorum, quamvis eorum culpa tale non sit. Non igitur præsumi debet, quod Pontifex illud eis permittat in ratione contractus mere civilis, cum Pontificis sit omni ratione tueri jura divina, ex cit. cap. *Ecclesia.*

CAPUT III.

An ejusmodi leges de impedimentis obligent in omni casu?

Casus esse potest, vel gravis metus, vel ignorantia, vel dubium, vel error, vel opinio probabilis, quod non adsit impedimentum. De singulis breviter agendum.

Dico primo: Irritum est matrimonium, quod quis gravi metu compulsus contrahit cum aliquo impedimento dirimente etiam juris Ecclesiastici. Ita communiter Sanch. l. 7. d. 5. n. 4. Ratio est, quia, licet gravis metus possit excusare a transgressione præcepti ecclesiastici, atque adeo etiam ab impedimento impediente juris Ecclesiastici; attamen non potest reddere habilem illum, qui est inhabilis ad contrahendum; quia hæc inhabilitas inducta est a lege, seu voluntate superioris, quem meus metus non attingit, sed me tantum: ergo per talem metum non possum ego evadere habilis ad contrahendum. Neque dicas, præsumendum a benignitate Ecclesiæ, quod non inhabilitet in hoc casu, quo Titius e. g. metu mortis cogatur ducere suam consanguineam. Nam non debet hoc præsumi; sicuti nec præsumitur, quod lex inhabilitans Sacerdotem ad matrimonium patiatur in casu exceptionem: & ratio est, quia hac præsumptione facile quærerent homines prætextum ejusmodi metus ad dissolvenda matrimonia, unde magna oriretur in populo perturbatio. Quomodo autem in casu debeat se gerere Titius, dicam q. sequ. cap. 7.

Dico secundo: Irritum est matrimonium factum cum impedimento dirimente, etsi invincibiliter ignorato: ita communiter Sanch. d. 17. num. 9. Ratio est, quia, quamvis ignorantia invincibilis excuset a peccato, ubi lex est tantum prohibens, atque adeo ab impedimento mere impediente, non tamen reddit habilem, ubi lex est inhabilitans; ut modo est dictom de metu. Neque obest, quod aliquod impedimentum (puta criminis) videatur habere rationem pœnæ, nec pœna incurratur cum ignorantia invincibili; nam illud primario, & principaliter non est pœna, sed inhabilitas Canonica, ut dicemus qu. seq. c. 5. Similiter irritum est matrimonium factum cum dubio negativo de impedimento dirimente, si hoc revera adsit: validum vero, si non adsit; utrumque tamen illicitum, si dubium sit vincibile, quia exponitur Sacramentum periculo frustrationis. Quod si post justam diligentiam maneat dubium invincibile, Sanch. l. 8. d. 6. n. 16. cum aliis putat, esse licitum, quia stat possessio pro libertate: contradicunt Less., Pal., & complures alii, quia adhuc manet periculum frustrationis, & hæc sententia tutior in praxi sequenda; præsertim, si sit possessio pro impedimento. Quod si quis per errorem certo putet, adesse impedimentum dirimens, & hoc revera non adsit, Sylv., Sot., Nav. & alii dicunt, hunc talem contrahere non solum illicite, sed etiam invalide, quia non potest absolute, & efficaciter consentire in matrimonium, quod apprehendit hic & nunc sibi impossibile: contradicunt Ledesm., Covar., Rosel., & alii cum Sanch. l. 2. d. 33., quia prævalere potuit intentio generalis faciendi, quod potest; ut colligitur ex cap. 1. *de Sponsal. in 6.*, & ex Clem. *Un. de consanguinitate*. An autem liceat matrimonium contrahere cum sola opinione probabili, quod non adsit impedimentum dirimens, lis est celebris inter Doctores, præsertim post prop. 1. damnatam ab Innoc. XI., quæ ait, *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem relicta tutiore:* & ratio damnationis est, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis. Equidem noto, distinguendum esse inter probabilitatem juris, & facti: tunc est probabilitas juris, quando probabile est, quod sit, vel non sit lex, puta impedimentum cognationis spiritualis inter patrinum, & matrem baptizati sine solemnitatibus in casu necessitatis, de quo disputant Doctores. Tunc est probabilitas facti, quando probabile est, quod sit, vel quod non sit aliquid distinctum a lege, puta quod vivat, vel quod

quod non vivat prior maritus, quod sit, vel non sit secuta copula perfecta, &c. His notatis.

Dico tertio: Loquendo de probabilitate facti, non est licitum contrahere matrimonium cum sola probabilitate de carentia impedimenti dirimentis; &, si hoc revera adsit, matrimonium est etiam irritum: ita communiter Doctores. Ratio est, quia opinio probabilis circa factum potest humano modo deprehendi falsa; idroque matrimonium cum tali probabilitate contractum non habetur ab Ecclesia ut indubitanter validum: ergo, si cum tali probabilitate contrahatur, exponitur periculo frustrationis, adeoque illicite contrahitur. Rursus, si postea contingat deprehendi opinionis falsitatem, matrimonium deberet dissolvi: ergo, si revera adsit impedimentum, matrimonium est irritum. Itaque in materia facti habenda est moralis certitudo de carentia impedimenti, ut fuse dicemus q. seq.

Dico quarto: Loquendo de probabilitate juris, licitum, & validum est matrimonium, si contrahatur juxta opinionem probabilem de carentia impedimentis, relicta tutiore; modo opinio illa sit proprie, & rigorose probabilis, idest talis, quæ communiter a Doctoribus censeatur probabilis, nec rejiciatur a Curia Romana. Ita Sanch. l. 8. d. 6. Ratio est, quia, quando Sacramentum matrimonii conficitur juxta talem opinionem probabilem, non exponitur periculo frustrationis; cum ei certo accedat valor ex tacita approbatione, seu dispensatione Ecclesiæ pro impedimento, si quod forte tunc adesset: ergo, & licite, & valide contrahitur. Probatur antecedens primo, quia, ut fert communis sententia, licite, & valide datur absolutio Sacramentalis cum jurisdictione probabili, quia moraliter est certum, jurisdictionem tunc tacite suppleri ab Ecclesia: ergo a pari: Secundo, quia praxis, & consuetudo Ecclesiæ matrimonium sic contractum censet validum: ergo tacite vult non esse impedimentum, quod probabiliter non est impedimentum: Tertio, quia causa matrimonii dicitur favorabilis cap. fin. *de Sent.*, *& re jud.* ergo, quoties justa probabilem opinionem contrahitur, rationabiliter Ecclesia vult ei favere, reddendo validum.

Neque dicas, Id verum esse, si matrimonium sit jam contractum, non tamen si sit contrahendum. Nam primo paritas jurisdictionis probabilis infert oppositum: Secundo, Non ideo præcise standum pro valore matrimonii, quia est jam contractum, cum possessio se sola non sufficiat, ut feratur pro ejus valore sententia, sed quia ejus causa est favorabilis; quod etiam militat pro contrahendo: Tertio, Eadem praxis Ecclesiæ pro contrahendis ostenditur ex Responso Urb. VIII. apud Card. hic n. 553., ubi declaratur, posse Missionarios, ubi essent opiniones probabiles circa matrimonia, sequi opiniones barbaris favorabiliores; sicque innuitur, sequendo utramque partem talium opinionum, non remanere impedimentum. Quare concludimus cum Sanch. n. 18., sequendo opinionem rigorose probabilem juris de carentia impedimenti, sive ea opinio sit probabilior, sive æque, sive minus probabilis, quam opposita (modo ea non sit tenuiter talis, eo quod sic non sit proprie, & rigorose probabilis) valide, & licite contrahi matrimonium sine dispensatione; quia, licet fortasse reipsa foret impedimentum, nisi suppleret Ecclesia; at certum moraliter est, Ecclesiam de facto supplere; & sic ex tali dispositione Ecclesiæ opinio illa ex directe probabili evadit reflexe certa, & practice tuta, unde & matrimonium evadit certo validum: itaut semel contractum non possit deinde dissolvi ob probabilitatem opinionis oppositæ; imo neque, si opinio ei favorabilis declararetur deinde improbabilis ab Ecclesia; per id enim solum invalidarentur matrimonia sequentia.

Quæres, An hæc sententia procedat etiam de opinione probabili circa impedimenta juris divini, vel naturalis?

Respondeo, Quod, cum Ecclesia ex potestate a Deo concessa non semel circa ejusmodi impedimenta decreverit pro valore matrimonii ex opinione mere probabili, videtur, quod etiam matrimonia contrahenda sint certo futura valida, si cum eadem opinione contrahantur. Cæterum, si sit tale impedimentum, in quo Ecclesia forte dispensare non potest, in praxi petenda est dispensatio, & tunc Ecclesia declarabit, quid debeat fieri. Atque hæc generaliter dicta suo loco determinatis materiis sunt applicanda.

QUÆSTIO II.

De Impedimentis dirimentibus, necnon Matrimonium impedientibus.

PRÆTER defectum consensus, qui generatim dirimit omnes contractus, quatuordecim numerantur impedimenta dirimentia matrimonium fidelium his versibus comprehensa:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis Affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia Testis,
Raptave sit Mulier, nec parti reddita tuta.

Horum autem quatuor sunt de jure naturæ, scilicet *Error, Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, Ligamen, & Impotentia perpetua:* reliqua omnia sunt de jure Ecclesiastico; & quidem duo postrema addita sunt a Tridentino. De singulis per totidem capita est hic agendum; tum postremo loco de impedimentis impedientibus agemus.

CAPUT I.

De Impedimento erroris.

ERROR, vel est personæ, itaut putans contrahere cum Berta cum alia contrahas; vel est qualitatum, ita ut putes, eam esse nobilem, virginem, sanam, divitem, pulchram, &c., cum talis non sit; vel demum est ipsius contractus matrimonialis, itaut putes, illum non esse Sacramentum, non ferre debitum conjugale, &c.

§. I.

Quid de errore Personæ?

DICO: Error personæ est impedimentum dirimens: Can. un. 29. q. 1., & cap. *Tua nos de Sponsal.* Et quidem de jure naturæ, ut eam D. Th. communiter docet Sanch. l. 7. d. 30. Ratio est, quia error personæ constituit objectum substantiale ignoratum, cum non sit error puri nominis, sed ipsius substantiæ personalis: sed circa id, quod ignoratur, nullus esse potest consensus, cum *Nihil volitum, quin præcognitum:* ergo, &c. Hinc non valide contraxit Jacob cum Lia putans esse Rachelem, *Genes.* 19., nisi postquam detecto errore renovavit consensum, & voluit nihilominus etiam Liam ducere.

Objicies primo: Isaac valide benedixit Jacob putans, esse Esau, *Genes.* 17. Et Confessarius valide absolvit Paulum putans, esse Petrum; & similiter in Baptismo, Confirmatione, &c., ergo pariter in Matrimonio.

Respondeo ad primum cum Abulensi, quod Isaac tunc fuit divinitus motus, ut benedictionem dirigeret ad filium præsentem, quicumque ille esset. Ad secundum, Virtualis intentio Confessarii, Baptizantis, Confirmantis, &c. est, ac debet esse absolvere, &c. præsentem personam, quæcumque illa sit, quia non officit his Sacramentis, si huic, vel illis conferantur, & multum refert ea virtualis intentio. At in contractu matrimoniali, qui indissolubilem vitæ consuetudinem inter conjuges continet, maxime interest, si sit hæc, vel illa persona, cum qua contrahatur; ideoque animus contrahentis non est in quamcumque, sed in certam personam consentire. Cæterum, si sic errans actu intenderet contrahere cum persona præsente, quæcumque ea sit, validum est matrimonium, quia non vitiatur objectum substantiale voluntarii: Navar., Conin. apud Laym. c. 2. n. 5.

Extenditur hoc impedimentum, sive error personæ sit antecedens, & causa contractus, quando scilicet eo animo contrahis, ut, si rescires, non contraheres; sive sit error comitans, & non causa contractus, quando scilicet eo animo contrahis, ut, si rescires, adhuc contraheres. Ratio est eadem, quia uterque error aufert actualem consensum; & solum differunt, quod prior facit actum involuntarium, posterior facit, ut actus non existat: Laym. n. 1. cum communi. Hinc, si Titius contrahat cum Berta, quam per errorem putat esse Luciam, quamvis maluisset cum Berta contrahere, si scivisset hanc esse, matrimonium est nullum; quia Titius de præsenti solum consentit in Luciam; habuisset quidem consensum in Bertam, si scivisset eam esse: at de præsenti non habet, quod tamen requiritur

ritur ad valorem matrimonii cum Berta: Bon., Averſ. q. 12. ſ. 1. Idem eſt, licet ſic intendat, *Ducerem Bertam, ſi ſcirem, hanc præſentem eſſe Bertam*: Sanch. d. 18. n. 6.

§. II.

Quid de errore Qualitatum?

DICO: Error qualitatum, ſiva ſit antecedens, ſiva comitans, non eſt per ſe impedimentom diriment, modo non ſit error ſervitutis, de qua cap. ſequ. Ita communiter cum Sanch. l. 7. d. 18. contra Præpoſitum, putantem irritare in foro conſcientiæ. Ratio eſt, quia conſenſus ſimpliciter voluntarius quoad ſubſtantiam non poteſt vitiari per ignorantiam accidentis, quæ ſolum facit involuntarium ſecundum quid: atqui, cum ducis Bertam, falſo putans eſſe divitem, virginem, ſanam, &c., ſimpliciter conſentis in ſubſtantiam perſonæ, & ſolum cenſeris non conſentire in ejos qualitates, & accidentia: ergo valide contrahis. Quamvis enim prædictæ qualitates te incitarunt ad contrahendum, at non fuerunt materia, ſeu objectum illius contractus, ſed fuit ſubſtantia perſonæ. Sic Profeſſio Religioſa eſt valida, quamvis ejus qualitates, aſperitates, mores, &c. non advertantur: Sanch. l. 10. c. 9. n. 1. Et confirmatur, quia ſecus profeſſiones, & matrimonia paſſim diſſolverentur, quod graviſſimis damnis, & ſcandalis locum daret.

Dices: Contractus ex tali errore initi ſunt, vel a natura irriti, vel per Judicem irritandi: ergo, cum matrimonium ſemel validum nequeat irritari, dicendum ipſo jore irritum. Secundo, Eleemoſyna collata ex errore paupertatis perſonæ, cui confertur, eſt nulla: ergo a pari.

Reſpondeo ad primum, Nullum contractum initum ex errore qualitatis eſſe a natura irritom; irritari deinde poſſe a Judice, ſi ſit capax diſſolutionis; cujuſmodi non eſt matrimonium. Quod ſi urgeas: ſicut Eccleſia irritavit ab initio matrimonium ex gravi metu initum, ita irritare poterat initum ex errore qualitatum. Reſpondeo cum Pal. n. 4., ideo primum, quia metus gravis facile probatur, non ſic error, & dolus; ideoque non fuit expediens irritare ſecundum. Ad ſecundum, Error paupertatis eſt error in ſubſtantia, cum eleemoſyna ſit alienæ miſeriæ ſublevatio; & ideo, quamvis tu per eam merearis apud Deum, nullum tamen jus acquirit pauper fictus in illam: at ſubſtantia matrimonii eſt traditio corporum ad uſum conjugalem, quæ certe non vitiatur, licet adſit error aliquarum qualitatum; non enim ob ipſas fit traditio corporum, licet ipſæ ad traditionem excitent: Pal. ib.

Quæres, Quam graviter peccet, qui alterum conjugem ducit in errorem?

Reſpondeo mortaliter, Si dolus ſit circa rem notabilem, ut ſi fingat ſe nobilem, divitem, cum non ſit: venialiter vero, ſi in re levi. Porro cenſet Perez d. 24. ſ. 5., habendam eſſe rem levem, ſi mentiatur ſe virginem, cum non ſit; dummodo non ſit ullum periculum, ne oriantur gravia, & continua diſſidia: Gob. n. 127.

§. III.

Quæ ſint exceptiones circa errorem qualitatum?

TRES ſunt exceptiones, in quibus error qualitatum videtur eſſe impedimentum dirimens: Primo, Si qualitas ſit finis unicus matrimonii: Secundo, Si ſit conditio ſine qua non: Tertio, Si redundet in ſubſtantiam perſonæ.

Dico primo: Si qualitas ſit finis unicus contrahentis, itaut expreſſe aſſumatur matrimonium, tanquam medium ad illam, tunc error in qualitate eſt impedimentum dirimens: ita communiter cum Caram., & Gob. tr. 9. n. 113. Ratio eſt, quia tunc, ſi deeſt qualitas, deeſt objectum ſimpliciter motivum conſenſus, adeoque & ipſe conſenſus: e. g. nihil cogitabas de nuptiis; ſed quia audis, Bertam eſſe nobilem, ducis illam ideo præciſe, ut fias affinis nobilium; jam, ſi Berta non ſit nobilis, invalide contrahis, quia ad nihil conſentis: valide vero, ſi tunc etiam amas in Berta pulchritudinem, aliaſve qualitates; quia tunc non unicum finem habes nobilitatem, in qua erras.

Dico ſecundo: Si, dum contrahis, expreſſe intendas non contrahere, niſi ſub conditione qualitatis exiſtentis; tunc, ſi hæc non exiſtat, matrimonium eſt nullum, ita communiter cum Sanch. l. 7. d. 18. n. 2. Ratio eſt, quia contractus conditionatus de præſenti, conditione non exiſtente, eſt nullus, ex defectu ſcilicet ſubſtantialis conſenſus, qui nonniſi ſub ea conditione eſt appoſitus.

Extenditur hoc etiam ad intentionem virtualem, quæ ſcilicet, licet non actu ſit, dum contrahis, manet tamen in virtute ex intentione præcedente: hinc merito declaratum fuit nullum matrimonium cujuſdam mulieris (ait Pone. n. 13.) quæ ſæpe dixerat, ſe mortem prius ſibi allaturam, quam contrahere cum quodam, ſi is eſſet ex genere Judæorum; ex circumſtantiis enim clare apparebat, eam intentionem virtualiter remanſiſſe, dum contraheret. At non extenditur ad intentionem habitualem, quæ ſcilicet nihil tale proponat neque actu, neque virtute, ſed eſt quædam veluti habitualis animi diſpoſitio, qua, ſi ad hoc advertiſſes, noluiſſes niſi ſub ea conditione contrahere: in contractibus enim non attenditur id, quod voluiſſes, quod feciſſes; ſed quod voluiſti, quod feciſti, inquit Tamb. c. 1. n. 18.

Dico tertio: Si error qualitatis redundet in ſubſtantiam perſonæ, irritum eſt matrimonium ex tali errore contractum: Sanch. diſp. 28. cum communi. Ratio eſt clara, quia tunc adeſt etiam error in ſubſtantia: verum difficile eſt diſcernere in praxi, quandonam error qualitatis inducat, vel non inducat in errorem perſonæ. Equidem hanc regulam ſtatuo cum Perez., Tambur., & aliis. Tunc error qualitatis inducit in errorem perſonæ, quando ex qualitate illa formatur in mente contrahentis primus, unicus, & individuus conceptus perſonæ, quæ revera non ſit talis. Explico: perſona fit nota ex ſuis qualitatibus, puta ex familia, figura, nomine, genere, nobilitate, parentibus, patria, divitiis, &c., ex quibus, vel ſingulis efformari poterit conceptus perſonæ Titii, Bertæ, &c., qui conceptus poteſt eſſe primus, cum ſcilicet ea perſona aliunde prorſus ignota, hac, vel illa qualitate primum tibi manifeſtatur: poteſt etiam eſſe unicus, cum ſcilicet non alium aliunde conceptum formas deinde de illa perſona: poteſt demum eſſe individuus, cum ſcilicet per talem conceptum deſignas tibi rationem quandam perſonæ ita propriam, ut non competat aliis. Finge nunc, quod de femina tibi aliunde ignota efformes hunc primum, unicum, & individuum conceptum, quod ſit primogenita Titii Principis: jam, ſi ab hoc conceptu unice ductus contrahas cum femina præſente, quam falſo putas eſſe talem, falleris quidem errore qualitatis, ſed qui facit etiam errorem perſonæ, redditque matrimonium nullum. Contra vero, ſi femina fuerit antea tibi aliunde nota & deinde ſecundo innoteſcat per præfatam qualitatem; tunc enim error ſiſtit in ſola qualitate, nec ad perſonam tranſit, cujus cognitio præceſſerat ſufficiens ad conſenſum. Similiter valide contrahis, ſi primus ille conceptus non ſit individuus, & proprius determinatæ perſonæ, ſed communis pluribus, ut quod ea ſit nobilis dives, multis pulchrior, &c.; tunc enim nec error qualitatis in perſonam tranſit; quia conſenſus matrimonialis intelligitur ferri in perſonam determinatam, & non ſub ratione aliis communi.

Ex dictis reſolvendus eſt celebris caſus Tabienæ propoſitus: Titius petit uxorem filiam minorem Caji, quam viderat eſſe pulchram; Cajus negat illam, ſed offert filiam majorem, quæ erat turpis: Titius jubet per Sempronium videri hanc, ſibique referri, cujus formæ ſit. Cajus autem oſtendit Sempronio minorem dicens, eam eſſe majorem. Sic deceptus Sempronius nunciat Titio majorem eſſe pulchram; & ideo Titius per procuratorem contrahit cum majore. Quæritur an valide? Affirmat Tabiena, ut refert, & approbat Sanch. d. 18. n. 35., quia fuit error in ſola qualitate; quandoquidem non poterat Titius conſentire in minorem, utpote quam ſciret ſibi negatam a Cajo. Econtra negat Pone., Tamb., & alii; quia Titius conſenſit in illam, quæ fuit oſtenſa Sempronio; ad hanc enim ſolam ſe determinavit ratione pulchritudinis: ergo cum errore qualitatis fuit conjunctus error perſonæ. His equidem cohæreo; modo ex pulchritudine formaverit ſibi Titius conceptum individuum perſonæ, in quam conſentiret.

Quæres, An valeat matrimonium contractum cum errore circa ejus proprietates?

Reſpondeo, Si uterque, vel alteruter conjugum per errorem putet, matrimonium non eſſe Sacramentum, vel non eſſe indiſſolubile, vel non ferre uſum conjugalem, &c., adhuc valide contrahi, & confici Sacramentum. Ratio eſt, quia error circa has proprietates cedit intentioni generali de contrahendo matrimonio, ex Regul. Alex. ad Tuſchum lit. c. *Ad conſenſum ſufficit*

cogitatus in genere, & hi generatim volunt nubere ritu communi patriæ, & usitato inter Catholicos, qui est nubere cum intentione Sacramenti, & cum perpetuitate, c. fin. *de Condit. appos.*

CAPUT II.

De Impedimento Conditionis.

NOMINE conditionis venit hic servitus non quæcumque, sed strictissime accepta, qua scilicet vir, vel femina constituitur Mancipium, vel Ancilla sub pleno, & perfecto dominio domini sui, a quo jure possit retineri, liberari, reddi per redemptionem, vendi, & donari. Qui ergo non est talis, dicitur liber, & ingenuus.

§. I.

Quando Conditio servilis dirimat Matrimonium?

DICO: Si persona libera ducat servam, ignorans ejus servitutem, tunc servitus ignorata est impedimentum dirimens: ita omnes, ex cap. *Si quis ingenuus*, & cap. 2., 3. & ult. *de Conjugio servorum*. Ratio autem, cur inductum sit hoc impedimentum, est, quia, licet servitus sit qualitas, tamen error circa ipsam trahit gravissimam injuriam, & incommoda decepto. Hinc Sylvest. Laym., & alii putant, hoc impedimentum esse juris naturalis; sed longe probabilius Pal. cum aliis docet, esse juris mere Ecclesiastici; quia hic error non est in substantia personæ, sed in qualitate, adeoque facit solum involuntarium secundum quid: conveniens autem fuit, ut ab Ecclesia statueretur impedimentum, ob rationem allatam; &, licet non inveniatur textus id expresse statuens, colligitur tamen ex cit. textibus illud tacite insinuantibus veluti ex longa traditione usurpatum.

Extenditur hoc impedimentum: Primo, Etiamsi ignorantia conditionis servilis sit crassa, & imprudens, quando scilicet persona libera facile eam scire potuit, sed neglexit inquirere: Sanch. d. 19. n. 20. cum aliis contra Sotum, & Ledesmam. Ratio est, quia etiam ex tali ignorantia fit involuntarius contractus circa qualitatem conditionis servilis; non secus ac ex imprudenti, & crassa ignorantia personæ fit quoque involuntarius contractus circa substantiam: ergo, sicut hic jure naturæ, ita ibi jure Ecclesiastico, adest impedimentum dirimens.

Dices: Ignorantia crassa non facit crimen involuntarium; ergo nec matrimonium. Secundo. Metus levis non dirimit Matrimonium: ergo nec error crassus, qui adeo censetur levis, ut pro scientia habeatur. Tertio, Finis Ecclesiæ irritantis hoc matrimonium fuit injuria, quæ fit libero ignoranti; sed imprudenti, atque oscitanti non fit injuria, &c.

Respondeo ad primum: Peccat ille, licet erret, quia viget præceptum adhibendi justam diligentiam ad acquirendam notitiam præcepti: at nullum ejusmodi præceptum obligat ad acquirendam notitiam servitutis alterius. Ad secundum, Metus levis non tollit voluntarium, licet minuat: at error crassus tollit in contrahentibus: est enim talis, ut si forte advertisses, non contraxisses; hinc non æquivalet, sed potius opponitur scientiæ necessariæ ad contrahendum. Ad tertium, Nego minorem; num enim imprudentem, & oscitantem in suis rebus tuendis spoliare poterit citra injuriam?

Extenditur secundo, Etiamsi servo promissa sit a domino libertas intra breve tempus, puta sex menses: ita probabilius, & communius Pal. n. 4. contra Sanch. n. 4 Ratio est, quia, si persona libera ante illud tempus resciret, se contraxisse cum tali servo, posset matrimonium habere pro nullo, utpote ex ignorantia absolute contractum cum servo: ergo erat nullum.

Extenditur tertio, etiamsi tempore contractus concessa sit servo libertas ad tempus, itaut postea redeat ad servitutem: ita Sot., Ledesm., Vega, Gabr., Aversf. §. 4. Ratio est, quia, licet servus tempore contractus libertate fruatur, tamen incumbit ei servitus, quæ ignoratur; vere enim vivit vitam servilem. Addo tamen cum Sanch. n. 3., & Pal. n. 5., hoc procedere in casu, quo possit libertas concedi ad tempus: Cæterum ex *l. libertas 31.* alias 32. Juncta *l. Ideo statim sequenti*, *ff. de man. testam.*, colligunt Doctores, quod libertas semel concessa, perpetua sit: in quo casu matrimonium valet; eum servitus præterita etiam ignorata non sit impedimentum dirimens; Sanch. n. 10.

Quæres primo, An liceat servo resilire ab hoc matrimonio contracto cum libero ejus servitutem ignorante?

Respondeo, Quod, quamvis Sylv., Nav., Henr. cum aliis negent, eo quod leges faveant soli libero injuriam passo; probabilius tamen dicendum cum Sanch. l. 4. d. 15. n. 5., etiam servum posse resilire invito libero, modo aliud damnum secutum non sit. Ratio est, quia, si servus teneretur stare contractui, id esset in pœnam sui delicti; sed ad talem pœnam requiritur sententia Judicis: ergo ante hanc sententiam poterit resilire.

Quæres secundo: Cui incumbat onus probandi servitutem esse, vel non esse ignoratam?

Respondeo, Quod, quamvis Henr. cum aliis doceat, incumbere libero suam ignorantiam probare; melius tamen, & communius dicendum cum Sanch. l. 7. d. 19. n. 8., incumbere servo probare scientiam alterius. Ratio est, quia liber habet suam intentionem de nullitate matrimonii in ipsa lege fundatam, a qua dimoveri non potest, nisi probetur, se non ignorasse: adeoque servo competit, probare alterius scientiam: nisi forte sua servitus esset palam omnibus nota; ut temperat Pal. n. 8. Si vero detecto errore velit uterque cohabitare, debent renovare consensum, juxta dicenda disp. 3. de ratificando contractu.

§. II.

Quando Conditio Servilis non dirimat Matrimonium?

DICO primo: Si liber, dum contrahit, sciat conditionem servilem alterius, tunc servitus non est impedimentum dirimens. Ita communissime cum Sanch. d. 19. n. 13. Ratio est, quia tunc liber sponte cedit juri suo, datque consensum voluntarium, quem jus positivum non irritat.

Extenditur hæc assertio: Primo, Etiamsi persona libera habeat dubitationem, vel opinionem de servitute alterius; quia tunc etiam videtur sponte cedere juri suo: Sanch., Coninch., Aversf. §. 5. contra Sotum, & Ledesm. Secundo, etiamsi habeat ignorantiam affectatam, cum scilicet positive nolit inquirere; quia talis ignorantia æquivalet notitiæ sufficienti servitutis: ita Poncius, & Aversa contra eosdem. Tertio, Etiamsi putet, se contrahere cum serva, quæ revera est libera; quia Ecclesia veram servitutem, non putatam, constituit impedimentum: Tamb., & alii. Quarto, Etiamsi ducat servam putans esse liberam, sed sit actualiter, vel virtualiter ita affectus, ut ducere velit, quamvis sit serva; quia voluntarie consentit in servam: Sylv., & Boss. cap. 2. n. 83. contra Sanch., & Bonac.

Dico secundo: Si dominus suum servum, vel servam tradat in matrimonium personæ liberæ, non detecta ejus servitute; tunc servitus ignorata non est impedimentum dirimens: Sanch. d. 20. num. 13. contra Hurt., Tamb., & alios: Ratio est, quia per hanc traditionem factam a domino servitute non detecta, serva, vel servus evadit liber, Authent. *Ad hoc*, *Cod. de Latina libertate*; ergo servitus ignorata tunc non est servitus. Neque dicat Hurt., quod servitus tunc non tollitur, nisi a matrimonio valido, quod in priori signo non est tale; nam tollitur ab ipsa traditione facta a domino servitute non detecta contrahenti libero.

Extenditur hæc assertio: Primo, Etiamsi dominus sciens suam servam cum libero nubere, dissimulanter se gerat, & non sine dolo servitutem occultet. Nam etiam tunc serva fit ingenua in doli pœnam, ex eodem Textu cit. modo tamen adsit in domino gravis doli culpa; nam levis aliqua negligentia, seu dissimulatio, non videtur satis esse ad hujus generis pœnam. Porro, si gravis dolus intercessit, non est expectanda Judicis sententia, ut serva donetur libertate; cum verba Textus latam sententiam exprimant his verbis: *Privamus Dominum ita maligne cogitantem*.

Extenditur secundo, Etiamsi Dominus tradat servam libero servitutis conscio, & simul conficiat servæ instrumentum dotis; ut habetur in eodem Textu. Si autem Dominus servæ non conficiat instrumentum dotis, tunc matrimonium est quidem validum, sed serva non fit libera: etiamsi tunc ex permissione Domini alius conficiat illi instrumentum dotis; quia textus solum loquitur, quando ipse dominus conficit: Sanch. n. 9., addens, libertatem intelligi de sola serva, non de servo; quia de illa solum loquitur textus; & quando lex vult servum quoque amplecti, id explicat.

Extenditur tertio, Si ipse dominus, vel domina servæ, vel servo suo nupserit; & quidem non solum quoad valorem matrimonii, ut est certum; sed etiam quoad libertatem,

tem, ut contra Sanch. docet cum communi Pal. §. 3. num. 1. quia hoc ipso, quod dominus servam suam ducit, ei potestatem concedit in suum corpus, ut una caro efficiantur: ergo jure naturæ evadit ex hoc ingenua.

Dico tertio: Si servus ducat servam, sive sciat, sive nesciat ejus servitutem, validum est matrimonium. Ita omnes cum D. Th., & Sanch., n. 23. Ratio est, quia Ecclesia irritat solum matrimonium personæ liberæ ignorantis servitutem alterius, & nulla lex tollit a servis potestatem ad matrimonium.

Extenditur primo, Etiamsi servus ducens servam putet, eam esse liberam, vel contra; quia erat solum in qualitate: Sanch. ib. Nisi vero qualitas ipsa sit finis unicus, vel conditio sine qua non, vel transeat in substantiam personæ, juxta dicta c. ant. §. 3.

Extenditur secundo, Etiamsi contradicant eorum Domini, c. 1. *De Conjug. Serv.*, ubi sic statuitur: *Nec inter servos debent matrimonia ullatenus prohiberi; &, si contradicentibus Dominis, & invitis contracta sint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda*. Per se ergo loquendo licite contrahunt insciis, vel invitis Dominis: D. Th., Sanch., & alii; cum incommoda illa, quæ refert Busemb., non obstent substantiæ matrimonii, quamvis ejus usum aliqua ex parte impediant. Dominus autem, si consentiat matrimonio servorum, non ideo censetur libertatem concedere. Si dissentiat, non potest directe impedire; quia matrimonium jure naturæ est servo concessum, & servitus jure gentium est introducta: Sanch. cum aliis. Potest tamen dissuadere, cessare a beneficiis ex supererogatione collatis, &c. Imo, si rescíat matrimonium se inscio, vel invito tractari, potest nondum initis sponsalibus servum vendere in partes remotiores; quia utitur jure suo; &, licet inde matrimonium impediatur, id per accidens est, nec domino imputandum: Sanch. d. 21. n. 9., quod Pal. §. 2. n. 3. extendit etiam post sponsalia, quia servus nequit jus domini minuere: verum id intellige, si fiat ex aliqua justa causa, & non ad impediendum directe matrimonium, ad quod servus ex dictis jus habet; unde etiam est, ne Judex possit eam venditionem impedire, si sine gravi necessitate fiat. Quid autem possint domini, vel eorum servi, contracto jam matrimonio, dicemus d. 4.

CAPUT III.

De impedimento Voti.

NON loquimur hic de voto simplici castitatis, quod certe non est impedimentum dirimens, nisi in Religiosis non Professis Societatis Jesu; ex speciali Bulla Greg. XIII., quæ incipit *Ascendente Domino*, & in uxore, quæ vovens in sæculo continentiam dedit facultatem marito suscipiendi Ordines sacros; eo enim defuncto, ne valide quidem transire potest ad secundas nuptias, ut contra Sotum, & Poncium communissime Doctores colligunt ex cap. *Quia sunt* 10., ex cap. *si se*, d. 28. Loquimur autem de voto solemni Castitatis præsertim, quod fit in professione Religiosa; nam de Ordine dicam c. 8.

Dico: Votum solemne Castitatis in professione valida Religionis approbatæ a Sede Apostolica est impedimentum dirimens: ita definitum est cap. un. *de Voto in 6.*, & a Trid. *sess.* 24. *can.* 3.

Primo ergo requiritur, ut sit votum solemne. Solemnitas autem voti (quidquid olim alii dixerint) introducta est jure Ecclesiastico, uti asseritur in cit. Bulla Gregor. XIII., ubi Pontifex referens errorem eorum, qui dixerunt, viros Societatis Jesu, qui non sunt professi, non esse vere Religiosos, ait, eos id dixisse, *Non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inventam esse:* quod nequit intelligi de solemnitate actuali diversa ab essentiali constituente Religiosum, ut olim distinguebant simile dictum cap. un. *de Voto in 6.*, secus Bulla immerito declararet, viros Societatis Jesu non professos esse vere Religiosos.

Infers hinc, votum solemne Castitatis non esse impedimentum dirimens jure divino naturali, sed mere Ecclesiastico: Sanch. cum communi l. 7. d. 26. contra Thomistas. Ratio est, quia jus divinum naturale vel afficit ipsam immediate solemnitatem, vel naturam voti vestiti solemnitate. Primum est falsum ex cit. Bulla. Secundum est quidem verum, sed non facit ad rem; nam votum Castitatis etiam vestitum tali solemnitate est ejusdem rationis, ac votum simplex, si spectetur secundum suam naturam abstrahendo a solemnitate: qui autem cum voto simplici contrahit, peccat contra jus divinum, ac naturale, & hoc non obstante valide contrahit: ergo pariter votum solemne, nisi accessisset jus Ecclesiasticum; adeoque est impedimentum mere impediens jure divino, & dirimens jure Ecclesiastico. Hinc est, ut Pontifex justis de causis dispensaverit aliquando cum Religioso professo ad ineundum matrimonium, ut de Rege Aragoniæ narrat Palud., & Constantiam quoque votis liberasse fertur Celestinus Pap.

Dices: Votum simplex est promissio; solemne est actualis traditio corporis acceptata a Prælato nomine Dei: ergo ibi contra fidelitatem, hic contra justitiam est matrimonium, ideoque hic jure naturæ irritum. Secundo, Votum solemne dirimit matrimonium ratum antecedens jure divino naturali, non autem humano, *Quod enim Deus conjunxit, homo non separet:* ergo eodem modo dirimit matrimonium subsequens.

Respondeo ad primum, Sive votum Castitatis sit simplex, sive solemne, non est nisi promissio facta Deo; & acceptatio ab Ecclesia introducta in solemni est acceptatio rei promissæ, non traditæ; hinc utrumque comparandum sponsalibus dantibus jus ad rem; & insolubilitas voti solemnis non est a natura, sed ab Ecclesia. Ad secundum, Nego antecedens, professio religiosa non est contraria statui matrimoniali (ut patet in B. V., & S. Joseph) sed tantum ejus usui; qui tamen manet adhuc possibilis saltem in hypothesi, quod Deus velit cedere juri suo acquisito per illam professionem: hinc, si duo conjuges post matrimonium consummatum ex communi consensu transeant ad statum Religiosum, etiam post emissam professionem sunt veri conjuges: si autem professio sit post matrimonium ratum, dirimitur quidem matrimonium, non jure naturæ, sed divino positivo, scilicet ex Christi institutione, ut docet Bellarm., & alii, sed de his d. 3.

Secundo requiritur, Ut professio sit valida. Qui ergo invalidam professionem emisit, nec illam deinde ratificavit, valide matrimonium contrahit. Verum pro foro externo Trid. *sess.* 25. *c.* 19. statuit, ut allegans invaliditatem professionis non audiatur, si fiat post quinquennium, neque intra quinquennium, si habitum sponte dimiserit.

Hinc resolvi debent casus sequentes: Titius invalide professus post elapsum quinquennium relata causa invaliditatis contrahit matrimonium: quæritur, an valide? Negat Pignat. t. 1. consul. 88. referens multas Ecclesiæ declarationes, quæ dicunt, inesse tacitam ratificationem professionis. Sed dicendum cum Croix n. 585., quod, quamvis Ecclesia illis declarationibus prudenter præsumat, Titium intra quinquennium tacite ratificasse professionem; tamen, si reipsa nunquam ratificavit, matrimonium est validum; quia Ecclesia non potest supplere consensum ad validam professionem necessarium.

Alter casus, qui resolvi debet, est hujusmodi: Berta potens probare se invalide professam, post sex menses clam fugit a Monasterio, & jam in matrimonio est a decem annis, petitque, ut Judex Ecclesiasticus habita plena probatione invaliditatis declaret matrimonium, & prolem legitimam. Quæritur, an id fieri possit a judice? Respondeo affirmative cum eodem n. 586., quia, quamvis a Tridentino dicatur, *Nisi intra quinquennium*, tamen ignorantia juris excusat in sexu femineo: Mulier enim ignorat sua jura, quidve sibi competat, inquit Glos. Nov. in Authent. *de Incest. Nupt.* §. 1. Et, cum res integra non sit, benigne præsumitur de pia matre Ecclesia.

Tertius est: Cajus ex metu gravi invalide professus ante quinquennium protestatur, sed non auditus in carcerem mittitur, a quo fugit dimisso habitu ea intentione, ut intra quinquennium sibi currens reclamet ad Ordinarium; sed deprehensus, & interrogatus, num professionem velit ratificare, alias perpetuo carceri damnabitur, ratificat ex metu; sed liber factus iterum fugit ad militiam, ut sit tutus, ibique coactus manere nubit Bertæ ejus rei ignoranti, & post decem annos liberatus a militia reclamat ad Ordinarium. Quæritur; quid sit agendum? Equidem respondeo cum eodem n. 587., Cajum esse audiendum ab Ordinario etiam sine habitu, & probata invaliditate professionis in matrimonio legitimo relinquendum; quia Trid. temerariam habitus dimissionem tantum punire intendit: Sanch. l. 7. d. 37. n. 3.; & Cajo debetur restitutio in integrum contra lapsum quinquennii, cum injuste negata ei fuerit omnis via reclamandi: de Loc. *de Regular.* d. 8. n. 7.

Tertio requiritur, Ut professio facta sit in Religione approbata a Sede Apostolica. Quamvis enim non legamus, antiquas Religiones ejusmodi approbationem requi-

fivisse, & Episcopi olim Religiones aliquas approbaverint; hodie tamen requiritur approbatio Sedis Apostolicæ; nec satis est, ut modus vivendi approbatus sit, nisi tanquam vera Religio approbetur, ex cap. fin. *de Regul. Dom.*, & ex Lateran. sub Inn. III., cum Glos. Clem. *cum ex eo de Sent. Excom.* Itaque impedimento hoc alligantur moniales omnes, & regulares professi, etiamsi evaserint Apostatæ, vel ejecti, vel ad dignitatem Cardinalatus ascenderint. Item equites Hierosolymitani, Teutonici, Clerici ordinum militarium sub clausura viventes, & alii similes; quia solemniter profitentur in vera Religione; nisi vero hæreticus ordinis Teutonici ritu hæreticorum profiteatur; cum sic non sit vera professio approbata ab Ecclesia. Non alligantur hoc impedimento cæteri equites ordinum militarium, qui Castitatem non absolutam, sed limitatam, idest conjugalem profitentur; neque Eremitæ, qui, licet olim in manu Episcopi, vel alterius Prælati solemniter profiterentur, nunc tamen aut nulla, aut simplicia vota emittunt. Neque feminæ quædam Religiosæ S. Dominici, quas *Beatas* vocant; neque viri quidam Tertii Ordinis S. Francisci; quia votis tantum simplicibus se alligant; nisi vero sint aliquæ personæ Tertii Ordinis S. Francisci, quæ viventes in communi solemniter profitentur, & sunt veræ Religiosæ, ex declaratione Sixti V.; vel sint Beatæ quædam S. Dominici clausuram servantes, quas refert Sotus.

CAPUT IV.

De Impedimento Cognationis.

COGNATIO triplex est, Naturalis, Spiritualis, & Legalis: de singulis seorsim agendum.

§. I.

Quid de Cognatione naturali?

NATURALIS, seu Carnalis cognatio, quæ consanguinatis dicitur, est propinquitas personarum ab eodem stipite descendentium, & suos habet gradus, & lineas. Linea autem est ordinata series consanguineorum, & est duplex, recta, & transversalis.

Linea recta est, in qua una persona vel immediate, vel mediate est genita ab alia: in ea ergo sic ascenditur, Filius, Pater, Avus, Proavus, Abavus, &c., vel sic descenditur, Pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, &c. Linea transversalis, seu Collateralis est, in qua una persona non est genita ab alia, sed ambæ ab eodem stipite; ut duo fratres, vel filius patris, & patruus, qui sunt ab eodem avo. Gradus autem est certa quædam distantia duarum personarum in prædictis lineis, ideoque indicat, quanta sit earum consanguinitas. Ut autem dignoscatur, in quo sint consanguinitatis gradu, tres sunt regulæ ex D. Th.

Prima regula: In linea recta, tot sunt gradus, quot numerantur personæ, excepto stipite: sint e.g. Filius, Pater, Avus, Proavus, Abavus: Abavum deme, tum dices Filium consanguineum Abavo in quarto gradu, Proavo in tertio, Avo in secundo, Patri in primo. Ratio est, quia tot gradus computari debent, quot sunt generationes, quæ in his quinque personis sunt tantum quatuor.

Secunda regula: In lineis transversalibus duæ personæ æqualiter distantes a stipite, tantum sunt inter se conjunctæ, quantum una earum distat a stipite: sic duo Fratres sunt in primo gradu, quia quivis eorum uno tantum gradu distat a stipite, duo consobrini sunt in secundo, quia quivis eorum duobus tantum gradibus distat ab avo, qui est eorum stipes, & sic de reliquis.

Tertia regula: In iisdem lineis transversalibus duæ personæ inæqualiter distantes ex stipite, tantum sunt inter se conjunctæ, quantum persona remotior distat a stipite: sic filius Petri est in secundo gradu cum suo Patruo, quia ipse duobus gradibus distat ab avo, qui est utriusque stipes. Noto tamen, quod, cum Patruus distet a stipite uno gradu, ideo e stylo Curiæ Romanæ dicimus, eos esse in primo, & secundo, seu in gradu mixto ex primo, & secundo. Et sic de reliquis, juxta dicenda q. 4.

Hæ regulæ procedunt de jure Ecclesiastico. At jus civile, etsi conveniat in gradibus lineæ rectæ, discrepat tamen in gradibus lineæ transversalis; in hac enim numerat singulos gradus utriusque personæ usque ad stipitem; unde summam duplo majorem conficit: sic duo fratres jure civili sunt in secundo, duo consobrini in quarto, & sic de reliquis. Hinc fit, ut in successionibus retineatur computatio graduum ex jure civili, tum in foro seculari, tum in Ecclesiastico: in aliis contractibus, & actionibus servanda est computatio illius fori, ad quod pertinet contractus. At quoad matrimonium semper spectari debet computatio juris Ecclesiastici, quia in hac parte nihil jus civile disponere potest: Covar., Sanch. l. 7. d. 3. n. 8.

Quæres primo, Usque ad quem gradum consanguinitatis irritum sit matrimonium?

Respondeo, Quamvis olim usque ad septimum gradum ex cap. *Ad Sedem* 35. q. 5., hodie tamen extendi usque ad quartum inclusive, ex Concil. Later., & Trid. *sess.* 24. *c.* 3. Hinc, si Titius, & Berta sint consanguinei in gradu mixto ex quarto, & quinto, non sunt impediti, ut expresse habetur in cap. final. *Vir qui, de Consang.*; nisi alicubi fuisset contraria consuetudo cap. 2. *Si dilectio* eodem tit. Hinc Sanch. d. 53. num. 5. cum communi docet, tales posse contrahere, etiamsi ex una parte essent in primo gradu, modo ex altera sint in quinto. Neque dicas, petendam esse dispensationem ob gradum ex una parte citeriorem quinto; quemadmodum si sint conjuncti in tertio, & quarto, debent explicare etiam tertium gradum, ut in hoc etiam specialiter dispensetur, ex dicendis q. 4. Nam dispar est ratio, quia hic ratione etiam quarti gradus oritur impedimentum, ibi autem ratione quinti nullum est.

Quæres secundo, In quo gradu consanguinitatis sit matrimonium irritum jure naturæ?

Respondeo communissime, in primo gradu lineæ rectæ, ut constat ex gravi horrore ipsiusmet naturæ, itaut nulla sit natio tam barbara, in qua se misceant parentes cum filiis. Quare, si solum pater, & filia superessent, quamvis Sanch., & alii putent, indecentiam matrimonii tunc honestari propter extremam necessitatem propagandi genus humanum; Aversa tamen cum aliis rectius docet, pro tali casu judicandum, quod Deus vellet potius finem humanæ generationis. Dubium est pro reliquis gradibus lineæ rectæ, an dirimant jure naturæ? Affirmant Scot., Bellar., Coninch., Laym., Henr., & alii; itaut, si Adam nunc viveret, cum nulla posset contrahere, ex *l. nuptiæ* 4. *de Rit. Nuptiar.* Contradicunt Sanc., Pal., & alii; quia solus parens dicitur principium filii, reliqui progenitores tantum per accidens; ideoque minor debetur eis reverentia: si quis ergo contraheret in quinto gradu lineæ rectæ, valide contraheret, licet jure naturæ illicite: Sanch. l. 7. d. 51. Dubium etiam est, an primus gradus lineæ transversalis dirimat jure naturæ? Affirmant Vasq., Sanch., Bellar., Rebell., Bonac., & alii, quibus favere videtur cap. *Gaudemus*, *de divortiis*, ubi de conversis ad fidem statuit, si in secundo, vel ulteriori gradu contraxerint, non esse separandos; tacite insinuans separandos, si in primo: contradicunt D. Th., Cajet., Scot., Duran., Coninch., Pal., & alii, quia alias debuisset Deus aliter providere propagationi generis humani, & non dispensare legi naturæ inter filios, & filias Adæ; caput autem cit. indecisum reliquit de primo gradu, eo quod sub opinione esset.

Ex dictis infers; Si infideles contraxerint in gradibus jure naturæ dirimentibus, & postea baptizentur, separandos esse. Si vero in gradibus dirimentibus jure Ecclesiastico, non separentur, cap. *Infidelibus* 4. *de Consang. & Affinit.*, quia non erant Ecclesiæ subditi. Neque obstat, quod infidelis conversus, si sit bigamus, sit irregularis, etsi irregularitas inducta sit jure Ecclesiastico; nam, quod sit bigamus, est ex natura rei, & ideo non potest ascendere ad Ordines Sacros, licet id sit ex jure Ecclesiastico.

SCHE-

SCHEMA CONSANGUINITATIS.

	IV. Abavus. Abavia.	
IV. M. Propatruus. M.Proamita.	III. Proavus. Proavia.	IV. M. Proavunculus.M.Promatertera.
III. M. Patruus. M. Amita.	II. Avus. Avia.	III. M.Avunculus. M. Matertera.
II. Patruus. Amita.	I. PATER. MATER.	II. Avunculus. Matertera.
I. Frater.	o Hypothe.	I. Soror.
II. Filii ,& Filiæ Fratris.	I. Filius. Filia.	II. Filii, & Filiæ Sororis.
III. Nepotes, & Neptes ex Fratre.	II. Nepos. Neptis.	III. Nepotes, & Neptes ex Sorore.
IV. Pronepotes, & Proneptes ex Fratre.	III. Pronepos. Proneptis.	IV. Pronepotes, & Proneptes ex Sorore.
	IV. Abnepos. Abneptis.	

§. II.

Quid de Cognatione Spirituali?

CONTRAHITUR hæc cognatio (non ut olim in Cathechismo) in solis Sacramentis Baptismi, & Confirmationis, quæ sunt quædam veluti imagines generationis; & est impedimentum dirimens jure Ecclesiastico, ex Trid. *sess.* 24. *c.* 2.

Statuitur autem in hoc capite: Primo, Ut in Baptismo contrahant hanc coguationem *Tantum* Patrini, & Baptizans, cum Baptizato, ejusque patre, & matre. Similiter in Confirmatione Patriuus, & Confirmaus cum Confirmato, ejusque patre, & matre. Cum igitur Trid. dicat *Tantum*, sequitur, ut (quidquid sit de jure antiquo) uon eoutrahatur hæc cognatio inter ipsos Patrinos, neque inter hos, & Baptizautes, ueque inter Baptizatum, & sui obstetricem, aut conjuges, filiosve Patrinorum.

Statuitur secundo, Ut in Baptismo uuus, vel ad summum duo sint patrini, hoc est unus compater, & una commater; & hi eligantur a parentibus, vel procuratoribus pueri (nisi vero hie sit sui juris, possitque pro se eligere: Tambur.) Hinc, si plures eligantur, illi duo contrahunt coguationem, qui primo sunt electi: si plures simul sint electi, contrahunt illi duo, quos Parochus designat (qui potest etiam defectum parentum in eligendo supplere) si Parochus nullum tunc designet, illi duo contrahunt, qui primi puerum teneut: quod si omnes simul teneant, omnes contrahere docet Sanch. contra Suar., & alios, quia Trid. videtur solum prohibere talem concursum, non irritare actum. At, si nullus omniuo sit alectus, aut designatus, tunc nullum ex iis, qui tenent, contrahere hanc cognationem, putat Sanch. cum aliis: contradicunt Nav., Heur., & alii, quia non videtue puer destituendus patriuo, ut postulat mos antiquissimus Ecclesiæ; &, eum novum jus Trid. locum non habeat (deest enim electio, seu designatio ab eo præcepta) intelligitue restitutus vigor juris antiqui: adde, quod, si quis se ingerat, &, eum rejici possit, non rejiciatur, intelligitue jam designatus: Tambur.

Statuitur tertio, Ue patriui puerum suscipiant e Baptismo. Hinc communiter docent contra Sot., non sufficere meram assistentiam, sed requirt etiam tactum physicum; & quidem talem, ut ex Declar. Card. apud Bonac. non satis sit, si digito tautom tangas, sed debeas illum vel tenere, dum baptizatur, vel e mann baptizautis suscipere; ideoqoe addit idem Bonac., commatrem non eontrahere hanc eognationem, si suscipiae puerum e manu compatris; quia uon eensetue illum suscipere e Baptismo. Verum, eum permissum jam sit suscipere per Procuratorem, tune, etsi Procnrator tenere debeat, non ipse tamen contrahit hane cognationem, sed principalis, ut declaravit S. Congregatio apud Navar. l. 7. *Consil.* in fine; quia Ecclesia id permittens uon intendit puerum sunc omuion destitui patrino, & *Qui per alium facit, per seipsum facere censetur, l. licet, de Const. Pecun.* Econtra vero, si Parochus alium substituat, ut baptizet, tuuc non Parochus, sed substitutus contrahit, quia baptizans agit unice, ut minister Christi: Coninch. cum commuut. Cæterum, si Procurator uon sit destiuatus ab ipso principali, vel non inteudat suscipere nomine illius, tune neuter contrahit cognationem: Pal. cum communi contra Sotum, & alios, etiamsi principalis postea ratificet actum: Tambur. uum. 550.

Quæres primo, Quid requiratur ex parte personarum ad contrahendam hanc eognationem?

Respondeo, Requiri, ut sint baptizatæ; ideoque eam contrahunt etiam hæretici, etiam Religiosi, qui, etsi prohibiti sint esse patrini cap. *Non licet, de Consecr. d.* 2., si tamen suscipiant, enntrahunt; non tamen infidelis, vel Catechumenus baptizans, vel suscipiens puerum e baptismo, quia uon subjacent legi Ecclesiasticæ statuenti hane cognationem: D. Th. eum communi: nnde nec baptizatus contrahit cum his eognationem, eum relativa debeant esse simul; neque adeo reviviscit cognatio, si postea hi baptizentur, quia *Quod a principio nullum fuit, convalescere nequit*, ex *Reg. Jur. in* 6. Similiter fidelis baptizans, vel suscipiens filium infidelium, etsi contrahat cognationem cum filio, non tameu cum ejus parentibus, quia cognatio est veluti relatio, quæ uon ponitur in uno extremo, uisi sit etiam in altero: Sanch. d. 60., Coninch. Bonac., & alii. An autem uon confirmatus teneus puerum in confirmatione contrahat hanc eognationem, dubium est apud Doctores: negant Tolet., Sanch., & alii eum Pignat. t. 1. *Consult.* 10., ubi pro se affert declarationem S. Congreg.: affirmat Aversa eum aliis, tum quia non eonstat de tali declaratione; tum quia nou confirmatus est capax cognationis.

Quæres secundn, Qnid reqniratue ex parte intentionis?

Respondeo, Requiri saltem intentionem faciendi, quod alii faciuut, vel quod intendit Ecclesia; etiamsi tunc ignores eontrahi hanc cognationem; imo, etiamsi expresse nolis eam contrahere; quia hæc necessario cousequitur ad eam iutentionem ex institutione Ecclesiæ: Sanch. d. 58. eum communi. Contra vero hanc eognationem nou contrabit patrinus, si non habeat usum rationis, vel si expresse non inteudat facere, quod intendit Ecclesia: Sanch. d. 61. oum communi. An autem coguationem eontrahat patrinus, qui per errorem suscipit e baptismo Titium, putans esse Cajum, dubitant Doctores. Affirmaut Perez, Couiuch., & alii; sed melius negant Sylv., Sanch. d. 58. cum aliis; quia, cum patriuus subeat onus fidejussoris, non ceusetur suscipere personam, quæcumque illa sit, ut censetur baptizare baptizans, qui tale onus uon subit; ideoque bic, non ille in tali easu cognationem subit?

Quæres tertio, Quid requiratur ex parte baptismi?

Respondeo, Requiri, ut baptismus sit solemnis, hoc est factus cum cæteris cæremoniis institutis ab Ecclesia; quia jus Ecclesiasticum instituit patrinos solum in baptismo solemni, ut constat ex Trid. eit.: hinc, si quis velit exercere muuus patrini in baptismo privatim facto ex necessitate, hanc cognationem uon subit: Sauch. d. 62. eum commuui contra Nav.; eam tamen subit ipse baptizans privatim, quia jus ecclesiasticum absolute statuit, baptizantem eam eontrahere: hine pater baptizans privatim filium propriæ concubinæ non potest cum ea matrimonium contrahere: Sanch. n. 10. Utrum autem hæc cognatio sequens post masrimonium impediat petitionem debiti, dicam d. 4. Deuique, quando in Ecclesia supplentur solemnitates baptismi privatim

eim facti, tune is, qui suscipit, nou est verus patrinus, quia nun suscipit e baptismu; ideoque nec cognationem euutrahit: Tamb. eum aliis. Quod si baptismus ipse itererur sub conditione, eo quod dubitetur de priuri baptismo, tunc patrinus cognationem subit, quia Ecelesia, nisi constet de validitate priuris baptismi, præsumit pro posteriori: Bon., Perez d. 29. s. 3. n. 3. cum aliis.

§. III.

Quid de Cognatione Legali?

INducTUM est hoc impedimentum jure civili, approbatumque jure ecclesiastico, ideuque iufideles uun afficit, nisi, qui subjecti sint juri civili Rumano. Oritur autem hæc eognatio ex aduptiune, qua persona extranea legitime assumitur in filium, vel filiam, seu in nepotem, vel neptem, &c.

Ad legitimam adoptionem requiritur primu, ut adoptans sit sui juris, sit vir, sit major 25. annis, excedatque adupratum saltem 18. annis, & sit a natura poteus ad generandum; quia aduptio fit in supplementum filiorum. Hinc, & Saeerdos, & Eunuchus arte, vel murbo, possunt aduptare, quia natura sunt potentes ad generandum: Sanch. l. 7. d. 73. cum cummuni. Requiritur secundo, Ut adoptatus sit extraneus, hoc est, non conjunctus cum aduptaute in eu cunsauguinitatis gradu, in quem aduptatur; debet insuper esse præsens adoptanti, dum adoptatur, neque adeo adoptari potest per procuraturem *L. Post mortem §. fin. de Adoptione*. Putest tune quidem esse sub jure alterius, puta patris sui naturalis; sed tunc adoptio est imperfecta, sicque adoptatus nun transit in jus adoptantis, nec fit ejus hæres necessarius, sed tantum ab intestato. Si vero erat sui juris, tunc fieri potest aduptio perfecto (& quidem nounisi ex auctoritate supremi Principis requirentis in adoptante 40. annus ætatis) sicque aduptatus transit in jus adoptantis, sicque ipsius hæres necessarius etiam ex testamentu.

Dubium est, An utraque hæc aduptio inducat hoc impedimentum? Affirmant Tolet., Ponc., Pal., & alii; quia Ecclesia illud adnexuit adoptioni absque ulla distinctiune: Sanch. tamen n. 9. cum aliis communius docet, hoc impedimentum induci a sula aduptione perfecta; quia, cum matrimonium sit favorabile, jura contra illud stricte suut interpretanda de sula adoptione perfecta, cum imperfecta sit secundum quid. His positis.

Triplex species cognationis legalis ex adoptione oritur. Prima est inter adoptantem, & aduptatum, estque impedimentum perpetuum, etiamsi deinde dissolvatur aduptio, eap. *Ita diligere* 30. *q.* 3. Et, quoniam adoptata una persona censentur adoptari omnes illi, qui tunc sint sub ejus potestate *l. Si Paterfam.*, *ff. de Adopt.*, fit, ut hoc impedimentum ad hos etiam extendatur: Pal., Sanch. d. 63. n. 13. cum communi. Hinc adoptans invalide contrahit matrimunium cum filia adoptati, vel nepte, vel pronepte, si tempore adoptionis erant sub hujus potestate, etsi deinde emancipentur. Valide vero contrahit, si nascantur post adoptionem, vel si ante natæ prius etiam sint emaucipatæ; vel si siut illegitimæ; quia illegitimi non sunt sub potestate patris: *Iastit. de Nupt. §. ult.*; vel demum si sit filia, vel nepos filiæ aduptivæ, quia mulier neminem habet sub sua potestate *Inst. de Adopt.*, §. *Feminæ*. Secunda species est inter uxurem adoptantis, & adoptatum, & vice versa inter uxorem adoptati, & adoptantem, & hæc quoque est impedimentum perpetuum, etiamsi deinde sublata sit adoptio, ea *l. Adoptivus*, *ff. de Rit. Nupt.*, & ex tacita apprubatione Ecclesiæ. Tertia species est inter aduptatum, & filius carnales, & naturales adoptantis durante patria potestate, ex eap. un. *de Cognat. Legal.* Quare hoc impedimentum non est perpetuum, sed durat, quamdiu durat patria potestas, vel adoptiu, quæ dissulvitur murte adoptantis, sive naturali, sive etiam civili, puta relegatione, aut si adoptatus fiat Patritius, Episcopus, aut Emancipatus. Hinc filia illegitima adoptantis potest nubere adoptato, quia ex dictis nun est sub patria potestate; item filia legitima, si mancipetur, vel si dissolvatur adoptio: Sanch. cum communi, ex cap. fin. *de Adopt.* Ad alias persunas hæc cognatio nun extenditur; cum nullus sit textus, ex quo id culligatur; quare nun extenditur ad filius adoptatos inter se, neque ad eorum parentes cum adopeante, &c. Pal. num. 15. eum communi. An autem cognatio legalis superveniens matrimouio impediat petitionem debiti, dicam d. 4., & an superveniens sponsalibus ea dissulvat, dicam q. seq.

Illud hic noto, Excommunicationem contra eonsanguineos, & affiues contrahentes, ex Clem. un. *de Consanguin.*, nun extendi ad cuntrahentem cum cognatiune legali, vel spirituali; quia in pœnis locum non habet exteusiu ad similem easum: Perez cum commuoi.

C A P U T V.

De Impedimento Criminis.

QUatuor suut crimina, in quorum pœuam statutum est jure Ecclesiastico coutra reos impedimentum dirimens matrimonii iuvicem contrahendi: Primum, Occisio Conjugis: Secundum, Occisio cum adulterio: Tertium, Adulterium cum promissiune futuri matrimuuii: Quartum, Matrimonium de facto initum cum adulterio. Finis autem talium legum est, ne eupiditate talis matrimonii capeetur ansa occideudi conjuges.

Dico itaque primo: Si Titius, & Berta eonspirent in mortem alterutrius conjugis, subeunt impedimeutum dirimens matrimonii invieem contrahendi: Sanch. d. 79. num. 9. cum commuui, ex cap. *Laudabilem*, *de Conversione Infidelium*.

Requiritur tameu primo, Ut ambo sint complices, sive consiliu, sive mandato, siva alia quacumque operatiune, ut eruitur ex eudem cap. Quara non subeunt hoc impedimentum, si alter patret hoc erimen, inscio, vel dissentiente altero, etiamsi hic deinde ratum habeat; quia ratihabitio tunc comparatur mandato, ex *Reg. Jur. in 6.*, cum est de iis, quæ a nostra voluntate dependent, ut sint fata, vel quæ in jure exprimuntur, quod nun habetur in casu: Laym., Perez., Pal. n. 5. Secundo, Ut occisio cum effectu sequaror, quia verba legis pœnalis intelligi debent cum effectu, ex cap. *Relatum*, *de Cl. non resid.*; debetque mors sequi ex eorum uperatione, & non ex culpa Medici, val negligentia morientis, vel alia ea causa: Ponc. n. 4. Hinc, si uterque, vel alteruter maudarom, consilium, &c. revucaverit, itaut murs secuta nou debeat tribui illi, nou incurritur hoc impedimentum: Sanch. n. 7. Tertio, Ut occisio fiat ea intentione contrahendi invicem matrimunium; ut eruitur ex prædicto fine legis. Nun ergo subeunt hoc impedimentum, si occidant ob aliam causam; nisi vero adsit etiam ea intentio, quamvis secundaria: Sanch. d. 78. n. 13. Ut si vir uxorem deprehensam in adolterio occidat ex vindicta, & simul ax intentione cuntrahendi cum alia, cum qua conspiraverat; quamvis enim leges civiles hoc factum non puniant, tamen Canunicæ detestautur, nec excipiunt, dum hoc impedimentum constituunt: Aversa cum aliis. Dubium est, an hæc intentio debeat exterius manifestari? Negat Pal. n. 5. cum aliis, quia Ecclesia præcise punit oceisionem ex ea intentiune factam: contradicunt Ponc., Henr., & alii, quia in hoc crimine requiritur conspiratio duorum ex tali intentione; hinc nec bene videtur addere Bon., satis esse, si alteruter haue intentionem habeat.

Dico secundo: Si Titius, & Berta committant simul adulterium, & alteruter, etiam altero nesciente, occidat alterutrius conjugem ex intentione matrimonii cum superstite, subeunt impedimentum dirimens talis matrimonii: ita omnes ex c. *Si quis* 31. *q.* 1. Non requiritur in hoc crimine, ut uterque sit causa mortis, cum satis sit unus, altero etiam inscio; nec requiritur in utroque intentio matrimonii, cum satis sit in uno, puta in occisora. Imo nac requiritur, ut hæc intentio manifestetur alteri, quia non requiritur conspiratio, ut in crimine præcedenti: Tamb., Avers., & alii contra Pouc. & alius. Requiritur tamen, ut sit verum adulterium, & non ex sola conscientia erronea; item, ut sit per copulam perfecte consummatam; item, ut sit formale respectu utriusque, idest utrique notum ut tale; quia jura in re odiosa sunt stricte interpretanda. Hinc, si alteruter ignoret, se committere adulterium, non uritur hoc impedimeutum, etiamsi occisio conjugis sequatur; nisi vero fiat ex conspiratiune: Sanch. num. 12. cum aliis. Item requiritur, ut adulterium præcedat mortem coujugis, sive sit ante, sive post machinationem talis mortis: e. g. Titius dat venenum marito Bertæ ex intentione matrimunii cum Berta, cum qua patrat adulterium; si hoc adulterium sit ante, vel post datum venenum, sed ante mortem, oritur impedimeutum dirimens;

mens; si vero post mortem, non oritur; quia ibi, non hic committitur adulterium contra conjugem occisum: Sanch. cum communi n. 10.

Dico tertio: Si Titius, & Berta committant simul adulterium cum promissione contrahendi invicem matrimonium post obitum conjugis, subeunt impedimentum dirimens talis matrimonii: ita communiter ex cap. *Si quis vivente*. Itaque, nec adulterium solum, nec sola promissio satis sunt ad inducendum hoc impedimentum, sed requiritur utrumque. At non requiritur, ut promissio sit jurata, neque ut fiat eodem tempore cum adulterio; cum satis sit, sive sit ante, sive post ipsum, imo, etiamsi bona fide facta præcesserit, quia in omnibus his casibus præbetur ansa captandi mortem conjugis: Aversf. Lug. Sanch. d. 79. n. 3. Requiritur tamen, ut promissio non sit revocata ante adulterium; quia debent hæc duo simul aliquando concurrere ad dandam ansam captandæ mortis conjugis. Quare, si putantes conjugem jam esse mortuum promittant matrimonium, & deinde cognito, quod vivat, revocent promissionem, sed committant adulterium, non subeunt hoc impedimentum: secus vero, si revocent promissionem post adulterium; tunc enim jam ortum est impedimentum: Sanch. Bon. & alii. Requiritur etiam, ut utraque injuria sit illata eidem conjugi: quare, si Titius promisit ducere Bertam post obitum propriæ uxoris, sed post hujus obitum contraxit cum Lucia, qua vivente adulteratur cum Berta absque nova promissione, non oritur hoc impedimentum: Perez, Sanch. Bon. & alii. Promissio autem debet esse vera, seu cum animo se obligandi, quia promissio ficta est nulla promissio, ad quam proinde extendi non debet lex pœnalis: Laym. cum aliis contra Sanch. n. 10. Item esse debet absoluta, vel quæ evadat absoluta ante, vel per ipsum obitum conjugis tanquam per conditionem appositam; quia promissio aliter conditionata non dat æquivalenter ansam captandæ mortis: Laym. cum aliis contra Nav. Sanch. & alios. Item esse debet acceptata ab altero (etiamsi hic non repromittat) quia secus vim promissionis saltem completæ non habet: Sanch. Pal. num. 12. contra Laym. Dian. & alios. Et pro acceptatione docent Coninch, & Ponc. sufficere, quod taceat; sed negant Sanch. Bon. & alii. quia, si acceptaret, cum abundet amore erga adulterum, non taceret.

Quæres, An peccet conjux promittens matrimonium contrahendum post obitum conjugis?

Respondeo, non solum promittentem, sed etiam acceptantem peccare graviter; quia datur ansa captandæ mortis conjugis; &, licet sola hæc promissio non inducat impedimentum dirimens, est tamen invalida; quia jus alterius conjugis ei resistit: Sanch. n. 41. cum aliis.

Dico quarto: Si Titius, & Berta simul adulterentur, & contrahant matrimonium de præsenti, non solum invalide contrahunt, sed subeunt etiam impedimentum dirimens matrimonii contrahendi post mortem conjugis: ita omnes ex cap. *Super hoc, de eo, qui duxit*. Putat Hurtad. requiri tale matrimonium, quod alias foret validum, nisi adesset impedimentum ligaminis; sed rectius contradicit Sanch. n. 8. quia, cum sufficiat promissio matrimonii de futuro inter tales, multo magis sufficiet attentatio illius de præsenti; cum hæc attentatio sit veluti illius promissio, eo quod velint, matrimonium esse perpetuum. Si uterque sit conjugatus, non requiritur, ut uterque hoc sciat de utroque; requiritur tamen, ut uterque sciat de conjuge saltem unius; nam qui ignorat, non infert injuriam illi conjugio ignorato; & hoc impedimentum est inductum ob injuriam, quæ ab utroque fit eidem conjugio. Putat Sanch. cum Aversa, excusare hic ignorantiam etiam vincibilem, quia, quando lex requirit scientiam, vel dolum, videtur talis ignorantia excusare; docet tamen, sufficere dubium de vita conjugis, si reipsa vivat, quia hoc dubium in jure æquiparatur scientiæ. Cæterum illud hic notandum, hoc impedimentum incurri etiam ab ignorante, illud esse talibus criminibus adnexum: Sanch. d. 17. n. 9. cum communi contra Palud. & alios, quia, licet imponatur in pœnam, tamen primario, & principaliter est inhabilitas Canonica; uti etiam est affinitas ex copula illicita, & raptus: & praxis Ecclesiæ reos talium criminum nunquam permittit contrahere sine dispensatione, ut notat Corrad.

CAPUT VI.

De Impedimento disparitatis Cultus.

Cultus disparitas est inter personam fidelem, & infidelem, estque impedimentum dirimens, non quidem jure naturali; nam periculum perversionis fidelis, & pravæ educationis prolis tantum probat esse illicitum: neque jure divino positivo, nam, licet Christus matrimonium fidelium elevaverit ad esse Sacramentum, non inde infertur, inhabilitasse fidelem ad contrahendum cum infideli matrimonium, quod non sit Sacramentum: est igitur impedimentum dirimens jure ecclesiastico, & quidem potius per consuetudinem approbatam ab Ecclesia, ut colligitur ex cap. *Cave* 28. *q.* 1. & in eo non dispensat Pontifex, nisi in casu gravissimæ necessitatis, ut si ageretur de conversione alicujus Regni: Sanch. d. 71. n. 10. cum communi. Sicut autem nomine fidelis venit quivis baptizatus, sive sit excommunicatus, sive schismaticus, sive hæreticus, sive apostata: ita nomine infidelis venit quivis non baptizatus, sive sit judæus, sive paganus, sive ficte baptizatus, sive etiam catechumenus. Hinc valide contrahit fidelis cum baptizato profitente paganismum, invalide vero contrahit baptizatus profitens paganismum cum infideli; vel baptizatus cum catechumeno, qui, quamvis fidem habeat, & esse possit etiam in gratia, caret tamen baptismo, qui est janua cæterorum Sacramentorum. Neque obest Conc. Calc. c. 14. permittens contractum fidelis cum infideli spondente conversionem ad fidem; nam non loquitur de contractu matrimoniali, sed de sponsalibus contractis sub conditione, *Si convertatur*, quæ, impleta conditione, sunt vera sponsalia: Perez n. 6. Cæterum, si infidelitas superveniat matrimonio jam contracto, illum non dirimit; sed qua ratione possit esse causa divortii, dicemus d. 3. ubi etiam expendemus, quomodo matrimonium infidelium jam contractum dissolvi possit per conversionem alterutrius ad fidem.

Quæres, An validum sit matrimonium, inter personam catholicam, & hæreticam?

Respondeo affirmative cum communissima ap. Sanch. d. 72. contra paucos Canonistas asserentes in oppositum Can. 72. *Sextæ Synodi*, ubi dicitur, ejusmodi nuptias esse irritas, & dissolvendas. Verum ejusmodi Canones communiter censentur suppositititii, & dato, quod sint legitimi, ut vult Gratianus, solum sequitur, quod olim ejusmodi matrimonium erat irritum, ut colligitur ex Concil. Carthagin. & aliis, ac postmodum abrogatum est hoc impedimentum ex consuetudine approbata ab Ecclesia.

* Imo ex declaratione Bened. XIV. incip. *Matrimonia*, edita 5. Nov. 1741. decisum, ac statutum est primo, matrimonia in fœderatis Belgii Provinciis inter hæreticos contracta, & contrahenda pro validis habenda esse, etiamsi forma a Tridentino præscripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum. Additur secundo, Valida etiam esse (licet damnabilia, ac damnata) matrimonia in iisdem locis contracta, vel contrahenda inter catholicum, & hæreticum, vel econtra, alio tamen non concurrente canonico impedimento. Additur tertio. Hæc etiam intelligenda esse de similibus matrimoniis, quæ contrahuntur extra fines dominii eorundem fœderatorum ordinum ab iis, qui addicti sunt Legionibus, seu Militaribus copiis, quæ ab iisdem fœderatis ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque Arces conterminas, vulgo dictas *Di barriera*, dummodo uterque conjux ad easdem copias pertineat. Et hanc declarationem Sanctitas sua vult complecti etiam Civitatem Mosæ Trajectensis. Additur quarto, Circa conjugia, quæ contrahuntur in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis fœderatis domicilium habent, vel in fœderatis Provinciis ab habentibus domicilium in Regionibus Catholicorum Principum, nihil a Sanctitate sua de novo decerni, aut declarari. *

Per se tamen loquendo illicitum est matrimonium inter personam catholicam, & hæreticam ob periculum perversionis personæ catholicæ, & pravæ educationis prolis, maxime quod expresse, vel tacite solet promitti, se permissurum, ut dimidia pars liberorum educatur in religione hæretica. Hinc, antequam hoc matrimonium contrahatur, dissuaderi debet etiam in Urbibus, ubi permixtim vivunt catholici, & hæretici; & dissolvenda sunt sponsalia, si quæ sunt inita. Quod si persona catholica non desistat, neganda est ei absolutio,

lutio, quia non habet animum vitandi periculum; nec satis est, si alter promittat ei liberum Religionis usum, vel suam conversionem, quia, quamdiu actu non convertatur, censetur fallere. Esti. Sambou, Gambach. & alii Sorbon. sustinent, jure naturali divino prohibitum, itaut, nec Pontifex dispensare possit, tum ob periculum, &c. tum præsertim, quia pars catholica administrat hoc Sacramentum alteri publice hæreticæ, excommunicatæ, &c. sicut ergo ex nulla necessitate licet administrare Sacramentum publico peccatori excommunicato, &c. ita, &c. Quod si dicas, Clem. VIII. in hoc dispensasse cum Duce Barriensi, &c. & Urb. VIII. cum Henricia Ludovici XIII. filia, &c. Respondent importunitate magis, quam libera voluntate impetratum fuisse primum, nec authenticum, sed per epistolam privatam Cardinalium, quantum dare posset: Secundum pariter, ob publicam Ecclesiæ Anglicanæ utilitatem: v. Hubert. t. 7. pag. 821. At, si contractum sit matrimonium, non ideo neganda est absolutio dolenti de peccato jam commisso; moneri tamen debet, permissionem, aut pactum, quod pars liberorum educetur hæretice, esse impium, & irritum, ex cap. *Ex litt. de Convers. Infid.* Perez d. 36. s. 2. Docet etiam Aversa q. 18. s. 2. Parochum, & testes assistentes tali matrimonio peccare graviter, quia ex officio tenentur non cooperari tali illicitæ actioni; quamvis alii dicant, esse tantum materialem cooperationem; sicuti, si assistant duobus hæreticis, vel etiam catholicis in peccato contrahentibus. Dispensatio autem ex justis causis fieri potest ab Episcopo celate ad personas vulgares; relate vero ad Principes nonnisi a Pontifice: Dian. par. 8. tr. 1. res. 14.

CAPUT VII.

De Impedimento vis, & metus.

CERTUM est, vim, seu metum levem non esse impedimentum dirimens, quia facile contemni potuit, & debuit: D. Th. Sanch. cum communi contra Ledesm. & Nav. ideoque in omni jure metus levis ratio non habetur, *l. Nec timorem, ff. de eo, quod metus causa.*

Certum est secundo, nec esse impedimentum dirimens metum gravem provenientem ab intrinsecu, seu a causa naturali: ut cum ex metu gravis infirmitatis, naufragii, gehennæ, &c. ducis concubinam; quia tunc non coactus ab alio, sed a teipso eligis nuptias: D. Th. & Sanch. cum communi. Quod verum est, etiamsi tunc per alienum dolum inducaris in errorem; ut si falso dicat Medicus, proximam esse mortem; sic enim etiam metus provenit ab intrinseco, & dolus, seu error non est circa substantiam matrimonii: Tamb. tr. 4. c. 6. n. 13. ex de Lugo.

Sermo itaque hic est de metu gravi incusso ab extrinseco, hoc est, a causa libera, puta ab altero contrahente, a parentibus, a Principe, vel a quovis alio minante tibi malum grave, nisi contraxeris.

§. I.

Quomodo metus gravis dirimat Matrimonium?

DICO primo: Metus gravis ab extrinseco incussus non irritat matrimonium jure naturæ, sed jure ecclesiastico: ita probabilius cum Suar. Sanch. & aliis contra Scot. Mol. Tamb. & alios.

Ratio est, quia non loquimur hic de eo, qui metu gravi impulsus ad contrahendum fingit se consentire; interne tamen non consentit; sic enim matrimonium certe jure naturæ est nullum, at non ex metu, sed ex defectu interni consensus, qui etiam stante metu potest libere poni, & non poni, cum nemo cogi possit ad actum internum. Loquimur ergo hic de eo, qui gravi metu impulsus revera consentit, quamvis cum admixtione dissensus, quatenus habet voluntarium simpliciter mixtum cum involuntario secundum quid, ut cum quis ex metu naufragii projicit merces in mare: D. Th. cum communi: ergo simpliciter voluntarie, & libere consentit, & solum involuntarie secundum quid: ergo valide, quantum est ex jure naturæ, nisi Ecclesia illud irritasset; &, licet tale statutum Ecclesiæ non reperiatur in jure canonico, habetur tamen ex traditione.

Dices: Si tale matrimonium non esset irritum jure naturæ, non esset bene a natura provisum; cum non posset resarciri injuria illata conjugi coacto, & pars cogens ex iniquitate sua cum alterius damno lucrum reportaret, ut videtur arguere D. Th. q. 47. a. 3.

Respondeo, Solum hinc sequi, esse jure naturæ illicitum, & conveniens fuisse, ut lege humana irritaretur; quo sensu explicandus est D. Th. Cæterum non est opus, ut quævis injuria possit semper resarciri in eodem genere: ut in casu, quo quis fide data deflorat virginem, & deinde ducit aliam.

Dico secundo: Solus metus gravis ab extrinseco injuste incussus ad finem extorquendi matrimonii est impedimentum dirimens, sive talis metus incutiatur ab altero contrahente, sive hoc inscio a quovis alio, ex cap. *Veniens 2. de Sponsal.* Quod verum est, etiamsi adjungatur tali matrimonio juramentum, ex cap. 2. *de eo qui duxit*, quia juramentum sequitur naturam actus, super quem cadit, & sortitur conditiones illius, *L. fin. C. de Num. Pecun.* quare nec opus est relaxatione juramenti, cum nullum sit vinculum, & obligatio: Sanch. l. 4. d. 20. cum communi: itaque

Primo requiritur, ut metus sit gravis, quo scilicet probabiliter times tibi, vel tuis aliquod grave malum eventurum. Dico, *Tibi, vel tuis*, quia, quæ his eveniunt, censentur tibi evenire, quod aliqui extendunt ad consanguineos, & affines usque ad quartum gradum, & alii cum Gobat etiam ad amicum arctissime conjunctum; sed probabilius videtur metus non irritare, nisi sit de malo tibi, vel proxime conjunctis intentato; non enim ita te tangere videtur malum amico, vel remoto consanguineo illatum. Malum autem grave dicitur, vel absolute, vel respective. Absolute grave est, quod communiter censetur tale, seu valde molestum, puta mors, mutilatio, carcer diuturnus, gravis damnificatio, stuprum, infamia, injusta excommunicatio, amissio nobilitatis, vel majoris partis bonorum, vel rei notabilis, aut pretiosæ: Sanch. d. 5. ex *Cod. de his, quæ metus causa.* Respective grave est, quod est tantum grave respectu apprehensionis, vel conditionis personæ; nam pueris, mulieribus, viris valde meticulosis, vel aliunde afflictis valde gravia accidunt multa, quæ viris cordatis essent levia.

Cæterum uterque hic metus dici potest cadens in constantem virum saltem respective, ideoque uterque est impedimentum dirimens; quia ex utroque æque minuitur libertas requisita jure Ecclesiastico ad matrimonium, & *Ubi est eadem ratio, ibi est eadem juris dispositio, l. Ille, ff. ad leg. Aquil.* Modo tamen uterque timor sit probabilis, hoc est prudens saltem respective: nam, si nubas ob minas alicujus, qui non solet eas exequi, aut quibus potuisses aliter occurrere, valide nubis; secus vero, si vir ille sit potens, & dubitas, an sit eas executurus; quamdiu enim non constat de ejus more, adest prudens causa timendi: Sanch. d. 2. n. 21. cum communi.

An autem metus reverentialis dirimat matrimonium, relinquitur in praxi judicio prudentium. Nam non quivis ejusmodi metus censendus est gravis, sed ille solus, quo times e. g. diuturnam offensam Patris, vel Superioris cum vultus asperitate, vel cum minis, cum verberibus, cum aliqua mala tractatione, aliove gravi incommodo: Sanch. d. 6. & 7. cum aliis. Similiter preces, & blanditiæ etiam importunæ per se non irritant matrimonium, nisi sint vehementer importunæ, ac sæpius repetitæ a Patre, vel Superiore; qui sic faciunt metum reverentialem æquivalentem metui gravi; Less. Rebell. cum Sanch. ib.

Quod autem jure civili prohibetur, ne scilicet Tutor, Curator, aut horum filius ducat pupillam, eo quod præsumitur coacta metu reverentiali, hoc tamen non tenet jure Ecclesiastico, quod hic attendi debet, dummodo reipsa non adsit metus gravis: Pignat. t. 6. consult. 100.

Secundo requiritur, Ut metus gravis sit injuste incussus, itaut nec bonum commune postulet, nec tu causam dederis, ob quam jure possis cogi ad tale matrimonium; quia ratio, ob quam Ecclesia illud irritat, est injuria, quæ fit contrahenti per talem metum; atqui nulla fit injuria, cui metus juste incutitur: ergo, &c.

Hinc, si Titio deprehenso in crimine cum filia tua mineris malum grave, nisi illam duxerit, videndum, utrum filia voluntarie consenserit in copulam: si enim voluntarie, invalidum est matrimonium ex tali metu; quia Titius non tenetur determinate eam ducere præcise ratione talis copulæ, nisi etiam præcesserint sponsalia, aut promissio matrimonii, vel nisi aliter nequeat resarcire damnum illatum. Si vero involuntarie filia se habuit,

habuit, tunc etiam est distinguendum, nam, vel mineris Titio mortem, nisi eam duxerit, & invalide etiam ducit; quia tu non habes jus occidendi illum: vel minaris accusationem capitis, & sic valide ducit ex tali metu; quia tu habes jus ad accusandum: Sanch. d. 14. cum communi ex cap. *Venientes*.

Judex autem juridice procedens non dicitur inferre metum, *l. Continet*, §. *sed vim*, *ff. de eo, quod metus causa*. Quare validum est matrimonium, ad quod Judex cogit Titium e. g., qui resilit a sponsalibus, vel constupravit virginem invitam, &c.; quia juridice cogit: imo non Judex tunc cogit, sed ipse Titius sua sponte se subjecit legi. Secus dicendum, quando Judex injuste cogit. At quid, si Judex juste quidem secundum allegata, & probata, sed reipsa injuste ob testes falsum deponentes cogat Titium ad matrimonium cum Berta? Ponc., Dian., Aversf., & alii putant, matrimonium non valere, quia extortus est consensus metu reipsa injusto: Contradicunt Bonac., Sanch., & alii, quia non est credibile, jus positivum velle in casu matrimonium esse invalidum, cum Judex juridice procedat. Utraque sententia est probabilis.

Tertio requiritur, Ut metus gravis sit injuste incussus ad finem extorquendi ipsum matrimonium, sive cum persona determinata, ut est certum; sive cum indeterminata, puta cum una ex tribus filiabus Caji; quia, licet tunc liber sis quoad determinandam personam, non tamen quod substantiam status matrimonialis: Dian. Aversa cum communi contra Azor., Abb., Felin., & alios. Econtra vero, si metus ob alium finem sit incussus, tunc nullo jure constat irritare matrimonium, ut cum communi notat Sanch. Quare validum est, si contrahatur a defloratore puellæ, quem hujus pater occidere volebat ob vindictam injuriæ, sed ipse deflorator sponte se obtulit ad eam ducendam, ut mortem vitaret; quia tunc respective ad matrimonium videtur potius esse metus ab intrinseco: Sanch. d. 12.; ubi cum aliis id etiam extendit ad casum, quo Medicus, qui solus posset mederi, nollet tibi mederi, nisi duceres ejus filiam, quia metus mortis etiam hic oritur ab intrinseco, ex ipso morbo; sed in hoc melius contradicit Aversa; nam metus in casu etiam provenit ex denegatione medicinæ tibi debitæ saltem ex Charitate; quæ injusta denegatio tendit ad extorquendum matrimonium: & similis est casus, si puellæ extreme indigenti negares eleemosynam, nisi nuberet Titio; vel si nolis solvere debitum creditori, nisi tale matrimonium ineat; & universim irritatur matrimonium per ea omnia, quæ inducunt speciem privationis ejus, quod alias de jure tibi competit: de Luca *in Trident. disc.* 16. *num.* 36.

Dubitant hic Doctores, An irritum sit matrimonium contractum ex gravi metu, qui juste quidem incuti posset ob alios fines, de facto tamen incutitur ad extorquendum matrimonium: e. g. habes jus accusandi Titium ob furtum mille aureorum, & ei dicas, *Duc Filiam meam, aliter te accusabo furti*? Bonac., Coninch., Reginal., & complures alii putant, esse irritum, quia talis metus, quamvis juste incuti posset ob finem restitutionis aureorum, injuste tamen ob finem matrimonii: sed rectius contradicunt alii cum Tambur. tr. 4. c. 6. n. 10.; quia in casu non cogis Titium, sed sub conditione proponis, ut, si velit vitare accusationem, quam juste intentare potes, filiam tuam libere ducat. Hinc validum est matrimonium, si Titio damnato jam ad mortem Judex, vel quivis alius vitam promiserit, si meretricem duxerit; vel si custos carceris dicat, *Te dimittam, si filiam meam duxeris*; vel si dicat carnifex, *Aut duc filiam meam, aut morere, &c.* Dicastil. d. 4. dub. 7. & 9. cum aliis. Similiter, si Rex juste obsidens urbem, vel jus habens inferendi bellum alteri, bellum, vel excidium ei minetur, nisi filiam propriam duxerit. Ratio in his omnibus est, quia metus jam aliunde proveniens aufertur potius oblata occasione matrimonii.

§. II.

Resolvuntur alia quæsita circa vim, & metum.

QUÆRES primo, An peccet, qui ex metu gravi injuste incusso contrahit matrimonium?

Respondeo, Quod si contrahat cum intentione etiam exercendi actus conjugales, peccat graviter, ex c. *Inquisitioni*, *de Sent. Excom.*; quia est intentio fornicaria. Si contrahat ficte, & absque animo contrahendi, peccat tantum venialiter, ratione mendacii: Sanch. Pal., & alii; modo non adjungat etiam juramentum, cum sic vocaret Deum in testem falsi. Si denique revera consentiat in merum contractum matrimonialem, nullo modo peccat, etiamsi cogatur etiam adjungere juramentum: Sanch. l. 4. d. 16., & 17. cum communi; quia sic nulli facit injuriam, sed potius ipse eam patitur.

Neque obest prop. 29. damnata ab Inn. XI., quæ ait, *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi*. Nam hæc ideo damnatur, quia metus gravis non potest esse causa, ut ipse minister simulet Sacramentum faciendo illud irritum, puta proferendo absolutionem absque animo absolvendi. At in casu nostro tale matrimonium est jam irritum ex dispositione, vel naturæ, vel Ecclesiæ inducentis impedimentum dirimens, adeoque non ex defectu ipsius contrahentis, qui proinde non simulat Sacramentum, sed ex coactione ponit consensum jam aliunde illegitimum; quique proinde neque est materia, neque forma Sacramenti: Sanch., Perez, Dicastil., Gob., Bonac., & alii; qui hoc extendunt, etiamsi ex tali metu contrahas cum aliis etiam impedimentis, sive juris naturalis, sive Ecclesiastici.

Quid autem hic agere debeat, si deinde etiam cogatur ad copulam, dicemus, d. 3., ubi etiam videbimus, quando, & quomodo tale matrimonium possit revalidari, & quis possit ab eo resilire?

Quæres secundo, Quam pœnam incurrat, qui injuste cogit ad matrimonium?

Respondeo, Omnes, cujuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, qui quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogunt, quominus libere matrimonia contrahant, incurrere ipso facto excommunicationem majorem, ex Trid. *sess.* 24. *de Ref. Matr.* c. 9. circa quod notant Doctores, hac pœna solum comprehendi Magistratus, & Dominos temporales, qui jurisdictionem habent in foro sæculari, cujuscumque sint gradus, dignitatis, &c., quia de his tantum loquitur præfatio illius capitis, & juxta præfationem intelligendum est decretum *l. fin.*, *ff. de hæred. instit.*, & solum hos comprehendi, quando cogunt ad matrimonium, ut patet ex ipsis verbis Concilii; non vero, cum impediunt matrimonium. At Reges, vel Imperatores sive impediant, sive cogant ad matrimonium, non incurrunt hanc pœnam, quia deberent expresse nominari. Neque eam incurrunt Parochi, Episcopi, Domini relate ad sua mancipia, parentes relate ad filios, vel quicumque alii injuste impedientes, aut cogentes ad matrimonium, quia non habent jurisdictionem in foro sæculari: peccant tamen graviter, & ab Ordinario possunt excommunicari, ex declaratione Gregor. XIII., at si ita impediant matrimonium, ut cogant mulierem ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad omittendam professionem; sive ita cogant ad matrimonium, ut impediant ejus voluntatem suscipiendi veli, vel voti emittendi, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, ex Trid. *sess.* 25. *c.* 18. Contra nemo incurrit hanc pœnam, si juste impediat, vel cogat: quare, si ex aliquo matrimonio prævidentur oritura gravissima scandala; potest Episcopus illud prohibere sub pœnis quibuscumque, etiam incarcerando: Pignatel. t. 4. consult. 11. Similiter Domini temporales, Magistratus, Parentes, &c. cogere possunt ad matrimonium ex aliqua justa causa, puta ob pacem publicam conciliandam, vel ad tollendas capitales inimicitias, vel ad sublevandam gravissimam domus miseriam, cui aliter subveniri non possit; quia in his casibus filii, vel subditi jure naturæ obligantur, ideoque non debet eis durum videri, si cogantur ei satisfacere: Perez d. 17. s. 17. num. 6.

Quæres tertio, Quid specialiter dicendum de obedientia filiorum relate ad matrimonium?

Respondeo, Si velint statum Religionis, vel Cælibatus eligere, non teneri obedire parentibus, etiamsi hi promiserint eorum matrimonium; nisi vero adsit aliqua ex prædictis causis, ob quam jure naturæ obligantur. Si vero nullum statum adhuc elegerint, Sot., Navar., Rebel., Bellarm., & alii putant, obligatos esse ad matrimonium, quod parentes promiserunt, vel judicant conveniens, sed rectius contradicunt Abul., Gutt., Coninch., & Sanch. d. 23. n. 3. cum aliis, quia matrimonium est quædam perpetua servitus, quæ, nisi subeatur ex amore, gravissimis subest incommodis. Neque obstat c. 1. *de spons. impub.* dicens, filium, postquam ad perfectam ætatem pervenerit, debere adimple-

re

re matrimonium jam promissum a parentibus; nam ly *Debere* non præceptum, sed debitum honestatis sonare debet in subjecta materia, quæ summam libertatem expostulat: Sanch. cum Glossa.

Si vero statum matrimonialem elegerint, nondum tamen cum determinata persona, non tenentur obedire parentibus nolentibus, vel impedientibus talem statum, ob periculum incontinentiæ. Tenentur tamen sub gravi, si commode fieri potest, inquirere eorum consilium, quia secus esset gravis contemptus in re tam gravi eorum consilium negligere, quibus a natura incumbit bono ipsorum providere: Sanch. cum communi. At non tenentur illud sequi, si velint contrahere cum persona digna; nisi prævideant ob spretum eorum consilium, rixas, odia, aliave gravia incommoda suboritura, quæ ex charitate vitare, si commode fieri potest, debent: Sanch. cum communi. Si denique filius, vel filia propendeant in determinatam personam, parentes vero in aliam; tunc expendendæ sunt pro utraque parte rationes, &, si parentum justæ sint, tenentur obedire; secus, non tenentur, maxime si ab eo matrimonio plurimum abhorrent. Quod si contra positivam voluntatem parentum contrahant cum persona indigna, adeoque cum suo, suorumque dedecore, peccant quidem graviter, sed non ideo præcise possunt exhæredari; quia exhæredatio non fit, nisi adsit una ex 13. causis ingratitudinis, quas recenset Authent. *Ut cum, de Appellat. Collat.* 8.; inter quas non est hæc, quod ducat indignam contra voluntatem parentum; sic enim non infert per se, & directe gravem, & inhonestam injuriam parentibus, ut requiritur ex cit. authent., sed indirecte, & omnino per accidens: Sanch. d. 25. cum aliis plurimis.

Hinc, si filia petito consilio parentum contra horum voluntatem ineat matrimonium, non ideo potest ei negari dos; quia volenti nubere debetur dos ad alimenta, & ab substentanda onera matrimonii, & nullum jus dicit, filiam ob dictam causam posse privari dote: Sanch. d. 26. cum communi. Imo, licet nuberet indigno, non ideo posset privari alimentis necessariis, *l.* 5. §. *Si vel parens, ff. de libert. agnosc.*, dos autem, & alimenta æquiparantur in jure.

CAPUT VIII.

De Impedimento Ordinis.

AB ipso Ecclesiæ exordio ex constitutione Apostolica, omnibus, tum Græcis, tum Latinis ascendentibus ad Diaconatum injuncta est Castitas, & ab uxoribus antea ductis abstinentia, ut colligitur ex Epist. 2. Clementis Pp. Sed successu temporis post multa dissidia permissum est Græcis uti matrimonio ante Ordines contracto cum voto cælibatus post obitum uxoris, ex cap. *Quæsitum, de Pænit., & Remiss.*; &, si contrahant post Sacros Ordines, non solum illicite, sed etiam invalide contrahunt: Azor., Pignat. t. 8. consult. 81. contra Arcudium.

In Ecclesia vero Latina (de qua hic loquimur) perpetuo servata est Castitas, ampliataque etiam ad Subdiaconatum, qui ex immemorabili ipsius Ecclesiæ præcepto etiam ante Urb. II. fert secum votum solemne Castitatis, & impedimentum dirimens matrimonii. Hoc votum vel fit explicite, vel saltem implicite, cum scilicet quis bona fide Sacrum Ordinem suscipit animo parendi Ecclesiæ. Impedimentum autem, juxta dicta c. 3., non jure divino naturali, aut positivo, sed jure tantum Ecclesiastico inducitur, & affigitur non solum voto, sed immediate etiam ipsi Ordini Sacro, ut ex Trid. *sess.* 24. *can.* 9. colligunt Perez, Bonac., Tamb., & alii communiter.

Infers hinc primo, Nec primam Tonsuram, neque Ordines minores, esse impedimentum matrimonii: quare his susceptis valide ducis uxorem, etsi ipso jure priveris beneficio, & pensione Ecclesiastica: Sanch. d. 44., ex cap. un. *de Cl. Conjug.* Quod si facias ex aliqua justa causa, ne venialiter quidem peccas deserendo statum clericalem, etiamsi ducas viduam, vel transeas ad secundas nuptias. Si vero sine justa causa, peccas venialiter, quia reddis te incapacem ad munia clericalia, a quo tamen peccato etiam excusaris, si in habitu ducas unicam, & virginem; quia sic potes ea munia etiam exercere, & frui privilegio canonis, & fori, ex eodem cap. At quid, si suscipias Ordines minores credens illis adnexum votum simplex, vel etiam solemne Castitatis? Dico, neque eo voto te alligari, neque adeo impediti ad matrimonium; quia vovisti ex errore: Sanch. d. 21. cum communi.

Infers secundo: Si Sacrum Ordinem suscipias ignorans obligationem vovendi Castitatem, adhuc subis impedimentum dirimens matrimonii; quia jam valide es ordinatus in Sacris, & Ordini Sacro illud etiam est immediate adnexum ex constitutione Ecclesiæ. Votum autem, quod tunc per ignorantiam non emisisti, statim ac rescieris, debes emittere, si velis ordinibus uti; quod si nolis his uti, debes petere dispensationem a Pontifice, quam tamen difficillime concedet; præsertim quia nemo ex ulla ignorantia excusari potest ab emissione voti saltem impliciti, hoc ipso quod vult Ordinem suscipere, ut notat Vasq. Si vero Sacrum Ordinem suscipias expresse nolens vovere Castitatem, valide quidem ordinaris, sed peccas sacrilege, & semper teneris ad eam vovendam ex præcepto Ecclesiæ: ex quo similiter es inhabilis ad matrimonium, ob reverentiam Ordinis Sacri: Tamb., Hurtad. cum communi: quare & actus venerei sunt tibi sacrilegi, non ratione voti, quod non habes, sed ratione præcepti Ecclesiastici eos prohibentis specialiter ex reverentia Sacri Ordinis, ideoque eos constituentis in specie Sacrilegii: Perez d. 17. s. 2. num. 13.

Infers tertio: Si Sacrum Ordinem suscipias ex gravi metu injuste incusso, valide quidem ordinaris; &, licet non tenearis voto Castitatis, quia obligatio voti videtur inducta, quando Ordo sponte suscipitur, ex c. s. *Qui Clerici, vel Voventes*; subis tamen impedimentum dirimens matrimonii, quod ex constitutione Ecclesiæ adnexum etiam est Ordini Sacro, si libere, & absque errore tunc voveris: Perez s. 5. cum communi. Poterit tamen tibi dispensari a Pontifice, quia talis metus dat justam causam dispensandi: Tambur. cum aliis. At, si verbo, vel facto illum Ordinem scienter ratifices, sine coactione aliqua, non poteris deinceps resilire: Perez ibidem. Hæc tamen intellige, si metu coactus interne consenseris in suscipiendo Ordine; secus enim Ordo ipse est nullus, nullamque obligationem, aut impedimentum parit.

Infers quarto: Si impubes ante 16. annum ætatis suscipiat Sacrum Ordinem, tenetur ad Castitatem, & subit impedimentum dirimens matrimonii, quia valide, licet illicite, est ordinatus, &, cum haberet usum rationis, adstrinxit se voto Castitatis: qui enim vult principale, vult etiam accessorium: Trid. autem solum invalidat vota in professione Religiosa facta ante illam ætatem, nec est par ratio de voto adnexo Ordini Sacro, cum professio Religiosa plura includat onera: Sot., Suar. Hurt., Con., & alii contra Sanch., qui se retractat l. 4. *Oper. Mor.* c. 35.

Infers quinto: Si infans non habens usum rationis ordinetur in Sacris (quem etiam valide, licet illicite, ordinari, colligitur ex cap. un. *de Cler. per saltum promoto*) non manet obligatus ad votum Castitatis, quod certe emittere non valuit, & adveniente rationis usu, si nolit stare Ordini suscepto, non est impeditus ad matrimonium, sed Ordine deinceps non utatur: si velit stare Ordini, obligabitur ad votum, quod per hanc ipsam voluntatem implicite emittit, & simul subit impedimentum dirimens matrimonii: Sanch. cum communi.

Quæres, Quas pœnas incurrat Ordinatus in Sacris, si contrahat matrimonium?

Respondeo, incurrere excommunicationem majorem ipso facto, ex Clem. un. *de Consang., & Affin.*; tum etiam irregularitatem, ex cap. *Quotquot* 27. q. 1., etiamsi non consummet matrimonium: Sanch. d. 48. cum communi contra Navar., & esse casum inquisitionis, utpote de hæresi suspectum: Dian. p. 4. tr. 9. res. 5. Non tamen incurrit has pœnas, si ficte contrahat; imo neque, si ipse vere contrahat, at non femina; neque, si contrahat tantum sponsalia, etiamsi post illa sequatur copula affectu maritali; quia, licet in his sacrilege peccet, at nondum habetur contractus matrimonialis: Sanch. Perez, & alii. An autem, & quomodo conjugatus possit suscipere Sacros Ordines, videbimus d. 3. q. 3. c. 1., & seq.

CAPUT IX.

De Impedimento Ligaminis.

LIGAMEN est matrimonium valide contractum, quo durante non potest conjux aliud matrimonium valide inire. Hoc impedimentum fuit ab ipso mundi initio, ex illo Gen. 2. *Erunt duo in carne una*, adeo-

que

que prohibente Polygamiam plurium simul uxorum, quia unius caro in plures divideretur. Infers hinc communiter cum Bellar., & Sanch. contra Durand., & Cajetanum, hoc impedimentum non solum esse juris divini positivi, sed etiam naturalis; quia Polygamia plurium simul uxorum est contra æqualitatem contractus, siquidem quælibet uxor integre se traderet viro; secus vero vir, cum in plures divideretur.

Dispensavit autem in eo Deus ipse post diluvium cum Hebræis, ad multiplicandos præsertim fideles in venturum Messiam, ut notat Bellarm. c. 2.; uti ob honestos fines concessit etiam occisionem primogenitorum, & acceptionem bonorum Ægyptiorum; cum ipse dominus sit vitæ, & bonorum omnium. Hebræos vero secuti sunt Gentiles, non quod cum illis etiam dispensatum esset, ut putant aliqui, ad multiplicandum genus humanum diluvio jam diminutum; sed quia licitum sibi esse credebant Hebræorum exemplo, ut colligit August. ex c. 26. & 28. Gen. At in lege Evangelica cessavit ea dispensatio; nam Christus Dominus Matth. 5., & 19. reduxit matrimonium ad primævam sui institutionem, c. *Gaudemus*, *de Divort.*, & Trid. *sess.* 24. *can.* 2. Ideoque nec potest Pontifex in hoc dispensare; cum neque ipse sit Dominus corporum, neque Christus hanc illi potestatem concesserit, neque ulla hujus concessionis appareat convenientia. Ita omnes.

Itaque cap. *In præsenti*, *de Sponsal.* cavetur, ne conjux novum matrimonium ineat, *Donec certum nuncium recipiat de morte prioris conjugis*; & ut additur c. *Dominus*, *de secundis nupt.*, *Donec ei constet*, *quod ab hac vita migraverit*. Non ergo sufficit dubitatio de morte conjugis absentis post expectatum quinquennium, aut quotcumque alios annos, ut aliqui putabant ex *l. Uxor*, *c. de Repudiis*. Neque quæcumque existimatio, aut verisimilitudo mortis, ut aliqui putant ex cap. *Cum per bellicam*, & cap. *Quoniam*; nisi sit certa moraliter, ut addit Glossa, Abbas, Sanch. l. 2. d. 46. n. 6. Et ratio est, quia, licet possit quis ex opinione mere probabili prudenter operari id, quod in nullius cedit præjudicium, non tamen id, quod juri alterius acquisito præjudicat, ut habetur in casu.

Argumenta, ex quibus colligi potest hæc moralis certitudo, sunt varia: Primo, Liber Parochi, qui inter mortuos conjugem adscripsit, ut habet praxis Ecclesiæ, teste Aversa contra Poncium: Secundo, Productio testamenti defuncti facta ex mandato Judicis: Tertio, Communis, & constans fama, non se sola, sed si ad eam accedant alia adminicula, nempe quod fuerit senex, valde æger, pugnarit in acie, &c., vel si ad famam accedat unus testis de visu: Avers. & alii communiter. Ipsa autem fama semper est probanda duobus testibus omni exceptione majoribus, qui deponant, se a fide dignis audivisse, & esse in illo loco publicum, & se credere, ita se rem habere: quod si non adsint conjecturæ probabiles de illa morte, explicare debent, a quibus personis audierint, nisi 6., aut 8. testibus fama comprobaretur: Pal. d. 4. p. 13. §. 1. n. 8. Quarto, Quando locus, in quo esset mortuus, est distans, ex quo difficile est habere probationes, tunc sufficere unum testem fide dignum, putant aliqui cum Ab., & Hostien.; alii negant cum Sanch., & Bonac. Equidem cum Avers., & Pal. censeo, tunc sufficere, cum est testis de visu, & juramento deponit, se vidisse mortuum, aut saltem exequias, vel sepulchrum illius: Gob. n. 312.; & in hoc casu, si major certitudo, vel plenior probatio haberi non possit, requiritur insuper talis præsumptio, ut excludat moralem dubitationem, & faciat probationem moraliter certam: extra has circumstantias non sufficit unus testis etiam de visu, quia semiplenam tantum probationem facere potest, adeoque non judicium moraliter certum, sed mere probabile; hinc *l. Jusjur. c. de Testib.* & *c. Veniens*, eodem, *Vox unius*, *vox nullius*, hoc est nullius effectus ad sententiam ferendam.

Noto hic tamen, causam de libero statu non posse cognosci a Parocho, sed remitti deberi ad Ordinarium, qui per se, vel per suum Vicarium eam cognoscat juxta constitutionem Clem. X. editam 21. August. 1670., in qua exhibetur instructio pro examine testium in casu ligaminis. Noto insuper, majorem requiri certitudinem de morte prioris conjugis, quando agitur de matrimonio contrahendo, quam quando agitur de permanendo in 2. matrimonio jam contracto cum dubio de ea morte: hinc, si Titius diu vixit cum Berta, quam etiam suam uxorem sæpe juratus asserit coram testibus, & deinde ea vivente contrahit in facie Ecclesiæ cum Caja; tunc, si non potest aliunde certo probari prior contractus, standum est in foro externo pro secundo; quia contra solemnem contractum nullæ valent præsumptiones, licet multæ, & magnæ, Bart., Bard., Gob., Less. addens, neque sufficere pro primo famam cum uno teste oculato, quæ duo alias facerent plenam probationem. Econtra vero, si, habita morali certitudine mortis, bona fide contrahatur 2. matrimonium, & deinde evidenter constet, priorem vivere, standum est pro priori matrimonio, cum nec bona fides, nec Judicis sententia, si forte fuit interposita, possit illud dissolvere. Noto demum, quod, si conjux certo sciat mortem alterius conjugis, quam tamen probare non possit, tunc potest 2. matrimonium contrahere, secluso scandalo: Rebell., Gutt., & alii; quia nullum habet impedimentum ligaminis: item validum est secundum matrimonium, licet illicitum, si contrahatur, cum dubio de morte prioris conjugis, & ille revera sit jam mortuus; imo, etiamsi tunc falso credebatur esse vivus, modo habeatur intentio contrahendi, quantum possunt: Bonac. cum communi. Econtra vero, si deprehendatur, priorem conjugem vivere ante secundum matrimonium, & post illud esse mortuum, secundum matrimonium manet invalidum; quia *Quod ab initio non valet*, *tempore non convalescit*, ex *Reg. Jur. in 6.*, convenit tamen ad scandalum cavendum, & ad educationem prolis, ut ponant novum consensum ad illud validandum: Gobat. n. 286., & 425., ubi alios similes casus practice resolvit, de quibus nos agemus d. 3.

Quæres primo, Quas pœnas incurrat, qui plures simul uxores habeat?

Respondeo, Stando juri communi hoc delictum pertinere ad utrumque forum; nunc tamen ad solos inquisitores, ad quos remitti debet, si præventum sit a curia seculari: inquisitores autem torquent reum super intentione, & abjurare faciunt, utpote de fide vehementer suspectum (præsumitur enim male de ea sentire contra Sacramenta) & deinde remittunt ad curiam sæcularem, quæ ipsum punit pro bigamia: si vero inquisitores præveniant, in totum puniunt, triremibus, exilio, &c., pœnitentiis salutaribus injunctis inquisitorum arbitrio: Genuens. *in Praxi Archiep.* cap. 68. n. 13., quibus pœnis etiam subjacent consulentes bigamiam, utpote suspecti etiam de fide, quos proinde tenetur quisque revelare. Qui autem dixerit, licere Christianis habere plures simul uxores, excommunicatur in Trident. *sess.* 24. *can.* 2., Dian. p. 4. tract. 7. resol. 4.

Quæres secundo, An licitum sit plures successive uxores ducere, & an secundæ, & tertiæ nuptiæ sint Sacramenta?

Respondeo, Nullo jure prohiberi, imo positive permitti a PP., & Concil. apud Arcudium, ex Apost. 1. ad Corinth. 7. contra Tertullianum, Novatianos, & Montanistas; quod autem in aliquibus Conciliis pœna imposita fuerit sæpius nubenti, ideo est, quia plures nuptiæ plerumque sunt signum incontinentiæ. Quod autem secundæ, & tertiæ nuptiæ sint Sacramenta, videtur esse de fide, cum ex hac intentione fiant inter catholicos. Neque obest, quod bigamia non repræsentaret unionem Christi cum Ecclesia: nam 2. matrimonium secundum se spectatum eam repræsentat, cum sit conjunctio unius cum una; quod autem secundæ nuptiæ non benedicantur, cap. *Vir*, *de Secundis Nupt.* est, quia benedictio iterari non debet: ubi etiam notat Sanch. l. 7. d. 82. n. 23. ex consuetudine impertiri etiam benedictionem, si alteruter contrahens nondum eam acceperit.

C A P U T X.

De Impedimento publicæ honestatis.

JURE Ecclesiastico inductum est hoc impedimentum propter honestatem quandam, ac decentiam publicam, & oritur, vel ex sponsalibus, vel ex matrimonio rato.

§. I.

De publica honestate e Sponsalibus.

QUIDQUID sit de jure antiquo, Trid. *sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 3. ita statuit: *Justitiæ publicæ hone-*

statis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non sunt, S. Synodus prorsus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant. Itaque non oritur hodie hoc impedimentum, nisi ex sponsalibus validis, nec excedit primum gradum, & quidem solius consanguinitatis; cum ne jure quidem veteri afficeret gradum ullum affinitatis, vel cognationis spiritualis; aut legalis.

Itaque Titius post sponsalia cum Berta invalide contrahit matrimonium cum matre, sorore, filia, sive legitima, sive illegitima Bertæ: & econverso Berta invalide contrahit matrimonium cum patre, fratre, filio, sive legitimo, sive illegitimo Titii; quia hæ personæ sunt in primo gradu consanguinitatis. Contra vero cum reliquis valide contrahunt, puta Titius cum matertera, nepte, consobrina, vel quavis alia consanguinea, aut affine Bertæ, & hæc cum patruo, nepote, consobrino, &c. Titii; quia hæ personæ non sunt in 1. gradu consanguinitatis.

Sponsalia, ut inducant hoc impedimentum, debent esse valida: quare illud inducunt sponsalia etiam occulta, cum sic etiam sint valida: item, quæ fiunt ab impuberibus post septennium, cap. *Accusat de Sponsal. Impub.*; cum & hæc sint ab initio valida, quamvis possint deinde irritari: & idem est, si iidem impuberes contrahant matrimonium, cum ejusmodi contractus habeat vim sponsalium, ex cap. fin. eodem. Idem pariter esse debet de matrimonio clandestino, quod Trid. irritat solum, quatenus habet rationem matrimonii, adeoque non quatenus habet ex natura sua vim sponsalium: Perez, Con., Henr., afferens declarationem Sacræ Congregationis. Item sponsalia, quæ mutuo deinde consensu dissolvantur; quia jam olim fuerunt valida, ex authentica declaratione S. Congregationis 6. Jul. 1658. approbata ab Alex. VII. 10. ejusdem mensis: idemque est, si unus sponsus moriatur, vel ingrediatur Religionem, vel quacumque alia de causa sponsalia dissolvantur: quare impedimentum hoc publicæ honestatis semel inductum ex sponsalibus semel validis est perpetuum.

Si sint irrita ex defectu consensus omnino occulto, Sanch. lib. 7. disput. 68. num. 14. cum aliis inquit, inducere publicam honestatem, quia debet hic defectus esse externus, & Trid. intelligi de quacumque ratione apparenti, & externa. Idem ait de quocumque alio impedimento occulto, scilicet voto, &c., dummodo probari nequeat. Si ergo impedimentum sit occultum, & sponsalia publica, habetur impedimentum; si vero utraque occulta, tunc matrimonium initum cum sorore est validum.

Contra vero Navar., Ledesm., & alii docent, sponsalia etiam invalida ex defectu interni consensus non inducere publicam honestatem, & idem dicunt, si sint invalida ex quavis alia causa etiam occulta; quia Tridentinum dicit *Quacumque ratione*. Quare, si Titius ineat sponsalia cum Berta, & deinde celebret alia sponsalia cum sorore Bertæ, potest, ac debet ducere Bertam; quia secunda sponsalia sunt invalida ratione priorum: at, si post priora sponsalia copulam habeat cum sorore Bertæ, tunc neutram potest ducere; non sororem Bertæ, propter sponsalia jam valida; non ipsam Bertam, propter copulam cum ejus sorore inducentem impedimentum affinitatis, de quo cap. sequ.

Denique non inducunt publicam honestatem sponsalia conditionata sub conditione nondum adimpleta, cap. un. *de Sponsal. in 6.*, quia nondum habent vim sponsalium: neque sponsalia cum persona indeterminata, puta cum aliqua ex filiabus Caji, cap. eodem: neque cum sponsi tantum se obligant sub veniali, vel tantum sub pœna amittendi v. g. arrham; vel si sint impuberes ante septennium, nisi malitia suppleat ætatem; vel si parentes celebrent sponsalia pro illis, aut etiam pro majoribus natu, si aliquo modo hi non consentiant; quia hæc omnia invalida sunt in ratione sponsalium, juxta dicenda d. 2.; ubi etiam probabilius dicemus cum Sanch., sponsalia inita ex metu gravi esse invalida saltem jure positivo, adeoque nec inducere publicam honestatem; inducere vero, si sint inita ex metu levi.

§. II.

De publica honestate ex Matrimonio rato.

UT ex matrimonio consummato oritur impedimentum affinitatis explicandum c. seq., ita ex matrimonio tantum rato oritur impedimentum publicæ honestatis, ex cap. *Si quis* 11. caus. 27. q. 2., & perpetua praxi Ecclesiæ; &, quamvis jus antiquum sit a Trid. reformatum quoad publicam honestatem ex sponsalibus, juxta dicta §. anteced., non tamen quoad publicam honestatem ex matrimonio rato, in quo proinde durat in omnibus illis casibus, & gradibus, in quibus de jure antiquo erat introducta, ut expresse declaravit Pius V. motu proprio, *Ad Romanos spectat* an. 1568.

Itaque etiam nunc impedimentum publicæ honestatis consurgit ex matrimonio non solum valido, sed etiam invalido, modo non sit invalidum ex defectu consensus; quia ita statutum erat jure antiquo cap. *Sponsum, de Sponsalib.*, & cap. *Accessit, de Spons. Impub.* Similiter etiam nunc extenditur hoc impedimentum usque ad quartum gradum consanguinitatis; quia, licet jus antiquum de eo loquens indefinite dicat extendi ad consanguineos, tamen, cum consanguinei intra quartum gradum reputentur, cap. *Non debet de Consanguin.*, sequitur, &c. Ita fere omnes, contra aliquos non advertentes ad prædictum decr. Pii V.

Infer hinc, Non oriri hoc impedimentum ex matrimonio inito cum consensu ficto, aut a furiosis, aut ab amentibus, a pueris ante septennium, ab ebriis, &c.; vel per errorem personæ, vel cum persona indeterminata, vel ex metu gravi injuste incusso, quia ejusmodi matrimonia sunt invalida ex defectu consensus, qui esse debet spontaneus, liber, certus, ac determinatus; &, licet matrimonium ex metu gravi non sit invalidum jure naturæ, juxta dicta c. 6., affert tamen notabilem defectum liberi consensus: Sanch. d. 70. cum communi. Idem est de matrimonio contracto sub conditione de futuro, antequam hæc adimpleatur; quia conditio nondum adimpleta suspendit consensum: Sanch. d. 69. cum communi; modo conditio non sit de re impossibili, quia sic habetur pro non adjecta, & matrimonium est absolutum, juxta dicenda d. 2., & 3.

Infer e converso, Induci hoc impedimentum ex matrimonio non solum valido, sed etiam invalido ex quocumque alio capite, qui non sit defectus consensus; quia cum in publica honestate nihil sit innovatum a Trid., erit in ea standum juri antiquo. Hinc probabilius oriri debet hoc impedimentum ex matrimonio etiam clandestino; quia, licet hoc sit invalidum, at non ex ullo defectu consensus: Perez d. 3a. s. 3. cum Poncio, Hurtado, & aliis contra Con., Sanch., & alios; neque obstat, ejusmodi consensum esse illegitimum; nam nihil prorsus illi deest in ratione consensus, sed tantum solemnitas præsentiæ Parochi, & testium requisita a Trid., quod est quid ei accidentarium: igitur causare debet impedimentum publicæ honestatis ut matrimonium ratum, adeoque usque ad quartum gradum, & non tantum, ut habens vim sponsalium, & tantum in primo gradu. Idem dicendum de matrimonio impuberum post septennium, & de matrimonio invalido ex quovis alio impedimento, modo non adsit defectus consensus.

Unum excipe cum Perez n. 4. contra Bonac., si nimirum Titius post sponsalia inita cum Berta contrahat matrimonium tantum ratum cum matre, vel sorore, vel filia Bertæ, tunc enim potest, ac debet contrahere cum Berta (dixi tantum *Ratum*, nam si sic consummatum, tunc nullam potest ducere ex dictis, & dicendis c. sequ.) Ratio est, quia cap. un. *de Spons. in 6.* specialiter cavetur, ne a sponsalibus posterioribus oriatur publica honestas in præjudicium priorum: ergo neque oriri debet ex matrimonio rato in præjudicium sponsalium priorum; *Ubi enim est eadem ratio, ibi est eadem juris dispositio*, l. ille, ff. ad leg. Aquil. Noto tamen cum Sanch. d. 68., quod, licet in casu ex speciali dispositione juris non oriatur in Titio publica honestas respectu Bertæ, oritur tamen respectu reliquarum consanguinearum Bertæ usque ad quartum gradum, quia istæ nullum jus acquisierunt ad matrimonium cum Titio, & ex matrimonio rato perseverat nunc impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum.

CAPUT XI.

De Impedimento Affinitatis.

AFFINITAS est *Propinquitas Personarum proveniens ex copula*, sive licita, sive illicita, etiam facta cum insana, ebria, dormiente, invita, seu coacta.

Nam

Nam ad affinitatem tantum ſufficit *Sanguinis*, ideſt ſeminum *Commixtio*. ex cap. *Lex divin.* 27. q. 2. & ex cap. *Fraternitas* 35. q. 10. *Si una caro fuerit*, hoc eſt unum principium in ſemine apto ad generationem.

Hinc ad contrahendam affinitatem non ſatis eſt copula ſodomitica, aut eunuchi, aut impuberis, aut quomodocumque mere attentata, quia non habetur commixtio ſanguinis apta ad generationem. Econtra ſatis eſt quævis commixtio per ſe apta ad generationem, etſi hæc deinde non ſequatur ob ſterilitatem, aliave ex cauſa. Hinc probabilius Sanch. d. 64. cum plurimis contra Conrad. Ponc. & alios, docet, ſatis eſſe, ſi viri ſanguis ſponte, caſu, vel arte quacumque, vel etiam ope dæmonis immittatur intra vas mulieris, quamvis non violetur per copulam; quia hoc ſatis eſt ad generationem: ponitur autem copula in definitione affinitatis, quia regulariter id fit media copula, ut notat Perez d. 31. ſ. 1. n. 4. Addit tamen n. 5. cum Lopez, Hurt. & aliis, non ſatis eſſe viri ſeminationem, niſi etiam mulier ſeminaverit; quia Canones requirunt *Commixtionem*, & Hippocr. & Galen. docent, ad generationem utrumque eſſe neceſſarium: contradicunt alii cum D. Th. & Sanch. quia ex Ariſtotele non requiritur neceſſario ad generationem ſeminatio mulieris: equidem, quidquid ſit de hoc, dico cum Gob. n. 390. ſemper præſumendam eſſe in copula voluptuoſam mulieris ſeminationem: ſicuti etiam juxta Sanch. l. 8. d. 6. num. 18. ſemper præſumenda eſt viri ſeminatio, ſi dubitet, an in copula ſeminaverit; quia ita communiter contingit, & *Ex communiter contingentibus eſt prudens præſumptio*. His notatis, ſit

§. I.

De affinitate ex copula licita.

DIco primo: Affinitas orta ex copula licita, ſeu ex matrimonio valido jam conſummato, eſt impedimentum dirimens uſque ad quartum gradum conſanguinitatis: ita omnes ex c. *Non debet*, *de Conſang. & Affin.*

Explico: Titius, & Berta habent copulam conjugalem; hi ex hac copula, quamvis non dicantur proprie affines inter ſe, cum fiant potius una caro; dicuntur tamen radix, ſtipes, ſeu cauſa affinitatis, nam Titius fit affinis omnibus conſanguineis Bertæ, & Berta fit pariter affinis omnibus conſanguineis Titii: hinc nec Titius poſt mortem Bertæ poteſt ducere ullam ejus conſanguineam, etſi poſtea natam, neque Berta poſt mortem Titii poteſt nubere ulli ejus conſanguineo, etſi poſtea nato; & quidem de jure antiquiori uſque ad ſeptimum gradum; de jure vero præſenti uſque ad quartum, ex c. cit. & praxi Eccleſiæ. Gradus autem affinitatis ſunt iidem omnino, ac conſanguinitatis: quare Titius factus eſt affinis in primo gradu lineæ rectæ cum matre Bertæ, in ſecundo cum ejus nepte, &c. & vice verſa Berta cum patre, nepote Titii: & ſimiliter in lineis tranſverſis.

Contra vero ex tali copula conjugali conſanguinei Titii non fiunt affines conſanguineis Bertæ, cum nullo jure probari poſſit affinitas conſanguineorum utriuſque inter ſe: quare duo fratres poſſunt ducere duas ſorores & filius poteſt ducere illam, cujus matrem pater ejus duxit, cap. *Super his*, *de Conſanguin. & Affin.* ubi etiam dicitur, quod affinitas non generat affinitatem; quare Titius in caſu, mortua Berta, poteſt ducere Luciam, quæ fuit uxor fratris Bertæ, quia Lucia non fuit conſanguinea, ſed affinis Bertæ. Similiter filius tuus ex prima uxore, poteſt ducere filiam ſecundæ tuæ uxoris ex alio viro genitam, itaut tua ſecunda uxor ſit noverca, & ſocrus filii tui, & tu vitricus, & ſocer uxoris filii. Poteſt pariter ex duabus viduis altera nubere filio alterius ex prioribus maritis, fratribus, quo facto, ſi una filium pariat, poterit altera dicere, *Hic eſt filius filii mei*, *& ſimul frater mariti mei:* alios ſimiles caſus implexus vide apud Laym.

Diſputant hic Doctores, an gradus aliquis affinitatis ex copula conjugali ſit impedimentum dirimens jure naturæ? Navar. Sot. Vaſq. Bell. & alii, affirmant de primo gradu lineæ rectæ, quia ſicut jure naturæ non poteſt filia nubere patri, ita nec ſuo vitrico, qui eſt una caro cum matre. S. Anton. Palud. & alii extendunt id etiam ad primum gradum lineæ rectæ tranſverſalis, quia Matth. 14. reprehenditur a Baptiſta Herodes, eo quod duxerit uxorem fratris ſui jam mortui, ut tenet Chryſoſt. Hom. 41. Equidem cum Sanch. d. 66. & aliis, cenſeo, quod licet nuptiæ cum his affinibus ſint jure naturæ illicitæ ob indecentiam, non tamen jure naturæ irritæ, ſed tantum jure eccleſiaſtico; nam in linea tranſverſali Jul. II. diſpenſavit in matrimonio Henrici VIII. cum Catharina Auſtriaca, uxore fratris ſui jam mortui, quam diſpenſationem Clemens VII. auctoritate Pontificia declaravit validam fuiſſe, & in linea recta. Ad illud de Herode D. Th. Beda, & alii communiter negant, ejus fratrem fuiſſe mortuum: & hoc gratis dato, nec poterat Herodes ducere uxorem fratris, ex quo nata jam erat filia ſaltatrix; prohibebatur enim lege Levit. 18. cui ſubjiciebatur, utpote filius Judæi, licet ipſe eſſet gentilis. Secundo cum D. Th. Cajet. Sanch. & aliis probabilius nego etiam de linea recta; quia in Concil. Agathenſ. can. 6. prohibetur matrimonium contrahi cum privigna, cum noverca: at ſi contractum ſit ante eam prohibitionem, decernitur ſuſtinendum eſſe, quod ſignum eſt, validum a Pontifice reputari.

Hinc Pal. n. 14. infert, quod, licet nuptiæ cum his affinibus ſint jure naturæ illicitæ ob indecentiam; at non jure naturæ irritæ; cum non eadem reverentia debeatur matri, ac novercæ, & conjuges fiunt una caro tantum extrinſece; unde etiam n. 12. infert, ſi infideles contraxerint in primo gradu affinitatis ex copula licita, non eſſe ſeparandos poſt baptiſmum, & inter fideles poſſe ex urgentiſſima cauſa diſpenſari, quæ tamen cum raro contingere poſſit, ideo Pontifices vix unquam in hoc diſpenſarunt.

§. II.

De affinitate ex copula illicita.

DIco primo: Affinitas orta ex copula illicita, ſeu fornicaria eſt impedimentum dirimens tantum in primo, & ſecundo gradu: ita ſtatuitur a Trid. *ſeſſ.* 24. *de Reform. matr. c.* 4. jus antiquum reformanti. Scio, Pignat. t. 4. conſ. 15. referre declarationem S. Congr. 3. Decemb. 1663. quæ dicit, ex copula illicita habita in matrimonio invalido oriri affinitatem uſque ad quartum gradum; ſed hactenus non ſatis conſtitit de hac declaratione.

Infers primo, Affinitatem ortam ex copula illicita, ita reſtringi a Trid. ad ſecundum gradum, ut in ulteriori gradu, nec dirimat, nec impediat matrimonium; ut Pius V. motu proprio declaravit an. 1566. Imo nec etiamſi in ſecundo, & tertio: Croix. Unde etiam infers, fornicationem cum affine in tertio, vel quarto gradu, non eſſe inceſtum: Sanch. d. 67. n. 8. Et, ſi maritus cognoſcat conſanguineam ſuæ uxoris in tertio, vel quarto gradu, adeoque ſibi in eodem gradu affinem, non impeditur a petitione debiti: Hurt. Ponc. l. 7. c. 33. num. 6.

Infert ſecundo, affinitatem ex copula illicita in nullo gradu irritare matrimonium jure naturæ; præcipue quia videmus ſæpe in quovis ejus gradu Pontificem in S. Pœnitentiaria diſpenſare: Sanch. d. 66. cum communi. Neque obſtat, quod affinitas naturaliter oriatur ex copula, ut mox dicemus; nam aliud eſt, quod talis affinitas ſit naturalis, ſeu vinculum naturale; aliud, quod dirimat jure naturæ: nam conſanguinitas eſt quid naturale etiam in ſecundo, & ulteriori gradu, in quibus nec dirimit jure naturæ: Perez d. 31. ſ. 5.

Infers tertio, Infideles valide contrahere matrimonium cum qualibet ſua affine ex copula illicita; quia jus Eccleſiaſticum, quo ſolo hæc affinitas dirimit matrimonium, non ligat ante baptiſmum: Sanch. Ponc. ibidem.

Quæres, An affinitas aliqua contracta ab infidelibus ante baptiſmum invalidet matrimonium contrahendum poſt baptiſmum?

Negat univerſaliter Henr. cum aliis; quia infideles non debent ligari impedimento eccleſiaſtico, niſi contracto poſt baptiſmum. Sanch. d. 65. cum aliis diſtinguit, & affirmat de affinitate orta ex copula licita, negat de affinitate ex copula illicita. Equidem cum Averſa, Pal. Perez, & aliis, probabilius affirmo de utraque. Ratio eſt, quia, quamvis Eccleſia non poſſit ſtatuere aliquid, quo infideles inhabilitentur, quamdiu ſunt infideles, tamen poteſt ſtatuere aliquid, quo contracto in infidelitate inhabilitentur, quando evadent fideles: ſic poſt baptiſmum non poſſunt contrahere matrimonium cum conſanguineis in quarto gradu, quamvis id potuiſſent ante baptiſmum: er-

go similiter dicendum contra Henriq. de affinitate ex copula licita, cum ea sit vinculum naturale instar consanguinitatis, & naturalis amicitiæ fundamentum, ex 8. Eth. 12. ergo similiter etiam dicendum contra Sanch. de affinitate orta ex copula illicita, in qua etiam vir, & mulier fiunt una caro, ex qua præcise consurgit naturalis affinitas, & vinculum amicitiæ: nam naturaliter proles amare debet ejusmodi parentes, eorumque consanguineos, etsi per accidens ratione dedecoris oriatur odium, & rixæ, ut notat Pal. Perez, & alii. Idem tenet Avers. contra Ponc. si vir, & mulier in infidelitate contraxerint impedimentum criminis, & post baptismum velint contrahere matrimonium; quia crimen jam est contractum, &, licet Ecclesia non possit tales punire ob delicta in infidelitate commissa, tamen requirere potuit, ut si baptizentur, & velint contrahere matrimonium, non fuerint rei talis criminis. Idem pariter tenet Sanch. d. 65. de impedimento publicæ honestatis ex matrimonio tantum rato, quod etiam est naturale vinculum amicitiæ, & propinquitatis, modo matrimonium illud fuerit validum; quia *Non entis nullæ sunt passiones*, ex *Reg. Jur.* At negat de sponsalibus, ex quibus non oritur naturale vinculum cum consanguineis sponsi de futuro; nec ex cognatione spirituali, aut legali.

CAPUT XII.

De Impedimento Impotentiæ.

IMPOTENTIA est physica inhabilitas ad consummandam copulam, & vel oritur ex solo defectu ætatis, vel est perpetua, vel Dubia. De singulis seorsim agendum.

§. I.

De Impotentia ex defectu ætatis.

DEFECTUS ætatis requisitæ ad matrimonium est in pueris usque ad annum 14. in puellis usque ad annum 12. quia potentia generandi tardius expeditur in viris, quam in feminis. Itaque ante hanc ætatem dicuntur impuberes; & ante usum rationis invalide jure naturæ nubunt, sive inter se, sive cum quovis etiam pubere; post rationis usum invalide tantum jure ecclesiastico, ex cap. 2. *de Sponf. Impub.* quia eorum impotentia est tantum temporalis, quæ non dirimit matrimonium jure naturæ, ut dicemus §. seq. quare, si sint infideles, validum est matrimonium. Ætas autem requisita jure ecclesiastico debet esse completa, ex cap. fin. eodem tit. & quidem omnino physice, inquit Abb. Ponc. Pignat. & alii, itaut nec hora desit; sed aliis placet completa moraliter, quare apud Sanch. sufficit, si ultima dies complens illos annos sit inchoata. Hostiens. dat tres dies ante; Ledesm. decem; Rebell. unum vel alterum mensem, quod equidem non facile admiserim. Cæterum tale matrimonium, etsi invalidum jure ecclesiastico, eodem jure valet ut sponsalia, ex cap. *Accessit, eod. tit.* quia mens contrahentium censetur esse, si actus non valeat quoad omnia, tamen valeat, quantum potest, ut additur cap. un. eodem tit. in 6. cum igitur sponsalia includantur in consensu matrimoniali, tanquam inchoato in perfecto, sequitur, ut tale matrimonium habeat saltem vim sponsalium; suspensa tamen hæc sunt, donec anni pubertatis accesserint, & tunc datur optio resiliendi etiam ab istis: ita omnes. Denique neque tale matrimonium jure ecclesiastico erit invalidum, ut matrimonium, *Si malitia suppleat ætatem*, ut additur c. 2. cit. Nomine autem malitiæ venit hic, non solum usus rationis, sed simul etiam potentia expedita ad consummandam copulam, quæ potentia in impubere colligi poterit, vel ex aliquo ejus facto, vel ex habitu, & dispositione corporis: Sanch. l. 7. d. 184. & in hoc casu declarat Pontifex validum matrimonium initum ab impubere. In dubio autem, an malitia suppleat ætatem, ex communiter contingentibus præsumendum est, non supplere, adeoque nec posse matrimonium valide contrahi: Sanch. d. 104. cum communi. At, si dubium oriatur post contractum matrimonium, aut comperiatur fuisse jam erratum circa potentiam expeditam ad copulam; tunc standum est pro valore matrimonii jam initi; quia tunc judicari vult Ecclesia, impotentiam illam esse temporalem: quare vult, ut expectetur usque ad completissimam pubertatem, quæ in viris est anno 18. in feminis anno 14. quod si neque tunc esset potens, opus erit triennali experientia, de qua §. 3.

Quæres, An peccet graviter, qui ante pubertatem contrahit matrimonium?

Respondeo, Si nondum habeat potentiam expeditam ad copulam, Sanch. l. 1. d. 17. cum aliis putat, non peccare; quia non fit injuria Sacramento per ejusmodi actum aliunde jam irritum, & insuper permissum ab Ecclesia, ut sponsalia. Contradicunt Ponc. Leand. & alii, quia videtur esse gravis injuria in auctorem Sacramenti, si quis sciens se impeditum sponte contrahat. Ecclesia autem non permittit absolute, sed, si contrahatur, vult valere, ut sponsalia. Si vero habeat potentiam expeditam ad copulam; tunc, si contrahat sine licentia Episcopi, graviter peccat; quia hoc, quod certe in se grave est, prohibetur graviter in jure, c. 2. cit. at, si contrahat cum licentia Episcopi, nihil peccat. Cavetur autem c. cit. ne Episcopus, nisi ex urgentissima causa eam concedat; &, quia vix solet hæc causa intervenire, ideo omnes Episcopi hanc dispensationem remittunt ad Pontificem, quamvis solum per duos menses contrahens distet a pubertate: Cottad. ap. Tamb.

§. II.

De Impotentia perpetua.

NON loquimur hic de impotentia, quam haberet mulier ad concipiendum, vel ad retinendum semen jam receptum, vel ad pariendum sine abortu, sine periculo vitæ suæ, aut prolis, &c. hæc enim impotentia, quamvis perpetua, non dirimit matrimonium, si ea non obstante possit mulier consummare copulam per se aptam ad generationem; per accidens enim est, quod hæc deinde non sequatur: ideoque, quamvis hæc mulier conscia hujus impotentiæ peccet contrahendo cum viro eam ignorante; non tamen, si contrahat cum viro etiam conscio: nam sic non facit injuriam viro, quia scienti, & consentienti non fit injuria; non sibi, quia durum esset negare sibi remedium matrimonii a Christo instituti etiam ad sedandam concupiscentiam; non denique proli, quia simpliciter loquendo melius illi est aliquando esse, quamvis sine baptismo, quam simpliciter non esse: Sanch. Tambur. & alii communiter contra Bosium. Neque hic loquimur de impotentia temporali ad copulam ex aliquo morbo, aut vitio naturaliter curabili; hæc enim nullo jure dirimit matrimonium: non positivo; nullum enim extat: non naturali, quia, qui est impotens ad tempus, potest ex nunc tradere alteri dominium sui corporis ad usum conjugalem postea possibilem: Sanch. cum communi. Peccat tamen, si sic contrahat cum persona inscia talis impotentiæ, ob deceptionem; Sor. Henr. & alii; nisi vero sit impotens ad breve tempus; ut limitat Sanch. quia obligatio ad debitum non est ad semper pro semper, sed quando commode poterit, non diu post contractum. Loquimur ergo de impotentia perpetua ad consummandam copulam aptam generationi. Hæc enim, quamvis nec dirimat matrimonium, si ei superveniat, cum matrimonium semel validum non possit dissolvi; at est impedimentum dirimens matrimonii contrahendi, & quidem de jure naturæ; quia de essentia matrimonii est, ut sint duo in carne una, non quidem actu, sed potentia: ergo, qui perpetuo caret hac potentia, nullum facit contractum; daret enim potestatem in corpus omnino ineptum ad copulam. Hinc communiter rejicitur Poncius, qui cum paucis docet, posse cum hac impotentia, quantum est ex jure naturæ, contrahi matrimonium in ordine saltem ad conjunctionem animorum; sic enim cur non posset etiam contrahi inter duos viros, aut duas mulieres?

Dicitur autem hæc impotentia perpetua, quando sine miraculo, vel sine mortis periculo, per opus humanum auferri non potest, ex c. *Fraternitatis 6. de Frig. & Malef.* &c; quia id solum dicitur fieri posse humano opere, quod fieri potest absque peccato, ideo impotentia, quæ auferri non potest absque peccato, dicenda est etiam perpetua: Perez d. 37. f. 2. cum communi. Oritur autem perpetua impotentia ex quadruplici vitio, vel ex maleficio, vel ex frigiditate, vel ex improportione, vel ex mixtione duplicis sexus.

Primo itaque ex maleficio: hujus signum est, si vir, qui incalescat ad pollutionem in somno, vel ad alias mulieres, frigescat ad hanc sibi alioquin dilectam: similiter, si mu-

si mulier subito horreat, frigescat, arctetur, &c. ad accessum hujus viri sibi alioquin dilecti. Jam vero, si maleficium superveniat matrimonio, hoc fuit validum, & cum sit indissolubile, tenentur in eo permanere. Si vero antecesserit, tunc est distinguendum; nam, si prudenter judicatur removeri posse absqoa peccato, & miraculo, puta per orationes, suffragia Sanctorum, exorcismos, &c., quæ sunt remedia ordinaria, & non miraculosa, nec illicita; & sic non est censenda impotentia perpetua, neque adeo impedimentum dirimens: Doctores communiter: idem est, si auferatur rogando maleficum, ut licite removeat signum maleficii: Sanch. d. 94., in quo tamen contradicit Aversf. s. 2. quia, quod pendet ex sola alterius voluntate, censetur impossibile respectu aliorum. At, si non potest id obtineri a mago sine novo maleficio, adeoque sine peccato, tunc impotentia raputanda est perpetua, & matrimonium dissolvendum, utpota ab initio nullum: Sanch. cum communi contra Almayn., & Glos., & idem est, si prævideas magum, quamvis posset sine novo maleficio, non tamen ablaturum sine illo; quod tunc evenire solet, quando signum maleficii sit projectum in mare, vel constitutum fuit in verbis, aut comestione, aliave actione transeunte. Quando autem res est dubia, dicam §. sequ.

Secundo, Ex frigiditate, qua frigidi omnino languent ad copulam aptam generationi: & idem est de iis, qui præ nimio calore ita præpropere seminant, ut vas aptum expectare nequeant: hæc impotentia, si nec arte medicinæ, nec trienoio experientiæ cesset, existimanda est perpetua, & dirimens matrimonium. Frigidi etiam dicuntur eunuchi perfecti (nam de imperfectis consulendi sunt Medici) quia non emittunt semen prolificum; ac proinde invalide contrahunt, ex declarat. Sixti V. in Constitut. 58. incipiente *Cum frequenter*; quando autem in scriptura leguntur eunuchi contraxisse matrimonium, per eos intelligontur Ministri Regia: Sanch. num. 17. Frigidi etiam ætate sunt senes, non quicumque, sed ita effœti, ut nec natura, nec ullis medicamentis, nec qualitate ulla ciborum juvari unquam possint ad consummandam copulam; quæ impotentia, cum sit in futurum perpetua, dirimit matrimonium ab his contrahendum: Sanch. d. 92. Vetula vero, si apta sit ad suscipiendum semen viri, inepta tamen ad suam seminationem, valide contrahit in sententia eorum, qui sustinent, hanc non requiri ad generationem; invalide in sententia opposita. Contra vero valide contrahit, qui ex infirmitate ita hic & nunc langueat, ut nequeat in eo statu habere copulam, etiamsi de sanitate recuperanda desperet, sitque morti proximus; quia talis impotentia non est ex genere, & modo suo perpetua: Aversf. s. 2.; nisi vero vis morbi ita destruxerit potentiam generandi in ægro, ut nullo medio ordinario recuperari possit, quamvis æger convalescat: Coninch., Laym. cum aliis.

Tertio, Ex improportione; tales sunt, qui non habent instrumenta apta ad consummandam copulam: sic si vir vas feminæ penetrare non possit, quamvis prope illud semen effundat, cujus pars aliqua per accidens attraharor a matrice, hic censetur perpetuo impotens; quia id non sufficit, ut tales conjuges modo naturali consummene copulam: Pal. n. 1. cum aliis. Similiter mulier ita arcta, ut non possit penetrari a viro, nec possit emendari hic defectus sine periculo mortis, vel gravis morbi, habet impotentiam perpetuam relate ad talem virum; licet fortasse non relata ad alium dissimilem, cum quo proinde valide contrahit. Si tamen defectus mulieris emendari possit sine eo periculo, censetur impotentia temporalia non dirimens matrimonium: si ergo hoc sit jam contractum, Sot., Lopez, Sanch. d. 82. cum aliis censent, teneri uxorem admittere incisionem, aliave remedia naturalia; quia jam dedit jus mariro ad copulam. Sed rectius distinguendum: nam, vel mulier conscia sui vitii contraxit cum viro ignorante, & sic tenetur, quia censetur decepisse: vel nec ipsa fuit conscia, & sic non tenetur subire cruciatos incisionis, &c., quia bona fide tradidit corpus, quale a natura habuit; ideoque etiamsi ipsa talem incisionem permittere nollet, valeret tamen matrimonium: Bonac. cum aliis contra Ponc., Dian., & alios. Multo minus tenetur ad molestam incisionem, si defectus proveniat, ex parte viri, ut recte notant Hurt., Dian., & alii.

Quarto, Ex commixtione sexuum, ut sunt Hermaphroditi habentes in se utrumque simul sexum: Primo itaque, si Hermaphroditus sit absolute impotens utroque sexu, invalide contrahit, ut per se patet: Secundo, Si prævalet sexu femineo, reputanda est mulier, & sic valide nubit viro: vice versa, si prævaleat sexu masculeo: Tertio, Si sit utroque sexo absoluto potens, valide contrahit secundum illum sexum, quem eligit, quo semel in contractu electo, peccabit mortaliter, si alio velit uti: quare, nisi ille coram Judice Ecclesiastico faciat prius electionem cum juramento, Parochus non debet ejus matrimonio assistere: Pono., & alii: unde etiam fit, ut mortuo conjuge, licet valide transiret ad secundas nuptias secundum alterum sexum, peccaret tamen contra juramentum: Quarto, Duo Hermaphroditi invalide contrahunt secundum usum promiscuum utriusque sexus; quia sic essent quasi duo matrimonia, a quo abhorret natura: Perez d. 37. s. 15. Quinto, Si in muliere jam conjugata appareat sexus masculeus, vel in marito sexus femineus; tunc, si remanet etiam prior sexus, matrimonium fuit validum, & tenentur in priori sexu perseverare: si hic non remanet, matrimonium jam fuit invalidum; quia sexus postea apparens erat jam latens in corporis dispositione, adeoque erat impedimentum dirimens illius matrimonii: Tamburin. num. 25. cum communi.

§. III.

De Impotentia dubia.

QUI ante matrimonium dubitat de sua perpetua impotentia, graviter peccat contrahendo, ob gravem injuriam, quam alteri potenti irrogat; si tamen eo dubio non obstante contrahit, potest reddere, & petere, ut Ecclesiæ constet, an valide contraxerit, facta experientia triennali, de qua infra: Sanch. d. 103. cum communi. At, si dubium superveniat matrimonio, potest esse duplex: Primo, An impotentia, quam experitur, orta sit ante, an post contractum matrimonialem? Secundo, An sit temporalis, an perpetua?

Quoad primum, si conjux dubitat, an impotentia orta sit ante matrimonium, Henr. cum pluribus aliis ait, præsumendum esse, quod orta sit ante; præsertim si sit impotentia naturalis, quæ non solet ei accidere, qui a nativitate fuit potens: idem ait Aversa, si sit ex maleficio, quo sæpe fit, ut contrahentes postea cogantur dissolvere matrimonium. Sed rectius contradicunt Sot., Sylv., Bonac., Pal., & alii; quia unusquisque præsumitur a natura potens, dum contrarium non probatur; & malefici sæpe quærunt tales conjuges tota vita affligere: ergo in tali dubio standum est pro valore matrimonii: nec periculum est sic accedendi ad non suam; præsumet enim merito esse suam. Hæc sententia temperanda est cum Sanch., Gutt., & aliis, nisi statim ac contractæ sunt nuptiæ, appareat impotentia, sic enim censenda est præcessisse; cum præsumi non possit, ut quis tam brevi tempore ex potente fiat impotens.

Quoad secundum noto, Signa impotentiæ perpetuæ esse in triplici genere: quædam certo, & evidenter concludunt: quædam verosimiliter: quædam tantum dubie, & præsumptive. Et quidem, si signa sint certa, & evidentia, statim absque alia probatione, conjugium est dissolvendum, ex omnium sententia. Item, si sint verosimilia, itaut impotentiam perpetuam certo moraliter demonstrent; quia in humanis moralis certitudo æquivalet evidentiæ: Sanch. d. 107. cum communi; addens tamen, requiri juramentum conjugum, & septem testium propinquorum, & inspectionem medicorum: sed Hurt., Pal., & alii hæc non requirunt, quæ solum requirunt Canones in casu dubio, & post triennium experientiæ, ex mox dicendis. Denique, si signa sint dubia, standum in foro conscientiæ pro valore matrimonii; quia nemo præsumitur perpetuo impotens, usquedum non probetur, ut docet Inn. in c. 1. *de Frig.*, *& Malef.* In foro vero externo triplex potest esse causa: Prima, Si unus conjugum ob dubium impotentiæ recesserit propria auctoritate ab altero: Secunda, Si unus impotentiam fateatur, alter neget: Tertia, Si uterque fateatur.

In prima causa: Nisi conjux recedens offerat in continenti probationes certas, & evidentes impotentiæ, statim, antequam audiatur, restituendus est alteri, non solum ad cohabitandum, ut vult Sanch., sed etiam ut possint copulari: Pal. ex cap. *Ex parte, de Restit. Spoliat.*; nisi vero recesserit post triennium experientiæ

a jure concessum; tunc enim non est statim restitoendus, sed amitti debent ejus exceptiones, ut cum communi docet Sanch. d. 112.

In secunda causa: Servanda est forma statuta in cap. *Laudabilem, de Frigid., & Malef.* Primo, Concedendum est illis triennium experientiæ, ut vacent copulæ ad investigandum, num impotentia sit perpetua; quod tempus, spectata consuetudine, & stylo Curiæ Romanæ computatur a die decreti Judicis, ut sæpe tenuit Rota apud Farinac., Ricc. Ponc., & alios: quod si ante tale decretum triennalis cohabitatio præcessit, relinquitur arbitrio Judicis abbreviare triennium, ut notat eadem Rota apud eosdem. Cæterum hoc triennium debet esse continuum, ex cap. fin. eod. tit.; quare, si interpolatur, est supplendum: non tamen censetur interpolari, si per majorem anni partem cohabitent, quia continuatio debet esse moralis, qualem conjuges habent, etiamsi causa negotii alter absit per unum, aut alterum mensem: Sanch. d. 111. Secundo, Deferendum est utrique juramentum super cruce, ex consuetudine, quod eo tempore copulam attentaverint, nec potuerint consummare: accedere etiam debent ex utraque parte juramenta eadem forma septimæ manus, seu septem propinquorum, aut, si hi desint, vicinorum bonæ famæ; aut, si hi desint, pauciorum arbitrio Judicis: Sanch. d. 108. cum Glos. in cap. *Requisisti* 33. q. 1. Et tunc, si uterque fateatur impotentiam, declaratur matrimonium fuisse invalidum; si adhuc unus affirmet, alter neget, adhiberi potest medicorum, aut prudentium Matronarum aspectus, ex cap. *Laudabilem cit.*, & tunc, si nihil certi inveniri potest, ferenda est sententia pro valore Matrimonii, pro quo stat possessio: Sanch. d. 109. cum communi.

In tertia causa, si utraque pars fateatur impotentiam, Sylvest. cum aliis putat, non esse concedendum triennium, sed minus tempus ad arbitrium Judicis; sed communior sententia cum Glos. in cap. *Laudabilem cit.* concedit triennium, ut scilicet veritas elucescat, & post hoc adhibitis juramentis, ut supra, non exigitur inspectio medicorum, aut matronarum, &c. Sanch. d. 108. n. 6. cum communi.

Quæres, An prius matrimonium propter impotentiam a Judice Ecclesiastico dissolutum debeat aliquando restaurari?

Respondeo, Si matrimonium sit dissolutum ob impotentiam ex maleficio, non esse restaurandum, ut eruitur ex cap. fin. 33. q. 1., quia maleficia frequenter fiunt perpetua respectu certæ personæ. Si vero dissolutum sit ob impotentiam naturalem unius, & tunc, si hic postea deprehendatur potens per copulam cum persona omnino simili priori, debet redire ad priorem, ut eruitur ex cap. *Fraternitatis cit.*; quia impotentia illa revera non erat perpetua: non vero, si deprehendatur potens per copulam cum persona dissimili priori; etiamsi per hanc copulam reddatur etiam habilis priori; quia ex hoc non probatur, quod impotentia respectu prioris non fuerit ex se perpetua: Sanch. d. 63.

CAPUT XIII.

De Impedimento Clandestinitatis.

CLANDESTINA sunt matrimonia, quæ clam fiunt: hæc, licet olim valida, illicita semper habita sunt ab Ecclesia, ob gravia incommoda, quæ inde oriri solent. At post Trid. sunt etiam irrita, nisi fiant coram Parocho, & testibus. Quare matrimonium clandestinum hodie dicitur, quod, quamvis fiat publice, & coram omni populo, attamen sine assistentia Parochi, & testium. Decretum Trid. *sess.* 24. *de Reform. matrim. cap.* 1. ita habet: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit ... Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suam robur post triginta dies habere incipiat a die prima publicationis in eadem Parochia factæ enumerandos.*

§. I.

An hoc impedimentum sit ubique, & in omni casu?

CERTUM est, irritum esse matrimonium clandestinum etiam hæreticorum in loco, ubi hoc Tridentini decretum est publicatum. Et præsumitur publicatio, ubi fuit in Parochia tanquam decretum Concilii observatum, ex Declaratione S. Congreg. *ad Episc. Tricaniens.* 19. Jan. 1605. apud Tambur., ex qua etiam declaratione certum econverso est, validum esse matrimonium clandestinum etiam catholicorum in locis, ubi tale decretum non est publicatum; quia ipsum decretum hanc suimet publicationem exigit, ut suum robur habere incipiat; tales loci sunt Hibernia, Scotia, Svecia, Dania, Pomerania, Prussia, major pars Poloniæ, & olim (non autem nunc ab an. 1602.) Francia. Hinc, si quis e loco, ubi Tridentini decretum est publicatum, eat ad locum, ubi non est publicatum, ibique clandestine contrahat, Sanch., Coninch, Pal., & alii putant, valide contrahere; quia decretum non afficit personas utcumque, sed ut contrahentes in locis, ubi ipsum est publicatum. Sed rectius distinguendum est cum de Lugo, Diana, Tambur., & aliis: nam, vel hic talis eo transtulit suum domicilium, aut quasi domicilium, & valide contrahit, quia fit incola illius loci: vel domicilium non transtulit, & subdistinguo: vel eo ivit ob alios fines, puta ob mercaturam, aliave negotia, & valide etiam contrahit, quia non facit in fraudem: vel denique eo ivit præcise, ut contrahat clandestine, & invalide contrahit, quia in fraudem: ita declaratum in Brevi Urb. VIII. ad Ferdin. Archiep. Colon. apud de Lugo l. 1. *Resp. Moral. dub.* 36. Contra vero, si quis e loco, ubi Tridentini decretum non est publicatum, eat ad locum, ubi est publicatum, ibique contrahat clandestine, quocumque animo ierit, invalide contrahit; quia, quamvis peregrini non teneantur legibus locorum pertinentibus ad bonum particulare, tenentur tamen legibus locorum pertinentibus ad bonum commune; qualis est lex contractuum, qui proinde sequuntur naturam loci, in quo fiunt, ibique sortiuntur forum, ex cap. ult. *de For. Compet.* Hinc, si Titius incola loci, ubi decretum est publicatum, velit contrahere cum Berta incola loci, ubi non est publicatum; tunc, si matrimonium contrahitur in loco Titii, requiritur ad valorem præsentia Parochi, & testium; si in loco Bertæ, non requiritur, si Titius eo domicilium transtulit, vel ob alios fines ierit; secus, si præcise ut contrahat: Boss. c. 1. §. 24.

Quæres, An matrimonium clandestinum valeat in aliquo casu, ubi decretum Trid. fuit publicatum?

Respondeo, Si alicubi Parochialis Ecclesia vacet proprio Parocho, & Cathedralis etiam Episcopo, & Capitulo, nullusque alius ibi sit, qui suppleat eorum vices, & in proxima loca adiri non possit, tunc valet ibi matrimonium absque præsentia Parochi, adhibitis tamen duobus testibus; ita expresse ex cit. Declarat. S. Congr. *ad Episc. Trican.*, & ex pluribus aliis apud Coninch, Bell., Hurt., Laym., Dian., Tamb., & alios contra Pal. Addunt idem Doctores cum Gobat. num. 475., quod, quamvis ibi adsit Parochus, si tamen vel ipse, vel contrahentes metu mortis, exilii, aut enormis damni, non possint comparere, valeat etiam matrimonium initum sine Parocho coram duobus testibus; tunc enim censendus est Parochus, ac si non esset: Zipæus *in Jur. Pont.* l. 4. num. 16. referens Responsum S. Congreg. *ad Archiep. Philipp.* nan. 1603. Christiani quoque captivi, vel mercatores apud turcas, aliosve infideles valide ibi contrahunt sine Parocho coram duobus testibus, quamvis Tridentini decretum in patria sua sit publicatum, & ipsi non habeant animum perpetuo ibi manendi; quia revera ibi non sunt, vel respectu eorum omnino latent Parochi: Sylvius, Krimer, & alii apud Croix num. 779. Extendunt hoc Sot., Grass., & alii apud Manstr. num. 44. ad casum urgentis necessitatis: puta si casu absit Parochus, & concubinarius habens multas illegitimas proles esset sine matrimonio moriturus; vel si Princeps habens filium ex concubina sit proximus morti, & eo sine legitimo hærede mortuo Principatus ad hæreticos devolveretur: quia, inquiunt, videtur in tali casu habere locum Epicheja; cum sit æqualis, imo major necessitas, quam si non esset tutus ad Parochum accessus. Sed oppositum communiter tenent omnes cum Nav., Henr., Ledesm., Sanch., Less., Gob., Manstr., & aliis; quia lex irritans, vel inhabilitans, vel præ-

præscribens contractibus formam substantialem (uti est hoc Tridentini decretum) non admittit Epichejam: in eo autem casu, quando nullus est Parochus, &c., tunc Ecclesia specialiter dispensat; ut ex citatis declarationibus inquit Hurtad. d. 5. diff. 3. n. 10.

§. II.

Quid de Parocho?

PEr Parochum intelligitur Is, qui habet jurisdictionem ordinariam in contrahentes; quare debet esse proprius eorum Parochus. Talis primo est Papa pro tota Ecclesia: Secundo, Legatus pro Provinciæ suæ legationis: Tertio, Cardinalis pro Ecclesia sui tituli; Quarto, Archiepiscopus etiam pro suis suffraganeis, sed nonnisi in actuali earum visitatione, vel quando ad eum fuit appellatum, & sententia transiit in rem judicatam, vel elapsum est decennium appellationis: Quinto, Episcopus pro sua Diœcesi, & Capitulum Sede vacante; item Abbas nulli Episcopo subjectus pro iis, in quos habet jurisdictionem Episcopalem: Sexto, Illorum Generales Vicarii ex vi Vicariatus; non autem Vicarii foranei: Septimo, Parochus pro sua Parochia: item Viceparochus, cui legitime mandatur plena cura Parochiæ; & similiter Missionarius Castrensis constitutus tanquam Parochus suæ legionis. Non tamen Cappellanus Hospitalis, qui, licet possit ibi administrare omnia Sacramenta, non tamen est vere Parochus, adeoque nec valide assistit matrimoniis; similiter neque Superiores Regulares pro familiaribus Conventus, quamvis habeant potestatem ministrandi eis omnia Sacramenta. Ita communiter cum Sanch., de Lugo, de Luca, & aliis contra aliquos in aliquo discrepantes.

Ad valorem matrimonii Sylvest. requirit, ut Parochus assistens sit Sacerdos; quia decretum Tridentini ait, *Præsente Parocho, vel alio Sacerdote, &c.*, & dictio *Alius* est similium repetitiva, ex *l. Quidam relegatus, ff. de Reb. dub.* Sed negat communior sententia cum Sanch. l. 2. d. 23., & Ponc. referente declarationem S. Congreg.; quia, cum Trid. decretum sæpe nominans Parochum nunquam ei apponat conditionem Sacerdotis, signum est, quod eam in eo non requirat; secus, eam non omisisset, neque ly *Alius* semper repetit similia, ut patet ex Luc. 23. *Ducebantur cum eo duo alii nequam*: valide ergo assistit Parochus, vel Episcopus, vel hujus Vicarius Generalis nondum Sacerdos: imo etiam licite inquit Sanch. d. 20. cum communi contra Ledesmam; quia non est necesse, ut benedicantur sponsi inter Missarum solemnia. Addo, quod, quamvis cap. *Licet Canon, de Elect. in 6.* statuatur, ut Parochus, qui intra annum non fit Sacerdos, ipso jure sit privatus Parochia etiam nulla prævia monitione, tamen, cum possessio in conscientia non vacet, nisi privetur auctoritate Judicis, valide etiam assistit matrimonio, ut resolvit Sac. Congregat. 12. Martii 1593. apud Pignat. t. 8. consf. 24.

Valide etiam assistit Parochus suspensus, interdictus, irregularis, excommunicatus etiam vitandus, privatus administratione Sacramentorum, imo etiam degradatus, dummodo non sit actu depositus; quia hæc assistentia non est proprie actus jurisdictionis (licet aliquando talis vocetur ad significandum, quod non sit actus ordinationis) neque administratio Sacramenti, cum ministri sint ipsi contrahentes: ergo, quamdiu manet Parochus, valide assistit, præstando suam qualificatam personam, quæ sola a Tridentino requiritur: Sanch. l. 3. d. 21. cum communi contra Avilam. Addit etiam Sanch., nec posse Episcopum auferre Parocho hanc potestatem assistendi, cum hæc non sit proprie actus jurisdictionis, adeoque, quamdiu manet Parochus, valide assistit, ex Declar. S. Congr. apud de Lug. dub. 45. Imo, etiamsi Episcopus præter prohibitionem addat clausulam irritantem matrimonium; quia non potest ipse inducere impedimentum dirimens. Tantum ergo posset impedire, si Parochiam ipso facto ei tolleret ante talem assistentiam. Valide demum assistit Parochus habens titulum invalidum coloratum cum errore communi, etiamsi sit laicus: Sanch. l. 3. d. 22., Coninck, Barb., Pignat. t. 6. consf. 3. addens cum Ponc., & aliis, etiamsi deesset titulus coloratus, adeoque intrusus, modo ea errore communi putetur esse vere Parochus; quia utilitati publicæ maxime expedit, ne gesta ab eo, qui communiter existimatur potens, invalida sint, argum. authent. *de Tabellion.* Quod verum est, etiamsi a contrahentibus veritas cognosceretur; quia singularis scientia communem errorem non impedit, ob quem jurisdictio conceditur, argum. *L. Nam ad ea, ff. de Legibus*: Sanch. d. 22., Pal., & alii.

§. III.

Quid de Parocho proprio?

CUm ex Trident. decreto Doctores omnes clament, debere esse Parochum proprium, qui valide assistat matrimonio; videndum, quis sit Parochus proprius quorumcumque contrahentium?

Primo itaque, Parochus est proprius eorum, qui intra suam Parochiam habent domicilium, hoc est, habitant animo perpetuo ibi permanendi, qui proinde dicuntur ejus oves, & Parochiani ad illum spectantes. His ergo ille valide assistit, non solum si in sua Parochia contrahant, sed etiam si extra illam in Parochia, imo in Diœcesi aliena; quia adhuc ibi est Parochus proprius eorum; &, quamvis ea assistentia fiat tanquam a persona publica, sit tamen privato modo, nec est actus jurisdictionis, & saltem non contentiosæ: Sanch. l. 3. d. 19. cum communi contra Henr., & Ponc. Si autem solemniter ibi assistat faciendo ibi denunciationes, & benedictiones, quæ continent strepitum externum, Laym., Barb., Pal., & alii dicunt, peccare; sed etiam hoc negat Sanch. cum aliis, quia nullibi prohibetur. Si autem contrahentes spectent ad diversas Parochias, aut Diœceses, Navar. putat, contrahendum coram Parocho sponsæ, & ita dicit servari Romæ; sed certum est, sufficere, si etiam coram Parocho sponsi, cum jus nihil determinet; & tunc altera pars sequitur Parochum proprium alterius: Pignat. t. 5. consult. 79. referens plures declarationes Sac. Congregat., quæ etiam dicunt, valere matrimonium, licet in Parochia sponsæ contrahant coram Parocho sponsi. At, si uterque sponsus sit absens, & contrahant per Procuratores in Parochia, quæ ad neutrum sponsum pertinet, non valide assistit hic Parochus, sed debet Parochus sponsi, vel sponsæ dare licentiam alicui Sacerdoti hic assistendi, ut not. Tamb. §. 5. n. 23.

Acquiritur autem domicilium in Parochia statim a primo die, quo quis corpore habitare ibi incipit cum animo perpetuo manendi, etiamsi dummodo commodior occasio non se obtulerit, ex *l. Domicilium, ff. de Municipal.*, quare potest a primo die coram eo Parocho contrahere: Sanch. cum communi; & sic potest etiam deinceps, etiamsi hunc animum mutet, dummodo corpore se non transferat alio ad habitandum. Jam vero, si quis in fraudem prioris Parochi transferat domicilium ad aliam Parochiam, valide, & licite contrahit coram hoc Parocho; quia non fraus ei patrocinatur; sed conditio domicilii, quam valide acquirit: Sanch. num. 11. contra Sylv., & Vegam. Notat tamen de Luca num. 14., si quis de die tantum moraretur in hac Parochia, & de nocte cubaret priori adhuc instructa suis mobilibus, non censeri acquisivisse novum domicilium, sed permansisse in priori. Denique, si domus alicujus sit in confinio duarum Parochiarum, ad eam pertinet, ex qua est principalis ingressus in domum: Pignat. t. 8. consult. 8. cum aliis. Ubi noto, quod, licet Parochus solius originis non censeatur proprius in ordine ad assistendum matrimonio, si tamen quis semel habuit domicilium in loco originis, semperque habuerit animum eo revertendi, ibique habitandi, etiamsi pluribus annis abfuerit, poterit coram illo Parocho contrahere: Lef., Ponc. n. 8., quia non amittitur domicilium, dum quis discedit animo revertendi: Pignat. t. 7. consult. 63. citans decisionem Rotæ. Imo putat Gob. num. 533. cum aliis, si quis sit sub integra potestate patris, & deserat domum animo alibi perpetuo manendi, non ideo amittere domicilium paternum, sed retinere illud per voluntatem patris, cui subest, & qui potest semper eo revocare.

Secundo, Parochus est etiam proprius eorum, qui intra suam Parochiam habent quasi domicilium, hoc est ibi habitant cum animo permanendi pro majori parte anni, aut fere æquali: ut sunt famuli, ancillæ, studiosi in Universitate, litigantes in Curia, mercenarii locantes suas operas, &c., qui omnes possunt proclamari, & jungi matrimonio a Parocho illius Parochiæ, & quidem etiam a prima die; quia per voluntatem ibi permanendi per majorem, aut fere æqualem anni partem acquirunt ab ipso exordio habitationis quasi domicilium, & ille Parochus appellatur proprius eorum Sacerdos, cap. *Omnis, de Pæn. & Remis.* Idem est de iis, qui tempore pestis, belli, &c. aliquo confugiunt cum tali animo, quamvis cogantur postea redire:

Sanch.

Sanch., Ponc., Gob., & alii. Idem de incarceratis, relegatis, exulibus affirmant Pignat. t. 7. consf. 86., quia censentur ibi etiam inviti habere domicilium *l. Filii*, *ff. ad Municipal.*, ideoque spectant ad Parochiam carceris quoad Sacramenta recipienda. Si quis duas Parochias æqualiter, aut fere æqualiter inhabitet, unam v. g. hyeme, alteram æstate, fit Parochianus utriusque Parochiæ, potestque indifferenter coram alterutro Parocho contrahere; itaut, si æstate contrahat, possit etiam coram Parocho hyemali, qui utroque tempore est proprius ejus Parochus, ut constat ex jure apud Sanch. d. 24. Principes autem habent tantum domicilium in loco, ubi veram, ac realem habitationem habent, non autem in omnibus locis sibi subjectis, etsi eo etiam divertant; nisi majori, vel fere æquali anni parte ibi etiam habitent: de Lugo, & Gob. num. 497.

Tertio, Quivis Parochus esse potest proprius vagorum, qui nullibi habent domicilium, vel quasi domicilium, sed hac illac vagantur; quare, cum nullum habeant Parochum proprium, possunt quemlibet Parochum eligere pro suis matrimoniis: Sanch., Ponc., Barb. At non quemlibet Parochum ubique, sed solum illum, in cujus Parochia vagi sunt, quando contrahunt, quia tunc ille est ipsorum Parochus, ratione hospitii, ut limitant Con., Hurt., & alii; quæ sententia tutior est in praxi eligenda, licet prior sit communior: Bos. cap. 4. §. 15. Ex communi autem sententia Sanch. l. 3. d. 25. contra Ledesm. sufficit, si unus contrahentium sit vagus, ut possit a Parocho copulari etiam cum ove aliena, & Less. cap. 13. addit, militem, qui Cappellanum suæ Legionis non habet, valide, & licite copulari, ubicumque sit, a Parocho loci, quia, licet is habeat in domo sua domicilium, tamen, dum est in expeditione foris, æquiparatur vago. Item ad vagos reducuntur ii, qui animo relinquendi prius domicilium, & aliud acquirendi contrahunt, dum adhuc sunt in via: Sanch., Guttier., Pal., & alii. Noto tamen, Parochum, antequam vagis assistat, debere licentiam petere ab Ordinario, ex præcepto Trident. *sess. 24. c. 7.*; si tamen hanc non petat, illicite quidem, sed adhuc valide assistit: Sanch. n. 16.

Quarto demum, Quod attinet ad peregrinos, qui transeunt per aliquot dies, vel paucos menses morantur alicubi, cum animo redeundi ad locum sui domicilii, communis sententia contra Aversf., & Ponc. docet, invalide contrahere coram Parocho illius loci; quia habent alibi proprium Parochum, & hic non est ipsorum proprius, cum ne acquirant quidem quasi domicilium. Pœna autem, quam incurrit Parochus, vel alius Sacerdos assistens matrimonio alienarum ovium, vel illud benedicens, est tamdiu manere suspensum ab officio, & beneficio, quamdiu ab Ordinario illius Parochi, qui tali matrimonio assistere debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur, ex Trid. loc. cit.; quæ suspensio est ipso facto, ut notat Aversf. q. 6. s. 8. addens, si Parochus det licentiam Sacerdoti pro tali matrimonio, pœnam hanc non a Parocho, sed ab ipso Sacerdote incurri; quia Trid. assistenti imponit hanc pœnam, non vero assistentiam mandanti.

§. IV.

Quid de habente a Parocho licentiam?

PAROCHUS proprius (& quivis eorum, quos §. 2. nominavimus) potest alteri Sacerdoti delegare licentiam assistendi matrimonio, ex cit. Trident. decreto: etiamsi ipse sit excommunicatus, irregularis, &c., quia sicuti assistere non est proprie actus jurisdictionis, ita nec substituere ad talem assistentiam: Henr., Sanch., Bonac., & alii contra Ledesm., Coninch, Layın., & alios. Substitutus autem debet esse Sacerdos, cum Trid. decretum expresse dicat, *Alio Sacerdote*; at non requiritur, ut sit approbatus ab Ordinario; imo, etiamsi sit excommunicatus, irregularis, suspensus, &c., quia Trident. solum Sacerdotem requirit, & nihil præterea. Imo, addit Sanch. l. 3. d. 22. n. 17. cum Guttier., & aliis, etiamsi non sit vere Sacerdos, sed tantum communiter existimatus; quia, licet Parochus non possit dare hanc licentiam non Sacerdoti; at ea concessa adest titulus ex licentia præsumptus, & insuper error communis, ob quem Ecclesia defectum humano jure inductum supplet.

Licentia autem hæc, vel scripto, vel voce delegari potest. Imo sufficit, etiamsi sit tacita de præsenti; ut si Parochus videns Sacerdotem parare se dictæ assistentiæ, &, cum possit prohibere, (secus si non possit) tacet: Sanch. l. 3. d. 35. cum aliis contra Menochium, addens cum Aversf., Pal., & aliis, etiamsi tunc Parochus interna non consentiat; & idem, si externe tantum, & ficte det licentiam; quia valent gesta per ministrum, qui communi errore reputatur legitimus, concurrente titulo colorato, ex dictis. Contra vero, addit cum Con., Barb., Pon., & aliis, non sufficere licentiam præsumptam, quæ solet dici tacita de futuro; quia sic non contrahitur coram habente licentiam, sed qui habiturus esset, si peteret. Valida item est licentia, quamvis metu sit extorta; quia contractus etiam lucrativi (qualis est donatio) ex metu extorti sunt jure naturæ validi, nec jus positivum irritat talem concessionem licentiæ: Sanch. l. 3. d. 39., Coninch, Barbosf., Regin., Aversf., & alii. Idem est, si detur contra prohibitionem Episcopi: Sanch. cum aliis, ex cap. 2. *de Matrim. contracto contra prohib. Episc.*; dummodo prohibitioni non sit adjectum decretum irritans, vel revocans eam licentiam, quia per hanc delegatus non fit Parochus, & voluntas Episcopi est superior voluntate Parochi delegantis: Aversf. q. 6. s. 4. Valida est etiam licentia impetrata per dolum, & fallaciam; nisi vero Parochus expresse eam dederit sub conditione, *Si vera sint exposita*; vel nisi dolus, aut error sit circa substantiam, ut si licentia petita sit pro Titio, & substituatur Cajus, & mens Parochi substituentis tendat determinate in Titium: Aversf., de Luca, Pign. t. 5. consf. 78., idem dicens, etiamsi Parochus cognita veritate fuisset licentiam pro Cajo daturus: neque obstat, quod matrimonium foret validum, si Parochus ipse assisteret Cajo putans, esse Titium, ut declaravit Sacr. Congregat. apud eundem n. 8., nam ad valorem matrimonii non requiritur consensus Parochi, sed mera præsentia; at requiritur ejus consensus saltem externus ad dandam licentiam pro determinata persona. Valida est etiam licentia generaliter concessa, sive sponsis ad eligendum Sacerdotem, quem velint; sive Sacerdoti, ut possit alium Sacerdotem, quem velit, suo loco substituere. Similiter, si Parochus intra paucos dies, vel Ordinarius absolute committat Sacerdoti vicecuram Parochiæ: si autem dicat, *Committo tibi ministrare omnia Sacramenta in mea Parochia*, Coninchi, Hurt., & alii negant, te valide assistere matrimonio, quia assistens matrimonio non est Minister Sacramenti: affirmant Perez, Pal., Barbosf., de Lugo referens declarationem Sacr. Congregationis, quia, licet assistens non sit revera minister, dicitur tamen talis ex communi modo loquendi. Dian., Gob., & alii probabilius distinguunt; & affirmant, si Parochus velit abesse, aut non possit assistere; si secus, negant. Denique, quamvis delegatus regulariter non possit delegare cap. *Cum causam 62. de Appell.*, adeoque Sacerdos delegatus ad assistendum determinato matrimonio nequeat substituere alium Sacerdotem; potest tamen, si ipse sit delegatus generaliter: Aversf., de Luca, & alii.

Licentia, ut valeat, debet esse acceptata, quia concessio privilegii est quædam donatio, quæ alicujus saltem acceptatione indiget, ex cap. 1. *de Præb. in 6.*; hinc, si Sacerdoti facta sit licentia assistendi, ipse tamen sa eam habere nesciat, invalide assistit: Aversf. qu. 2. s. 4. Similiter, si Parochus aliunde rogatus motu proprio determinet talem Sacerdotem, & hic, antequam id sciat, assistat; idemque dicit Aversf., si hic Sacerdos casu audivisset sibi datam licentiam; & addit regulariter non debere credi sponsis dicentibus, se licentiam talem habere, nisi scripto ostendant. Econtra satis est, si licentia sit rogata, & acceptata per Nuncium; quare, si per hunc sit rogata, & Sacerdos sciens eam obtinendam ante horam decimam assistat hora decima, valide assistit: Sanch. l. 2. d. 36. cum aliis. Licentia data sub conditione aliqua, quæ non observetur, est invalida, quia non operatur ultra mentem concedentis: Sanch. l. 3. d. 35. cum aliis: si tamen data sit sub conditione, quæ de jure inerat, v. g. dummodo præmittantur denunciationes, &c., quamvis hoc negligatur, adhuc valet, nisi aliunde constet de restricta mente concedentis; quia censetur tantum apponi tanquam modus; & in dubio talia verba *Dummodo*, *ea conditione*, *&c.*, censentur esse modus, & non rigorosa conditio: Sanch. cum aliis. Similiter, si det Sacerdos licentiam assistendi matrimonio in propria Parochia, valide hic assistet etiam in Parochia aliena; quia illa licentia per se non respicit locum, sed tantum contrahentes, & designatio loci, nisi aliud constet, credi potest esse facta ad majorem congruitatem: Aversf. q. 6. s. 4. Denique licentia semel data revocari potest; at non est censenda revocata, quousque revocatio per Epistolam, vel certum nun-

noncium, significata sit ei, cui fuit licentia concessa: Sanch. d. 36. cum communi. An vero exspiret morte concedentis, aut amotione ab officio, distinguendum videtur: vel id nondum scitur, & ob titulum coloratum, erroremque communem adhuc valide assistes, juxta *L. Barbarius*, *ff. de Prat.*; vel id scitur, & subdistinguo; si licentia data est ad casum determinatum, exspirat: Sanch. l. 3. d. 22. cum communi. Si ad casus, personasque indeterminatas, non exspirat, juxta Suac. t. 4. d. 26. n. 6.; exspirat, juxta Pign. t. 1. conf. 333. ubi ait, ita resolutum esse a Sac. Congregat. 18. Nov. 1645.; quare Viceecuratus, seu Coadjutor Parochi, hoc mortuo, non videtur posse assistere matrimoniis.

§. V.

Quid de Testibus, & de Assistentia?

PRÆTER Parochum, & contrahentes requiruntur ad valorem matrimonii, ex Trident. decreto, duo alii testes. Hi autem, satis est, si sint habiles jure naturæ, hoc est, habeant usum rationis; quamvis alioqui jure positivo sint inhabiles ad testandum: quia, cum hoc Tridentini decretum corrigat jus commune, in quo antea non erat necessaria testium præsentia, stricte est interpretandum, itaut, quanto minus possit, illud jus corrigat; cum ergo solum dicat *Testes*, sequitur, ut possint esse, quicumque possunt jure naturæ: Sanch. l. 3. d. 39. cum communi. Quare possunt esse cognati, parentes, amici, feminæ, impuberes, servi, infames, excommunicati, imo etiam infideles, & quicumque alii ratione utentes, dummodo distincti sint a Parocho, & contrahentibus: additque de Luca disc. 26. num. 3., etiam a Procuratore, si matrimonium per hunc contrahatur, quia tunc Procurator idem est moraliter, ac contrahens. Contra vero non possunt esse infantes, amentes, ebrii, dormientes, &c., utpote inhabiles jure naturæ.

Quoad assistentiam Parochi, & testium, certum est primo, Debere simul interesse matrimonio, nec sufficere, si successive coram illis explicent contrahentes proprium consensum; quia Tridentinum exigit eorum præsentiam, ut possint testificari de matrimonio, tanquam de uno, eodemque contractu. Certum est secundo, Eorum præsentiam debere esse humanam, hoc est cum advertentia, & intelligentia ejus, quod fit; quia secus non possent testari. Quare communior sententia apud Perez contra Henr. requirit in ipsis attentionem actualem, nec satis esse, ait, virtualem, qua animo assistendi accesserint, sed in contractu ipso distrahuntur; quia sic nequeunt testari, quod initum sit matrimonium: neque obstat, quod in Ministro Sacramenti satis sit virtualis intentio, quia hic non debet se habere ut testis Sacramenti. Si autem sint surdi, & ex visu possint judicare, quid fiat, sufficit: Gob. n. 179. Idem dicunt Sanch., Ponc., & alii, si sint cæci, & audiant, ac norint voces loquentium. At quid, si eorum idioma non intelligant? Ponc., & alii, dicunt, tunc non sufficere interpretem, quia hic decipere potest. Sanch., Perez, & alii putant, sufficere, ut sufficit inter ipsos contrahentes, aut si fiat matrimonium per literas ignotæ linguæ: Aversf., Tambur., dicunt, posse tunc partim ex dicto interpretis, partim ex nutibus, aliisve signis colligi contrahentium consensus.

Ponc., Lean., Gonz., putant, ad assistentiam validam Parochi, & testium requiri, ut sint vocati, ac libere assistant; afferuntque hanc declarationem Sacr. Congregationis: *Parochus præsens matrimonio debet esse, ut appareat a contrahentibus adhibitus fuisse; secus, si præsens casu fuisset*. Sed contra hos est communis sententia Sanch., Laym., Hurt., Aversf., qui notat, prædictam Congregationem loqui, quando ex illo casuali transitu non potest bene percipi, quid agatur. Ratio communis sententiæ est, quia, etiamsi non vocati, etiamsi inviti, & vi detineantur, advertere poterunt, & testari debebunt, si requirantur: idem est, si dolo inducti intersint, modo vere percipiant, quid agatur, licet ipsi nolint percipere: Sanch., Bos., Castr., & alii cum Genett., qui refert Declarat. Sacr. Congregat. 29. August. 1591. Noto tamen cum Aversf., Pignat., Tambur., & aliis communiter, graviter peccare eos, qui vi, vel dolo Parochum ad assistendum retinent; & puniendos ab Ordinario, & conjuges esse inhabiles ad consummandum matrimonium, antequam fiant, nisi factæ fuerint denunciationes, quia irreverenter abutuntur Parocho. At, si vi, vel dolo retineres testes, Sanch. ait, te solum peccare venialiter (præscindendo ab injuria forte illata) quia non censetur gravis irreverentia. Addunt Hurt., & Perez, si esset gravis necessitas contrahendi, & Parochus sine ulla causa nollet assistere, posse dolo induci ad assistendum; sed non posse cogi, quia vim facere nequeunt privati.

Quæres, Quænam sit pœna contrahentium sine Parocho, & testibus?

Respondeo, Præter peccatum, & irritationem talis matrimonii, nullam Pœnam determinatam latam esse a Trident., quod tantum præcipit, graviter puniri arbitrio Ordinarii, tum Parochum, aut Sacerdotem assistentem sine duobus testibus; tum hos assistentes sine Parocho, aut Sacerdote, &c., tum ipsos contrahentes, & hi quidem, si tale matrimonium consummaverint, rigidius sunt puniendi: Sanch. l. 3. d. 46. addens, aliquos Episcopos in suis Synodis addidisse in tales excommunicationem ipso facto, ut addit nostra Synodus Neapolitana. In jure autem antiquo est privatio cujusdam favoris, quo, qui ignoranter contrahit cum impedimento dirimente, facit nihilominus prolem legitimam, cujus favoris privatio etiam nunc viget, cum non fuerit a Trident. ne tacite quidem ablata: Sanch. l. 3. d. 48., Con., Aversf., & alii.

CAPUT XIV.

De Impedimento Raptus.

CIRCA hoc duo sunt discutienda: Primum, Quis raptus sit impedimentum dirimens? Secundum, Quæ sint pœnæ raptus?

§. I.

Quis Raptus dirimat?

JURE antiquiori statutum erat, ut, quamvis mulier rapta libertati restituta consentiret, matrimonium esset irritum, cap. *Placuit* 36. *q.* 2., quod postea correctum est cap. fin. *de Raptor.*, statutumque, ut matrimonium valeret, si rapta consentiret, quamvis non esset prius libertati restituta. Sed jure novo Trident. *sess.* 24. *de Ref. matr.* sic statuitur: *Inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat*. Itaque

Dico: Raptus, quo per vim abducitur mulier de uno loco in alium ad finem contrahendi cum ea matrimonium, quousque ea non reponatur in loco libero, & tuto, est impedimentum dirimens illius matrimonii.

Requiritur ergo primo Abductio mulieris de uno loco in alium, & quidem moraliter diversum; nam, si per vim ducas de uno cubiculo in alium, vel de uno loco in alium in eadem domo, seu prædio, non diceris proprie rapere: Sanch. l. 7. d. 13. cum communi. Rapis ergo, cum eam animo adducendi transfers in locum moraliter diversum, quamvis ad locum destinatum non perduxeris: Perez d. 38. s. 2. n. 4.

Requiritur secundo, Ut abductio sit violenta, quia secus non habetur raptus, sed mera translatio de loco ad locum. Satis autem est violentia, sive physica, sive moralis per minas, aut metum gravem, sive per se, sive per alium; non autem blanditiæ, aut preces, nisi sint adeo importunæ, ut æquivaleant metui gravi, juxta dicta cap. 7. Si autem fiat dolo, aut falsis promissis, Sanch. d. 13. cum pluribus probabilius putat, non oriri hoc impedimentum, quia sic mulier proprie non dicitur rapta, sed decepta, vel seducta; nisi vero talis sit dolus, ut æquiparetur violentiæ, ut addit Gutt. Ut autem violenta abductio inducat hoc impedimentum, debet esse facta ipsi mulieri; quare, si ipsa volens sequatur, sed parentes repugnent, illud non inducit: Sanch. d. 13. cum communiori contra Gutt., Bonac., & alios. Ratio est, quia sic manet in muliere plena libertas, propter quam inductum est a Trident. hoc impedimentum, quod proinde vult cessare, *Si ea sit a raptore separata, & in loco libero, ac tuto constituta*, sive apud parentes, sive non: etsi ergo D. Th. dicat, in hoc etiam salvari rationem raptus; at non captus a Trident. intenti, sed tantum a jure antiquo, de quo §. seq.

Requiritur tertio, Ut violenta abductio facta sit ad finem matrimonii; tum quia Trident. decretum est pœnale, & correctivum juris communis; tum quia unice intendit favere libertati raptæ, ex verbis modo

citatis, & ideo reddit irritum matrimonium, ut coerceat raptores videntes suum finem consequi non posse, *l. Non igitur*. Extendendum est ad raptorem ex causa explendæ libidinis: Sanch. d. 13. cum commuuiori, & Gallem. in Declar. ad Trident. notat, per S. Congr. decisum esse 23. Januar. 1586. raptores ob aliam causam, quam ut in uxores ducant, non comprehendi a Trident. illis infligente pœnam excommunicationis. Quare, si quis vi rapuit mulierem ad explendam copulam illicitam, vel ob alium finem, & deinde mutans voluntatem velit cum ea contrahere, valide contrahit cum illa etiam tunc sponte volente, quamvis ibidem morante.

Requiritur quarto, Ut mulier vi abducta ad finem matrimonii non sit reposita in loco libero, & tuto. Quousque enim permanet apud raptorem, licet postea sponte, ac libere in matrimonium consentiat, hoc etiam est irritum; & in hoc præsertim differt impedimentum raptus ab impedimento vis, & metus. Hinc, si mulier volens abducta sit, & postea voluntatem mutet, non oritur impedimentum raptus; oritur tamen impedimentum vis, si tunc vi detineatur ad extorquendum matrimonium; ideoque, si iterum sponte velit, valide ibidem contrahit; cum non intervenerit raptus a Trid. requisitus.

Ex dictis infers primo, Si inscio Titio rapta sit ab ejus amico mulier ad finem matrimonii contrahendi cum ipso Titio; tunc validum esse potest matrimonium, sive cum Titio, sive cum amico: cum Titio, quia neque per se, neque per alium commisit raptum, adeoque nullatenus est raptor: cum amico, quia non est raptor pro suo matrimonio, de quo loquitur Trident. decretum, quod, cum sit odiosum, non est extendendum: Sanch. l. 7. d. 13. Tamb. & alii. Quando vero quis per alium scienter rapit, verus raptor est, & invalide contrahit, quousque mulier non reponatur in loco libero, & tuto; valide autem, postquam est reposita, ex Trid. cit.

Infers secundo, Non induci impedimentum raptus, si mulier vi abducat virum etiam ad finem matrimonii: Sanch. Ponc. Bonac. & alii contra Henric. Gutt. Marant. & alios, quia Trident. loquitur tantum de raptore, non de raptrice, & leges non solent fieri de casibus rarissimis, qualis est hic; quamvis etiam militet ratio legis, nempe libertas matrimonii. Rapta ergo debet esse mulier, quæcumque ea sit, etiam vidua, etiam meretrix, etiam aliunde impedita ad contrahendum cum raptore; imo etiam antecedenter raptori desponsata, ut contra Henr. Rebel. & Less. tenent Sanch. Avers. Escob. & alii; quia sic etiam verum est, quod habeatur violenta abductio mulieris ad finem matrimonii; limitat probabilius Gob. n. 545. in eo tantum casu, quo sponsa juste nolit stare sponsalibus, & ideo invita rapiatur.

Infers denique, Impedimentum raptus probabilius solum habere locum in illis locis, ubi decretum Trid. est receptum, ut diximus de Clandestinitate; alias standum est juri antiquo, cap. fin. *de Rap.* Pal. d. 3. p. 2. num. 26. cum aliis. Deinde probabilius Trident. decretum non irritare sponsalia inter raptorem, & raptam; quia, cum sit pœnale, & correctivum juris, non debet extendi ad sponsalia, quæ tanquam casus omissus, relinquenda sunt dispositioni antiquæ; præsertim quia non militat eadem ratio, cum sponsalia dissolvi possint, ideoque sufficit illis libertas contrahentium, etsi præcesserit raptus: Perez d. 38. s. 4. contra Sanch. Navar. & alios.

§. II.

Quæ sint pœnæ Raptus?

TRID. *sess.* 24. c. 6. cit. post statutum impedimentum raptus modo explicato statim addit pœnas dicens: *Et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, &, si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

Ubi noto primo, Puniri hoc decreto solum raptum mulieris ad finem matrimonii ipsa nolente; non vero invitis dumtaxat parentibus, aut aliis, vel ad alium finem, puta ad explendam libidinem, &c. quia, cum sit decretum pœnale, & correctivum juris antiqui, & unice latum in favorem libertatis matrimonii, non est ampliandum, sed restringendum unice ad raptum §. anteced. explicatum: Sanch. l. 7. d. 13. cum communi contra Gutt. & Henr. Secundo incurri has pœnas a raptore, cæterique consilium, auxilium, favorem præbentibus, &c. etiamsi raptor in ipso itinere resipiscat, nec raptam perduxerit ad locum destinatum; quia delictum raptus in ipsa abductione violenta jam est consummatum: Perez d. 38. s. 4. n. 4. Et similiter, etiamsi raptor deinde feminam in loco libero, & tuto reposuerit, & cum ea valide contraxerit; ut patet ex ipso decreto: Sanch. d. 13. Less. & alii. Tertio, Pœnam excommunicationis incurri ab his ipso facto, & quidem majoris; at non reservatæ Papæ, cum id non sit in tali decreto expressum: reliquas vero pœnas ibi numeratas expectare sententiam Judicis: Sanch. disp. 13. n. 1. cum aliis contra Bonac. Parochus autem assistens matrimonio raptoris cum rapta nondum in tuto reposita non incurrit pœnas hujus decreti, quia sic non favet raptui jam consummato: Perez s. 3. n. 4. Hæc de jure novo Tridentini. De jure vero naturæ vis illata cuicumque mulieri ob finem libidinis, vel matrimonii quamvis parentibus volentibus, vel solis renitentibus parentibus, quamvis ipsa consentiente, est species raptus continens præter malitiam luxuriæ, etiam malitiam violentiæ contra justitiam: nomine autem parentum veniunt quicumque sub sua potestate mulierem habentes: Doctores communiter. Jure autem Canonico antiquo raptor alienæ sponsæ publica pœna mulctetur, & impedimentum habeat non dirimens, sed impediens matrimonium, cum qualibet contrahendum, cap. *Statutum* 27. q. 2. Putant tamen Doctores apud Tamb. hoc impedimentum esse hodie usu abrogatum. Denique jure Civili raptores capite plectuntur, eorumque bona personæ raptæ addicuntur, *l. un. cap. de Raptu Virginum*. Debet autem persona rapta esse honestæ vitæ, quando raptus committitur, neque ante de matrimonio actum sit; quippe sponsalibus contractis raptus reputari non debet, cap. penult. *de Raptoribus*.

CAPUT XV.

De Impedimentis tantum Impedientibus.

EJUSMODI sunt ea, quibus valide quidem, sed illicite contrahitur matrimonium. Duodecim olim numerabantur; nunc vero partim ex Tridentino, partim ex consuetudine legitime usurpata, ad quinque redacta sunt hoc versu comprehensa.

Clam, Sacrum Tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum;

Addidi clam, nimirum neglectus denunciationum, quæ dicitur Clandestinitas secundum quid. De his breviter.

§. I.

Quid de Tempore Sacro?

DE jure incipere debet hoc tempus a primis Vesperis, vel juxta locorum consuetudines saltem a media nocte ante primam Dominicam Advent. usque ad diem Epiph. inclusive: & a media nocte ante Cineres usque ad Dominicam in Albis inclusive. Quo tempore a Trid. *sess.* 24. *de Ref. Matr.* c. 10. prohibentur nuptiæ solemnes, hoc est factæ cum benedictionibus inter Missarum solemnia, & cum solemni traductione sponsæ in domum sponsi.

Et quoad benedictiones; si hoc Sacro tempore conjuges a Parocho, aliove Sacerdote solemniter benedicantur, peccant graviter contra prohibitionem, & jubentur separari ad arbitrium Episcopi, ex cap. *Non oportet ib. secundo* 33. q. 4. nisi sit periculum incontinentiæ, ut recte limitat Tamb. & alii: & Parochus, aut Sacerdos benedicens ad arbitrium etiam Episcopi puniendus, ex Sacr. Congregat. 5. Dec. apud Pignat. t. 1. cons. 287. Idem est, si benedicantur nuptiæ tempore interdicti localis generalis; quia ejusmodi benedictiones sunt proprie officia Ecclesiastica: Hurt. Bos. c. 9. §. 19. & alii; nisi tunc contrahentes habeant Bullam Cruciatæ, ex cap. *Alma Mater, de Sent. Excommun. in 6.* Cæterum quovis tempore sive sacro, sive interdicti, licita sunt sponsalia, proclamationes, & matrimonia privata, hoc est sine benedictionibus inter Missarum solemnia; quas proinde Parochus poterit in aliud tempus differre, & interim conjuges consummare etiam poterunt matrimonium ex justa causa, qualis esset, si initio Adventus, vel Quadragesimæ contraherent; quia durum esset tamdiu differre consummationem: Avers. & alii communiter.

Quoad traductionem solemnem, &c., cum hæc sit pompa mere sæcularis, & fiat extra loca Sacra, nullatenus prohibetur tempore interdicti; tempore autem Sacro Adventus, & Quadragesimæ prohibetur a Trid. juxta antiquos Canones; & quidem sub gravi, si notabiliter sacro illi tempori adversetur, puta si adhibeantur publicæ pompæ, saltationes, &c. Ponc., Avers., & alii; sub levi vero, si pompa sit moderata: Sanch. l. 7. d. 7. n. 17. Si autem traductio fit omnino privata, Fagnan. in cap. *Cappellanus*, *de Feriis*, contendit, etiam prohiberi, itemque consummationem matrimonii. Sed rectius contradicunt Sanch., Pignat., & alii communiter, quia Canones loquuntur de solemni traductione sponsæ, publicis lætitiis, &c.; &, si novis conjugatis prohiberetur copula, etiam non liceret aliis conjugatis: declarationes, quæ adducuntur in contrarium, vel non sunt authenticæ, vel datæ propter particulares consuetudines in certis locis: Pignat. t. 6. consult. 47.

§. II.

Quid de Tempore Vetito?

QUANDO Episcopus, vel ejus Vicarius Generalis, vel etiam Parochus (ut not. Sanch. l. 7. d. 6. cum aliis) prohibet etiam extrajudicialiter, ne contrahatur matrimonium, sed differatur ob aliquam rationabilem causam, tunc illicite, quamvis valide contrahitur; & in pœnam sponsi transgressores separandi sunt ad arbitrium Judicis Ecclesiastici, ex cap. 1. *de Matrimonio* contra *Interdictum Ecclesiæ*. Hæc pœna, cum gravis sit, indicat prohibitionem esse sub gravi; qualis esset ad sedandum scandalum, vitandas graves rixas, investigandum impedimentum dirimens, &c. Cæterum potest esse aliquando prohibitio sub levi: puta si in venerationem alicujus Festi prohibeatur eo die contrahi matrimonium, non videtur graviter offendi Festi veneratio, tametsi matrimonium celebretur: Sanch., Ponc., & alii. Denique, etiamsi prohibitio matrimonii facta sit a Pontifice, si clausulam irritantem non habeat, adhuc est impedimentum mere impediens, c. 1., & 2. eodem tit. Huc etiam spectat excommunicatio sive major, sive minor, qua ligati prohibentur sub gravi recipere Sacramenta Ecclesiastica, ex cap. fin. *de Cleric. Excom. min.*; adeoque etiam contrahere matrimonium, hoc tamen erit validum ex c. *Significasti 6. de eo, qui duxit*; Perez, Tamb., & alii.

§. III.

Quid de Sponsalibus?

SPONSALIA valide inita, sicuti sunt impedimentum dirimens cum consanguineis sponsæ in primo gradu, ob publicam honestatem, ex dictis c. 10. §. 1., ita sunt impedimentum tantum impediens matrimonium cum quavis alia persona (nisi forte fuerint antea legitime dissoluta) & quidem jure naturæ; quia contra fidelitatem est, rem uni promissam sub contractu oneroso eo invito alteri tradere. Validum tamen est hoc matrimonium, licet illicitum; quia per ea sponsalia nondum est acquisitum jus in re: Doctores communiter. Quando autem licitum sit resilire a prioribus sponsalibus, videbimus d. seq.

§. IV.

Quid de Voto?

SICUT votum solemne Castitatis (quod in sola professione Religiosa, & susceptione Ordinis sacri emittitur) dirimit matrimonium, ex dictis c. 3., ita votum simplex Castitatis (exceptis duobus casibus positis initio ejusdem capitis) vel votum cælibatus, vel votum suscipiendi Ordines Sacros, vel votum ingrediendi Religionem, reddunt matrimonium jure naturali, & divino illicitum, ex cap. unic. *de Voto in 6.* quia res promissa Deo nequit dari alteri; non tamen invalidum, ex eodem cap., etiamsi votum Castitatis emittatur coram Episcopo, aliave persona publica: Doctores communiter contra Raymund. apud Mendo dissert. 12. n. 12. Idemque est de professione conjugis facta inscio, vel invito altero post matrimonium consummatum, quia jura, etsi irritent illam, non tamen quoad votum simplex Castitatis in ea inclusum, cap. *Quidam*, & cap. *Placet*, *de Convers. Conjug.* Qui autem vovit virginitatem, per hanc intelligens continentiam a primo actu, quo virginitas amittitur, hac prius amissa potest contrahere matrimonium, quia cessat omnis obligatio illius voti non amplius implebilis: ea vero nondum amissa, illicite contrahit. In dubio autem, an per virginitatem intellexerit omnimodam continentiam, an a primo tantum actu, præsumendum est primum: Sanch., & Avers. q. 10. s. 4.

Si hæc vota fiant sub conditione, tunc distinguendum est: nam, si vovisti sub conditione pendente unice a tua libera voluntate, puta si luseris hoc anno, potes anno nondum expleto licite contrahere matrimonium; quia conditio a sua voluntate pendens tuæ voluntati remittitur. Sic, si vovisti eleemosynam, si Romam ieris, poteris te reddere semper impeditum ad illam. Econtra vero, si vovisti sub conditione pendente ab aliena voluntate, puta cum beneficium fuerit obtentum, cum parentes obierint, cum studia consummata fuerint, &c.; illicite contrahis matrimonium ante conditionis eventum, quia nequis alterius voluntatem eludere, reddendo te impotentem ad obligationem implendam: nisi vero conditio sit moraliter impossibilis, quia tunc vane expectas: Pal., Sanch., Bonac. d. 4. pu. 4. n. 5. Si post aliquod ex his votis contrahas matrimonium cum animo illud non consummandi, sed ante bimestre ingrediendi Religionem, Scot., Cajet., Rebell., Ponc., & alii putant, te licite contrahere; quia matrimonium ratum non impedit Religionis ingressum, & consequenter neque cælibatum, assumptionem Ordinum, &c. Contradicunt S. Anton., Sotus, Henr., Con., Sanch., Pal., & alii communius; tum quia decipis alterum in re gravi; tum quia conjicis te in grave periculum consummandi. Si quis vovit ingredi Religionem, & bona fide novitiatum ingressus, deinde ex justa causa exeat, vel emittatur, potest licite contrahere matrimonium, quia non censetur vovisse professionem, sed ingressum in Religionem, qui est novitiatus: Sanch. l. 4. *Decal.* c. 16. num. 93. Gobat. tr. 9. n. 101., addens, aliquos idem docere, etiamsi sine justa causa exeat, dummodo serio, & sine fraude novitiatum sit ingressus. Denique novitius, etiamsi nullum votum emiserit, non potest licite contrahere matrimonium; quia matrimonium est status alienus ab habitu assumpto: Pal. tr. 16. d. 1. p. 10. n. 3. ex c. *Consuluit*, *qui Clerici*, *&c.* Quid autem agendum sit, si quis post ejusmodi vota defloraverit virginem, vel contraxerit jam matrimonium, dicemus d. 3. Quis vero possit in his dispensare, videbimus qu. seq.

§. V.

Quid de Proclamationibus neglectis?

PROCLAMATIONES sunt denunciationes, sive banna, quibus publicatur matrimonium inter certas personas esse contrahendum: de his ita statuit Trid. *sess.* 14. *de Ref. Matr. c. 1. Imposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.*

Ex quibus inferunt communiter cum Aversa q. 7. s. 1. contra Sot., & Ledesm., certo fore mortale, si contrahentes inirent, aut Parochus assisteret matrimonio, omissis proclamationibus, quamvis aliunde haberetur certitudo, quod nullum adesset impedimentum; quia deesset perfecta publicitas tali matrimonio requisita ab Ecclesia, adeoque esset clandestinum secundum quid. Imo habita ea certitudine, quamvis Barbosa, Dian., & alii apud Busemb. putent, non fore mortale, si omittatur una ex tribus; adhuc tamen contradicunt alii, ad quos inclinat Aversa; tum quia non cessat lex, licet finis ejus in particulari casu videatur cessare; tum quia, cum sit usus, ut fiant tres, potest accidere, ut quis expectaret tertiam ad manifestandum impedimentum. Proclamare extra missarum solemnia, aut in publico concursu extra Ecclesiam non videtur fore mortale, uti insinuat idem Aversa. Addit Laym., Lohn., & alii, proclamari etiam posse in die non festo, si in Choro sit solemnitas, & adsit frequens populi conventio; sed Barbos., & alii dicunt, ne Episcopum quidem posse dispensare, ut fiant diebus ferialibus, quia Trid. expresse dicit *Diebus festivis*. Sanch., & Laym. putant debere intercedere saltem duos dies inter unam, & alteram denunciationem. Gobat. n. 519. dicit, sufficere, unum. Hurt. ait, ne hoc quidem opus esse, cum de hoc nihil præcipiatur: unde spectanda est consuetudo locorum. Si autem transiliatur unus dies Festus, non erit peccatum, si adfuerit causa aliquo modo rationabilis,

lis, vel inadvertentia: Coninch, Tanner., Gob., & alii; dummodo inter primam, & secundam, quæ resumitur, non sint interlapsi duo menses; quia sic deberet repeti etiam prima: Similiter Rituale Roman. ait: *Si intra duos menses post factas denunciationes matrimonium non contrahatur, denunciationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.* Denique Busemb. ait, die ultimæ denunciationis posse contrahi: sed spectandæ sunt consuetudines, & constitutiones synodales locorum; ut scilicet deferri possit impedimentum, si quod adsit.

Fieri autem debent proclamationes a proprio Parocho, juxta Trident. decretum; vel ex ejus commissione ab alio, ut constat ee praxi, etiam non Sacerdote, ut addit Aversa. Item fieri debent in propria utriusque contrahentis Parochia, quando ad diversas pertinent, ut constat ex ipsa praxi; & declar. S. Congr. confirmata a Greg. XIII. apud Nav. Nisi vero Parochiæ sint ita vicinæ, ut, quod in una scitur, etiam sciatur in altera; tunc enim satis videtur in una proclamari: Perez d. 43. s. 2. n. 4. At, si quis per diversas anni partes in diversis Parochiis habitet, volunt aliqui, in singulis proclamari, ut scilicet obtineatur finis præcepti, qui est, ut impedimentum, si quod subest, detegatur ab iis, apud quos est commoraeus. Alii cum Poncio dicunt, sufficere fieri in Parochia, in qua ultimo est. Alii cum Con., Sanch., Barb., Dian. in ea, in qua diutius habitavit. Aversa q. 7. s. 1. dicit, observandum esse usum, & consuetudinem locorum. Denique circa proclamationes vagorum emanavit per S. Congreg. generalis inquisitionis de Urbe an. 1637. mandatum ad omnes Ordinarios, ne permittant fieri denunciationes forensis, sive vagi, nisi Parocho adstituro per authenticam fidem Ordinarii ipsorum vagorum de illorum statu libero constet.

Quæres primo, Quas pœnas incurrant contrahentes neglectis proclamationibus?

Respondeo: Prima pœna est, ut Ecclesia semper præsumat pro matrimonio in facie Ecclesiæ contracto contra illud aliud, nisi fortissime probetur: Perez d. 43. s. 11. Secunda est pœna arbitraria judicio Ordinarii designanda, ee cap. fin. *de Cland. Desponf.* Tertia est amissio duplicis privilegii: quorum primum est, quod, si matrimonium post prævias proclamationes contractum ob occultum impedimentum sit irritum, proles bona fide saltem unios ex eo suscepta, est legitima, ex cap. *Cum inter*, *Qui filii sint legitimi*; & hoc privantur, qui proclamationes negligunt, c. fin. cit. Secundum est, si post prævias proclamationes contractum sit matrimonium, & postea cognoscatur adfuisse aliquod impedimentum, quod prius ignorabatur, facilius, & gratis dispensari potest: quo privilegio careat, & spe dispensationis obtinendæ, qui solemnitates requisitas neglexerit, ex decreto Trident. loc. cit., ideoque, addit Sanch., quod Papa sine gravi causa illicite cum talibus dispenset; & quod dispensatio sit irrita, nisi illa circumstantia exprimatur in petitione. In Synod. Neapol. eecommunicat. ipso facto incurrunt, qui parvipendentes solemnitatet Trident. matrimonium contrahunt, etiam Parocho per vim, aut dolum adducto; quam pœnam incurrunt, tum contrahentes, tum dantes consilium, aut opem: Parochus vero, cujus supina in ea re negligentia constiterit, pœnam dabit aureorum centum piis usibus addicendorum, aliasque arbitrarias.

Quæres secundo, Quas pœnas incurrat Parochus, vel Sacerdos ex ejus licentia assistens matrimonio neglectis proclamationibus?

Respondeo, Triennio ab officio suspendendum, ee cap. fin. cit., ubi notat Perez, Primo non esse suspendendum a beneficio, quia est pœna diversa, & textus solum ait *Ab Officio*. Secundo non incurri eam pœnam ipso jure, sed eequiri sententiam Judicis; cum textus dicat *Suspendatur*. Tertio, Triennium suspensionis posse ee causa justa augeri, & minui, cum Textus dicat, *Ministerio Judicis imponendum*, ex Gloss. in c. *Cum sit*, *de Appellat.* Quarto, A prædicta suspensione excusare ignorantiam, etiam crassam, dummodo non sit ita crassa, ut ingens sit temeritas; quia textus ait, qui *Præsumpserit*, & *Præsumere* dicit temeritatem. Quinto demum, Hanc pœnam non esse correctam a Tridentino, quod, licet expresse non statuat hanc pœnam, ait tamen, *Conc. Later. vestigiis inhærendo, &c.*

QUÆSTIO III.

De Dispensationibus Impedimentorum.

DISPENSATIO est *Juris relaxatia*, qua quis ab obligatione legis eximitur, adhuc persistente eota lege in suo vigore. Videnda itaque hic Primo est potestas dispensandi in impedimentis matrimonii: Secundo, Causæ dispensandi: Tertio, Dispensationis petitio: De duratione enim dispensationis, ac potestatis dispensandi, nec non de rescripto Datariæ, ac Pœnitentiariæ actum est in de Legibus tract. 1. disputat. 4. per totam.

CAPUT I.

De Potestate dispensandi in Impedimentis?

DISPENSANDI Potestas, vel est Ordinaria, vel Delegata alteri: illa semper est generalis: hæc aliquando generaliter concessa, aliquando vero ad casum particularem, certamque personam. Jam vero potestas dispensandi generaliter, sive ordinaria sit, sive delegata, late est interpretanda, quia bonum commune est, ut in Republica sint, qui talem potestatem habeant: ac potestas ad casum particularem, certamque personam stricte est interpretanda, quia respicit bonum privatum cum exceptione a jure communi: Suar., Sanch., Perez, Tamb., & alii communitee. Plura vide dicta l. supra cit.

Quæres primo, Quid possit Papa?

Respondeo, Circa impedimenta dirimentia jure divino positivo nullam esse quæstionem; quia nulla hæc sunt in Lege Evangelica, per quam etiam cessarunt, si quæ erant, in Mosayca. Circa dirimentia jure naturæ communissima sententia cum Sanch. d. 6. contra Henr., & paucos alios negat, Papam posse ee concessione divina dispensare; quia nullum in Scripturis habemus talis concessionis fundamentum. Solum ergo potest in his dispensare, quando non constat esse talia, sed sub opinione utrinque probabili: sic Alex. III., Honor. II., Cœlest. III., Clem. II., & alii Pontifices dispensarunt in voto solemni Castitatis juxta opinionem probabilem, quod non dirimat jure divino naturali, quamvis D. Th. cum aliis probabilius putet oppositum. Similiter dispensant in secundo gradu consanguinitatis, & in primo affinitatis lineæ transversalis, quamvis multi contra multos adhuc doceant, esse dirimentia jure naturæ. Circa impedientia jure divino, & naturali (ut sunt votum Castitatis, Religionis, Sponsalia, &c.) potest etiam Papa dispensare ex concessione divina, ut cum communi docet Sanch., sive, ut alii loquuntur, authentice declarare, Deum hic & nunc permittere agi prætee suam legem. Hæc concessio eruitur a Doctoribus ee verbis Christi Joan. 21. *Pasce oves meas*, & Matt. 16. *Quodcumque solveris super terram, &c.*, in quibus, sicuti generaliter continetur concessio dandi indulgentias, &c., ita & dispensandi in impedientibus jure divino, & naturali: non autem in dirimentibus eodem jure, ut constat ex praxi Ecclesiæ. Circa impedimenta, sive dirimentia, sive impedientia jure Ecclesiastico potest ordinarie Papa dispensare cum quovis fideli, quia est supra omnes leges Ecclesiasticas, & supremus ipse Legislator: potest item revalidare matrimonium ex quovis ejusmodi impedimento irritum, filiosque ee eo etiam mala fide susceptos legitimare in utroque foro, non solum quoad spiritualia, sed probabilius etiam quoad sæcularia, ut docet Sanch. l. 8. d. 7. cum communi contra Perez, & alios; quia in radice matrimonii irrita jam ratione impedimenti juris Ecclesiastici (non tameo si juris naturalis) dispensare potest Papa etiam quoad effectus secutos, ac si lex Ecclesiastica irritans nunquam edita fuisset: ut constat ex Clem. un. *de Immun. Eccl.*, ubi eevocantue quædam constitutiones prædecessorum etiam quoad effectus antea productos.

Potestas hæc dispensandi duplici via a Pontifice Romæ eeercetur: tum pee Datariam, seu Cancellariam; tum pee S. Pœnitentiariam. In Dataria dispensat Papa, quando impedimentum est notorium, & publicum: tum in consanguinitate etiam occulta pro matrimonio conteahendo: & in secundo ejusdem gradu etiam occulto pro matrimonio jam contracto. Dispensatio pee Datariam conceditur dupliciter: Primo, Per compensationem, seu impositionem mulctæ, quæ ex praxi Romana cedere debet in pios usus, & non in utilitatem dispensantis: Secundo, Gratis, aut in forma pauperum:

gra-

gratis diſpenſatur cum iis, qui ignoranter contraxerunt eum impedimento, non autem quoad mercedem officialium pro expeditione litterarum, ex declaratione S. Congregationis apud Corrad. In forma pauperum diſpenſatur cum iis, qui non habent, unde ſolvant ſumptus, taxamque Romanam. In S. Pœnitentiaria Papa alicui Cardinali dat facultatem, ut ſuo nomine diſpenſet in impedimentis tantum occultis matrimonii in foro conſcientiæ, & omnino gratis, excepta conſanguinitate occulta pro matrimoniis contrahendis, & ſecundo ejuſdem gradu pro contractis. Quando autem impedimentum dicatur occultum videbimus §. ſeq. Notat tamen Tiburtius *in Introd.* c. 3. pag. aa., ſi impedimentum ſit alibi publicum, & hic occultum, & tu hic exiſtens petas a Pœnitentiaria diſpenſationem tanquam pro occulto, non facta mentione, quod alibi ſit publicum, Breve ab ea datum fore ſubreptitium, quia non ſolet ea admittere hunc caſum. Addit etiam Hoſtienſ. cum Pignat. t. 6. conſult. 66., & aliis, quod, quando Pœnitentiaria in reſcripto dicit; *Dummodo ſit omnino occultum*, plus requiritur ad occultum, itaut plane ignoretur, nec ulla ratione poſſit probari. Demum defuncto Pontifice, obtineri non poſſunt Romæ diſpenſationes matrimoniales, quia annulus Piſcatoris, ſeu ſigillum Principis frangitur: Croix.

Quæres ſecundo, Quid poſſit Epiſcopus?

I. Certum eſt, poſſe Epiſcopum diſpenſare in denunciationibus ante, & poſt matrimonium, ex Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 1. Idem etiam poſſunt, qui habent juriſdictionem Epiſcopalem adnexam ſuæ dignitati, non autem habentes Abbatiam, aliaſve dignitates in Commendam, ex Declar. S. Congreg. apud Rebell. Poteſt etiam Epiſcopus hanc facultatem delegare aliis, quia eſt facultas ordinaria, & Sedi Epiſcopali perpetuo adnexa: Perez d. 44. ſ. 5. Si contrahentes ſpectant ad diverſas Diœceſes, & Ordinarius unius diſpenſat denunciationes in ſua, Sanch., Con., Perez, & alii contra Ponc., Dian., & alios docent, etiam diſpenſare in altera, etiamſi matrimonium contrahatur in illa, quia ſic etiam ſatisfit decreto Trid., & per diligentiam, quam Ordinarius diſpenſans tenetur adhibere, occurritur periculo impedimenti, ſi, quod ignoratur hic, notum eſſet alibi. Peccat autem Epiſcopus, ſi ſine juſta cauſa diſpenſet, quia Trid. jubet, ut judicet expedire hanc diſpenſationem; at non requiritur, ut ea cauſa cognoſcatur judicialiter, cum Trid. eam remittat ipſius prudentiæ: hinc poteſt diſpenſare etiam extra Diœceſim, cum non ſit actus juriſdictionis contentioſæ. Cauſa juſta diſpenſandi in denunciationibus ante, & poſt matrimonium eſt, quando fieri non poſſunt abſque infamia, vel abſque nimio rubore contrahentium: Sanch. l. 3. d. 9., puta ſi valde nobilis ducat ignobilem, valde ſenex puellam, valde dives pauperculam, &c. Aut ſi magnates contrahere velint ſubito, & occulte, quia, cum ſint valde noti, ſtatim ſciretur, ſi quod ſubeſſet impedimentum: Perez n. 5. Aut quando concubinarius in articulo mortis vult ducere concubinam. Aut quando adeſt notabile bonum ſive ſpirituale, ſive temporale contrahentium. Cauſa juſta transferendi denunciationes poſt matrimonium eſt, quando timetur, ne conſanguinei, vel alii injuſte illud impediant, ex Trid. cit. Vel ad vitandum grave damnum, quod vitari poſſit ſtatim inito matrimonio. Tenetur autem Ordinarius prohibere, ne illud conſumment ante denunciationes poſtmodum faciendas; niſi vero ipſi omnino conſtet, nullum ſubeſſe impedimentum: ſi autem non ipſi Ordinario, ſed ipſis tantum conſtet, peccant, quoties conſummant ante denunciationes, quia agunt in re gravi contra decretum Concilii: Perez n. 13.

* Circa matrimonia occulta denunciationibus omiſſis, vulgo nuncupata *Conſcientiæ*, Bened. XIV. Conſt. incip. *Satis vobis*, emanata die 17. Nov. 1741. Prælatos Eccleſiæ monet de cautela, qua permittenda ſunt, ut nimirum ante fiat diligens inquiſitio perſonarum petentium ſecreto contrahere; & poſt celebratum ſecreto matrimonium monet, ut indilate a Miniſtro, coram quo initum eſt, exhibeatur Epiſcopo illius ſcriptum documentum cum nota loci, & temporis, teſtiumque, qui celebrationi interfuerunt: idque transcribatur in libro diſtincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta adnotantur, atque in Epiſcopali Cancellaria liber iſte caute cuſtodiatur. Cum prolem ex tali occulto matrimonio naſci contigerit, nomina parentum (ſi forte in libro baptizatorum non fiat eorum mentio) mandat expreſſe, quod a patre baptizati, eoque defuncto, ab illius matre ſuſcepta legitime proles Epiſcopo denuncietur; aliter in lucem proferri vult occultum conjugium, ſi intra dies 30. a nativitate non denuncietur, in pœnam contumaciæ, præter alias pœnas Epiſcopi judicio infligendas. Epiſcopus vero librum habeat apud ſe (ut dictum eſt de libro matrimoniorum occultorum), in quem nomina baptizatorum, ac utriuſque parentis nomina referantur. *

II. Certum eſt, ex conſuetudine poſſe Epiſcopum diſpenſare ad petendum debitum, ſi conjugibus superveniat affinitas ex copula illicita, vel cognatio ſpiritualis: Sanch. l. 8. d. 12., Ponc., & alii contra Henr., & alios. Et ſimiliter poteſt in ſimplici voto Caſtitatis, aut Religionis cum iiſdem ad petendum debitum, ob periculum incontinentiæ, manente tamen voto quoad reliqua. Niſi vero ex mutuo conſenſu voverint, quia ſic, cum non debeant cohabitare, ceſſat periculum: Sanch. ib., Laym., Ponc., & alii. Ante tamen matrimonium non poteſt Epiſcopus diſpenſare in hoc voto, quia ex conſuetudine ſpecialiter reſervatur Papæ. Poteſt tamen primo, Si votum non ſit caſtitatis perfectæ, vel non ſit abſolutum, ſed conditionale, aut pœnale, puta, *Si ſanabor*, *ſi luſero*, *&c.*, quia ſic non voves ex perfecto amore Virtutis, aut Religionis; &, cum reſervatio ſit odioſa, eſt reſtringenda ad obligationem dumtaxat abſolutam, & perfectam: Sanch., Pal. cum pluribus aliis; etiamſi conditio ſit jam adimpleta, ob eandem rationem. Poteſt ſecundo, Si votum ſit emiſſum ex metu injuſto gravi, aut levi: Sanch., Gob. n. 574. Poteſt tertio, Si poſt votum puellam cognoveris, quam ducere velles, antequam infametur, & periculum ſit in mora adeundi Papam: Sanch., Lezan., Gob. ib.

III. Certum eſt, ordinarie non poſſe Epiſcopum diſpenſare in impedimentis dirimentibus jure eccleſiaſtico; quia, cum hoc jus ſit ſuperius, nequit inferior in lege ſuperioris diſpenſare, cap. *Inferior* d. 21. Videndum, an poſſit in aliquo caſu ex præſumpta conceſſione Papæ? Dico cum Sanch. l. 2. d. 40., & innumeris aliis primæ notæ Doctoribus contra Sotum, Poſſe Epiſcopum in his diſpenſare in foro conſcientiæ poſt contractum matrimonium in caſu, quo concurrant ſimul hæ quatuor conditiones: Prima, Ut matrimonium ſit publicum, & impedimentum occultum: Secunda, Ut contraxerint bona fide: Tertia, Ut non poſſint ſeparari: Quarta, Ut non poſſit recurri ad Papam.

Circa primam conditionem noto, quod, cum hic non intendatur, niſi obviare publico ſcandalo, impedimentum adhuc dicetur occultum, quamvis de eo ſit apud vulgus violenta ſuſpicio, & muſſitatio, quia adhuc poteſt aliqua tergiverſatione celari: Sanch. d. 34. n. 254. Idem eſt, ſi actus ſit publice notus, non tamen ſit publice notum, quod talis actus ſit impedimentum: Pignat. t. 6. conſ. 99. Idem eſt, ſi olim fuit publicum, nunc autem occultum ex communi errore, quod ei olim fuerit valide diſpenſatum: Sanch., Ponc., Perez, & alii communiter. Idem probabiliter ait Tambur. cum aliis contra alios, ſi ſit publicum in alio loco, & non ſit periculum, ut poſtea hic etiam publicetur. Si autem cognitum ſit a majori parte viciniæ, vel communitatis, ubi inveniantur ſaltem decem perſonæ, dicitur publicum. Notat tamen Tambur., aliquando in magna civitate, etiamſi decem illud ſciant, adhuc dici poſſe occultum, niſi forte facile ad alios ſit divulgandum. Publicum etiam eſt, ſi ſit deductum ad forum contentioſum, quod fit per citationem partis, & non antea; antea ergo adhuc dicetur occultum, quamvis probari poſſit per duos teſtes: Sanch., Tamb., & alii; vel, quamvis notum ſit plurimis complicibus, quia per hos probari non poteſt: Pignat. ib. Poſt ſententiam vero remanet publicum, ſi de eo damnatus ſis, vel relaxatus ſub fidejuſſore, cum nondum ſit finitum judicium: Pignat. ibid. Contra vero non amplius cenſetur publicum, ſi de eo ſis abſolutus, quamvis falſis teſtibus, & rationibus ſis defenſus, vel quamvis ſententia fuerit interlocutoria, quia per hanc etiam aufertur infamia delicti: Sanch., Pal., Bardi, Tamb., & alii.

Circa ſecundam conditionem, Sanch. cum plurimis contra Averſam docet, ſatis eſſe, ſi alteruter contraxit bona fide, ſeu cum probabili ignorantia impedimenti; quia huic non debet præjudicare malitia alterius; ut nec præjudicat proli, quæ ex bona fide unius legitima eſt in utroque foro, quamvis non revalidetur matrimonium, ex cap. *Ex tenore, qui filii ſint legitimi*. Addit, ſatis eſſe ignorantiam etiam craſſam, modo non ſit temeritas, ut colligitur ex Trid. loc. cit. Similiter nec tollitur bona fides, ſi cognoſcatur v. g. conſanguinitas, non tamen quod hæc ſit impedimentum, etſi id deinde

cognoscatur post contractum. Contra non sufficit bona fides circa impedimentum, si neglectæ sint denunciationes, ex Trid. cit.

Circa tertiam conditionem, requiritur, ut Conjuges post matrimonium rescientes, vel alterutro resciente impedimentum, non possint separari sine publico scandalo, infamia, ingenti difficultate, vel sine periculo salutis animæ. Quare, si adhuc uterque sit in bona fide, & prævideatur ex separatione aliquod ejusmodi malum, tunc secreto petenda est dispensatio a S. Pœnitentiaria, & interim uterque in bona fide relinquendus; cum nullum sit periculum peccati formalis: Doctores communiter.

Circa quartam conditionem, non solum dicitur non posse recurri ad Papam, cum ob paupertatem nequit adiri, vel dari expensæ pro dispensatione, sed præcise etiam, cum periculum est in mora: quare in casu posito potest Episcopus dispensare cum conjugibus etiam divitibus: Sanch., Ponc., Perez, & alii communiter. Si tamen casus patiatur aliquam moram, & adiri possit Nuntius Apostolicus habens specialem facultatem dispensandi, ad hunc recurrendum; at, si hic careat speciali facultate, tunc potest etiam dispensare Episcopus, quia tunc æquiparantur: Sanch. l. 2. d. 44.

His expositis, ratio communis assertionis est, quia non est credibile, quod positis his conditionibus Papa velit reservare sibi potestatem dispensandi, quæ debet esse in ædificationem, & non in destructionem: &, cum tot gravissimi Doctores communiter ejus mentem benigne interpretentur, & complures Episcopi eos sequentes in tali casu dispensent, merito præsumitur Papa id tacite approbare; maxime quod, si requisitus fuisset, rationabile est, quod annuisset; quod perinde est, ac si concesserit, juxta Gloss. in *l. Tale pactum*, *ff. de Pactis*. Hinc inferunt iidem fere Doctores, etiam posse Episcopum dispensare ante matrimonium, quando est urgentissima necessitas contrahendi, nec potest recurri ad Papam: quam sententiam Cardenas vocat moraliter certam, & Corradus declaratam testatur a Systo V. Verum notat Perez, difficillime occurrere posse hunc casum: nam poterit femina v. g. ex consilio Confessarii vovere castitatem ad tempus, & sic publicare se voto adstrictam non manifestando ly *Ad tempus*, jussumque sibi a nuptiis abstinere, donec impetretur dispensatio a Papa: potest etiam ex consilio Confessarii vere contrahere, sed sine animo consummandi, donec obtineatur dispensatio, præsertim cum detur cuique conjugi bimestre ad deliberandum super consummatione. Si hæc, vel alia media prudentis arbitrio non sufficiant, tunc poterit Episcopus in foro conscientiæ dispensare in casu posito etiam pro contrahendo.

Cæterum in dubio invincibili, an casus aliquis indigeat dispensatione, aut an hæc sit reservata Papæ, poterit universaliter Episcopus dispensare; quia reservatio est odiosa, & merito præsumitur Papa non reservare sibi dispensationem casus dubii, sed certi: Dian., Barb., & alii. Idem est, si sit error communis cum titulo colorato, quod possit Episcopus dispensare, ex *l. Barbarius*, *ff. de Officio Prætor.*, non tamen, si error fuit tantum in ipso Episcopo, putante, e. g. periculum esse in mora, quod revera non erat: Bardi *de Consc. discept. 6.* cap. 5. §. 5. Denique, si contrahentes spectent ad diversas Diœceses, satis est in prædictis casibus ab uno ex illis Episcopis dispensari, dummodo impedimentum sit inseparabiliter correlativum, puta consanguinitas, affinitas, &c. Si vero non sit tale, puta votum castitatis in utroque, tunc utriusque Episcopi requiritur dispensatio pro suo Diœcesano: Sanch. l. 3. d. 26., Nav., Henr., & alii.

Quæres tertio, Quid possit Parochus?

Respondeo, Parochum ordinarie in nullo impedimento posse dispensare ex quacumque urgenti necessitate, quia tantum habet jurisdictionem fori interni: Suar. l. *6. de Voto* c. 12. Unde nec potest per se omittere denunciationes, etiamsi timeatur matrimonium malitiose impediendum, quia Trid. in tali casu concedit facultatem soli Ordinario: Perez s. 3. n. 14. cum communi. Nisi vero non possit haberi copia Episcopi, & periculum sit in mora, ut ex communi etiam addit s. 5. n. 3., vel nisi Episcopus injuste nolit annuere; quia sic lex præcipiens non obligat, ex D. Th. 2. 2. q. 110. a. 1. ad 3. In dubio autem, an sint omittendæ denunciationes, consulendus est Episcopus, ejusque determinationi standum, quia Superior possidet jus suum; si autem non sit tempus consulendi, poterit Parochus uti Epicheja: Perez n. 8.

Quæres quarto, Quid possit Confessarius Cruciatæ?

Respondeo, Dispensare posse pro foro conscientiæ cum iis, qui bona fide saltem unius invalide contraxerunt ob affinitatem occultam ortam ex fornicatione in primo, vel secundo gradu, ut iterum valide contrahant: &, si valide contraxerunt, ad petendum debitum; ut constat ex tenore Bullæ Cruciatæ: dummodo tamen non sint neglectæ denunciationes, ut merito limitat Sanch. ex Trid. cit. Potest etiam legitimare prolem, etiamsi concepta, & nata sit, postquam conjuges noverunt impedimentum, dummodo bona fide saltem unius contraxerint: Per. d. 44. s. 7. n. 11. Porro de potestate Vicarii generalis, aut Capitularis, necnon Nuntii Apostolici, sive Legati, &c., vide, quæ diximus in de Legibus tr. 5. d. 4. q. 1. c. 2.

CAPUT II.

De Causis dispensandi.

SICUTI publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ita ex causa cognita erit id præstandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censetur: ita statuitur a Trid. *sess. 25. de Reform. c. 18.* Videndum itaque primo, Quæ afferri possint Causæ sufficientes ad dispensationem? Secundo, Quid, si non adsit causa sufficiens?

§. I.

Quæ sint Causæ sufficientes?

I. ESSE potest *Litis Compositio*, si nimirum per tale matrimonium pacandæ sint inimicitiæ, aut magnæ lites ortæ inter familias, &c. Similiter, si periculum sit litis circa dotem, successionem bonorum, &c., & solum persona impedita velit sibi assumere has lites; non autem si sibi assumat merum lucrum acquirendum; quia causa movens dispensantem non est acquisitio lucri, sed amissio bonorum, & cessatio litium: Tamb. n. 21.

II. *Periculum Infamiæ*, aut publici scandali, aut aliorum gravium damnorum, quæ probabiliter timentur, nisi tale matrimonium fiat: e. g. si ex fragilitate se cognoverint, vel ob nimiam familiaritatem de hoc sit sermo, vel gravis suspicio, ita ut, si mulier huic non nubat, mansura sit infamata, vel innupta: Pignat. t. 7. consult. 22., vel si separari non possint, & timor sit, ne perseverent in concubinatu: Sanch. l. 8. d. 19. n. 10.

III. *Angustia loci*, quando non reperitur in loco aliud competens matrimonium; quia durum est præsertim feminæ deserere locum sui domicilii, aut cogi ad contrahendum cum impari: Sanch. ib. cum communi. Neque obest huic causæ, quod in eo oppido haberi etiam possit unus, aut alter paris conditionis non impeditus, quia non est ita coarctanda mulier habens forte cum his antipathiam: Sanch. ib. notans, id esse intelligendum morali modo. Neque etiam obest, quod possint haberi alii pares in oppidis vicinis, si eo sit commigrandum; nisi forte sint in suburbiis: Corrad., Tamb., & alii. Denique par conditio attendi simul debet ex nobilitate, opibus, ætate, indole, moribus, &c., unde impar etiam est, si, qui cæteris paribus offertur, gravatus sit prole ex alio matrimonio: Sanch. ib.

IV. *Incompetentia dotis*, vel *Paupertas:* e. g. si mulier dotem competentem non habeat, nec reperiat alium, qui dotet, vel qui indotatam ducat: & similiter, si vir non inveniat aliam, quæ necessaria ad honestam substentationem afferat: Sanch. ib. cum aliis, addens, quod, quamvis non dicatur mulier carere dote, si parentes cogi possint ad eam dotandam; at dicitur carere, si cogi non possint, etiamsi habeat spem, aut jus ad bona ab intestato, quia indotata est de præsenti, & incerta de futuro; per quod proinde cogitur, vel manere diu innupta, vel nubere impari. Notat tamen Tamb. n. 19., aliud esse carere dote competenti, aliud carere simpliciter dote: primum verificari etiam potest de habente aliquam dotem; sic Riccius in praxi ait, Neapoli quatuor millia ducatorum in nobili extra plateam haberi pro dote incompetente; imo, etiamsi habeat competentem, si tamen ob deformitatem, vel aliam causam non potest nubere pari, nisi eam augeat, adhuc dicetur carere dote competente. Secundum vero de ea solum verificatur, quæ caret omni dote, & vere est pauper. Hinc, si proponitur Papæ hoc posterius, & solum est verum illud prius, dispensatio est subreptitia; adeoque, ut valeat, impetranda est alia gratia, quæ vocatur *Perinde valere:* Corrad. num. 21. Notat etiam Gob. num. 654.

Titu-

Titulum paupertatis allegari posse dupliciter; vel ne causam dispensandi, vel ut causam dispensandi in forma pauperum: quæ duo aliquando separantur; nam reperiri possunt, qui habent facultates sufficientes ad sumptus, taxamque Romanam, non tamen ad dotem competentem; & econverso. Si ergo alleges unam causam pro alia, dispensatio est subreptitia. Et, quia deprehensum est, quosdam titulo paupertatis usos esse ad petendam dispensationem in forma pauperum, qui solvere potuissent Romanas compositiones, & jura officialium, Urban. VIII. loco clausulæ, *Dummodo ipsi pauperes existant*, voluit poni, *Dummodo ipsi pauperes, & miserabiles existant, ac ex solo labore, & industria tantum vivant:* ubi Khrimer apud Croix n. 857. post relatas aliorum opiniones concludit, illum dici pauperem, qui labore suo, sive corporis, sive animi, sustentare se debet; eum miserabilem, qui tantum labore suo, &c., putatque, hoc esse verum, licet ex agello, vel aliunde habeat aliquem modicum proventum, quia pia Mater Ecclesia non vult cum tali misero homine rigidius procedere; additque de Justis, non tam attendi, an habeat bona immobilia, sed quos proventus inde habeat deductis deducendis; si enim tam parum remaneat, ut ad vivendum cogatur laborare, censendus est vere pauper, & miserabilis; nec tenetur bonum vendere, aut pati immutationem sui status, ut solvat jura pro dispensatione obtinenda. Notat demum idem Gob. n. 659. sufficere, si unus sponsorum sit pauper, etiamsi in rescripto ponatur, *Quod sint pauperes*, quia paupertas unius gravat alterum. Sed recte in hoc contradicit Corrad. n. 2. cum aliis; & utriusque paupertatem requiri allegat ipsemet Gob. n. 166. ex responso cujusdam periti in stylo Curiæ.

V. *Ætas excedens*, si nimirum mulier excedat annum 24., nec invenire possit alium virum parem suæ conditioni; quia periculum est, ne, volens jam nubere, innupta remaneat: Doctores communiter.

VI. *Conservatio illustris familiæ*, vel etiam divitiarum in eadem familia: Sanch. n. 30. cum communi; quia expedit Christianæ Reipublicæ tales familias in suo statu conservari: quod maxime verum est, si caput familiæ morituræ sit femina: Heur.

VII. *Excellentia meritorum*, quæ parentes, vel majores, vel qui pro eis intercedunt, præstiterunt Ecclesiæ; quia æquum est, ut, qui de Ecclesia sunt benemeriti, ejus benignitatem experiantur: Doctores communiter.

VIII. *Larga eleemosyna*, quam ipse Pontifex applicet usibus piis, vel ad sumptus publicos; quæ sola absque alterius causæ allegatione sufficiens est, cum bonum publicum spectet; ideoque dispensatio sic impetrata dicitur *Sine causa*, hoc est sine alia præter hanc: & similiter quando petentes nolint exprimi aliam causam, dicuntur petere *Ex certis rationabilibus causis animos oratorum moventibus*, & pro justificanda reticentia illius causæ offerunt mulctam ad sublevandas necessitates Ecclesiæ: Sanch. d. 33.

IX. Pro revalidando matrimonio juxta formam Trid. contracto sufficiens causa est proles bona fide saltem unius suscepta; quia, cum sic sit legitima in utroque foro, ex c. *Ex tenore qui filii sint legitimi*, ad bonam ejus educationem valde confert, tale matrimonium instaurari: Perez f. 5. n. 12.

X. Pro impedimentis impedientibus, causa sufficiens ad dispensationem sponsalium, ut possint contrahi cum alio, est, si timetur, priorem sponsam esse occasionem peccandi sponso; vel si ex matrimonio cum alio speretur publica pax, aut extinctio, vel impeditio gravium discordiarum. Ad dispensandum in voto causa sufficiens est spes publicæ pacis; vel quod materia voti facta sit periculosa voventi, ob scrupulos, graves tentationes, &c., vel quod sit dubium, an sit valide emissum; vel quod mulierem insciam fide data violaverit, quia sic ipse tenetur petere dispensationem. Ubi notat Perez, præter enumeratas causas, posse esse alias plures etiam sufficientes, quæ judicio viri docti, ac prudentis discernendæ sunt. Et, quando una non sufficit, plures congeri possunt; quia *Singula, quæ non possunt, collecta juvant*, l. *Instrumento*, cap. *de Probat.*

§. II.

Quid, si non adsint causæ sufficientes?

CERTUM est, Papam sine causa sufficiente non posse neque licite, neque valide dispensare in votis, aut sponsalibus; quia ipse est inferior jure divino, & naturali, a quo ei permittitur in his dispensare tantum cum causa. Certum est etiam, Papam sine ulla causa, posse valide dispensare in quovis impedimento juris Ecclesiastici, quia est hoc jure superior: illicite tamen sic dispensaret, quia esset acceptor personarum, nec respiceret bonum commune; unde etiam peccaret subditus petens talem dispensationem; quamvis ea jam obtenta possit dein licite uti præciso scandalo: Suar., Sanch., Valent., Dian., & alii. Cum ergo præsumendum sit, Papam nolle unquam dispensare illicite, sequitur, eum nolle de facto ullam dispensationem esse validam sine causa sufficienti. Quod a fortiori militat de Episcopo, vel alio dispensante, qui, cum sit inferior, nullatenus potest valide dispensare sine *Causa cognita, ac summa maturitate*, ex Trid. *sess.* 25. *c.* 18.

Porro hæc cognitio causæ non necessario esse debet judicialis; cum nullum sit jus positivum requirens in hoc formam juridicam; quare sufficit matura cognitio extrajudicialis: & solum illa judicialis esse potest necessaria, ut in foro externo censeatur dispensatio esse valida: Perez d. 45. f. 1. n. 8. Hinc, si Episcopus ex commissione Papæ dispenset sine ulla cognitione causæ, quamvis hæc revera adsit sufficiens, invalide dispensat, quia Tridentinum requirit in eo *Cognitionem causæ:* Ponc., Pal., Bonac., & alii; quamvis Sanch. d. 34., Suar., Rebell., & alii probabiliter putent, valide saltem in foro conscientiæ, si commissio tantum dicat, *Si preces veritate nitantur*. Item, si præmissa morali cognitione causæ Episcopus, vel alius Commissarius bona fide procedat prudenter judicans, causam esse sufficientem, cum talis non sit, iidem putant, dispensationem esse invalidam, quia bona fides a peccato excusare potest, non tamen dare valorem actui: sed etiam contradicunt Sanch., Suar., Azor., Rebel., & alii, quia tunc ad tollendos scrupulos credendum est, ratam fieri a Pontifice dispensationem; neque enim credendum est, Deum, vel Papam requirere, ut plusquam humano modo semper habeatur evidentia causæ, sed sufficere prudens judicium: Perez n. 4. Idem est, si Episcopus certus de causa dubitet, an ea sit sufficiens, nec tale dubium sit vincibile, & a fortiori, si probabile est, quod ea sit sufficiens.

Ut autem videatur, quandonam causa allata sit sufficiens, noto, urgentiorem causam requiri, ut dispensatio concedatur in gradu propinquiori consanguinitatis, vel affinitatis, quam in remotiori: & similiter gravior causa requiritur pro consanguinitate, quam pro affinitate; & pro cognatione spirituali, quam pro legali; & pro voto solemni, quam pro simplici; quia, quo vinculum est strictius, eo magis urget ratio prohibitionis.

Deinde cæteris paribus facilius in prædictis impedimentis dispensatur cum Principibus, quam cum nobilibus; & facilius cum his, quam cum divitibus; & facilius cum his, quam cum infima plebe: quare minor causa sufficiens est illis, quæ non sufficit istis. Neque sic fit acceptio personarum; quia est specialis ratio talis prærogativæ, bonum scilicet pacis, vel indigentia Sedis Apostolicæ, vel saltem gravis utilitas, quæ provenit ex eo, quod habeat tales personas sibi devinctas: Con. d. 33. dub. 5. n. 44.

Hinc Trid. *sess.* 14. *de Reform. Matr. c.* 5. statuit, ut *In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam*. Ubi Doctores cum Nav., Sanch. d. 19. intelligunt secundum gradum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita; non autem ex fornicatione, uti neque ex publica honestate, &c. Ly *Inter magnos Principes*, ex præsenti praxi Pontificum extenditur ad personas nobiliores, adeoque etiam ad valde potentes, & divites, imo etiam ad omnes personas nobiles; sufficitque ad nobilitatem, si solus pater sit nobilis, non vero, si sola mater: Sanch. n. 6. Cum enim hoc Trid. Decretum nequeat ligare manus Pontificis, quamvis cum eo loquatur, & aliunde rigor unius juris sit attemperandus per alterius juris benignitatem; ideo solet Pontifex cum his etiam in tali gradu dispensare, quia spectat etiam saltem indirecte ad publicam causam prospicere bono illorum privato: Sanch., Perez, & alii communiter. Statuit etiam, ut, *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis*. Ubi pariter notant Doctores, quod, quamvis hoc decretum nequeat ligare manus Pontificis, cum sit tamen magni momenti, præsumendum est,

Papam nunquam velle in eo dispensare sine urgentissima causa: quare non quæcumque ex allatis erit hic sufficiens: contingere tamen potest, ut plures ex iis simul aggregatæ sufficiant, quarum singulæ non sint satis; quod prudenti dispensantis judicio relinquitur. Statuit demum, ut *In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino dispensatio detur, vel raro, idque ex causa, & gratis concedatur*: ly *Raro* observatur per impositiones mulctæ, ut sic minus frequenter petatur dispensatio: ly *Gratis* S. Congreg. declaravit, ut fiat cum iis, qui ignoranter contraxerunt cum impedimento: Corrad. l. 8. c. 5. n. 34., addens, aliquando neque id observari, ob necessitatem, & onera Sedis Apostolicæ, præsertim ad tuendam, propagandamque Fidem.

CAPUT III.

De Petitione Dispensationum.

IN petitione dispensationis tria sunt vitanda: Primum, Taciturnitas veri, per quam dispensatio evadit subreptitia: Secundum, Expressio falsi, per quam evadit obreptitia; & utrobique irrita, & nulla, etiamsi per ignorantiam, aut errorem id feceris, quia uterque defectus vitiat substantiam actus. Tertium, Scripturæ inordinatio, pro qua data jam est praxis tr. 1. d. 4. q. 2. c. 2., & q. 3. c. 1., & 2., unde de hac nihil hic superest addendum.

§. I.

Quæ veri taciturnitas sit vitanda?

SUBREPTITIA est dispensatio, si in petitione taceatur, quod ex jure, vel rationabili voluntate Pontificis erat exprimendum; qui defectus præsertim accidit in expositione impedimenti.

I. Si non exprimatur impedimentum, quale in se est in specie: v. g. An affinitas sit ex copula licita, an illicita: & stylus Curiæ est, ut quando fit mentio affinitatis, intelligatur ex copula licita, ut notat De Justis; quare, si sic ex illicita, & id non exprimatur, dispensatio est nulla: Corrad. l. 7. c. 1. n. 13. Similiter exprimi debet, an publica honestas sit ex matrimonio rato, an ex sponsalibus, quia illa, utpote strictior, majorem habet difficultatem ad dispensationem: similiter, an cognatio spiritualis sit paternitas, scilicet patrini cum baptizata, an compaternitas, scilicet patrini cum ejus matre; non tamen est obligatio explicandi, an sit ex Baptismo, vel Confirmatione, quia utrinque pariter eadem cognatio: Sanch., Tamb., Gob., & alii contra Filliuc., & alios. Similiter in crimine explicandum est, an sit ex machinatione, an ex adulterio, an ex utroque: Avers. q. 19. s. 5. Notat tamen Perez s. 5. n. 8. cum aliis, quod, si crimen sit publice punitum pœna arbitraria ob defectum probationum, potest tunc reus in Dataria (in qua est nominandus) tantum exponere, se arbitrarie punitum, non fatendo se reum; & simul, vel ante, vel post, petere potest a S. Pœnitentiaria (in qua non est nominandus) dispensationem secretam, fatendo, quod tacuit in Dataria ob periculum proditionis.

Nulla est etiam dispensatio, si scribas unam speciem pro alia, puta habens affinitatem, scribas consanguinitatem, vel econtra; quia, quamvis consanguinitas sit major affinitate, tamen dispensatio non cadit in illam, quam non habes, neque in hanc, pro qua non petis: Sanch., Perez, Avers. q. 10. s. 5. Notat tamen Gob. n. 639., quod, si in petitione scribatur affinitas, sed in rescripto per errorem ponatur consanguinitas, valet dispensatio, quia lecta supplicatione Papa annuit petitioni: ergo reipsa voluit in ea dispensare; neque exequens excedit fines mandati, quia agit secundum intentionem mandantis sibi sufficienter cognitam; quæ ratio militat pro quocumque errore rescripti, modo non sit erratum in petitione.

Valet autem dispensatio, si habens publicam honestatem ex matrimonio rato scribas affinitatem ex matrimonio consummato, quia in hac affinitate includitur illa honestas, & dispensans in includente dispensat in incluso: similiter, si sit affinitas ex copula licita, pro qua dispensatur, tacendo de publica honestate: secus vero, si affinitas esset ex copula illicita, quia hæc non includit publicam honestatem: Sanch., Avers., Pignat. t. 4. consult. 15.

II. Si non exprimatur impedimentum in individuo: v. g. in quo gradu, & in qua linea sit consanguinitas, vel affinitas (etiamsi hæc sit ex copula illicita, ut contra Sanch. docent Avers., Tamb., & alii, cum major sit indecentia, ut quis contrahat cum concubina patris, quam fratris sui). Si igitur scribatur quartus gradus pro tertio, non valet dispensatio, quia pro tertio difficilius dispensatur, & ob majorem causam, & imponitur major compensatio. Si autem scribatur tertius pro quarto, adhuc Corrad. dicit, non valere, quia Papa sæpe pro diversis gradibus committit diversis dispensationem; sed rectius valere docent communiter cum Sanch. d. 24., quia major gradus includit minorem; &, quamvis Papa aliquando committat expeditionem diversis, tamen, dum vult tolli tertium, etiam vult tolli quartum. Si autem distantia a stipite sit inæqualis, ut si unus distet in secundo, alter in tertio, de jure communi sufficeret exprimere gradum remotiorem, quia reipsa solum sunt in eo gradu, juxta dicta q. 2. c. 4. At ex speciali dispositione Pii V. in motu proprio, qui incipit *Sanctissimus*, requiritur, ut, quando propinquior stipiti distat in primo gradu, etiam ille primus exprimatur, & non sufficiat sola expressio remotioris: quando vero propinquior distat in secundo, aut tertio, & remotior in quarto, sufficit mentio remotioris, habitis tamen postea litteris declaratoriis super propinquiori gradu non expresso in petione.

Notant hic Doctores, Pium V. loqui tantum de consanguinitate, aut affinitate: quare in publica honestate ex matrimonio rato sufficit mentio solius gradus remotioris, nullis litteris declaratoriis postea impetratis super propinquiori; quia in hoc standum est juri communi. Notant etiam, tales litteras peti solum pro foro externo, ut scilicet caveatur scandalum; adeoque nec fore necessarias in impedimento occulto. Notant aliqui cum Molina, si femina sit propinquior stipiti, debere semper exprimi; sed hoc non esse necessarium, ait Perez, cum non eruatur ex Pio V. His tamen non obstantibus ait De Justis l. 2. c. 3. n. 40., ex stylo Curiæ, & declaratione Pontificis, dispensationem hodie fore invalidam, si gradus quivis vicinior non exprimatur, adeoque in praxi hoc esse servandum.

III. Si non exprimatur numerus impedimentorum ejusdem generis: v. g. si cognovisti duas sorores Bertæ, quam vis ducere; vel si sis ei cognatus ex parte patris, & matris, vel fuisti patrinus duorum filiorum ejus, &c. debes utrumque exprimere: Sanch, Ponc., Per., Tamburin., Avers. q. 19. s. 5. contra Henr., Ledes., Rodr., & alios, quorum sententiam Carden. dicit non esse practice probabilem, quia Pontifex debet cognoscere qualitatem, & quantitatem gratiæ, quam concedit. Cæterum non debet exprimi, copulam v. g. fuisse multiplicem cum eadem sorore Bertæ, ut constat ex stylo Curiæ; quia ex tali replicatione non consurgit novum vinculum: nisi vero semel in ea dispensatus iterum redeas ad copulam.

An autem petens dispensationem consanguinitatis, vel affinitati cum Berta exprimere etiam debeas copulam incestuosam cum ea commissam, lis est inter Doctores. Affirmat Sanch. d. 25. n. 8. cum multis; quia stylus Curiæ obtinuit, ut exprimatur; & stylus Curiæ jus facit, cap. *Quam gravi, de Crim. Falsi*; unde est ut addatur his pœnitentia, major compositio, & conjugi superstiti ne transeat ad alias nuptias. Contradicunt alii cum Hurtad., Henr., Navar., Per., & Aversa, qui vocat oppositum in praxi tutum, cum hic incestus non sit impedimentum egens de se dispensatione, ut constat; & stylus Curiæ non videatur obligare extra Curiam, nisi confirmetur decreto Papæ; &, quando ex hoc stylo exprimitur incestus, non pertinet ad causam motivam, sed est tanquam impellens ad concedendam dispensationem cum dictis additamentis. Illud est certum, non esse necessariam mentionem huic copulæ, si contingat post dispensationem consanguinitatis, vel affinitatis; quia tunc nullam habet malitiam incestus, cum solutum jam sit vinculum: Sanch, l. 7. d. 5. n. 15.

IV. Si non exprimantur in eadem petitione plura impedimenta, quæ habes, diversi generis: v. g. simul habes votum, crimen, consanguinitatem; &c. tunc, licet in diversis supplicationibus petas singulorum dispensationes, adhuc hæ sunt subreptitiæ; quia ea simul impedimenta in eadem persona majorem afferunt indecentiam, meritoque redderent simul nota difficiliorem Pontificem ad dispensandum: ergo ex errore videtur Pontifex dispensare seorsim in singulis: iidem Doctores apud Gobat. n. 624. contra Nav., Salas, Sa, & alios. Notat tamen Tamb. cum Avers., & aliis, quod, si quod ex his impedimentis sit occultum, nec possit sine infamia publicari, tunc valet dispensatio aliorum petita in Dataria;

modo

modo in supplicatione pro occulto ad Pœnitentiariam fiat mentio illorum. Rursus, si unum impedimentum possit alia via tolli (puta votum ante pubertatem a patre, sponsalia mutuo consensu, &c.) tunc etiam poteris reliqua seorsim ab hoc exponere Pontifici: nisi vero velis in hoc etiam dispensari ab illo in ordine ad matrimonium; quia tunc Pontifex majorem, & ampliorem gratiam concedit: Tamb. n. 7.

V. Si non exprimantur circumstantiæ a jure requisitæ: puta, si, quod certum est, ponatur sub dubio, & pertineat ad debitam notitiam impedimenti; vel si non exprimatur, quod dispensatio quæsita cedat in præjudicium tertii: Sanch. d. 21. n. 50. Qui scienter contraxit matrimonium in gradu prohibito consanguinitatis, vel affinitatis (vel, ut adduot communiter cum Sanch., in quovis alio impedimento dirimente) & multo magis, qui tale matrimonium consummavit; aut ignoranter quidem, sed neglectis denunciationibus; tunc, si quid horum non exprimat, dispensatio est irrita, ex Trident. *sess. 24. can.* 5. dicente, quod hic talis *Spe dispensationis careat*. Quare etiam exprimere debet, si ita contraxit, aut consummavit cum intentione, ac spe facilitandi dispensationem: Perez d. 46. s. 7. n. 7. Item, si ante matrimonium allegetur copula pro causa dispensationis, eaque habita sit cum tali intentione, ac spe, debet ea intentio explaoari: Sanch., Tol., Pal., & alii. Notant tamen iidem Doctores, quod, si duo contraxerint cum ignorantia crassa impedimenti, possunt scribere, se non scienter, nec malitiose contraxisse, & sic non incurrent pœnam Trid. punientis præsumptionem, & audaciam: at non possunt scribere, se contraxisse bona fide, & sic obtinere dispensationem gratis; quia Tridentinum hanc gratiam concedit iis, qui contraxerunt cum probabili ignorantia impedimenti. Notant etiam Hurt., Sanch., & alii cum Gob. n. 625., quod, si unus sponsorum ignorasset impedimentum, vel non habuisset eam intentionem, vel saltem uterque eam externe non manifestavit; tunc non necessario est exprimendum; quia innocens puniri non debet ratione nocentis, & mere interna non subduntur humanæ dispositioni. Contradicunt alii cum Croix n. 989., quia Tridentinum semper loquitur de sciente in numero singulari; & hujus expressio requiritur tanquam conditio pro informatione Pontificis, qui, si nollet proinde dispensare, per accidens, & indirecte in innocentem redundaret incommodum: quemadmodum, si aliqua bona fide contraxisset cum Subdiacono.

VI. Si non exprimatur prior dispensatio: Pro quo datur hæc regula: Tunc prior dispensatio est exprimenda, quando ejus cognitio difficiliorem redderet Pontificem ad iterum dispensandum: secus vero, quando difficiliorem non redderet. Ratio est, quia Pontifex, ut voluntarie concedat, debet cognoscere quantitatem gratiæ, quam confert; id enim, quod ignoratur, voluntarium non est: Tamb. §. 2. cum communi. Hinc, si impetrasti dispensationem criminis, & deinde petis aliam ob novum crimen, debet mentionem facere prioris, sive ea effectum habuit, sive non habuit; quia ratione talis materiæ rationabiliter impeditur Pontifex, ne secundam post relapsum concedat: Sanch. d. 22., Castr., Tamb., & Corrad. testans, hunc esse stylum Curiæ, contra Filliuc., & alios. Similiter, si impetrasti dispensationem pro ducenda Berta cognata tua, & deinde re integra mutato consilio petas aliam dipensationem pro ducenda Lucia, etiam cognata tua, debes prioris mentionem facere; quia, cum adhuc ea vigeat, rationabiliter impedit Pontificem, ne alteram concedat: quod si concedat, Sanch. putat, valere, & priorem evadere invalidam; quia Pontifex intendit posteriorem concedere priore exclusa, cui etiam tu tacite renuncias: sed rectius Suar., Ponc., Pal., Tamb., & alii putant, invalidam esse posteriorem, quia non videtur intendere Pontifex eam concedere, quando viget prior, nec renunciatio valet, nisi a Pontifice accepeetur. Econtra vero, si prior illa dispensatio effectum jam habuit per nuptias cum Berta, vel aliunde cessavit ejus morte, aut professione Religiosa, non teneris illius mentionem facere; quia sic non præsumitur impedire Pontificem: Sanch. d. 22., Pal., & alii. Similiter, si dispensatus in voto, ut possis semel tantum contrahere, & deinde post uxoris mortem redeunte voto petas dispensationem pro secundis nuptiis, non teneris mentionem facere prioris, quia, cum jam effectum habuerit, non præsumitur impedire Pontificem: Pal., Tamb., & alii; & idem est, si prior dispensatio fuit invalida; quia, quod nihil est, nullum effectum parere potest, ex *Reg. Jur. in 6.*, & pariter, si dubitetur, an fuerit valida, & ob scropulum denuo petas; quia, si fuit valida secunda, non est necessaria: si invalida, nullum effectum habuit. Idem dic, si impedimenta sint omnino diversa, ut si nupsisti Bertæ cum dispensatione voti, & rursus velis nubere Luciæ cum dispensatione consanguinitatis; quia, cum hæc sit ab eo diversa, in nullo officere potest, neque adeo impedire Pontificem: Sanch., Pal., & alii.

VII. Si non exprimatur prior repulsa, Menoch. cum aliis putat, dispensationem fore subreptitiam. Sed contradicunt Suar., Sanch., Dian., & alii communiter, quia tantum abest, ut Pontifex, si recordetur prioris repulsæ, gratiam non sit concessurus, ut potius præsumi debeat concessurus ob replicatas preces. Idem docent Suar., & Pal. contra Sanchez, si quis post repulsam Pontificis recurrat ad Episcopum in casu, quo possit hic dispensare; nam hic in tali casu potest, etiamsi sciat, Pontificem non solere, vel nolle, quia non præsumitur tollere ei potestatem, ut fatetur idem Sanch.

§. II.

Quid de expressione Falsi?

DEFECTUS hic præsertim accidit in exponendis causis dispensationis, vel quod veræ non sint, vel quod insufficientes. Noto itaque, causam, ob quam inducitur Pontifex ad dispensandum, aliam dici finalem, seu motivam, aliam mere impulsivam: finalis est, qua non existente non concederetur gratia, vel concederetur cum aliqua limitatione; quando enim cum limitatione concederetur, non concederetur ea, quæ nunc petitur: Filliuc. apud Tamb. c. 8. Impulsiva est, qua non existente adhuc concederetur gratia, & quidem sine limitatione, sed non tam facile, tam prompte, tam cito: Sanch. d. 21. Hinc a Doctoribus traditur hæc regula: si falsitas sit circa causam finalem, dispensatio est obreptitia: si circa causam impulsivam, est valida.

I. Itaque, si ex pluribus causis propositis aliqua sit falsa, videndum, unde moveri rationabiliter possit, ac soleat Pontifex ad dispensandum in tali impedimento? Si enim motus fuit ab omnibus indivisibiliter, dispensatio est nulla, quia corruit causa sufficienter motiva. Si una est vera, & spectata ordinaria consuetudine videtur sufficiens causa motiva, valet dispensatio; secus, si ea judicetur esse solum impulsiva: Sanch. d. 22., Dian., & alii. V. g. petis dispensationem consanguinitatis in quarto ob copulam, ejusque diffamationem, & bonos cæteroqui mores: si adest diffamatio, quamvis revera non sit copula, valet; quia ea sola esse solet causa sufficienter motiva: similiter, si desint boni mores (hi enim solent esse causa mere impulsiva) etiamsi dispensans sciens, te esse improbum, non dispensaret; nam satis est, si sit habitualiter dispositus ad dispensandum ob eam diffamationem, quæ est causa intrinseca, & se sola sufficienter motiva: sic valida est eleemosyna collata inopi revera tali, credito autem morigerato, etiamsi eam non conferres, si scires, eum esse improbum. Cæterum, si Pontifex semel negavit dispensationem ob solam diffamationem, & tu iterum petens falso addas adfuisse etiam copulam, non valet; quia ex priori repulsa colligitur, dispensantem ad veram copulam attendisse: Cordub. apud Dian. resolut. 65. Denique, si dubium sit, an causa unice expressa fuerit finalis, an impulsiva, dispensatio censenda est nulla; quia impedimento certo non sufficit dispensatio incerta, seu dubii valoris: Mol., Con., Hurt., Perez, & alii. Idem est, quando dubitatur, an causa finalis fuerit sufficiens; quia possessio stat pro impedimento, & melior est conditio possidentis. Econtra vero, si probabile sit, causam fuisse finalem, vel sufficienter motivam; quia sic rationabiliter præsumitur voluntas dispensantis: Dian. resol. 44., Barb., & alii.

II. Si duas simul petas dispensationes pro duobus impedimentis, puta voto, & consanguinitate, illam cum vera causa, hanc cum falsa; tunc, si per solum errorem, aut ignorantiam non valde crassam sic petisti, valida erit dispensatio voti, pro quo stat vera causa, quamvis non consanguinitatis, pro qua stat falsa; quia bonæ fidei Pontifex annuit, quantum licite potest: Pal., Tamb. §. 5. n. 2. Si vero per dolum sic petiisti, neutra dispensatio valet; quia non præsumitur Pontifex unam concedere ei, qui circa alteram relate ad eundem finem dolose se gessit: Tamb. ib. Dixi *Relate ad eundem finem*; nam, si relate ad fines omnino diversos, puta in voto ad tollendos scrupulos, & in irregularitate relate ad Ordines, iidem Doctores putant, unam valere, alteram esse invalidam.

III. Si causa expressa non verificetur tempore debito. Quatuor hic notari possunt tempora cum Tamb., & aliis: tempus petitionis: tempus concessionis Pontificiæ; tempus executionis gratiæ: & tempus contractus matrimonialis. Afferatur itaque pro causa dispensationis diffamatio copulæ, vel paupertas, &c.; non est necesse, ut hæc verificetur tempore petitionis; quia id nec iure præscribitur, & res est adhuc tum remota a dispensatione: Sanch. d. 30., Bonac., Perez, & alii: tempore autem concessionis Pontificiæ, subdistinguo: vel dispensatio est in forma gratiosa, & jam continet gratiam factam a Papa, ideoque debet tunc omnino verificari causa in petitione allegata, licet postea deficiat: Ponc., Pal., Tamb., Gob., & alii: vel dispensatio est in forma commissoria (uti nunc est in usu) itaut a Pontifice committatur alteri gratia facienda in partibus, si repererit, *Preces niti veritate*; & sic necesse est, & sufficit, causam verificari tempore executionis gratiæ per Commissarium, licet tempore antecedenti non fuisset vera: Corrad., Tamb., Krim., & alii, quia sic Pontifex non ipse per se immediate, sed medio executore dispensat: ergo tempore executionis satis est verificari causam. Denique non opus est, ut hæc causa deinde perseveret usque ad contractum matrimonialem, quia dispensatio non fuit concessa sub conditione talis perseverantiæ, & semel existens tollit impedimentum; & consequenter matrimonium, cessante tunc causa dispensationis, erit validum. Non sic in dispensatione jejunii ob infirmitatem, quia circa res habentes tractum successivum præsumitur rationabilis mens successive dispensandi: Suar., Sanch., Pal., Corrad. in praxi l. 7. c. 12.

At quid, si falso allegetur pro causa copula secuta, & hæc deinde sequatur post concessionem Pontificis, & ante executionem commissarii? Sanch. d. 30., Less., & alii communiter docent, non valere dispensationem, quia secus daretur ansa peccandi, ut notat Tambur. Equidem cum his sentio, si copula fiat ex mala fide, & confidentia dispensationis; secus vero, si fiat ex mera fragilitate, quia sic tantum habet verificare causam tempore debito, nec mutat casum in petitione exprimendum. At quid in hoc casu? Titius cognovit Bertam, & Luciam sorores, & volens ducere Bertam impetrat dispensationem in affinitate, tamen, priusquam dispensatio detur executioni, cognoscit iterum Bertam, & Luciam: Quæritur, an indigeat nova dispensatione? Respondeo, si dispensatio data sit Romæ in forma gratiosa, opus esse nova dispensatione, quia prior affinitas erat jam sublata: Sanch. d. 24., Ponc., & alii. Si in forma commissoria, non esse opus nova dispensatione; quia repetita illa copula non inducit novum impedimentum, sed manet unicum, donec per executorem tollatur, nec in supplicatione opus est dicere numerum copulæ: Sanch. n. 8. Noto demum, quod, si in supplicatione allatum sit pro causa v. g. periculum gravis scandali; & in rescripto addatur etiam periculum vitæ, non est opus, ut utraque causa, sed satis est, si prima allegata verificetur: Sanch., De Justit n. 160., & alii; quia Pontifex annuens supplicationi motus fuit ex causa allegata; & ex stylo Curiæ, vel formulis, vel errore scribentium additur illud alterum. Imo id verum est, etiamsi in rescripto omissa sit causa sufficiens a te allegata, & posita alia, quæ hic non verificatur; quia Pontifex annuit supplicationi, & mandatarius non excedit intentionem mandantis, juxta dicta §. antec. Alia vide in de legibus loco superius cit.

DISPUTATIO II.

De Sponsalibus.

QUAMVIS nullum sit præceptum præmittendi matrimonio sponsalia, præmitti tamen solent, præsertim ob denunciationes faciendas, impedimentumque, si quod subsit, detegendum. Horum igitur examinanda sunt hic I. Natura: II. Effectus: III. Dissolutio.

QUÆSTIO I.

De Natura Sponsalium.

VIDENDUM I. Quid sint Sponsalia? II. Quæ sint requisita ad eorum valorem? III. Quæ iis addi possint?

CAPUT I.

Quid sint Sponsalia?

SPONSALIA a verbo *Spondeo* derivantur, hoc est, *Sponte promitto*; in his enim maxime requiritur, ut spontanea sit promissio; promittitur enim futurum matrimonium. Hinc sic promissi dicuntur Sponsi de futuro, & absolute sponsi: qui vero sunt in matrimonio tantum rato, dici solent sponsi de præsenti; &, qui in matrimonio consummato, Conjuges, Uxor, & Maritus. Quoniam vero hæc vocabula aliquando in Scriptoris, & Legibus confunduntur, infert Sanch. l. 1. d. 1. cum aliis, in odiosis per uxorem, & maritum intelligi solos conjuges in matrimonio consummato; itaut, si lex excludat filiam maritatam a successione patris, non debeat comprehendi sponsa de futuro; si statuat, ut, uxore sine liberis decedente, vir partem dotis lucretur, non debeat comprehendi sponsa de præsenti; quia odiosum est, ut hæc sine causa eam partem dotis dimittat. Econtra in favorabilibus, per sponsos intelligi etiam, qui sunt in matrimonio rato, sed nondum consummato: per uxorem, & maritum intelligi etiam sponsos de futuro; nisi tamen obest peculiaris ratio petita ex verbis, fine legis, aut aliunde: ut in favorabili dispositione c. 3. *de Sentent. Excomm.*, ubi declaratur immunis ab excommunicatione is, *Qui percutit Clericum turpiter inventum cum uxore propria*; cum enim intentio Pontificis fuerit excusare virum ob gravissimam injuriam adulterii sibi illatam, ex qua non potest se continere, sequitur, ut nomen uxoris amplietur hic ad sponsam de præsenti, non autem ad sponsam de futuro: Sanch. n. 6. cum Glos., & aliis communiter. Quando vero lex intelligi debeat favorabilis, quando odiosa, vide dicta in de Legib. tr. 1. d. 2. q. 1. c. 1. n. 2. Hæc de nomine sponsalium: de re autem

Dico: Sponsalia sunt *Mutua futurarum nuptiarum promissio*; ita ex cap. *Nostrates*, 30. *q.* 5., & *l.* 1., *ff. de Sponsalibus*. Continentur ergo sponsalia sub genere contractus onerosi ultro, citroque obligantis; & differunt a reliquis per hoc, quod vir feminæ, & hæc illi in futurum matrimonium se promittit.

Infers primo, Ad contrahenda sponsalia non satis esse propositum contrahendi matrimonium, etiamsi mutuo manifestetur; quia propositum est voluntas faciendi, non autem se obligandi, uti esse debet promissio. Similiter nec satis est promissio ipsorum sponsalium, ut si dicas, *Tecum contraham sponsalia*, quia hæc est promissio futurorum sponsalium, non ipsius matrimonii.

Infers secundo, Nec satis esse promissionem futuri matrimonii factam Deo, quale esset votum ducendi Bertam; quia votum non est contractus humanus: adde tale votum, per se loquendo, esse irritum; quia matrimonium per se non est materia voti, cum sit status oppositus continentiæ; adeoque melioris boni, ex Trid. *sess.* 24. *can.* 10. Et, quamvis matrimonium ratum relinquat facultatem amplectendi statum continentiæ Religiosæ; tamen, sicuti non potest quis licite illud promittere, aut contrahere cum intentione transeundi ad Religionem, ita nec potest cum tali intentione illud vovere; maxime quia, si deinde ad Religionem esset inhabilis, deberet illud consummare, si uxor nollet se continere: Laym. c. 3. *de Voto*. Dixi, *per se loquendo*; nam ex circumstantiis aliquando tenet promissio matrimonii facta Deo, non quidem in ratione sponsalium, sed in ratione voti. Porro, ut scias, quænam sint hæ circumstantiæ, consule dicta in de Voto §. 2. in responsione ad 4. quæsitum.

CAPUT II.

Quæ sint requisita ad valorem Sponsalium?

OCTO simul sunt requisita; nimirum, ut Promissio futuri matrimonii sit Vera, Libera, Absoluta, Determinata, Manifestata, Acceptata, Mutua, & inter Habiles Facta. De his seorsim ut agam, sit

§. I.

Quid de Promissione vera?

VERA dicitur promissio, si fiat cum intentione se obligandi; quia hanc verba promissiva significant. Hinc vera est etiam, licet peccaminosa, si, cum promittis, velis quidem te obligare, sed nolis obligationem implere; quia verba eam voluntatem præcise significant,

hanc

hane tantum exigunt; ut in ſimili dicitur de voto: Perez d. 2. ſ. 7. cum communi. Itaque per veram promiſſionem conſtitui debent ſponſalia; &, ſi vir nobilis vere promiſit Bertæ plebejæ, tenetur eam ducere, quia ratione veræ promiſſionis debitus ei eſt totus ille exceſſus; De Lugo, Tamb. & alii.

Dubium eſt de ficta promiſſione, eum ſcilicet externe promittis Bertæ matrimonium ſine animo te obligandi?

Dico primo: Qui ficte promittit matrimonium, peccat quidem, at non contrahit ſponſalia, nec per ſe loquendo ad quidquam tenetur, niſi ad detegendam fraudem, Sanch. l. 1. d. 10. eum communi contra Ledeſm. Nav. Vaſq. Averſ. & alios. Ratio primæ partis eſt, quia coutra juſtitiam decipit alterum ſe in conſcieutia obligaotem ſub gravi: ergo graviter peccat. Idem eſt, ſi promittat cum animo ſe obligandi tantum ſub levi, quia ſic intendit obligare ſibi alterom ſub gravi. Quod ſi non ſerio, ſed ex joco ficte promittat, itaut alter id noſſe poſſit, peccat tantum venialiter ratione mendacii; & idem eſt, ſi promittat omnino gratis, & liberaliter, non intendens obligare ſibi alterum; ut fuſius dicam §. 7. Ratio ſecundæ partis eſt, quia in lege privata conſractuum, qualia ſunt ſponſalia, ipſe contrahens eſt ſimul legislator; atqui lex non obligat, ubi legislator non vult obligare: ergo, ſi promittendo non habet animum ſe obligandi, obligationem ſponſalium non ſubit. Neque dicas primo, Obligationem, poſita externa promiſſione, deſcendere ex lege naturali. Nam in re ſpontanea, qualis eſt materia contractuum, lex naturalis non obligat, niſi volentem ſe obligare, ſeu, niſi ſit vera promiſſio, quam animus ſe obligandi conſtituit; ad hane enim ſequitur, tanquam natoralis effectus, obligatio: in caſu autem non eſt vera promiſſio, ſed promiſſionis fictio. Neque dicas ſecundo eum Vaſq. voluntatem proferendi promiſſionem eſſe inſeparabilem a voluntate promittendi; ſicuti voluutas proferendi detractionem eſt inſeparabilis a voluntate detrahendi. Nam detractio eſt ipſamet externa locutio, per quam imminuitur fama aliena, & ideo non poteſt quis velle eam proferre ſine animo detrahendi: at promiſſio eſt manifeſtatio voluntatis ſe obligandi; &, cum poſſit quis velle mentiri, poteſt velle manifeſtare voluntatem, quam non habet. Ratio tertiæ partis eſt, quia per ſe loquendo fictus promiſſor ſolum peccat ratione fraudis, qua decipit alterum ſe in conſcientia obligantem: ergo ad nihil aliud tenetur, quam ad detegendam ei fraudem, falſamque apprehenſionem obligationis contractæ: ſic enim ſervatur æqualitas. Neque dicas, ficte promittentem intendere obligare ſibi alterum, ideoque & ipſum obligari, ut ſervetur æqualitas; nam, quamvis id inteudat, non tamen conſequitur, quia ille alter propter nullitatem contractus nullam revera ſubit obligationem, quamvis habet animum ſe obligandi, & falſo putet ſe obligatum: ergo ſatis erit fraudis detectio.

Infers hinc primo, Si quis fictam promiſſionem firmet juramento, peccat quidem ſacrilege, at non tenetur per ſe loquendo illam implere; quia juramentum promiſſorium non obligat, niſi ſecundum intentionem jurantis: Sanch. n. 9. D. Th. eum communi.

Infers ſecundo, Si ficte promittens interrogetur a Judice, an promiſerit, poteſt, per ſe loquendo, etiam cum juramento negare; ne ſcilicet promiſſione conceſſa, & non probato defectu intentionis cogatur ad nuptias, ad quas non tenetur; non enim ſic mentitur, quia, deficiente animo ſe obligandi, promiſſio nulla eſt: Sanch. d. 10. n. 27. Dixi ſemper, *Per ſe loquendo*; nam, ſi ex ficta tua promiſſione ſecutum ſit aliquod damnum Bertæ (puta ſi expenſas fecerit, ſi aliud commodum matrimonium omiſerit, &c.) tenetur fictus promiſſor id compenſare, vel pecunia, vel alio commodo, &, ſi aliter nequeat niſi per matrimonium (puta ſi aliter gravem infamiam ſubitura ſit mulier) tenetur illam ducere, non ratione ſponſalium, ſed ratione damni illati: Sanch. Con. Laym. c. 1. n. 10. niſi vero illam notabiliter excedat, quia nec alia debita ſunt neceſſario ſolvenda, quando longe plus ſit expendendum, quam ſit valor ipſius debiti: Tambur, *de Reſtit.* c. 1. §. 8. n. 3.

Dico ſecundo: Si eum ficta promiſſione matrimonii intervenerit alius contractus, hunc Berta implente, tenetur fictus promiſſor ad matrimonium: Sanch. d. 10. eum D. Th. & aliis communiter contra Per. Bonac. & alios. Ratio eſt, quia, quamvis non teneatur ratione ſponſalium, quæ ex dictis nulla ſunt, tenetur tamen ratione alterius contractus ex parte Bertæ jam impleti: ſic to ficte promittens centum Titio, ſi Romam adierit, Titio Romam eunte, teneris ſolvere centum; aliter non ſervaretur æqualitas, ſi tu poſſes non ſolvere centum tune, eum Titius non poſſet amplius non feciſſe, quod promiſit. Hinc, ſi ficta promiſſione matrimonii induxeris Bertam ad copulam (aliter de meris tactibus occultis judicat Sanch. ibid. ob minorem injuriam) determinate teneris eam ducere ratione contractus ex parte Bertæ jam impleti: nec ſatis eſt ei dare dotem æqualem damno deflorationis illato, ut putat Perez, quia juſtitia in caſu exigit, ut des id, quod debes in ſpecie; nec eſt verum, quod juſtitia plus non requirat, quam æquale, quando idem, quod in ſpecie debetur, reddi poteſt: Mol. Leſſ. Con. & alii. Imo, ſi ex ea copula naſcatur proles, non potes offerendo dotem inducere Bertam, ut cedat tuis nuptiis, nec ipſa per ſe poteſt cedere; quia ex tali contractu proles acquiſivit jus ad legitimationem: Croix. Teneris quoque eam ducere, quamvis poſtea voveris Caſtitatem, aut Religionem, juxta omnes: Imo, etiamſi ante voveras, quia debitum juſtitiæ, quando ex parte alterius irreparabiliter exhibita eſt res, prævalet cuivis debito gratuitæ promiſſionis: Sanch. Lug. & plerique alii ap. Dian. contra Nav. Rodr. & alios. At, ſi ſis in Sacris, vel Uxoratus, debes ei providere de aliis nuptiis, &, ſi non provideris uſque ad tuam viduitatem, teneris poſtea eam ducere, ob eandem rationem: idemque eſt, ſi ex tali matrimonio gravia ſcandala, aut exitus peſſimi timeantur: Sanch. n. 9. Ad nihil autem teneris, ſi vel ipſa Berta, vel parentes ejus recuſent tuas nuptias, vel tua conditio notabiliter excedat conditionem Bertæ, & præſumatur, eam ad id advertere potuiſſe: vel ſi ex tuis verbis, aliiſve ſignis facile poterat cognoſcere tuam promiſſionem, etiam juratam, eſſe fictam, ut dictum eſt tr. 4. d. 2. q. 3. c. 2. ubi etiam habes, ad quid teneatur, qui abſque promiſſione matrimonii aliquam defloraverit?

§. II.

Quid de Promiſſione libera?

LIBERA dicitur promiſſio matrimonii, ſi ſit ſpontanea, & deliberata; adeoque non facta per errorem, & ignorantiam, non per vim, & metum; non denique per mentis perturbationem tollentem uſum rationis.

I. Quoad errorem, & ignorantiam redeunt omnia, quæ dicta ſunt d. 1. q. 2. c. 1. & 2. de impedimento erroris, & conditionis. Quare ſolus error circa ſubſtantiam perſonæ, vel circa qualitatem, quæ tranſit in ſubſtantiam, vel circa conditionem ſervilem, irritat ſponſalia; & in hoc ſenſu intelligenda ſunt hic jura omnia de dolo malo dante cauſam contractui. Addunt tamen Leſſ. Bonac. & alii, quod, ſi talis error proveniat dolo alterius contrahentis, teneatur is in conſcientia ſtare ſponſalibus, ſi deceptus velit, ne ſcilicet commodum referat ex delicto. Sed probabilius eum liberat Sanch. d. 64. quia non poſſunt ſponſalia claudicare, ſeu ex una tantum parte obligare: teneretur autem ratione alterius damni ſecuti, vel ſi in pœnam fraudis compelleretur a Judice. Si autem error ſit circa meras qualitates, valent ſponſalia (uti dictum eſt etiam de matrimonio) & inducunt publicam honeſtatem: ita communiter; etiamſi talis error proveniat ex dolo alterius contrahentis: Coninch, Leſſ. & alii contra Averſam; quia ſic habetur voluntarium ſimpliciter circa ſubſtantiam contractus, quamvis mixtum cum involuntario ſecundum quid. Datur tamen jus decepto ad reſiliendum, quia rebus notabiliter mutatis non amplius obligatur promiſſor, cap. *Quemadmodum* 25. *de Jurejur.* &, dum ſponſus cognoſcit id, quo cognito non contraxiſſet, reſpectu illius cenſentur res notabiliter mutatæ: quare, quodcumque vitium tribuens jus diſſolvendi ſponſalia, ſi his ſuperveniat, tribuit pariter jus, ſi præceſſerit, & fuerit ignoratum: Sanch. d. 66. Denique, ſi quis promittat matrimonium, ignorans, quid ſit promittere, aut quod ſua verba involvant promiſſionem, aut quod ex promiſſione conſurgat obligatio, aut nihil actu cogitans de tali obligatione; itaut ne generalem quidem habeat animum faciendi, quod alii in ſimili faciunt, is certe ſponſalia non contrahit: Sanch. d. 9. Quare, ſi deinde certus de ſua promiſſione omnino dubitet de tali animo, præſumitur adfuiſſe; quia nullus cenſetur dicere, quod in corde non habet: Sanch. l. 4. *Decal.* c. 1. n. 15. niſi pro parte oppoſita ſtet præſumptio, poſſeſſio, de quibus mox dicam.

II. Quoad vim, & metum, redeunt pariter, quæ di-

cta

cta sunt de impedimento vis: solus ergo metus gravis ab extrinseco injuste incussus ad finem extorquendi ipsam promissionem irritat ipso facto sponsalia: Sanch. l. 4. d. 19. contra Henr. & Ledes. putantes, talia sponsalia non esse irrita, sed irritanda. Ratio ex eodem Sanch. est, quia cap. *Ex litteris: de Desp. Impub.* statuitur, ut puellæ contrahenti per metum cum impubere sit facultas accipiendi alium virum, si noluerit expectare, ut puer ille 14. annum attingat: ergo signum est, sponsalia illa non fuisse valida; alias non posset puella resilire, donec puer pubesceret, ut statuitur cap. *A nobis, eod. tit.* Et, quamvis Pontifex non expresserit, metum intercessisse in ipso contractu, supplenda est tamen littera textus, ne dicamus, sponsalia jam valida a subsequente metu infici, & poenam, qui non fuit causa metus, sine culpa spoliari jure acquisito: vitandus enim est absurdus intellectus, quamvis vis litteræ inferatur, *l. Scire, ff. de Excusat. Tuter.* Hinc talia sponsalia non validantur per additum juramentum, nec opus est hujus relaxatione: Sanch. l. 4. d. 21. cum aliis contra Sylv. Rosel. Ledesm. & alios; tum quia in cap. *Ex lit. cit.* sermo est de sponsalibus juratis; tum quia, cum irritentur ob publicam utilitatem familiarum, juramentum illis additum nullam parit obligationem, ex cap. *Si diligenti, de For. Comp.* Non sic est juramentum solvendi usuras, quod, si non relaxetur, obligat, cap. *Debitores 6. de Jurejur.* quia contractus usurarius principaliter prohibetur ob bonum privatum: ut pariter obligat juramentum solvendi litrum latroni. Denique metus levis, sicuti non irritat matrimonium, ita nec sponsalia; ab his tamen potest metum passus resilire, & alter tenetur in conscientia relaxare fidem per talem metum extortam. In foro autem externo metus levis non tribuit actionem, *l. Nec timorem, ff. de eo, quod metus causa.* Si ergo additum est juramentum, petenda est ab Episcopo relaxatio pro foro conscientiæ; nam in foro externo, sicuti non conceditur rescissio, ita nec juramenti relaxatio.

III. Quoad mentis perturbationem, distinguendum: si taliter perturbetur usus rationis, ut nulla, vel admodum tenuis relinquatur libertas in oppositum (ut accidit in motibus primo, vel secundo primis) invalide tunc ineuntur sponsalia; quia hæc de se obligant sub gravi, adeoque requirunt in promittente tantam deliberationem, quanta sufficeret ad peccandum graviter: nulla igitur sunt sponsalia contracta in phrenesi, somno, ebrietate, &c. quia hæc usum rationis adimunt, & libertatem. Imo, si sobrius prævideas, te in ebrietate facile contracturum sponsalia, adhuc invalide tunc contrahes: quia, etsi prior ille animus fuit deliberatus, at non ipsa promissio in ebrietate posita, per quam constitui debent sponsalia: sic prævidens, te facturum in ebrietate homicidium, peccasti quidem actu interno homicidii te scienter inebriando, at non nunc actu occidens. Neque obest paritas baptizati in ebrietate, si adfuit in priori intentio; nam ad validam susceptionem Sacramenti sat est intentio habitualis, seu voluntas non retractata; ad valorem autem contractuum requiritur intentio saltem virtualis, ut fiant humano modo; quod non haberetur in casu: Sanch. d. 8. In dubio autem videndum, pro quo stet præsumptio, & possessio: si enim promiseris inter somnum, & vigiliam, præsumitur pro invaliditate, quia somnus possidet, qui solet mentem alienare: sic, qui noctu habuit pollutionem, quique deinde dubitat, an habuerit tunc perfectum usum rationis, præsumitur non peccasse: Sanch. Suar. Castr. & alii. Nisi vero actus tam bene sit positus, ut ostendat perfectam agentis deliberationem; tunc enim pro hac stat præsumptio, ut bene notant iidem Doctores: idemque dic de phrenesi, ebrietate, &c. Contra vero, si in subita, ac vehementi aliqua passione non impediatur usus rationis, ac deliberatio requisita ad graviter peccandum; valet promissio, etiamsi non adsit matura deliberatio, & plena cujusvis circumstantiæ consideratio, ut valet etiam in puero septenni, ex cap. *Accessit, de Desponf. Impub.* Hinc, si in furore iracundiæ promiseris, & deinde dubites, an valide? Sanch. l. 1. d. 8. n. 10. cum aliis docet, valide; quia præsumitur deliberatio requisita ad mortale: raro enim fit, ut tantum iracundia exardescat, ut rationis usum impediat; sicut rarissime occidens alium ex vehementi iracundia excusatur a mortali; & ex communiter contingentibus præsumptio sumenda est, ex *l. Nam ad ea, ff. de Legibus.* Similiter, si quis statim ante copulam promisit oppressæ matrimonium, præsumitur deliberate promisisse; quia, quamvis libido tunc sit quædam phrenesis, ac furoris species, ut loquitur Plato; tamen communiter non impedit deliberationem requisitam ad mortale. Si autem in ipsa copula fiat promissio, putat Ricc. apud Gob. n. 26. fieri posse, ut non adsit sufficiens deliberatio: verum hic casus est apud eundem rarissimus; quia, si fuit libertas ad peccandum, fuit etiam ad valide promittendum; ideoque cogitur in foro externo eam ducere, quamvis juret, se mentis compotem non fuisse.

Textus, qui apud Sanch. n. 4. citantur in contrarium, intelligi debent, quando iracundia, furor, &c. privat rationis usu, ac deliberatione requisita ad mortale. Signum autem, quod hæc non adfuerit, docent aliqui cum Angelo, Anton. &c. esse, si cessante calore, statim poeniteat, aut minime facta fuisset promissio; verum, licet hæc sit probabilis conjectura, non tamen certa; quia passim multa calore iracundiæ, libidinis, &c. fiunt deliberatione sufficienti ad mortale, quæ eo calore secluso minime admitterentur; & ratio a priori est, quia ad sufficientem deliberationem satis est, ut quis conferat id, de quo deliberat, cum opposito, quod potest in instanti, & imperceptibiliter fieri.

§. III.

Quid de Promissione absoluta?

Absoluta dicitur promissio, si nulla adjiciatur conditio suspendens ejus valorem. Cum autem valor contractuum accipiat legem a voluntate contrahentium, ab his etiam petendum, an, quod adjectum est, intendatur ut rigorosa conditio, an ut modus, tempus, aut demonstratio, & in dubio standum est communiter contingentibus, aut dispositionibus juris, ut planum fiet infra. Differt autem modus a conditione, quia novum tantum onus adjicit contractui, sed, eo nondum impleto, contractus est absolutus, qui proinde non dicitur conditionalis, sed modalis; in hac ergo promissione, *Ducam te, modo mihi officium obtineas*, si promissor voluit, ut promissio non ante valeret, quam adjectum onus impleretur, est conditionalis; si secus, modalis. Similiter tempus præfinit diem implendæ obligationis, non differt obligationem, ut *Ducam te cras:* Causa indicat motivum disponendi: Demonstratio qualitatem personæ, *Ut ducam te, quia vole nobilitari, vel quia virgo es*, quæ nec suspendunt obligationem, vitiant tamen, si fuerint falsæ: sola ergo conditio suspendit, & differt.

Itaque conditio alia est de præsenti, vel de præterito; alia de futuro; & hæc, vel necessaria, vel impossibilis, vel contingens; & rursus hæc, vel turpis, vel honesta, seu licita.

I. Conditio de præsenti, vel de præterito, sive sit turpis, sive honesta, non suspendit valorem sponsalium, sed hæc statim valent, aut non valent, prout res ita se habet, aut non habet, etiamsi hoc ignoretur; quia non sub conditione talis notitiæ, sed meræ rei existentiæ facta est promissio: D. Th. Sanch. & alii communiter contra Con. Similiter nec suspendit conditio etiam de futuro, si de se inest ipsis sponsalibus, eoque modo exprimitur, ut *Ducam te, si vixero, si nullum supervenerit impedimentum, si Deo placuerit*, quod communiter intelligitur de voluntate Dei permissiva; sic enim promissio non est proprie conditionata, sed solum exprimit, quod de jure sibi inest: Sanch. Avers. Tamb. communiter.

II. Conditio necessario futura (Ut, *Si cras sol oriatur*) nec suspendit valorem sponsalium; quia communiter facit hunc sensum, *Sicut certum est cras solem oriri, ita &c.* vel *Cras oriente sole te ducam*, quod est tempus non suspendens consensum, sed executionem, quo sensu etiam communiter intelligitur ista, *Si pater meus moriatur*, hoc est, *Quando morietur:* Tamb. In hac vero, *Ducam te, si Antichristus nascetur*, putat Ponc. esse conditionem contingentem, eo quod incertum est, quando ille nascetur; sed melius contradicit Sanch. quia hæc conditio communiter non intelligitur, *Si tali tempore*, sed simpliciter, *Si nascetur*, quod certum est, & æquivalet necessario: nisi vero ex ignorantia, vel consulto vere volueris id expectare ad te obligandum, quia sic sine dubio consensus suspenditur; quo sensu loqui videtur Ponc.

III. Conditio honesta, vel etiam indifferens, juxta Sanch. (Ut, *Si facias te promoveri doctorem, si Cæsar vicerit, &c.*) suspendit valorem sponsalium, & consequenter etiam impedimentum publicæ honestatis; quia consensus remanet adhuc suspensus, donec purificetur conditio. Habetur tamen simplex quædam obligatio expectandi adventum conditionis; & hac posita statim sponsalia evadunt absoluta, & quidem probabilius sine novo consensu, quia prior ille consensus conditionatus permanet

net habitualiter, &, cum non amplios pendeat a conditione, evadit per se absolutur: Sanch. l. 3. d. 8. cum communi contra Victor., & alios. De consensu vero conditionato matrimonii dicam d. 3.

Hæc conditio, quantum attinet ad contrahentes, implenda est, quamprimum moraliter fieri potest, ex *l. Hæc conditio*, *ff. de Condit.* Itaque, si alteruter impediat, quominus ea impleatur, manet obligatus etiam ea non impleta, & alter manet liber, ex *Reg. Jur.* 121., si neuter fuit in causa, manet uterque liber: D. Th. communiter. At, si ante adventum conditionis sequatur copula, per hanc sponsalia transeunt in absoluta, quamvis nondum sit impleta conditio; quia sic præsumitur accessisse consensux absolutux, cum credibile non sit, juvenem in easu petere, & puellam admittere hanc copulam, nisi sub spe absoluta matrimonii: Perex, Gob. n. 276. contra Sanch., & alios. Si promittas Bertæ nuptias, *Si Romam adiverit*, occorrente prima morali opportunitate, & ea Romam non adeuute, es liber: ea iune euote, firmantur sponsalia. At, si promittas sub conditione, *Si Romam non adiverit*, nulla omnino ast promissio, & expectandum esse usque ad ejus mortem; Tambur., nisi vero intelligax usque ad certum tempus, vel modum servandum post nuptias. Si promittas sub conditione *Si pater consenserit*; tunc, si pater non contradicat, sed taceat, videtur consentire, & sic sponsalia transeunt in absoluta: idemque est, si prius moriatur, quam rogetur Sanch. l. 5. d. 7. n. 19. Si primis petitionibus contradicat, sed postmodum tandem consentiat, conditio videiur impleta, & sponsalia evadere absoluta: Con., Hurt. contra Sanch., Ponc., nisi vero primnm ita firmiter dissentiat, ut præsumi non possit consensus intra breve iempus obtinendus; quia ment contrahentium non censetur fuisse tamdiu differre noptias: quare licei deinde conseutiat, tameu sponsalia non transeunt in absoluta, poteritque uterque resilire: Pal., & alii. Si deoique primn couseutiat, & statim post contradicat, non censetur implera conditio, quia sic præsumitur ille consensus non fuisse moraliter absolutus: at, si diu post contradicat, censenda est conditio jam impleta, & sponsalia evasisse absoluta; quia vim acceperunt a primo patrix consensu jamdiu ante absolute posito: Avers., Gob. n. 169., notans, attente hic considerandam esse intentionem contrahentium: Si Titius post promissionem conditionatam factam Bertæ promittat, sive absolute, sive conditionate Luciæ, hæc secunda promissio nulla est, quamvis prius impleatur ipsiox conditio; quia est contra fidem prioris, & contra juvBertæ, vi cujux tenebatur Titius expectare eventum primæ conditionis: Pal., & alii contra Laym., & alios. Quid autem, si sequatue etiam copula cum Lucia, dicam q. 2.

IV. Conditio turpis, alia est contra naturam ipsorum sponsalium, ut *Promitto, si tu alii etiam promittas*, & sic nulla sunt sponsalia, nt patet; & idem est, si sit contra naturam ipsius matrimonii, puta, *Si matrimonium duret ad decennium*, *si sit libertas adulterandi*, *&c.* de qua infra. Alia vero est contra bonos mores, nt *Si furaberis*, *si consenseris in fornicationem*, *in homicidium*, *&c.*, & ejusmodi conditionet, si apponantur matrimonio, habentur pro non adjectis, & valet matrimonium, cap. fin. *de Condit. appos.* Inferunt hinc communiter cum Sanch. l. 5. d. 17., eas etiam haberi pro non adjectix, si apponantur sponsalibux; quia hæc sunt via ad matrimonium, & dispositum in matrimonio censeri debet dispositum atiam in sponsalibus, ex *l. Oratio*, *ff. de Sponsal.* Sed probabiliux Pal., Avers., Gob. n. 151., & alii docent, per eas suspendi sponsalia; itaut, quamvis inde nulla nriatur obligatio expectandi, aut ponendi tales conditionet, cum sint turpes, & nemo obligetur ad peccandum; si tamen ponautur, sponsalia transeunt in absoluta: uti dicitur de obligatione solvendi meretrici pretium promissum, secuta copula, & de quovix alio contractu sub conditione turpi, excepto matrimonio, a quo, si non reiicerentur, haberetur maxima occasio peccandi. Neque obstat cap. fin., quia, cum ibi corrigatur jus commune tantum in matrimonio, non bene infertur, correctum pariter in sponsalibus, cum juris communis correctio sit ei odiosa, adeoque non extendenda. Neque etiam obstat lex *Oratio*, quia loquitur solum, quando est eadem ratio, ut in impeditix, qui, sicut non possont valida contrahere matrimonium, ita nec illnd absolute promittere; nisi vero sint impediti ad tempus, ut sunt impuberes: de quo dicam cap. 3.

Hinc suspenduntur sponsalia inita sob hac conditione, *Si te virginem invenero*; nam, si id intendas modo licito pee obstetrices, &c., conditio est licita, & implenda: si modn illicitn per fornjcationem, conditinest turpis; nec expectanda, nec implenda; si tamen ponatur, sponsalia evadunt absolota. Suspenduntur pariter, si promittas *Nisi aliam meliorem invenias*, quia, etsi hæc conditio sit turpis, & contra naturam matrimonii, si impleuda esset post ipsum; at implenda ante nec turpia est, nec reiicienda: Sanch. l. 5. d. 14. n. 3. Si sponsus Luciæ promittat Bertæ matrimonium sub conditione, *Si Lucia moriatur*, vel *remittat obligationem*, *&c.*, obligatur etiam Bertæ, &, posita conditione, spousalia cum Berta sunt absoluta; quia nec talis conditio est turpit, nee ei resistit ullum jus. Secux vero, si posterior promissio fuerit absoluta, ut dicam c. 3. In dubio autem, an fuerit absoluta, an conditionata, præsumi debet conditionata, quia alioquin præsumi deberet peccasse contra priora spoosalia: delicta autem non præsumuutur: Tamb. & alii communiter. At si conjux Luciæ promittat Bertæ matrimonium sob conditione mortis Luciæ, non solum peccat ipse, & Berta acceptans, ex cap. fin. *de eo, qui duxit*; sed etiam promissionem irritam esse docent Ab., Alex., Anehar., Lancel., & alii: ut pariter non valet promissio beneficii vacaturi, ex cap. 2. *de Concess. Preb.*; quia nempe jus resistit ejusmodi pactix, ne detur ansa captandæ mortis, ex *L. final.*, *ff. de Pactis*: Sanch. l. 7. d. 79. n. 49.

V. Conditio impossibilis (sive a natura, nt *Si cras eris cubito major*; sive solo facto, ut *Si dabis in dotem Regnum Sinicum*) si apponatur matrimonio, habetur pro non adjecta, & valet matrimonium, ex cit. cap. fin. *de Condit. appos.* Ex quo infert commuuiter Sanch., habendam etiam pro non adjecta, si apponatur sponsalibus; verum juxta dicta, probabilius in sponsalibos standum juri communi, quo per talet conditiones vitiantur contractus, ac sunt nulli: Rebel., Pouc., Pal., & alii. Hinc, si habentes impedimentum promittant sub conditione, *Si Papa dispensaverit*; tunc, si Papa non soleat in tali impedimento dispensare, erit veluti conditio impossibilit, adeoque nulla promissio: si dispensare soleat, sed non adsit justa causa, erit conditio turpit, adeoque probabiliter suspenduntur sponsalia, sed dissolveuda juxta dicta, ne petatur aliqoid, quod illicitum est peti, & concedi. Si & Papa dispensare soleat, & simul adsit justa causa, conditio est possibilis, & honesta, adeoque suspeudens sponsalia, itaut neoter possit ante, aut post obtentam dispensationem resilire: Sancb., Ponc., Reb., Comit., Pal., Gob. n. 162. contra Navar., Sot., Henr., Dian., & alios.

Neque obstat primo, *L. Continuus*, *ff. de V. O.* dicens, quod ea, quæ pendent a voluntate Principix, censentur quasi impossibilia. Nam, si Princeps soleat, & adsit justa causa, ejut voluntas non censetur impossibilis, sed præsumitur habenda, docetque praxix quotidiena, fieri ejusmodi contractus sub conditione ratihabitionis Principis.

Neque obstat secundo, quod tales sint inhabiles ad matrimonium, adeoque & ad spousalia. Nam, licet siut inhabiles ad contrahendum absolute, nullus tamen textus, vel ratio probat, esse inhabiles ad illud promittendum conditionate, & relate ad tempux, quo ex hypothesi possibili evadent habiles. Quid autem, si habentes impedimentum promiserint absolute, dicam c. 3.

Noto demum, quod, dum quæritur hic, an conditio impossibilis adiecta spousalibus sit reiicienda, necne, non est quæstio in casu, quo expresse nolit contrahere, nisi sub tali conditione; quia sic ne a matrimonio quidem rejici potest ab Ecclesia, utpota quæ nequit supplere defectum consensus. Quæstio ergo est solum in casu dubii, utrum serio, an joco ea conditio sit adjecta? Et in matrimonio præsumit Ecclesia, esse jocose, seu ignoranter adjectam, adeoque habendam pro non adjecta, & judex pronunciare debet pro consensu absoluto matrimonii. At iu sponsalibus præsumitur oppositum, quia ex jure communi qui promittit sub conditione impossibili cognita ut tali, satit ostendit, se nolla contrahere, sed velle nogari: quod, si putata fuit per errorem possibilis, ita consentis, ut vere expectare velis ejus impletionem, quæ tamen impleri non potest, ideoque etiam vitiatur promissio.

§. IV.

Quid de Promissione determinata?

SPONSALIA proprie dicta respicere debent certam, ac determinatam personam, cui fiat promissio; quia matrimonium promissum esse debet intee certas personax.

nas. Hinc, ſi Titius disjunctive promittat, ſe ducturum, vel Bertam, vel Luciam, cum neutra conſtituit ſponſalia: induit tamen obligationem quandam ſimplicis promiſſionis ducendi alterutram, ſi ea promiſſio ab illis ſit acceptata. Si autem in caſu unam eligat, & illa renuat, non tenetur ducere alteram; quia per ipſum non ſtat, quominus promiſſionem impleat, ſed ſtat per illam, quæ recuſat: Sanch. l. 1. d. 26. Item, ſi Titius disjunctive promiſit Bertæ, vel Luciæ ejus ſorori, & deinde cum Berta habuerit copulam, præſumi debet, ſe determinaſſe ad Bertam, & abſolute voluiſſe hanc ducere, adeoque per hanc copulam perfici ſponſalia; quia non debet præſumi, quod peccare voluerit contra juſtitiam ob affinitatem inde ortam cum Lucia. At, ſi hæc non eſſet conſanguinea, dicunt multi cum Averſ. q. 8. ſ. 3., non debere præſumi, quod Titius ex ea copula ſe determinaverit ad Bertam, quia adhuc poſſet ducere Luciam; ſed oppoſitum videtur probabilius, quia ex alibi dictis credibile non eſt, ipſum petiturum, vel Bertam conſenſuram in eam copulam, niſi ſub ſpe, & promiſſione ſaltem tacita futuri matrimonii.

Si Titius promittat accipere unam e filiabus Caji, non habentur proprie ſponſalia, utpote indeterminata, & incerta; obligatur tamen Titius ad accipiendam unam, quæ ei placuerit: Bonac., Averſ., Gob. n. 136. Similiter, ſi Cajus juraverit Titio, ſe daturum ei unam ex illis, poteſt aſſignare, quam volet; &, ſi Titius unam reſpuat, non tenetur Cajus dare aliam; &, ſi reliquæ moriantur, antequam deſignaverit unam, tenetur dare ſuperſtitem. At, ſi Titius habeat copulam cum una, Cajus nullam dare tenebitur; non illam, cum qua habuit copulam, quia ad eam determinate non tenebatur; non aliam, propter impedimentum affinitatis: Sanch. l. 1. d. 26., Bonac., & alii communiter.

Si Titius promittat accipere unam ex filiabus Caji, & iſtæ repromittant, necdum habentur ſponſalia; cum ſit adhuc promiſſio conditionata, pendens ſcilicet a ſua electione, tanquam a conditione: Sanch., Pal. communiter: poſita autem ſua electione unius, aut copula cum illa, ſtatim ſponſalia cum ea transeunt in abſoluta, etſi ex parte illius non ponatur novus conſenſus abſolutus, quia ex parte illius erat determinatus, & ſolum manebat ſuſpenſus a conditione talis electionis faciendæ a Titio, qua poſita, ſtatim per ſe tranſit in abſolutum, juxta dicta §. anteced.

§. V.

Quid de Promiſſione manifeſtata?

QUAMVIS promiſſio interna facta Deo obliget, nec poſſit pro libito revocari, quia *Deus cordium ſcrutator eſt*, 1. *Reg.* 16., attamen promiſſio mere interna facta homini ad nihil obligat, quia *Intentio mente retenta nihil operatur in humanis contractibus*, *l. Non omnis* 15., *ff. de Reb. cred.*, quare non ſolum caret vi ſponſalium, ſed poteſt pro libito revocari, quia ineſt ei tacita quædam conditio, *Si alteri manifeſtetur*; hoc ergo nondum poſito, nullum eſt mendacium, nulla infidelitas, ſi promiſſio matrimonii mente concepta revocetur: Sanch. d. 3. cum D. Th., & aliis contra Ledeſm., Sot., & alios. Imo, licet aliqui cum Dian. putent, fore valida ſponſalia, ſi mere interne concepta per Dei manifeſtationem reſcirentur; tamen melius negant Sanch., Ponc., Leſſ., & alii; quia non adeſſet modus humanus contrahendi. Manifeſtanda ergo eſt, ut obliget, interna promiſſio, vel verbis, vel aliis ſignis æquivalentibus, itaut uterque ex iis illam intelligat. Quare, ſi verba, vel ſigna ſint obſcura, aut dubia, in foro interno ſtandum eſt intentioni proferentis, cum ab ejus intentione obligatio derivetur, ex cap. 6. *de V. S.* At in foro externo recurrendum eſt ad communem intelligentiam ex jure, conſuetudine, ac inſtitutione verborum; cogendique ſunt contrahentes in eo ſenſu verba retinere, quem ſolent recte intelligentibus generare, ex cap. *Ex litter. 6. de Sponſal.* Quod ſi unus dubia verba protuleris, poſtquam alter edidit certa, & clara, ab iſtis illorum interpretatio deſumitur; quia per ea cenſetur ad præterita reſpondere: Sanch. d. 18. num. 4.

I. Itaque verba promiſſionem matrimonii clare ſignificantia hæc eſſe ſolent: *Promitto tibi nuptias, te uxorem accipiam, te ducam, habeas me infidum, niſi te ducam, &c.*, quamvis enim horum aliqua in ſe indifferentia ſint ad ſignificandum nudum propoſitum, vel promiſſionem; tamen ex communi ſenſu, & interpretatione cenſentur in hac materia tanquam promiſſiva, & obligatoria: D. Th., Sanch. d. 18., & alii communiter. Hæc vero, *Promitto tibi amorem, & fidelitatem*, niſi adſint aliæ circumſtantiæ, non continent promiſſionem matrimonii, quia amor, & fidelitas in aliis rebus præſtari poſſunt: Gob. n. 65. Hæc autem, *Nullam aliam ducam præter te*, probabilius faciunt hunc ſenſum, *Si aliquam ducam, te ducam*, adeoque non ſunt ſponſalia abſoluta, niſi alia intentio aliunde conſtet: Sanch. d. 19. cum aliis contra alios. Si autem ea renuat tuas nuptias, potes in caſu ducere aliam, quia ea promiſſio, etiamſi jurata, erat facta in gratiam ejus, quæ jus remittit: Gob. n. 134.

II. Signa, quæ ſponſalia conſtituunt, ſunt extenſio, & tactus dexteræ ad dandam, vel recipiendam fidem, immiſſio annuli indigitum ad eundem finem: miſſio, & acceptatio munerum juxta morem ſponſorum, præcedente tamen tractatu de nuptiis: & alia ejuſmodi juxta locorum conſuetudinem. Similiter taciturnitas filii, vel filiæ præſentis, quando parentes, vel eorum curam habentes promittunt eorum matrimonium, parit ſponſalia: non tamen, ſi promittant extranei, quia carent auctoritate exprimendi ipſorum conſenſum, & horum taciturnitas tunc non præſumitur eſſe conſenſus, ſed potius neglectus: Tambur. contra Bonac., & Dian. Item, ſi filius abſens, vel infans poſtea fiat præſens, vel ſeptennis, quando ab iiſdem parentibus diſcet promiſſionem per ipſos factam, & taceat, tunc init ſponſalia; & multo magis, ſi ratificet per verba, per tactus, per viſitationem, vel per ſimilia, & cap. un. *de Sponſ. Impub. in 6.* Ante hanc tacitam, vel expreſſam ipſius ratihabitionem nullam in eo parit obligationem promiſſio parentum; etſi enim *cap.* 1. *ibid.* dicatur, quod debeat eam implere, hoc tamen de debito convenientiæ, non neceſſitatis intelligunt Doctores cum Gloſ., & Ab. n. 7. Item ſignum ſponſalium ex juris interpretatione eſt matrimonium impuberum, vel puberis cum impubere; quod, cum ex defectu ætatis valere nequeat, ut matrimonium, vim tamen habet ſponſalium, & inducit publicam honeſtatem, ex cap. un. cit. Idque non ſolum pro foro externo, ut putat Covar., verum etiam pro interno, niſi contraria eorum conſtet intentio. Idem cenſent Henr., Averſ., & alii de matrimonio clandeſtino contra Sanch., & alios, de quo diximus d. 1. q. 2. c. 13.

III. Ad valorem ſponſalium requirunt aliqui cum Menochio, ut verba, aut ſigna ſint manifeſtata coram Parocho, & teſtibus; ſed communiſſime rejiciuntur: nam Tridentinum irritans matrimonium clandeſtinum, cum corrigat jus commune, non debet ultra caſum ab eo expreſſum extendi; nec in odioſis nomine matrimonii veniunt ſponſalia. Quare, etiamſi hæc ſint clandeſtina, valida ſunt, &, niſi aliud mali admiſceatur, licita, ut declaravit S. Congreg. apud Rebel., & Hurtad. Expedit tamen adhibere teſtes, ut his fides adhibeatur in foro externo. Quæ autem in jure ſtatuuntur, ne ſponſalia fiant inſciis parentibus, non debitum neceſſitatis imponunt, ſed ad ſummum honeſtatis, & decentiæ, juxta jam dicta præſertim d. 1. q. 2. c. 7. §. 2. quæſit. 3., ex quibus patet, peccare quidem filios promittentes inſciis, aut juſte invitis parentibus, valide tamen inire ſponſalia. An autem poſſit Epiſcopus irritare ſponſalia, niſi fiant coram Parocho, aut ſaltem coram teſtibus? Diſcutit Gob. tr. 10. n. 12., & concludit, moraliter non poſſe, cum opponatur moribus cæterarum Diœceſum; &, ſi quæ ſunt alicubi ejuſmodi ordinationes, monent potius, non mandant, ſaltem dum loquuntur de Parocho.

§. VI.

Quid de Promiſſione acceptata?

PROMISSIO manifeſtata, ſive gratuita ſit, ſive reſpectiva, ſeu oneroſa, non obligat promittentem, niſi acceptetur a promiſſario; quia non poſſum me alteri obligare, niſi ipſe acquirat jus in me; nec poteſt illud acquirere, niſi volens; quod fit per acceptationem: quare quælibet promiſſio tacitam alienæ acceptationis conditionem involvit, & ante illam non ſolum parit ſponſalia, ſed revocari pro libito poteſt, etiamſi de ea non revocanda pactum, vel juramentum adjeceris; quia hæc ſortiuntur naturam, & conditiones actus, cui ſunt adjecta: Sanch. l. 2. d. 6., & 7. cum communi contra Tabien., Armil., Antonin., & alios. Quomodo autem obliget promiſſio facta infanti, aut civitati, aut

cau-

causæ piæ, etiam nondum acceptata, v. tr. 3. d. 2. q. 1. c. 1. §. 1.

I. Itaque, si promitto Bertæ præsenti matrimonium, requiritne hujus acceptatio saltem tacita, itaut ipsum silentium (modo verba intelligat, & existimet serio dicta, nec timore aliquo tacere cogatur) censeatur acceptatio, ex *Reg. 43. in 6.* Idem est, si filius, vel filia præsens taceat, quando parentes, vel eorum curam habentes acceptent, non tamen, si acceptent extranei, ut dictum est §. 5. de Promissione manifestata n. 2. Si tu præsens stipulari possis pro Berta absente, & ego dicam, *Promitto tibi, me ducturum Bertam*, & tu nomine ejus acceptes, jam est promissio acceptata; quia ad te præsentem verba dirigo, & tu es persona legitima ad acceptandam: & idem est, etiamsi in casu impersonaliter dicam, *Promitto, me ducturum Bertam*, quia censentur verba directa ad te præsentem, ut actus valeat, ex *l. Quoties, ff. de V. O.* Ubi noto primo, Neminem sine speciali mandato posse stipulari, seu valide acceptare pro altero, *§. Alteri, Instit. de inutilib. stipulat.* Quare licet Pater, Tutor, aut Curator possint in aliis contractibus stipulari pro Berta; at non in sponsalibus sine speciali ejus mandato; quia acceptatio tanti momenti debet esse actio personalis, cum sit res adhærens semper, & onerans ipsam personam: Pal. d. 1. p. 3. n. 6. contra Sanch. l. 1. d. 7. Noto secundo, quod, si ego tertio non habenti speciale mandatum promittam me ducturum Bertam, & ille acceptet; quamvis hæc non sit promissio apta ad sponsalia, maneo tamen illi tertio obligatus ad curandum tale matrimonium, nisi ille remittat obligationem sibi acquisitam. Si tamen ille acceptavit ex speciali mandato, non potest remittere, quia jus est comparatum Bertæ: Sanch. d. 7., quamvis alii probabiliter doceant, etiam posse, quia nihil tam naturale, quam eo genere quodque dissolvere, quo colligatum est, ex *Reg. 36. in ff.* Contra vero promissio cuique homini facta non ducendi uxorem etiam acceptata non obligat; imo invalida est, si saluti expediat uxorem ducere: Less. *in auctar. v. matrimonium*.

II. Si dicerte promitto matrimonium Bertæ absenti, revocare possum ante ejus acceptationem, etiamsi quicumque alius præsens acceptet; quia præsenti nihil promisi, neque cum eo contraxi, adeoque ejus acceptatio nihil operatur: Sanch. d. 7. ex *l. Absenti, de Donat.* Ut autem in casu legitima sit Bertæ absentis acceptatio, requiritur, vel mea Epistola, vel Nuncius ad hoc illi a me destinatus, vel saltem ab illa ad petendam meam promissionem missus; quia non censetur mea voluntas convenire cum ejus voluntate, uti requiritur ad contractum, nisi intimatio a me procedat: Sanch. d. 6. n. 3. Hinc, si Berta casu audiens, vel certior aliunde facta de mea promissione acceptet, nondum valet; imo, ut valeat, acceptare debet coram eodem Nuncio meas vices gerente, etiamsi nondum hoc mihi innotescat: Sanch. n. 29.; vel per rescriptum meæ epistolæ, ad me tamen jam relatum; quia, sicut promissio debet esse sensibilis promissario, ita & acceptatio debet esse sensibilis promittenti, vel Nuncio ejus vices gerenti, quique est unus moraliter cum illo: Sanch. d. 7. n. 35.

§. VII.

Quid de Promissione mutua?

AD valorem sponsalium non satis est tua promissio acceptata a Berta, nisi etiam ipsa mutuo repromittat, ac se obliget; cum sponsalia sint mutua futuri matrimonii promissio, seu obligatio. Hinc, si Berta tuæ promissioni tantum respondeat, *Placet, Accepto*, cum hæc verba non significent repromittere, seu sibi obligationem imponere, sed alterius duntaxat obligationem acceptare, non constituunt sponsalia: Sanch. l. 1. d. 5. Non sic autem in ipso matrimonio; hoc enim non potest acceptari de præsenti, quin obliget ipsum acceptantem; nam jus, quod per matrimonium confertur sine consensu in ipsum matrimonium, nec est, nec esse potest: at jus, quod confertur in promissione futuri matrimonii, acceptari potest per consensum in ipsam alterius promissionem, absque consensu in repromissionem, & in sponsalia: Sanch. ib. An autem in casu acceptationis Bertæ absque repromissione oriatur in te aliqua simplex obligatio, ex animo tuo id dignoscendum, standumque est tuæ confessioni. Itaque

I. Si voluisti gratis, & liberaliter promittere, teneris stare promissionibus, si Berta acceptavit, quamvis non repromisit; quia per acceptationem perfectus est jam contractus gratuitus, qui semper obligat promittentem, nisi relaxetur a promissario. Hinc, si Berta in casu diu differat repromittere, censetur tacite relaxare, adeoque te liberare ab hac promissione. Si aliquo interposito tempore repromittat, consurgunt sponsalia; quia sic habetur jam mutua promissio, quamvis una ponatur seorsim ab altera; nec habeatur contractus *Facio, ut facias*: Sanch. n. 13. notans, in contractibus bonæ fidei, ut sunt sponsalia, non requiri physicam continuitatem inter actum contrahentium, quæ, ex *l. Continuus 137., ff. de V. O.*, requiritur in stipulatione, in qua agitur summo jure.

Dubium est, an gratuita promissio jam acceptata pariat in promittente obligationem in conscientia gravem?

Affirmat Sanch. n. 20., si materia sit gravis (ut esset in casu) & promittens velit congruentem obligationem, quam esse docet ex justitia: ratio ipsius est, quia, ubi deest gravis culpa, non potest infligi excommunicatio, ex cap. *Nemo* c. 11. q. 3.; atqui hæc infligi potest ob pactum non servatum, ex c. 1. *de Pactis*: ergo, &c. Consentiunt Suar., & Less., etsi dicant, hanc obligationem esse ex fidelitate, quia ex ejus violatione gravis in humano convictu resultat offensa. Contradicunt Sylv., Cajet., Mol., & communior sententia apud Rebell. l. 17. q. 4., quia communiter præsumuntur homines gratuito promittendo nolle sibi gravem obligationem imponere; ideoque passim recusare, talem promissionem juramento firmare, non tam ob reverentiam divini Nominis, quam ne gravem præstandi obligationem sibi imponant. Quamvis pro foro externo possit judex, si expedire judicaverit, per censuras cogere ad servanda promissa; sicut potest ex justitia legali, seu generali compellere subditos ad præstandum id, ad quod sub gravi non tenebantur, per quæ patet responsio ad rationem oppositam.

Nisi ergo gratis promittens homini expresse voluerit se sub gravi obligare (ut si publicum instrumentum, vel syngrapham a se subscriptam confecerit) præsumendum est ex hominum more, quanto minus potuit, se obligare, nimirum ex fidelitate tantum sub levi, etiam in materia gravi; quamvis econtra præsumatur in voto, seu promissione materiæ gravis facta Deo; ad quod proinde, nisi expresse volueris te obligare sub levi, censeris communiter obligatus sub gravi.

II. Si voluisti promittere, non gratuito, sed respective, hoc est sub conditione, quod Berta repromittat, non teneris stare promissis, etiamsi Berta acceptaverit, donec ipsa repromiserit, seu se mutuo obligaverit. Quia talis promissio, etsi non exprimat, includit tamen tacitam conditionem, *Si Berta repromittat*, seu *mutuæ obligationi consentiat*; qua non impleta, nulla oritur in promittente obligatio, ex l. *Contractus*, c. *de Fide Instrumentorum*. Idem est, si talis promissio facta sit nuncio ad eam petendam a Berta misso; quia, licet hic possit acceptare, non tamen potest sine speciali mandato repromittendi repromittere; quod de matrimonio expressum est cap. fin. *de Procur. in 6.*, & ob eandem rationem valere debet in sponsalibus. Contra vero, si nuncius a te missus sit, ut Bertæ tuam promissionem intimet, satis erit coram eo Bertam repromittere, ut sponsalia consurgant; quia potest talis nuncius acceptare repromissionem; eaque censetur coram te facta: Sanch. d. 7. n. 34. At, si tertius aliquis matrimonium pro absente repromittat, se scilicet curaturum, ut Berta absens contrahat, quamvis sic nondum consurgant sponsalia, remanet tamen ille tertius obligatus, & cogi potest, ut curet, & consequenter etiam tu promissor, ut fidem serves. Potest quidem ille tertius, antequam tua promissio a Berta absente acceptetur, remittere tibi obligationem, utpote quam sibi non absenti acquisivit; non tamen post absentis acceptationem, ac repromissionem; quia sic jus jam cessit in absentem, in cujus favorem fuerat ille stipulatus: Sanch. n. 32.

III. In dubio, an tua promissio fuerit gratuita, an respectiva, præsumitur respectiva, juxta naturam sponsalium; quæ sunt de genere contractus onerosi ultro, citroque obligantis: Sanch. d. 5. n. 15.

§. VIII.

Quid de Promissione inter Habiles?

HABILES ad sponsalia sunt, qui habent ætatem requisitam, sufficientem capacitatem, & carent impedimento Canonico. Itaque

I. Ætas requisita est septennium completum, ex c. 4., & 5.

& 5. *de Despons. Impub.*; quia requiritur usus rationis, qui passim incipit expleto septennio: itaque invalida sunt sponsalia ante hoc tempus, etiamsi desint pauci dies: Pal., Aversf., & alii contra Gutt., Dian., Rebel., & alios. Si autem usus rationis illuxit ante septennium, Sanch., Conin., Ponc., & alii affirmant, esse valida, quia validum pariter est matrimonium ante pubertatem, si malitia suppleat ætatem, ex cap. x. eod. tit. Negant Pal., Aversf., Gob., & alii, quia, quamvis finis legis videatur cessare in tali casu particulari, non tamen ideo cessat lex; imo nec ratio legis cessat, quæ est, quia communiter omnes ante septennium sunt immaturi judicii: neque obstat, quod cap. *Juvenis, de Sponsal.* dicatur contracta publica honestas ex sponsalibus cum puella ducta nondum septenni; nam dubium ibi erat, an completo septennio renovatus esset consensus. Hinc in dubio, an inita sint sponsalia cum usu rationis, si certo inita sint ante septennium, non valent, ex c. *Accessit, de Despon. Impub.*, sive quia Ecclesia omnem contractum ante septennium invalidat, ut ait Abb.; sive quia communiter præsumitur non adfuisse usus rationis, ut docet Sanch. Si tamen certo inita sint post septennium, valent, quia præsumptio stat pro usu rationis, ex l. *Si infanti, de Jur. delib.* Si denique dubium sit de ætate, adhuc valent, quia communiter fiunt post septennium, & ex communiter contingentibus habetur præsumptio: Sanch. l. 4. *Decal.* c. t. n. t4., ut ait de voto.

Post septennium valide (imo etiam licite, inquit Sanch. l. t. d. 17.) ab impubere ineuntur sponsalia, & inducunt publicam honestatem, ex cap. *Litteras, de Desp. Impub.* Item matrimonium impuberis, quamvis non valeat ut matrimonium, valet ut sponsalia, ex c. *Accessit* eod. tit. Hæc autem sponsalia suspenduntur quoad executionem usque ad pubertatem, antequam nequeunt ne mutuo quidem consensu dissolvi: ex cap. *De illis* eod. tit.; potest tamen impubes dumtaxat, si contraxit cum pubere, resilire, adepta pubertate; & similiter potest, si contraxit cum impubere, non expectata pubertate alterius: Sanch. d. 5t. cum aliis contra Gob., Nald., Manstr., & alios. Hæc resilientia, etiamsi fiat tantum interne, sufficit pro foro conscientiæ: Sanch. n. 17. contra Ponc., Castr., & alios; fieri tamen debet, statim ac pubertatem est adeptus, saltem intra triduum ante, vel post, quia sic etiam dicitur incontinenti, & statim fieri, ex l. fin., cap. *de Judiciis*. Imo sufficit etiam facta ante annum pubertatis, dummodo factus pubes voluntatem non mutet; quia sic videtur illam tacite ratificare: Sanch. n. t6. Pro foro autem externo fieri debet saltem coram Confessario, & Testibus. Cæterum, si ante pubertatem secuta sit copula, non datur amplius locus resiliendi, ex cap. *Puberes* eod. tit. Idem docent Sanch., Aversf., & alii, si impubes sponsalia juramento firmaverit; sed in hoc contradicunt Pal., Tamb., & alii; quia talia sponsalia imbibunt tacite hanc conditionem *Nisi factus pubes resiliam*, & juramentum sequitur naturam actus, ex l. fin. c. *de Num. Pecun.*

II. Sufficiens capacitas ad sponsalia habetur per cognitionem saltem generalem, & confusam ipsorum, & matrimonii. Hinc, qui simul est cæcus, surdus, & mutus a nativitate, incapax est sponsalium; quia non potest sufficienter edoceri naturam, & finem ipsorum, nec modum contrahendi: Sanch. d. 8. n. 30., Gob. n. t16. Si vero uno tantum ex his vitiis laboret, est aptus, cum possit sufficienter edoceri necessaria ad ejusmodi contractus; & idem est de illo, qui simul sit mutus, & surdus, modo non sit cæcus: Sanch. n. 3x., Gob., & alii contra non paucos Canonistas. Amens pariter est incapax sponsalium; nisi vero in una tantum materia deliret, & in reliquis sit sanus, cum sic etiam sit capax Sacramentorum: Sanch. d. 8. n. 21. Similiter, si habeat lucida intervalla, valide tunc contrahit; cum tunc sit rationis particeps: imo etiam licite, si adsit justa causa, dummodo per alias conjunctas personas consulatur educationi prolis: Sanch. n. 18. At, si dubitetur, an contraxerit tempore dementiæ, an lucidi intervalli; primum præsumitur, quia dementia est de se perpetua, & intervalla per accidens contingunt: Henr., Sanch. ib.; nisi vero actus sit ita bene positus, ut ostendat agentis sanitatem. Econtra vero, si dubitetur, sanusne quis, an demens contraxerit, sanus præsumitur ex ipsa natura, quæ sanos homines gignit; nisi vero actus sit ita male positus, ut ostendat agentis amentiam.

III. Carentia impedimenti canonici requiritur in utroque contrahente ad valorem sponsalium; quia si uterque, vel saltem alteruter impedimentum habeat, est inhabilis ad matrimonium, quod est finis sponsalium, aut promittit rem illicitam, ad quam non potest se obligare. Quod perinde est, sive impedimentum sit dirimens, sive tantum impediens, sive ignoretur, sive non ignoretur; cum invalida sint sponsalia eorum, qui aut valide, aut licite non possunt celebrare matrimonium (quamvis, si sit impedimentum tantum impediens, matrimonium futurum esset validum) Aversf. q. 8. s. 7., Gob. n. 98. communiter.

Noto tamen primo: Si tales promittant matrimonium sub expressa conditione, *Si Papa dispensaverit*, & Papa soleat dispensare, & adsit justa causa, subeunt obligationem simplicis promissionis, quæ, posita conditione, transibit in sponsalia absoluta, juxta dicta §. 3., At, si hanc conditionem exterius non expresserint, etiamsi in mente habuissent petere dispensationem, nulla est promissio; quia, cum sit contractus inter homines, debent exprimi ea, quæ ex natura non insunt, alioquin non attenduntur: Sanch. l. 3. d. 5. n. 26., Gob. n. t66. Si vero iidem postea locuti sint, aut egerint de impetranda dispensatione, jam censetur expressa conditio; nam perseverabant in illa promissione, cui jam sufficienter etiam externe adjecerunt conditionem: Sanch. l. 5. d. 5. n. 27. Secundo, Hactenus dicta intelliguntur solum de impedimento canonico perpetuo; nam, si sit temporale, puta votum Castitatis ad annum, valent sponsalia; quia promittitur matrimonium contrahendum tempore, quo evadet habilis. Similiter valent sponsalia impuberum, quorum impedimentum est temporale: similiter valent, si prohibitum sit matrimonium ad tempus; non vero, si prohibitum sit perpetuo. Quod si prohibita sint ipsa sponsalia, sed sine decreto irritante, valide ineuntur, quamvis illicite: sicut validum, quamvis illicitum, est votum factum contra prohibitionem Superioris: quia objectum est licitum, & ex alia causa habetur peccatum, puta ex inobedientia in illud promittendo: Sanch. l. 7. d. 2. Tertio demum, Quamvis parentum repugnantia non sit impedimentum canonicum, juxta dicta d. t. q. 2. c. 7., tamen, si prudenter timeantur graves rixæ inter parentes, vel consanguineos, vel odia gravia parentum in filios ex tali matrimonio, irrita sunt sponsalia; quia sunt de objecto illicito, & virtus justitiæ non potest obligare ad actum, qui sine peccato impleri non potest. Idemque est, si in promittente prævideantur oritura gravia scandala ex futuris nuptiis: Sanch. l. t. d. 14., Gob. 146.

CAPUT III.

Quid addi possit Sponsalibus?

PRÆTER juramentum, de quo sæpe est dictum, addi possunt sponsalibus arrhæ, pacta, & pœnæ, de quibus hic breviter.

§. I.

Quid de Arrhis, & Sponsalitia Largitate?

I. ARRHA est, quod in sponsalibus acto traditur inter promittentes pro securitate matrimonii promissi, in hunc fere modum, *Promitto nuptias, & in arrham consigno tibi centum*. Tales arrhæ licitæ sunt, ex l. *Arrhis*, c. *de Sponsal.*; & constitui possunt in quavis quantitate, etiam in rebus immobilibus, etiam reciproce, tum a sponsis, tum a parentibus eorum nomine; imo addi possunt arrhis pignora, & fidejussiones, pro earum securitate: Sanch., Hurt., Tamb., Pal. d. t. p. t2.

De arrhis statuitur l. *Si is*, & l. *Mulier*, ut, si dans arrham sine justa causa resiliat, eam amittat, & alter lucretur. Si accipiens arrham sine justa causa resiliat, teneatur eandem restituere, & duplum: modo tamen mulier sit major 25. annis; nam, si sit minor, tenetur restituere solam arrham. Et quidem arrha restituenda est ante Judicis sententiam, duplum vero post sententiam Judicis, cum non sit pœna conventionalis, sed legalis: Sanch., Pal., Aversf. q. 8. s. t0. Econtra vero, si, qui dat arrham, stet promissis, retinet suæ arrhæ dominium, & potest ante sententiam Judicis statim eam repetere inito matrimonio; uti etiam quando cum justa causa resilit a sponsalibus: imo ante ejus petitionem debet reddi, quia non est pœna addita contractui, sed essentia talis contractus non transferentis dominium, nisi sub conditione injustæ resilientiæ: Pal. §. 2. n. 5.

II. Sponsalitia largitas, quæ etiam dicitur dotalitium, donum sponsalitium, donatio ante nuptias, mundus muliebris, & jocalia, est donum, quod sponsus mittit sponsæ,

ſæ, vel econtra, animo, & ſpe matrimonii contrahendi, & ob ejus cauſam, ex Cod. *de Donat. ante nupt.* Differt ergo ab arrha, quia eſt donatio, quamvis ſub conditione implicita, *ſi matrimonium ſequatur*. In dubio vero, an aliquid ſit arrha, an ſponſalitia largitas, primum præſumit Gomez, ſecundum Molin. ſed Pal. p. 13. §. 1. melius diſtinguit; &, ſi res non ſit magni momenti, dicit eſſe donum ſponſalitium, ſi magni momenti, putat, eſſe veluti arrham; niſi vero alicubi conſuetudo ſit, ut ea, quæ ſponſus mittit, quamvis pretioſa, non repetantur. At, ſi detur aliquid ante ſponſalia, nec arrha eſt, nec ſponſalitia largitas, ſed merum donum ad conciliandum amorem, cujus doni dominium poteſt donatarius accipere ſine ullo onere; niſi vero alter noluiſſet donare, niſi ſub conditione ſponſalium, &c. De ſponſalitia largitate ſtatuitur, l. *Si a ſponſo*, c. *de Donat. ante nupt.* Ut, ſi matrimonium ex juſta cauſa non ſequatur, dominium ejus doni maneat penes dantem: ita tamen, ut, ſi ſponſa ab eo paſſa ſit oſculum, acquirat pro ſe, ſuiſque hæredibus dominium mediæ partis; quia ruborem illum, vel incommodum ſubiit, & facta eſt in tantum vilior; quæ ratio a fortiori militat, ſi ab eo paſſa ſit copulam: Sanch. l. 6. d. 19. n. 5. contra Onnatem. Similiter, ſi ſponſalia diſſolvantur abſque culpa utriuſque, v. g. quia alteruter ingreſſus eſt Religionem, moritur, &c. jocalia redeunt ad dantem; niſi vero ſponſa paſſa ſit oſculum, aut copulam juxta modo dicta. Si vero mutuo conſenſu diſſolvantur, Sanch. cum multis docet, ſponſam oſculum paſſam nihil poſſe retinere, quia libere cedit omni priori juri; ſed probabilius contradicit Pal. num. 17. quia, etſi cedat ſponſalibus, at non jure acquiſito per illum ruborem. Si autem ſponſus, vel ſponſa ſine juſta cauſa reſiliat, perdit jus ad jocalia, & alter innocens acquirit dominium, & ſimiliter, qui innocens eſt, & ob alterius culpam, v. g. fornicationem, recedit a ſponſalibus, acquirit accepta, & juſte repetit a ſe donata: Pal. n. 18. Denique, ſi ſecutum ſit matrimonium, & conſummatum, totum donum ſponſalitium tranſit in donatarium quoad dominium, & uſum, ſive hic ſit vir, ſive uxor: Sanch. n. 3. quia eſt vera donatio irrevocabilis, niſi ex cauſa ingratitudinis, l. *Si Mater*, l. *ſi Filia*, c. *de Donat.* At, ſi matrimonium ſit tantum ratum, & diſſolvatur morte, vel profeſſione Religioſa, nihil lucratur donatarius; niſi ſit ſponſa oſculum paſſa, quæ tunc lucratur dimidium: Sanch. n. 3.

§. II.

Quid de Pactis, & Pœnis?

I. SPONSALIBUS addi poſſunt etiam pacta, ut *Promitto nuptias, ſi mecum habitare in meo oppido velis.* Quæ promiſſio non eſt conditionalis, ſed modalis, eſtque pactum legitimum etiam de cohabitatione perpetua; nam libere acceptari poteſt, & nullam continet injuſtitiam: Sanch. l. 1. d. 40. Similiter legitimum eſt hoc pactum lucrativum, *Si mecum nupſeris, donabo tibi centum;* dummodo adſit juſta cauſa, ut ſi fiat dotis nomine, vel ad compenſandam nobilitatem, juventutem, pulchritudinem, &c. ex cap. *de illis*, *de Condit. appoſit.* Si tamen fiat cauſa libidinis, idque conſtet, illegitimum eſt, & rejicitur, l. *Si ita ſtipulet*, *ff. de Verb. Oblig.*

Quæres, An ſimiliter valeat donatio, vel promiſſio facta a tertio: v. g. *Dono Bertæ centum, ſi nubat Titio?*

Reſpondeo, valere, quia agitur de lucro acquirendo alias indebito: Sanch. Gutt. & alii. Quod, ſi ſit impedimentum inter Titium, & Bertam, ſed juſte diſpenſabile, adhuc valet diſpoſitio, etiamſi diſpenſationis non meminerit; quia præſumendus eſt teſtator, vel donator illam velle: Mol. Gutt. Pal. p. 10. contra Sanch. Si vero impedimentum non ſit juſte diſpenſabile; vel ſi Titius, aut parentes recuſent has nuptias, vel ſi nuptiæ ſint indignæ, Berta lucratur legatum, etiamſi ei non nubat: quia rejicienda eſt conditio tanquam impoſſibilis: in quo caſu poteſt etiam nubere alii, niſi ipſa ſit vidua; nam, ſi vidua ſit, ſicut in caſu non tenetur nubere Titio, ita, ſi alii nubat, perdit legatum, l. *Cum tale*, *ff. de Condit.* niſi vero alii nubat ex juſſu paterno: Sanch. d. 33. Similiter Berta non perdit tale legatum, ſi ingrediatur Religionem, ex expreſſa deciſione juris præſumentis voluntatem teſtatoris. Niſi vero legatum ſit relictum, ut contrahat cum perſona determinata, quia ſic teſtator ſatis exprimit, ſe etiam velle hujus utilitatem: vel niſi legatum ſit indefinite relictum pro puellis maritandis (modo non ſit reſtrictum ad conſanguineas teſtatoris) quia ſic, eſto hæc, vel illa Religionem ingrediatur, aliis concedi poteſt: Pal. a n. 19.

II. Pœnæ, ſeu pacta pœnalia addita ſponſalibus eſſent, v. g. *Promitto nuptias ſub pœna, ut, qui promiſſis non ſteterit, ſolvat centum.* D. Th. Sanch. Tamb. & alii communiter negant, hæc poſſe adjici ſponſalibus, &, ſi adjiciantur, haberi pro non adjectis, etiamſi juramento firmentur, ex c. *Gemma* 27. *de Sponſal.* & c. fin. *de Sponſal.* quia, ut utrobique dicitur, *Libera matrimonia eſſe debent;* quod verum eſt, etiamſi pœna appoſita ſit levis, quia jura indiſtincte loquuntur; vel ſi inter ſponſorum cognatos, amicos, tutores, aut dominos apponatur, quia horum damnum ſponſos cogere poteſt ad contrahendum. Verum, licet hæc prohibitio locum habeat in reſiliente ex juſta cauſa a ſponſalibus; quia ſic injuſte impediretur ejus libertas: at probabilius locum non habet, ſi pœna adjiciatur contra eum, qui ſine juſta cauſa reſiliat; quia ſic jure naturæ honeſte adjicitur aliis contractibus, nec a ſponſalibus reprobatur jure poſitivo; cum ſic non impediat libertatem, utpote quæ non datur ad reſiliendum ſine cauſa: Suar. Mol. Con. Laym. Perez, Pal. Leſ. Gob. & alii contra alios. Et confirmatur paritate arrharum, quæ legitime adjiciuntur ſponſalibus, & amittuntur a reſiliente ſine cauſa, & duplum eſt quædam pœna ſolvenda pro futuro, uti eſt dictum.

Quæres iterum, An valeat pœna lucri non acquirendi, aut amittendi ſub conditione, *Si nubas*, v. g. *Dono tibi centum, ſi non nubas?*

Reſpondeo, Si hæc pœna apponatur contractui irrevocabili inter vivos, vitiare contractum, atque irritum reddere, ex §. *Si Impoſſibilis*, *Inſtit. de Inutil. ſtipul.* Si vero adjiciatur in ultimis voluntatibus, legatum manere purum, ea pœna rejecta, ex l. *Quoties* 22. *ff. de Condit. & demonſtr.* Ratio utriuſque deciſionis eſt, quia Reipublicæ intereſt, ut multis ex legitimo matrimonio procreatis augeatur, l. 2. cap. *de indicta viduit.* Ratio vero, qua ibi conditio non nubendi vitiet, hic rejiciatur, eſt, quia ibi, non hic, eſt emendabilis a legante, Sanch. l. 1. d. 34. Hinc rejicitur a Legato conditio nubendi ex alterius conſenſu, & arbitrio, ex l. *Cum tale* eod. tit. quia hæres a matrimonio ea conditione retrahitur, cum poſſit ille alter ſuum arbitrium denegare in eam perſonam, quæ hæredi placuit. Similiter rejicitur conditio avertens a liberis procreandis, ut ſi teſtamento leges Titio, vel ejus conjuncto centum, ſi non habuerit filios, aut ſi ſine liberis deceſſerit: Sanch. d. 24. n. 7. Et ſimiliter rejicitur conditio, qua teſtator majorem quantitatem leget feminæ non nubenti, quam nubenti, quia ille exceſſus a nuptiis retrahit: Sanch. n. 6. Excipe, ſi conditio impediens nuptias ſit ad tempus, vel reſpectu ſolum aliquarum perſonarum, aut locorum; quia ſic non vitiat, nec rejicitur, cum libertatem relinquat ſimpliciter nubendi: Sanch. n. 16. Idem eſt, ſi pœna impediens nuptias ſit in favorem ſervi, ut liberetur, l. *Titio*, *ff. de Condit. & demonſtr.* Et ſimiliter, ſi ſit in favorem cauſæ piæ: Sanch. n. 34. Idem pariter eſt, ſi talis conditio imponatur viduæ, quæ prius matrimonium conſummavit, authent. *de Nupt. Collat.* 4. quia honeſtum eſt a ſecundis nuptiis abſtinere, c. fin. 31. q. 1. Et ſimiliter, ſi imponatur viduæ: Sanch. n. 31. Idem denique eſt, ſi virginem hæredem inſtituas ea conditione, ut Religionem ingrediatur; quia, quamvis Religio ſit ſtatus excludens nuptias, id tamen teſtator per ſe non intendit, ſed tantum incitare ad ſtatum perfectiorem: Sanch. n. 15. contra Bartol.

QUÆSTIO II.

De effectibus Sponſalium.

DUPLEX eſt ſponſalium effectus; impedimentum publicæ honeſtatis, de quo dictum eſt d. 1. Et obligatio matrimonii contrahendi, de qua hic videndum, ad quid ſponſi obligentur? & quid eis ſpecialiter liceat?

CAPUT I.

Ad quid obligentur Sponſi?

OBLIGARI abſolute ad matrimonium contrahendum, ſtatuitur cap. *ex lit. de Sponſal.* Et, hanc obliga-

tionem esse per se gravem, testantur omnes Doctores, utpote quæ est de re gravi, ac magni momenti, scilicet matrimonii, cujus omissio alteri contrahenti præjudicare non leviter potest.

Quæres primo, An contrahentes sponsalia possint ex mutuo consensu se obligare tantum sub levi?

Negans Vasq. Ponc. & alii, quia contractus sponsalium ex natura sua obligat sub gravi. Affirmant alii cum Sanch. l. c. d. 9. quia tota obligatio pendet ab intentione contrahentium; uti obligatio voti ab intensione voventis: sicut ergo vovens potest se leviter obligare ad materiam de se gravem, ita sponsi; &c. vera igitur sponsalia, quamvis obligent sub levi. Sed probabilius alii cum Tamb. Aversf. q. 8. s. 6. dicunt, quod, quamvis mutuo se obligare possent sub levi, imo etiam sub nulla culpa, sed tantum sub pœna amitsendi arrhas; tamen non essent tunc vera sponsalia, neque adeo inducerent impedimentum publicæ honestatis; quia sponsalia ex communi sensu Ecclesiæ afferre debent obligationem certam, & gravem matrimonii contrahendi. In dubio autem semper præsumendum, sponsos voluisse se obligare sub gravi, cum materia ipsa hoc de se ferat: Gob. n. 122.

Quæres secundo, Quo tempore hæc obligatio sit exequenda?

Respondeo, Si dies sit præfixus, hunc servandum, quia est promissus, de quo q. 3. c. 9. si nullus præfixus sit dies, obligatio est exequenda, quamprimum commode fieri potest, ex l. *Eum, qui, ff. de Verb. Obligat.* Et, quamvis sponsa v. g. non moneat sponsum sine causa differentem, si tamen id faciat ex reverentia, pudore, metu, ne offendat, tenetur sponsus urgere, quia ea dilatio non est voluntaria sponsæ: Sanch. d. 28. At, si sponsa id faciat ex oscitantia, idem Sanch. cum Gutt. ait, sponsum tunc obligari, cum ea requisierit; quia, quando tempus non est præfixum, non tenetur debitor solvere, nisi requisitus; nam creditor non exigens debitum, cum commode possit, tacite dilationi videtur consentire, arg. l. *Debitores, c. de Pignoribus*. Sed contradicunt Ledes. Con. Ponc. Pal. p. 7. quia, quod sine termino præfixo debetur, statim debetur, l. *Eum, qui cit.* & debitum, excepto mutuo, & precario, per se debetur a die, quo contractum est, & sponsalia contracta sunt absolute, non sub conditione, quod pars exigat. Neque obstat, l. *Debitores* cit. quia ibi sermo est, non de solutione debiti, sed de distractione pignoris, quod propria auctoritate distrahi non potest.

Quæres tertio, Quomodo compellendus sit, qui injuste nolit hanc obligationem implere?

Respondeo, In foro conscientiæ compellendum negatione Sacramentorum, quia a peccato non vult desistere. In foro judiciali monendum prius per Judicem: si monitis non acquiescat, compellendum carcere, excomm. aliisque pœnis, ex cap. *Ex litteris, de Sponsal.* quia ex officio tenetur Judex procurare, ne subditi injuriam patiantur. Quæ ratio procedit, etiamsi sponsalia non sint jurata: Sanch. d. 29. Pal. & alii plurimi contra alios; quamvis strictius compellendus sis, si fuerint jurata; strictissime, si puella sub ea fide sit deflorata. Monent tamen Aversf. Mastr. & alii, quod, si Judex certo prævideat jurgia, vel alia mala ex tali matrimonio oritura, debeat moderate procedere, *Cum coactiones difficiles frequenter exitus soleant habere*, ex cap. 17. *de Sponsal.* Sæpe tamen apprehenduntur tales timores, ubi non sunt, & inito matrimonio sæpe statim cessant omnia, ut notat Sanch. d. 14. Tamb. & alii. Judex compellens potest esse etiam sæcularis, tametsi sponsalia sint jurata: nisi vero agatur de valore sponsalium, aut de causa dissolvendi; quia tunc, cum sit quæstio de jure, solus Judex Ecclesiasticus potest procedere: Ab. Sanch. n. 9.

Quæres quarto, An sponsis specialiter sit prohibita fornicatio cum alio, itaut peccent non solum contra temperantiam, sed etiam contra fidelitatem, & justitiam, debeantque hanc circumstantiam in confessione explicare?

Negans Ponc. Henr. & alii; quia non violatur fides in sponsalibus data, quæ solum est de matrimonio contrahendo, non vero de non fornicando ante eum aliis. Neque violatur justitia, quia nondum facta est traditio corporum. Sed probabilius affirmant Con. Laym. Pal. Gutt. Mol. Sanch. d. 2. n. 5. & alii; quia quamvis nondum traditus sit usus corporis, at per sponsalia est alteri reservatus. Quæ ratio militat non solum de sponsa, sed etiam de sponso fornicante cum aliis: Pal. & alii contra Sanch. n. 6. Hæc fornicatio, quamvis sit contra fidelitatem, & justitiam, non tamen est species adulterii; quia nondum est violatio thori sui, vel alieni: Doctores communiter. Advertit etiam Sanch. n. 8. cum aliis, filios ex hoc peccato natos non esse spurios, sed naturales; quia valide, esto illicite, matrimonium inter illos contrahi posset. Addunt demum alii contra alios, quod, si sponsus cognoscat sororem suæ sponsæ, tunc erit species incestus.

CAPUT II.

Quid liceat Sponsis?

CERTUM est, sponsis de futuro non licere copulam, adeoque neque tactus impudicos, quia proxime disponunt ad illam, vel ad pollutionem. Si autem habeant copulam, per hanc olim sponsalia transibant in matrimonium, ex præsumptione Ecclesiæ, quod cognoverint se affectu maritali; unde illud dicebatur matrimonium præsumptum, c. *Is, qui fidem, de Sponsal. & Matrimoniis.* Nunc autem, ubi non est receptum Tridentinum, idem præsumitur: secus vero, ubi Tridentinum est receptum; nisi & sponsalia, & copula habita essent coram Parocho, & testibus; ut nimirum possent hi de utrisque testificari, & præsumere copulam illam esse ex affectu maritali: Sanch. l. 3. d. 40.

Quæres primo, An liceant sponsis oscula, amplexus, & tactus pudici in partibus honestis?

Respondeo cum Perez d. 8. s. 6. n. 4. & aliis, tunc licere, quando fiant in signum benevolentiæ secundum consuetudinem Patriæ, ad conciliandum, & fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum; quia sic non solum non apparet turpitudo, verum etiam adest finis honestus. Quod verum est, inquit Perez, etiamsi in casu præter intentionem sequatur commotio spirituum, aut etiam pollutio; modo non adsit periculum consensus in illam. At, si fiant ob delectationem carnalem, & sensualem in illis perceptam, Sanch. l. 9. d. 46. n. 47. cum aliis plurimis probabiliter docet, etiam licere sponsis, dummodo non adsit periculum pollutionis, aut consensus in istam: & ratio ipsius est, quia sponsi habent jus saltem remotum ad copulam: ergo jus proximum ad istos actus, qui sunt dispositio remota ad illam. Additque Gob. n. 671. non raro accidere, ut Confessarius cogatur in praxi supponere hanc sententiam, nisi velit tales sponsos dimittere sine absolutione, utpote quibus ægre persuadebit oppositum, & emendationis propositum. Sed longe probabilius contradicunt Henr. Hurs. Suar. Less. Con. & alii plures, præsertim postquam Alex. VII. damnavit prop. 40. quæ ait: *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum venialem osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensualem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Ubi delectatio carnalis, & sensualis, sonat delectationem veneream, quæ sentitur in carne ex commotione spirituum inservientium generationi, ad differentiam delectationis mere sensibilis, qua solum placet tactus proprii corporis, vel alieni, ob proportionem cum organo tactus, ut accidit in osculo infantis. Et, quamvis ea propositio proprie damnata sit pro solutis; ex iis tamen formatur validum argumentum ad sponsos de futuro: Nam in tantum osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensualem ortam ex ipso osculo est interdictum solutis, & quidem sub gravi, in quantum illis est interdicta copula, cujus tale osculum est initium; atqui pariter interdicta est copula sponsis de futuro: ergo etiam his interdicuntur sub mortali oscula, amplexus &c. ob delectationem carnalem, & sensualem ex ipsis ortam. Neque eos juvat jus remotum, quod habent ad copulam; sicuti neque ex eo, quod quis ex promissione Regis cras futurus sit Judex, potest hodie actum ullum jurisdictionis exercere. Hinc merito infert Perez n. 8. Sponsalia præcise spectata non excusare a peccato oscula, amplexus, aut tactus, quæ in ipsis, si essent soluti, forent peccata, & contra sextum præceptum. Quæ vero fiunt in signum benevolentiæ &c. licita sunt omnibus, quantum est ex capite hujus præcepti; quamvis solutis aliquando non liceant ex alio capite.

Quæres secundo, An saltem liceat sponsis delectari de copula in futuro matrimonio habenda?

Affirmarunt multi apud Moyam. Alii vero cum Sanch. d. 47. Dian. Gob. n. 674. dicunt, licitam saltem esse sponsis delectationem rationalem de futura delectatione capienda; quia, cum eis talis copula, ejusque delectatio futura sit aliquando licita, appetitus rationalis sequi videtur intellectum repræsentantem eam, ut objectum futurum licitum. Sed rectius negandum cum Suar. Oвied. Aversf. Pal. *de Peccato* p. 10. §. 11. & aliis; quia

hæc

hæc delectatio per se commovet de præsenti spiritus inservientes geoerationi: ergo est per se mala. Neqoe valet io praxi limitatio Sanch., nam, quamvis delectatio appetitus rationalis non sit mala objective, cum ferator in copulam foturam licitam, attamen excitat de facto appetitum sensitivum, & commovet spiritus ad copulam præsenrem; habent enim hi appetitus in re venerea talem inter se connexionem, nt non solum eomitentur eorum actus, sed vix etiam distingoi possinr. Hioc licita est, juxta aliqoos, delectatio comestionis catois in die jejooii sub conditiooe, *Si esset permissa*, quia non solet eausare de præsenti effectum oppositum remperantiæ: at neque solutis est licita delectaiio de copula cogitata sob conditione, *Si esset licita*, quia hæc delectatio præsens est per se initium copulæ, aut pollutionis præsentis.

Dices: Potest sponsus efficacirer valle, sperare, desiderare, imo & gaudere de copula futura licita: ergo potest etiam delectari de illa.

Respondeo, Argumentum probare etiam da solntis. Itaque nego consequentiam: Potest quidrm sponsus velle, sperare, & desiderare tale objectum, ut futurum, spoliatum ea rurpitudine, quam haberet, si esset hio & nunc præsent; & similiter potest gaodere de illo, eum gaudium sit quædam complacentia approbativa talis objecti, ot aliqoando futuri; qoia hi actus totam soam bonitatem, aut malitiam somont per ordinem ad suum objectom. At delectatio, non per ordinem ad objectum, sed ex affectu, quem caosar, de præsenti, malitiam desumit: ideoque non licet sponsis delectari cogitaodo, vel imaginando copulam, ut futoram licitam, quamvis possint eam velle, desiderare, sperare, habendam in matrimonio futuro: Pal. §. 3.

QUÆSTIO III.

De Dissolutione Sponsalium.

DECEM sunt caosæ, de qoibus qoæri potest, an dissolvant sponsalia? Mutuus Consensus, Ingressus Religionis, Ordo Sacer, Votom, Copula cum alio, Posterinra Sponsalia, Matrimoniom cum aliu, Superveniens Impedimentum, Lapsus temporis; & Notabilis rerum mntatio. De his breviter.

CAPUT I.

An dissolvantur per mutuum consensum?

VIDENDUM primo de sponsalibos puberum: Secundo de sponsalibos impuberum.

I. Certum est, sponsalia puberum posse licite dissolvi mutuo eorum consensu, sicut eodem contracta sunt, cap. 2. *de spons.*, quia, per se loquendo, *Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, ex *Reg. 1. jur.* Neque obstat, quod cit. cap. monendi dicantur sponsi, ut fidem servent, & cum patieotia tolerandi, si tenuant; Nam id non indicar non lirere de jure, nt ceosuit Lancel., sed quod mali speciem vulgo præseferat, nisi fiat ex rationabili causa; sine qoa peccarent venialiter ob levitatem, & inconstantiam: Gob. num. 256. Hinc, si unus absque justa causa petat relaxationem, potest alrer exigere aliquod munus, seu peconiam in compensationem: Gob. n. 265. Hæc vera sunt, etiamsi adjectum sit juramentum, vel votum etiam principaliter in hooorem Dei: ut si quis jurasset ducere Bertam pauperem qua talem, quia, sicuti in sponsalibus semper imbibitur illa conditio, *Nisi remissa fuerit obligatio*; ita & in juramenro, & voto illis adjecto; & Deus non acceptat, nisi in gratiam alterius: ergo, si sponsa remittat, absolvitur sponsus etiam juramento: Sanch. d. 32., Pal. p. 57., & alii communiter contra aliquos. At, si alter non libere consentiat, sed fraude, metu, vel aliter injuste inductus, dissolutio est invalida; quia hæc remissio est quædam species donationis, quæ debet esse libera: Gob. n. 265.

II. Certum est sponsalia impuberum, vel impuberis cum pubere, non posse dissolvi mutuo consensu, antequam completa sit pubertas, cap. *de Illis, de Sponsal. Impub.*, qoia ex infirmæ ætatis debili judicio imprudens esset mutatio. Potest ramen impubes, si contraxit cum pubere, statim resilire adepta pubertate, sine mutuo consensu alterius; non autem econtra. Similiter, si impubes contraxit cum impubere, potest adepta pubertate resilire non exspectata pubertate alterius: Sanch. d. 51. cum commuoi contra Naldum, & alios; quia hæc sponsalia non debent esse adeo firma, nt ad eorum dissolutionem non sufficiat unius dissensus, nt colligitur ex textibus citatis. Hæc resilientia, etiamsi fiat tantum interne, sufficit pro foro conscientiæ: Sanch. n. 17. contra Ponc., Pal., & alios; quia sic onn habetor tacita ratificatio coram Deo. Fieri ramen debet, statim ac pubertatem est adeptus, quia, si statim non contradicat, videtur tacite sponsalia ratifirare: Hostiens., Anchar., & alii: sufficit ramen, si intra triduum ante, vel post contradicat, quia sic etiam dicitur in continenti, & statim fieri, ex *fin. C. d. Judiciis*. Imo, etiam sufficit, si fiat longe ante annum pubertatis, dommodo factus pubes voluntatem non mutet, quia sic videtur tacite eam resilientiam ratificare: Sanch. n. 16. Pro foro autem externo fieri debet saltem coram Coofessario, & testibus. At, si ante pubertem secuta sit copula, non datur amplius locus resiliendi, ex c. *Puberes eod. tit.* Idem docet Sanch. n. 22., Aversa, & alii, si impobes sponsalia juramento firmavit; sed in hoc contradirunt Ponc., Pal., Tamb., & alii, quia talia sponsalia imbibuot tacite hanc conditionem, *Nisi factus pubes resiliam*, & juramentum sequitur naturam actus, cui adhæret, nisi a jure contrarium sit dispositum; &, quamvis cap. *Ex lit.* dirarur, impuberes jurantes spoosalia cogendos esse ea perfirere; loquitur tamen de iis, qui ita sunt proximi pubertati, ur matrimooium de præsenti possint contrahere, quod noo facit ad casum; Pal. punct. 17. n. 9.

CAPUT II.

An dissolvantur per Religionis ingressum?

CERTUM est, licitnm per se loqnendo esse sponso, vel sponsæ, absque alterius consensu, ingredi, & profiteri in aliqua Religiooe. Certum paritet est, per talem professionem dissolvi, per se loqnendo, sponsalia; uti etiam dissolvitur matrimonium ratom, ex c. 2. *de Conversione Conjugator.* Dixi, *Per se loquendo*; nam, si professio fieret in fraudem, vel cum damno alterius (puta sponsæ spe matrimonii corruptæ) quod damnom aliter reparari non posset, non solverentur sponsalia, imo professio esset nulla, tum io ratioue voti respectu Dei, cum sit de re illicita; tum in ratione contractus respecto Religionis, quæ eam admittere nec vult, nec potest contra jus sponsæ damnificatæ: Avers. q. 8. s. 12.

Dubitatur primo, An sponsalia solvantur in ipso ingressu Religionis?

Affirmaot plurimi cum Sanch. l. 1. d. 43., quia, ut ingressus est via ad professionem, ita spoosalia ad matrimoniom: ergo, ut professio solvit matrimooium, ita ingressus sponsalia. Negant alii cum Cajet., Dur., Arm., quia nollo jure, vel lege probari potest ea solutio. Mediam viam teneo cum Nav., Sylv., Tol., Bon., Pal., Tamb., & aliis; & dico, maneotem in sæculo liberum esse ab obligatione; secus vero Religionem ingredientem. Ratio primi est; quia, qui Religionem ingreditur exercite ostendit, se renunciare jus suom ad matrimonium; qnod est verum, etiamsi declaret, se nolle illud renunciare, vel etiamsi ficte ingrediatur, quia per hoc ipsum ostendit se despicere alterius nuptias: ergo alter manet liber. Ratio secundi est; qoia, qui manet in sæculo, non potest privari jure acquisito, nisi lex aliqna, vel naturalis, vel positiva liberet ingredientem: arqui nulla lex hunc liberat ab obligatione contraheodi matrimonium, si redeat ad sæculum, cum possit in eo casu illam implere: ergo manet in eo simplex obligatio, quamvis suspensa, usque ad professionem. Hioc lata disparitas inter ingressum, & professionem. Hanc enim, com deferere nequeat professus, nunquam potest matrimonii obligationem implere, ideoque eam tollit. Non sic ingressus, qui ner ad professionem obligat, ut sponsalia ad matrimonium. Neque dicas, hoc esse beneficium favore Religionis concessum: nam eo gaodere non debet, si redeat ad sæculom, sed potius debet cum ea obligatione redire.

Dubitatur secundo, An ingredi Religionem absque alterius consensu possit, qui sponsalia jurameoto firmavit?

Negant aliqui cum Rebell. ex c. *Commissum 16. de Sponsal.*; ubi de hoc consultus Innoc. III. respondit, *Tutius esse contrahere, & postea si elegerit, ad Religionem migrare.* Affirmat tamen communis sententia cum Sanch. d. 43., quia juramentum sortitur natoram actus, cui adhæret; sed sponsalia, si minus ex inteotione contrahentinm, certe ex dispositione juris positivi, imbibunt hanc conditionem, *Nisi voluero ingredi Religionem*:

ergo etiam juramentum. Ad Textum respondet Pal. p. 18. n. 6., forte suisse ibi aliquam causam, quæ obligaret matrimonium prius contrahere, nempe sponsæ honorem, aut prolis legitimationem; quia tunc sponsa monita de voluntate Religionis, matrimonium contrahendum est; deinde ante consummationem ad Religionem transeundum. Neque obstat, Pontificem dixisse, *Tutius esse*, quia comparativum sæpe ponitur pro positivo.

Dubitatur tertio, An possis sponsalia, vel matrimonium inire cum animo ingrediendi Religionem?

Affirmant Anton., Abb., & alii, quia uteris jure tibi concesso, neque injuriam irrogas alteri sic contrahendo. Sed rectius Sanch. n. 12. cum communi docet, te peccaturum graviter, si eo animo contrahas sponsæ non manifestato: quia præsumi potest, eam non consensuram contractui, si eum animum sciret: quare non peccas, quia contrahis cum eo animo, sed quia illum non manifestas: nisi forte ex ejus manifestatione aliquod tibi damnum immineat, ob cujus causam excuseris: per quæ patet responsio ad rationem oppositam.

CAPUT III.

An dissolvantur per Sacros Ordines?

CERTUM est, dissolvi sponsalia per Sacri Ordinis susceptionem; quia per hunc redditur sponsus ad matrimonium omnino inhabilis. Nisi vero fiat in fraudem, vel damnum sponsæ defloratæ, quod aliter reparari non possit, quam per matrimonium; quia tunc valet quidem Ordo, sed non est obligatio ad Castitatem; cum illam vovere, vel illum suscipere in his circumstantiis, esset vovere, vel suscipere illicitum; quare talis sponsus teneretur inire matrimonium, nisi Ecclesiasticus Judex disponat: Gob. n. 320.

Dubitatur primo, An liceat sponso absque consensu sponsæ Sacris initiari?

Affirmant Sot., Henr., Ponc., & alii; quia in sponsalibus tacite videtur inesse ea conditio, *Nisi statum perfectiorem elegero*: sed rectius negat Sanch. d. 47. cum aliis; quia nullo jure licitum est per sacros ordines dirimere sponsalia: imo in *Extrav. un. de Voto*, districte prohibetur, ne quis post matrimonium ratum (quod sacro ordine non dissolvitur) sine consensu uxoris Sacris initietur, nisi Religionem aliquam ingrediatur: ergo sine tali consensu susceptio ordinis se sola non licet. Ad rationem oppositam dico, eam generalem conditionem non inesse sponsalibus, neque ex intentione contrahentium, qui minime de ea cogitant; neque ex dispositione juris positivi, quod unice id concedit ingredienti Religionem ob singularem illius status excellentiam, quam non habet status Clericalis in sæculo: non ergo ex speciali conditione status Religiosi imbibita jure divino positivo, vel saltem ecclesiastico, infertur imbibita conditio illa universalis cujusvis status perfectioris matrimonio. Hinc praxis recepta, ut de promovendo ad sacros ordines inquiratur, an alicui matrimonium promiserit: quæ tamen inquisitio pro Religionis ingressu non fit; nisi forte fide data matrimonii sponsam corruperis: Pal. punct. 19. n. 2.

Dubitatur secundo, An prima tonsura, aut ordines minores dissolvant sponsalia?

Gob. n. 361. cum aliis ait, solvi ex parte sponsæ, quia sponsus sic ostendit se inconstantem, & per hoc, quod de statu Clericali cogitet, videtur remittere jus suum; sed Sanch. n. 5. ait, probabile esse, non solvi, quia, cum id nullo modo impediat matrimonium, aut ejus usum, non videtur adhuc sponsus inconstans, nec remittere jus suum: cum ergo ad aliquid aliud prodesse possent minores ordines, videtur jus habere ad illos suscipiendos, salvis ex utraque parte sponsalibus.

CAPUT IV.

An dissolvantur per Votum simplex?

HOc votum potest esse, vel ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Sacros Ordines, vel Castitatis perpetuæ.

I. Certum est, licitum esse sponso, vel sponsæ votum ingrediendi Religionem sine consensu alterius; uti etiam votum profitendi: Sanch. d. 46. cum communi; quia, cum talis ingressus, & professio liceat ex dictis, licitum pariter est ea vovere: modo tamen non obstet copula, vel aliud damnum, juxta jam dicta.

Dubium est, An tale votum dissolvat sponsalia, etiam ex parte voventis, itaut hic ad nihil amplius teneatur alteri?

Affirmant Laym., Gob. n. 314., & alii, quia tale votum obligat ad perpetuo manendum in Religione, adeoque ad aliquod incompatibile cum matrimonio; sed probabilius Pal. p. 20. n. 4. cum aliis putat, talem voventem adhuc manere obligatum alteri, quousque profiteatur; quia tale votum ante professionem non constituit statum: quare, si eo voto liberetur (sive quia in Religionem non admittatur, sive quia dimittatur) tenetur stare promissis pro libitu alterius. Quod a fortiori procedit de voto perpetuo habitandi in aliquo Monasterio sine voluntate profitendi.

II. Votum suscipiendi Sacros Ordines sine consensu sponsæ, probabilius est, esse illicitum, nec sponsalia dirimere: quia juxta jam dicta illicitum est sponso Sacris initiari absque sponsæ licentia: ergo hoc votum est de re illicita, adeoque nullum; nisi pariter voveas ingredi Religionem, & in ea Sacros Ordines suscipere: Sanch. d. 47. contra Sot., Henr., & alios.

III. Votum castitatis perpetuæ emissum a sponso, vel sponsa, sine consensu alterius, probabilius est illicitum, nec dissolvit sponsalia: Nav., Sanch., Con., Laym., Pal., & alii plurimi contra Sylv., Sot., Ponc., & plures alios, quorum sententiam Sanch. vocat etiam probabilissimam. Ratio nostra est, quia nulla sufficienti ratione, nullo textu a contracta obligatione sponsalium liberatur talis vovens, vel alter acquisito jure privatur. Imo c. *Veniens 5., qui Cler., vel voventes* Alex. III. jubet, imponi pœnitentiam ob mentitam fidem mulieri, quæ post sponsalia votum castitatis emiserat: ergo id ei erat illicitum, quia fidem frangebat. Neque obest, quod ibidem Pontifex det mulieri licentiam, ut, cui vult, nubat; nam votum mulieris in hoc tantum valuit, ne ei liceret alteri a sponso nubere, ad quod proinde necessaria fuit dispensatio; non tamen, ne liceret nubere ipsi sponso; aliter non imposita ei esset pœnitentia.

Dices: Votum est vinculum fortius sponsalibus; est enim promissio facta Deo, & quidem de bono meliori: atqui, ubi pugnantia concurrunt vincula, prævalet, quod est fortius, ex c. *Si inter 35. de Sponſ.*, ergo prævalet votum.

Respondeo, Verum id esse, ubi vinculum voti est valide contractum; ideoque diximus quæst. ant., sponsalia, si post tale votum fiant, esse nulla. At in casu votum est invalidum, qua parte est contra jus acquisitum alterius, ideoque hac parte non prævalet: sic etiam posteriora sponsalia, quamvis jurata, non prævaleant prioribus, quia scilicet res obligata uni invalide promittitur alteri. Quod autem promissio sit facta Deo, minus probat, quam si fieret hominibus; nam Deus promissa non exigit, si præstari sine alterius injuria non possint: neque juvat, quod promittatur aliquid melius; nam non promittitur eidem sponsæ; & illud axioma c. 3. *de Jurejur. Promissum non infringit, qui commutat in melius*, est verum respectu ejusdem creditoris.

CAPUT V.

An dissolvantur per posteriora Sponsalia?

CERTUM est, sponsalia posterius inita cum alia contra fidem priorum esse illicita, & invalida, etiamsi sint jurata; quia sunt de re illicita, & contra jus jam acquisitum priori sponsæ, quæ proinde manet libera; tu vero ei obligatus: Avers. q. 8. s. 13. Quod verum est, etiamsi posteriora solemniter coram Parocho, & testibus sint inita, priora autem clandestine; quia solemnitas nullum addit robur actui de se invalido. Hinc, si prior sponsa moriatur, vel remittat debitum, non ideo teneris ducere secundam; quia contractus ab initio nullus tempore non convalescit: Sanch. lib. 1. d. 50., Ponc., & alii contra Rebell. At, si posteriora sponsalia sint cum defloratione, Pal., Con., Reb., Dian., Regin., Ponc., & alii docent, hæc valere, adeoque dissolvi priora; quia sic titulus posterior prævalet priori: uti, si quis promisit equum uni, & eundem alteri vendat accepto pretio, tenetur huic equum tradere, non illi. Sed contradicunt Sot., Nav., Hurt., Sanch. l. 5. d. 49., & alii, quia non ideo tollitur jus prioris sponsæ, quod etiam erat strictum ex justitia, & utrinque onerosum: hinc disparitas est in gratuita promissione, & venditione equi; quia gratis promittens non obligat se ex justitia; ideoque prævalet posterior titulus justitiæ ortus ex venditione: priora autem sponsalia obligabant etiam ex justitia; nisi vero fuerit gratuita tan-

tantum promissio acceptata sine repromissione, ut bene notat de Lugo.

At quid, si ficta promissione matrimonii utramque defloraveris? Less., Gob. n. 237. docent, teneri te priorem ducere, & secundæ tantum reficere damnum illatum augendo dotem; nec teneris hanc ducere, etiamsi transegeris cum prima; quia contractus nuptiarum cum secunda fuit ab initio nullus. Oppositum videtur probabilius, quia non teneris ad secundam ratione contractus, sed ratione damni illati; quod, si potes reficere in specie, teneris.

Noto, quod si ex violatione priorum sponsalium exiguum incommodum eveniat priori sponsæ, secundæ vero grave, aut si magna orirentur scandala; æquitas saltem, & charitas postulant, ut prior cedat juri suo, potestque tunc Judex compellere sponsum ad ducendam posteriorem; quia tunc censetur major obligatio cedere minori: Sanch., Aversf., Gob. n. 325. Hinc resolvitur hic casus: Berta contraxit sponsalia cum Titio, deinde impraegnatur a Cajo, qui nunc se offert ad eam ducendam, potest Berta, dissimulatis prioribus sponsalibus, licite nubere Cajo; quia, si Titius factum resciret, certe resiliret, & sic prudenter præsumitur resilire, habetque Berta justam causam sic tegendi suam infamiam.

CAPUT VI.

An dissolvantur per subsequens matrimonium cum alio?

CERTUM est, per matrimonium a sponso cum alia contractum ita sponsalia dissolvi, ut prior sponsa sit a promissione libera, etiamsi tale matrimonium aliunde sit irritum; quia sponsus ita contrahens censetur tacite renunciare juri suo, præbetque alteri justam causam resiliendi.

Certum pariter est, quod, si tale matrimonium sit irritum, teneatur sponsus statim redire ad priorem sponsam, & cum ea contrahere, si ipsa velit: quod probabile est, etiamsi illud matrimonium fuerit tantum ratum cum ejus sorore, quia sic non parit impedimentum publicæ honestatis cum ipsa, juxta dicta d. 1. q. 2. c. 11. At, si matrimonium cum alia contractum fuerit validum, non debet, nec potest sponsus ad priorem redire, ut expressum est cap. 1. *de Sponsal.*, quia hoc obligat fortius, quam sponsalia.

Dubium est, An soluto tali matrimonio per mortem, vel professionem Religiosam uxoris, teneatur sponsus redire ad priorem sponsam, si ipsa velit?

Negant Palud., Gabr., Henr., Bon., Fill., Less., Laym., Sanch. l. 1. d. 48. Sed probabilius affirmant Hurt., Vega, Con., Ponc., Aversf., Pal. p. 21. n. 4., quia superveniens matrimonium tantum impedit executionem prioris obligationis, sicut etiam impedit ingressum in Religionem, si antea id vovisset, non tamen extinguit ipsam obligationem: nemo enim debet per injuriam creditori illatam liberari ab obligatione cum illo contracta, si aliquando potest ei satisfacere, ne commodum ex iniquitate recipiat: ergo, sicuti in casu voti debet uxore mortua ingredi Religionem, ita in casu nostro redire debet ad priorem sponsam: quod autem obligatio matrimonii sit ejusdem rationis cum obligatione sponsalium, & diversæ ab obligatione voti, non facit, ut hanc differat, illam extinguat, si soluto matrimonio potest utraque impleri, & matrimonium æque cedit in damnum prioris creditoris: sic, si librum, quem tibi vendidi, vendam, & tradam Petro, sed ab eo soluto contractu postmodum accipiam, teneor tibi tradere, & tamen utraque obligatio est ejusdem rationis.

Dices: Obligatio semel extincta non reviviscit, c. *Quæris*, *de Consecr.* d. 4., sed prior obligatio sponsalium extinguitur per matrimonium, ut colligitur ex cap. *Sicut*, *de Sponsa duorum*, & cap. *Si inter*, *de Sponsal.*, ergo secunda obligatio fortior superveniens extinguit obligationem prioris ejusdem rationis, ut patet ex cap. 5. *de Regular. in 6.*, ubi votum profitendi in strictiori Religione extinguitur per professionem in laxiori: ergo a pari.

Respondeo, Ad primum nego minorem. Prædicti textus solum statuunt, separari non posse, ac rescindi subsequens matrimonium propter priora sponsalia; nihil vero pro casu nostro decidunt. Ad secundum nego antecedens: quod autem deciditur cap. 5. cit., ideo est, quia ibi est idem creditor scilicet Deus, cui res præstantior conceditur per professionem in Religione laxiori, quam quod concessum erat per simplex votum strictioris: at in casu nostro sunt creditores diversi, & unius commodum in alterius damnum cedit.

CAPUT VII.

An dissolvantur per Fornicationem cum alio?

CERTUM est, per alterius sponsi fornicationem cum aliis liberari a contracta obligatione innocentem; quia promisisse censetur sub conditione, *Si alter contra sponsalium fidem non egerit*. At nocens remanet obligatus, ne commodum referat ex iniquitate, & per injuriam tollat ab altero jus acquisitum. Hæc certa sunt apud omnes, sive sponsus, sive sponsa hoc crimen admiserit.

Si sponsalia fuerint publice celebrata, sed hoc crimen sit occultum, itaut nequeat sine infamia revelari, Laym. cum Sanch. docet, criminosum esse prius privatim monendum ab altero, ut sponsalibus renunciet. Si nolit, adeundos esse parentes, pios viros, vel Prælatum, ut eum moneant; sin minus, deferri posse ad judicem, quia sic innocens utitur jure suo, & nocens ipse sibi tribuet infamiam. Quod si innocens moraliter certus de crimine alterius prævideat, se ex defectu probationis nihil obtenturum, poterit auctoritate propria a sponsalibus resilire. Si adsit sola præsumptio talis criminis (v. g. si sponsus frequentet domum alicujus, cum qua scitur peccasse ante sponsalia) Menoch. apud Gob. n. 329. putat, hoc sufficere, ut innocens resiliat: sed oppositum est probabilius; nam præsumptio illa fieri non debet, quia delicta non præsumuntur. Poterit tamen innocens differre matrimonium, donec facta sit inquisitio, &, quantum fieri potest, comperta sit veritas: Croix num. 163. Si sponsa tactus impudicos, vel oscula ab aliis sponte admittat, potest etiam a sponso deseri, quia censetur impudice vivere: Sanch. d. 55., Ponc., & alii.

Si uterque post sponsalia hoc crimen admittat, Bon., dicit, neutrum posse resilire, quia per delictum unius compensatur delictum alterius: sic per utriusque conjugis adulterium neuter potest recedere ab altero, cap. 6. *de Adult.* Coninch cum communi dicit, sponsum tantum posse resilire, quia hoc est fœdius in sponsa, quæ fit notabiliter vilior, & quia fit incertum, cujus sit futura proles: Pal. d. 1. p. 21., Aversf., & alii probabilius dicunt, utrumque posse resilire, quia uterque violat fidem: ergo uterque dat jus alteri resiliendi; etsi alia sit decisio pro statu matrimonii, in cujus favorem compensatio delictorum admittitur. Si sponsa per vim ab alio sit corrupta, potest a sponso repudiari, quia facta est notabiliter vilior, ex cap. *Raptor*. cap. 27. q. 2. An non potest a sponsa repudiari sponsus, qui per somnum, vel per vim ipsi illatam cognoverit aliam, quia ei nubere non est dedecus: Sanch. d. 55.: esset autem, si sponsus per vim sodomitice cognosceretur: Pal. p. 25. Denique, quæ dicta sunt de fornicatione carnali, locum habent in spirituali, scilicet in hæresi, in quam si alteruter incidat, potest innocens a sponsalibus resilire: præsertim, ne subeat periculum perversionis in se, vel in prole: Sanch. d. 55. Krim. n. 314.

CAPUT VIII.

An dissolvantur per superveniens Impedimentum?

LOQUIMUR hic præsertim de impedimento dirimente, quod superveniat sponsalibus, v. g. affinitate, cognatione spirituali, &c. In quo casu certum est, dissolvi sponsalia ex parte innocentis; quia impedimentum apponens satis sufficientem causam ei præstitit ad resiliendum, reddens matrimonium impossibile. Ex parte vero apponentis impedimentum manet obligatio, itaut, sublato impedimento per dispensationem, teneatur stare promissis, si innocens voluerit; quia non debet immunitatem acquirere ex delicto: Con., Gutt., Sanch. d. 56.

Dubium est, An is teneatur petere dispensationem, si alter innocens exigat?

Affirmant universaliter Ledesm., Pal., & alii; quia ex justitia tenebatur ad matrimonium. Negat Filiuc., quia dispensatio est quædam juris læsio, ad quam procurandam nemo videtur adstrictus. Sanch. l. 5. d. 5. n. 5., Con., Gutt., media quasi via procedunt, & affirmant, si dispensatio obtineri possit sumptibus moderatis; negant, si ea indigeat magnis expensis, aliave gravi difficultate; quia, quamvis per se nemo teneatur procurare dispensationem legis, potest tamen teneri per accidens ra-

ratione alicujus damni illati; quæ obligatio urget quidem ad apponenda media ordinaria, non tamen extraordinaria, & valde difficilia; nisi vero sponsa deflorata esset, gravemque famæ jacturam pateretur, nisi nuptiæ sequerentur. Hinc, si sponsus fornicetur cum sorore sponsæ, quamvis neutram possit ducere, juxta dicta d. 1. q. 2. c. 11. tenetur tamen petere dispensationem suis sumptibus saltem ordinariis pro ducenda sponsa: Pal. Tambur. & alii. Si vero cum sorore sponsæ habuit copulam simul cum sponsalibus, tenetur petere dispensationem pro alterutra ducenda, & prudentium erit determinare ex circumstantiis cavendi scandali, vel damni reparandi: per se autem loquendo tenetur petere dispensationem pro ducenda priore sponsa, quia ejus jus violavit: Gob. n. 327. & ad compensandum alia via damnum illatum sorori. Si vero prior sponsa remittat jus suum, vel moriatur, vel ingrediatur Religionem, tenetur petere dispensationem pro sorore ducenda, At si inierit matrimonium cum sorore sponsæ, antequam illud consummet, tenetur absolute redire ad priorem sponsam; quia tale matrimonium est nullum, nec parit cum ista impedimentum publicæ honestatis, juxta dicta. Si vero illud consummaverit, adeoque contraxerit affinitatem cum priore sponsa, tenetur petere dispensationem pro ducenda alterutra, juxta modo etiam dicta.

CAPUT IX.

An dissolvantur per lapsum Temporis?

IN sponsalibus aliquando nullum præfigitur tempus celebrandi nuptias; aliquando præfigitur; & hoc dupliciter, vel scilicet ad finiendam licentiam differendi nuptias, itaut non liceat ultra illum diem differre; vel ad finiendam obligationem, itaut ultra illum terminum neuter maneat obligatus.

I. Itaque, si nullum præfixum sit tempus, dissolvi possunt sponsalia ex parte innocentis ob moram, & dilationem alterius; dummodo hæc mora tanta sit, ut prudentium arbitrio judicetur, morantem renunciasse juri suo, aut mortaliter contra datam fidem peccasse, vel innocentem non se obligasse cum tanta mora: Con. Bon. Perez d. 9. s. 10. n. 8. Debet tamen innocens monere illum sub interminatione resiliendi, nisi intra certum tempus stet promissis; quia aliter non satis patet, eum esse culpabiliter in mora. Hinc, si sponsus alio discessit, & speretur brevi rediturus, etiam discesserit sine consensu sponsæ, est expectandus. Contra vero, si discessit animo non redeundi, aut jam alibi fixerit domicilium, aut unde difficilis sit reditus, non tenetur sponsa expectare: Sanch. Gutt. Ponc. Laym. Pal. & alii, ex cap. 5. *de Sponsal.* quia sic censetur ille renunciasse juri suo, & mutare domicilium esset grave onus sponsæ, cui non se submisit propter sponsalia: si autem ipsa velit bis stare, notat Les. debere eum sequi; si nolit, etiam sponsum esse liberum. At, si sponsus alio abiit animo quidem redeundi, sed non cito, Sylv. Covarr. Laym. & alii dicunt, si ob causam necessariam discessit, expectandum, quousque cesset causa, ex *l. 2. ff. de Sponsal.* si ob causam justam quidem, sed voluntariam, expectandum biennio, si versetur intra Provinciam; triennio, si extra, ex *l. 2. de Repud.* Sed melius Sanch. d. 54. n. 11. & alii communiter dicunt, sive causa sit voluntaria, sive necessaria, si diuturna sit mora, requirendum esse sponsum, ut ad celebrandas nuptias accedat; si etiam differat, statuet Judex Ecclesiasticus, inspectis circumstantiis, an sufficiens sit causa dissolvendi sponsalia: jus autem civile, vel est correctum per jus canonicum, ut ait Sanch. vel loquitur tantum de retinendis arrhis, & donis sponsi, ut ait Pirrhinc.

II. Si præfixus sit terminus ad finiendam licentiam differendi nuptias, jam altero protrahente non illico liberatur alter: ut non liberatur a solutione debitor, si per creditorem impeditum steterit, quominus statuta die solveret, *l. Celsus 23. ff. de Receptis Arbitris.* Nam duplex ex talibus sponsalibus existit obligatio, altera absoluta contrahendi nuptias, altera contrahendi certa die: hac igitur impedita, non tollitur prima ab hac independens, sed adeundus est Judex, ut statuat, an alteri competat justa causa resiliendi?

III. Si præfixus sit terminus ad finiendam obligationem, is, per quem stetit, remanet, ut ante obligatus: ne scilicet commodum ex iniquitate ferat, si culpa sua distulit; si sine culpa, ne defectu suo privet alterum jure acquisito. Sed alter potest illico resilire, ex cap. *Sicut 5. de Sponsal.* quia obligatio tempori affixa ejus lapsu extinguitur, ut patet in plurimis præceptis, & votis. Quod certum est, si alterius mora fuerit culpabilis; probabile, si inculpabilis; cum in textu cit. nulla fiat mentio, culpane, an citra culpam alter omiserit? Con. Laym. Pal. p. 25. n. 6. & alii contra Sanch. d. 53. Palud. Bonac. Ponc. & alios. Neque obstat, quod *Legitime impedito non currit tempus*, cap. *Quia*, *de Concess. Preb.* & *l. 1. c. de Annal. except.* nam id valet tantum in iis contractibus, in quibus jura sic statuunt, & benigne interpretantur voluntatem contrahentium; at circa terminum sponsalibus præfixum nihil tale statuunt, sed potius oppositum. In dubio autem, an terminus sit præfixus ad finiendam obligationem, an ad finiendam licentiam differendi? Oportet attendere ad omnes causas præfixi termini, & ex his judicandum: Pal. n. 3. &, si in hoc dubium permaneat, videntur sponsalia permanere, quia sunt in possessione. Expedit autem, ut dubium hoc insinuetur utrique, ut, si velint, dissolvant mutuo consensu; quia est etiam probabile, quod libertas sit in possessione contra obligationem ulterioris temporis: Croix n. 206.

CAPUT X.

An dissolvantur per notabilem rerum mutationem?

REBUS notabiliter mutatis promissio sponsalium non obligat, etiamsi esset jurata: Doctores communiter, ex cap. *Quemadmodum 25. de Jurejur.* quia juramentum sortitur naturam actus, cui adhæret: actus autem, seu intentio contrahentis non censetur se extendere ad talem casum, qui, si prævisus fuisset ejus promissionem impedivisset. Hinc in dubio, an mutatio subsequens sit talis, interrogare debet is, qui vult resilire, an, si id prævidisset, adhuc voluisset contrahere? Si neget, potest in conscientia resilire; si affirmet, non potest; quia, quod non dedit causam contractui, nullam facit mutationem respectu consensus, qui ad illam causam non attendebat: Sanch. d. 65. n. 2. cum communi. Si autem de hoc ipso dubitet, Leand. apud Tamb. dicit, quod, si mutatio fuit gravis, præsumitur, quod non fuisset contracturus; secus vero, si levis. His positis, notandæ sunt variæ mutationes circa bona animi, corporis, & fortunarum.

I. Si quis ex sponsis gravi infamia maculetur, si sponsus evadat scortator, aleator, ebriosus, si asper moribus, vel admodum sævus; potest alter recedere etiam post jurata sponsalia. Rursus, si graves inimicitiæ ortæ fuerint inter sponsorum parentes, vel certo prævideantur gravia scandala, aut mali exitus ex tali matrimonio, potest uterque recedere (modo hæc mala sint certa; secus vero, si dubia, ex cap. *Veniens 5. qui Clerici*) Quod si inter sponsos ipsos gravis inimicitia fuerit exorta, potest quidem uterque recedere, sed, qui fuit causa, obligatur prius adhibere omnia ordinaria remedia ad pacem inducendam. Hinc, si postquam filius desponsaverit Bertam, parentes ex utraque parte obstinate contradicant, ac timeantur graves rixæ inter illos, vel inter eosdem sponsos; potest alter, etiam altero inviro, se ad alias nuptias convertere: Tamb. §. 8. n. 7. modo non sint timores vani, qui statim inito matrimonio cessent, ut recte monet Sanch.

II. Si quis e sponsis incidat in morbum incurabilem, vel contagiosum, ut est lepra, morbus gallicus, paralysis, &c. potest alter resilire. Imo, si tantum vehemens sit horum suspicio: Ponc. Tamb. Ricc. decis. 232. Item oris graveolentia insanabilis: Sanch. l. 1. d. 57. n. 2. Item notabilis deformitas (quæque in viro major requiritur: Con. d. 7.) ut esset narium, vel unius oculi amissio, &c. Sanch. ib. Hæc enim, si præcessissent sponsalia, ab his alterum scientem prudenter avertissent, ignorantem dolo malo induxissent: ergo, si subsequantur, dant facultatem resiliendi.

III. Si dos deficiat, vel negetur, etiam sine culpa promittentis, potest alter resilire: secus vero, si sibi fiat ingens fortunarum accessio: Con. Guttier. Pal. p. 28. contra Hurt. Si autem nulla sit promissa dos a sponsa divite, quæ deinde evadat notabiliter pauper, potest sponsus recedere, quia implicite saltem fuit dos promissa, cum omnes supponant, feminam transire in domum viri cum omnibus suis bonis: Sanch. d. 69. Pal. Aversa. Tamb. a n. 9. addens cum Ponc. quod, si prudenter timeatur, alterum e sponsis fore exhæredandum, posse alterum resilire; & cum Bonac. contra Ponc. si prudenter timeatur, aut superveniat paupertas utrique, posse utrumque recedere; quia neuter se obli-

obligavit ad sustinenda tam ægre onera matrimonii. Illud hic demum notn, quod, si causa dissolvendi sponsalia sit naturaliter certa, non sit opus auctoritate Judicis, nisi forte virandum sir scandalum: Sanch. d. 69. hoc tamen nullum esse potest, si sponsalia non fuerint publica, vel publica sit causa dissolvendi. Ubi tamen est speciale statutum, ut sponsalia nonnisi publica auctoritate dissolvantur, servari debet: Laym. c. 2. *de Sponsal.* Ad probandam autem apud Judicem causam dissolvendi sponsalia, satis est fama a fide dignis orta, cap. 2. *de Consanguin.* Item unus testis omni exceptione major: Sanch. Pal. p. 32. n. 6. contra Glos. quia hic efficacius, quam fama, probat. Quod si sponsalia jurata non fuerint, satis est unus testis juratus etiam criminosus, ex cap. *Super eo 22. de Testibus*, quia agitur de vitando peccato, quod sequeretur ex matrimonio.

DISPUTATIO III.

De Matrimonio secundum se.

MATRIMONIUM idcirco dictum, quia est *Matris munus*, ex D. August. l. 9. *contra Faustum*, vel quia est *Matris onus*, ex D. Th. q. 44. a. 2. Dicitur etiam *Connubium*, & *Nuptiæ*, quia Virgo velo, tanquam nube, in benedictionibus tegitur; dicitur etiam *Conjugium* ab jugo, vel a Græco γυν; unde Monogamus, Bigamus, Polygamus, unius, duarum, plurium uxorum vir, sive simul, sive successive. Dividitur in matrimonium *Legitimum*, prout etiam fuit in lege naturæ, hodieque inter infideles; *Ratum*, prout Sacramentum est inter fideles, sed ante copulam conjugalem, & *Consummatum* per talem copulam. Denique definitur matrimonium præsertim ratum ex Tolet. l. 7. c. 3. *Contractus viri, & feminæ legitimus, quo mutua corporum potestas traditur, gratiæ spiritualis collativus:* de hoc præcipue tria videnda hic sunt, Validitas scilicet, Revalidatio, & Indissolubilitas.

QUÆSTIO I.

De Validitate Matrimonii.

AD validitatem matrimonii requiritur remotio cujusvis impedimenti dirimentis, & proprius utriusque consensus de præsenti expressus coram Parocho, & testibus. De utroque dicta sunt plura; aliqua supersunt circa objectum, & finem talis consensus, ut magis innotescat validitas matrimonii, tum ut contractus est, tum ut Sacramentum, tum etiam inter absentes.

CAPUT I.

De validitate Matrimonii, ut Contractus est.

CONTRACTUS matrimonialis essentia consistit in mutua traditione, & acceptatione corporum, ex quo oritur jus, & obligatio, & vinculum per se indissolubile. Hinc tria sunt bona matrimonii; *Bonum Prolis*, hoc est obligatio non vitandi prolem positive, & mediis illicitis; *Bonum Fidei*, hoc est obligatio non adulterandi; & *Bonum Sacramenti*, hoc est obligatio non dissolvendi vinculum: atque hæc tria sunt finis essentialis, & principalis matrimonii, ad quem consequitur tanquam finis civilis intrinsecus, & proprius ipse usus copulæ, & quidem primario ob generationem prolis, secundario ob remedium concupiscentiæ; tum etiam cohabitatio, mutuum juvamen, & similia in matrimonio inclusa. Alii autem fines, ut sunt divitiæ, voluptas, bonum nomen, nobilitas, &c. dicuntur fines extrinseci, & non ipsius operis, sed operantis: Tamb. c. 2. §. 3. Videndum itaque, quodnam horum esse debeat objectum, & finis consensus matrimonialis, tum absolute, tum conditionate? Quare sit

§. I.

De consensu matrimoniali absoluto.

DICO primo; Ad valorem matrimonii requiritur talis consensus, & intentio, ut absolute feratur saltem virtualiter, & implicite in triplex bonum, Prolis, Fidei, & Sacramenti, tanquam in finem principalem: Doctores communiter. Ratio est, quia in his tribus bonis communiter sita est tota essentia matrimonii; ergo in hæc ferri debet consensus, & intentio contrahentium. Dixi, *Saltem virtualiter, & implicite;* quod implicitum tunc evenit, quando non intenditur aliquod his contrarium, ut cum communi notat Tamb. n. 3. Quare hoc ipso, quod habetur mutuus consensus, & intentio tradendi, & acceptandi potestatem corporum ad usum conjugalem, implicite intenditur subire illam triplicem obligationem, adeoque poni essentiam matrimonii.

Dico secundo: Si quis contrahat absolute matrimonium, nihil attendens ad finem ejus principalem, sed solum ad aliquem finem accidentarium, sive intrinsecum, sive extrinsecum, valide contrahit: Sanch. l. 2. d. 29. cum communi. Ratio est, quia, quamvis actu non attendat ad finem essentialem matrimonii, non tamen illum positive excludit: ergo virtualiter saltem, & implicite illum intendit ea voluntate, qua vult contrahere. Sic, si hodie facias sacrum ob eleemosynam acceptam, aliter non facturus, valide celebras: quia eleemosyna est finis secundarius, quem vocamus impulsivum, quo actu applicaris ad offerendum Deo Sacrificium, qui est finis principalis implicite inclusus in voluntate celebrandi: ergo pariter, si incas matrimonium ob finem divitiarum, voluptatis, juvaminis in senectute, &c. alias non initurus, nihilque explicite cogites de fine principali, adhuc valide contrahis. Imo, neque id esse mortale, docent Doctores communiter contra Angel. & Cov. cum non sit magna deordinatio. Esse tamen veniale, merito putant Sanch. Laym. Tamb. & alii; quia est deordinatio aliqua, si finis accidentalis, aut extrinsecus primo, & principaliter intendatur. Quanquam, nullum esse peccatum, dicant Con. Ponc. Pal. & alii; quia, cum tales fines sint honesti, vel saltem indifferentes, nullum videtur peccatum, si quis honesto medio, quale est matrimonium, velit illos obtinere. Verum, quidquid sit de hac sententia, sane admittenda non est, si intendatur sola voluptas copulæ, juxta dicenda d. 4. Illud autem est certum, quod, si intendatur simul, & in ordine ad finem principalem, nullum est peccatum, ex Catech. Rom. c. 3.

Dico tertio: Validum est etiam matrimonium, si cum prædicta intentione saltem implicita finis principalis stet simul prava intentio non servandi obligationem, quæ subitur: Perez d. 16. s. 6. cum aliis. Ratio est, quia tota essentia matrimonii consistit in ea triplici obligatione Prolis, Fidei, & Sacramenti: atqui cum intentione subeundi hanc obligationem stare potest prava intentio eam non servandi; ut patet etiam in voto: ergo, si simul stent, valide, quamvis illicite, contrahitur matrimonium. Puta si contrahas cum prava intentione deinde adulterandi, aut vitandi prolem positive, ac modis illicitis, seminando extra vas, sumendo venena sterilitatis, &c. non autem, si contrahas cum intentione deinde ducendi aliam, quia hæc intentio etiam mente retenta omnino destruit intentionem se obligandi ad vinculum indissolubile, ut bene notat Perez.

§. II.

De consensu matrimoniali conditionato.

CONDITIO ex dictis d. 2. q. 1. c. 2. §. 3. vel est rigorosa, seu suspensiva consensus in futurum; vel minus rigorosa, & tanquam modus non suspendens, sed limitans consensum, quæ potest, vel mente tantum retineri, vel etiam deduci in pactum inter ipsos contrahentes. Si conditio sit suspensiva, sive sit expressa, sive mente in uno tantum contrahente retenta, per talem consensum non fit matrimonium, sed sponsalia tantum, & quidem suspensa; quia matrimonium non patitur hanc conditionem, ut nec cætera Sacramenta; adeoque, quamvis consensus esse possit conditionatus, matrimonium nunquam esse potest nisi absolutum, ut notat Sanch. l. 5. d. 1. An autem adventu talis conditionis tale matrimonium absque novo consensu evadat absolutum, dicemus q. 2. Si vero non sit suspensiva, valet matrimonium, sive ea sit honesta, sive turpis, aut impossibilis; & quidem si honesta, est adimplenda; si turpis, aut impossibilis, habetur pro non adjecta, cap. fin. *de Condit. apposit.* Sive ea conditio sit deducta in pactum, sive mente tantum retenta; modo non sit contra substantiam matrimonii; nam, si contrahatur matrimonium sub tali conditione

in pactum deducta, v. g. ut positive vitetur proles, seminando extra vas, sumendo venena sterilitatis, &c. vel donec invenias aliam ditiorem, aut si uxor pro quæstu adulterandam se tradat, aut ut tibi liceat adulterium, matrimonium est nullum, c. fin. cit. quia est conditio contra ejus substantiam, ac triplex boonum Prolis, Fidei, ac Sacramenti.

Dubium est, An valeat matrimonium initum cum pacto, ut nunquam habeatur copula?

Respondeo affirmative cum Vasq. Pon. Hurt. Bonac. Per. Laym. & aliis: quamvis D. Th. D. Bonav. Sanch. & aliis videatur invalidum, si tale pactum fiat ante; vel in ipso contractu. Ratio nostra est, quia essentia matrimonii solum consistit in mutua corporum traditione, & acceptatione, seu in jure, & obligatione ad copulam: ergo, licet non possint se abdicare hoc jure, & obligatione, tamen possunt invicem se obligare ad non usum illius, cum certe non teneantur uti jure suo: in quo casu acquiritur jus remotum, & radicale, non autem proximum, & expeditum. Et sane non pugnant ista duo, velle acquirere jus ad copulam, & simul velle subire obligationem ad nunquam eo utendum. Hinc a fortiori infertur contra Sanch. valide etiam contrahi cum pacto ad non reddendum debitum in casu, quo alteri non licebit exigere.

Objicies primo: Pactum non utendi copula repugnat fini principali matrimonii, nempe bono prolis: ergo, &c. Hinc August. l. 19. *contra Faustum* ait, non ob aliud debere feminam nubere, quam ut mater fiat.

Respondeo, negando antecedens. Bonum prolis est obligatio non vitandi positive prolem juxta jam dicta, non vero est obligatio non vitandi mere negative. Pactum autem non utendi copula non obstat positive huic fini; imo nec absolute ipsi proli, quæ absolute jus non habet, sed tantum veluti conditionate, ut, si fiat copula, non impediatur ejus generatio. August. autem vel ibi loquitur ordinarie, vel vult nubentem, quæ intendit copulam, non posse excludere intentionem generationis.

Objicies secundo: Si tales in casu uterentur copula, facerent simul, & non facerent sibi injuriam: facerent, quia agerent contra pactum; non facerent, quia nemo facit injuriam utendo jure suo; ergo, &c.

Respondeo, Quod absolute facerent injuriam: Probationem in contrarium distinguo: Nemo facit injuriam utendo jure suo non vinculato, conc. vinculato, nego. Et patet: si enim quis se obliget ad non vendendam rem suam, nisi ego prius vendiderim meam, vendendo rem suam, facit mihi injuriam. Utrobique ergo manet jus radicale, & remotum simul cum obligatione non vendendi, seu non petendi, nec reddendi debitum.

Objicies tertio: Jus ad usum equi sine potestate unquam utendi equo est inutile: ergo etiam jus ad copulam sine potestate unquam ea utendi.

Respondeo, nego consequentiam. Jus ad usum equi supponitur non esse utile, nisi propter ipsum usum equi. At jus ad usum copulæ habet alias utilitates adjectas præter ipsum usum copulæ, nempe individuam vitæ societatem, mutuum juvamen, immunitatem a fornicatione, quæ cum sua non committitur: imo uterque poterit pactum illud remittere alteri, & ita petere, & reddere: modo vero non contraxerint etiam cum voto castitatis (uti probabilius accidit in matrimonio B. V. cum S. Joseph ex speciali Dei instinctu) in quo casu requireretur etiam divina relaxatio voti, ut alibi est dictum.

Quæres, An validum sit matrimonium lege salica contractum, quod dicitur ad morganaticam, quod scilicet vir illustris, non potens invenire parem, contraheret cum femina inferioris conditionis hoc pacto, ut ipsa, & liberi ex ea nati contenti sint dono nuptiali (quod morganatica dicitur) vel alia certa portione tempore sponsalium donata; & a cæteris bonis, titulis, insignibus sint exclusi?

Respondeo affirmative, statque in hoc consuetudo plurium in Imperio apud Kugler q. 13. Neque obstat, quod filiis legitimis debeatur jure naturæ paterna hæreditas, ex *l. 7. ff. de Bon. damnat.* Nam debetur pro honesta substentatione, non vero æqualis cum aliis filiis, ut ait Glos. Similiter valet matrimonium conscientiæ, quod vir illustris habens filios ex priori matrimonio contraheret cum ignobili in remedium concupiscentiæ, consciis solum Parocho, & testibus: imo sic etiam liceret, si ex ejus divulgatione magnum ejus dedecus oriretur, nec aliter posset mederi concupiscentiæ; quia non teneretur cum tanto onere vitare scandalum proximi: Raynaud. Krim. & alii.

CAPUT II.

De validitate matrimonii, ut Sacramentum est.

De Fide est ex Flor. & Trident. matrimonium fidelium esse a Christo Domino elevatum ad rationem Sacramenti, juxta illud *ad Ephes. 5. Hoc magnum Sacramentum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia*. Tale etiam debere esse matrimonium hæreticorum, dixi d. 1. q. 1. c. 2. præsertim ex cap. *de Divort.* ubi generaliter dicitur, matrimonium inter baptizatos esse Sacramentum. Tale vero non esse matrimonium infidelium, fert communis sententia: Imo nec illud evadere Sacramentum, si postea baptizentur, & renovent consensum coram Parocho, & testibus, docent Vasq. Præp. Pal. & alii contra Sanch. Bellarm. D. Th. & alios; quia, cum corpora fuerint ante tradita, nec possint iterum tradere, quod suum non est, non ponitur jam novus contractus; quamvis Ecclesia contractum sic ratificatum habeat veluti indissolubilem. Similiter nec tale esse matrimonium, quod fidelis ex dispensatione Papæ contraheret cum infideli, docent Sanch. Ponc. & alii contra Sot. Reb. Aversf. & alios; quia, sicuti unicus est duorum contractus, ita unicum Sacramentum, cujus cum incapax sit infidelis, ob hunc defectum deficit etiam in fideli: quod autem dicitur 1. Cor. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*, intelligitur non de Sanctitate Sacramentali, sed morali per piam conversationem, &c.

§. I.

Quæ sit materia, & forma Sacramenti matrimonii?

Certum est, hoc Sacramentum consistere in aliquo physice transeunte; cum sola Eucharistia sit Sacramentum permanens. Quamvis ergo in ratione signi perfecte repræsentativi unionis Christi cum Ecclesia includat vinculum permanens; quo sensu loqui videtur Gratian. cap. *Institutum* 27. q. 2. & Inn. III. cap. *Debitum*, *de Bigamis*; tamen in ratione præcisa Sacramenti, ac signi repræsentativi unionis Christi cum anima per gratiam consistit in actione illa mutui consensus physice transeunte, adeoque in hoc solo usu: ideoque Florent. in Decr. Eugenii IV. *Ad Armen.* ait: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. Hinc Sylv. Nav. Val. Reb. Ab. cum Glos. in cap. *Tua*, *de Sponsalib.* dicunt materiam hujus Sacramenti esse mutuum consensum; verba autem, quibus talis consensus exprimitur, esse formam: sed obstat, quod consensus acceptus seorsim a verbis est totaliter insensibilis, quo pacto nequit esse materia Sacramenti: sic contritio, ut sit materia proxima pœnitentiæ, debet esse exterius expressa. Communior sententia cum Sot. Suar. Bell. Sanch. L. 2. d. 5. docet, mutuum consensum verbis expressum, quatenus traditio est, esse materiam, quatenus acceptatio est, esse formam: cui sententiæ id unum obstat, quod non distinguat verba a rebus, quæ Florent. expresse voluit distingui, dicens, omnia Sacramenta perfici rebus tanquam materia, verbis tanquam forma. Ideoque Pal. d. 2. p. 3. n. 2. cum aliis dicit, consensum expressum esse formam: traditionem, & acceptationem corporum esse materiam proximam, corpora ipsa remotam.

Quæres primo, An consensus sit necessario verbis exprimendus, ut valeat Sacramentum?

Affirmat Canus cum aliis, dicens, matrimonia solis nutibus contracta non esse Sacramenta, probatque ex multis textibus, præsertim ex Florent. cit. Sed certum est oppositum apud Sanch. l. 2. d. 32. quia e. *Tuæ de Sponsal.* expresse dicitur, surdos, & mutos posse contrahere solis nutibus; & cap. 1. *de Desponf. Impuber. in 6.* valere matrimonium, si parentes consensum exprimant nomine præsentium, & non contradicentium; & ratio est, quia Christus Dominus elevavit ad rationem Sacramenti contractum humanum, qui etiam valet nutibus, aliisve signis, quæ sunt æquivalenter verba; quamvis regulariter fiat per verba formalia, quo sensu loquitur Florentin. aliique Textus.

Quæres secundo, An verba formalia sint necessaria saltem ex præcepto?

Affir-

Affirmat Ledesm. cum Rodr., Sylv. Armil., & aliis, dicens, sub mortali requiri verba formalia in illis, qui loqui possunt: Sanch., Filliuc., & alii sub veniali. Sed Ponc., Pal., Tambur., & alii dicunt, nullam per se esse culpam, exprimere alio signo æquivalente verbis; dummodo absit periculum scandali, aut dubii de existentia consensus, qui debet certo moraliter innotescere Parocho, & testibus.

§. II.

Qui sit minister hujus Sacramenti, & quæ ejus intentio?

I. CERTUM est, contra Canum, Guliel. Paris., Ledesm., Maldon., Tol., Estium, plurimosque communiter Academicos Paris. ex Concil. Colon. ann. 1536., Ministrum hujus Sacramenti non esse Parochum, sed ipsosmet contrahentes; ut clare eruitur ex Flor. cit., ubi dicitur, *Quod causa efficiens matrimonii est mutuus consensus*, hoc est, per metonymiam, mutuo consentientes; quorum actio Sacramentalis, etsi non procedat a Ministro consecratam, dicitur tamen sacra, quia est causa rei sacræ: ut patet etiam in Baptismo. Unde infert Sanch. cum aliis contra Vasq., Ponc., & alios, quod, qui contrahit in peccato, quamvis peccet sacrilege, ut suscipiens, non tamen ut conficiens Sacramentum. Ex necessitate autem præmittenda est confessio mortalium, & ex ritu Ecclesiæ etiam communio.

II. Certum est, ad valorem hujus Sacramenti non requiri essentialiter verba Parochi; cum nec ipse sit Minister, neque ejus verba sint forma: quare sensus illorum verborum, *Ego vos conjungo*, &c. est, ego declaro, seu approbo, &c. Debent tamen hæc, vel similia ab eo proferri, ex Decreto Trid. *sess.* 24. *c.* 1.; ideoque peccat ea omittens, non mortaliter, ut vult Aversa, sed venialiter, ut Sanch. cum aliis; quia non videtur esse res gravis; sicuti nec, si sine justa causa assisteret extra Ecclesiam, in qua regulariter celebrari debet matrimonium ex Rit. Rom.

III. Certum est, neque essentialiter requiri benedictiones nuptiales, quæ fiunt inter Missarum solemnia, vulgo *Velationes*; quia ante supponitur jam ratum matrimonium: quando ergo can. 1. 30. q. 5. dicitur conjugium, cui non accedunt benedictiones, non esse legitimum, solum significatur, non esse secundum totum decorem, & honestatem requisitam a lege: Perez cum aliis. Hinc fieri debent ex ritu Ecclesiæ, vel tunc, vel postmodum, & quidem a proprio Parocho, juxta dicta d. 1. q. x. e. 13.; si autem sine justa causa omittantur, saltem est veniale, ex communi sententia, & similiter, si consummetur matrimonium ante illas: Aversa cum aliis; quamvis Palud., Tab., & alii dicant, esse mortale, & quidem toties secundum S. Anton., quoties illud consummabitur. Porro secundæ nuptiæ non benedicuntur, ex cap. *Vir*, *de secundis nupt.*, etiamsi primæ fuerint irritæ: Bonac., & alii: si tamen unus contrahantium nunquam sit benedictus, Laym., & alii dicunt, posse benedici, imo debere, si sit mulier: D. Th. cum aliis contra Aversam. Vide Rit. Roman.

IV. Quoad intentionem, certum est, satis esse, si sit virtualis, & implicita, nimirum contrahendi juxta morem suæ patriæ, seu faciendi, quod alii fideles faciunt; quia sic faciunt, quod intendit Ecclesia, adeoque conficiunt Sacramentum.

Dubium est primo, An valeat matrimonium fidelium sub expressa intentione non conficiendi Sacramentum, sed tantum contractum legitimum more infidelium?

Affirmant Vasq., Reb., Ponc., Gonet, Platel., & alii: quia, quamvis sic non conficiatur Sacramentum, manant tamen omnia constitutiva contractus legitimi; & quamvis hic inter fideles elevatus sit a Christo ad rationem Sacramenti, non tamen videtur esse ab eodem irritatus, si non fuerit Sacramentum. Sed rectius negant Sanch., Bell., Præp., Avers., Pignat. t. 7. consult. 22. num. 7. dicens, hanc esse veram sententiam, & Romæ approbatam; quia nullum est fundamentum dicendi, quod Christus privatis fidelibus reliquerit potestatem separandi unam rationem ab altera; imo Flor., & Trid. universaliter, & indefinite definiunt, matrimonia fidelium esse Sacramanta: ergo, si nolint hi contractum, nisi separatum a Sacramento, volunt contractum nullum ex Christi institutione nolentis illum valere, nisi adjunctam habeat rationem Sacramenti. Nisi vero ex errore putabant, hæc duo separari posse; sic enim voluntas nolens rationem Sacramenti inefficax esset, stante voluntate efficaci contrahendi, quæ proinde esset virtualiter, & implicite voluntas Sacramenti: Pal. d. 2. p. x. num. 6.

Dubium est secundo, An liceat aliquando fidelibus contrahere matrimonium nullum?

Respondeo, licere in duobus tantum casibus: Primo, si ex metu gravi injuste incusso cogaris hic & nunc contrahere, juxta dicta d. 1. q. x. c. 7. §. 2. Secundo in casu urgentissimæ necessitatis hic & nunc contrahendi cum impedimento dirimente occulto, juxta dicta d. 1. q. 3. e. 1. §. x. circa quartam conditionem. In utroque tamen casu debet adesse animus contrahendi, quantum potest, & abesse animus consummandi, antequam revalideture, juxta ibidem dicta. Extra hos casus peccant sacrilege, in quantum falso absque juste causa adhibent signa Sacramenti.

CAPUT III.

De validitate matrimonii inter absentes.

CERTUM est, valide, & licite contrahi posse matrimonium inter absentes; sive per procuratores, ex c. fin. *de Procur. in 6.*; sive per litteras, ex l. *Mulierem*, *ff. de ritu nupt.*; sive per Nuntios: Doctores communiter. Ratio universalis est, quia etiam alii contractus istis modis fieri possunt inter absentes ex *Reg.* 68. *in 6.*; nec ullibi jus Canonicum prohibet tale matrimonium: quidquid contradicat de Luc. *ad Trid.* cap. 23.

§. I.

Quomodo valeat matrimonium in ratione contractus?

I. QUoad procuratorem matrimonii, cap. fin. cit. statuitur, ut is habeat speciale mandatum a principali; & ut non possit deputare alium, nisi hoc idem specialiter sit commissum. Hinc requiritue actus ipsiusmet principalis, ut suo nomine contrahat, & quidem cum certa persona, ut communiter docent contra Con., Avers. putantes sufficere, si mandaverit generalitee cum illa, quam ipse procurator elegerit. At non opus est, ut hoc mandatum fiat coram Parocho, & testibus: Sanch. l. 2. d. 11. cum communi contra aliquos; & fieri potest, vel scripto, vel oretenus: debet tamen hoc ipsum posse probari; & Ecclesiæ constare, tale mandatum datum fuisse; quamvis non necessario constare debeat Parocho, & testibus, dum coram ipsis procurator contrahit; quia hi debent esse tantum testes de exteriori contractu, non de ejus validitate: sicuti neque debet eis constare dispensatio obtenta ab impeditis: Pal. d. x. p. 9., Sanch. l. 2. d. 11., & l. 5. d. 9. n. 24. cum communi.

Procurator matrimonii potest esse cujuslibet ætatis, modo sit rationis compos; quia, quamvis cap. *Generaliter*, *de Procur. in 6.* dicatur, procuratoe ad negotia debere esse 17. annorum; tamen id requiritur, ubi est necessaria industria personæ, quæ in casu non est necessaria, sed tantum manifestatio consensus principalis. Hinc neque requiritur, ut sit pubes; neque, ut sit ejusdem sexus cum principali: quare possunt esse procuratores contrahentium duo viri, vel duæ mulieres, quia non contrahunt nomine proprio, sed alieno: Sanch. l. 2. d. 11. cum communi. Requiritur autem, ut coram Parocho, & testibus exprimant consensum principalium pee hæc, vel similia verba, *Titius accipit Bertam in uxorem mediante me*; & similiter Procurator Bertæ.

Si principalis post mandatum revocet consensum, sive externe, sive tantum interne, antequam Procurator officium suum explevarit, matrimonium est nullum, ex c. fin. cit.; quia neque Jus Civile, neque Ecclesiasticum supplere potest consensum in traditionem corporum, quorum dominium non habet; licet possit, & sæpe suppleat in contractibus aliarum rerum, quarum dominium altum habet. Quod si principalis, postquam revocavit, iterum consentiat, antequam Procurator mandatum expleverit, valebit; quia prior consensus moraliter redit, & adest, quando contrahitur: Sanch. cum aliis. Si vero principalis factus sit amens tum, cum Procurator contrahit, Ponc., Lug., Dian., Avers., & alii dicunt, matrimonium esse nullum; quia, sicut mandatum expirat morte mandantis,

tis, l. *Si quis, ff. de acquis. hæred.*, ita videtur expirare ex ejus amentia. Sed melius contradicunt Sanch., Henr., Con., Bonac., & alii, quia similiter valet Baptismus; & absolutio data lapso in delirium, si ante eam rite petierit. Nec simile est de morte, ac de amentia; maxime cum amens maneat aptus copulæ, & generationi, qui est finis matrimonii. Et, quamvis aliquod jus civile aliquid disponat in aliquo peculiari contractu, non tamen constat, esse jus generale, & quod sit in usu. Si demum principalis ficte misit Procuratorem, sed postea vere consensit tum, cum ille mandatum exequitur, Sanch., Henr., & alii dicunt, valere, quia tunc adest consensus requisitus. Sed melius contradicunt Con., & alii, quia constitutio Procuratoris initio fuit nulla, & hic vi illius agit. Fatentur tamen omnes, quod per quemcumque consensum antecedentem, & actum, quo postea principalis tractet conjugem ut suam, confirmetur matrimonium.

II. Quoad litteras: Sponsus v. g. scribere debet, quod se tradat in matrimonium, & acceptet talem sponsam in uxorem: & tunc sponsa legens has litteras coram Parocho, & testibus debet dicere vicissim, quod eum acceptet in maritum; sicque erit actuale matrimonium: Sanch. l. 2. d. 12.; Pal. d. 2. p. 9. Quod si uterque per litteras agat, debet alteruter utriusque Epistolas legere coram Parocho, & testibus: Perez d. 15. s. 9. n. 4. Debet etiam posse constare, litteras esse veras, juxta dicta de Procuratore; ideoque monet Con., Per., & alii, hunc modum contrahendi per epistolas extra casum necessitatis non esse adhibendum.

III. Quoad nuncios debent eadem observari, quæ dicta sunt de Procuratoribus, a quibus tantum differunt, quod Procuratores repræsentant principales, & eorum nomine contrahant; nuncii autem nude significent voluntatem principalium, quod etiam litteræ agunt. Debent autem nuncii utriusque mittentis significare traditionem, & acceptationem coram Parocho, & testibus dicendo, *Titius misit me, ut suo nomine nunciem tibi, ipsum te velle in uxorem*; & similiter nuncius alterius: sicque erit actuale matrimonium, antequam mittentes id resciant. Denique de revocatione nuncii, vel epistolæ idem dicendum, quod dixi de revocatione procuratoris.

§. II.

An, & quomodo valeat in ratione Sacramenti?

SYLV., Can., Ledef., Reb., Cajet., Vict., & alii negant, matrimonium inter absentes valere in ratione Sacramenti; quia nullum Sacramentum videtur posse ministrari, vel suscipi, nisi Minister, & suscipiens sint sibi præsentes, & universim actio Sacramentalis debet esse personalis: hinc absolutio ad absentem non valet. Sed communior est sententia opposita Inn., Covar., Palud., Scot., Sot., Val., Nav., Ponc., Sanch. l. 2. d. 11., quam Pal. vocat verissimam, & Tan., & Gob. num. 388. temeritatis damnant, qui nunc eam negaret. Ratio efficax est, quia Ecclesia ex dictis absolute, & indefinite dicit, matrimonium Fidelium esse Sacramentum, & illud positive permittit inter absentes: ergo etiam inter hos vult, esse Sacramentum; aliter non permisisset. Neque obstat, quod Trid. velit virum, & mulierem esse prius interrogandos de mutuo consensu; nam neque hæc interrogatio est de essentia, & in ipsis Procuratoribus interrogantur, & respondent principales, quod etiam faciunt per nuncios, & litteras. Quare falsum est assumptum sententiæ oppositæ in Sacramento matrimonii, quod ex speciali ratione habet, ut sequatur naturam contractus, qui fieri etiam potest inter absentes, adeoque nec requirit ex Christi institutione actionem personalem immediate, neque præsentiam inter Ministrum, & suscipientem; neque essentialiter requirit intentionem Ministri virtualem, cum sufficiat habitualis ad valorem contractus inter absentes; nisi vero dicas cum aliis, intentionem principalis per mandatum datum Procuratori tanquam per virtutem propriam tunc operari. Absolutio autem Sacramentalis ex declaratione Ecclesiæ essentialiter requirit verba formalia ipsius Ministri directa ad præsentem; at non sic absolutio a censuris, quæ potest fieri scripto ad absentem, ut quævis alia sententia judicialis.

Hinc, quamvis principalis contrahens non necessario debeat esse in gratia, dum mittit Procuratorem, debet tamen esse in statu gratiæ, dum Procurator actu contrahit, quia tunc conficitur, & suscipitur Sacramentum, etiamsi tunc ipse sit dormiens, &c. Sicuti, si qui dolens, & confessus incidat in lethargum, aut amentiam, & tunc moribundus absolvitur, suscipit Sacramentum, ejusque gratiam, ut omnes fatentur. Procurator autem licite contrahit, etiamsi non sit in gratia, quia non agit nomine suo, nec ipse suscipit Sacramentum. Monet tamen Aversa, ad majorem securitatem, & ad tollendum omne dubium ortum ex opinione contraria, juvare, si postea principales, quando erunt sibi præsentes, iterum privatim repetant mutuum consensum, ut in omni casu perficiatur Sacramentum, & ejus fructus indubitanter percipiatur. Quamvis enim cætera Sacramenta repeti nequeant manente eadem materia; at matrimonium id habet speciale ex eo, quod sit contractus, ejusque naturam, & conditiones retineat, ut possit ea parte, qua contractus est, cæterorum more sæpius repeti: Perez d. 19. s. 13. n. 6. cum aliis.

QUÆSTIO II.

De revalidatione matrimonii alias invalidi.

MATRIMONIUM esse potest invalidum vel ex impedimento dirimente, vel ex defectu consensus. In utroque casu videndum, an, & quomodo sit revalidandum, sed prius expendenda est obligatio revelandi impedimentum.

CAPUT I.

De obligatione revelandi Impedimentum.

IMPEDIMENTUM dirimens sub gravi revelandum est ante matrimonium, ne invalide contrahatur; tum etiam post matrimonium, ne invalide in eo persistatur.

I. Igitur ante matrimonium quicumque extra confessionem illud noverit, etsi sit plane occultum, etsi acceperit sub secreto jurato, tenetur, per se loquendo, revelare ante matrimonium; quia commune bonum, salus proximi, & validitas Sacramenti prævalet cuivis obligationi secreti. Quod verum est, etiamsi tu solus illud noveris; quia, quamvis sic probare non possis, sufficit tamen ad impedimentum, ne contrahatur: Sanch. l. 3. d. 13. cum aliis, ex cap. *Super eo* 22. *de Testib.* contra Gabr., Sa, Ponc., & alios. Idem est, etiamsi illud tantum audieris a fide digno, vel per famam ortam a fide dignis. Similiter teneris, etiamsi præsumere possis revelandum esse ab aliis, nisi de hoc sis omnino certus; quia secus omnes possent excusari, & nullus deferre. Teneris pariter, etiamsi scias, contrahentes procedere bona fide, & impedimentum nunquam prodendum: quod si inde oriretur illis infamia, teneris primo eos privatim admonere, &, si non desistant, teneris monere Parochum: Avers. *de Just.*, Pal., & alii. Quæ omnia etiam militant de impedimento tantum impediente. At, si ex tua delatione grave damnum, aut infamiam tibi, vel alii tertio prudenter timeas, non teneris cum tanto onere: Sanch., Pal., & alii. Item nec teneris, si illud audieris non a fide dignis, vel non recorderis, a quo illud audieris, maxime si impedimentum sit infamatorium; nam, si tale non sit, poteris denunciare, quia sic forte manifestabitur veritas: Sanch., Gutt., & alii. Neque demum teneris, si impetrata sit dispensatio in foro conscientiæ, & impedimentum adhuc sit occultum: secus vero, si sit jam publicatum, quia sic dispensatio illa non prodest: Sanch. d. 14., Pal., & alii.

II. Ipse contrahens, si conscius sit impedimenti, tenetur manifestare, vel desistere a contractu: Doctores communiter. Quare, si contrahere volens interrogetur a Parocho, tenetur illud fateri, quamvis sit occultum, & infamatorium; quia, quamvis nemo etiam interrogatus sub juramento teneatur crimen suum fateri, quando proceditur ad pœnam, nisi adsit semiplena probatio, cum nullus debeat esse primus testis contra seipsum; tamen tenetur, quando proceditur ad impediendum malum, ut est in casu, nisi velit per se illud impedire: Sanch. num. 2. cum communi. Quod si obtinuerit dispensationem in foro conscientiæ, non tenetur fateri, nisi impedimentum aliter probari plane possit: Perez d. 43. s. 7. At, si aliter non posset effugere infamiam, nisi contrahendo, posset ex consilio Confessarii tacere,

& per-

& pergere, juxta dicta d. 1. q. 3. e. 1. §. 2. circa quartam conditionem.

III. Si Parochus, vel Episcopus novit in confessione Sacramentali impedimentum contrahere volentium, tenetur quidem eos monere in confessione, ut revelent, aut desistant; at, si nolint, non potest eos repellere, quia nequit uti scientia confessionis ad actus externos: Perez s. 8. n. 3. Si vero Parochus ex scientia sua privata solus novit extra confessionem, debet negare suam assistentiam sponsis vel publice petentibus conjungi; quia quamvis peccatori occulto publice petenti non possit negari Sacramentum, ne causetur infamia, tamen est aliquid speciale in matrimonio, in quo Ecclesia requirens proclamationes agit per modum judicii externi, in quo Parochus ipse potest esse testis, & tenetur id referre Episcopo. Quod si tunc ab Episcopo cogatur eos conjungere, si id faciat, non peccat; Sanch. d. 15. Pal. & alii. Si autem Episcopus extra confessionem solus noverit, Perez dicit, eum non posse prohibere, ne contrahant, quia est Judex, qui non debet procedere ex scientia privata. Gobat dicit, eum teneri deferre ad suum Superiorem. Sed Con. Avers. & alii probabilius dicunt, posse prohibere, quia hic non agitur in cujuspiam præjudicium, cum sponsis favorabile sit repelli a matrimonio irrito.

IV. Quoad probationem impedimenti ante matrimonium sufficit unus testis juratus de visu, ex cap. *Super eo, de Testib.* vel publica fama orta ex fide dignis: Sanch. l. 1. d. 71. Avers. & alii: non autem unus testis de auditu, aut non juratus: Nav. Gob. & alii. Docet tamen Avers. q. 7. s. 5. in consanguinitate sufficere, si unus testis deponat, se audivisse a majoribus suis saltem duobus, computando distincte ab utraque parte gradus. Denique, si quis denunciet impedimentum occultum, super quo sponsi dispensationem habent in foro conscientiæ, Sanch. l. 3. d. 15. cum aliis dicit, non posse conjungi, quia hoc ipso, quod quis post proclamationes denunciat, censetur, impedimentum esse publicum. Avers. tamen putat, quod, si denunciator secreto tantum modo id dixisset Parocho, qui eum moneret de silentio, & de dispensatione obtenta, posset procedi. Non potest autem Parochus instituere examen de impedimento, sed deferre debet ad Episcopum, qui est Judex jurisdictionis exterioris.

Post matrimonium vero redit eadem obligatio revelandi, juxta dicta ante matrimonium; nisi quod ad dissolvendum matrimonium non sufficit unus testis etiam juratus, ex cap. *Licet, de Consanguin.* quia matrimonium est res gravissima, & valde favorabilis ejus valor.

Hinc, si Confessarius advertat, conjuges bona fide contraxisse cum impedimento dirimente, & adhuc illud ignorare, tenetur per se loquendo eos admonere, ut desistant ab usu, donec revalident, quia tenetur fornicationes etiam materiales impedire. Idem est, si aliud malum inde non timeatur, quam præcise divortium, quod alteruter eorum ægre esset laturus; quia minus malum est tristitia unius, quam continuatio fornicationum materialium; Gobat num. 115. Quod si prævideat, eos desituros quidem ab usu, at non revalidaturos, unde redundaret gravis infamia in alterum, aut in tertium, aut grave incommodum in prolem, posset tacere, & sic permittere, eos in bona fide fornicari materialiter: Gob. n. 57. & 111. Nisi vero tale matrimonium vergeret in grave damnum publicum, quia tunc bonum publicum prævalet privato. Si vero prævideat, eos non desituros ab usu, tenetur tacere, donec obtinuerit secreto dispensationem, & sic curet revalidari; quia melius est permittere peccatum materiale, quam dare occasionem peccati formalis: Avers. q. 21. s. 3. ex c. *Quocirca, de Consanguin.* Neque obstat, quod tales sint ita comparati, ut non desisterent, si rescirent; nam non sunt ita comparati ex actu voluntatis præsenti, vel præterito habitualiter permanente; sed tantum ratione actus conditionate futuri: quare non sunt, sed tantum essent male dispositi, si rescirent. Hinc tenetur Confessarius in casu obligare etiam ad debitum, si forte illud pœnitens neget ex odio, aut quia vovit castitatem, &c. quia tenetur obligare ad peccatum materiale, quando aliter vitari nequit formale: Sanch. Fill. Con. Gob. num. 100. contra Sot. Bonac. & alios.

At, si Confessarius dubitet, an sua admonitio sit profutura? Conferri debent inter se spes, & timor, idque eligendum, quod præponderat: &, si id discerni nequeat, tutius est silere, donec dispens. obtinuerit, vel speret, Pœnitentem disponendum ad audiendam monitionem. Quod si dispensatio brevi obtinenda esset, moneri posset; quia spes magna est, tantisper abstenturum ab usu: Gob. num. 113. Demum, si pœnitens dubius de valore sui matrimonii interroget Confessarium, hic per se loquendo tenetur dicere veritatem; plus tamen non respondeat, quam interrogetur. Si tamen gravissima mala inde imminerent, poterit dissimulare veritatem, aut verbis eludere: Tan. Gobat. num. 66.

CAPUT II.

De revalidatione Matrimonii invalidi ob impedimentum dirimens.

CERTUM est, si mala fide uterque contraxit cum tali impedimento, hoc deinde cessante, renovandum esse utriusque consensum, si velint matrimonium revalidare; quia, cum prior ille utriusque consensus fuerit circa personas inhabiles, nulla ex parte fuit matrimonium. Quæ ratio militat, etiamsi bona fide contraxerint, & postea rescierint; ut docet communis sententia contra Krim. n. 540. Neque dicas, priores illos consensus fuisse extrinsece tantum invalidos, ideoque sublata irritatione juris ecclesiastici, manere veros consensus habitualiter: nam, quamvis ab extrinseco, erant tamen reipsa irriti: ergo, quamvis permaneant habitualiter, nunquam constituent matrimonium: quod enim ab initio est nullum, undecumque sit tale, tempore non convalescit.

Dubium gravissimum est, An, quando unus tantum fit in bona fide, fieri debeat certior de nullitate, itaut etiam ipse de novo libere, atque absolute consentiat? Tres hic sunt celebres sententiæ.

I. Ledesm. & alii dicunt, satis esse, si alter tantum conscius nullitatis de novo consentiat per aliquem actum externum, sive verbis, sive factis: e. g. per copulam affectu maritali habitam; quia tunc alter etiam ignoranter reddens copulam petitam, sufficienter cum priori suo consensu non revocato novum contractum constituit.

II. Sot. Henr. Rodr. Fill. Bonac. & alii asserunt, requiri quidem novum utriusque consensum, sed non opus esse, ut alteri ignoranti indicetur nullitas prioris contractus; cum satis sit, si conjux conscius obtineat ab altero ignaro, ut pro sua consolatione renovet consensum. Rogabit autem sic: *Suspicor, aliqua ex causa te non esse meam, ideoque ob pacem conscientiæ rogo, ut, quantum opus est, de novo habeamus nos pro conjugibus:* ita Nav. Vel sic: *rogo, an ita ames me, ut consentires in maritum accipere, si esses libera?* cumque ambo consentiant: ita Cajet.

III. Sanch. l. 2. d. 36. Ponc. Con. Hurt. Comit. Pal. Tamb. & alii communiter docent, debere alterum certiorari de nullitate, saltem in genere, quod aliquid essentiale defuerit, puta consensus, cum consensus invalidus reipsa non fuerit consensus: atque ita utrumque (si velint efficere matrimonium validum) debere absolute de novo consentire. Ratio est primo, quia, nisi ita fiat, non habetur in conjuge ignorante novus consensus de matrimonio nunc contrahendo, sed solum approbatio primi consensus, seu perseverantia in illo, qui consensus, cum fuerit nullus, matrimonium constituere non potest; ideoque in litteris dispensationis additur, *Altero conjuge certiorato de nullitate prioris matrimonii:* neque satis est, si in suspicionem tantum inducatur, ut ait secunda sententia; quia suspicio affert tantum dubitationem, at non tollit ignorantiam, neque errorem; adeoque, si perseverans in ignorantia prioris invaliditatis de novo consentiat, absolute consentit ex errore. Secundo, quia hic agitur de valore Sacramenti, & oppositæ sententiæ, quamvis probabiles, non quidem sunt certæ, & valor consensus ab Ecclesia suppleri non potest: ergo earum praxis videtur damnata ab Inn. XI. in prop. 1. alibi cit. Ita Card. in 2. cris. diss. 2. n. 669. & consequenter hæc tertia sententia in praxi est sequenda.

Excipe tamen cum Sanch. Pal. Less. Gob. & aliis communiter contra Ponc. Avers. Tamb. & alios, casum extremæ necessitatis: si v. g. vir, seu mulier periclitaretur de vita, aut si esset periculum gravissimi mali; quia tunc necessitas extrema videtur salvare reverentiam Sacramenti; ideoque illam non videtur comprehendere damnatio: in quo casu uti poteris secunda sententia; &, si hæc non expedit, prima: Imo, si aliter fieri non possit, putat Nav. & alii, in tali gravissima necessitate, per actum conjugalem,

quem

quem petit conjux ignorans, censeri posse revalidari matrimonium.

CAPUT III.

De revalidatione Matrimonii invalidi ex defectu consensus.

DEFECTUS hic potest accidere tripliciter, vel quia consensus fuit fictus, vel quia fuit coactus, vel quia fuit suspensus a conditione de futuro.

I. Quoad consensum fictum, certum est, ficte consentientem in matrimonium teneri ad eliciendum verum consensum; quia ex ea fictione damnum provenit alteri vere consentienti, quod damnum per se loquendo non aliter, quam matrimonii revalidatione, reparari potest; secus enim cogeretur alter, vel ingredi Religionem, vel semper manere innuptus, cum ab Ecclesia nunquam credatur ficte alterum consensisse, etiamsi ante contractum protestationem ficti consensus fecerit; prudenter enim contrario facto judicaretur a protestatione recessisse: Ledesm., Ponc., & alii.

Dubium est, An ad revalidandum tale matrimonium sufficiat, si solus deceptor vere consentiat, an etiam requiratur novus consensus ex parte decepti?

D. Th. in 4. d. 29. a. 3. q. 2. ad 2., D. Bonav., Sanch. l. 2. d. 32., Dian., Bonac., Aversf., Tamb., & alii valde probabiliter dicunt, sufficere, si deceptor solus eliciat verum consensum, quia, quamvis in contractibus onerosis, quando inter consensum unius, & alterius intercedit multum temporis, non censeatur permanere consensus primi, sed renovari debeat; non tamen, si sint contractus bonæ fidei, quale est matrimonium, & professio Religiosa; nam, cum conjux vere consentiens semper tractet deceptorem, ut maritum, & Religio, ut Religiosum, censentur permanere in priori consensu, qui fuit semper validus ex parte decepti; ergo satis est, si deceptor de novo consentiat in matrimonium, aut in Religionem, sufficitque, si hic novus consensus sit tantum internus, quia cum illo antiquo sufficienter sensibilis est. Sed Ledesm., Comit., Felin., Ponc., Pal. d. 3. p. 7. cum aliis probabilius docent, requiri novum consensum etiam ex parte decepti; quia tunc is non consentit, nisi sub conditione, quod alter tunc etiam vere consentiret: ergo fuit consensus irritus; tum quia fuit acceptio corporis non traditi, tum quia fuit cum errore substantiali; putavit enim illum habilem, cum jure naturæ erat inhabilis, ob defectum veri consensus: quare opus erit certiorem fieri, ut de novo consentiat; atque ita respondisse Clem. VIII., testantur Comit., Ponc., & alii. Neque obstat paritas professionis Religiosæ, quia Ecclesia supplere potest consensum Religionis, ex cap. *Significatum* 11. *de Regul.*, non tamen consensum contrahentis matrimonium. Hæc sententia est tutior, adeoque in praxi sequenda, cum agatur de consensu, quem supplere nequit Ecclesia; prior vero sententia in casu extremæ necessitatis eligi posset, juxta dicta cap. anteced. Addo, quod, cum prior sententia sit certo probabilis, si juxta eam solus deceptor renovet consensum, non potest deceptus a matrimonio probabiliter valide resilire: quare cogendus est, ut & ipse de novo consentiat, ut sic tollat omnem scrupulum de ejus valore.

II. Quoad consensum coactum eadem est doctrina: nisi quod cessante vi, & metu non tenetur metum passus revalidare; si tamen velit, requiritur utriusque consensus, juxta sententiam tutiorem, quæ, præcisa extrema necessitate, est in praxi sequenda, juxta modo dicta. Quod si metum passus nolens revalidare duxerit aliam, & deinde non potens probare metum cogatur, vel per excommunicationem, vel per mortem ad cohabitandum cum prima; tunc nec excommunicatio obligat in conscientia, & subire debet potius mortem, quam habere copulam cum illa: D. Th., Sanch. l. 2. d. 39. num. 5.

Dubium est, Quid hic agere debeat, si, antequam aliam duxerit, cogatur etiam metu mortis ad habendam copulam cum ea, cum qua coacte contraxit?

Navar., Sylv., Henr., Sanch., Con., Ponc., & alii communiter dicunt, debere subire potius mortem; quia durante vi, & metu nequit matrimonium fieri validum ob tale impedimentum; adeoque esset fornicatio. Sed Palud., Sot., Gabr., & alii cum Aversa q. 4. s. 6. probabiliter dicunt, posse tunc haberi consensum validum, etiamsi coactum, & ita validato matrimonio copulam coactam reddi licitam. Ratio est, quia tale impedimentum est tantum juris ecclesiastici, juxta alibi dicta, & rursus est in favorem metum passi; atqui durum esset dicere, per positivam dispositionem Ecclesiæ hominem constitui in casu, ut vel mori debeat, vel peccare ob impedimentum in ejus favorem positum: ergo dicendum, quod in tali casu Ecclesia permittat, ut metum patiens cedat juri suo, & valide consentiat: *Quod enim in favorem alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, ex *Reg. 6. in 6.*, quæ sententia, cum sit probabilis, & circa id, quod suppleri potest ab Ecclesia, non videtur in praxi rejicienda: non sic autem, si adsit aliud impedimentum, quod in favorem metum passi non est positum, ut communiter docet Aversf. q. 11. s. 3. contra Host., Henr., & alios. Illud tamen noto cum Gob. num. 160., quod, si tantum cogatur cohabitare, etiamsi adsit periculum patiendi tactus conjugales, si tamen non adsit periculum approbandi illos, non posset per consensum coactum validare matrimonium, quia licite posset sic cohabitare.

III. Quoad consensum conditionatum per verba quidem de præsenti, sed suspensum a conditione futura honesta: puta, *Ex nunc accipio te in uxorem, si tuus pater consenserit*; vel, *Si Papa dispensaverit*; duplex est sententia. Abb., Inn., Host., Sanch., Per., Gob., & alii communiter dicunt, adveniente conditione, non requiri novum consensum, sed statim priorem consensum per se transire in absolutum, & sic perfici matrimonium, etiam ipsis conditionem jam purificatam ignorantibus; quia cæteri contractus conditionati posita conditione statim fiunt absoluti absque novo consensu, uti constat ex jure apud Aversam; nec aliud videtur disposuisse Ecclesia circa contractum matrimonii: neque hinc infertur, Sacramentum suspendi; nam tunc diceretur suspendi, quando posita materia, & forma maneret suspensus ejus effectus a conditione: at in casu per illum consensum conditionatum nondum perfecte posita est materia, & forma, sed ponitur per ipsam conditionem, quæ complet, & perficit consensum in esse absoluto, ut notat Perez d. 16. s. 13. num. 10. Unde inferunt, quod, si vir e. g. pendente conditione contrahat absolute cum alia, valide, quamvis illicite, contrahit: si sub conditione duxerit duas, cum illa valebit, cum qua conditio prius implebitur: si demum conditio simul impleatur, neutrum valet, inquit Sanch., quia unum destruit alterum.

Sed Ponc. l. 3. cap. 13., Busemb. cap. 2. d. 1. citans D. Th., & alios dicunt, purificata conditione requiri novum consensum, ut valeat matrimonium; quia contractus ille conditionatus, quamvis oretenus de præsenti, non est revera consensus matrimonii de præsenti, sed sponsalium de futuro, ut eruitur ex cap. 5. *Super eo*, *de Condit. apposit.*, ergo est necessarius novus consensus de præsenti: quod a fortiori dicunt Inn., Rosel., Vict., Sot., Lug., Aversf., & alii, si conditio sit *Si Papa dispensaverit*; quia sic ob impedimentum præsens consensus de præsenti erit omnino nullus. Quidquid sit de probabilitate speculativa, quam majorem reputo in priori sententia: in praxi tamen videtur posterior sequenda, utpote certo tuta; cum simus in valore consensus, qui suppleri nequit ab Ecclesia, si forte prior sententia sit falsa, juxta dicta c. 2.

CAPUT IV.

An ad revalidandum Matrimonium invalidum requiratur iterum assistentia Parochi, & Testium?

CERTUM est, ita revalidandum, si fuerit invalidum ex defectu aliquo essentiali clandestinitatis, ex dictis d. t. q. 2. c. 13. Loquimur ergo hic de revalidando matrimonio jam olim invalide contracto coram Parocho, & testibus, sive ob impedimentum dirimens, sive ex defectu consensus. Qua in re Gutt., Comit., Lugo, Ponc. & alii respondent affirmative, præsertim ex responso Clem. VIII. ex Bulla Cruciatæ apud eundem Poncium, & decisiones Rotæ apud Farinac.: idem dicunt Con., & Pet. d. 16. s. 5. de matrimonio contracto sub conditione de futuro, quia Parochus, & testes debent esse testes contractus externi, non modo inchoati, sed absoluti, & perfecti.

Oppositum tamen docent communiter Doctores apud Pal. d. 3. p. 7. §. 3., ubi dicit, esse in conscientia securum; & alii multi, esse moraliter certum, & Carden. in 2. *Crisi* d. 2. num. 667. ait, Pontifices, & Cardinales decla-

declarasse, sic esse faciendum; præsertim Pium V., & S. Pœnitentiariam ea declaratione frequenter uti; per quæ respondetur ad declarationes allatas a Ponc., & Farinac. Ratio communis sententiæ est, quia per assistentiam Parochi, & testium priori contractui jam satisfactum est decreto Trid., ejusque fini, qui est, ut vitentur scandala, aliaque mala nascentia ex clandestinis matrimoniis, quæ, certum est, non nasci, quando matrimonium semel fuit contractum in facie Ecclesiæ.

Hæc secunda sententia communis est certo probabilis, & tuta in praxi; quia juxta regulam sæpe datam, si forte vera non esset, Ecclesia, cum possit, pro tali casu dispensat, sive supplet assistentiam Parochi, & testium. Quod extendit Sanch., Cort., & alii contra alios, etiamsi in rescripto dispensationis expresse ponatur, ut inter se *Publice*, *servata forma Trid.* contrahant; quia plus non videtur velle Pontifex, quam ut semel sit factum publice, & juxta formam Trid., sive prima, sive secunda vice.

Excipe, si impedimentum esset ita publicum, ut plene probari posset duobus testibus omni exceptione majoribus, quia, cum tale matrimonium ad petitionem unius partis dissolvi possit, jam non constat Ecclesiæ firmiter de ejus valore; ac proinde, ut Ecclesiæ sic constet, necesse est, ut iterum coram Parocho, & testibus renovetur: Sanch. l. 2. d. 37. cum communi: idem est, si sit prudens judicium, quod impedimentum aliquando innotescat; quia, si postea erumpat in publicum, conjuges censentur ab Ecclesia invalide contraxisse, & proles in foro externo habeatur illegitimæ: Sanch. ibid. cum communi.

Excipit secundo Sanch. num. 10. in casu, quo Parochus, vel unus testis sciens impedimentum adstitit priori contractui, quia sic ejus valor non bene constaret Ecclesiæ, cui in tantum constat, in quantum constat Parocho & testibus: sed in hoc contradicunt Con., Tamb., Gob., Pal.; & alii, quia ex scientia, & testimonio unius matrimonium contractum dissolvi non potest, adeoque semper constabit Ecclesiæ ejus valor. Idem dic cum eodem Sanch. n. 11., si duo, vel tres sciant impedimentum ex relatione conjugis, quia sic eorum testimonium non plus præstat, quam confessio ipsius conjugis: & idem est, si impedimentum deductum sit in forum contentiosum, sed non sit ibi probatum, nec probari plane possit; quia in his casibus Ecclesia judicare debet pro valore matrimonii, adeoque revalidari poterit privatim sine Parocho, & testibus.

QUÆSTIO III.

De Indissolubilitate Matrimonii.

Videnda est Indissolubilitas matrimonii, tum Consummati inter Fideles, tum Rati tantum inter eosdem, tum demum Legitimi inter Infideles, & in lege veteri.

CAPUT I.

De Indissolubilitate Matrimonii consummati.

Matrimonium dicitur consummatum per copulam perfectam conjugalem, ex cap. *Veniens, de Sponsal.*, etiamsi uxor nolens vi opprimatur a marito, quia sic etiam vere fiunt una caro repræsentans unionem Christi cum Ecclesia, quoad substantiam, si minus quoad circumstantiam voluntarii: Doctores communiter. Debet tamen esse copula perfecta, juxta dicta d. 1. q. 2. c. 11. Nec satis est copula ante matrimonium, etiamsi per eam suscepta sit proles; quia ea non est conjugalis, sed fornicaria; nisi vero per eam constituatur matrimonium præsumptum, juxta dicta d. 2. q. 2. c. 2. Conjugibus autem jurantibus, se non consummasse matrimonium, non est fides habenda in judicio, nisi adsint alia indicia: quod si alter affirmet, alter neget, potius credendum est affirmanti; quia standum est pro favore matrimonii: Sanch. l. 7. d. 109.

His notatis, de fide est, matrimonium consummatum fidelium esse omnino indissolubile, uti constat ex Flor., & Trident., quia perfecte significat indivisibilem conjunctionem Christi cum Ecclesia. Errant ergo Græci, qui adhoc sustinent, dissolvi posse in casu adulterii, teste Arcud. l. 7. c. 6. Sola autem morte dissolvitur; unde, si unus conjugum antea mortuus resurgeret, non amplius essent conjuges; & si esse vellent, de novo esset contrahendum: D. Thom. ex 1. Cor. 7. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si dormierit vir ejus, liberata est*. Hinc, si post matrimonium consummatum unus conjugum, inscio, vel invito altero, profiteatur in aliqua Religione, professio est nulla; adeoque etiam non quæsitus redire debet ad reddendum debitum, non autem ad petendum; & post ejus mortem tenetur ad continentiam, ex cap. *Quidam*, & cap. *Placet, de Convers. conjug.*; at non tenetur regredi in Religionem, neque ad paupertatem, aut obedientiam, quia in illis juribus solum de voto castitatis fit mentio: Suarez., Per., d. 8. s. 3. (excipe matrimonium coacte consummatum ante bimestre, de quo cap. seq.) Si vero sine consensu alterius ascendat ad Sacros Ordines, non tenetur redire, nisi quæsitus, ad reddendum, manetque perpetuo suspensus, & irregularis, ex *Extrav. antiqua de voto*.

Si unus conjugum post matrimonium consummatum commisit adulterium, etiamsi certum, & notorium, non potest alter propria auctoritate, eo invito, licite profiteri in aliqua Religione, vel Sacris initiari; utrumque autem valide faceret, eo quod adulter amisit jus cohabitandi: si tamen hic petat, tenetur ille reddere, antequam probetur adulterium, & detur sententia divortii: Sanch. l. 10. d. 11. cum communi. At, si alterutrum statum elegerit post hanc sententiam, licite, & valide eliget invito altero, neque adeo poterit reddere ei debitum, & conjux adulter sine ullo voto manet in seculo ligatus matrimonio, quamdiu ille vivit, & eo mortuo inire potest aliud matrimonium: Averf. q. 23. f. 8. Si autem post consummatum matrimonium velint mutuo consensu mutare statum, possunt per se valide, modo consensus sit liber, & non per vim, aut dolum; &, ut etiam licite, requiritur saltem ex consuetudine consensus Episcopi, & sic nec habere copulam, nec poterunt amplius cohabitare, quamvis adhuc maneant conjuges, itaut, si habuerint invicem copulam, non sint fornicarii; &, si habueriot cum aliis, sint adulteri.

Itaque, ut vir de consensu uxoris post consummatum matrimonium ascendat ad Sacros Ordines, debet prius uxor profiteri in aliqua Religione; vel, si sit senex (puta 50. ann.) aut ex prudenti arbitrio Episcopi non sit de incontinentia suspecta, debet vovere in sæculo castitatem perpetuam: quod votum habet hoc speciale, ut dirimat matrimonium, quod ipsa contraheret post mortem viri ordinati; imo, etiamsi ea tale votum non emiserit, vel id ignoraverit; quia hoc impedimentum habetur ex constitutione Ecclesiæ, cap. *Quia sunt*, & cap. *Si se* d. 28. Sanch. l. 7. d. 40. cum communi contra Sot., & Ponc. Ut autem vir ad Episcopatum ascendat, debet uxor omnino, profiteri in alia Religione, cap. *Sane, de Convers. Conjug.*; idemque dicit Perez, si vir promoveatur ad Cardinalatum. Potest item unus conjugum post consummatum matrimonium ingredi de licentia alterius Religionem; quæ tamen licentia potest, per se loquendo, revocari ante professionem; quia præsumitur data ad probandum, an sibi expediat perpetuo ab illo separari per professionem: Perez d. 18. f. 1., &, si ingressus fuit sine ejus licentia, si tamen hæc deinde habeatur, Novitiatus valeat: Perez ibid.

Ut autem is profiteatur, debet conjux, qui dedit licentiam, etiam ingredi Religionem (quæ satis est, si sit S. Joannis, vel S. Jacobi: Ponc., Pal. contra Sanch.) animo ibi profitendi; vel, si sit senex, puta mulier 50., vir 60. annorum, aut ex prudenti arbitrio Episcopi, nec sit suspicio incontinentiæ, debet vovere in seculo castitatem perpetuam, cap. *Cum sis*, *de Convers. Conjug.*; quamvis probabile sit, hoc voto non dirimi matrimonium contrahendum post mortem alterius conjugis professi, cum non sit ita expressum in jure, ut in casu antecedenti: Sanch., Ponc., Pal., & alii contra D. Bonavent., Gabr., Palud., Henr., & alios. Si tamen conjux, qui dedit licentiam, non emiserit hoc votum in sæculo, nec ingressa sit Religionem, vel inde exierit; invalida est alterius professio in Societate Jesu, in qua matrimonium consummatum est impedimentum dirimens, nisi cum licentia uxoris adsint cætera juris requisita: Suar., Per. f. 4. num. 13. In reliquis autem Religionibus valet ea professio, ex cap. *Ex parte eod. tit.*, quamvis sit illicita, utpote contra reliqua juris requisita: quare, si conjux manens in sæculo non vovit ex ignorantia, revocandus est Professus ad reddendum debi-

tum usque ad ejus mortem: Suar., Perez, Si non vovit ex malitia, non est revocandus professus: Sanch. l. 7. d. 32.

CAPUT II.

De Indissolubilitate matrimonii rati.

MATRIMONIUM ratum inter fideles dissolvi non potest mutuo tonsensu, ut est certum ex Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet:* neque per supervenientem impotentiam perpetuam, ex Can. *Hi, qui* 31. q. 7., neque demum per susteptionem Ordinis Sacri, ex expressa declaratione Joan. XXII. in Extravag. *Antiqua de Voto*. Videndum, an dissolvatur per professionem Religiosam, & an per dispensationem Pontificis?

I. De fide est, ex Trid. *sess.* 24. *can. 6.* pee professionem Religiosam dissolvi matrimonium ratum. Non quod proscssio ex natura sua hanc vim habeat, nt dicunt D. Th., Bell., Due., & alii, quia ea per se posset consistere eum matrimonio rato, nti consistit ex dictis eum consummato; neque hanc vim habet ex instiiutione Christi, ut dicnnt Gutt., Ponc., & alii, qnia solemnitas professionis ex jure Ecclesiastico est introducta, jnxta alibi dicta. Habet ergo hanc vim immediate ex auctoritate Pontificis a Christo accepta, ut ex traditione a tempore Apostolorum colligunt complures cum Pal. d. 3. p. 11. §. 4. n. 5.

Itaque unus conjugum ante consummationem matrimonii potest inscio, vel invito altero ad Religionem transire, & proscssionem emittere, quatumque ex causa id faciat; quia utitur jure suo; quod verum est, etiamsi ante matrimonium habuerint eopulam, quia, ex dictis, neque sic habetur matrimonium tonsummatum: Santh. l. 2. d. 21., Hurt., Tamb., & alii. Tempore autem novitiatus non dissolvitur matrimonium ratum; quia jura soli professioni id concedunt: hac ergo emissa in Religione approbata, juxta dicta d. 1. q. 2. c. 3., conjux remaheus in sæculo est omnino liber; & potest alind matrimonium inire, & similitee conjux jam professus, si ex dispensatiooe Pontificis egrederetur e Religione: Leand. d. 5. q. 10. Quare, si conjux ingrediens Religionem, professionem procrastinet, debet per Judicem Ecclesiasticum præscribi ei terminus peremptorius, ut statim profiteatur, vel ad eonjugium redeat: Sanch. d. 24.

Quamvis vota simplicia Seholasticorum, & Coadjutorum Formatotum Societatis Jesu sint impedimentum dirimens matrimouii contrahendi, juxta alibi dicta; at non dissolvunt matrimoninm ratum antecedens; quia hæc vii ex Trid. eit. solum inest solemni professioni: Suar., Vasq., Sanch., & alii communitee contra Pont. Hinc S. Ignat. Coadiutori, qui e matrimonio rato transiit ad Societatem, concessit solemnem professionem; quæ quidem concedenda est statim post annum novitiatus requisitum a Trid., ne conjux manens in sæculo cogatur expectare usque ad professionem tamdiu apud nos dilatam.

. Quæres, Quid ditendum de bimestri concesso conjugibus ad deliberandum de Religionis ingressu?

Respondeo, Ex cap. *Ex publico, de Convers. Conjug.* concedi hoc bimestre numerandum a momento contractus mattimonialis secundum dies illos mensium, qui occnrrunt eo tempore, ut notat Sanch. num. 13.; quo tempore neuter obligetue reddere debitum alteri etiam enixe petenti, ne seilicet fiat ineptus ad Religionem. Quod, si per vim opprimatur ab altero intra hot bimestre, adbuc poterit eo instio, vel invito, ad Religionem transire, & profiteri, quia sie opprimens tenetur consentire, quamvis tunc non dissolveretur matrimonium, cum jam fuerit consummatum juxta dicta: Sanch. d. 22. Ponc., Hurt., Aversf., Tamb., & alii contra S. Anton., & Sot. Denique hoc himestre ex causa urgtnti coarctari, vel prorogari potest a Judice: Doctores communiter.

II. Quoad dispensationem Pontifieis, Scot., D. Bonav., Covar., Torrecr., Gutt., Pal., Ponc., & alii negant. Sed 60. gravissimi Doctores cum Sanch. d. 14., & aliis affirmant, quod matrimonium ratum, si adsit justa eausa, possit ex concessione divina dissolvi per dispensationem Pontificiam, & probant præsertim a posteriori; leguntur enim sapientissimi Pontifices decem sic dispensasse, teste Pignat. t. 1. cons. 148. Et Henr. refert Greg. XIII. una die tredetim dispensationes dedisse de hae re; qnis autem audeat dicere; eas invalide, vel illicite esse datas? ergo, &c. Quare potest Pontifex in hot dispensare, etiam altero conjugum invito; sicut altero invito potest unus in Religiooe profiteri: Medin., Aversf., Tamhur. Causa autem dispensandi debet esse gravis, puta si gravia damna, vel perpetuæ discordiæ inter conjuges, conjunctosque prudenter timeantur, si alteri superveniat lepra incurabilis, si sit perpetuo sterilis, & similia: Sanch. l. 2. d. 15. addens, non esse causam sufficientem, nt vie promoveatur ad Episcopatum, nisi id valde necessarium esset ad bonum commune: sine causa autem invalida est hæc dispensatio, quia est dispensatio in lege positiva divioa.

CAPUT III.

De Indissolubilitate matrimonii legitimi.

MATRIMONIUM legitimum infidelium esse jure naturæ indissolubile, docet D. Th., quem sequuntur Vasq., Bell., Reb., Ponc., & alii contra Sanch., Con., & alios, quia jure naturæ est illititus concubitus vagus, utpote repugnans honestæ successioni, & educationi prolis; &, licet aliquando hoc incommodum abesse possit, sive ob sterilitatem unius, sive quia aliter proli sit provisum, hot tamen est per accidens, ad quod natura non respicit. Hinc dissolvi nequit tale matrimonium mutuo consensu contrahentium; quia huic potestati resignarunt consentiendo in matrimonium, quod ex natura sua exigebat perpetuam vitæ sotietatem. Neque a Principe sæculari, cui Deus nullibi legitur, hanc potestatem dedisse. Neque ab Ecclesia, cui infideles noo sunt subjecti. Quod autem olim Judæi suum matrimonium dissolvebant dando libellum repudii, fuit ex speciali eoncessione divina: *Deuteron.* 24., quæ nunc cessavit cum eornm lege: Sanch. l. 10. d. 1. Itaque, si unus conjugum infidelium convertatur ad Fidem, matrimonium, sive fuerit, sive nondum fuerit consummatum, per se loquendo, non dissolvitur per meram nnius conversionem, ut ostendunt illa verba 1. Cor. 7. *Mulier infidelis sanctificata est per virum fidelem*, in quibus pro ratione negatæ dissolutionis affertur spes conversioois alterius: Hurt., Pal., Tamb., & alii contra Aversf., Barbos., & alios. Quare nec potest auctoritate Pontificis dissolvi, ut fert communis sententia contra Navar., & Santh. l. 7. d. 74. docentem probabiliter, quod, licet in primitiva Ecclesia licitum fuerit sit cohabitare, non tamen nunc litet ex præcepto Ecclesiæ; ideoque verificatur dictum Apost. Quod si quis io infidelitate habebat plures simul uxores, & primam, vel secundam repudiasses, & baberet in præsenti tertiam, vel quartam, post conversiooem deberet primam retinere, etiamsi cum illa nondum coosummasset, & consummasset cum aliis, ex cap. *Gaudemus, de Divort.*

In tribns autem casibus, ex eod. cap., dissolvi potest tale matrimonium, etiamsi in iofidelitate consummatum, idque ex dispositione divina, ex 1. Cor. 7. *Quod, si infidelis discedit, discedat; non enim servituti* (hoc est ligamini conjugali) *subjectus est frater, aut soror* (intellige fideles) *in hujusmodi*.

I. Si conjux infidelis nolit cohabitare eum conjoge converso, prætise quia conversus est ad Fidem. Unde, si ex alia causa nollet: v. g. quia conversus ante, vel post eonversionem commisisset adulterium, nou ideo solvi posset vinculum matrimonii.

II. Si infidelis velit quidem cohabitare, sed non sine-injuria Creatoris, quia nempe blasphemat Christum, spernit Fidem, verum Dei cultum impedit, pergit usurpare superstitiones infidelium, &t.; quia sic etiam discedit moraliter.

III. Si ex ejus cohabitatione immineat periculom perversionis, sive quia tentet conversum itetum pervertere, aut saltem ad quodvis aliud peccatum; aut verum Dei eultum prohibeat, aut familiam forte se convertere volentem quoquo modo impediat, ex eadem ratione.

Quæres primo, An in his casibus statim dissolvatue matrimonium pee ipsum Baptismum Conversi?

Respondco cum D. Th., Con., Sanch., Ponc., & aliis commnniter eontra Rodr., & alios, non statim, sed quando ipse conjux conversus init novum matrimonium cum alio; quia debet prius infidelis moneri, & interrogari, an velit converti, vel pacifice cohabitare sine injuria Creatoris, aut scandalo: nisi aliunde constet, ipsum his nolle acquiescere; vel nisi sit in loco remotissimo, unde non possit resciri ejus voluntas, quia sic præsumitur nolle. Itaque, si constet, illum nolle,

nolle, potest conversus per se aliud matrimonium inire, quia Christus hoc privilegium concedens non requisivit sententiam Judicis; si solum præsumitur, valide quidem fidelis init novum matrimonium; sed, ut etiam licite ineat, videtur ex Greg. XIII. ap. Pignat. t. 4. consf. 189. requiri dispensatio Pontificis. Post tale matrimonium fidelis potest etiam conjux infidelis aliud matrimonium inire; eique restituenda est dos, cujus saltem fructus debent esse ad ejus sustentationem: Pignat. t. 8. consf. 100. Antea vero non poterat infidelis aliam ducere, quia nondum solutum erat vinculum, manebat tamen suspensum: unde nec tenebatur conjux conversus cum eo habitare, nisi forte & ille interim converteretur; quia tunc deberet eorum matrimonium continuari, cum fieret per baptismum utriusque indissolubile, non aliter, ac matrimonium fidelium, ex cap. *Quanto*, *de Divort. Glos. l. fin.* maxime, si renovarent consensum, ut moris est, coram Parocho, & testibus.

Quæres secundo, An in tribus prædictis casibus dissolvatur matrimonium etiam per susceptionem Sacri Ordinis, vel per professionem Religiosam conjugis conversi?

Respondeo eum communi contra aliquot, non dissolvi per susceptionem Ordinis; quia neque per Ecclesiam, neque per Patres audivimus, hoc privilegium Ordini Sacro esse concessum. Quoad professionem Religiosam, affirmant Sanch. cum Henr. & aliis; quia professio dissolvit matrimonium ratum fidelium, quod est Sacramentum, adeoque fortior vinculum, quam sit matrimonium infidelium consummatum (de hoc enim loquimur; nam, si non sit adhuc consummatum, certum est dissolvi) si enim vincam vincentem te, a fortiori vincam te, ut ait axioma, l. *de Accusat. ff. de Præscript.* Sed negat Pal. Con. Ponc. Hurt. & alii; quia nullibi reperitur a Christo concessum, ut professio dissolvat aliquod matrimonium consummatum; & axioma loquitur de iis, quæ accidunt jure naturali, & ordinario; non vero de iis, quæ pendent ab jure positivo, & extraordinario, ut est in casu. Conveniunt tamen omnes, quod, si deinde alter infidelis convertatur, non erit huic ille professus, aut sacrit initiatus restituendus; sicuti diximus in casu professi, vel ordinati post sententiam divortii; quare hic alter manebit cælebs juxta sententiam Pal. juxta vero sententiam Sanch. poterit aliud matrimonium inire.

DISPUTATIO IV.

De Debito Conjugali.

Debitum conjugale est ad copulam, quæ licita est inter conjuges, & debita, sertque secum cohabitationem, &c. De his breviter.

QUÆSTIO I.

De Copula Conjugali licita.

Copula conjugalis per se loquendo licita est, &, si fiat ex recto fine, etiam meritoria. Per accidens autem esse potest illicita, vel ratione actus interni, vel ratione actus externi, vel ratione circumstantiarum.

CAPUT I.

Quomodo copula conjugalis evadat illicita ratione actus interni?

Actus internus vitians copulam conjugalem potest esse, vel mala fides, vel prava intentio, aliave voluntatis dispositio.

§. I.

Quid ex mala Conjugum fide?

I. Si uterque mala fide contraxit matrimonium, neuter potest petere, nec reddere; quia per malam fidem nequit inchoari legitima possessio: Sanch. l. 2. d. 41. Contrahitur autem mala fide matrimonium, si contrahitur cum dubio de ejus valore: e. g. si dubitent de impedimento impotentiæ, & non adhibita morali diligentia ad deponendum dubium contrahant, contrahunt mala fide: At, si post adhibitam moralem diligentiam adhuc dubium perseveret, bona fide contrahunt; quia practice illud deponunt ex eo, quod stat possessio, & præsumptio pro potentia, dum contrarium non constet. Similiter, si dubitent, an unquam fuerit aliud impedimentum, post dictam diligentiam practice dubium deponunt ex eo, quod stet in possessione libertas, & a fortiori, si probabile sit, illud non fuisse. Similiter, si dubitent de valore dispensationis certo jam obtentæ, quia stat possessio pro dispensatione, & cessatione impedimenti: Pal. d. 3. p. 4. §. 9. cum aliis. At si constet impedimentum; & dubium sit, an cessaverit, quod dubium etiam post dictam diligentiam perseveret, mala fide contrahunt, quia stat possessio pro impedimento: e. g. si dubitent de morte prioris conjugis, & adhibita morali diligentia dubium perseveret, mala fide contrahunt secundum matrimonium, quia ad deponendum practice hoc dubium requiritur moralis certitudo talis mortis, ex c. *Dominus, de secund. nupt.* & c. *In præsentia, de Sponf. & Matrim.* quare nec satis est sola probabilitas mortis, quia est in certa possessione prior conjux, qua spoliari nequit per meram opinionem probabilem: Pal. nom. 4.

II. Si unus tantum conjugum contraxit mala fide, nisi certo sciat, matrimonium fuisse nullum, potest reddere alteri, utpote possessori bonæ fidei; maxime, cum hic certo moraliter putet, matrimonium fuisse validum, cui certitudini dubium, vel opinio illius præferri non debet Pal. n. 2. cum aliis, ex c. *Dominus* citato. Ipse autem nunquam potest petere, utpote possessor malæ fidei; nisi vero certo deinde rescierit, matrimonium fuisse validum, puta, priorem conjugem jam obiisse tum, cum secundum matrimonium mala fide contrahebat: quia fic, & fuit in se validum, & per hanc scientiam mala fides cessat: Averf. Mastr. & alii contra Ponc. Marcant. & alios.

III. Si post matrimonium bona fide contractum, superveniat utrique conjugi dubium de ejus valore, ante moralem diligentiam ad illud deponendum peccant petendo, aut reddendo: quia sic æquiparantur possessoribus malæ fidei: si vero post eam diligentiam adhuc dubium perseveret, non peccant: quia in dubio invincibili possidet matrimonium bona fide contractum: Sanch. l. 2. d. 41. cum plurimis contra complures alios. Neque obstat certa possessio v. g. valoris primi matrimonii; nam possessio juris pro licito usu secundi matrimonii non fundatur necessario in positiva probabilitate de ejus valore, ut eruitur ex cap. citat. sed in ipso prout bona fide inito, ejusque existimato valore. Hinc a fortiori possunt licite, & petere, & reddere, etiamsi tantum probabiliter putent, matrimonium fuisse validum, quia supposita jam possessione bonæ fidei, possunt in ejus usu sequi opinionem probabilem, etsi opposita esset probabilior: Averf. 42. s. 2. Neque demum obstat paritas dubii supervenientis circa valorem Ordinis, quod vinci nequit per solam probabilitatem valoris. Nam ordinatio, si forte non fuit valida, per nullam opinionem probabilem fit valida; ideoque nequis ex tali opinione celebrare, ne exponas Sacramentum periculo nullitatis. At in casu nostro, si forte matrimonium non fuerit validum, tantum habebetur fornicatio materialis, quæ licita est, cum adest opinio probabilit de ejus valore: Satis autem probabilitopinio est, in dubio supervenientis bonæ fidei manere possessionem pro validitate, ut videtur decisum cap. *Laudabilem, de Frig. & Malef.* ubi in dubio impotentiæ conceditur triennium experientiæ, juxta dicta d. 1. q. 2. c. 11. §. 3.

IV. Si uni tantum conjugum superveniat dubium, de rigore non tenetur illud aperire alteri, ut eum avertat a petitione, sed poterit ei reddere, utpote possessori bonæ fidei, post bimestre tamen; nam ante alter non habet jus petendi: Sanch. l. 2. d. 41. num. 8. &, si post moralem diligentiam dubium suum vincere non possit, potest & ipse petere, quia sic est dubium invincibile, & matrimonium bona fide contractum est in possessione: Sanch. Bon. Less. Bos. & alii, etsi in oppositum citentur D. Th. D. Bon. & alii. Similiter potest reddere, etsi probabiliter putet, matrimonium esse nullum, quia possessio stat pro jure petentis; &, si post moralem diligentiam non possit habere veritatem, poterit & ipse petere. Neque obstat cap. *Inquisitioni, de Sentent. Excomm.* ubi dicitur, *Quod in credulitate probabili debitum reddere potest, sed postulare non debet*; nam loquitur ante de-

te debitam diligentiam, post quam remanet ignorantia invincibilis, & possessio stat pro matrimonio bona fide contracto.

§. II.

Quid ex prava voluntatis dispositione?

NOTO, finem copulæ conjogalis primum esse procreationem prolis, sum remedium coocupiscenciæ, tum debitum reddendum, tum etiam sanitatem procurandam. Saiis autem est, si conjuges ab initio matrimonii virtnaliter, & implicite hos fines intenderint, nec in ipso actu copulæ intentionem oppositam habeant. Quare, si hæc exercearur v. g. solum ob sanitatem corporis, quamvis D. Th. putet, esse veniale, alii plures probabiliut negant apud Avers. q. 21. s. 4.; quia sic neque excluditnr finit primarius. Si autem exprtsse optene, non suscipere ex ea prolem, est veniale, nisi cohonestetue hæc intentio ratione paupertatis, vel alio fine honesto: Tambur., & alii. Si antem habeaiur talis copula ob solam ejus voluptatem sistendo in ista, est illicita, ex prop. 9. damnata ab Innoc. XI., venialiter tamen, quia aliqna inordinatio est velle sistere in eo, quod Deus, & natura voluit tanquam medium ad finem: D. August., D. Th., & alii communiter. At, si ea exerceatur cum delectatione morosa de copula aliena, vel cum priori conjuge, vel turpiter optando, se non esse conjuget, &c. mortale est, quia sic tenditur in objectum graviter vetitum. Si antem imaginatio, & delectatio versetur circa pulchritudinem aliquam idealem, idque ob honestum finem se excitandi ad debitam copulam, vel ut proles formosioe concipiatur, pee se loquendo, nullum saltem moetale agnoscit Sanch. l. 9. d. 17.; fatetur tamen, rem esse perieulosam, potiusque præponendas imagines pulchras, modo non sine sacræ; nam has adhibere foret gravis irreverentia. Si vero uxor, dum vie congreditur, alin cogitationem avertat eo fine, ut sua natura non excitetur ad seminandum, Præpos. eum Tambur., & aliis dicit, non esse mortale; quia ejus semen ex communiori sententia non est necessarium ad generationem, & obligationi suæ satisfacie præstando viro usum sui corporis.

Estra copulam vero conjugem murose delectari de illa prous habita, vel habenda, mortale dicunt Nav., Sylv., Sa, Rodr., & alii, si tunc non sit occasio copolæ, vel voluntas habendi illam; qnia hæc delectatio non est conjugi licita, nisi in ordine ad copulam, quam tunc habere non vult, vel non potest. Cootradicunt S. Th., Anton., Cajet., Suar., Laym., Sanch., & alii plurimi (dummodo absit periculum pollutionis, & dummodo non adsit vntum eastitatis) quia, quamvis non sit tunc possibilis copula, aut non sit actu volita, est tamen ea delectatio per se ordinata ad illam in præsenti licitam; est autem veniale ob aliquam inordinationem, vel saltem ob defectum justi finis: Avers. q. 21. s. 8. Viduis antem graviter illicita esl talis delectatio de copula præterita (sicuti sponsis de copula futura) qnia per se hæc delectatin est inchoatio copulæ actualis, quæ utrisque est illicita: Navar., Snat., Sanch. l. 9. d. 47.

CAPUT II.

Quomodo sit illicita ratione actus externi?

NECESSITAS doctrinæ cogit, aliqua hic notate pueis conscientiis molesta, sed *Omnia munda mundis*, inquit Apost. ad Tit. 1. Igitue actus conjugum externi esse possone, vel extra copulam, vel in ipsa copula.

§. I.

Quid extra copulam?

I. OSCULA, amplexus, aspectus, aliive tactus alias turpet, & inhonesti, si fiant inter conjuges ob voluptatem, sine animo habendi copulam, vel quando ea haberi nequeat, D. Anton., Sylv., & alii dicunt, esse per se mortale, quia non cohonestantur a fine, qui est copula conjugalis. Sed melius contradicont Sanch. l. 9. d. 44., Con.; Hurt., Pal., & alii, quia, quamvis non cohonestentur a fine operaotium, at cohonestantur ab ipso statu matrimoniali, qui tribuens jus ad copulam tribuit consequenter jus ad media, quæ pee se ad illam ordinantur, quamvit actu ad illam non ordinentur. Itaque, si non sit periculum pollutionis, tantum sunt venialia, si fiant ob solam voluptatem juxta dicenda §. 2. Si autem prævideatur secutura pollutio, sunt mortalia, ut patet: imo, etiamsi tautum prævideatur distillatio, quæ, etsi non sit semen, esl tamen ejus inchoatio: Croix n. 344. eum aliis contra Sanch., Dian., & alios. Oscula autem verendorum, eorumve immissiones in os alterius, non excusantur a mortali a Palud., Sylv., Rodr., & aliis, ob notabilem indecentiam; excusantur tamen a Filliuc., Dian., & aliis ap. Mendo num. 135., quia sunt meri tactus, quos a mortali videtur eximere status matrimonialis. In praxi insiouandam reor priorem sententiam, ne usus matrimonii declinet in abusum.

II. Si unus coojugum seipsum tangat ob voluptatem, sine animo habendi copulam, vel quando ea haberi nequeat, S. Anton., Sylv., Navar., Armil., Dian., & alii dicunt, esse mortale, quia conjux solum habet jus sic utendi corpore suo in ordine ad copulam, vel saltem communicando cum conjuge. Sed tantum veniale dicunt Sanch., Busemb., & alii ap. Mendo n. 150. (modo absit periculum pollutionis, ut supra) quia natura sua hi tactus referuntur ad copulam, esto eam actu conjux non intendat, vel non sit hic & nunc possibilis; quod est per accidens. Escipe, nisi hic conjux habeat votum castitatis, quo vetatur habere hos tactus secum, vel incipere eum conjuge; uti nec delectari potest de copula licita habita, vel habenda; quia hæc sunt inchoatio copulæ, quam nequit ipse petere, adeoque contra votum: Pal., Avers. q. 21. s. 8. §. 6.

§. II.

Quid in ipsa copula?

I. ILLICITUM est, si conjuges non servent situm naturalem r*v. g. si inverso ordine, si a tergo in vase naturali, si a latere, si stando, si sedendo, &c. Hi modi, si fins causa, ut semen effluat, sunt certo mortales. Si secus, probabile est, esse tantum veniales, etiamsi aliqua pars seminis effluat; eo quod non soleat totum semen in matrice retineri, sed retento, quod ad generationem sufficit, reliquum expellitor: Hurt., Sanch., Pal. n. 1. Aliqui tamen putant, esse per se lethale, si fiat inverso ordine, vel a tergo, ob notabilem indecentiam, & repugnantiam naturæ.

II. Si conjuges copuleosur sodomitice, dupliciter peccant, tum cootra naturam, tum contra fidem datam: Sanch. l. 9. d. 18. Si incipiant sodomitice, sed animo perficiendi in vase naturali, ibique perficiant, Navar., & alii quinque Doctores apud Mendo n. 141. excusant a mortali: at non excusant Sanch., Pal., & alii, quia per se est inchoatio sodomiæ: nisi vero extrinsece tantum ibi incipiant, ut excipit Sanch.

III. Si conjuges motuo consensu abrumpant cœptam copulam, vel contineant seminationem, Sylv., Azor., Ledes., & alii dicunt, esse mortale, quia non possunt privare copulam debito fine. Sed veniale tantum dicunt Sanch. l. 9. d. 19., Laym., Dian., & alii; modo neuter seminaverit, nec sit periculum pollutionis, quia non teneniur procurare, sed tantum non impedire contrarie generationem. Si autem femina jam seminaveris, tenetur sub gravi vir etiam seminare, ne semen femineum frustretur debito fine, ac veluti effundatue: Doctores communiter. Idem de femina dicune D. Anton., Cajet., Booac., & alii, si vir jam seminaverit; sed hoc tantum veniale in femina, dieit Sanch. l. 9. d. 15., Gob., Pal., & alii, quia nec semen ejus ex communi sententia est simpliciter necessarium, nec mortale esl omittere, qnod ad generationem esset magis utile. Quare femina prius seminans tenetur sub gravi expectare seminationem viri: vir prius seminans tenetur sub levi expectare feminæ seminationem: quæ tamen, si vir non expectet, nequit seipsam ad suam seminationem provocare, quia esses pollutio: ut in soluta essee novum peccatum distinctum a copula: Dian., Mendo, Pal. d. 3. p. 4. §. 3. n. 6. contea Sanch., Less., Dicast., Bon. & alios.

IV. Si post contractum matrimonium vir fiat eunuchus, licita est illi copula in remedium concupiscentiæ: Sanch. contra Ledesm. Si vero superveniat impotentia seminandi intra vas; tunc, si hæc sit certa, non licet amplius copulari; licent tamen tactus, &c. citra periculum pollutionis; Sanch. l. 9. d. 17. si adhuc sit dubia, licite copulantur, etsi sæpe accidat, ut semen

extra

extra vas effundatur, quia hoc est per accidens: Sanch. ib. Si vero sit in femina impotentia retinendi semen viri receptum, licite copulantur; quia copula per receptionem seminis consummatur: Sanch. n. 14. Tenetur autem femina, quantum potest, illud retinere: ideoque peccat, si statim post copulam habeat talem motum, vel situm corporis, ex quo prævideat, semen viri receptum effundi: Sanch. l. 9. d. 20.

Quæres, An liceat feminæ ob conservationem vitæ, famæ, &c. semen viri receptum effundere, aut abortum procurare?

Respondeo: Si uxor prudenter timeat, se morituram in partu, licet ex hoc non teneatur reddere debitum, tamen non potest eo animo reddere, ut semen mariti statim expellat; Si autem femina soluta per vim sit oppressa, Sanch. l. 2. d. 22. n. 17. ait, posse ob defensionem honoris statim, & incontinenti semen receptum expellere, at non posse postea: ad eum modum, quo potes furem incontinenti, ubi furtum arripuit, occidere, non vero postea; quia sic non esset defensio, sed ultio. De abortus procuratione vide dicta tr. 4. d. 2. q. 3. c. 1. §. 1. circa finem.

CAPUT III.

Quomodo sit illicita ratione circumstantiarum?

CIRCUMSTANTIÆ esse possunt locus, & tempus.

I. Quoad locum: Certum est, illicitam esse copulam conjugalem coram aliis (uti etiam tactus alias turpes) quia occasionem aliis præbent turpis desiderii: Sanch. l. 9. d. 15. Dubium est, An licita sit in loco Sacro? Affirmant Rosel., Ponc., Perez, & alii. Negant Palud., Tolet., Sanch., & alii plures; quia cap. fin., & cap. *Ecclesiis, de Consecrat.*, & cap. *Ecclesiis* d. 68. generaliter dicitur, Ecclesia pollui sanguinis, aut seminis effusione: sicut ergo polluitur effusione sanguinis etiam justa, & ministerio Judicis facta, ita & conjugali seminis effusione, seu copula; itaut, si deinde publicetur, desistendum sit tunc a celebratione, donec denuo consecretur, vel benedicatur. Excipe casum necessitatis, puta, si conjuges diu ibi cogantur manere, itaut non possint egredi, & periculum sit incontinentiæ, quia sic præceptum Ecclesiasticum non obligat: Sanch. n. 12. cum aliis.

II. Quoad tempus: Per se loquendo non videtur illicita ipso die benedictionis nuptiarum; quia Concilia consilium dant, ut tunc abstineant, non præceptum: Pal., & alii. Neque ipso die communionis, aut die magni festi, vel processionis, aut jejunii; quia Canones, & PP. similiter consilium tantum dant, etsi videantur præcipere: Sanch., Con., & alii communiter. Tempore fluxus menstrui illicitam esse, docent D. Th., Gabr., & alii, ex c. fin. d. 5., & quidem sub gravi D. Bonav., Scot., & alii; sub levi tantum Sot., Bon., & alii. Cæterum, quamvis suadendum sit expectari post menstrua, si tamen tunc fiat ex justa causa, nullum esse peccatum, dicunt Nav., Sanch., Pouc., Con., Aversf. q. 21. s. 6.; quia cap. fin. cit. tantum refertur prohibitio antiquæ legis, quæ nunc non obligat; & periculum infectionis viri, vel monstrositatis prolis rarum est, & huic melius est simpliciter esse, quam non esse. Si tamen alteruter conjux laboret Gonorrhæa, hoc est profluvio seminis involuntarie decidentis, tunc tenentur abstinere, quia sunt in proximo periculo tabis, & mortis, nisi sistant profluvium: si tamen morbus diu duret, præstat mederi animæ ob periculum incontinentiæ: Sanch. l. 9. d. 17. num. 9. Tempore prægnationis esse illicitam, docere videntur S. Ambr., Aug. Isid. At solum sub levi, dicunt S. Th., Albert., & alii communiter. Sed Sanch. l. 9. d. 22. Aversf., & alii concludunt, ex justa causa ne veniale quidem esse; quia matrimonium etiam est in remedium concupiscentiæ; nisi vero sit periculum abortus fœtus animati; quod tamen raro, vel nunquam contingit: Sanch. n. 1. Statim post partum copulari, antequam mulier physice purgata sit, putant aliqui esse mortale, propter gravia mulieris pericula, & incommoda. Alii dicunt tantum veniale, quia non credunt subesse tanta incommoda. Sed Sanch. n. 11., & alii concludunt, si nullum immineat incommodum, nullum fore peccatum: secus dissuadendum est, & credendum medicis in sua arte peritis. Præceptum autem legis antiquæ *Lev.* 12. jam cessavit. Demum, dum mulier lactat, illicitam sub gravi copulam putarunt aliqui: sed Sanch. n. 15. cum communi docet, esse licitam (modo per hoc non redderetur impotens lactare, nec aliter posset nutrire prolem) & c. *Ad Ejus* 4. d. 5. censetur esse consilii, juxta Gloss. Statim post prandium habere copulam nocere graviter, ait Sanch. l. 9. d. 24. n. 4., refertque medicum testantem, ob id virum in phthisim incidisse: quod, si ita est, ut illicitum est sibi accersere morbum lethalem, ita & habere usum conjugalem, qui talis morbi sit causa. Demum tempore amentiæ, si uterque sit amens, sunt separandi, & illicite copulantur a tertio, ob periculum malæ educationis prolis; si vir tantum sit amens, mulier licite petit debitum, etiamsi periculum sit, quod insanus extra vas seminet, quia illa effusio est præter ejus intentionem: neque ipsi, utpote suo jure utenti, tribuenda est: Sanch. d. 23. n. 7. cum aliis. Idem est de viro, si mulier tantum sit amens; nisi etiam sit furiosa, adsitque periculum suffocandi prolem: Pal. d. 3. p. 4. §. 4. n. 16. Aliæ circumstantiæ commodius expedientur quæst. seq.

QUÆSTIO II.

De Copula Conjugali debita.

QUAMVIS in gubernatione domus vir sit caput uxoris, tamen relate ad copulam par habent jus petendi, & debitum reddendi, ex 1. *Cor.* 7. De utroque hic.

CAPUT I.

Quid de jure petendi debitum?

EX matrimonio, per se loquendo, nulla oritur obligatio petendi copulam, cum nemo teneatur uti jure suo c. *ad Apostolicam*, *de Regularib.*; etsi aliquando per accidens oriatur; vel ex charitate ad avertendum alterum ab adulterio; vel ex justitia legali ad bonum publicum ex prole suscipienda; Perez. d. 50. s. 2. Jus autem petendi impediri potest voto, pacto, incestu, adulterio, cognatione spirituali, & excommunicatione.

I. Quoad votum: Si conjux sine alterius consensu vovit castitatem; etsi non teneatur ingredi Religionem in matrimonio rato, cum non se obligaverit ad tantum onus, ut docet Pal., & alii contra Sylv., Nav., & alios; attamen non potest petere, etiamsi voverit post matrimonium consummatum, quia in hac parte votum servari potest, adeoque debet; neque adeo irritari potest ab altero conjuge, utpote non præjudicans ejus juri: Sanch. l. 9. d. 35. cum aliis contra Sot., Palud., & alios. Potest autem, ac tenetur (sed nonnisi post bimestre) reddere debitum alteri petenti sive expresse, sive tacite: si nimirum ex signis, quæ inter conjuges sunt nota, advertat, ipsum optare, vel esse in periculo incontinentiæ, vel præ verecundia non petere; tunc enim offerre copulam censetur etiam reddere: S. Thom. *In suppl.* q. 62. a. 2. Post mortem vero, vel adulterium conjugis, votum est perfecte servandum. Si autem vovit Sacros Ordines, etsi peccet contrahendo, non tamen consummando. Si vovit cœlibatum, peccat probabiliter etiam prima vice consummando, quia implicite vovit abstinentiam a prima copula; at deinde potest etiam petere: & similiter, si vovit Religionem, quam post mortem, vel adulterium juridicum alterius tenetur ingredi, ut tenebatur ante consummationem: Pal., Ponc., & alii. At, si cum consensu alterius vovit castitatem, nec petere potest, nec reddere, quia alter ita consentiens tacite cessit juri petendi, ideoque nec potest votum irritare: Les., Con., Ponc., Pal., & alii. Excipit Sanch., quando, qui dedit licentiam, habeat deinde periculum incontinentiæ: idem est, si uterque communi consensu vovit castitatem. Si voverunt Religionem; tunc, si uterque vovit ingredi post ingressum alterius, possunt petere, & reddere; si independenter ab ingressu alterius, non possunt: Con., Pal., & alii.

II. Quoad pactum: Possunt conjuges mutuo pacisci debitum nec petere, nec reddere: uterque tamen poterit pactum illud remittere alteri, & ita petere, & reddere; quia (ubi aliunde non adsit vinculum) *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, cap. 1. *de Reg. Jur.* quod si jurassent stare pacto, tunc, si juramentum sit adjectum in favorem utriusque, ut scilicet manerent liberi ab obligatione, possent etiam mutuo consensu illud remittere: secus vero, si ex pietate ad colendum Deum pee continentiam, quia tunc se haberent, ac si vovissent

sent castitatem; & pro hoc standum in dubio: Sot., Sanch. l. 9. d. 39. n. 20.

III. Quoad incestum: Conjux post matrimonium committens incestum cum consanguinea alterius conjugis in primo, vel secundo gradu, in pœnam caret jure petendi debitum, c. 1. *de Eo, qui Cognovit Consang.*, & quidem ipso facto ante sententiam Judicis, *Gloss. in Can. Nosse* 30. q. 1. At, si ignorabat, eam esse consanguineam conjugis, aut putavit, esse in gradu ulteriori, non incurerit hanc pœnam, quia textus dicit, *Qui scienter;* ideoque excusat etiam ignorantia crassa, modo non sit temeraria, & affectata: Sanch. d. 32. n. 47. Si vero solum ignorabat, talem pœnam esse incestui adnexam, illum etiam excusant Sanch., Laym, Dian., Bon., Pal., & alii a tali pœna, utpote jure novo ab Ecclesia statuta, ut dicitur de censuris: sed non excusant Henr., Ponc., Perez, & alii, quia non est pœna extraordinaria. Similiter nec excusat metus gravis, quo talem incestum commisit; quia metus (modo non sit vis præcisa opprimens) non excusat a culpa, & contumacia contra Legem: Sanch. d. 32., Laym., Bonac., Avers., & alii. Quod si metus ad talem incestum incussus sit ab altero conjuge, etiam ille privatur jure petendi: Sanch. n. 5. ex c. *Discretionem, de eo, qui cognovit consanguin.*, &, si id fecerit in fraudem matrimonii, tenetur reddere: Sanch. d. 78. n. 6.

Cæterum conjux committens talem incestum semper tenetur reddere alteri innocenti sive expresse, sive tacite petenti, juxta dicta: imo, si periculum sit, ne veniat alter in cognitionem incestus, & gravis inde discordia oriatur, poteris & ipsa petere, juxta Laym., Lohner, & alios. Sed, quamvis conjux innocens sæpe petieris, non ideo censetur remisisse, aut amisisse jus imposterum negandi ei debitum: imo, cum hæc privatio juris petendi non sit in favorem innocentis, sed in pœnam incestuosi, innocens non potest hanc pœnam remittere: Sanch. l. 9. d. 6. cum communi. Et ideo, etiamsi uterque seorsim commisit talem incestum cum consanguinea alterius, neuter potest petere, Sanch. d. 28. cum communi.

IV. Quoad adulterium: Si unus conjugum commisit adulterium, potest alter innocens ipsi negare debitum, modo id certo sciat, quamvis juridice probare non possit; quia ad privandum illum jure petendi sufficit sola voluntas innocentis: Sanch. l. 10. d. 12. Imo, etiamsi deinde illum admiserit ad copulam: si tamen animum non habuit remittendi illi jus suum, potest postmodum etiam negare, & accusare. At, si semel remiserit, postea non potest ob idem adulterium. Censetur autem remittere, si sponte, & scienter signa amoris ei præbeat: Sanch. l. 10. d. 14. Quamdiu ergo alter innocens ignoret, vel libere dissimulet, probabilius est, adulterum posse etiam petere; quia illa dissimulatio est remissio, & aliunde ipse non tenetur delictum suum prodere, nec talem pœnam primus in seipso exequi; ideoque potest petere, non tamquam debitum, sed tanquam benevole concedendum: Croix l. 6. d. 3. n. 37x. Et, quamvis in jure Canonico dicatur ipso facto privari, &c., intelligitur tamen, si a conjuge innocenti privetur: Cajet., Sot., Sanch. l. t. d. 68. n. 4. Si vero uterque conjux commiserit adulterium, utrique licitum est petere, & reddere debitum; quia delicta se compensant c. penult., & ult. *de Adult.* Illud noto, quod si unus conjux habeat sodomiam cum tertia persona, quamvis id sit vel adulterium, vel incestus quoad malitiam; tamen non ideo incurruntur hæ pœnæ canonicæ, quia hæ loquuntur de adulterio, & incestu in vase naturali, nec in pœnis valet extensio a minori ad majus: Filliuc., Tamb., & alii contra alios: idemque est de bestialitate, &c.

V. Quoad cognationem spiritualem: Si conjux baptizet, vel teneat in baptismo, aut in confirmatione prolem communem, vel filius conjugis, quamvis possit, ac teneatur reddere; tamen non potest petere debitum: quod, quamvis clare non sit expressum in jure Canonico, inde tamen communiter eruunt Theologi, & Juristæ, qui in hoc Glossam deferunt, quam sequuntur Dian., Pal., & alii. Putarunt aliqui, quod, si uterque talem cognationem contraxerit, neuter privetur jure petendi; sed oppositum tenendum, quia hæc pœna non inducta est in beneficium alterius, sed in reverentiam Sacramenti: Sanch. l. 9. d. 28., idemque est, si alter alteri consensit ad baptizandum, &c. Sanch. n. 2., ex cap. *Nosse* 30. q. 1. Excipe, si baptizes ex necessitate, quia æquum non est, ut, qui obligationi suæ satisfacit, ideo pœnam subeat: Can. *Ad limina* 30. q. 1. Idem probabiliter est, si absente omni alio assistas, ut patrinus baptismi, aut confirmationis; quia, quamvis non requiratur patrinus ad valorem Sacramenti, requiritur tamen ad integram ejus significationem; ideoque hæc etiam necessitas excusat: D. Thom. cum plurimis contra Ledes., Henr., & alios. Idem est, si citra necessitatem id feceris cum ignorantia sive juris, sive facti: Sanch., & alii. Denique per supervenientem cognationem legalem non impeditur petitio debiti: Doctores communiter.

VI. Quoad excommunicationem: Si ambo conjuges sint excommunicati ob idem delictum, non possunt communicare, & petere, &c.; quia per mutuam communicationem alter alterius contumaciam foveret. Idem est, si conjux non excommunicatus foveat delictum conjugis excommunicati, vel sit in causa, ut obdurescat; quia communicat in crimine criminoso. Idemque est, quando excommunicatio lata est in causa matrimonii, de cujus valore lis pendet, & ideo illis interdicitur copula: Perez d. 49. s. 5. cum aliis.

Extra hos casus conjux non peccat communicando in usu matrimonii, aliisque rebus omnibus cum conjuge excommunicato, cap. *Quoniam* 11. q. 3., quod valet, etiamsi matrimonium sit tantum ratum, &, quamvis uterque sit excommunicatus: Doctores communiter.

CAPUT II.

Quid de debito reddendo?

EX matrimonio per se oritur gravis obligatio justitiæ ad reddendam copulam alteri, eam, ut sibi debitam, rationabiliter petenti sive expresse, sive tacite, juxta dicta cap. antecedenti n. 2.

Dixi primo, *Ut sibi debitam;* nam, si alter petat tantum ex gratia, & benevolentia absque animo te obligandi, non peccas non reddendo; quia sic non petis debitum, seu ex justitia: Reb., Hurt., & alii. Peccas vero, si serio, & constanter petat, itaut molestum ei esset, si deneges; quia sic satis indicat, se petere ex justitia: Pal., & alii. At, si tunc absolute non neges, sed aliquantulum differas, aut si aliqua tergiversatione conjugem a petitione commode avertas, per se tantum veniale est ob levitatem materiæ; Sanch. l. 9. d. 2. Similiter veniale tantum videtur, si sæpe petenti semel verbis neges; & nimis immoderate, & justo sæpius petenti, videtur nullum: Per. d. 50. l. 4.; itaut, si ter una nocte reddideris, poteris quarta vice negare, inquiunt Rodr., Laym., Gob. n. 622.; modo non sit periculum incontinentiæ.

Cæterum ex tali debito oritur etiam obligatio in conjuge, ne se impotentem reddat ad copulam: quare graviter peccat contra justitiam, si impotens fiat, sive mediis illicitis, puta voluntariis pollutionibus, &c., sive mediis licitis, puta jejuniis, &c. susceptis sine consensu alterius. Hinc, si aliter non possit reddere debitum, potest non observare jejunia ecclesiastica: imo tenetur obedire conjugi ea illi ob id inhibenti. Idemque est, si tis uxor fiat notabiliter deformior, vel notabiles discordiæ, & rixæ inde oriantur: Sanch. l. 9. d. 3. cum aliis.

Dixi secundo, *Rationabiliter petenti;* tum ob modo dicta; tum quia, si petat amens, vel ebrius, quamvis possis, non tamen teneris reddere, quia non petit humano modo: Sanch. l. 9. d. 23., nisi vero sit semiamens, vel semiebrius, quia sic stat in eo possessio juris ad petendum. Porro non petis rationabiliter, si tunc labores febri, vel alio morbo (puta hectica, juxta Laym.) cui copula graviter noceret; nec, si ille laboret morbo contagioso, v. g. gallico, peste, lepra (nisi hæc ante matrimonium fuerit tibi nota, vel non sit gravis, &c.) nec denique, si ex ea copula concipiens, & pariens prævideas, fore te, vel fœtum in proximo periculo vitæ (non tamen ob ordinarios dolores partus) In his ergo casibus non teneris reddere, etiamsi in altero esset periculum incontinentiæ; quia hæc non esset extrema ipsius necessitas spiritualis, cui tu obligeris succurrere cum gravi damno tuæ salutis corporalis: Sanch. l. 9. d. 24. cum aliis contra Ledes., Rodr., & alios. An autem tenearis reddere tempore menstrui, prægnationis, vel lactis, &c., pendet decisio ex dictis cap. antec.

Dubium est, An excuseris reddere ob gravem difficultatem alendi filios, si multiplicentur?

Affirmant Sot., Ledesm., Rodr., Sanch. l. 9. d. 25. (modo non sit periculum incontinentiæ) quia etiam ab aliis debitis solvendis excusat magna incommoditas, quæ in casu immineret tibi, & filiis natis. Contradicunt Reb., Con., Laym., Pal., & alii; quia finis matrimo-

trimonii est propagatio, in qoa proinde includitur obligatio subeundi talem necessitatem.

Quæres, An possis reddere debitum conjugi illicite petenti?

Respondeo primo, Si conjux petat copulam illicitam ob circumstantiam, quæ vitiet ipsum actum exteroum, non posse reddi; quia petit rem tibi etiam illicitam: ut si petat copulam in loco publico, aut sacro absque necessitate; vel situ, & modo innaturali, vel cum periculo abortus, aut gravis damni tui, prolis, aut ipsius petentis, &c., nisi vero graviora mala timerentur ex tua negatione, ut si copula sit venialiter tantum illicita, & ex negatione oriantur rixæ, & discordiæ, &c., Sot., Henr., Covar., Pal., Sanch. l. 9. d. 6. cum aliis.

Respondeo secundo, Si petat copulam illicitam ob circumstantiam non se teneotem ex parte actus externi, sed ex parte ipsius personæ petentis, posse reddi; ut, si petens habeat votum castitatis, vel commisit incestum cum tua consanguinea in secundo gradu, vel petat ex pravo fine, &c. Ratio est, quia actio exteroa in se peccatum non est: ergo per se est tibi licita: cooperari autem actioni, quæ ex circumstantia tantum extrinseca est mala alteri, non est intrinsece malum, sed ob aliquam rationabilem causam honestari potest; puta, ne sit periculum discordiarum, vel gravioris peccati in petente: hinc, si nullum prævideas ejusmodi periculum, teneris negare ex præcepto charitatis, quia teneris ejus peccatum, cum commode potes, impedire: si aliquod sit ejusmodi periculum, non solum potes, sed teneris reddere, quia per hoc, quod ille sit v. g. adstrictus voto, non ideo amisit jus, cum per votum non tibi, sed Deo tantum se obligaverit; adeoque non tibi jus remisit: Doctores citati. Excipit Sanch., si sit incestuosus; quia huic Leges jus in pœna abstulerunt.

QUÆSTIO III.

De reliquis Conjugum obligationibus.

TALES sunt Cohabitatio, Alimenta, & Correctio, de quibus hic breviter agendum superest. Itaque sit

CAPUT I.

Quid de Cohabitatione?

EX natura contractos matrimonialis obligantur conjuges esse in eadem domo, thoro, & mensa; ad quæ proinde uterque compelli potest a Judice tum Ecclesiastico, tum sæculari, agendo etiam contra eos, qui alterutrum detinent, ne cohabitet: Pal. d. 3. p. 5. §. 2. Hinc nequit vir invita uxore longam peregrinationem suscipere, aut vovere; nisi sit votum in subsidium Terræ Sanctæ, ex cap. *Ex multa*, *de Voto*. Potest tamen brevem peregrinationem ea invita præstare; non autem econtra; quia vir est caput, cui mulier in hoc est subjecta: Sanch. l. 9. d. 14. At ex causa necessaria, sive propriæ familiæ, sive Reipublicæ potest vir diutius abesse domo, etiam invita uxore, ex cap. *Unaquæque* 13. q. 2. In quo casu uxor tenetur sequi virum, non quidem huc illuc peregrinantem, sed alicubi diu commorantem; modo ibi grave damnum sibi mulier non timeat, ex eodem cap. Idem est, si vir alio transferat domicilium; quia eligere habitationem non uxori, sed viro competit, etiamsi ex libito id faciat: Sanch. l. c. d. 41., modo aliter pactum non sit in sponsalibus. Si autem vir in pœnam mittatur in exilium, plures Doctores negant, uxorem innocentem teneri eum sequi; sed probabilius affirmat Sanch. cum aliis, quia uxor tenetur viri infortunium sequi, *l. Si cum dotem*, *ff. Soluto matrim.* Vir autem tunc solum tenetur sequi uxorem, cum ea ex necessitate, aut gravi causa compellitur alibi habere domicilium: Sanch. n. 14.

Quæres primo, An possit conjux servus mitti, vel vendi a domino in regiones longinquas?

Respondeo, Ex cap. 1. *de Conjugio servorum*, posse dominum occupare servum æque, ac si conjugatus non esset: quare potest illum ex gravi necessitate mittere in regiones longinquas; sicut ex pari necessitate potest liber diu ab uxore abesse: seclusa autem necessitate moderatum conjugii usum ei impedire non potest: Pal., & alii. Similiter peccaret contra justitiam, si absque urgenti causa illum venderet in regiones longinquas, in quas conjux eum sequi commode non posset, quia matrimonii usum simpliciter impediret: Sanch. d. 22. cum aliis contra Nav., & alios. Neqoe obstat, quod jus Domini sic diminuitur; nam matrimonium jure naturæ est servo concessum, & servitus jure gentium introducta est. Hinc, si conjuges servi sint duorum dominorum longe distantium, horum alter cogendus est, ut emat, aut vendat servum suum alteri, vel tertio ibi commoranti: &, si nullus inveniatur emptor, emat Ecclesia, arg. ex cap. *Fraternitatem* d. 54.

Quæres secundo, An possit conjux se vendere in servitutem?

Respondeo, Quod, quamvis possint conjuges ex communi consensu se ita vendere; at nec uxor sine consensu viri, nec vir sine consensu uxoris: Pal. contra Sanch. quoad hoc ultimum. Ratio est; quia, quamvis vir sit caput uxoris qooad gubernationem domus, non tamen habet sui corporis potestatem, sed uxor: nec obstat c. *Perlatum* 29. q. 2.; nam loquitur de servitute facta post divortium.

Quæres tertio, Quam conditionem filii sequantur?

Respondeo, Quoad libertatem, & servitutem sequi conditionem matris, etiamsi sint illegitimi; quia in hoc partus sequitur ventrem: si tamen mater tempore conceptionis, vel prægnationis, vel partus fuit libera, filius liber est; quoad nobilitatem vero, aliosque honores, filius legitimus sequitur conditionem patris, *l. Cum legitime*, *ff. de statu hominum*: quod extenditur etiam ad filios naturales, etsi ex concubina domi non retenta, ex *Instit. de Ingenuis*, & ex cap. fin. *de Servis non ordinandis*.

CAPUT II.

Quid de Alimentis?

VIr tenetur sub gravi alere uxorem, etiamsi illam indotatam acceperit; nisi vero illa sit dives, & renuat dotem assignare: Sanch. l. 9. d. 5. n. 9. Quod si renuant ejus parentes, alenda est a viro; quia sic inops est, & absque promissione dotis accepta idem est, si dos fortuito periit: Sanch. n. 10. At, si periit ob culpam uxoris, vel promissa est, & non soluta, non tenetur maritus, nisi ea parentes etiam pauperes habeat: Sanch. contra Abb., & alios. Notat idem Sanch. n. 5., quod, si uxor, vel ejus parentes dotem promissam non solvant ob impotentiam, si tamen tempore promissionis hanc impotentiam non noverint, teneatur vir, ac si dotem accepisset, quia censenda est periisse fortuito: secus vero, si fuit promissa a persona extranea.

Similiter non tenetur, si uxor absque necessaria causa a viri obsequio recessit: Sanch. d. 4. n. 20. Secus vero, si ob viri sævitiem, morbum contagiosum, amentiam, adulterium, aliamve culpam compulsa sit discedere; quia sic discedit ex justa causa: Sanch. n. 25. Imo, etiamsi ob suum delictum perpetuo carceri detrudatur, alenda est a viro; quia talis discessus est necessarius, & coactus: Sanch. n. 23., nisi vero ejus dos etiam publicetur, qoia sic culpa sua periit. Similiter non tenetur, si ipse sit inops; qoia nemo tenetur ad impossibile. Quod si tunc pecuniam mutuo acceperit ad alendam uxorem, & filios, solutoque matrimonio nulla supersint bona viri, uxor, & filii ad nihil tenentur mutuanti; quia, esto in eorom beneficium consumpta sit pecunia, non tamen fuit aliena, sed translata jam in dominium viri mutuatarii, ideoque illis debita: Sanch. d. 5. n. 29. cum aliis contra alios. Uxor autem dives marito inopi ministrare debet alimenta: Sanch. d. 4. n. 25., & similiter tenetur virum bannitum inopem alere ex suis bonis dotalibus, vel paraphernalibus: Sanch. n. 13.

Quæres, An uxor teneatur laborare pro marito?

Respondeo, Si sermo sit de labore necessario ad gubernationem familiæ, ut cibos coquere, lavare vestes, &c., teneri, nisi ejus statum dedeceat, vel nisi vir possit commode famulam ducere: Sanch. l. 6. d. 6. n. 14. Si vero sit sermo de labore necessario ad lucrum, non teneri; nisi nullam dotem, vel insufficientem attulerit, aut sua culpa, vel fortuito perierit; quia sic non censetur laborare in viri lucrum, sed in propriam sustentationem: Pal., & alii.

CA-

CAPUT III.

Quid de mutua correctione?

VIR, cum sit caput uxoris, potest ei præcipere, eamque corrigere, & punire, si quid ea deliquerit. Hæc tamen punitio debet esse levis, & moderata, *l. Rei, ff. de Solut. matr.*, etiamsi delictum gravem punitionem exigat; quia non est famula, sed socia, adeoque minus puniendа, quam servus, vel filius, & reliquum pœnæ relinquendum Judici: Victor., Laym., & alii. Hinc, quamvis plebeja in pari delicto gravius puniri possit, quam nobilis; non tamen verberibus, quia hæc pœna servorum est: multo minus alapis, pedibus, fustibus, carcere, vulnere, &c.; quia has pœnas Resp. ne dominis quidem relate ad servos permittit. Quare censet Pal. d. 3. p. 5. §. 3., pro gravi delicto posse a viro puniri subtractione cibi; cui pœnæ addi posset per aliquot dies claudi etiam compedibus appositis; quia solum interdicitur privatis punire carcere perpetuo, & ordinario: Molin., & alii. Contra vero uxor, cum non sit caput, nec præcipere potest, nec punire; sed tantum monere, & exhortatione corrigere virum, si quid deliquerit.

DISPUTATIO V.

De Divortio.

DIVORTIUM est *Matrimonii solutio*: Fieri autem potest non quidem quoad vinculum, ut in lege veteri, sed quoad thorum, & habitationem: quo sensu Flor. in dect. Eug. IV. *ad Armen.* intelligit illud Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; quasi dicat, licere ob fornicationem dimittere quoad thorum, & habitationem, non licere quoad vinculum, itaut aliam ducat. Videndæ igitur hic breviter sunt causæ, & effectus Divortii.

QUÆSTIO UNICA.

De Causis, & Effectibus Divortii.

NON loquimur hic de divortio, quod fit ob ingressum Religionis ante consummationem, vel ex mutuo consensu post consummationem matrimonii, ex jam dictis; sed de eo tantum restat dicendum, quod fit ob culpam, seu malum unius conjugis.

CAPUT I.

Quæ sint causæ Divortii?

QUAMVIS loc. cit. una tantum assignetur causa, scilicet fornicatio, seu adulterium cum exclusione aliatum; tamen ibi sermo tantum est de divortio natura sua perpetuo. Ex Trid. autem *sess.* 24. *can.* 8. aliæ possunt esse causæ divortii ad tempus: puta hæresis, sævities, malum corporis, & malum animi. De his breviter.

I. Quoad adulterium: Nomine adulterii venit hic non solum naturalis fornicatio cum aliena persona; sed probabilius etiam sodomia, & bestialitas, quia sic etiam caro conjugis dividitur in alienam: Sanch. l. 10. d. 4. cum communiori contra Fill., Tamb., & alios. Debet autem copula esse completa per seminis effusionem in vas alienum; aliter non esset perfecta in alienam carnem divisio, neque consummata injuria, neque adeo sufficiens causa divortii: & multo minus, si tantum sint tactus turpes, vel pollutio, sive secum, sive cum persona aliena: Pal. d. 3. p. 6.

Conjux adulter non potest divertere, quia divortium datur in favorem innocentis: quare, si uterque commisit adulterium, neuter potest, juxta alibi dicta: nec refert, uter prius adulteraverit, aut quod unus sæpius altero, aut quod unius adulterium sit publicum, & alterius omnino occultum; quia uterque vere fidem violavit. Idem est, etiamsi unus sit emendatus, & alter pergat adulterare: quod etiam est verum, quamvis emendatus admoneat, vel inducat alterum ad emendationem: quia ea invitatione non extinguitur injuria invitato illata: Per. d. 56. s. 3.

At, si post unius, vel utriusque adulterium reconcilientur, quicumque ex illis denuo fornicetur, potest ab altero deseri, quia per reconciliationem prior injuria est omnino ablata: hinc, si innocens post factum divortium adulteret, tenetur alteri reconciliari, etiamsi divortium factum sit per sententiam Judicis, & hæc transierit in rem judicatam; quia injuria sibi facta sufficienter compensatur per adulterium postea a se commissum: Con., Per. n. 5., quamvis nulla tunc competat actio conjugi dimisso, quia sic nulla ei illata est injuria: Per. s. 6. num. 2.

Conjux innocens (sive sit vir, ex Matth. cit., sive uxor ex communi contra Cajet. sententia, ex 1. Cor. 7.) quamvis non obligetur, potest tamen pro libitu, nisi remiserit, divertere ab adultero in perpetuum, & quidem propria auctoritate quoad thorum, & negationem debiti; dummodo certo sciat adulterium alterius, juxta jam dicta: quoad habitationem etiam affirmant plurimi cum Sanch. d. 12., quia ex Matth. cit. absolute datur ei hæc potestas, neque ullum jus canonicum est in oppositum: sed negant D. Th., Bell., Aversf., & alii multi, quia matrimonium publica auctoritate Ecclesiæ est celebratum: ergo sine hac non potest ab eo recedi. Utraque sententia est probabilis; sed prior tantum pro foro interno, posterior prævalet in foro externo; nam Judex a nocente imploratus debet innocenti mandare, ut redeat, donec probet alterius delictum, cap. *Ex conquestione, de Restit. spoliat.* Judex autem esse debet Ecclesiasticus, sive is sit Episcopus contractus matrimonialis, sive præsentis domicilii: Krim. n. 1660. Si vero postea agatur de restitutione dotis, spectandum est solum domicilium mariti *l. Exigere 65., ff. de Judiciis.*

II. Quoad hæresim: Hæc superveniens uni conjugum est sufficiens causa alteri ad divertendum etiam propria auctoritate; quousque ille resipiscat; non tamen satis est unus actus hæresis, sed requiritur pertinacia, quæ post unam, & alteram correctionem persistit, ex cap. *Quanto, de Divort.*, in quo casu, si periculum sit perversionis innocentis, non solum potest, sed tenetur divertere: Sanch. cum aliis, addens, in hoc crimine non esse compensationem, quia non fit invicem injuria, sed Deo.

III. Quoad sævitiem: Si conjux alteri malum grave moliatur, quod facile vitari non potest, nisi per divortium, potest innocens divertere, cap. *Litteris cit.*, etsi alias ipse sit adulter, cap. *Benedicto* 32. q. 1. Requiritur tamen Judicis Ecclesiastici sententia; nisi vero periculum sit in mora, in quo casu, si per se divertat, non debet alteri restitui, sed deponi in loco toto: Sanch. d. 18.; non tamen potest divertere ob malum jam illatum, nisi inde sumatur præsumptio sufficiens iterum inferendum esse; & regulariter ex percussionibus immoderatis, & violentis concipitur timor similium: Farinac. l. 2. *Consil.* 157.

IV. Quoad malum corporis: Quoties conjugi grave corporis damnum imminet ex cohabitatione, puta eum altero leproso, vel peste, aliove morbo contagioso infecto, potest divertere; quia nemo tenetur satisfacere debito cum tanto sui detrimento: Con., Laym., & alii. Idem est ex Sanch., si conjuge latrocinium v. g. exercente timeat alter innocens, vi illius criminis se puniendum, vel infamandum.

V. Quoad malum animi: Quoties conjux alterum ad peccandum incitat, nec monitus desistit, potest deseri, cap. 2. *de Divort.*, puta si vir lenocinium uxoris exerceat, vel eam incitet ad furta sua tegenda, vel ut suam concubinam foveat, &c. Idem est, si sit veneficus, quia ob societatem cum dæmone grave damnum alteri timeri potest Sanch. d. 18. Non tamen, si plura habeat vitia, nulla tamen sit ad peccatum inductio: Sanch. d. 17.

CAPUT II.

Qui sint effectus Divortii?

SUNT tres: Primus relate ad dotem, & alimenta: Secundus relate ad mutationem status: Tertius relate ad reconciliationem.

I. Quoad dotem, & alimenta: Si divortium fiat ob culpam uxoris, ejus dos, vel dotalitium addicitur viro innocenti, qui nec tenebitur eam alere: Sanch. l. 10. d. 8. Imo ipsa tenebitur communicare viro, quidquid acquirit: Gutt., Pal., & alii. Si divortium fiat ob culpam viri, uxori innocenti restituenda est dos, & medietas lucrorum usque ad divortii tempus, ex cap. *Significavit*, & cap. *Plerumque, de Donationib. inter vir, & uxor*, ubi, cum universalis sit dispositio, intelligitur de quovis divortio: pro tempore tamen, quo durat; Pal., Tamb., & alii. Quod si uxor dotem non attulit,

vel

vel ei placeat potius ali a viro, ab hoc alenda, etiamsi habeat, unde vivat: Farin. Afflict. & alii. Probabilius tamen requiritur sententia Judicis; quia amissio dotis est vera pœna, ad quam nemo tenetur, nisi post sententiam: Pal. d. 3. p. 6. §. 5. contra Sanch. & alios. Filii autem, si culpa matris factum sit divortium, educantur apud patrem expensis matris; si factum sit culpa patris, educantur apud matrem expensis patris; ut statuit jus apud Sperell. decis. 178. qui num. 20. addit, lite pendente omnia deberi conjugi, contra quam agitur, si ex suis aliunde non habeat; nisi vero conjugi innocenti certum sit crimen alterius, ut limitat Tamb. & alii. Demum, si divortium neutrius culpa, vel utriusque culpa factum sit, apud matrem alendi sunt minores triennio, apud patrem majores triennio; Sanch. d. 20. n. 10.

II. Quod mutationem status: Post sententiam divortii perpetui (non autem temporalis) potest conjux innocens pro libito mutare statum invito altero: vel scilicet vovendo castitatem in sæculo, vel suscipiendo Sacros Ordines, vel profitendo in Religione, juxta dicta d. 4. Conjux vero nocens, ut possit ipse mutare statum, expectare debet, donec innocens statum suum mutaverit, vel ei licentiam dederit, vel non sit amplius spes reconciliationis, quia sic non præsumitur ab innocente repetendus; Con. & alii communiter. Hinc uxor adultera per Judicem detrusa in Monasterium in pœnitentiam, si intra biennium non repetatur a viro innocente, poterit Religionem profiteri, quia sic censetur vir consentire: Auth. *Sed hodie*, *Cod. ad leg. Jul. de Adult.* Similiter, si adulter emendatus reconciliationem ter cum congruo temporis intervallo, aut saltem per biennium petat, & non obtineat, potest statum mutare, ex cap. *Gaudemus*, *de Adult.* At, si conjux innocens solum vovit castitatem in sæculo, non potest alter mutare statum, quia ille per tale votum non cessit juri petendi debitum: Sanch. & alii.

III. Quoad reconciliationem: Conjux innocens, etiam post sententiam divortii perpetui, si statum non mutaverit, potest pro libito reconciliari alteri nocenti, quia tenebitur redire, nisi ex illius licentia statum ipse mutaverit, vel nisi sit periculum perversionis, aut gravis damni in alterutro. At si conjux innocens post sententiam divortii committat simile crimen, tenetur, nisi statum mutaverit, reconciliari alteri: Pal. Krim. & alii contra Sanch. & Laym.; non tenetur, si incidat in crimen diversum, quia hæc delicta non se compensant, sed utrique dant jus divertendi: Krim. n. 1563. item, si conjux nocens sit jam emendatus, nec sit prudens periculum relapsus, tenetur conjux innocens illum recipere, si propria auctoritate ab eo discessit, ex cap. *Ego dixi* 34. q. 1. at non tenetur, si discessit post sententiam Judicis de divortio perpetuo: Pal. & alii. Si post multos annos ostendatur, sententiam divortii fuisse latam ex falsis causis, vir, licet professus, vel sacris initiatus, redire debet ad uxorem dimissam; quia talis sententia, in quantum est contra innocentem, nunquam transit in rem judicatam, quin ipsi liceat per viam querelæ contra eam agere, quamvis non per viam appellationis: Sanch. l. 10. d. 9. Si autem tunc uxor dimissa esset ex viri licentia professa, idem Sanch. putat, cessisse juri suo; sed contradicit Pal. quia neuter valide consensit, cum error in substantia dederit causam.

Duo demum in calce hic nota: Alterum, quod, si matrimonium solvatur per mortem, plures sunt pœnæ jure civili impositæ viduis intra annum luctus nubentibus; sed hæ sublatæ jam sunt Jur. Can. ex cap. fin. *de Secundis nupt.* ut vitetur periculum incontinentiæ; manent ergo solum relate ad viduam fornicantem. Lex autem amittendi legatum, si vidua transeat ad secundas nuptias, non continet pœnam, sed dispositionem voluntati testatoris faventem; similiter leges in favorem filiorum prioris matrimonii, puta quod mater transiens ad secundas nuptias privetur eorum educatione, & tutela, quod teneatur dividere illis æqualiter, quidquid a priori marito accepit titulo lucrativo, &c. v. Pal. d. 4. p. 13. §. 2.

Alterum est, quod Judex in causa matrim. esse debet Ecclesiasticus, si agatur de jure: puta de valore sponsalium, matrimonii, de divortio, &c. Imo, etsi agatur de possessorio matrimonii, an scilicet hoc de facto fuerit; quia probari debet titulus; Canonistæ communiter contra Juristas. In his autem supposita aliunde notoria certitudine, causa punitionis est mixti fori; at, si reus fuerit damnatus, vel absolutus ab Ecclesiastico, non potest amplius molestari a laicali, non sic econtra: Sperel. decis. 92. Causæ vero de dote, alimentis, successionibus, hæreditatibus, &c. pertinent ad forum civile; si tamen Ecclesiasticum deciderit de valore matrim. &c. ad ipsum etiam spectare videtur agere de constituenda, vel retinenda dote. Hæc de Matrimonii Sacramento dicta sint satis.



TRA-

TRACTATUS VIII.

Theologico-Moralis

DE CENSURIS, ET DE IRREGULARITATE.



UM censuræ usu præsertim Sacramentorum privent, idcirco post Sacramenta earum naturam explicandam aggredimur. Quinque disputationes postremus hic Tractatus habet: I. est de Censuris in genere: II. De Excommunicatione: III. De Suspensione, ubi etiam de Depositione, & Degradatione: IV. De Interdicto, ubi etiam de Cessatione a Divinis. V. demum De Irregularitate.

DISPUTATIO I.

De Censuris in genere.

OMNES censuræ aliquo pacto conveniunt in causis, effectibus, & modo ferendi, ac tollendi; ideoque de omnibus sub communi ratione censuræ principio hic agendum; & I. De Natura, & Conditionibus Censuræ: II. De Excusationibus a Censura: III. De Absolutione a Censura.

QUÆSTIO I.

De Natura, & Conditionibus Censuræ.

VIDENDUM, Quid & Quotuplex sit Censura, a Quo, in Quos, ob Quam Causam, & Quomodo ferri, aut denunciari possit?

CAPUT I.

Quid sit Censura?

CENSURA dicta est a *Censore*, cujus in Romana Republica officium erat mores civium corrigere. Hac vocis significatione utens Ecclesia censuram vocat eam pœnam spiritualem, quam in foro exteriori suis fidelibus imponit ad eorum mores corrigendos. Est igitur Censura, *Pœna Ecclesiastica privans Fideles delinquentes & contumaces usu quorundam bonorum spiritualium ad eorum correctionem.*

Hinc cap. *Avaritia, de Elect. in 6.* vocatur *Pœna spiritualis*, ob bona spiritualia, quibus privat. Hæc autem non sunt mere interna: ut character, potestas ordinis, gratia, aliæve virtutes infusæ, quæ stant aliquando cum censura: sed sunt externa, & publica, ut sacrificium, officium divinum, beneficium, administratio, & susceptio Sacramentorum, jurisdictio spiritualis, indulgentiæ, & publica Ecclesiæ suffragia, &c. quia hæc, & non illa, subjacent jurisdictioni Ecclesiæ: rursus, licet privationes convictus civilis, aut fructuum beneficii sui, per se spectatæ, pœnæ temporales, sunt tamen effectus censuræ secundarius, & in ordine ad spiritualia: Suar. d. 1. s. 1. Vocatur etiam c. 1. *de Sent. Exc. in 6. Pœna medicinalis*; quia non tam est in pœnam peccati, quam in ejus emendationem, ex cap. *Ex litt. de Constit.* Itaque ad Rei correctionem principaliter ordinatur; neque adeo ferri potest in peccatorem jam emendatum. At non hinc inferas, censuram non posse ferri in eos, qui non videntur corrigendi; quia id est per accidens, neque adeo tollitur vis, & natura censuræ: Pal. d. 1. p. 1.

Quæres, Quo jure institutæ sint censuræ?

Respondeo, Jure humano; quia, licet potestas ipsa instituendi censuras originem habeat immediate a Christo, ex Matth. 16. *Quodcumque ligaveris, &c.* tamen nusquam legimus, Christum Dominum per se immediate instituisse formam, & species censuræ: ergo Ecclesia per potestatem ab eo acceptam has definivit, atque instituit. Hinc nulli peccato est adnexa censura ulla ex jure divino, neque enim illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, &c.* excommunicationem exprimit; secus omnis inobedientia Ecclesiæ esset sub excommunicatione, ut bene notat Suar. d. 2. s. 1. n. 5. solum ergo datur ibi dogma ad eos cavendos tanquam graves peccatores, & simul datur potestas Ecclesiæ eos ligandi pœnis, quas ipsa instituerit.

Ex jam dictis fit primo, nullum esse peccatum, cui adnexa sit censura de jure divino: Suar. n. 6.

Fit secundo, obligationem servandi censuram incursam esse proxime de jure humano, quamvis remote originem trahat ex jure divino, imo etiam naturali, quod jubet obediri superioribus, si præcipiant: Suar. n. 9.

Fit tertio, Pontificem posse dispensare in effectibus censuræ, puta in communicando cum excommunicato sive in civilibus, sive in divinis; sicuti de facto abstulit obligationem non communicandi cum eo nondum denunciato: Suar. n. 10. contra Covar.

Aliis vero a Papa, neque ex jure, neque ex consuetudine concessa est hæc potestas, ut eruitur ex cap. *Postulasti, de Cl. Excom. Ministr.* Suar. d. 6. s. 4. n. 4.

CAPUT II.

Quotuplex sit Censura?

EST triplex, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum: Doctores communiter, ex cap. *Quærenti, de V. S.* ubi interrogatus Pontifex de censuris, illas tres species tantum enumeravit. Sotus autem, quem sequuntur alii Thomistæ, addit his cessationem a divinis, & irregularitatem ortam ex delicto: alii etiam addunt depositionem, & degradationem, atque adeo septem esse censuras pronunciant. Sed communiter rejiciuntur, tum ex cap. cit. ubi, si aliæ essent species, Pontifex eas non reticuisset; tum quia, cum censura sit pœna medicinalis, & emendato reo sit auferenda, sequitur, ut, quamvis privet usu bonorum spiritualium, non tamen privet potentia illum recuperandi; ideoque etiam per absolutionem tollitur: at irregularitas, degradatio &c. privant tali potentia, & nonnisi, ex dicendis, per dispensationem tolluntur.

Dividitur hæc triplex censura (uti etiam irregularitas, & quævis alia pœna) Primo, in censuram juris, & censuram ab homine. Censura juris est, quæ fertur a Legislatore per legem, seu statutum generale, ac perpetuum: ut sunt censuræ juris canonici per totam Ecclesiam, constitutionum Synodalium, vel Provincialium, per Diœcesim, vel Provinciam, &c. Censura ab homine est, quæ fertur a Prælato, aut Judice, per sententiam, seu præceptum, in quo non stabilitur jus perpetuum, sed mandatum quoddam, quod cessat morte mandantis, aut remotione ab officio: adeoque censura etiam cessat, nisi antea fuerit incursa. Atque hæc censura ferri potest, tum ad cavendam culpam futuram, ut si Episcopus præcipiat Clerico assistentiam beneficio sub pœna suspensionis; tum ob culpam præteritam: sub conditione tamen, *Nisi ab ea desistat, vel pro ea satisfaciat*, ex cap. *Ex parte, de V. S.* Potest item esse specialis in unam, aut plures personas certas, ac determinatas; & potest esse etiam generalis, ut si Episcopus omnibus præcipiat observantiam festi sub pœna interdicti; sic enim etiam dicitur ferri ab homine per sententiam, si fertur per præceptum generale quidem, sed

tran-

transitorium, absque intentione condendi legem perpetuam.

Secundo dividitur in censuram latæ sententiæ, & sententiæ ferendæ. Latæ sententiæ est, quæ ipso facto, seu ipsa commissione criminis, absque alia Judicis sententia, incurritur; ideoque cap. *Pastoralis*, *de Appell.* dicitur, *Trahere secum executionem*. Sententiæ ferendæ (quæ etiam comminatoria dicitur) est, quæ non ipso facto incurritur, sed post factum per Judicis sententiam infligi debet. Regula utriusque discernendæ hæc est: Ut censura aliqua sit latæ sententiæ, debet non ambiguis, sed claris verbis excludere actionem Judicis, qui eam mandet executioni; secus erit sententiæ ferendæ; ex *Regul. Jur.* 49. *In pœnis benignior facienda est interpretatio*. Hinc ferendæ sententiæ est, si tantum dicat, *Sub pœna*, *sub interminatione excommunicationis*, *&c.*, quia hæc verba indifferentia sunt, ut intelligantur de pœna adnexa delicto, vel propter delictum a Judice infligenda: Pal. p. 2. n. 5. Idem est, si tantum dicat *Excommunicabitur*, *suspendetur*, *irregularitatem noverit se incursurum*, ob eandem rationem: Suar. n. 3. Idem probabilitee, si tantum dicat, *Sit*, vel *erit excommunicatus*, *interdictus*, *&c.*, ob eandem rationem: Nav., Laym., Sanch. l. 7. *Mat.* d. 12. n. 2. contra Con., Tamb., & alios. Si autem dicat *Anathema sit*; tunc, vel est contra hæresim, & est latæ sententiæ, quia huic subjacet hæresis; vel est contra alia delicta, & est sententiæ ferendæ: Sanch., & Dicast. apud Croix n. 9. Latæ sententiæ est, si prædictis verbis, aut quibusvis aliis addantur hæ particulæ, *Ipso facto*, *ipso jure*, *latæ sententiæ*, quia hic clare indicator, nollum Judicis officium exigi: idem est si verbis præteriti temporis addantur hæ particulæ: *Statim*, *mox*, *prorsus ex tunc*, *ex nunc sit suspensus*, *excommunicatus*, *&c.*; sed cum aliis verbis est ferendæ, *ut mox excommunicatus*, *&c.* Suar., Dicastil., & alii contra Bonac. Latæ demum sententiæ est, si dicat, *Excommunicamus*, *est excommunicatus*, *incidat*, *incidet*, *incurrat*, *incurret*, *subjaceat*, *subjacebis &c.*; quia sic non videtur requirere executionem alterius: Suar. v. Tamb. c. 1., Pignat. t. 10. consult. 1.

Noto, quod, quamvis censuræ, & irregularitates, si sint latæ sententiæ, ipso facto incurrantur ante sententiam Judicis declaratoriam criminis; aliæ tamen pœnæ (quales sont privatio officii, vocis activæ, & passivæ, inhabilitas ad officia, confiscatio bonorum, &c.) non obligant ante sententiam Judicis, quamvis ferantur sub his clausulis, *Ipso facto*, *ipso jure*, *nulla Judicis expectata sententia*, *ante omnem declarationem*, *&c*; idque ex antiquissimo usu Ecclesiæ, ut notat Suar. apud Tambur. n. 2., ex quo factum est, ut clausulæ illæ in his pœnis intelligantur, quod non requiratur sententia condemnatoria, aut declaratoria pœnæ incursæ; non autem, quod non requiratur sententia declaratoria criminis; qua posita retrotrahuntur hæ pœnæ usque ad punctum criminis commissi, ut putant Pasqual., Dian., Pelliz. tr. 7. c. 1. n. 66.

Tertio, Dividitur in censuram absolutam, conditionatam, & disjunctivam. Prima est, cum quis a Judice v. g. ipso jore excommunicatur ob delictum commissum, prohibitum jam sub censura comminatoria. Secunda est, cum fertur sub conditione, v. g. *Si faciat aliquid*, *aut omittas*; &, quamvis cap. *Romana* 5. *de Sententia Excomm. in 6.* prohibeatur sic ferre censuram, tamen hæc prohibitio non est usu recepta, nisi quando non foret justa causa ita ferendi: Suar. d. 7. s. 4. n. 7. Quod, si conditio sit omnino impertinens, ut *Excommunico te*, *si Petrus consenserit*; vel si duo Judices dicant, *Excommunico te*, *si alter non te excommunicet*, tunc censura non solum est prohibita, sed nulla, utpote continens errorem intolerabilem: Suar. s. 7. Tertia demum est, cum fertur sub disjunctione, v. g. *Sub pœna excommunicationis*, *vel suspensionis*, *sub privatione officii*, *vel beneficii*, *&c.*, & hanc Sylv., Nav., Henr., Ugol., Vasq., & alii putant, esse nullam, quia verba nihil determinate significant; sed Suar., Fill., Pelliz., Bonac. d. 1. q. 1. p. 7. n. 4. melius dicunt, quod, quamvis non sit licitum, nisi soli Papæ, sic ferre censuram, est tamen valida a quocumque Superiore feratur; quia verba determinantur per electionem delinquentis: uti etiam in confessione sæpe imponitur pro pœnitentia hoc, vel illud a pœnitente eligendum: quare reus in casu ligabitur censura, quam eliget; &, si nihil eligat, ligabitur utraque, quia mens Superioris est, ut reus non possit eludere pœnam: adeoque, vel quod unam eligat, vel quod utraque ligetur.

Quarto demum, Dividitur in censuram majorem, & minorem. Prima est excommunicatio major: item suspensio, & interdictum, prout frequenter feruntur; ideoque dicuntur etiam censuræ graves, & simpliciter censuræ. Secunda est excommunicatio minor, quæ & minus privat, & facile tolli potest a quovis Confessario: idemque esset de suspensione aliqua, vel interdicto ad aliquem particularem usum, quæque facile tolli possent; atque hæ dicuntur etiam censuræ leves, & secundum quid. Notat tamen Suar., quod, si censura ferretur ad tempus determinatum, puta ad unum diem, non esset revera censura; quia pœna medicinalis non potest ferri ad tempus; nam, si ante tale tempus reus resipiscat, debet ante illud absolvi: si post tale tempus insurdescat, non est æquum, ut absolvatur: quare, nisi censura feratur ad tempus indeterminatum, non est censura, sed mera pœna.

CAPUT III.

Quis ferre possit Censuras?

CERTUM est, nullam potestatem laicalem posse eas ferre; quia nullam habet jurisdictionem in bona spiritualia. Quod autem possit eas ferre potestas Ecclesiastica, definitum est in Concil. Const. ex Matth. 16. *Quodcumque ligaveris super terram*, *&c.*, ubi Christus Dominus loquitur etiam de actibus jurisdictionis externæ, ut docent communiter PP., & Doctores apud Suar. d. 5. s. 2. Atque hæc potestas esse potest, vel ordinaria, vel delegata.

§. I.

Quid de Potestate ordinaria?

ORDINARIA potestas est, quæ ex proprio officio, aut munere alicui competit; ideoque, qui illam habet, & exercet, dicitur uti nomine proprio.

I. Itaque censuras ferre potest per totam Ecclesiam Pontifex, & sub eo Concilium Generale. Item Legatus a latere in Provincia suæ legationis, cap. *Legatus*, *de Off. Legat.* Item Cardinales in propria cujusque Ecclesia, cap. *His de Minor. in 6.* Item Episcopi habentes Episcopatum in propria Diœcesi, cap. 1. *de Off. Ord.*; etsi tantum sint confirmati, & nondum ordinati, quia ferre censuram non est actus ordinis, sed solius jurisdictionis: & similiter qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem: Croix n. 23. Archiepiscopi autem hanc potestatem ordinariam non habent in subditos sui suffraganei, nisi in Concilio Provinciali, vel dum ejus Diœcesim actu visitant, vel dum ejus subditi causa ad ipsos devolvitur, cap. *Venerabilibus*, *de Sent. Excomm. in 6.*

II. Hanc potestatem ordinariam habent etiam prædictorum Vicarii, seu Provisores Generales, ex cap. 2. *de Consuet. in 6.* Item Vicarius Capitularis sede vacante, ex cap. un. *de Minorit. in 6.*, & a fortiori Capitulum. Item Concilium Provinciale, vel Synodale. Item Abbates, Priores, & Præpositi Ecclesiæ collegiatæ; quia habent jurisdictionem in foro externo. Archidiaconus vero, Archipresbyter, & Decanus, ex primæva institutione carent hac potestate; quamvis ex consuetudine aliqui eam obtinuerint, ex cap. *Dudum* 54. *de Elect.*

At Parochi eam nullatenus habent, quia jurisdictionem non habent in foro externo. Neque obstat cap. *Cum de Off. ord.*, ubi pro rata habetur excommunicatio lata a Plebano; nam hic erat etiam Præpositus Collegiatæ, ut notat Pal. d. 1. p. 4. Hinc nec potest Parochus ex officio declarare, aliquem esse excommunicatum, suspensum, &c., nisi ipsi demandetur: potest tamen ex vi latæ sententiæ excommunicatum prohibere ab ingressu Ecclesiæ, & removere a Sacris: Krim. cum communi.

III. Ex privilegio Papæ eorum officio perpetuo adnexam hanc potestatem habent Religiosorum Generales, Provinciales, Præpositi, Rectores (in Societate tamen facultas excommunicandi reservata est Provincialibus) Priores, Guardiani, aliique Superiores locales, quocumque nomine nuncupentur, respectu suorum subditorum, etiam Novitiorum, Tertiariorum, & ejectorum; imo etiam Monialium, si sint sub eorum potestate: Pelliz. tr. 2. c. 6. n. 5., modo tamen tales Superiores habeant saltem primam tonsuram: Suar. d. 2. s. 2., ex cap. *Cum de Major. & Obed.* Similem etiam potestatem habent Religiosorum Congregationes, seu Capitula Generalia, & Provincialia. Non tamen Abbatissæ, Priorissæ,

&c.,

&c.; quia feminæ non sunt capaces jurisdictionis, seu potestatis clavium, cap. *de Monialibus*, *de Sent. Excom.*, quando ergo cap. *Dilecta*, *de Majorit.*, *& Obed.* dicitur, eas posse Clericos sibi subditos suspendere; suspensio ibi non accipitur proprie pro censura, cujus violator irregularitatem incurreret, sed improprie pro mandato aliquo, quo Abbatissa Clerico sibi quodammodo subjecto prohibet celebrationem, donec satisfaciat, subtrahens ei redditus: Pal. p. 4.

IV. Per consuetudinem, aut præscriptionem acquiri potest hæc potestas a quovis alio Clerico, ex c. *Dudum*, non quod ipsa consuetudo eam tribuat, sed quod Papa eam mediante consuetudine tacite conferre: ex eo autem, quod quis sic acquisivit potestatem circa unam speciem censuræ, non infertur etiam potestas circa reliquas: Suar. f. 2. n. 6. Similiter hanc potestatem habre, qui jurisdictionem in foro externo habet ex errore communi cum titulo colorato, quia tunc Ecclesia ob bonum regimen supplet ejus defectum, ex *l. Barbarius*, *ff. de Off. Prat.* Similiter, si quis prædictorum omnium sit occulte excommunicatus, aut suspensus, quamvis peccet sic ferendo censuram sine necessitate, fere tamen valide, ex eadem *l. Barbarius*. At, si ejus excommunicatio, vel suspensio esset notoria, aut publice denunciata, invalide ferret censuras, aut delegaret suam potestatem alteri; quia tunc ejus jurisdictio esset omnino suspensa, & non esset, cur supplere vellet Ecclesia: Krim. n. 16139. Imo, sic excommunicato, vel suspenso Episcopo, suspenditur etiam jurisdictio ordinaria Vicarii, quia hic facit unum Tribunal cum illo, ex cap. x. *de Off. Vic. in 6.* Cæterum, si Superior, puta Papa, inferiori Prælato prohibeat, ne ferat censuram, quamvis hic peccet, ferendo: fere tamen valide, nisi in tali prohibitione sit clausula irritans actum: Suar. d. 2. f. 6.

§. II.

Quid de Potestate delegata?

QUICUMQUE potestatem ordinariam habet ferendi censuras, potest eam alteri delegare; quia hoc ipsum munus delegandi est quidam usus potestatis ordinariæ, ex *l. More*, *ff. de Jurif.*, & cap. *Cum* 5. *de Sent. re judicata*. Ad delegandam autem hanc potestatem requiritur primo voluntas, tum concedentis, tum acceptantis: Secundo, Ut neuter sit innodatus censura notoria, aut publice denunciata, juxta modo dicta: Tertio, Ut accipiens sit capax; qualis est solus Clericus habens saltem primam tonsuram. Non est ergo capax, qui non habet usum rationis; quia sic nequit eam acceptare: qualis est infans, amens, furiosus, ebrius, &c., idque ex jure naturali, quamvis, si recepta sit tempore usus rationis, permanere in amente poterit: Suar. f. 3. n. 4. Neque capax est infidelis, idque ex jure divino; quia nequit exercere munera Ecclesiæ visibilis, qui intra illam nondum est, ex cap. 1., & 3. *de Presbyt. nondum baptizato*. Neque femina, etiamsi sit Abbatissa, ex cap. *Dilecta cit.*, idque Conin. dicit, esse de jure divino; sed Suar. cum aliis probabilius ait, esse de jure tantum ecclesiastico; quia, quamvis hæc potestas sit spiritualis, non est tamen potestas ordinis, sed jurisdictionis. Similiter jure ecclesiastico neque capax est laicus, ex cap. *Judicatum* 89., ubi generaliter cavatur, ne sæcularibus viris res ecclesiasticæ committantur; ideoque neque Religiosus Professus, si sit laicus: Suar. n. 11., imo neque Clericus conjugatus, nisi separatus sit a conjuge unica, & virgine, edito utrinque voto castitatis, ex cap. *Sane l. de Clericis conjugatis*: neque demum Congregatio, seu Capitulum, si constet majori ex parte ex laicis, ex cap. *Decernimus*, *de Judiciis*.

Clericus autem, cui delegata est hæc potestas, eam retinet quodammodo dependentem a delegante: itaut, si re integra (hoc est causa nondum per citationem inchoata) delegans moriatur, aut deponatur ab officio, aut publice suspendatur ejus jurisdictio, statim cesset potestas delegata in altero, ex cap. *Licet*, *de Off. delegat.* Quod (exceptis inquisitoribus ob singularem favorem fidei) est universaliter verum in jurisdictione fori contentiosi: quamvis in foro pœnitentiæ aliud probabiliter sit, juxta alibi dicta. At, si res non sit integra, tunc ea potestas firmiter adhæret delegato independenter a delegante, tum in ordine ad causam jam inchoatam, tum in ordine ad alias, quæ cum ea aliquam connexionem habent; quamvis non relate ad reliquas: Suar. d. 2. f. 3. num. 15. Similiter, si delegata jam potestate, delegans prohibeat ejus usum, non irritando, aut eam revocando, delegatus adhuc valide ferret censuras, quamvis peccaret contra prohibitionem: Suar. d. 2. f. 6.

CAPUT IV.

In quos ferri possit Censura?

CENSURA ferri non potest, nisi in Hominem, Baptizatum, Viatorem, Habentem usum rationis, & Subditum; & hic potest esse, vel Absens a Territorio, vel in eo Extraneus, vel Vagus, vel Exemptus: quæ omnia sunt hic expendenda.

§. I.

Expenduntur quinque primæ conditiones.

I. DEBET esse Homo: quia Angeli non subjacent jurisdictioni Ecclesiæ, & dæmones sunt perpetuo incorrigibiles. Bruta vero, & reliqua inanimata sunt incapacia subjectionis spiritualis, quæ, si aliquando Ecclesia anathematizat, non est, quod in illa ferat censuras, sed ea execratur: sicuti, cum quis proprias culpas anathematizat. Interdictum locale non fertur in pœnam ipsius loci, sed hominis ibi commorantis, ex c. *Si Civitas*, *de sent. exc. in 6.*

II. Debet esse Baptizatus, quia Infidelis, idest Paganus, Judæus, & Cathecumenus potestati Ecclesiæ non subditur. Ex 1. *Cor.* 5. Secus dicendum de Hæreticis, Apostatis, & Schismaticis, qui, utpote baptizati, potestatem Ecclesiæ effugere non possunt, cap. *de Judæis* 45.

III. Debet esse Viator ex Matth. cit. *Quodcumque ligaveris super terram*, *&c.*, idest eos, qui sunt super terram, Gratian. 24. q. 3. Itaque non potest Ecclesia ferre censuram in defunctos, quamvis possit denunciare censuram defuncti, quam in vita contraxit: item potest defunctum in peccato privare Ecclesiastica sepultura; at non propter censuram, quam in illum fulminet, sed propter statum, in quo ille moritur: Suar. d. 5. f. 1. n. 7. Neque obstat cap. *a nobis* 1. *de Sent. Excomm.*, ubi dicitur, excommunicatum absolvi posse post mortem, quia Ecclesia potest solvere, & ligare defunctos: Nam textus hic intelligi debet de solutione, & ligatione indirecta, quatenus Ecclesia directe injungit fidelibus, ne corpus excommunicati mandent sepulturæ, ne offerant sacrificia, &c.; &, si signa pœnitentiæ dederit, concedit iisdem fidelibus, ut ea beneficia in illum impendant: quod directe est ligare, & absolvere vivos ab obligatione, quæ illis inest ob censuram, qua defunctus erat ante mortem ligatus: Suar. n. 11. Hinc infertur, quod si quis mandavit occidere clericum, & ante mandati executionem moriatur, non incurrit excommunicationem canonis, *Si quis suadente*, *&c.*; quia tempore, quo erat eam incursurus, est incapax censuræ, quæ primo, & directe in ipsum feratur: Suar. n. 15. Idem est, si quis clerico propinet venenum, quod post suam mortem operetur.

IV. Debet *Habere usum rationis*, saltem quando dedit causam censuræ; ideoque infantes ante septennium completum sunt incapaces cujusvis censuræ; quia absque culpa censura non incurritur. At, si quis, dum erat compos rationis, dedit causam efficacem censuræ incurrendæ, & tempore, quo erat ligandus, incidat in amentiam, sine dubio ligatur; quia usus rationis requiritur ad causam censuræ apponendam, non vero ad ipsam censuram contrahendam: Suar. n. 20. Quod si talis amentia evaderet perpetua, deberet talis absolvi a censura, quia amplius corrigi non posset: Suar. n. 22.

Dubium est, An incapaces sint etiam impuberes, idest pueri ante 14., & puellæ ante 12. completum?

Affirmant universaliter Sa, Fagund., & Tambur. *de Communione* cap. 4.; quia cap. 1. *Pueris*, & 2. *Referente*, *de delictis puerorum*, dicitur, *Etsi pueri ante pubertatem possint peccare, at ex benignitate Ecclesiæ a pœna peccato imposita excusantur*, quæ verba generalia sunt: ideoque inferunt, hos pueros clericos, si se invicem percutiant, non incurrere excommunicationem. Neque, si quem occidant, incurrere irregularitatem. Neque, si non communicent, incurrere excommunicationem latam ab Episcopo contra non communicantes in Paschate, &c. Distinguunt alii communiter cum Sot., Azor., Vasq., Sanch., Pal., & aliis; & dicunt, impuberes incurrere pœnas, & censuras latas a jure, non tamen latas ab homine; itaut neque comprehendantur in interdicto locali ratione pœnæ, sed tantum

ratio-

ratione præcepti, ut addit Pal. d. 1. *de Leg.* p. 24. §. 3. n. 8.

Alii vero cum Suar., & Dicaſt. n. 232. probabilius dicunt, impuberes ſolum eximi a pœnis, & cenſuris ſpecialiter latis ab homine; ſubjacere vero pœnis, & cenſuris generalibus, ſive per ſtatutum, ſive per ſententiam generalem latis. Ratio primi eſt, quia ad incurrendas pœnas, & cenſuras ſpeciales deberent prius citari; & ætas illa citari de jure non poteſt, neque admittitur ad agendum, aut ſe defendendum, eo quod eſt inſufficiens ad intelligendum ordinem judiciarium, ex cap. ult. *de Judiciis in 6.*, neque in tali materia tenentur per procuratorem Pueri comparere, cum ſit res concernens illorum conſcientiam: Suar. n. 19., & hic Textus explicat textum allatum de delictis puerorum. Ratio ſecundi eſt, quia ætas illa eſt de ſe capax cenſuræ, cum ſupponatur doli capax, & nullo jure probatur, eſſe exempta, cum ad incurrendas cenſuras generaliter latas non opus ſit citatione, &c., ideoque incurrunt Pueri excommunicationem latam contra ingredientes in monaſteria monialium, ut videtur certum ex Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 5. *de Regular.*, ubi expreſſe dicitur *Cujuſcumque ætatis ſint*; dummodo ſint doli capaces. Ex jure etiam oſtendit Pal., eos incurrere excommunicationem latam in percuſſores clericorum, etſi non teneantur recurrere ad Papam pro abſolutione, ex cap. *Pueri*, *de Sent. Excom.* Et ſimiliter, cum in interdicto locali obligentur, ut abſtineant a Divinis, ſenſus communis eſt, eos ſubjacere cenſuris generaliter latis ab homine, ut notat Delben. In hac tamen Diœceſi Neapolitana non comprehenduntur impuberes in caſibus, & cenſuris ſynodalibus reſervatis in tabella; quia in ea expreſſe excipiuntur, ut dictum eſt in Append. c. 2. §. 2. circa finem.

V. *Debet eſſe ſubditus* juriſdictioni ferentis cenſuram, quia ſuperior juriſdictionem exercere non poteſt, niſi in ſibi ſubditum, cap. 21. *de Sent. Excom.* Hinc Pontifex nulla cenſura ligari poteſt, quia ſuperiorem in terris non habet; & nemo tenetur ſuis legibus quoad vim coactivam. Si tamen publice deprehendatur devius a fide, Concilium generale poteſt eum per cenſuras cogere, ut pareat, ex c. *Si Papa* d. 40., quia tunc deſiit eſſe Papa, Bell. *de Pont.* l. 2. q. 30. Eadem ratione oſtenditur, quod nullus alius ſuperior poſſit incurrere cenſuram a ſe generaliter latam, quia nemo tenetur ſuis legibus, quoad vim coactivam, & pœnalem, ſed tantum quoad vim directivam: Delben. c. 15. dub. 6. Poteſt tamen occaſione cenſuræ a ſe latæ incurrere cenſuram latam a ſuo Superiore: v. g., ſi Epiſcopus converſetur cum alio a ſe excommunicato vitando, incurrit excommunicationem minorem latam a jure communi in eos, qui cum excommunicato communicant, quidquid in contrarium dicat Krim. n. 1643. Similiter, ſi celebret in Eccleſia a ſe interdicta, probabilius fiet irregularis, ex jure communi jubente, ſervari ab omnibus interdictum, Suar. d. 2. ſ. 4. n. 5. addens n. 6. quod, quando Concilium, ſeu Capitulum fert cenſuram, obligat ſingulos; quia totum poteſt reſpicere partem, ut ſibi ſubjectam, quamvis non poſſit ipſum eſſe ſibi ſubjectum, neque adeo ferre in ſe cenſuram.

§. II.

Quid de Subditis abſentibus a Territorio?

CERTUM eſt, quemcumque fidelem, ubicumque exiſtas, ligari poſſe cenſuris a Papa; quia Chriſtianus, ubicumque terrarum ſit, dicitur eſſe in territorio Papæ: Suar. d. 5. ſ. 4. n. 3. Certum pariter eſt, Superiores Ordinum Religioſorum, qui proprium territorium, ſeu Diœceſim non habent, poſſe cenſuris ligare ſuos ſubditos Religioſos, ubicumque ſint: item aitare, & capere nemine implorato; quia eorum juriſdictio non eſt incluſa certis finibus, ut ex jure oſtendit Delb. d. 5. ſ. 1. n. 21.

Dubium eſt, An Epiſcopi, qui proprium territorium, ſeu Diœceſim habent, poſſint cenſuris ligare ſuos ſubditos committentes crimen extra Diœceſim? Qua in re noto diſcrimen inter cenſuram latam per ſtatutum, ſeu legem, & latam per ſententiam, ſeu præceptum: ſtatutum enim, cum per ſe tendat ad bonum regimen territorii, illi immediate cohæret, ideoque non obligat ſubditos, niſi ibi exiſtentes: at ſententia etiam generalis, cum per ſe tendat ad bonum regimen perſonarum ſecundum ſe, immediate earum oſſibus inhæret, ideoque eas obligat, quocumque terrarum diſceſſerint: Suarez d. 5. ſ. 4. cum communi. Hinc

Dico primo: Subditus non incurrit cenſuras latas per ſtatutum Epiſcopi, ſi contra illud agat extra Diœceſim, vel in loco exempto intra Diœceſim. Ita expreſſa habetur in c. 2. *de Conſtit. in 6.* Et ratio eſt, quia ſtatutum non obligat extra territorium. Noto cum Suar. n. 6., per locum exemptum hic non intelligi Eccleſias, & Monaſteria Religioſorum, quæ nonniſi ratione talium perſonarum vocantur exempta; ideoque, ſi aliæ perſonæ ibi frangerent ſtatutum Diœceſanum, cenſuram ſine dubio incurrerent. Sed loca proprie exempta dicuntur quædam Parochiæ, & oppida, quæ quoad juriſdictionem ſubjacent alii Epiſcopo, vel immediate Pontifici: ſi ergo ſtatuto Diœceſano ſub cenſura prohibeatur uſus aleæ, qui ludit in loco ſic exempto intra Diœceſim, cenſuram non incurrit; quia non ludit in illa Diœceſi formaliter: Henr., Avil., Con. Hurt. Vide dicta in *de Leg.* tr. 1. d. 2.

Ex dictis infers, quod ſi ſtatuto Diœceſano prohibitum ſit homicidium ſub excommunicatione, & Titius ſubditus lethaliter vulnerato Cajo extra Diœceſim, ad eam redeat, antequam Cajus expiret, non incurrit excommunicationem; quia delictum commiſſum fuit extra territorium: Suar. ſ. 3. n. 3. Idem eſt, etiamſi Cajus reverſus expiret intra Diœceſim; quia intra hanc Titius non peccavit. Idem pariter eſt, ſi Titius vulneravit non quidem lethaliter Cajum intra Diœceſim, & deinde illum perſequendo occidit tandem extra Diœceſim; quia ibi cenſetur committi homicidium, ubi exterius conſummatur, non ubi inchoatur; Suar. n. 4. Quod verum eſt, etiamſi homicidium in altera Diœceſi prohibitum pariter ſit ſub eadem cenſura; nam probabile eſt, hoc alterius Diœceſis ſtatuto non ligari Titium, juxta dicenda §. ſequ. Poteſt tamen aliis pœnis puniri ab utroque Judice, tum delicti inchoati, tum conſummati ex l. 1. cap. *Ubi de Crimine*; quia utrobique vere deliquit, etſi non utrobique occidit: Suar. n. 9. Dixi, *Non quidem lethaliter*; nam, ſi Titius lethaliter vulneravit Cajum intra Diœceſim, incurrit cenſuram latam in homicidas, quamvis Cajus deinde ex eo vulnere moriatur in alia regione; quia ſic homicidium etiam quoad actum externum cenſetur conſummatum intra Diœceſim, ubi poſita eſt cauſa ejus efficax, & per accidens eſt, quod effectus mortis ſequatur alibi: Suarez ſ. 4. n. 10. Expectandus tamen eſt talis effectus, ut incurratur cenſura contra homicidas: Suarez, Fill., Dian., & alii. Hinc in ſimili, ſi Titius exiſtens in Eccleſia occidat Cajum exiſtentem extra Eccleſiam, non incurrit excommunicationem in hac Diœceſi Neapol. latam contra occidentes in Eccleſia; quia homicidium conſummatur extra Eccleſiam, licet inchoetur intra, ſeu potius ab Eccleſia. Incurrit vero, ſi ipſe exiſtens extra Eccleſiam occidat Cajum exiſtentem in Eccleſia, quia in hac completur homicidium: Suarez n. 9. Et ſimiliter incurrit, ſi illum vulneret lethaliter intra Eccleſiam, quamvis vulneratus non ibi moriatur, ſed in propria domo, vel alibi: Suar., Bon., & alii.

Quæres, Quid, ſi ſtatuto Epiſcopali prohibitum ſit ſub cenſura, ne triticum, vel quid ſimile extra Diœceſim feratur, quod delictum non videtur conſummari, donec quis egrediatur terminos Diœceſis?

Reſpondeo, Hoc etiam delictum conſummari in toto termino Diœceſis, licet quoad terminum extrinſecum conſummetur etiam in alia, ideoque incurri cenſuram: Suar. n. 11. At quid, ſi prohibitum ſit, ne ſui Sacerdotes faciant ſacrum, vel quid ſimile in aliena Diœceſi? Dico, hoc ſtatutum æquivalere ſententiæ, cum fiat non tam in bonum territorii, quam ob alias juſtas cauſas pertinentes ad bonum ipſorum ſubditorum ſecundum ſe, ideoque obligare etiam extra territorium: Suarez n. 12.

Dico ſecundo: Subditus incurrit cenſuras latas a ſuo Epiſcopo per ſententiam, ſeu præceptum, ſive ſpeciale, ſive generale, etiamſi contra illud agat extra Diœceſim, vel in loco exempto intra Diœceſim. Ita communiter Abb., Ugol., Sa, Bonac., Suar. d. 5. ſ. 5. contra Ægid., Sayr., Con., Sylv., Heur., Salas, & alius. Et ratio ex dictis eſt, quia ſententia etiam generalis immediate adhæret perſonæ, adeoque obligat ſubditum, ubicumque ſit, *Modo non deſinat eſſe ſubditus*. Hinc, ſi Epiſcopus per ſententiam excommunicationis ipſo facto prohibeat, ne quis furtum faciat, ne Clericus ferat arma, &c., ubicumque ſubditus mandatum hoc tranſgreſſus fuerit, cenſuram incurrit. Neque enim diverſitas Territorii impedire poteſt hujus pœnæ executionem, utpote quæ per ipſum præceptum fit, & ſine externa vi, quæ poſſet alienam juriſdictionem perturbare: Suar.

Suar. n. 5. Similiter, si ante talem prohibitionem Titius furtum jam fecit, & Episcopus deinde illum excommunicet, nisi intra mensem restituat; tunc, si Titius extra Diœcesim existens incipiat post mensem esse contumax, in excommunicationem incidit, dummodo tamen tale furtum commissum sit a Titio in propria Diœcesi; secus enim Episcopus nullam haberet jurisdictionem ad illud vindicandum, aut emendandum; quare supposita hac jurisdictione potest per sententiam excommunicationis obligare Titium absentem, ut intra mensem restituat: Suar. n. 5. Dixi *Modo non desinat esse subditus*; quod fit per mutationem domicilii, & quidem e primo die, quo incipiat habitare in alia Diœcesi cum animo ibi perpetuo manendi; sic enim Titius in priori casu de sententia excommunicationis pro furto futuro non tenetur amplius ei obedire, quia desinit omnino esse ei subditus: at in posteriori casu de sententia excommunicationis pro furto præterito, nisi intra mensem restituat, adhuc tenetur; quia ratione furti præteriti jam constitutus est reus coram Judice prioris domicilii, & vel formaliter, vel virtualiter coram illo citatus, cui proinde adhuc manet subditus, quoad talem causam: itaut, si notorium fuerit delictum, poterit prior judex etiam procedere ad sententiam censuræ, sive hanc fuerit antea per statutum, sive per præceptum comminatus. Si non sit notorium, poterit eum citare per nuntium, vel per literas, &, si contumax sit, censuram ferre: Abb., Cover., Laym., & alii, ex cap. *Ex tua, de Cler. non resid.*

Neque obstat illud, *l. ult., ff. de Jurisdict. Extra territorium jus dicenti non paretur impune*; nam in casu adhuc prior Judex videtur dicere jus intra suum territorium, licet nuntius illud extra territorium exequatur per executionem non judicialem, & sine strepitu, adeoque sine perturbatione jurisdictionis alienæ; quamvis in hoc contradicant alii cum Delb. dub. 5., eo quod omnis juridica citatio sit actus judicialis fori contentiosi. Idem dicendum, si non præcessit delictum in priori territorio, sed alia causa, puta contractus, vel debitum, cujus executio postulata fuerat coram priore Judice per citationem; ex c. *Proposuisti, de for. comp.* Limitanda tamen sunt hæc, nisi Titius ex præcepto Superioris ob commune bonum mutaverit domicilium; quia tunc omnino desinit esse subditus priori Judici etiam in causa coram illo inchoata: Bartol. in *l. 1., ff. de Pæn.*, Suar. d. 3. s. 4.

Quæres, An Episcopus ipse existens extra suum territorium possit ferre censuras in suos subditos?

Affirmant Sylv., Nav., Avil., & alii cum Bonac. d. 1. q. 1. p. 9. n. 3. Si causa sit ita clara, ut non requiratur judicialis cognitio; quia sic non videtur perturbare jurisdictionem alienam. Negant alii cum Delb. *de Immun. Eccl.* c. 12. d. 6., quia, quantumvis causa sit clara, ferre censuram semper est actus jurisdictionis contentiosæ, quem in alieno territorio exercere non potest, cum ibi Tribunal non habeat. Addunt tamen Sayr., Avil., & alii communiter apud Bon., quod, quando Episcopus injuste impeditur, ne jurisdictionem in suo Territorio exerceat, possit eam exercere in alieno, in loco vicino suo Episcopatui, ex Clem. 1. *de For. comp.*

§. III.

Quid de Extraneis, & Vagis?

I. EXTRANEI non sunt, qui habentes alibi domicilium, huc se conferunt animo permanendi pro majori anni parte, ut sunt studentes in hac universitate, litigantes in curia, famuli, & famulæ, &c., qui proinde dicuntur habere hic *Quasi domicilium*, & ideo subduntur etiam legibus, & censuris hujus territorii. Sed dicuntur proprie extranei, inquit Festus, qui ex altera terra sunt, & hic per transitum, etsi per aliquot menses infra anni dimidium, versentur; ideoque dicuntur Hospites, Advenæ, Forenses, & Peregrini, qui certe alibi habent domicilium.

Dubium nunc est, An hi, si in hoc territorio delinquant, ligentur censuris hujus territorii latis, sive per statutum, sive per sententiam?

Affirmant universaliter Ab., Ugol., Cov., Graf., Engel., & alii cum Gloss. in cap. *A nobis, de Sent. Excom.*, quia, etsi tales extranei non sint subditi hujus territorii ratione domicilii, vel quasi domicilii; sunt tamen subditi ratione delicti in ordine ad forum externum, ex c. ult. *de for. comp.*; Ergo si delinquant, incurrunt censuram hic adnexam delicto, sive latam per statutum, sive per sententiam hujus Episcopi.

Negant universaliter Bonac., Laym., Lugo *in Resp. Mor.* l. 6. d. 22., & alii; quia cap. *A nobis* cit. interrogatus Pont., an Forenses comprehendantur sub excommunicatione lata ab Episcopo pro futuris delictis? Respondet, *Solos subditos comprehendi*; atqui extranei non sunt subditi: ergo, &c. Neque obstat, quod fiant subditi ratione delicti; nam, quamvis delictum hic commissum constituat eos subditos hujus fori, & suppositum foro possint citari, &, si contumaces sint, puniri; tamen, si ante delictum non erant aliunde subditi, non possunt fieri per illud simul subditi, & contumaces, & censuram incurrentes; quia, ut bene notat Suar. d. 5. s. 5., contumacia essentialiter requisita ad censuram incurrendam supponit subjectionem, non constituit: ergo, etsi possint commisso delicto citari, &, si fiant contumaces, speciali censura ligari; non tamen incurrunt censuram hic latam sive per statutum, sive per sententiam generalem ante commissum delictum.

Distinguunt tandem alii communius cum Ugol., Sayr., Suarez loc. cit. Et negant, si censura lata sit per sententiam generalem, ob rationem modo datam: affirmant vero, si censura lata sit per statutum; quia statutum per se datur pro territorio, ut scilicet in eo tali modo vivatur: ergo extranei tenentur pro eo tempore, quo ibi morentur, se conformare tali statuto, cui prima subjectio in illis oritur, non ex delicto, sed ex actuali existentia, & obligatione quasi naturali se conformandi moribus, & ritibus illius regionis, in qua pro eo tempore versantur; juxta August. *Epist. 86. ad Casulanum*. Hæc opinio videtur probabilior; modo tamen statutum ita spectet bonum commune illius territorii, ut ejus transgressio per se damnum inferat illi communitati; qualis esset lex contractuum, de non transferendo tritico, de non transcendendis muris, &c. Secus vero, si ejus transgressio non sit talis; ut si esset lex de jejunio, de colendo festo municipali, de non alloquendis monialibus, &c.; ut dictum est in tract. de Legibus disp. 2. q. 3.

II. Vagi sunt, qui nullibi habentes domicilium, hac illac sine animo alicubi manendi vagantur: atque hi ligantur omnibus legibus, & censuris illius territorii, in quo etiam obiter reperiuntur; quia, cum nullum peculiare domicilium habeant, illud quoad omnia acquirunt, ubicumque reperiantur; alias ab omnibus statutis, & legibus particularibus essent exempti, quod a recta hominum gubernatione est dissonum: Sanch., Suar., Sal., Bon., cum communi.

§. IV.

Quid de Exemptis?

I. REGES, & Imperatores, quamvis spectato jure communi possent ab Episcopo censurari, ut patet ex Theodosio, quem S. Ambrosius excommunicavit; at nunc exempti sunt a potestate Episcoporum, & unice reservantur Papæ; S. Anton. tamen apud Dicastil. d. 1. n. 223. putat, pro casibus saltem notoriis adhuc subjacere Episcopo.

II. Episcopi sunt exempti e censuris suspensionis, & interdicti generaliter latis, ex c. *Quoniam, de Sent. Exc. in 6.* Subjacent tamen excommunicationibus generaliter latis; quia de his ibi non fit mentio, & in positivis non valet argumentum a pari. Quod dictum est de Episcopis, Ugol., Azor., Bonac., & alii non extendunt ad Cardinales, si non sint Episcopi, arg. l. *Testam. c. de Testam.* Porro Episcopus nequit potestate ordinaria ferre censuras in alium Episcopum, vel in suum Archiepiscopum; quia par in parem, & a fortiori in superiorem non habet imperium, ex cap. *Innotuit, de Excom. in 6.* Addit tamen Pignat. t. 1. consult. 174. n. 8., Episcopum posse ferre censuras in alium etiam Archiepiscopum in suo territorio delinquentem, quia quamvis sit superior, tamen ratione delicti fit subditus, quod tamen intelligendum est juxta dicta §. antec. Illud videtur certum, posse Episcopum in alium Episcopum, & in suum Archiepiscopum ferre censuras per modum justæ defensionis, juxta dicenda cap. seq.

III. Nulla communitas ligari potest excommunicatione, ex cap. *Romana, de Sent. Excom. in 6.*, quia, cum excommunicatio sit pœna omnium gravissima, non debet innoxios illius communitatis gravare: Nav., Avil., & alii, communiter; quamvis ferri possit excommunicatio in quemcumque, qui ex tali communitate

de-

deliquerit, quia tunc ex ipso delicto determinantur personæ excommunicatione ligandæ: Pal. d. 1. p. 6. n. 3. Ligari tamen potest quævis communitas suspensione, vel interdicto; quia hæ censuræ sunt mitiores, & ideo in odium delinquentium afficere possunt etiam innoxios, juxta dicenda d. 3., & 4.

IV. Religiosi, aliæve personæ, & loca exempta ab Ordinario non possunt ab eo censurari; quia ei non subduntur. Notat hic Krim. num. 1685., quod, si Ordini, aut Loco Religioso, Regi, Reginæ, eorumque Filiis concedatur, quod non possint censurari, intelligitur, quod nec ab Episcopo possint: si tamen concedatur aliis, solum intelligitur, quod non possint censurari a judicibus Episcopo minoribus, puta Abbatibus, &c., ex cap. *Ne aliqui, de Sent. Excom. in 6.* Addit Pellix. tr. 7. c. 1. n. 52., quod Episcopi, quamvis procedant ut delegati Papæ, item Nuntii Apostolici, & Legati a latere, non possunt contra Religiosos exemptos ferre censuras, nisi in specie sit illis concessum. Addit etiam num. 56., quod, quamvis in sententia generali censuræ *Contra personas Ecclesiasticas* comprehendantur sub hoc nomine Religiosi etiam laici, & Moniales; tamen, si non adsint hæc verba, non comprehenduntur, nisi nominatim fieret eorum mentio; nec sufficeret, si diceret, *Ut perinde valeat, ac si essent nominatim expressa*, ex Privil. Nicol. IV. Fratribus concesso. Potest tamen Episcopus denunciare, Religiosum exemptum esse ipso jure, & facto excommunicatum ob delictum notorium; quia denunciatio nihil addit; & in notoriis non requiritur cognitio judicialis, V. Pignat. t. 7. cons. 44., ubi multa habet de potestate Episcopi in Religiosos.

CAPUT V.

Quam ob causam ferri possit Censura?

CENSURA simpliciter dicta (hoc est gravis, & major) ferri non potest, nec incurri, nisi ob peccatum mortale, exterius consummatum, specialiter ab Ecclesia prohibitum sub tali censura, & commissum cum contumacia; quæ omnia hic quatuor §§. expendamus.

§. I.

Ob Peccatum mortale.

RATIO est, quia, cum censura sit pœna, & hæc supponat culpam, sequitur, ut, cum censura major sit gravis pœna, infligi non possit, nisi ob culpam gravem: & quidem excommunicatio, quæ est omnium gravissima, non incurritur, nisi ob peccatum grave proprium: suspensio, & interdictum ferri & incurri possunt ob peccatum grave alterius, qui tamen sit caput communitatis. Igitur invalida esset major censura, si ferretur pro veniali, quod tantum est capax censuræ minoris: Suar. d. 8. s. 4. cum communi contra Cajet., & alios.

Hinc, si furatus es rem levem, non incurristi excommunicationem latam contra fures, quia non peccasti graviter; nisi forte commiseris furtum simul cum aliis, quorum singuli abstulistis rem levem, quæ simul accepta constituat rem gravem, quia sic quisque vestrum peccat graviter. Idem est de excommunicatione lata contra injustos detentores, si singulis scienter detinentibus rem levem, grave damnum patiatur dominus ex ea detentione; quia sic juxta probabiliorem sententiam quisque mortaliter peccat detinendo rem levem: Avil., Bon., & alii.

Objicies: Sæpe Episcopi prohibent sub gravi censura aliquid de se indifferens, aut leve: puta, ne Clericus nutriat comam, ne ludat aleis, ne ferat arma, &c., ergo ferri potest censura major ob culpam levem.

Respondeo, Nego consequentiam. Superior prohibens aliquid sub censura, vel supponit illud aliunde prohibitum sub gravi, vel tunc ipse prohibet sub gravi, etiamsi hoc non exprimat in sententia censuræ; quia hoc ipso, quod illud prohibet sub majori censura, vult, observari sub gravi; *Qui enim vult aliquid, censetur etiam velle omne necessarium ad illud, quod intendit*, ex cap. *Præterea, de Off. delegat.* Suar. d. 4. s. 6. cum communi.

Noto tamen primo, Non omne id, quod secundum se est indifferens, aut veniale, prohiberi posse a Superiore sub gravi; nam Superior non potest magis obligare, quam obligare possit jus naturale: tunc ergo solum potest Superior, quando, licet aliquid secundum se spectatum sit leve, tamen ob circumstantias exigeret hic & nunc graviter prohiberi, & sic intelligendi sunt plures canones, qui videntur sub censura majori prohibere rem exteroqui levem; ut in casibus ab arguente positis. Contra vero, si res a Superiore prohibita sub censura majori maneat adhuc levis ex circumstantiis, &c., puta mendacium leve, non est causa sufficiens ad eam censuram incurrendam; sed hoc relinquendum Doctorum judicio, & in dubio standum pro Superiore: Avil., Pal., Bon., & alii. At, si sub censura præcipiatur aliquid turpe, impossibile, inutile, contrarium juri, aut bono communi: puta, *Si non contrahas matrimonium*, ad quod non teneris, *Si non audias quotidie Missam*, *concionem singulis festis*, *&c.*, censura est certe nulla; quia continet errorem intolerabilem circa causam; uti etiam, si ferretur non ob aliam causam, nisi quia non es gratus Episcopo: Doctores communiter.

Noto secundo, Neque pro quovis mortali ferri licite posse censuram gravem, sed solum quando illud alia via corrigi, aut impediri non possit, ex Trid. *sess.* 25. c. 3. *de Reform.*, ubi præcipue notanda sunt verba illa: *Ubi executio realis, vel personalis fieri poterit, erit a censuris abstinendum*. Hujus præcepti transgressio, quamvis non invalidet, illicitam certe reddit censuram ferenti: Suar. n. 9. Similiter, si correctio obtineri poterit per suspensionem a Clerico, aut interdictum a laico, abstinendum est ab excommunicatione, quæ est censura omnium gravissima: Suar. n. 5. Addit Felin., quod si nullus fructus speretur, erit omnino a censura abstinendum; quod tamen intelligendum de fructu, non tantum privatæ personæ, sed etiam aliorum; quia censura non solum ordinatur ad ejus salutem, sed etiam in aliorum disciplinam, & exemplum: Suar. n. 5.

§. II.

Ob peccatum exterius consummatum.

RATIO est, quia Ecclesia est sensibilis, & visibilis; ergo non habet potestatem in aliquid pure invisibile, & insensibile, quale est peccatum sola voluntate consummatum: quamvis ergo potestas ferendi censuras dicatur spiritualis, & ordinata ad finem spiritualem; quia tamen est in hominibus corporeis, ideo non potest se extendere ad res pure spirituales, quales sunt actus interni voluntatis, nisi aliquo pacto per sensibilia manifestentur: sic Ecclesia absolvit a peccatis pure mentalibus, dummodo sibi fiant manifesta per confessionem: dispensat in obligatione contracta per votum mere internum, sed nonnisi sibi manifestatum, ex cap. *Quanta* 47. Excommunicat Judicem, qui nolit defendere Clericum a percussione; ea enim nolitio manifestatur per omissionem externam. Hinc, si peccatum sit mere internum, non solum non potest in illud ferri censura per sententiam Judicis, quæ requireret cognitionem causæ, sed neque per jus, vel sententiam generalem in futurum; quia Ecclesia sensibilis, & visibilis nullam potestatem habet in talem actum: ideoque hæreticus mere internus non incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ latam contra hæreticos, uti nec peccati reservationem; incurrit vero, si talis actus sit aliqualiter sensibilis per actum externum, & ab hoc sit informatus moraliter, ut loquuntur Doctores communiter, ex cap. *Erubescat*, & cap. *Sicut tuis, de Simonia*, contra Glos., Farin., Barb., Medin., & alios.

Objicies cum Medina: Quamvis actus internus conjungatur cum externo; tamen ea conjunctio adhuc est per se insensibilis, & invisibilis Ecclesiæ: v. g. quod actus exterior fiat ex tali, vel tali intentione, &c.; ergo, vel potest Ecclesia præcipere, & prohibere actum mere internum; vel neque poterit, etiamsi ille conjungatur cum externo.

Respondeo, Nego consequentiam: & noto, quod actus interni sunt in duplici classe: aliqui enim sunt de substantia actus externi, ut moralis est: sic de ratione orationis etiam vocalis est, ut fiat cum aliqua attentione, sine qua certe non esset oratio vocalis, sed quædam materialis prolatio verborum, ut in Psittaco: & sic Ecclesia potest præcipere etiam sub censura attentionem, & devotionem in recitandis Horis; quia sic actus internus, & externus non sunt duo, sed unus veluti constitutus ex forma, & materia, ideoque totus sensibilis, & omissio attentionis non esset mere interna, sed etiam externa; ut homo mortuus simpliciter non est homo: Suar. n. 19. Aliqui vero actus interni non sunt de substantia

actus externi, nt moralit est, sed illum imperando, per accident cum eo conjunguntur; & tunc, si actus axternus secundnm se non sit malus, nequit Ecclesia prohibere, ne fiat ex tali intentione, juata argumentum Medinæ; & ideo cap. *Mandato de Simonia* dicitur, simoniacos ex solo affectu, absque exteriori pacto, non incurrere pœnas juris, etiamsi intercedat datio, & acceptio spiritualis pro temporali ex illo animi affectu; qnia actiones istæ externæ secundom se spectatæ non sunt malæ: Suar. n. 20. At, si actus externus sit secundum se malns, potest Ecclesia prohibere etiam snb censnra, ne fiat ex tali, vel tali intentione; quia sic, cum possit illum simpliciter prohibere ex quacumque intentione fiat, quod solum cum prohibeat, si fiat ex tali, vel tali intentione, non est potestatis suæ extensio, sed potius benigna limitatio; & consequenter respectus ille ad talem actnm internum non debet esse sensibilis Ecclesiæ, sed satis est, si sit notus ipsi delinquenti, nt sciat, se incurrisse censuram ipso jure latam: Suar. s. 2. Sic Clem. 1. excommunicantur inquisitores, qui spe lucri vel omittunt, vel faciunt aliquid contra sui muneris obligationem; cum enim posset Ecclesia actum illum injustitiæ quacumque intentione factum punire, quod ita non puniat, nisi quando conjunctus est cum tali prava intentione lucri, vel odii, est potius limitatio potestatis, & rigoris: Suar. n. 20. Idem est, cum fertur censura sub hac clausula, *Si quis præsumpserit, si quis ausu temerario, &c.*, quod si feratur sub hac disjunctiva, *Si quis dixerit, vel crediderit*, particula *Vel* frequenter in decretis intelligitur copulative; &, si intelligatur disjunctive, facere debet hunc sensum, *Si quis dixerit verbis formalibus, vel crediderit aliis signis, & nutibus:* Pal., & alii.

Infers primo, Ad incorrendam censuram gravem requiri, tum actum internum, tum externum graviter peccaminosum; quia secus non habetur peccatum mortale exterint consummatum: hinc, si fureria rem levem ex intentione per similia furta colligendi rem gravem, non incurris excommunicationem, vel reservationem impositam furto; quia non committis furtum axternum grave, sed in intentione tantum: Vasq., Lugo *de Pœn.* d. 16. n. 39., Bonac., & alii. Et econtra, si ex errore manus occidas aliquem, quem tantom vis leviter percutere, non subjacet excommunicationi latæ in homicidas, quia non habetur malitia formalit coostitutiva peccati mortalit, ob quam lata est censura: Laym. c. 4. cum communi.

Infers secundo, Quod ad incurrendam censuram latæ sententiæ, satis est, quod actus graviter peccaminosus sit per se sensibilit, & exterius consummatus, quamvis sit omnibus occultus; quia hoc est per accident: sic excommunicatur in Bulla Cœnæ hæresis externa, quamvis occulta; hoc est, cum quis in suo cubiculo clausut profert voce, vel alio actu externo suam hæresim internam. Ad ferendam autem sententiam censuræ specialis requiritur, ut actus sit etiam Judici manifestatus.

§. III.

Ob peccatum specialiter ab Ecclesia prohibitum sub Censura.

RATIO est, quia censuræ institutæ sont ab Ecclesia ad obtinendam sibi obedientiam: ergo ad eas incurrendas requiritur ejus specialis prohibitio sub censura; nec satis est, si pecces contra jus naturale, vel divinum, nisi etiam pecces contra talem prohibitionem: Suar. d. 5. s. 5. n. 6. cum communi; quamvis tunc unum tantum peccatum committeres, eo quod ea inobedientia Ecclesiæ non continet specialem malitiam, sed imbibitur in jure illo naturali, vel divino, ut notant Avil., Laym., Hurt., Pal. d. 1. p. 7. n. 16.

Infers primo, Ad incurrendam censuram requiri peccatum commissum secundum proprietatem verborum, quæ continentur in lege, vel sententia infligente censuram; quia leges pœnales stricte, & proprie sont intelligendæ: Suar. d. 4. s. 3. n. 7., Pal. n. 10. cum communi. Hinc, si lata sit excommunicatio ob homicidium, non incurrit, si lethaliter vulnerasti, sed non secuta sit mors quacumque ex causa, etiam miraculosa; quia in materia pœnali vox *Homicidium* est cum effectu secuto accipienda: si vero sub censura prohibeatur specialiter ipsa actio, vel conatus, incurritur, etiam effectu non secuto, quia actus est sufficienter completus, quantum lex requirit: Suar., Ugol., Nav. cum communi. Similiter, qui ob timorem, aut alium finem exterint tantum profert hæresim, sed interius bene sentit de fide, peccat quidem graviter, sed non incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ latam contra hæreticos; quia revera non est hæreticus, sed tantum putatus: incurreret vero, si lata fuisset excommunicatio expresse contra proferentes hæresim externam: Fill., Bon. d. 1. q. 1. p. 3. n. 14. cum aliis. Similiter, qui externe tantum jejunat, sed sine animo jejunandi, non incurrit censuram latam contra non jejunantes; quia intentio jejunandi non spectat ad substantiam jejunii præcepti: incurreret vero censuram latam contra non audientes Missam, contra non confitentes, non communicantes in paschate, si externe tantum audiret Missam sine ulla intentione audiendi, confiteretur, aut communicaret sacrilege; quia intentio audiendi spectat ad substantiam Missæ præceptæ, & confessio, aut communio voluntarie sacrilega non est, quæ instituta est a Christo, & præcepta ab Ecclesia: Lug. d. 15. n. 138.

Infers secundo, Si furatus es acum furori, ex quo is passus est notabile damnum, licet graviter pecces, non incurris tamen excommunicationem latam contra fures; quia fur proprie dicitur, qui rem alteri injuste aufert; at tu abstulisti tantum acum, quæ in se est res levis: ergo, quamvis graviter peccasti ratione damni inde secuti, non tamen ratione furti præcise; ideoque nec subjaces censuræ latæ contra fures: similiter nec usurarii, nec alii debitores, qui injuste differunt satisfacere, incidunt in excommunicationem latam contra fures; quia hi proprie non dicuntur fures, sed injusti detentores. Incorrunt vero, si censura lata sit contra injustos detentores, damnificatores, &c., quia grave peccatum est detinere acum, sicque graviter damnificare: Suar. d. 4. s. 6. n. 12., Avil., Nav., Bon., & alii.

Dubium est, An censura imposita contra *Facientes*, seu *Committentes* aliquod delictum comprehendat etiam mandantes, & consulentes?

Affirmant Sylv., Rosel., Leand., & alii; quia mandans, seu consulens, esto illud physice non committat, committit tamen moraliter; ideoque dici potest vere, & absolute illud committere, ex cap. *Mulieres, de Sent. Excom.*, ubi dicitur, *Mandantes Clericum percutere, ligari eadem excommunicatione, qua ligantur percutientes, quia is committit vere, cujus auctoritate, & mandato delictum committi probatur*, & ex cap. *Nuper, eod. tit. Facientem, & mandantem par pœna constringit*; & similiter ex aliis textibus, & legibus.

Negant communius, & probabilius Cajet., Armil., Tambur., Nav., Sanch., Henr., Pal., & alii; quia leges pœnales, utpote odiosæ, stricte & juxta rigorem, ac proprietatem verborum sunt accipiendæ; atqui mandans, seu consulens delictum, proprie & in rigore nequit dici illud facere, aut committere: ergo non debet comprehendi a censura imposita præcise contra facientes, aut committentes. Hinc ad rationem oppositam, quamvis mandans moraliter dicatur facere in ordine ad peccatum, non tamen in ordine ad censuram, quia *In pœnalibus benignior facienda est interpretatio*, ex *Reg. Jur.* 49. Ad primum textum, mandans percutere Clericum non comprehenditur in cap. *Si quis suadente*, cum ibi non exprimatur, & ideo, ut comprehendatur, necessaria fuit ea nova lex illum exprimens; quia, etsi vere committebat peccatum, non tamen ipse vere, & proprie percutere dicebatur. Ad secundum textum, sunt pares, in hoc, quod uterque mereatur pœnam; ut autem actu incurrat, debet exprimi non solum faciens, sed & mandans, & consulens; nisi vero alioqui lex contra facientes redderetur inutilis, ut excipit Nav. c. 27., qualis est excommunicatio contra deferentes arma ad Saracenos, cap. *Ita, de Judæis*; quam c. *Significantia*, declaratur incurri, sive per se, sive per alios deferantur; quia aliter ea lex frustratoria redderetur. Hinc si verba legis sint, *Incurrat excommunicationem, qui per se, vel per alium hoc fecerit*, comprehenduntur etiam mandantes, & dantes pecuniam, ut id fiat; non tamen consulentes, qui tamen comprehenderentur, si diceret, *Quomodocumque quis fuerit causa*, vel *Si quis fuerit causa:* in dubio autem verborum, dicendum non comprehendi, quia materia est odiosa: Dicastil. d. 1. n. 229. cum aliis.

Quæres hic, An censura lata expresse contra mandantes, & consulentes incurratur ab his in omni casu?

Respondeo, Incurri non solum, si tu solus mandas, aut consulis; verum etiam, si, quamvis tu non mandasses, aut consuluisses, alius certe mandasset, aut consuluisset; quia jam tu prior fuisti causa illius delicti Dicast. n. 298. At, si mandasti, vel consuluisti illud delictum,

quod

quod sine tuo mandato, aut consilio ponendum erar ab executore jam prius ad hoc aliunde determinato, probabile est, te non incurrere; quia delictum jam independenter a tuo mandato, vel consilio habebat suam caussam: Krim. n. 1704., quod si in tali casu tu promovisti, ur saltem eelerius fieret, Nav., Mol., Vasq., & alii dicunt, te incurrere, quia sic concurrendo ad eam circumstantiam attigisti etiam substantiam delicti; sed probabile est etiam oppositum, quia non videris attigisse substantiam: Dicast. n. 300. In dubio autem, an Titius fuisset facturus, si tu non mandasses, aut consuluisset, multi dicunt, posse præsumi, quod non incurris, eo quod stat in possessione tua libertat; sed probabilius est, te incurrere, quia delictum Titii non præsumitur: Dicastil. n. 302.

At quid, si post tuum mandatum, val consilium delictum ex aliquo casu non sequatur? Dico, si censura lata sit principaliter in mandantes, & consulentet, adhuc incurri; quia posita jam est actio in se, & ratione soi vetita sub censura: secus vero, si tantum accessorie hæc lara sit contra mandantes, & consulentes. Tunc autem dicitur ferri primo modo, quando lex vult impediri, non tantum ipsum delictum, sed etiam directe, & eatione sui ipsummet mandatum, & consiliom: talit est excommunicatio lata contra mandantes homieidiom per assassinos, cap. 1. *de Homic. in 6.* quam proinde incurrunt etiam effectu non secuto. Tunc vero dicitur ferri secundo modo, quando in lege ita exprimitur mandans, vel consulens, ut respiciatur potius ipse effectus, quem, quia vult ea lex impedire, ideo etiam indirecte prohibet mandari, &c. Talis est exeommunicatio contra pereussores Clericorum, in qua principaliter prohibetur percussio, accessorie ejus mandatum, & consilium, ob quod proinde non incurrirur effectu non secuto: Diao., Krim. n. 1698. Reliqua de mandante, & consulente dicam §. seq.

§. IV.

Ob peccatum commissum cum contumacia.

Ratio est, quia Ecclesia non habet potestatem ferendi censuras, nisi in sibi inobedientes, quod de excommunicatione est manifestum, ex Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, &c.*, ergo, ut incurratur, requiritur peccatum cum contumacia, idest inobedientia Ecclesiæ præcipienti, aut prohibenti illud sub censura. Hinc in omnibus censuris præmittenda est monitio, juxta dicenda cap. sequ.; atqui nonnisi quia ante monitionem noodum peccator est inobediens Ecclesiæ: ergo in incurrendis censuris necessaria est contumacia: Doctores communissime cum D. Th. in 4. d. 18. q. 2.

Infers primo, Nullam posse ferri censuram, ut censuram pro peccato mere præterito, sed vel pro cavendo peccato futuro, vel pro emendatione, aut satisfactione peccati præteriti: puta, *Nisi resipiscas, nisi satisfacias, &c.*, adeoque semper pro inobedientia, & contumacia saltem virtuali, & interpretativa, quatenut delinquent scit, nec tamen curat Ecclesiam prohibentem sub censura: imo, si hæc expresse dicar, *Propter contemptum*, vel *Ob contumaciam*, videtur requiri contemptus formalit, & positivus ad eam incurrendam: Sperel. decis. 113. Quod si aliquando feratur suspensio aliqua, aut interdictum pro peccato mere præterito; tuoc hæc non habent rationem censuræ, seu pœnæ medicioalis, ut delinquens resipiscat, sed pœnæ mere vindicativæ, ut notat Suar. d. 4. s. 5. n. 28.

Infers secundo, Quod, si qnis deliquit contra statutom, vel sententiam censuræ ferendæ; & ante Judicis executionem est sufficienter emendatus, aut sufficienrem satisfactionem exhibuit, non poterit tunc a Judice censurari, quia sic cessante contumacia non esset pœna medicinalis, sed vindicta; & ideo, qui ligatus est censura, si resipiscat, & satisfactionem exhibeat, est necessario absolvendus, quia cessat contumacia, ob quam præcise censura erat inflicta: Doctoret communiter.

Dubium est primo, An Titius incurrat excommonicationem latam contra homicidat, si lethaliter vulnerato Cajo doleat, confireatur, & absolvatur, antequam Cajus moriatur?

Affirmant Avers., Dicast., Bosco, Lug. *de Pœn.* d. 16. n. 453., & alii; qnia Titius fuit inobedient, & contumax in ipso actu vulnerandi lethaliter, quem lex per talem excommunicationem prohibebat sub conditione effectut secuti; nec requiritur, ut contumacia perseveret, dum impletur talis conditio. Sic, si Titius lethaliter vulneravit Cajum, qui deinde moriarur, dum ille incidit in amentiam, certe excommunicationem incurrit, juxta dicta c. 4. & similiter Incurrir, si prævidens, se commissurum homicidium in ebrietare, se inebriet, & illod in ebrietate committat, ur dicunr omnes; quia sic homicidium est plene voluntarium in caussa, &, quod sequatur in ebrietate; est tantum conditio, quæ stat sine actoali conrumacia.

Negant probabilius Hurt., Ovied., Krim., Pal. tr. 2. d. 1. p. 3. n. 2., & alii; quia tota culpa Titii per pœnitentiam est jam deleta: ergo in conscientia non incurrit censuram; quæ, utpote pœna medicinalit, solum incurri potest ob contumaciam præsentem saltem moraliter, seo habitoaliter; secus non haberet, cui malo mederetur: quare non satit est contumacia præterita, quæ de præsenti moraliter oon perseverat; uti econtra perseverat moraliter in Titio amente, vel ebrio, cum non fuerit antea retractata; per quæ patet disparitas. Incurritur autem in casu posito irregulariras, quia, cum hæc sit pœna mere vindicativa, & non medicinalis, non requirit præsentem contumaciam, ut docent Doctores communiter.

Dubium est secundo, An censura lata contra mandantes, & consulentes v. g. homicidium, incurratur ab eo, qui post mandatum, vel consilium illud revocer, quantum potest, ante ejus executionem, quæ tamen opere completur, vel quia revocatio mandati non potuit pervenire ad aures mandatarii, vel quia rationes ad revocandum consilium a se datum inefficaces fuerunt consiliario?

Affirmant Con., Dicast., Suar. d. 44. s. 3. n. 7. & alii; quia hæc censura lata est in eos, quorum mandato, vel consilio commissum est homicidium, ut contingit in casu: neque obest, quod mandati, vel consilii te pœnituerit, quia pœnitentia efficaciam mandati, vel consilii non substulit: oeque obest, quod cessavit contumacia; nam satis fuit in actu mandati, vel consilii dati; nec requiritur, dum seqnitur effectus, quia hic est tantum conditio ad incurrendam censuram.

Negant Innoc., Tab., Avil., Hur., Pal. d. 1. p. 7. n. 15., quia tali revocatione, & pœnitentia posita, non es amplius caussa culpabilis illius homicidii, com culpa sit per pœnitentiam delera: ergn, cum sis caussa inculpabilit tunc, cum sequitur homicidium, neque adeo sit moralitee contumax, non incurris censuram, ad quam incurrendam non satit est conditio impleta, si non sit moraliter perseverans contumacia, juxta jam dicta. Incurritur autem irregularitas, ut etiam est dictum. Hæc sententia videtur probabilior, ita tamen, ut censura lata sit tantum accessorie in mandantes, & consuleutes: secut vero, si principaliter lata sit in illos, quia sic jam incursa est censura in ipso actu mandandi, & consulendi; neque adeo quidquam impedit hujus revocatio, quamvis efficax, juxta dicta §. antec

Quæres primo, An eadem caussa, seu culpa subjacere possit pluribut simul censuris ejusdem speciei?

Respondeo, Si Superiores sint diversæ potestatis, & habeant plenam jurisdictionem in suiidum relate ad eundem sobditum, puta, Papa, Episcoput, &c. posse simul ferre plures ceosuras ejusdem speciei, puta, plures excommunicationes pro eodem delicto; quia tunc contumacia formaliter est multiplex: Suar. d. 5. s. 2. n. 13. Si vero sit idem Soperior, vel pluret successive in eadem porestate, etsi aggravare possint censuram innovando, reservando, &c.; non ramen multiplicant; quia una censetur, etsi gravior, contumacia: Suar. n. 8. Quod si delictum duplicem in se habeat malitiam formalem, potest duplex ferri censura ab eodem jure, vel homine: sic cap. *Cum pro caussa, de Sent. Excom. in 6.* prohibetur sub excommunicatione percussio Clerici, & violatio loci sacri: qui ergo in loco sacro vulnerat Clericum, utramque simul incurrit; etsi eoim utraque excommunicatio privet iisdem bonis, ar duplici titulo; ideoque duplici iodiget absolutione: Suar. n. 12. Similiter Clem. I. *de Sepulturis* prohibetur sub excommunicatione sepelire in loco sacro publicum excommunicatum, vel usurarium, vel nominatim interdictum, vel rempore interdicti: qui ergo rempore interdicti sepelit usurarium, qui simul sit publice excommunicatus, & nominatim interdictus, rriplicem simul excommunicationem incurrir, ob triplicem violationem speciei diversam; nam sepeliendo interdictum rempore interdicti, violat duas prohibitiones ejusdem rationit: Suar., Bonac. p. 5. n. 10. Addunt hi, quod, quamvis percutere Sacerdotem, qui simul est Diaconus, Subdiaconus, &c., una tantum sit excommunicatio: at percu-

tere Clericum Religiosum est duplex; quia diversa est reverentia debita statui Clericali, & Religioso; quamvis non omnino assentiatur Croix n. 90., eo quod non videtur praxis esse, ut duplex petatur absolutio. Rursus, quamvis probabile sit, quod percutiens plures simul Clericos, vel pluribus verberibus eundem Clericum, una tantum sit excommunicatio, quia una censetur moraliter actio, & contumacia: si tamen successive, & cum morali interruptione percutias plures Clericos, vel pluries eundem Clericum, tot incurris excommunicationes, quot sunt percussiones, vel Clerici percussi; quia sunt plura numero peccata, & contumaciæ: Suar. d. 5. f. 3., Bon. p. 3.

Quæres secundo, An ferri possit censura in propria causa?

Respondeo, Non posse per modum Judicii, ex cap. *Inter querelas* 23. q. 4.; quia nemo potest esse Judex in propria causa: Glos. Potest tamen hic tunc ferre censuram per modum justæ defensionis in eos, qui sibi violentiam inferunt, ex cap. *Delicto, de Sent. Exc. in 6.*; quia, cum possit vim vi repellere, poterit tunc uti armis sibi propriis, qualis est potestas censurandi: Suar. d. 2. f. 4. n. 8., quo pacto diximus, posse excommunicare alium Episcopum, vel suum Archiepiscopum. Addit Croix n. 19., quod, si causa sit notoria, itaut non opus sit examine, possit tunc etiam ferri censura per modum judicii in propria causa.

CAPUT VI.

Quomodo ferri debeat Censura?

IN modo ferendi censuras tria sunt adnotanda: prævia monitio, voluntas ferentis, & forma censuræ.

§. I.

Quid de prævia monitione?

REQUIRITUR primo prævia monitio: ratio est, quia censura fertur pro contumacia; sed, qui non est prius monitus a ferente censuram, non potest esse ei contumax: ergo moneri prius debet de ipsa censura, ut eam inobediendo incurrat: Doctores communissime, ex cap. *Constitutum*, & cap. *Statutum*, *de Sent. Exc. in 6.* & cap. *Reprehensibilis*, *de Appellat.*

Censuræ generales, sive a jure, sive ab homine, cum sint pro cavendis delictis futuris, per hoc, quod intimantur, hanc monitionem imbibunt. Ideoque, si sint latæ sententiæ, ipso facto incurruntur, etiamsi occultum sit delictum. Si vero sint sententiæ ferendæ, Cajet., Covar., Suar. d. 8. f. 8. contra Bonac. requirunt, præter monitionem imbibitam, aliam monitionem distinctam, sine qua Judex non possit censuram exequi in delinquentem; quia ex c. *Reprehensibilis cit.* solum excipitur, quando censura excommunicationis, vel suspensionis est latæ sententiæ.

Censuræ, quæ specialiter feruntur ab homine pro satisfactione, aut emendatione peccati præteriti, prærequirunt omnino præviam monitionem; quia secus delinquens nullatenos est contumax Ecclesiæ; ideo talis monitio fieri debet auctoritate illius, qui est laturus talem censuram, & quidem ad instantiam partis, si causa sit privata: ex officio vero, si causa pertineat ad bonum commune, cap. *Venerabilibus*, *de Sent. Exc. in 6.* Fieri etiam debet personaliter ipsi delinquenti, & coram testibus; aut, si dolose lateat, in ejus domo, vel in Ecclesia, aliove loco publico: uti etiam fit, quando ignorantur delinquentes, aut sunt vagi: Suar. o. 3., & io suspensione, aut interdicto communitatis satis est, si fiat ei, ob cujus causam communitas censuratur; quia ille tantum debet esse contumax: Suar. f. 8. n. 2. Addit de Luca, hanc monitionem fieri debere scripto; sed hoc non requiritur ex ullo jure, cum satis sint testes, qui possint eam sufficienter probare: Suar. f. 11. n. 2. Denique talis monitio debet esse trina, interpositis aliquot dierum intervallis, nisi facti necessitas suaserit intervalla moderanda, cap. *Constitutionum*, *de Sent. Exc. in 6.*, atque hoc intervallum communiter est duorum saltem dierum inter unam, & alteram monitionem; & tunc satis est, si una fiat personaliter, reliquæ duæ realiter ad domum, vel in ipso tribunali: Bonac. p. 9. n. 9., imo satis est una pro tribus, concedendo tamen expresse sex dies, quia sic una est virtualiter triplex: Boo. n. 15. At si urgeat facti necessitas, potest hoc tempus restringi; modo explicetur tempus præfixum, puta unus dies; quia secus non censetur delinquens sufficienter contumax: Suar. n. 3. Quod, si restringatur tempus absque necessitate, censura erit quidem illicita, sed adhuc valida; dummodo non feratur in participantes cum excommunicato ab eodem Judice, quia sic est nulla, nisi præeat trina monitio saltem virtualiter, ut specialiter statuitur c. cit.

Infers, in nullo casu validam esse censuram latam sine ulla prorsus monitione, etiamsi periculum sit in mora, vel delictum sit notorium, vel præsumatur contumacia, vel procedatur per modum justæ defensionis &c. Suar. f. 12. contra Canonistas, notans, textus ab his citatos in oppositum loqui tantum de monitione *Canonica*, *& competente*, hoc est trina, quæ ex dictis potest ex necessitate omitti; vel loqui de suspensione aliqua, & interdicto, quæ ferantur, non ut censuræ, sed ut puræ pœnæ, adeoque non requirant monitionem & contumaciam: Castrop. p. 5. n. 5. Imo addit Vasq. neque Pontificem posse ferre censuram, ut censuram, sine ulla monitione, ex illo Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, &c.* Neque obest, quod Apostolus 1. Cor. 5. audiens, quendam Corinthi esse fornicariom, statim excommunicavit; nam prius monuerat, & fortasse sæpios, ut ex contextu eruit D. Th.

§. II.

Quid de voluntate ferentis Censuram?

HÆc voluntas debet esse deliberata, itaut, si superior ex repentino motu, & absque ulla deliberatione ferat censuram, sit nulla; & a fortiori, si absque usu rationis, aut intentione, aut per jocum; quia talis actio esse debet simpliciter humana, & rationalis, qualis in re tam seria merito requiritur: Suar. d. 2. f. 4. n. 11. Hinc debet procedere ex cognitione causæ; nec satis est cognitio privata, quia ferre censuras est actus judicialis: debet ergo procedere ex cognitione juridica causæ, ut valeat censura in personam determinatam; vel saltem ex notorietate, aut sufficienti probatione, ut valeat censura in personam ignoratam. Et, quamvis censura latæ sententiæ ad exigendam satisfactionem pro peccato præterito feratur absque cognitione causæ proximæ, nempe contumaciæ, tamen ad ejus denunciationem requiritur legitima probatio: Suar. d. 3. f. 13. n. 5. Debet etiam procedere ex amore justitiæ, non ex odio, aliove pravo affectu; quamvis, si ex tali affectu procederet, peccaret quidem Judex, sed censura esset valida, modo adsit causa sufficiens juridice cognita: Suar., Boo., & alii. Insuper debet esse voluntas independens a voluntate alterius, qui ad censuram impertinenter se habeat: itaut, si Judex dicat: *Excommunico te, si consenserit Petrus*, ad quem non pertinet: vel si duo Judices dicant, *Excommunico te, si alter non te excommunicaverit*, invalida est excommunicatio, quia esset intolerabilis abusus potestatis spiritualis: ut modo diximus paulo fusius c. 2.

Dubium est, an talis voluntas debeat esse adeo libera, ut, si superior ex metu gravi cogatur ferre censuram, hæc sit nulla?

Affirmant Ugol., & alii apud ipsum. Sed probabilius Abb., Glos., Suar. f. 5. n. 6. cum aliis dicunt, adhuc esse validam, dummodo adsit causa sufficiens ad talem censuram; quia nullo jure positivo irritatur (uti econtra irritatur absolutio facta ex metu, cap. unico *de his, quæ vi in o.*) Neque irrita est jure naturali; nam, quod fit ex metu, quamvis sit involuntarium secundum quid, est tamen voluntarium simpliciter; cum nemo possit cogi ad habendam talem voluntatem, sed solum ad actum externum; si ergo hic ponatur ex metu, præsumi debet voluntas censurandi, cum nemo præsumatur mendax: Suar. n. 6.

§. III.

Quid de forma Censuræ?

NON satis est voluntas ferentis censuram, nisi exprimatur per signa externa, quibus innotescat delinquenti. Cum autem nullo jure statuta sit certa forma, satis erit quævis forma; dummodo exprimat in scriptis causam, speciem censuræ, & personam, in quam fertur, cap. 1. *de sent. exc. in 6.*

Infers primo: Quamvis valida esset censura sine expressione causæ, revera tamen existentis; vel sine scripto, & solis verbis, aut solis nutibus, aliisque signis externis manifestata, ut notat Suar. d. 3. f. 2. n. 2. esset tamen illicita: Itaut, qui sine scripto eam fert, vel

fine

sine expressione causæ, vel si parti petenti scripturam non concedit intra mensem, incurrat suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, ut statuitur c. 1. cit. Eximuntur tamen ab hac pœna: Primo, Episcopi, qui ex dictis non subjacent suspensioni juris communis: Secundo, Superiores Mendicantium, &, qui cum his communicant in privilegiis, possunt ex privil. Leon. X. concesso Minoribus sine scripto excommunicare suos subditos: Tertio, si fiat ex bona fide: Quarto, Si sententia sit non pura, sed conditionalis: Quinto, Si periculum sit in mora: Sexto, Si sententia effectum non habeat: Septimo, Si sit sententia tantum declaratoria: vide Pignat. t. 6. consult. 19. n. 99.

Infers secundo, Nullam esse censuram latam sub voce generica: puta, *Vinculo censuræ sis adstrictus*; quia non datur censura, ut sic: Suar. Bon. & alii. Similiter, si tantum dicat, *Præcipio tibi sub indignatione Dei*, *D. Petri &c.* etsi pecces inobediendo, nullam tamen censuram incurris: Tamb. c. 1. Porro, num valeat, si feratur disjunctive, pendet decisio ex modo dictis in calce cap. 2.

Ferre censuram sub conditione ex dictis tunc videtur esse ex ipsa consuetudine prohibitum, cum non est justa causa illam ita ferendi. Si ergo hæc adsit, valide, & licite ferri potest, tum a jure, tum ab homine. Noto tamen, quod, si ita feratur ab homine, v. g. *Excommunico te, nisi intra mensem restituas*; & ipse moriatur intra mensem, non ligat, etiamsi nunquam restituas; quia mandatum expirat morte mandantis re integra, & res censetur integra in ejus morte ante mensem: Idemque est, si intra mensem removeatur ab officio; quamvis iterum intra eundem mensem reponatur; quia per remotionem mandatum fuit extinctum: Idemque est, si intra mensem suspendatur tantum ab usu officii: at, si usum deinde recuperet, ligat, quia sententia illa conditionalis per talem suspensionem non erat extincta, sed mere suspensa: quod verum est, etiamsi usum recuperet post mensem, quia illa conditionalis non præfigit sibi terminum ad finiendam, sed ad urgendam obligationem restitutionis: Suar. n. 12. Quid autem sit, si mutes domicilium, dictum est cap. 4. §. 2.

Infers tertio, Nullam esse censuram, si non exprimat aliquo pacto determinatam personam, in quam cadat; nam, si Judex v. g. dicat, *Excommunico unum de duobus*, vel *unum ex his, qui deliquerunt*, non valet; quia non constat, ad quem illorum feratur ejus intentio: Suar. Bon. p. 7. n. 7. Determinari ergo debet persona, vel eam nominando, vel aliquo pacto describendo, vel saltem designando in ordine ad delictum: ut si dicat, *Clericus, qui nutriet comam, incidat in suspensionem*; sic enim sufficienter designat personas per tale delictum: Bon. n. 6. Hinc diximus, valere excommunicationem in quoscumque, qui ex tali communitate furati sunt, quia ex ipso delicto determinantur personæ: Suar. d. 3. s. 2. n. 6.

Quæres primo, Quo tempore, & loco ferri possit censura, & num in absentem?

Respondeo, Non posse ferri die feriato; quia ad eam præcequiri solet cognitio causæ, quæ tali die fieri non potest: Sayr. Bon. & alii ex jure contra Suar. quamvis, si tali die ferretur, adhuc esset valida: arg. *l. Actus*, cap. *de Feriis*. Quoad locum, dictum est jam cap. 4. §. 2. Addo nunc, posse eam ferri in absentem: Doctores communiter ex cap. *Apostolicæ de Cler. excom. Ministr.* Et sic, nisi aliunde præsumatur benigna Judicis intentio, ligat absentem, antequam ad ejus notitiam pervenerit, quia omnis sententia, ex quo juridice pronunciatur, est valida, suumque robur, & efficaciam habet, etiamsi nondum sit reo intimata: Suar. d. 4. s. 11. cum communi. Hoc tamen intellige quoad effectus irritandi, & inhabilitandi: puta, quod reus ex tunc reddatur incapax beneficii, vel quid simile; quia hi effectus non pendent a notitia, vel ignorantia ejus, in quem fertur sententia, cap. *Apostolicæ* cit. secus vero quoad effectus obligandi: puta, quod reus abstinere debeat a tali, vel tali actione; quia de ratione sententiæ est non obligare, donec sciatur, cap. *Biduum* 2. q. 6. Ab his ergo excusatur reus absens, quandiu ignorat censuram in se latam; nec tenetur de ea inquirere, etiamsi suspicetur, esse jam latam: at non excusatur, si se occultet, ut ejus notitia ad se non perveniat, vel si a fide dignis audiat, aut a fama, quæ cum aliis circumstantiis fidem faciat; quia non requiritur intimatio juridica distincta a promulgatione sententiæ; sicuti nec requiritur in promulgatione legis: Suar. n. 16.

Quæres secundo, An, & a quo possit censura reservari?

Respondeo, Reservari posse, & quidem tum ab eo, qui tulit, tum ab ejus superiore: e. g. potest Episcopus excomm. a se latam reservare sibi, vel Papæ: item potest pro eodem crimine, pro quo lata est excommunicatio reservata Papæ, addere aliam excomm. reservatam sibi. Papa vero potest eandem numero censuram latam ab Episcopo reservare sibi soli; ut de facto reservavit sibi: Primo omnem suam excommunicationem nominatim denunciatam: Secundo, Omnem censuram nomine ipsius intentatam absque cognitione causæ: Tertio, omnem censuram latam in incendiarios: Quarto, Excommunicationem latam a suo delegato in aliquem, qui ultra annum in censura perseveret: Krimer n. 2045.

CAPUT VII.

An, & quomodo fieri possit denunciatio Censuræ?

DENUNCIATIO censuræ est ejus jam incursæ publica declaratio. Fit hæc juxta receptum morem die festo in Ecclesia, & postea affigitur ad ejus portas, cum expressione tum causæ, tum personæ nominatim denunciatæ: quod si ibidem denuncientur alii sine nomine, puta complices &c. non dicentur hi nominatim denunciati. In solemni vero anathemate adhibentur plures aliæ ceremoniæ ad terrorem, ut in Pontif. Romano. Porro, utut Judex denunciare possit personam suspensam, vel interdictam, non tamen tenetur ex jure. Videtur autem teneri denunciare personam excomm. ex c. *Cura* 11. q. 3. ubi dicitur, *Curæ sit omnibus Episcopis excommunicatorum omnino nomina tam ipsis vicinis, quam Parochianis pariter indicare, &c.* Sed verba illa *Curæ sit*, non præcipiunt, sed tantum commendant: quare hæc obligatio ex munere Episcopali tantum oritur, quod tunc tantum obligabit, cum id necessarium videbitur, vel ad excommunicati correctionem, vel ad eorum damnum præcavendum: Suar. d. 3. s. 14. Castrop. & alii. Ante denunciationem debet reus citari, & audiri, & proferri in eum sententia declaratoria criminis; aliter denunciatio censuræ est nulla; quia denunciatio est quædam executio pœnæ impositæ, & executio pœnæ supponit sententiam declaratoriam delicti, etiamsi alioqui sit publicum, & notorium: Suar. Castrop. & alii ex Clem. *Sæpe, de V. S.* Excipe, si quis post canonicam monitionem, & sufficientem contumaciam sit per sententiam absolutam nominatim excommunicatus a Judice; ab hoc enim denunciari potest absque alia citatione, aut declaratione delicti, utpote jam probati, & declarati per illam sententiam: Suar. n. 6. Notant tamen Henr. Decius, Felin. & alii, quod si Judex sciat, te pro foro interno esse absolutum, non debet pro foro externo ad denunciationem procedere.

Quæres primo, A quo fieri possit talis denunciatio?

Respondeo, Si censura sit specialiter lata ab homine, denunciari tantum posse ab eo, qui tulit, vel per alium ab eo requisitum, cap. *Pastoralis, de Appell.* Idemque est, si per statutum, vel sententiam generalem lata sit a proprio Episcopo delinquentis: Suar. n. 7. Si vero sit censura juris communis, denunciatio fieri potest, vel a proprio Episcopo delinquentis; vel ab Ordinario alterius loci, si ibi deliquit, quia ratione delicti factus est quoad hoc ei subditus: Suar. Fil. Bon. & alii ex Clem. 2. *de Pœnis*, contra Ugol. putantem, posse a quocumque Superiore denunciari.

Quæres secundo, Quid agere debeat is, cui Superior commisit denunciationem excommunicati, quem certo scit esse innocentem?

Respondeo, Si excommunicatio fuit justa secundum allegata, & probata, quamvis revera sit injusta, debere eum denunciare; quia sic procedit legitime, ut delegatus. At, si fuerit etiam injusta secundum allegata, & probata, non tenetur, imo nec potest, quia in hoc non potest esse delegatus: Suar. d. 3. s. 15. ex cap. *Pastoralis* cit.

QUÆSTIO II.

De Excusationibus a Censura.

QUINQUE enumerari possunt ejusmodi excusationes: I. Injustitia Censuræ: II. Appellatio: III. Ignorantia: IV. Metus, & Impotentia: V. Consensus partis. Atque hæ excusare possunt, vel ab incurrenda censura, vel ab ejus effectibus exequendis.

C A P U T I.

An, & quomodo excuset Injustitia Censuræ?

INjusta esse potest censura dupliciter: vel tantum accidentaliter, vel etiam substantialiter. Accidentaliter injusta dicitur, quando nihil ei deest de valore censuræ; deficit tamen in aliquo accidente, sive quia fertur ex odio potius, quam ex amore justitiæ, sive quia deest ordo juris accidentalis, qualis est trina monitio, scriptura, expressio causæ, &c. atque hæc, cum sit simpliciter valida, nullatenus excusat censuratum: Doctores communissime. Substantialiter injusta est, cui deest aliquod requisitum ad valorem; vel scilicet jurisdictio in ferente, vel causa sufficiens in subdito; vel juridica probatio, vel monitio; vel contumacia, qui dicitur Ordo substantialis juris; vel demum procedit ex errore intolerabili, juxta jam dicta q. antec. Itaque, si publice, & notorie constet hæc injustitia, certom est, te omnino excusari a tali censnra etiam in foro externo, quantumvis sit denunciata; quia in utroque foro est injusta, & invalida. Idemque est, si censura lata sit a Judice ob causam, quæ revera existat, sed non sit juridice probata, etsi Judici sit privatim nota; quia neqnit Judex ex privata scientia ferre sententiam censoræ, quæ est actus forensis judicii: Pal. p. 8. n. 12.

Dobium est primo, An excoseris, si causa, seu culpa revera non existat, sed tamen sit juridice probata?

D. Th. Dur. Cordub. & alii cum Gloss. docent, nullatenus excusari, neque in foro externo, neque interno; quia judex servando ordinem judiciarium juste agit: ergo sententia illa, qoæ fertur secundum allegata, & probata, est justa, & valida, quamvis forte subsit error. Addunt celebre dictum D. Greg. latum a Gratiano, *Sententia Pastoris, seu justa, seu injusta gregi est timenda:* atqui oon esset timenda, nisi alioqui noceret etiam injusta, ut addit D. Th. ergo etiam injusta est servanda. Sed probabilius Sot. Suar. Laym. Sanch. Les. Bonac. & alii communiter docent, non esse validam in foro conscientiæ, in quo proinde excusaris ab ipsa, ejusque effectibus: etsi valeat pro foro exteriori, pro quo tantum indiget absolutione. Ratio est, quia voluntas tacita ferentis censuram esse debet, ut tunc solum valeat, quando revera adest causa justa; cum lex, & sententia hot actus justitiæ, quæ essentialiter respicit æqualitatem pœnæ cum culpa: ergo, si reipsa non sit talis justitia, pœna censuræ non ligat in conscientia; sed, sicut culpa est tantum apparens, ita & censura est tantum apparens, seu ligans pro foro externo: per qoæ patet responsio ad rationem oppositam. Dictum illud D. Gregorii alii intelligunt de sententia injusta accidentaliter, quæ, cum sit valida, vere, & in conscientia ligat. Alii melius cum eodem Gratiano notant, D. Gregor. non dixisse, sententiam injustam esse servandam, sed *timendam*, hoc est, non ex superbia contemnendam; uti contemneretur, si in foro externo, & eum scandalo illam non servares, quo sensu damnatur a Clem. XI. in Quesnel. prop. 91. *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro:* at, si in foro interno tantum noo servetur, adhuc timetur. Neque dicas, Ecclesiam tunc etiam privare bonis spiritualibus in foro interno, ut servetur integritas, & auctoritas sui judicii legitimi secundum allegata, & probata. Nam ad hunc finem nec opus, nec expediens est talis privatio in foro interno; cum satis sit obligatio orta ex jure naturali servandi talem censuram in facie ipsius Ecclesiæ: Pal. n. 17.

Infers primo, quod, si judex te excommunicet, nisi solvas centum Petro, quæ tu revera scis non debere, probatum tamen juridice sit, te debere; non incurris excommunicationem in foro conscientiæ, si non solvas; &, si cogaris solvere, poteris occulte tibi compensare; quia in conscientia nec teneris ratione debiti, nec ratione censuræ. Similiter neque ob hanc excommunicationem es privatus communione Fidelium, Ecclesiæ suffragiis, jurisdictione spirituali, capacitate ad beneficia, &c. quia hi effectus adnectuntur censuræ veræ: quare tunc poteris privatim, & citra scandalum audire Missam, sumere, & ministrare Sacramenta, &c. absque ulla irregularitate: & similiter poterunt alii tecum privatim, & sine scandalo communicare absque peccato: Soar. d. 4. s. 7. n. 20.

Infers secundo, In foro externo debere in omnibus te gerere, ut censora ligatum. Hæc obligatio non oritur ex vi talis censuræ, utpote irrita; neque ex vi præcepti, cui judex censuram adnexnit, ut dicit Suar. quia præsumi non debet, Ecclesiam velle te obligare præcepto procedente ex errore. Oritur ergo ex jure naturali, quo jubemur, sententiam Ecclesiæ communiter putatam justam observare, ne videamur Ecclesiam contemnere: Pal. n. 16. Hinc, si palam non obedias, audias Missam, celebres, &c. peccas quidem graviter; at non ideo novam censuram, aut irregularitatem incurris, nisi tantum apparentem, & putatam: Pal. n. 15. contra Soarez, Con. Laym. & alios. Quod, si impedimento dirimente ligatus, quod probare non potes, cogaris sub excommunicatione ducere Bertam, nullo jure obligaris, imo nec potes, ut fatentur omnes. Econtra vero, si declaretur irrita collatio beneficii, obtinebit effectum, & beneficio privaris ipso facto, non quidem vi illius censuræ, sed ob commone bonum Ecclesiæ, ne tale beneficium alteri invalide conferatur: Pal. & alii communiter.

Dubium est secundo, An Excuseris, si probabile tantum sit, quod censura in te lata sit injusta?

Respondeo, non excusari neque in foro externo, neque in interno, quia superior est in possessione ferendi sententiam censuræ etiam in casu probabili: ergo posita ejus sententia, tua opinio de injustitia censuræ, licet speculative probabilis, non est amplius practice probabilis, & consequenter teneris omnino te gerere, ut censura ligatum: Suar. d. 4. s. 6. n. 6. Henr. Vasq. Bon. & alii communiter contra Dicast. d. t. n. 351. Hinc, si duo litigent circa fundum rationibus utrinque probabilibus, ille ligatur censura, contra quem judex Ecclesiasticus fert sententiam excommunicationis, si fundum non cedat alteri: Avil. Sayr. Hurt. Bon. p. 10. n. 11. Nisi vero ejus ratio sit manifeste probabilior, quia tunc valde probabile est, excusari, ut limitant Suar. Bon. & alii.

Hinc habes, qood, si scias, censuram esse in te latam, sed dubites, an superior potestatem habeat, aut an ejus potestas se ad hunc casum extendat, aut an serio, & ex animo tulerit, aut an legitime ab eo appellaveris, aut an sis absolutus, &c. judica, te esse censura ligatum; quia possessio stat pro censura, & pro Superiore, qui est in possessione sui officii communiter habentis talem potestatem adnexam: Croix n. 122. Krim. n. 1807. Econtra vero, si dubites, an censura sit in te lata, an tua actio comprehendatur sub censura generaliter lata, &c. & adhibita morali diligentia scire non potes; judica, te non esse ea ligatum, quia materia est odiosa, adeoque extendi non debet; &, cum tu per Baptismum acquisieris certum jus fruendi bonis communibus Ecclesiæ, non debes ab hac certa possessione dejici per dubium superveniens: Sanch. l. 1. *Decal.* cap. 11. n. 55. Pelliz. Pal. & alii. Similiter, si dubites, an sis ligatus majori, an minori censura, an hæc sit latæ, vel tantum ferendæ sententiæ, tene, quod minus est; quia in pœnis benignior est interpretatio facienda. Denique, si dubites, an alius sit ligatus censura, debes habere eum pro non ligato, quia ipse est in possessione; unde faceres ei injoriam habendo eum pro ligato: Pelliz. & alii sopra cit.

C A P U T II.

An, & quomodo excuset Appellatio?

APpellatio est provocatio a judice inferiori ad superiorem competentem, ratione alicujus gravaminis, facta intra certum tempus: puta, vel ante sententiam absolutam censuræ; vel intra decem dies post talem seotentiam; vel, si sententia censuræ sit conditionata (v. g. *Excommunico te, nisi intra annum restituas*) fieri potest intra totum hoc tempus, antequam ea sententia per adventum conditionis evadat absoluta: Pal. p. 8. & alii communiter. Fieri autem debet in scriptis exprimendo causam gravaminis, & coram Judice *A quo*, qui tenetur eum admittere, etiamsi sit dubium, vel de jure, vel de facto, an appellatio sit legitima, cap. *Cum speciali, de Appell.* &, si hic judex haberi non possit, satis est fieri coram Judice *Ad quem*; &, si neuter haberi possit, fieri debet coram honestis personis: Sanch. l. 3. *Consil.* d. 32. Similiter, si non sit copia scribendi, potest fieri voce, imo etiam facto, tradendo se Papæ protegendum, vel incboando iter ad illum, vel ad superiorem competentem: Suarez, Sayr. Bon. & alii, ex cap. *ad Audientiam, de Appell.* Hinc

I. Si appellatio fiat ante sententiam absolutam censuræ, & admittatur a Judice *A quo*, habebit totum suum effectum, tum scilicet devolutivum causæ ad Judicem *Ad quem*, tum suspensivum potestatis Judicis *A quo*, itant censura deinde ab hoc lata esset nulla, cap. *Delictis*, & cap. *Praterea 40. de Appell.* quod verum

est,

est, etiamsi postea non prosequaris appellationem; quia hæc semel posita absolute suspendit illius jurisdictionem: Sanchez n. 289. Itaque, si lata sit excommunicatio, *Nisi intra annum compareas*, posita appellatione, si nundum compareas, eam non incurris. At, si appellatio repellatur a Judice *A quo*, tanquam frivola, & feratur ab eo sententia absoluta censuræ; tunc, etsi certo tibi videatur legitima appellatio, debes in foro externo te gerere, ut censura ligatum, donec Judex *Ad quem* declaret, appellationem fuisse legitimam; in foro tamen conscientiæ excusaris ab ea censura, & consequenter ab irregularitate, si illo intermedio tempore celebraveris: quod verum est, etiamsi Judex *Ad quem* deinde declaraverit, appellationem fuisse frivolam, & censuram validam: Pal. p. 8. n. 3., Avil., Glos. in cap. *Ad Præsentiam, de Appell.*; dummodo tamen bona fide appellaveris, & celebraveris: secus vero, si mala fide, quia sic celebrares, ut censuratus.

II. Si appellatio fiat post sententiam absolutam censuræ intra decem dies permissos, habet effectum devolutivum, at non suspensivum censuræ jam incursæ, quia hæc trahit secum executionem, cap. *Ad Præsentiam* cit. Probabilius tamen impedit ejus denunciationem; quia, quamvis cap. *Pastoralis, de Appell.* dicatur, hanc non impedire, quia *Excommunicatus per denunciationem amplius non ligatur*; hodie tamen post Extrav. *Ad evitanda* multo amplius ligatur, cum ex tolerato fiat non toleratus: Sanch. n. 243., Lugo l. 2. *Resp. Moral.* dub. 6., Gloss. in cap. *Cupientes*, Croix n. 115. contra Suar., Pal., & alios: qui tamen concedunt, per appellationem impediri posse denunciationem censuræ generalis ipso facto incursæ, etsi lata sit a Judice sententia declaratoria criminis, cui ea censura est adnexa; quia non appellat a censura, sed a tali declaratione, adeoque, si appellatio sit legitima, nequit Judex ad denunciationem procedere: Suarez d. 3. s. 14. n. 20., Pal. p. 9. n. 3. cum communi. Quod verum est, etiamsi delictum sit notorium, & nulla tergiversatione celari possit: Sanch. loc. cit. contra Sperell. decis. 48. n. 41.

III. Si appellatio fiat post denunciationem intra decem dies permissos, & bona fide potes, te non fecisse id, propter quod es excommunicatus denunciatus, ea denunciatio suspenditur; quia cap. *Ad præsentiam* cit. solum deciditur, quod appellatio non possit suspendere sententiam absolutam censuræ, utpote quæ trahit secum executionem, quod non debet extendi ad sententiam denunciatoriam: Sanch. n. 245. Hinc, quamvis sic appellans maneat censuratus, non tamen denunciatus, neque adeo vitandus: Sanch., Lug. loc. cit.

IV. Post tempus præfixum appellationi manet solum locus simplici querelæ, quæ fieri potest tantum ad illum superiorem, qui habeat jurisdictionem immediatam in utramque partem litigantem: Sanch. d. 35. n. 2. Et tunc, si excommunicator sit Ordinarius, & dubium sit, an excommunicatio fuerit justa, poterit Judex *Ad quem* absolvere, quamvis honestius sit remittere ad excommunicatorem: si excommunicatio fuit justa, non potest absolvere, nisi periculum sit in mora, vel nisi excommunicator requisitus malitiose neget absolutionem, ex c. *Venerabilibus, de sent. excom. in 6.* At, si excommunicator sit delegatus, quandocumque adeatur delegans, potest absolvere, nec tenetur remittere, quia potest totam jurisdictionem ad se revocare: Sanchez n. 20.

V. Noto, in aliquibus casibus nullam concedi appellationem, aut querelam: Primo, Si censura feratur in causis visitationis, & correctionis morum: Pignat. t. 6. consult. 59. n. 46. Secundo, Si excommunicatio feratur in Clericos concubinarios, ex Trid. *sess. 25. de Reform.* c. 14. Tertio, Si feratur ad comprimendam audaciam rebellium contemnentium auctoritatem Ecclesiasticam; quia appellatio conceditur gravato a Judice, non autem rebelli, ex l. 1. cap. *Quorum, ff. de Appel.* Quarto, Si ipse Judex *A quo* sit pars agens pro conservatione sui juris certo possessi: v. g., si Episcopus volens ex certa possessione sui juris visitare monasterium minetur ejus Abbati excommunicationem, nisi recipiatur, & Abbas dicens, Monasterium esse exemptum, appellet ad Papam, potest Episcopus non obstante appellatione procedere ad sententiam absolutam excommunicationis; quia non procedit ut Judex, sed ut pars pro conservatione sui juris, in cujus præjudicium non tenetur admittere appellationem: Sanch. d. 32. n. 227. ex cap. *Interposita, de Appell.*

CAPUT III.

An, & quomodo excuset Ignorantia?

SUPPOSITA hic multiplici ignorantiæ divisione, quam fuse expendimus tr. 1. d. 1. q. 2. c. 1., & quam hic repetere inutile prorsus foret, videndum hic solum est, Quænam ignorantia excuset, & quænam non, a censuris?

§. I.

Num Ignorantia invincibilis excuset a Censuris?

CAP. *Ut animarum 2. de Constit. in 6.* ita deciditur: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, & supina.* Hic textus extenditur communiter a Doctoribus ad quascumque humanas leges, pœnas, & censuras, sive ab homine, sive a jure, etiam Pontificio; quia ratio decisionis *Ut animarum, &c.* militat in omnibus: Pal. p. 8. n. 7. contra Avil. Hinc

I. Certum est, ignorantiam invincibilem juris Ecclesiastici excusare ab incurrenda censura; quia sic non es ei contumax. Idemque est, etiamsi scias tuum delictum esse prohibitum jure naturali, aut divino: vel etiamsi scias prohiberi jure quoque Ecclesiastico, sed invincibiliter ignores, hoc se extendere ad talem casum: non ergo incurris excommunicationem, si percutias Clericum conjugatum, quod scias, prohiberi jure naturæ, non tamen jure ecclesiastico, vel quod tale jus ad talem Clericum se extendat: Suar. d. 4. s. 8., Bon., & alii communiter contra Avil., Covar., & alios. Porro, num sententia censuræ latæ in absentem eum liget, antequam ad ejus notitiam perveniat, vide q. 1. c. 6. §. 3. quæsit. 5.

II. Certum est, ignorantiam invincibilem facti pariter excusare ab incurrenda censura, ut expresse habetur cap. *Si vero 1. de sent. exc.*, ubi excusatur percussor Clerici, *dummodo ipsum esse Clericum ignoravit.* Atque id verum est, si talis ignorantia fuit antecedens, hoc est, quæ ita fuit causa actus, ut, si ipsa non adfuisset, actus certe non fuisset a te positus.

Dubium est, an talis ignorantia etiam excuset, si sit comitans, hoc est, ita fuit conjuncta cum actu, ut, si ipsa non adfuisset, etiam actus fuisset positus? v. g. occidisti Clericum inimicum, quem invincibiliter putabas esse feram, sed ita eras animo affectus, ut libentius occidisses, si scivisses, esse talem Clericum? Covar., Ugol., Sayr., & alii non excusant ab excommunicatione: sed probabilius excusant Vasq., Sanch., Mol., Fill., Bon., Suar. n. 8., & alii communiter; quia, quamvis graviter pecces affectu interno homicidii, tamen actus externus non procedit ex tali affectu, sed ab intentione occidendi feram: ergo hic actus non induit malitiam formalem homicidii; &, cum revera procedat ex ignorantia, hæc non est in rigore comitans, sed veluti antecedens, ideoque excusans a censura. Idem est, si volens percutere Cajum Clericum, casu percutis Titium Clericum, dummodo debitam diligentiam adhibueris, ne ictus perveniat ad Titium; quia sic hujus percussio est tibi inculpabilis: Suar. d. 22. s. 1. n. 54., Bon., & alii. Econtra vero incurris excommunicationem, si percutis Titium Clericum, putans, illum non esse Titium, sed Cajum Clericum: quia sic tam intentio, quam actus externus, ut ab ea procedens, est injuriosus statui Clericali, ob cujus reverentiam imposita est censura; & illa ignorantia est de objecto tantum materiali: Cov., Mul., Sanch., Veg., Laym., Bon., & alii communiter contra Delb., & Tamb. l. 6. *Decal.* c. 4. §. 3. n. 29.

III. Ignorantiam invincibilem solius pœnæ censuræ, negant Covar., Ledes., Cordub., Avil., & alii excusare ab ipsa incurrenda; quia, cum sic jam scias legem ecclesiasticam, vere evadis contumax Ecclesiæ, quamvis ignores censuram, sub qua illa lex prohibet; ergo non est, cur excuseris ab ea incurrenda: secus ignorantia pœnæ æternæ excusaret ab ea peccatorem. Sed probabilius Sylv., Nav., Sanch., Bonac., Dian., Mol., Merol., Dicast., Suar. d. 4. s. 9. n. 29. te excusant a censura; quia ratione talis ignorantiæ non habetur virtualis illius contemptus, cum non sis contumax Ecclesiæ, ut formaliter prohibenti sub censura. Non sic de pœna æterna; hæc enim est pœna ordinaria, & connaturalis peccato; & ideo, qui peccat, tacite consentit in peccatum, ut causam talis pœnæ, quamvis in particulari rem ignoret, & consequenter eam incurrit: at censura est pœna

extra-

extraordinaria, & exorbitant; qui ergo eam invincibiliter ignorat, ne tacite quidem consentit in delictum, ut formaliter causam illius, & illud notabiliter minuitur infra talem pœnam, ut addit Suar. Contra vero, si sciens legem prohibentem sub censura, invincibiliter ignores speciem censuræ, incurris speciem censuræ latæ a lege; quia tacite consentis in delictum, ut formaliter causam censuræ, quamvis hanc ignores in specie, ut dictum est de pœna æterna.

Quæret, An, qui scit legem prohibentem sub censura, sed invincibiliter ignorat, hanc esse reservatam, excusetur saltem ab ejus reservatione?

Respondeo, Non excusari; quia reservatio censuræ per se, & connaturaliter competit ipsi censuræ, quæ, cum sit pœna fori exterioris, ab eo petit tolli, a quo fertur, ne perturbetur jurisdictio fori, & ordo judicandi; & ideo censura specialiter lata ab homine, etiamsi non reservetur, nequit ab alio tolli, & generales non reservatæ tolli possunt ab aliis ex tacita concessione ferentis, ut dicam cap. seq., ergo, qui scit, se incurrere censuram, tacite consentit in ejus reservationem, etiamsi hanc in particulari ignoret, ut dictum est de pœna ordinaria. Non sic est reservatio peccati; peccatum enim per se non petit reservari, sed extraordinaria est ejus reservatio; & ideo probabile nonnullis est, quod eam non incurrat, qui eam invincibiliter ignorat. Hinc merito Tamb., Merol., & alii reprobant Duard., qui putat, ignorantiam excommunicationis reservatæ in Bulla Cœnæ excusare ab ea, quamvis scias, pro eodem crimine adesse aliam excommunicationem non reservatam in corpore juris communis; sed non attendit hic auctor, quod eadem omnino excommunicatio juris communis renovetur in Bulla Cœnæ, & solum addatur reservatio, cujus ignorantia ex dictis non excusat. Excusaret autem, si excommunicationi non reservatæ juris communis adderet Episcopus alteram reservatam; quia sic, qui tantum scit censuram juris, illam tantum incurrit non reservatam, cum alteram invincibiliter ignoret.

§. II.

Nam excuset Ignorantia vincibilis?

I. CERTUM est ex cap. *Ut animarum* cit., Ignorantiam crassam, & supinam, sive juris, sive facti, sive pœnæ, non excusare ab incurrendis censuris; quia, qui nullam diligentiam adhibet, cum potest, & debet, virtualiter & interpretative contemnit, adeoque, si operetur, est contumax. Idemque est, si valde modicam diligentiam adhibeat, itaut in morali æstimatione sit fere nulla. Idem a fortiori, si talis ignorantia sit affectata, quia summæ negligentiæ addit positivam voluntatem sciendi, quæ est culpa latissima: Doctores communiter.

Dubium est primo, An talis ignorantia excuset, quando censura fertur his, vel similibus clausulis, *Qui scienter, qui temere, qui audacter, ausu temerario, contumaciter id fecerit, &c.?*

Dian., Tamb., & alii multi dicunt, excusare, etiamsi talis ignorantia sit affectata; quia verba illa requirunt positivam scientiam, ex qua procedit contemptus formalis, & positivus requisitus ad talem censuram: sed probabilius Sanch. l. 3. *Matr.* d. 32. n. 40. cum aliis docet, quod tunc excuset quidem ignorantia crassa, & supina, eo quod non habeatur formalis contemptus requisitus a prædictis verbis; at nullatenus excusat ignorantia affectata, quia hæc potius auget, quam minuit culpam, & æquiparatur scientiæ, ex cap. *Quæsitum, de Pœn., & Remiss.*, ut notant Menoch., & Mascard.

Dubium est secundo, An sit possibilis ignorantia graviter peccabilis, quæ non pertingat ad esse crassam, & supinam, ideoque excuset ab incurrendis censuris?

Negat Suar. d. 4. s. 8. n. 4.; quia, si levis est negligentia sciendi, solum ad venialem culpam pertingit, quæ certe excusat a gravi censura; si autem sit negligentia graviter culpabilis, jam est ignorantia crassa, & supina, quæ non excusat a censura, nisi hæc habeat clausulas supra positas, uti est dictum. Sed Sanch. n. 31., Pal. p. 8. n. 7., Avil., Sot., Sylv., Bon., & alii dicunt, ignorantiam esse posse graviter culpabilem, nec tamen pertingere ad esse crassam, & supinam, ideoque excusare ab omnibus gravibus censuris; quia dari potest negligentia, quæ non sit summa, aut ita modica, ut æquiparetur summæ, & tamen sit graviter culpabilis; ut, cum quis adhibet diligentiam, sed non quantum humano modo se posse censetur: ergo tunc operando peccat quidem graviter, sed non incurrit censuram. Addunt Tamb., Pal., Sanch. l. 1. *Decal.* c. 16., nos obligari ad majorem diligentiam circa legem naturalem, utpote nobis intrinsecam, quam circa legem positivam, utpote nobis extrinsecam: adeoque ignorantiam, quæ est graviter culpabilis circa illam, posse esse aliquando leviter culpabilem circa istam: si ergo aliquod delictum jure naturali prohibitum prohibeatur etiam ab Ecclesia sub censura, potest quis ex ignorantia graviter culpabili peccare, quin tamen incurrat censuram.

II. Quæ dicta sunt de ignorantia relate ad incurrendas censuras, dic pariter de ignorantia relate ad incurrendas irregularitates ex delicto; non tamen ad irregularitates ex defectu, quia hæ non exigunt culpam, ideoque etiam ab ignorante incurruntur, ut dicam d. 5. Addo, quod nec censura, nec irregularitas, nec pœna ulla ecclesiastica incurritur ab eo, qui per errorem putat, eas injunctas esse delicto, quod committit; quia nulla ejusmodi pœna incurritur, nisi sit expressa in jure: Bonac. q. 3. p. 1. n. 22.

CAPUT IV.

An, & Quomodo excuset Metus, & Impotentia?

CERTUM est, metum levem non excusare ab incurrenda censura, cum non excuset a peccato: loquimur ergo de metu gravi, quo scilicet probabiliter times tibi, vel tuis proxime conjunctis aliquod malum eventurum, nisi facias id, quod prohibitum est sub censura. Similiter certum est, impotentiam physicam excusare a censura, cum excuset ab omni peccato: loquimur ergo de impotentia morali faciendi id, quod præcipitur sub censura.

§. I.

Num excuset metus gravis?

CAP. *Sacris* 5. *de his, quæ vi*, ita deciditur: *Si quis per coactionem adstrictus communicet cum excommunicato, non credimus excommunicatione teneri, cum magis pati, quam agere convincatur: si per metum inductus, excommunicationis labe credimus inquinari, cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere.* Hunc textum varie explicant Doctores. Alii dicunt, per coactionem intelligi metum gravem; per metum levem. Alii cum Suar. per coactionem intelligunt vim absolutam, quæ aufert libertatem; per metum eam formidinem, quæ libertatem non aufert, quæ, quando excuset a censura, quando non excusat, Doctoribus decidendum relinquitur. Certum est autem, textum loqui de communicatione cum excommunicato graviter prohibita, qualis est communicatio in crimine criminoso, vel in contemptum Ecclesiæ, quia hæc certe nullo metu, sed sola vi absoluta excusari potest a peccato: an autem aliquando metus gravis excuset ab incurrendis censuris, est hic videndum.

Dico primo: Metus gravis, per se loquendo, excusat ab incurrendis censuris impositis actioni jure tantum ecclesiastico prohibitæ: Suar. d. 6. s. 3. n. 17. cum communi contra Alens. Ratio est, quia metus gravis (puta mortis, mutilationis, carceris diuturni, infamiæ, majoris partis bonorum, vel rei notabilis ac pretiosæ) excusat a peccato contra legem ecclesiasticam; utpote quæ benigne est interpretanda, itaut nolit obligare cum tanto onere: ergo excusat a censura per talem legem imposita. Hinc, si ex metu, ne occidaris ab inimico, feras arma prohibita sub censura, hanc non incurris: & similiter ex metu gravis mali poteris communicare etiam in divinis cum excommunicato vitando, quia hæc prohibitio est tantum de jure ecclesiastico: Suar. contra Sylv., & Christiani captivi possunt sine censura remis impellere naves Turcarum contra Christianos, quia metu mortis hoc faciunt, nec sic directe, aut indirecte juvant Turcas ad bellum, sed solum impellunt navem, quod est de se indifferens: Nav., Cordub., Sanch. l. 9. *Matr.* d. 31. n. 4.

Dixi; *Per se loquendo*, nam, si metus incutiatur in contemptum Ecclesiæ, aut Religionis, non te excusat ab incurrendis censuris: v. g. si quis in contemptum Ecclesiasticæ potestatis minetur tibi mortem, nisi frangas jejunium præceptum sub excomm., frangendo incurris; quia non excusaris a gravi peccato, quod esset vel virtualiter negare fidem exterius, vel virtualiter contemnere, & cooperari contemptori: Suar., Bon., & alii communiter contra Salas d. 11. *de Leg.* s. 1. n. 5. Neque dicas, talem censuram non esse impositam ob talem contem-

temptum, sed solum ob fractionem jejunii, ob quam præcise non peccas; nam susceptio periculi in casu posito est per se conjuncta cum jejunio præcepto sub censura, adeoque cadit sub idem præceptum; cum enim agatur de bono communi Ecclesiæ, vel Religionis, Ecclesia per se, & directe te obligat cum periculo vitæ. Idem est, si adsit grave scandalum, vel immineat grave damnum communitati, nisi jejunes: Suar. l. 3. *de Leg.* c. 30. n. 4., Fil., Bon., & alii.

Dubium est, An metus gravis excuset ab incurrenda censura imposita delictis jure etiam naturali; aut divino prohibitis?

Affirmant Con., Fil., Bon., & alii; quia, quamvis non excuseris a peccato contra jus naturale, aut divinum, excusaris tamen a peccato contra jus ecclesiasticum, quod per se non te obligat cum tanto onere; nisi actio cederet in sui contemptum, ut modo est dictum. Negant Hurt., Suar., & alii; quia lex ecclesiastica in casu non obligat ad aliquid, ad quod prius non teneharis; ergo non est, cur cesset; ut non cessat in cap. *Sacris* eit. *Cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere.* At solum cessaret, si adderet aliquam circumstantiam, quæ in præcepto naturali, seu divino non esset, v. g. si sub censura prohibeat furtum in templo, ut notat Pal. p. 8. n. 15., non vero homicidium, cum circumstantia sacrilegii sit peccatum.

Dico secundo: Metus gravis, per se loquendo, excusat censuratum ab exequendis effectibus censuræ jam incursæ: Ugol., Suar., Fil., Avil., Bon. q. 3. p. 3., & alii communiter contra Cajet., Adriao., & alios. Ratio est, quia obligatio exequendi effectus censuræ est tantum de jure ecclesiastico, & Ecclesia, per se loquendo, non obligat cum tanto onere, juxta jam dicta. Hinc excommunicatus occultus, si non aliter possit evitare infamiam suæ excommunicationis, potest audire Missam, suscipere reliqua Sacramenta, &c., &, si sit excommunicatus vitandus, poterit per se loquendo hæc eadem agere ob metum mortis, aut alterius gravis damni; dummodo non interveniat contemptus Ecclesiæ, Religionis, &c., vel grave scandalum, juxta jam dicta. Similiter Sacerdos occulte excommunicatus, aut suspensus, si non aliter effugere possit suam infamiam; aut grave damnum proximi, poterit celebrare, absolvere Sacramentaliter, &c.; quia hæ actiones sunt ei prohibitæ jure tantum ecclesiastico, quod tunc non obligat cum tanto damno suo, vel aliorum. At si Sacerdos sit vitandus, poterit quidem ex metu mortis, aut gravis damni (præcisu tamen contemptu, aut scandalo, ut supra) celebrare, baptizare, &c., cum hæ actiones sint illi tantum prohibitæ; at ex nullo metu potest absolvere Sacramentaliter, quia hæc actio non solum est ei prohibita, sed etiam irrita, adeoque intrinsece mala; quam solum potest valide exercere in extrema necessitate proximi, cum nullus alius adest Sacerdos idoneus: Doctores citati communiter.

§. II.

Num excuset Impotentia moralis?

MORALIS impotentia est, si non potes obedire sine gravi tuo damno in vita, rebus, honore, &c. De hac tantum superest dicendum relate ad censuras latas contra non solventes, non restituentes, non manifestantes, non revelantes, &c.

Dico primo: Si non possis solvere, restituere, &c. sine majori tuo damno, quam sit in creditore, excusaris a censura lata contra restituentes, delinentes, &c.; quia sic excusaris a peccato, ut dicitur in materia de restitutione: Suar. d. 20. s. 3. n. 9., Bonac. q. 3. p. 3. n. 1., & alii communiter. Itaque verum est, etiamsi pecces dicendo, *Quamvis possem, non restituerem*; quia censura fertur contra potentes, & non restituentes: Avil., & alii: si tamen potens partem non restituas, non excusaris; uti neque, si æquale sit damnum, excepto casu extremæ necessitatis.

Dubium est, An, si tibi constitutus sit v. g. mensis ad solvendum sub pœna excommunicationis ipso facto, hanc incurras, si initio mensis potens non solvas, prævidens, te fore in reliquo tempore impotentem?

Dicendum cum Bonac. loc. cit. incurrere, quia sic es sufficienter contumax, & illa omissio vetita sub censura, utpote prævisa, imputatur tibi ad culpam. Cæterum, cum excommunicatio incurratur in termino mensis, si interim te pœniteat, &c., eam non incurres, juxta dicta q. 1. c. 6. §. 4. Si tamen deinde evadas potens restituere etiam post mensem, teneris adhuc sub tali excommunicatione, quia non est impositus terminus ad finiendam, sed ad urgendam obligationem. Idemque est, si jubearis sub excommunicatione comparere intra mensem; & habeas legitimum impedimentum. Similiter, si sub excommunicatione præcipiat Judex, ut exhibeas proprium instrumentum in alterius commodum, & id facere nequeas sine gravi tuo, vel tuorum detrimento, non teneris. Imo tanta potest esse famæ, aut bonorum jactura, ut nec tenearis exhibere alienum instrumentum sub excommunicatione præceptum; quia nec res alienas teneris reddere cum tanto dispendio, juxta dicta.

Dico secundo: Dum fertur excommunicatio ad revelandas scripturas, furta, vel alia delicta, per se loquendo, excusaris a denunciandis personis, ob prædictam moralem impotentiam: Suar. n. 10. cum communi. Hinc non teneris denunciare complices, nec parentes, fratres, filios, conjugem; & proxime conjunctos; quia id per se loquendo est valde dissicile, habetque moralem impotentiam; cum sit quodammodo ferre testimonium contra seipsum, adeoque cum aliqua propria infamia, aut alio gravi incommodo; quod in moralibus dicitur impossibile. Avil., Sylv., Nav., id extendunt ad quartum gradum, sed nimis laxe, ut notat Gobat. Similiter excusaris, si indiges consilio, ut scias, ad quid tenearis, & non potes consilium capere intra terminum præfixum ad revelandum; quia sic etiam censeris impeditus, & impedito non currit præscriptio, ex *Reg. Juris*. Idemque est, si delictum audieris causa petendi a te consilium, quia ad bonum commune spectas, quod homines secure petant consilium, ne detur occasio errandi: unde intentio Judicis non est te obligare in casu: D. Th. 2. 2. q. 70. ar. 1. Idemque est, si non audieris a fide dignis, vel si hi jam denunciaverint, quia sic nihil addit tuum testimonium: Avil. Idemque est, si probare tuum testimonium non possis ob eandem rationem: Pal., Croix n. 102. contra Delben. Idemque est, si scias, detentorem rei alienæ esse impotentem restituere, & a fortiori, si surripuit in compensationem, vel possideat titulo præscriptionis, &c., vel cum tacita licentia partis: puta, si ejus filius, aut conjux aliquid surripuere; nisi quantitas furti sit adeo magna, ut prudenter judicetur pars rationabiliter invita: Avil., & alii communiter. Idem denique est, si peccatum sit occultum, & emendatum, nec habeat effectum in futurum, quia sic cessat omnino finis illius præcepti: Avil.

Excipe semper crimen hæresis, & similia bono publico Fidei, vel Religionis opposita; quæ quicumque tenetur revelare cum quovis onere.

CAPUT V.

An, & quomodo excuset consensus partis?

DICO primo, Si pars, in cujus favorem lata est contra te censura sub conditione e. g., *Si non satisfacias intra mensem*, prorogat terminum præfixum censuræ incurrendæ, suspenditur censura, neque adeo incurritur, si non satisfaciat intra mensem: Innoc., Abb., Pal., Suar. d. 3. s. 6. n. 8., Bon. q. 3. p. 4. n. 1., & alii communiter contra Sylvestr., Nav., Sayr., Ugol., & alios. Ratio est, quia Judex concedens censuram in gratiam creditoris non censetur velle ligare debitores ultra voluntatem, & intentionem ipsius creditoris: ergo, sicuti, creditore condonante simpliciter debitum, censura non incurritur; ita, eo prorogante terminum, censura pariter prorogatur, ac suspenditur. Neque sic creditor exercet actum jurisdictionis, ut putant Adversarii; non enim directe tollit, aut suspendit censuram; sed tantum indirecte, tollendo scilicet, vel prorogando ejus materiam.

Dico secundo: Elapso termino prorogato, si non satisfacias, incurris priorem censuram, absque novo præcepto Judicis: Pal. p. 8. n. 7., Dicast., Leand., Bonac., & alii contra Avil., Nav., & alios. Ratio est, quia prior voluntas Judicis fuit, ut incurras censuram secundum intentionem creditoris, in cujus gratiam tulit: ergo; quando voluntas illa ex suspensa fit iterum absoluta, incurritur censura ex vi prioris præcepti: ergo non requiritur novum præceptum.

Illud hinc infer, quod, quando censura fertur ad instantiam partis, debet regulari juxta ejus intentionem, quia Judicium requisitum non debet excedere intentionem requirentis. Hinc in excommunicatione lata contra eos, qui furati sunt res Titii, regulariter non comprehenduntur ejus uxor, filii, parentes, si quid surripuerunt ab illo; quia non præsumitur rationabiliter invi-

vitus; adeoque nec præsumitur, eos velle comprehendi. Dixi *Regulariter*, quia, si Titius expresse explicet, hoc se velle, aut quantitas furti fuerit adeo magna, ut prudenter præsumatur eum velle, comprehenduntur: ita Cordub., Avil., & alii.

QUÆSTIO III.

De Absolutione a Censuris.

PRoscripta est ab Alex. VII. hæc 44. propos. *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ*; & ratio proscriptionis est, quia, qui juridica potestate Ecclesiæ est ligatus, ab eadem debet solvi, ex illo Matth. 16. *Quodcumque ligaveris, & quodcumque solveris &c.* Igitur, quamvis contumacia sit causa incursionis censuræ, non tamen ejus conservationis; adeoque censura semel incursa non potest alia via tolli, quam per absolutionem, quæ proinde reo correcto est impendenda. Quod si censura lata sit sub hac clausula, *Donec resipiscas*, Nav. putat, ex tunc concessam esse absolutionem sub conditione resipiscentiæ. Sed rectius Suar. cum aliis ait, per eam clausulam moneri reum, ut non speret antea absolutionem. Si autem feratur aliqua suspensio, aut interdictum ad tempus, tunc, ex alibi dictis, non est censura, sed pura pœna, quæ proinde absolutione non indiget. Quoniam vero de iis, qui absolvere possunt a censuris, tum Papalibus, tum Episcopalibus, tum reservatis, tum non reservatis, tum extra, tum in articulo mortis, tum in casu, tum extra casum legitimi impedimenti, suse egimus tr. 6. d. 2. q. 1. c. 1., & susius q. 3. c. 3. §. 1. 2., & 3. per totos, illuc remittimus benevolum Lectorem. Videndum hic breviter superest, quot modis, & quo ritu, ac forma danda sit hujusmodi absolutio? Sit igitur

CAPUT UNICUM.

Quot modis, & quo ritu danda sit absolutio a Censuris?

I. QUod attinet ad prioris quæsiti resolutionem, dari potest, vel pro foro tantum interno, vel etiam pro foro externo. Priori modo absolvitur censuratus, salvo jure apud Judicem cognoscendi de illo delicto, eique pœnam, & satisfactionem publicam injungendi; ideoque excommunicatus occultus, obtenta ea absolutione, potest se gerere in omnibus, tanquam non excommunicatum; idemque, etiamsi constet, publice fuisse excommunicatum, & fuisse etiam sic absolutum: si vero hoc secundum non constet, potest quidem occulte & citra scandalum, non tamen publice propter scandalum, itant possit Judex illum punire; quamvis possit etiam dictam absolutionem admittere pro foro exteriori, nisi urgeatur a parte: Nav., Avil., Sayr., Laym. Pal. p. 11. n. 13.

II. Dari potest utraque absolutio; vel absolute, cum reus simpliciter, & absolute absolvitur; vel conditionate, sub aliqua scilicet conditione, qua non impleta corruit absolutio. S. Antonin., Sylv., & alii negant, posse dari sub conditione de futuro, tum paritate absolutionis a peccatis, tum quia *Actus legitimi non recipiunt conditionem*, ex *Reg. Jur.* Sed communius affirmant Con., Nav., Suar. d. 7. s. 8. n. 7., & alii; quia neque jure naturali, neque positivo irritatur: irritatur autem jure divino absolutio a peccatis ita conditionata, quia hæc absolutio procedit immediate a voluntate Christi, qui noluit, eam pendere a conditione futura. Regula autem juris loquitur de illis actibus, qui certo die absolvuntur: at absolutio a censuris respicere potest tempus indeterminatum: puta, *Cum restitues, &c.*

III. Dari potest ad cautelam, quo pacto sæpe datur ignoranti suam censuram, vel de ea suspicionem habenti, ad hoc scilicet, ut recipiat Sacramenta, Ordines, Beneficia, &c. ex cap. *Super eo, de sent. exc.* Hæc pro foro interno conceditur solo testimonio petentis, facta tamen promissione, quod satisfacere velit, si deinde de censura constiterit. Pro foro autem externo, si petatur absolutio generaliter, conceditur nulla præmissa cognitione causæ, nec data cautione: si petatur specialiter pro tali, vel tali censura, de cujus valore probabiliter dubitetur, probare saltem semiplene debet, se ea juste ligatum non esse: citanda est etiam pars, vel judex, si eam tulit ex officio, qui, si in probatione deficiant, condemnandi sunt ad expensas, & ille absolvendus; secus vero, si probent intentum, ex cap. *Solet, de sent. exc. in 6.*, Pal. p. 11., & alii communiter.

IV. Dari potest ad reincidentiam, itaut absolutus, si non exequatur opus cum tali absolutione injunctum, incidat in eandem censuram, non quidem eandem numero, cum effectus semel destructus non possit redire; sed eandem similitudine: itaut, si antea erat excommunicatus vitandus, cum reincidit, sit etiam vitandus &c. Suar. d. 22. s. 1. n. 2., Bon., & alii communiter. Talis ex alibi dictis est absolutio in articulo mortis, vel in casu legitimi impedimenti, data a non habente alias facultatem. Et hac etiam sæpe utuntur Judices in debitis pecuniariis; absolvunt enim debitorem consentiente creditore ab excommunicatione incursa ob debitum non solutum, imposito præcepto, ut intra mensem e. g. solvat; sin minus, in eandem reincidat.

Hinc, si intra illum mensem non solvat ob impotentiam, non reincidit; quia absque novo peccato non incurritur nova censura: neque obstat paritas exilii, quod potest cessare per aliquot dies, & deinde absque nova culpa redire; nam hæc est pura pœna, quæ potest ad tempus suspendi; at censura nec est pura pœna, nec per absolutionem suspenditur, sed tollitur: ergo, ut nova nascatur, requiritur nova contumacia: secus esset pura pœna peccati præteriti: Nav., Hore., Con., Laym., Pal. p. 11. §. 2. n. 10. contra Suar. d. 7. s. 8. Atque id esse debet universaliter verum in quacumque absolutione a censuris, modo sit vera absolutio, & non tantum suspensio, aut dispensatio in ejus effectibus. Quo modo utitur Pontifex in interdicto locali, quod statis diebus intra annum suspenditur quoad omnes suos effectus; vel cum absolvit, sed potius dispensat cum excommunicato in ordine ad aliquem tantum effectum, nempe ad collationem beneficii, vel alicujus privilegii; & similiter ex cap. *Veniens 2. de Testibus* conceditur a Pontifice cuicumque Judici tam ordinario, quam delegato potestas absolvendi, seu potius dispensandi cum excommunicato, tantum ad effectum dicendi testimonium, quando alia via veritas cognosci non possit: Pal. n. 12.

Circa alterum quæsitum, videndum hic superest, quid requiratur ex parte Absolventis, ex parte Absolutionis, & ex parte Absolvendi?

I. Ex parte absolventis a censuris, præter potestatem, de qua est dictum, requiritur voluntas absolvendi, & quidem libera a coactione, & metu; nam absolutio data ex metu est invalida, cap. un. *De his, quæ vi*, a quocumque incutiatur talis metus, sive juste, sive injuste; quia textus non distinguit: Suar. d. 7. s. 6. n. 12., & alii communiter. Requiritur etiam, ut non decipiatur in causa principali: puta, si fingas, te jam satisfecisse parti, vel habere propositum satisfaciendi, emendationis, &c. quia non censetur Judex habere voluntatem sic absolvendi: esset enim voluntas irrationabilis, & contra ordinem juris; ideoque absolutio per talem dolum obtenta est subreptitia, nec subsistit: Pal. p. 10. §. 3. n. 8., ex cap. *Officii, de sent. exc.*

II. Ex parte ipsius absolutionis a censuris, nulla est in jure statuta certa forma, ideoque sufficiunt quæcumque verba prolata sive ore, sive scripto, ex c. *Cum desideres* eod. tit. Addit Salas, sufficere etiam signa, seu nutus talem absolutionem exprimentes; quod tamen uni Papæ licere, dicunt alii, ex text. cit. Itaque, quamvis in absolutione publica adhibeantur aliquæ ceremoniæ, ex cap. *Et nobis* eod. tit., quæ habentur in Rituali Rom. at in absolutione privata satis est dicere, *Ego te absolvo a censuris*; imo sat est dicere *Ego te absolvo*, dummodo intendas absolvere a censuris: Ugol., Suar., Bon., & alii. Hinc non videtur possibilis casus, in quo quis sit adeo morti proximus, ut non possit prius absolvi a censuris, & deinde a peccatis, cum per eadem verba haberi possit uterque effectus cum sola prioritate naturæ inter utrumque ex intentione absolventis, ut not. Bonac., & alii. Si plures habeas censuras, & unam tantum bona fide exponas in confessione, absolveris ab omnibus, si Confessarius habeat facultatem absolvendi omnes; quia absolvit, quantum potest, & tu indiges: Quare, si deinde recorderis peccati obliti habentis excommunicationem reservatam, poteris illud confiteri cuivis Confessario; quia jam talis excommunicatio est ablata a priori habente potestatem, ut supponitur: Suar., Sanch., Fil., Con., & alii: a Judice autem publice absolvitur ea tantum censura, quæ ei exponitur.

III. Ex parte Absolvendi requiritur primo, Ut jam satisfecerit parti, vel, si sit impotens, præstet cautionem, juxta alibi dicta. Requiritur secundo, Ut petat absolutionem, & sit præsens, dum absolvitur. Sed, quamvis id requiratur regulariter, ut absolutio convenienter detur; non tamen est essentiale; quia, cum censura sit pœna, nihil obstat, quominus detur absolutio etiam

io-

invito, & distanti, ob aliquam gravem necessitatem. Quare ex gravi causa absolvi potest a Judice reus absens, medio procuratore, qui juret, & præstet omnia, quæ reus præstare deberet, si præsens esset: Suar. d. 7. s. 7., Pal. n. 10., arg. *l. ad rem mobilem*, *ff. de Proc.* Confessarius etiam habens facultatem absolvendi ab aliqua censura in foro conscientiæ potest ab ea absolvere etiam extra confessionem Sacramentalem; quia forum conscientiæ magis late patet, quam forum Sacramenti Pœnitentiæ. Probabiliter potest etiam a ocnsura absolvere absentem per litteras; quia, sicuti pœna in absentem statui potest, ita etiam auferri: Dian. p. 5. tr. 9. ref. 10. Addunt Sanch. l. 8. *Matr.* d. 34., Con., Avil., Dian., & alii, etiam posse extra confessionem, si habeat facultatem absolvendi a censuris cum hac clausula *Auditis confessionibus*; quia videtur tantum significare auditis peccatis, ob quæ inducta est censura, quod per se non habet connexionem cum confessione sacramentali; quamvis in hoc contradicant Suar., Vasq., Navar., Fil., & alii. Addit Bonac. q. 3. p. 6. n. 9., quod, si facultas dicat *Absolvatur a censuris in foro Pœnitentiæ*, potes ab eis absolvere etiam extra confessionem, adjuncta tamen salutari pœnitentia, quia censuræ sunt materia, ad quam per se non requiritur absolutio Sacramentalis.

Denique absolvi etiam potest mortuus a censuris, dummodo *De ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit*, cap. *Sacris*, *& a nobis*, *de sent. exc.* Quamvis ea in rigore non sit directa absolutio mortui, sed tantum indirecta, juxta dicta q. 1. c. 2. §. 1. Eisdem autem verbis, & modis absolvitur mortuus, ac vivus: si tamen jam sit sepulsus, satis est verberari sepulchrum. Quod si nondum sit sepultus, putat Dicast. n. 474., satis esse verberari Sarcophagum. Hæredes autem tenentur saltem ex charitate procurare absolutionem tali mortuo, ut sic fiat capax Ecclesiasticæ sepulturæ, suffragiorum &c., juxta dicenda d. 2.

Porro, Quæ sit forma absolutionis a censuris, Quomodo exequendæ sint litteræ S. Pœnitentiariæ circa absolutionem a censuris, & An hæc præmittenda absolutioni Sacramentali? Vide tr. 6. d. 2. q. 4., ubi de absolutione Sacramentali c. 1. quæsit. 2. 3., & ult.

DISPUTATIO II.

De Excommunicatione.

EXCOMMUNICATIO est *Censura Ecclesiastica privans hominem Baptizatum communione Fidelium*. Dividitur in majorem, quæ privat omni, & minorem, quæ privat aliqua tantum communione: illa est simpliciter, & absolute excommunicatio, hæc tantum secundum quid. Hinc excommunicatio absolute prolata semper de majori intelligitur, c. *Si quem*, *de Sent. Excom*; estque pœna omnium gravissima, cap. *Cum non ab homine*, *de judiciis*: & ab Apostolo 1. *Cor.* 16. appellatur *Anathema Maranatha*, hoc est, separatio usque ad diem Adventus Domini; quasi dicat: excommunicatus, nisi resipiscat, in ea sit permansurus usque ad diem judicii. Itaque agendum primo de excommunicato vitando, necnon de causa excommunicationis minoris, ejusque effectibus. Secundo, De effectibus excommunicationis majoris. Ab excommunicationibus juris communis libenter hic abstineo, cum in iis expendendis immoratus abunde sim in de Pœnitentia tr. 6. d. 2. q. 3. *in Appendice*.

QUÆSTIO I.

De Excommunicato vitando, necnon de Excommunicatione minori.

EXCOMMUNICATUS vitandus, seu non toleratus est, quem Fideles tenentur vitare, itaut neque in rebus divinis, neque in civilibus possint cum eo communicare. Ante Conc. Constant. omnis excommunicatus erat vitandus; & quidem publice, si excommunicatio erat publica; secreto, si secreta, ex cap. *Cum non ab homine*, *de Sent. Exc.* At per Extravag. Concil. Const., quæ incipit *Ad evitanda*, confirmatam a Martino V. non tenemur hodie vitare, nisi excommunicatum nominatim denunciatum, & publicum percussorem Clerici. Scio, Concil. Basil. deinde addidisse, etiam quemcumque notorium excommunicatum esse vitandum; sed, cum hoc Concil. fuerit acephalum, revocatum fuit quo-

ad hoc ab Eugen. IV., ut docet Pal. d. 2. p. 4. n. 5. cum communi contra Fel., Nav., Ugol., & alios. Igitur quicumque alius, etiam notorie excommunicatus, dicitur toleratus, seu non vitandus, itaut non teneamur eum vitare; possumus tamen, si volumus, cum nulla ei fiat injuria, utpote publice infami, ut addit Avila. In Germania autem repelli non possunt hæretici a contractibus, &c.; quia consuetudo, vel tacita fœdera hoc jus illis dederunt: Laym., Dicastil., & alii.

CAPUT I.

Quis dicatur Excommunicatus nominatim denunciatus, vel publicus Percussor Clerici?

I. DENUNCIATIO excommunicationis, ex dictis d. 1. q. 1. c. 7., est ejus jam incursæ publica declaratio facta auctoritate Judicis in Ecclesia, aliove loco publico, & in portis Ecclesiæ, aliove loco publico in scriptis affixa. Hinc, ut quis sit vitandus, non satis est, quod a Judice sit nominatim excommunicatus, cum non sit adhuc publice denunciatus; nec satis est, si sit publice denunciatum, seu declaratum ejus crimen, cui adnexa est excommunicatio; quia per hoc, quod denuncietur crimen, non ideo denunciatur excommunicatio; potuisset enim illam ignorasse, & sic non incurrisse: Nav., Dicast., & alii. Imo Con., Reginal., Dian., Sanch. l. 2. *Decal.* cap. 9. n. 4. contra Suar., Henr., & Avil. docent, neque sufficere, quod denuncietur tale crimen, & quod reus pœnas illi adnexas incurrerit; quia per hoc nondum dici potest in rigore excommunicatus denunciatus; cum de excommunicatione speciatim non fiat mentio, ut vult Constant., dicens *specialiter*, *& expresse*.

Neque est vitandus, nisi sit denunciatus nominatim; hoc est, nisi in scriptura, quam *Cedolonem* dicimus, exprimatur proprium ejus nomen & cognomen, vel talia signa, ut de eo individuo omnibus constet, ex cap. *Debet* 11. q. 3., v. g. si dicat, *Excommunicamus talem loci Decanum*, *Prætorem*, *&c.*, itaut non liceat de ea persona dubitare. Hinc, si dicat, *Excommunicamus Petrum ob tale furtum*, *& ejus complices*, solus Petrus est vitandus, non vero complices, etiamsi sint notorii; quia sententia contra illos est tantum generalis, & non specialis contra certam personam: Doctores communiter. Neque demum est vitandus excommunicatus nominatim denunciatus, si intra decem dies legitime appellaverit a tali denunciatione juxta dicta d. 1. q. 2. c. 2.

Ut autem tenearis vitare excommunicatum nominatim denunciatum, non est opus, ut tu audieris denunciationem, sed satis est, ut tibi constet ex fide dignis saltem duobus; quia uni, quamvis fide digno, non teneris credere, præsertim quando agitur de gravi præjudicio alterius; nisi ostendat litteras excommunicationis, & denunciationis. Satis est etiam, si constet per famam publicam, quæ tamen orta sit a fide dignis; quia in rebus moralibus non requiritur major certitudo: Nav., Dicast., Tamb., c. 3. §. 3. n. 6. Hinc, si probabile sit, Petrum esse denunciatum, & probabile etiam oppositum, non teneris vitare; si probabile sit tantum primum, teneris; dummodo sit concludenter probabile, seu verisimile, ex cap. 1. *de Excep. in 6.* Si vero sit dubium, & facta morali diligentia remaneat negative dubium, non teneris, quamvis scias, esse excommunicatum, quia in dubio stat ex utraque parte possessio pro libertate communicandi: Tamb. num. 3., Dicast. n. 493., dummodo tamen non sit periculum scandali, vel irritandi Sacramentum Pœnitentiæ, ut excipit Suar., Lezan., Avil., & alii communiter.

II. Publicus Clerici percussor dicitur ex Extrav. cit. *Quando adeo notorie constiterit incurrisse*, *quod factum non possit aliqua tergiversatione celari*, *nec aliquo suffragio excusari*. Requiritur ergo notorietas facti, hoc est, ut talis percussio facta sit coram multis, quibus etiam indubitatum sit, te vere incurrisse, itaut nulla probabili ratione excusari possis; & deinde, ut ex eorum testimonio res ita sit divulgata, ut nulla tergiversatione celari possit: Suar. d. 9. s. 2. n. 11., & alii communiter.

Hinc non sufficit notorietas juris, hoc est, si ex conjecturis ipso jure inductis præsumatur, te percussisse, vel si notum fiat per depositionem duorum, vel trium testium in judicio, vel per confessionem tui ipsius in judicio; quia, dum res in hoc statu præcise existit, nondum est notoria per evidentiam facti; posses enim adhuc

probabiliter allegare, te percussisse per modum justæ defensionis, vel aliam excusationem, aut probabile dubium afferre, & consequenter aliquo suffragio excusari; Suar., Fil., Avil., Dicastil., & alii. Nec sufficit publica fama, quando hæc non procedat ex evidentia facti per testes oculatos; quia alias non dicitur notorium, sed famosum: Suar., Mol., & alii ex cap. *Tua nos*, *de Cohabitatione Cleric.*, *& Mul.* Imo neque sufficit fama, quod percussisti; sed requiritur fama, quod percussisti coram multis: Avil., Dicast., n. 428. Quantus autem esse debeat horum testium oculatorum numerus, discrepant Doctores. Communiter dicitur, sufficere decem, quia decem personæ faciunt populum. Verum, ut notant Nav., Leand., Avil., & alii, quamvis hic numerus sufficere videatur respectu Oppiduli, aut Collegii; non tamen respectu magnæ Civitatis. Quare Suar., & alii determinandum relinquunt arbitrio prudentium, attenta etiam qualitate testium, temporis, & loci: si enim fiat coram gravibus personis in foro, & die, requiritur minor numerus: major vero, si fiat coram non gravibus in loco non tam publico, nocte, &c. Ut autem id evadat notorium, non requiritur, ut res ex istorum dicto divulgata jam sit in tota Civitate, sed in majori parte Viciniæ, Paræciæ, Collegii, &c., juxta prudentis arbitrium: Suar. n. 11. Addit Nav., quod si percussio fiat coram decem in Collegio, aut Monasterio, ibi es vitandus, non tamen publice, neque ab aliis, donec factum publice innotescat.

Quæres, An, si percussio fiat coram paucis non sufficientibus ad faciendum delictum notorium, hi teneantur te vitare?

Respondeo, Probabilius non teneri; quia, licet his delictum sit notorium, & evidens; non tamen adhuc est absolute notorium, hoc est publice divulgatum, ut requiritur ex Concil. Constant.; ergo neque publice, neque occulte tenentur te vitare: Cov., Nav., Avil., Leand., Bonac., Laym., & alii contra Dur., Fil., Suar. d. 9. s. 2. n. 12.

Quæres secundo, An, qui semel scivit, aliquem esse vitandum, semper teneatur eum vitare?

Respondeo Teneri, donec sibi certo moraliter constet de absolutione; quia stat possessio pro excommunicatione vitanda: quare non satis est quodvis dubium, vel probabilitas absolutionis, ut possis cum eo communicare; sed requiritur vel publica fama, vel testimonium fide dignum de absolutione, cap. *Sicut 39. de Sentent. Excom.*, potestque ipsimet excommunicato adhiberi fides, si alias est fide dignus, & bonæ conscientiæ, si dicat, se absolutum, aut exercite se gerat ut absolutum, Navar., Henr., Avil., Dicast. n. 406. Plura de Clerici percussione habes tr. 6. d. 2. q. 4. in expositione 4. casus Clem. VIII. in appendice cap. 1. §. 2. n. 4.

CAPUT II.

An Excommunicatus vitandus in uno loco sit etiam alibi vitandus?

DIFFICULTAS est, an Petrus e. g. excommunicatus nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percussor Romæ, sit etiam a te id sciente vitandus hic Neapoli, ubi nondum est divulgata fama talis denunciationis, seu percussionis? Qua in re tres sunt sententiæ:

Prima docet, esse hic etiam vitandum tum occulte, tum publice a te, & ab aliis etiam paucissimis, ad quos notitia moraliter certa, quamvis occulta, pervenerit. Ratio est, quia per illam denunciationem, aut notorietatem factam Romæ jam Petrus amisit jus suæ famæ; adeoque, si hic vitetur, non offenditur in fama; ergo potes eum vitare citra injuriam; & consequenter teneris servare legem prohibentem, ne cum eo communices, quia sic nulla ratione excusaris: ita Henr., Fill., & alii.

Secunda docet, esse hic a te vitandum occulte, non vero publice. Ratio est, quia cap. *Cum non ab homine* cit. præcipitur, ut excommunicatus publicus vitetur publice, occultus occulte: cui juri non derogavit Concil. Constant., sed tantum limitavit ad denunciatos, & notorios percussores: ergo quoad hos servari debet, ut, si hic sciantur publice, publice etiam vitentur; si occulte, vitentur occulte: ita Hurt., Avil., Laym. dicens, hanc sententiam esse communem.

Tertia docet, non esse hic a te vitandum neque publice, neque occulte. Ratio est, quia obligatio vitandi juxta Conc. Const. non oritur ex excomm. sed ex ejus notoria denunciatione, aut percussione: ergo, si hic Neapoli non est notoria denunciatio, vel percussio Romana, nullam hic pariet obligationem vitandi Petrum. Neque dicas, denunciationem, seu promulgationem juridicam factam in uno loco obligare etiam pro aliis locis eam scientes, etsi ibi non sit divulgata; nam, quamvis id concedatur in promulgatione aliarum legum, quod etiam negatur a Farin., Ab., Nav., Medio., & aliis; tamen merito negari potest in re præsenti, in qua intentio principalis Concil. Const. fuit favere Fidelibus: ergo, cum dicit, quod nemo teneatur vitare excommunicatum, nisi sit juridice promulgatus; & hoc habere possit duplicem sensum, vel scilicet tantum immediate, & absolute pro uno loco, vel mediate, & respective pro aliis locis; æquius erit intelligere hunc posteriorem sensum Fidelibus faventem: Pal. d. 2. p. 4. num. 5., Sanch. l. 2. *Decal.* c. 11. n. 20., Dian., de Leon., & alii.

Atque hanc sententiam probabiliorem reputat Tamb. §. 2. n. 22., & ad rationem primæ sententiæ dicit, ex eo, quod Petrus amiserit jus suæ famæ, tantum sequi, quod non pecces contra justitiam illum publice vitando; at peccas contra Charitatem, aut saltem contra perfectionem Charitatis, qua teguntur delicta etiam alibi publica. Ad rationem secundæ sententiæ ait, pie credendum, Concil. Constant. illum Canonem limitasse ad denunciatos, & notorios percussores, non quomodocumque, sed respective, & mediante fama, ad locum, in quo sunt vitandi. Quod cum concedat Avil. de percussione, incohærenter negat de denunciato; cum in Concil. idem statuatur pro utroque casu, ad tollendam æque a Fidelibus occasionem scrupulorum, &c.

Quæ dicta sunt, & dicentur de excommunicato, procedunt proportionaliter de suspenso, & interdicto; itaut, si non sit nominatim denunciatus, possis cum eo communicare in illis rebus, a quibus est suspensus, aut interdictus; secus vero, si sit nominatim denunciatus suspensus, aut interdictus: Nav., Sayr., Gutr., Pal. p. 5. n. 8., & alii communiter ex eodem Concil.

CAPUT III.

Sub qua culpa, & pœna prohibita sit Fidelibus communicatio cum excommunicato vitando, aut non vitando?

I. CERTUM est, post Concil. Const. Fideles posse cum excommunicato tolerato communicare in omnibus tum civilibus, tum divinis, ac si excommunicatus non esset: quare non solum potes licite illum inducere, ut celebret, Sacramenta ministret, tecum horas recitet, &c., verum etiam ei illicite se ingerenti ad celebrandum potes licite assistere, & te celebrante permittere, ut assistat, &c.; quia peccati, quod ipse committit se ingerendo, tu non es causa; Con., Laym., Pal. p. 5. n. 2.

Dubium est, An absque ulla necessitate, aut speciali necessitate inducere illum possis, ut celebret, Sacramenta ministret, tecum Horas recitet, &c.

Negant Avil., Suar., Laym., Ponc., & alii; quia sic peccas graviter contra Charitatem, inducendo excommunicatum ad actum, quem ille per se loquendo præstare nequit: item contra Religionem, cum indecens sit, ut talis excommunicatus absque necessitate, aut ulla alia utilitate ministret Sacramenta, &c. Sed rectius affirmant Sayr., Henr., Hurt., Pal. n. 3., Sanch. l. 7. *Matr.* d. 9. n. 8. & alii; quia Concil. Const. concedit Fidelibus hanc facultatem in eorum favorem, ne scrupulis agitentur; quæ facultas augeret potius scrupulos, si virtute Charitatis, aut Religionis abstinere deberent; cum non facile discerni possit, quæ, & quanta requiratur necessitas, utilitas, &c., ergo dicendum, Fideles omnino libere posse petere, ac si ille excommunicatus non esset, & illum ex quacumque eorum petitione celebrando, &c., nullatenus peccare.

II. Certum est ex eodem Concil., Fideles non posse per se loquendo communicare neque in civilibus, neque in divinis cum excommunicato vitando: itaut, si communices cum eo in civilibus, per se loquendo, pecces venialiter ob levitatem materiæ, etiamsi fiat frequenter, secluso tamen contemptu, & scandalo: Sayr., Avil., Pal., & alii contra Bonac., & alios: si vero communices in divinis, pecces mortaliter, nisi excuset parvitas materiæ, ut dicam infra. Utrobique autem incurris excommunicationem minorem, ex cap. *Significavit*, & c. *Nuper*, *de Sent. Excomm.* Quod autem dicitur, cap. *Excommunicatos* 11. quæst. 1., communicantem cum excommunicato simili excommunicatione innodari; intelligendum est secundum proportionem, itaut sensus sit,

fit, quod, ficut ille eſt excommunicatus excommunicatione majori, ita communicans cum illo inoodatur excommunicatione minori: Pal. p. 18. n. 3., & alii communiter.

Excipe primo: Si Clericus ſciens, libere ac ſponte admittat in divinis excommunicatum nominatim denunciatum a Papa, incurrit excommunicationem majorem, ex cap. *Significavit*, *de Sent. excom.*, Avil., Sayr., Hen., Hurt., Pal., & alii communiter. Excipe ſecundo: Si participes, ſeu communices cum excommunicato poſt ſententiam latam contra participantes, cap. *Quod in dubiis*, *de Sent. exc.* Debes tamen primo ſpeciatim moneri, & trina monitione; nam ex ſola monitione generali contra participantes non incurris excommunicationem majorem, ut ex textibus oſtendunt Suar., Pal. p. 9. n. 6., & alii. Excipe tertio, Si communices cum excommunicato in crimine criminoſo, incurris excommunicationem majorem, & quidem reſervatam eidem Judici, ex cap. *Si concubinæ*, & cap. *Nuper* eod. tit., Requiruntur tamen quatuor conditiones: Prima, Ut ille ſit nominatim excommunicatus, ex c. *Nuper* cit., quare non ſatis eſt, ſi ſit publicus percuſſor Clerici; ſed eſſe debet excommunicatus nominatim denunciatus juxta Conc. Conſtant. Avil., Bon., Regin., Sanch. l. 2. *Decal.* c. 10. Secunda eſt, Ut ſcias, illum eſſe excommunicatum denunciatum ob tale crimen. Tertia, Ut participes, ſeu communices cum illo in tali crimine. Quarta, Ut fiat hæc communicatio, poſtquam criminoſus excommunicationem denunciatam contraxit: Doctores communiter ex cit. cap. *Nuper*.

Itaque communicare cum excommunicato in crimine criminoſo eſt conſilium, auxilium, vel favorem ei præbere, ut in ea excommunicatione perſeveret, vel approbare tale crimen ab eo factum nomine tuo; vel impedire, ne ſatisfaciat parti, ne Clericum violenter detentum liberet, aut ne concubinam dimittat, ne recedat a matrimonio celebrato inter gradus prohibitos, &c., ſi enim concurrant præfatæ conditiones, incurris eandem omnino excommunicationem majorem, ac habet ille, adeoque jure communi eidem Judici reſervatam; quia ſic offendis excommunicantem, & conſequenter dignus es pœna ab eo lata; & agentes, & conſentientes pari pœna puniri debent, ut dicitur in textibus cit. Econtra vero, ſi communices in crimine relate ad actum, quo ille primo incurrit excommunicationem, vel cum notorio percuſſore Clerici, nondum tamen nominatim denunciato; vel cum denunciato, ſed relate ad aliud crimen, peccas quidem graviter, ſed non incurris excommunicationem majorem, ſed tantum minorem: Bonac., Avil., Hurt., Pal., Sanch., Dicaſt., & alii contra alios. Si autem cooperaris, ut excommunicatus denunciatus repetat illum actum, ob quem eſt denunciatus, incurris excommunicationem majorem; quia ſic ille quaſi confirmatur in priori actu; Krim. contra Dicaſt. n. 515.

III. Communicatio prohibita cum excommunicato vitando comprehenditur a Doctoribus hoc verſu:

Os, Orare, Vale, Communio, Menſa negatur.

Dicitur *Os*, hoc eſt, oſculum pacis, & omne colloquium etiam privatum, vel per nutus, litteras, internuncium, &c., item quodvis ſignum benevolentiæ, ut miſſio, vel receptio munerum, &c. Doctores communiter ex pluribus textibus. Quare, ſi illum afficias verbis contumelioſis, &c., non incurris excommunicationem minorem, quia illa non eſt communicatio, ſed potius averſio, & diſſocietas: Dicaſtill. n. 457. Similiter neque incurris, ſi retineas munus prius acceptum, quamvis conſilium ſit illud remittere, ut addit Avila.

Dicitur *Orare*, hoc eſt, communicare in divinis, puta in adminiſtratione Sacramentorum, in officiis, & orationibus publicis Eccleſiæ, & in Eccleſiaſtica ſepultura; ut fuſius dicemus q. ſeq.

Dicitur *Vale*, hoc eſt, qualibet honorifica ſalutatio: non eſt autem ſalutatio, ſi dicas, *Deus te illuminet*, *&c.*; quia ſic non illum honoras, ſed arguis, & a Deo converſionem poſtulas: quare excommunicato ſalutanti poteris ſic reſpondere: Sayr., & alii communiter contra Sylv. Imo Henr., Fil., Pal., Buſemb., & alii dicunt, poſſe reſalutare excommunicatum vitandum te prius ſalutantem; quia ea reſalutatio non eſt voluntaria, ſed neceſſaria, non quidem, ut illum honores, ſed ne illum poſitive inhonores. Idem probabiliter dicunt S. Anton., Sayr., Sot., & alii contra alios, ſi aſſurgas, caput aperias, vel locum concedas: v. g. Epiſcopo, aut alii Superiori vitando, ad vitandum periculum offenſæ, & damni. Idem probabiliter tenent Avila, Henr., & alii, ſi reſcribas: puta, ne te oſtendas inurbanum, quia hæc non eſt ſalutatio, ſed ſolutio debiti; quamvis Bon., & alii probabilius dicant oppoſitum.

Dicitur *Communia*, & *Menſa*, hoc eſt omnis contractus, & ſocietas in opere, itinere, ludo, habitatione, menſa, lecto, &c. Si tamen maneas cum eo in eadem domo, ſive etiam in eodem cubiculo ea ratione, ut quiſquis ſuis intendat negotiis abſque ulla cooperatione alterius, non eſt communicatio. Similiter, ſi dormiatis in diverſis lectis, vel etiam in eodem lecto, dummodo non conveniatis per modum ſocietatis, ut accideret, ſi ſeorſim perveniatis in idem diverſorium, ubi unus ſit lectus: Suar. d. 15. ſ. 2. n. 8. & alii communiter contra Avil. Similiter, ſi divertas in Cauponam, quo divertit excommunicatus vitandus, non cenſeris cum eo communicare, etſi comedatis in eadem menſa, modo quiſque ſuum habeat cibum, ne comedet per modum ſocietatis: Sayr., Bon., & alii. Econtra vero, ſi invites, aut invitetis ab illo ad cœnam, aut communem vitam cum eo agas in eadem menſa, ſive iiſdem veſcaris cibis, ſive diverſis, jam cenſeris communicare. Idemque eſt, ſi utrumque alius invitet, etſi in diverſis menſis intra idem cubiculum; quia ſic cenſentur omnes convivæ eſſe in eodem loco per modum ſocietatis, & participare de eadem benedictione menſæ; ſecus vero, ſi accumbatis in longe diſſitis menſis, in diverſis cubiculis: Suar., Henr., Ugol., Bonac., & alii. Denique cenſeris communicare cum illo etiam defuncto, ſi ejus cadaver laves, veſtias, &c., quamquam poſſis illud in loco profano ſepelire, ne aerem corrumpat, ut fuſius dicemus q. ſeq.

CAPUT IV.

Quando liceat communicare cum Excommunicato vitando?

CAP. *Quoniam multos* 11. q. 3. dicitur: Ut animarum periculum evitetur, licere communicare cum eo uxori, liberis, mancipiis, nec non ruſticis ſervientibus: item iis, qui ignorant: item, qui emunt ab illo, ſi non habeant alium, unde emant; vel qui humanitatis gratia dare aliquid ei voluerint. Ex quibus Doctores communiter deducunt quinque caſus, in quibus potes cum eo communicare comprehenſos in eo verſiculo a gloſſ. relato in cap. *Cum deſideres*, *de ſentent. excomm.*, ubi dicitur;

Utile, Lex, Humilis, Res ignorata, Neceſſe.

Utile.

INTELLIGITUR quævis utilitas tum ſpiritualis, tum temporalis, ſive tua, ſive ipſius vitandi; modo non ſit levis, in qua potes cum eo communicare; quia lex Eccleſiaſtica benigna eſt, ejuſque obligatio ceſſat, quando in actionibus cernitur gravis utilitas, modo ſit vera, non ficta: Doctores communiter, ex cit. cap. Hinc

I. Potes dare ei conſilium ſalutare, & tunc etiam potes eum ſalutare ſive verbo, ſive ſcripto, benigne alloqui, & cum eo humaniter agere, quamvis alia verba incidenter interponas; quia conceſſo fine conceduntur etiam media, ex cap. *Cum voluntate*, *de ſentent. excom.* Similiter potes concionem coram eo facere, vel cum eo concioni intereſſe, ex cap. *Reſponſo* eod. tit. De lectione theologica dicam q. ſeq. Econtra etiam ob tuam, vel aliorum utilitatem potes ab eo conſilium petere, ſi tamen non ſit alius, qui æque bene dare poſſit: concionem vero ab eo audire raro licere poteſt, ob ſcandalum: Pal. d. 2. p. 19. n. 2.

II. Potes ab eo petere medicinas, aut aliud auxilium temporale, ſi non ſit alius, qui æque bene præſtet: item petere ab eo tum privatim, tum juridice tuum creditum; item proſequi contractus ſocietatis antea initos, ob præcavendum, & vitandum damnum; at non potes novum contractum, novamque ſocietatem licite inire. Econtra etiam potes ei medicinas, aliudve auxilium temporale præbere: item debitum ei ſolvere, imo hoc teneris, quamvis ejus petitio non admittatur in judicio, ex cap. *Quia*, *de except. in 6.*; quia obligatio ſolvendi debitum eſt juris naturalis, quod non tollitur per præceptum Eccleſiæ: Bonac., & alii communiter contra Sayr., & alios dicentes, poſſe te ſolutionem differre, donec ille abſolvatur. Neque obſtant jura, quæ contra ab his adducuntur, quia loquuntur de debito fidelitatis, & obſequii, non vero de debito juſtitiæ, vel ex promiſſione jurata, quæ pœnalis eſt, & ſtricte interpretanda: Leſ., Avil.; Sylv., Ugol., & alii.

III. Potes ei eleemosynam facere, & ab eo etiam recipere, quando non est alius, qui æque commode concedat, ex text. cit. Pal. n. 2. Imo Sayr., Bonac., Avil., & alii dicunt, Prædicatores, & Confessarios eleemosynam ab eo petere posse, tametsi ab aliis æque bene possent obtinere; quia illorum curam gerunt, ex cap. *Cum voluntate* cit. Si autem ille offerat pecuniam, ut pro eo oretur, Gibal. apud Croix n. 282. dicit, esse rejiciendam; nisi offerat per modum eleemosynæ, ut excipit Krimer; sed Croix putat, admitti posse, si offerat, ut pro eo simpliciter oretur; quia potes pro eo privatim orare, juxta dicenda q. seq.

Notat demum Avila cum aliis apud Bonac., posse recipi legatum ab eo relictum, ut oretur pro ejus anima; nam hoc legatum pie interpretandum est de oratione privata. Imo addit, posse etiam recipi, etsi relictum sit, ut pro eo oretur oratione publica &c., nam conditio turpis habetur pro non adjecta in legatis, ut ait Sylv. Si autem offerat aliquid pure liberaliter sive in vita, sive in morte, rejicere debes sub pœna excommunicationis minoris; sed, quamvis pecces acceptans, non tamen retinens; quia non ideo amplius communicas: Krim. n. 1999.

Lex.

IDest matrimonium, quo uxor est sub lege viri c. 1. *de secundis nupt.* Licitum est ergo uxori petere, & reddere debitum viro excommunicato vitando, nisi factum sit juridice divortium: item communicare in mensa, gubernatione domus, colloquiis, aliisque domesticis obsequiis; etiamsi matrimonium contraxit cum eo jam vitando: Sanch., Ugol., Bon., Con., Pal. p. 29. n. 3., quia, etsi peccavit contrahendo illicite, tamen contraxit valide. Et similiter vir potest communicare cum uxore excommunicata vitanda; quia, quamvis textus cit. nominet tantum uxorem, tamen, quod est dispositum in uno correlativo, censetur etiam in altero dispositum, ubi est eadem ratio; & ratio, ob quam id conceditur uxori, est ob periculum animæ, quod etiam in viro procedit: Doctores communiter cum D. Th. contra Host., S. Anton., Sylv., Armil., & alios: non tamen communicare possunt in crimine criminoso, imo neque in divinis: Doctores communiter.

Dubium est, An conjux non excommunicatus teneatur reddere debitum alteri excommunicato vitando?

Et ratio difficultatis est, quia lex non intendit favere excommunicatis. Sed dicendum teneri, tam quia alter licite potest petere debitum; uti etiam creditor solutionem debiti; tum quia communicatio inter conjuges utrinque æque permittitur, ad vitandum periculum animæ: Suar. d. 15. s. 4. n. 11. cum communi. Excipe, si excommunicatio lata sit in causa matrimonii, eo quod dubitatur, an sit legitime contractum; tunc enim sive petendo, sive reddendo debitum incurritur nova excommunicatio major; quia est communicatio in crimine criminoso (quæ nunquam licet) ob quod lata est prior excommunicatio: Suar., Ugol., Sanch., Bonac., Pal., & alii. Idem est, si factum sit juridice divortium, juxta dicta in de Matr. Similiter nequit conjux communicare cum conjuge vitando in crimine criminoso, imo neque in divinis: Doctores communiter.

Humilis.

COMPREHENDUNTUR hac voce filii, servi, & subditi, ex text. cit., & intelligitur de communicatione usuali, & ordinaria, non autem in crimine criminoso, ut per se patet. Hinc

I. Filii communicare possunt cum patre excommunicato vitando: & nomine filiorum veniunt etiam illegitimi, vel adoptivi; imo etiam alii affines, qui sunt loco filiorum, ut gener, nurus, privignus, privigna: item pupilli, & minores respectu Tutoris, & Curatoris; ideoque nomine patris venit etiam avus, abavus, mater, noverca, socera, tutor, curator, &c., quia ratio, cui innititur text. cit., est, ob communem cum parentibus habitationem, quæ militat in his omnibus. De filio emancipato est dubium. Communis sententia teste Sayr. contra Pal., & alios negat, posse communicare cum patre vitando nisi in iis, quæ pertinent ad debitam reverentiam, & obedientiam; adeoque posse ei assurgere, caput aperire, & alia signa reverentiæ præbere; & similiter, si die festo invitetur ab eo ad mensam, posse ire, inquit Filliuc., quia hoc etiam pertinet ad obsequium debitum. At, si alibi habitet, non possunt de novo cum eo cohabitare; Bonac., Fil., Suar. d. 15. s. 3. n. 4.; & alii. Filii vero ex cognatione spirituali non possunt ullatenus communicare cum suo patre spirituali vitando; quia nec jura de eo loquuntur, nec ratio ad illum extenditur: Doctores cit.

II. Servi, & ancillæ, sive gratis ei serviant, sive ex pretio, etiamsi rusticani sint, communicare libere possunt cum domino vitando; quia ob ejus excommunicationem non eximuntur a contractu servitutis: Doctores communiter ex text. cit.; idemque est de Clericis, dum sunt in famulatu Episcopi excommunicati vitandi, ex cap. ult. *de Except.*, dummodo tamen tales servi non fuerint curiales, & cooperatores criminis, ob quod Dominus est excommunicatus, ex cap. text. Suar., Fill., & alii. Si autem cœperint servire post talem domini excommunicationem, Nav., Fil., Sayr., Ugol, Suar., & alii communiter negant, posse cum eo communicare, si scienter, & absque necessitate cœperint; sed probabiliter affirmant Con., Bonac. n. 31., & alii; quia, etsi peccavit, qui scienter, & absque necessitate cœpit, non tamen deinceps inserviendo; cum contractus fuerit validus, ideoque obligans ad servitutem: uti dicitur de contrahente matrimonium cum vitando, vel acceptante ab eo adoptionem filii.

Quæres primo, An filii, vel servi possint communicare cum patre, aut domino vitando, etiam in divinis?

Respondeo, Posse, præstando tantum ea, quæ concernunt subjectionem, & ministerium, hoc est famulatum, ex cap. *Solitæ*, *de Major.*, *& Obed.* Unde filius, vel famulus potest recitare cum eo officium divinum, cum eo assistere Missæ, si ab eo vocetur ad comitandum; & similiter Clericus conductitius videtur posse ministrare domino celebranti, quia hoc etiam videtur ministerium famulatus. At non potest filius, quamvis sit Parochus, ministrare Sacramenta patri vitando, nec coram eo officia divina facere; quia hæc communicatio non competit illi ratione filiationis: Suar. s. 5. n. 22., Bon. n. 37., & alii.

Quæres secundo, An vice versa pater, aut dominus possit communicare cum filio, aut servo excommunicato vitando?

Respondeo, Posse in civilibus; quia, sicut jus id concedit inferioribus respectu superiorum vitandorum, ita econverso; cum in correlativis dispositum in uno locum etiam habeat in altero, ubi militat eadem ratio; quæ certe militat respectu communicationis civilis, non tamen in divinis, ut patet: Suar., Bon. n. 39.

Quæres tertio, An filius, aut servus possit communicare cum fratre, aut conservo vitando?

Respondeo, Per se directe non posse, cum neuter sit alteri subjectus; possunt tamen per accidens, quatenus eidem domino debent inservire, & cum eodem patre cohabitare: Suar. n. 23., Bon. num. 35., & alii communiter.

III. Subditi, si sint Regulares, etiam Novitii, communicare possunt cum Superiore vitando, ratione tantum cohabitationis, vel famulatus in iis, qui ei inserviunt; at non ratione obedientiæ, quia ille privatus est usu jurisdictionis spiritualis. Imo graviter peccant, si ei præcipienti obediant recognoscendo in eo jurisdictionem spiritualem, quia sic est quædam communicatio in divinis: si tamen id faciant ex urbanitate, aut verecundia, non erit mortale: Suar., Leand., Dicast. n. 828. Idem est de Clericis, & aliis relate ad suum Prælatum vitandum, utpote privatum jurisdictione spirituali, & consequenter ipsi privati sunt usu talis subjectionis, ex c. ult. *de Except.*

Dubium est de subditis, vassallis, militibus, &c. respectu Judicis laici, Principis, aut Ducis vitandi?

Dicendum primo, Non posse communicare libere cum illo; quia jura ex speciali ratione id tantum permittunt servis, & filiis. Similiter nec possunt communicare cum Judice vitando quoad actus jurisdictionis forensis, utpote in eo jam suspensæ, juxta dicenda qu. seq. At quoad obligationem fidelitatis ex juramento probabilius est, non cessare in vassallis, aut militibus communicationem in hoc cum Principe, aut Duce vitando; ut colligitur ex c. ult. *de Pœnis*, ubi comes quidam excommunicatus, post duos annos jubetur admoneri, ut resipiscat; sin minus, absolvi subditos a juramento: ergo antea non erant soluti, & consequenter poterant, ac debebant ei obedire: imo etiamsi deinde juramento solvantur, adhuc tenentur Principi solvere tributum; quia hoc est quoddam debitum domino temporali, quod non amittitur, & debitum est solvendum etiam creditori vitando. Neque dictis obstat, quod dicitur

cap.

cap. *Nos Sanctorum*, & cap. *Juratos* 15. quæst. 6. subditos absolvi a fidelitate, & juramento, & milites juratos prohibendos esse, ne Duci excommunicato serviant; quia id intelligendum est post sententinm declaratoriam criminis, juxta sensum cap. ult. *de Pœnis*: Fil. Suar. s. 6. & 7. Sayr. Bonac. num. 40. & alii.

Res ignorata.

IGNORANTIA, sive juris, sive facti, axcusat a communicando cum excommunicatis vitandis, ex jam dictis.

Dubium est, An excuset hic ignorantia etiam crassa, & supina?

Suar. d. 15. s. 2. n. 3. Fil. Con. & alii contra Bonac. probabiliter putant, quamcumque ignorantiam, modo non sit affectata, excusare ab excommunicatione minori; quia culpa in casu est tantum venialis, quæ per ignorantiam ita minuitur, ut non videatur digna talis pœnæ: ad cautelam tamen potest procurari absolutio. Itaque, ut tenearis a communicatione cum illo abstinere, debet tibi certo moraliter constare, illum esse excommunicatum vitandum; & talis certitudo haberi potest, vel a fama publica a viris fida dignis orta, vel a duobus testibus fide dignis, vel Parochi testimonio, ostendente tamen litteras excommunicationis, & denunciationis: secus vero, si oretenus tantum dicat; quia uni testi, quamvis fida digno non teneor credere, arg. cap. *A nobis*, *de Testibus*: Avil. Bonac. Sanch. Pal. p. 19. n. 26. nisi vero ipsemet reus aperte id fateatur, ut addit Bonac. Sylv. & alii. Econtra vero in dubio de excommunicatione, vel denonciatione non teneris; imo non potes illum vitare, quia in dubio nemo præsumitur malus: excipe solum in receptione, aut administratione Sacramenti pœnitentiæ, ob periculum actus irriti, juxta alibi dicta, & infra dicenda. Similiter, si dubium sit, an sit absolutus, teneris vitare; quia stat in possessione excommunicatio vitanda, juxta alibi etiam dicta.

Necesse.

SI excusat utilitas, a fortiori etiam necessitas communicandi cum excommunicato vitando; & intelligitur de quacumque necessitate, modo non sit levis: quare potes ei equum, vestem, & alia commodare, si ipse indiget; & vice versa potes ab eo petere, si non sit alius, qui commode, & æque bene tibi præstet. Similiter, quando communicatio necessaria est ad pacem aliorum conciliandam, aut scandalum vitandum. Similiter, si per metum gravem cogaris cum eo communicare, quia sic existis in gravi necessitate communicandi, juxta alibi dicta, & inferius dicenda.

CAPUT V.

Qua sit causa, & qui effectus Excommunicationis minoris?

QUAMVIS olim plures essent excommunicationes minores, non solum a jure, verum etiam ab homine impositæ; hodie tamen ex usu jam recepto unica tantum est excommunicatio minor imposita contra participantes, seu communicantes cum excommunicato vitando, sive vivo, sive mortuo in casibus non permissis, juxta modo dicta, & alibi dicenda. Hic ergo de ea agendum.

I. Certum est, Causam excommunicationis minoris esse peccatum, quod committitur in communicatione cum excommunicato vitando; & quidem in civilibus est sufficiens causa veniale, dummodo adsit sufficiens advertentia facti, & juris (si enim fiat ex subreptione, non incurritur excommunicatio minor, ut notat Suar.) In divinis autem potest esse etiam mortale causa talis excommunicationis: in utraque ergo communicatione incurritur tantum excommunicatio minor.

Excipe tamen quatuor casus, in quibus incurritur excommunicatio major: Primo, si sepelias excommunicatum vitandum in loco sacro, ex Clement. I. *de Sepult.* Secundo, si sis Clericus, & sciens & volens libere admittas in divinis excommunicatum nominatim denunciatum a Papa, ex cap. *Significavit* cit. Tertio, Si speciatim monitus trina monitione non cesses communicare cum excommunicato nominatim denunciato, ex cap. *Quod de dubiis*, *de Sentent. Excomm.* Quarto, Si cum excommunicato nominatim denunciatu communices in crimine criminoso, ex cap. *Concubinæ*, & cap. *Nuper*, eod. tit. Porro, quid sit communicare in crimine criminoso, vide nuper dicta cap. 3. sub n. 2.

II. Effectus excommunicationis minoris est tantum duplex, nimirum privare usu passivo, hoc est receptione Sacramentorum, & licita receptione beneficii Ecclesiastici, ex cap. *Si celebret*, *de Cler. Exc.*

Quoad primum effectum, Si habens excommunicationem minorem recipias Eucharistiam, Ordines, contrahas Matrimonium, &c. graviter peccas, quia es inobediens prohibitioni Ecclesiæ in re gravi; at nullam incurris irregularitatem, aut aliam pœnam ipso jure, sed arbitrio Ordinarii es puniendus, ex eod. cap. & similiter graviter peccat, qui scienter tibi ministrat talia Sacramenta, nisi excusemini ratione ignorantiæ, scandali, aut alterius gravis mali, juxta alias dicta. Sacramenta autem sic suscepta valida sunt, excepto Sacramento pœnitentiæ; quia eorum valor non pendet a dispositione recipientis: invalidum tamen est Sacramentum pœnitentiæ, quoties tu scienter non confitearis peccatum, cui adnexa est excommunicatio minor, etiamsi illud fuerit tantum veniale, quia sic ponis obicem per peccatum mortale, quod tunc committis: quare in tali casu tenaris sub gravi confiteri tale peccatum veniale.

Dubium est primo, An valide recipias Sacramentum pœnitentiæ: si invincibiliter oblitus taceas in confessione peccatum habens adnexam excommunicationem minorem, & Confessarius non præmittat absolutionem a censuris?

Negant Sylv. Tab. Vasq. Hurt. & alii; quia Ecclesia per talem excommunicationem privat te receptione Sacramentorum, quantum potest: atqui potest te privare valore talis Sacramenti, denegando Confessario jurisdictionem: ergo privat in tali casu. Sed multo verius affirmant Ledesm. Nav. Medin. Covar. Ugol. Sayr. Pal. p. 21. n. 7. & alii communiter; quia ex eo, quod possit Ecclesia in casu irritare actum confessionis per ablationem jurisdictionis, non infertur, quod de facto velit; cum nullum in jure sit fundamentum talis voluntatis irritantis: privat ergo tantum prohibendo, non irritando: item validum est Sacramentum matrimonii ab excommunicato susceptum, quamvis Ecclesia illud irritare potuerit.

Dubium est secundo, An peccet, qui cum excommunicatione minori ministrat Sacramenta?

Sylv. Armil. Vasq. & alii dicunt, peccare mortaliter, quia indecens videtur esse, si aliis ministret ea Sacramenta, quæ ipse recipere privatus est, & talis indecentia est in materia gravi. Sot. Avil. Sayr. Regin. Con. Pal. n. 10. dicunt, peccare tantum venialiter, quia cap. *Si celebret*, cit. dicitur, quod graviter peccat recipiendo, & postea additur, *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta*; quasi manifeste indicet, in collatione grave peccatum non esse. Nav. Henr. Cov. Fil. Suar. Bonac. d. 2. q. 3. n. 4. excusant etiam a veniali, quia excommunicatio minor non privat usu activo, adeoque nulla culpa videtur ministrare Sacramenta: ad textum dicunt, quod non peccat, quatenus ministrat, sed quatenus ministrando recipit, puta sacrificando: omittitur in verbis citatis ly *Graviter*, quia supponitur jam ante positum.

Quoad alterum effectum: si habens excommunicationem minorem recipias beneficium ecclesiasticum, graviter peccas, quia violas legem ecclesiasticam in re gravi, ex cap. *Si celebret* cit. & similiter graviter peccat, qui scienter te eligit, præsentat, confert, &c. quamvis nulla incurratur pœna jure statuta: Suar. Pal. n. 20. & alii. Hæc tamen electio, præsentatio, collatio, receptio, &c. quamvis illicita, non est ipso jure irrita, sed tantum irritanda, ut contra Nav. Covar. & alios communiter docent Suar. Bonac. Laym. Pal. n. 15. ex text. cit. ubi dicitur, *Si talis scienter electus fuerit, ejus electio est irritanda*.

Quæres, An sit irritanda, etiamsi tua excommunicatio ignorabatur ab Electoribus?

Affirmant Panorm. Covar. Ugol. Sayr. Suar. Con. & alii communiter cum Glos. quia talis electio non venit irritanda ob peccatum in electione commissum, sed quia electus est inhabilis ad usum passivum Sacramentorum, adeoque ad suscipiendos ordines, ad celebrandum, ut constat ex text. cit. ergo nihil ei suffragari potest talis electorum ignorantia: particula vero illa *Scienter* non est addita ad limitandam dispositionem, sed potius ad augendam, quasi dicat, etiamsi scienter,

& non per subreptionem facta sit talis electio. Sed Laym. Pal. n. 19. cum eadem Glos., & aliis probabilius distinguunt: irritandam quidem, si facta sit excommunicato suæ excomm. conscio; secus, si facta sit excommunicato suæ excommunicationis ignaro, sive electores sciverint, sive ignoraverint ejus excommunicationem; quia, si electus ignoret, esto in se privatus sit usu passivo Sacramentorum, tamen per talem ignorantiam excusatur, ut possit suscipere Sacramenta: ergo etiam, ut possit suscipere beneficium in ordine ad Sacramenta. Quod autem electores scienter hunc ignorantem elegerint, solum infert, quod elegerint indignum, & inhabilem quoad licitum usum, non autem quoad valorem. Econtra vero excommunicatus excommunicatione minori potest licite eligere, præsentare, conferre beneficium: item exercere suam jurisdictionem, &c., ex text. cit.

Denique absolutio a' tali excommunicatione dari poterit a quovis Confessario, juxta dicta d. 1. q. 3. c. 1. Addo, dari etiam posse a Parocho, etsi non sit Sacerdos, quia ea non est actus ordinis, sed jurisdictionis, quæ Parocho nondum Sacerdoti competit: idemque est de Episcopo nondum consecrato: Pal. n. 22. Quæres, an possit dari a simplici Sacerdote? Affirmant Rodr., Henr., Pasqual., Boss., & alii, si adnexa sit peccato veniali; sed probabilius negant Suar., Bonac., Pal., & alii, quia cap. *Nuper, de Sent. Exc.* Interrogatus Pontifex, an possit absolvi a simplici Sacerdote? Respondit, *A suo Episcopo, vel a proprio Sacerdote*, sub quo venit etiam Confessarius approbatus, utpore delegatus ab Episcopo, non autem simplex Sacerdos.

QUÆSTIO II.

De Effectibus Excommunicationis majoris.

NOVENDECIM horrendos effectus excommunicationis majoris enumerat Nav. contentos sub illa duplici privatione communicationis, tum in civilibus, tum in divinis, quorum actus omnes prohibet, aliquos etiam irritat. Reduci possunt ad hos: privat omni communicatione civili, & forensi: habilitate ad beneficia Ecclesiastica: usu jurisdictionis, & officii: usu passivo, & activo Sacramentorum: assistentia divinis officiis, communibus Ecclesiæ suffragiis, & Ecclesiastica sepultura. Ex quibus sequuntur alii effectus mediati, ut patebit infra.

CAPUT I.

An, & quomodo privet Communicatione civili, & forensi?

I. CERTUM est, Excommunicatum excommunicatione majori, etiamsi sit toleratus, non posse, per se loquendo, se ingerere, seu ex se incipere communicationem cum fidelibus; quia in Concil. Constant. expresse dicitur, *Non esse suæ intentionis in aliquo suffragari ipsis excommunicatis*. Itaque quoad hoc manet in dispositione juris antiqui; itant, si sit excommunicatus occultus, non possit occulte, & secreto se ingerere; si sit notorius, nec secreto possit, nec publice; & a fortiori, si sit vitandus. Peccat ergo venialiter, si se ingerat in civilibus; etsi non incurrat excommunicationem minorem; nisi sic communicet cum alio excommunicato vitando. Si vero communicet cum infideli, nullatenus peccat, quia solum ei prohibetur communicatio fidelium: Abb., Host., Suar., d. 15. s. 3. n. 12.

Excipe quinque casus enumeratos q. anteced. cap. 4., in quibus potest excommunicatus etiam vitandus se ingerere; uti etiam potest, si dubitet, se esse excommunicatum, sive dubium sit juris, sive facti: puta, si dubitet, an lata sit contra se excommunicatio, vel an patraverit delictum, cui ea est adnexa, quia in dubio melior est conditio possidentis: non vero, si dubitet, an excommunicatio jam contra se lata sit justa, vel an ab ea sit absolutus; quia sic possidet excommunicatio: Sanch. l. 1. *Decal.* c. 10. n. 54., Bonac., & alii contra Azor., Suar., Rebel., Vasq., & alios. Cæterum, si non ipse se ingerat, sed sit ab aliis requisitus; tunc, vel ipse est toleratus, & nihil peccat; quia fideles habent privilegium Concil. Constant. cum eo communicandi in omnibus, ob quod conceditur ei in omnibus respondere in favorem illorum; vel ipse est vitandus, & adhuc requisitus peccat communicando: sicuti etiam peccant fideles requirendo; nisi excuset gravis metus, ignorantia, aut gravis necessitas, juxta jam dicta, & inferius dicenda.

II. Certum est, Excommunicatum excommunicatione majori valide, etsi illicite, exercere communicationem forensem, quæ consistit in ineundis contractibus; quia hi nullo jure irritantur, etiamsi fiant ab excommunicato vitando: Doctores communiter. Neque obstat Regula illa Juris, *Quod contra jus fit, pro infecto haberi debet*; nam intelligitur de eo, quod fit contra jus irritans, non vero contra jus tantum prohibens. Neque obstat secundo, quod excommunicatus petens in judicio executionem contractus repellitur; nam repellitur, quia ut excommunicatus non potest agere in judicio; non vero, quia contractus fuit irritus: quare, si ab excommunicatione absolvatur, potest pro eo agere, ex cap. *Felicis, de Pœnis in 6.* Hinc valet venditio, emptio, locatio, &c. facta ab excommunicato etiam vitando: item matrimonium ab eo contractum: item donatio, tum ab excommunicato, tum ipsi excommunicato facta: item Professio Religiosa facta, tum ab ipso excommunicato, tum apud Superiorem excommunicatum vitandum, quia est quidam veluti contractus cum Religione: Pelliz., Pal., & alii.

Excipiunt primo aliqui cum Sayr. contractus factos ratione officii publici, puta a Prælato qua tali excommunicato vitando; sed rectius Sanch., Suar., & alii dicunt, etiam valere, quia nullibi irritantur, neque in iis exercetur actus jurisdictionis: Secundo, Excipiunt alii testamentum factum ab excommunicato vitando: sed communiter censetur etiam validum, imo etiam licitum, si non potuit ante mortem obtinere absolutionem; quia sic censetur actus necessarius: Avil., Dicastil., & alii: & similiter excommunicatus vitandus valide instituitur hæres. Et ratio est, quia tam activa, quam passiva confectio testamenti nullo jure irritatur, nisi in quatuor tantum casibus: Primo, In hæreticis, eorumque fautoribus: Secundo, In percutientibus, aut insequentibus Cardinalem: Tertio, In reis læsæ Majestatis: Quarto, In usurariis manifestis, nisi cautionem præstent, uti ex jure ostendit Pal. p. 16. n. 8.

CAPUT II.

An, & quomodo privet habilitate ad Beneficia Ecclesiastica, Dignitates, &c.?

CAP. *Pastoralis, de Cler. Exc.* ita statuitur: *Clericis excommunicationis vinculo innodatis beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licite retinere, cum ea non fuerint canonice consecuti.*

I. Itaque certum est apud Doctores, irritam esse electionem, præsentationem, nominationem excommunicati ad beneficium ecclesiasticum: item collationem, permutationem, resignationem, necnon litterarum Apostolicarum impetrationem, &c.; quia ratione excommunicationis majoris est inhabilis ad acquirendum beneficium, quod datur propter officium ecclesiasticum, quod ipse exercere non potest. Hinc graviter peccant, tum ipse excommunicatus acceptans, tum reliqui eligentes, præsentantes, nominantes, conferentes ei beneficium; quia in re gravi faciunt actum nullum: imo collatori beneficii imponitur pœna suspensionis comminatoria, ex cap. cit.; ipse vero excommunicatus beneficium acceptans nullatenus efficere potest fructus suos, ut patet: si tamen postmodum per dispensationem illud rite obtinuerit, poterit sibi retinere fructus antea perceptos, dummodo per se, vel per alium executus fuerit onera talis beneficii; quia fructus beneficii vacantis cedunt successori: Henr., Con., Bon., & alii.

Hæc dicta procedunt de quovis excommunicato etiam tolerato, etiam occulto; quia, cum nequeat ullo pacto se ingerere ad officium ecclesiasticum, a beneficio id exigente excluditur tanquam inhabilis: Doctores communiter contra Henr., Navar., Less., & alios. Idemque est, etiamsi suam excommunicationem, aut inhabilitatem ignoraverit; quia, quamvis ignorantia excuset a culpa, non tamen reddit actum validum, qui alias erat invalidus, ex cap. *Apostolicæ* eod. tit. Idem pariter est de injuste excommunicato, juste tamen secundum allegata, & probata, ut dictum est d. 1. q. 2. c. 1. Hinc, si excommunicato occulto conferatur beneficium, debet se aliqua honesta causa excusare; si vero hanc non habeat, potest acceptare, ne se prodat, sed quamprimum petere debet dispensationem. Similiter, si quis elector in Capitulo privatim sciat, eligendum esse excommunicatum, debet negare suum suffragium; nisi hoc publi-

publice detur, nec habeae in promptu aliquam causam negandi, quæ illum non infamet: Suar. d. 13. s. 1. Bon. & alii.

Dubium est primo, An valeat beneficium, si electio, præsentatio, nominatio, aut collatio facta sit ante excommunicationem, ipse vero acceptet beneficium tempore excommunicationis?

Negant Suar. Vasq. Con. Laym. & alii; quia, si talis acceptatio esset valida, jam posset excommunicatus acquirere jus in beneficium, quod est contra statuta ecclesiastica: sed probabilius affirmant Azor. Avil. Bon. Nav. Covar. Sayr. Pal. p. 8. n. 7. & alii; quia per acceptationem non acquiritur jus (cum nemo possit sibi conferre beneficium) sed ponitur tantum conditio juris jam acquisiti per electionem, &c. factam ante excommunicationem.

Dubium est secundo, An valeat beneficium collatum tempore excommunicationis, sed acceptatum post absolutionem ab excommunicatione?

Affirmant Cov. Henr. Less. Laym. Bonac. & alii; quia collator, ut supponimus, non mutavit voluntatem, adeoque in ea moraliter perseverat: ergo post absolutionem ab excommunicatione habebit suum effectum. Sed melius negant Con. Hurt. Pal. num. 20. & alii; quia illa voluntas collatoris fuit ab initio irrita, adeoque moraliter perseverat talis: *Non enim firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit*, *l. Ab initio ff. de Reg. Jur.* Requiritur ergo post absolutionem nova voluntas collatoris, ut valeat beneficium; &, si hoc pertineat tunc ad Sedem Apostolicam, ab hac solum potest conferri. Similiter, si excommunicatione innodatus præsenteris a Patrono, & collatio deinde fiat post absolutionem, adhuc est invalida; quia est facta ex vi præsentationis, jam irritæ: Dicast. n. 761. Item nulla est impetratio litterarum ad beneficium vacaturum obtentarum ab excommunicato, quamvis postea ipsi absoluto conferatur beneficium; quia confertur ex vi impetrationis irritæ: Dicast. Avil. & alii, ex cap. 1. *de Rescript. in 6.* Notant tamen hic Doctores, quod, quamvis excommunicatio per se privet impetratione gratiarum, hodie tamen hæ valent; quia semper in rescripto inferitur absolutio a censuris ad effectum gratiæ obtinendum. Quæ absolutio generalis cadit supra omnes casus exceptis tamen casibus Bullæ Cœnæ, utpote qui ax dictis indigent expressa mentione: quibus etiam adduntur casus Insurdescentiæ per annum, Incendiarii, Violatoris Ecclesiarum, aut libertatis Ecclesiasticæ, Falsificatoris litterarum Apostolicarum: Sayr. Bon. Pelliz. tr. 7. n. 127. Cæterum, si Pontifex scienter conferat beneficium cuivis excommunicato, valet, , quia præsumitur cum eo dispensare. Similiter, si Episcopus conferat beneficium alicui, quem falso putet esse excommunicatum, valet; quia *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, ex Reg. Jur.*

Quæ hactenus dicta sunt de beneficio obtento ab excommunicato, dic pariter de pensione, sive quæ ex fructibus beneficii extrahitur in perpetuum, & vocatur beneficium simplex, seu præstimonium; sive quæ assignatue propter aliquod officium spirituale exercendum: Doctores communitar contra Con. & alios. Idem dicunt Suar. Bon. & alii communiter de Pensione partim spirituali, partim temporali, qualis est pensio concessa Clerico resignanti beneficium, aut relicta Parochn sent ad substentationem: sed Laym. Pal. p. 10. n. 8. & alii probabiliter tenent oppositum, quia hæc recedit a natura beneficii, & potius accedit ad rationem subsidii temporalis: uti communiter dicitur de Pensione mere temporali, qualis etiam laicis assignatur, cujus excommunicatus est capax: uti etiam est capax patrimonii, quod, quamvis assignetur in titulum Clericatus, non est tamen beneficium Ecclesiasticum.

Denique nomine beneficii venit hic etiam quodvis officium, aut dignitas Ecclesiastica, ut officium Legati, Delegati, Inquisitoris, Administratoris Episcopatus, aut Vicariatus, Provincialis, Generalis, Præpositi localis Regularium, &c. item quævis jurisdictio spiritualis, sive in foro externo, sive tantum interoo; ad hæc enim acquirenda excommunieatus est inhabilis, utpote exclusus ab eorom exercitio: Doctores communiter. Extendunt hoc Sayr. Ugol. Bon. Hear. Avil. & alii etiam ad officia secularia: sed probabilius negant Suar. Henr. Fil. Con. Pal. p. 8. num. 11. & alii; quia, quamvis illicite eligatur excommunicatus ad officium sæculare, a nullo tamen textu illud irritatur: uti est certum, si obveniat pee successionem ex testamento, aut ab intestato.

II. Certum est, excommunicatum, etiamsi sit vitandus, non privari beneficio jam obtenro ante excommunicationem; quia nullo jure hoc cavetur: nisi forte in excommunicatione insurdescat per annum, quia tunc privari poterit arbitrio Ordinarii; &, si per triennium insurduerit, privari debet, ut ostendit Suar. d. 17. s. 1. ex cap. *Cum Bonæ, de Ætat. & Qualit.*

Quæres primo, An privetur saltem fructibus talis beneficii, hoc ipso, quod incidit in excommunicationem?

Affirmant Immol. Franc. Dec. Abb. Sylv. Gutt. Suar. d. 13. s. 2. quia cap. *Pastoralis, de Appell.* dicitur *Illi proventus merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communicatio denegatur*. Sed melius negant Nav. Henr. Avil. Vasq. Bon. Sanch. Pal. p. 12. n. 4. & alii; quia ly *Subtrahuntur* indicat, hanc pœnam non esse latam ipso jure, sed ferendam per sententiam Judicis: ergo ante hanc sententiam potest facere fructus suos, si per se, vel per alium impleat onera talis beneficii. Posita vero sententia, adhuc manet adstrictus obligatione recitandi Horas, etsi amplius non percipiat fructus, quia adhuc manet beneficiarius: poterit tamen, si ipse sit pauper, aliquid sibi retinere titulo eleemosynæ, dummodo sub tali sententia comprehendantur etiam pauperes, & ipse non sit negligens in procuranda absolutione; quia secus non ex necessitate, sed ex voluntate esset pauper: Avil. Laym. Pal. num. 6.

Quæres secundo, An, si per excommunicatum non stet, quin absolvatur, possit percipere distributiones, quæ dantur assistentibus choro, cui ipse ob excommunicationem nequit assistere?

Affirmant Sayr. Ugol. Henr. Nav. Laym. & alii; quia sic censendus est legitime impeditus, ut dicitur de infirmo percipiente tales distributiones. Negant Suar. Bon. & alii; quia ob excommunicationem juste prohibetur assistere choro, adeoque juste privatur distributionibus, quod non militat in infirmo. Equidem cum Pal. n. 14. distinguendum puto: si absolutio differatur ex aliqua causa, puta quousque constet de satisfactione, vel si superior absit, &c. vera est secunda sententia: si autem injuste denegetur absolutio: tunc vera est prima sententia. Similiter percipere poterit tales distributiones, si injuste sit excommunicatus, etsi juste secundum allegata, & probata; quia sic censendus est legitime impeditus. Quare, qui scienter illum sic excommunicavit, vel qui dedit causam talis excommunicationis injustæ, tenetur eas illi reficere: si autem id fecerunt ignoranter, tenentur ex re accepta, qui eas participarunt; excepto tamen eo, qui distributionem accepit ratione v. g. Missæ cantatæ, quam alter canere debuisset; quia sic laborem posuit: Dicast. n. 809. Illud nota: quæ dicta sunt de beneficio obtento ante excommunicationem, dic pariter de quovis officio, munere, dignitate, jurisdictione Ecclesiastica antea obtenta, quæ proinde per excommunicationem non amittitur; suspenditur tamen ejus exercitium, juxta mox dicenda.

CAPUT III.

An, & quomodo privet usu Jurisdictionis, & Officii publici?

Dico primo: Excommunicatus toleratus valide exercet omnem actum jurisdictionis, quam habet, si contra eum non excipitur; illicite tamen, si non sit requisitus, vel nisi excuset metus, ignorantia, aut grave damnum proximi: Doctores communiter apud Pal. p. 13. Ratio est, quia Concil. Const. permittit Fidelibus omnem communionem cum excommunicato tolerato, ac si excommunicatus non esset: ergo conservat in eo jurisdictionem, quam antea habebat, ut sit aptus, & expeditus ad eorom requisitionem, & consequenter potest valide ea uti, puta judicare, dispensare, absolvere etiam Sacramentaliter, ut peios; & quidem licite, si sit requisitus, sin minus, illicite, cum non possit se ingerere, juxta jam dicta. Hinc e contrario sensu sequitur, ut, si fideles contra eum excipiant, utpote excommunicatum, nullius valoris sit actus ab eo deinde factus. Tenetur tamen excipiens manifeste probare intra octo dies speciem excommunicationis, & illius latorem; sin minus, nulla est exceptio, cap. 1. *de Except. in 6.* Unde etiam fit, ut exercitium jurisdictionis coactivæ, puta præceptum, vel excommunicatio lata ab excommunicato tolerato sit valida, si per talem exceptionem non elidatur, ut valida est

est, si feratur ab excommunicato, occulto: Gutt. Con. Bon. Pal. n. 5. & alii contra Suar. Lay. & alios.

Dico secundo: Excommunicatus vitandus per se loquendo est privatus omni usu jurisdictionis Ecclesiasticæ, ita ut omnia per eam gesta sint illicita, & invalida: Doctores communissime ex pluribus text. præsertim cap. *Decernimus, de sent. exc.* Valide tamen, quamvis illicite, Episcopus excommunicatus vitandus conferret Ordines, & Confirmationes, ut & Parochus vitandus Viaticum, & Extremam Unctionem, quia hi proprie sunt actus ordinis. Ratio est, quia indignus est vices Ecclesiæ gerere, qui ab Ecclesia est per declarationem juridicam separatus. Itaque nulla est ejus sententia, dispensatio, facultatis concessio, absolutio &c. (excepto articulo mortis, vel si sit error communis, quod possit, juxta jam dicta). Item nulla suæ jurisdictionis delegatio; imo, si post factam delegationem ipse evadat excommunicatus vitandus, cessat illico in delegato jurisdictio, si res sit integra; imo, si res non sit integra, cessat in suo Vicario Generali; non vero in alio, in quo nec cessat jurisdictio delegata pro foro interiori etiam re integra, quia sic est gratia facta, juxta dicta de matrimonio. Nulla pariter est institutio, electio, aut collatio beneficii facta ab excommunicato vitando, ex cap. un. *de Sed. Vac. in 6.* Quare, si in capitulo sint aliqui vitandi, & horum suffragia sint necessaria ad electionem, hæc est nulla: secus vero, si non sint simpliciter necessaria, etiamsi cum aliis immisceantur: Laym. Bon. Pal. p. 13. n. 13. contra Sayr. & alios. Electio autem Summi Pontificis facta a Cardinalibus vitandis ad præcavenda gravia damna, & schismata declaratur valida Clem. *Ne Romani, de elect.* Nulla item est præsentatio ad beneficium facta a Clerico vitando, si fiat ex officio Ecclesiastico; quia per talem præsentationem exerceret potestatem spiritualem, & daret præsentatio jus ad beneficia. Secus vero, si fiat a Laico, vel a Clerico titulo patrimonii, aliove titulo sæculari; quia sic neque est usus potestatis spiritualis, nec confert præsentato jus firmum, ut probabilius docet Pal. n. 19. contra alios. Institutor tamen debet eum repellere, ne communicet cum excommunicato vitando. Nulla demum est postulatio, aut nominatio ad beneficium solemniter facta ab excommunicato vitando; quia æquivalet electioni, & tribuit jus alteri. Secus vero, si non sit solemnis; quia nullum tribuit jus; uti etiam est possessionis concessio, cum non sit quid juris, sed facti, & a fortiori beneficii resignatio, cum sit quædam cessio, quæ excommunicato potius expedit: Pal. n. 22. qui n. 26. cum Bon. & aliis contra Suar. & alios ait, adhuc valere talem resignationem, si fiat in favorem tertii, quia sic nullum jus designato conceditur.

Econtra vero Parochus vitandus valide, quamvis illicite, assistit matrimonio, & valide etiam concedit alteri Sacerdoti facultatem assistendi; quia hæc assistentia non est actus jurisdictionis propriæ, sed quædam executio conditionis requisitæ a Trid. Pal. p. 15. n. 2. Et similiter neque ea concessio facultatis est actus jurisdictionis, sed dominii, sicuti est Procuratoris constitutio: Pal. n. 3. cum aliis, contra Con. Avil. Valida demum est admissio ad professionem, aut commissio admittendi facta a Prælato vitando, quia non est actus jurisdictionis propriæ, sed usus cujusdam superioritatis competens etiam feminis, & Laicis: Suar. Laym. Pal. n. 4.

Dico tertio: Judex sæcularis excommunicatus toleratus valide exercet actus suæ jurisdictionis, si contra eum non excipitur; & licite etiam, si sit requisitus: patet ex dictis de Judice Ecclesiastico.

Dubium est de Judice sæculari vitando, an valide judicet, &c. si a partibus non excipiatur?

Affirmant Victoria, & alii; quia ex nullo Textu colligi potest hæc annullatio, cum fere omnes de Judice Ecclesiastico loquantur; quorum decisio utpote pœnalis non videtur ad Judicem sæcularem extendenda. Sed verius negat communis sententia apud Pal. p. 14. n. 2. quia in praxi ita receptum est, ut talis annullatio extendatur etiam ad actus Judicis sæcularis vitandi. Idemque est de actibus Judicis arbitri, quia arbiter est vere Judex jurisdictionem exercens ad formam judicii *l. 1. ff. de Arbitriis.* Non tamen de actibus arbitratoris, qui non exercet jurisdictionem, sed compositionem, nec procedit secundum formam judicii, sed ut sibi visum fuerit: Ugol. Sayr. Bon. Pal. n. 3.

Dico quarto: Reliqua officia publica valide, etsi illicite, exercentur ab excommunicato, etiam vitando, nisi contra eum excipiatur. Ratio est, quia in iis non exercetur actus jurisdictionis, nec ullo jure habetur annullatio: Doctores communiter. Hinc

I. Tutor, Curator, Hospitalarius, Procurator, Actor, Advocatus, &c. quamvis peccent, & quidem graviter, si tempore excommunicationis acceptent officium, cum sit communicatio politica in officio publico, adeoque in re gravi; tamen valide instituuntur juxta dicta cap. antecedenti; & valent eorum acta, nisi excipiantur: Suar. Con. Pal. p. 14. n. 6. contra Sayr. & alios. Neque obstat, quod cap. *Post cessionem de Procur.* repellitur Procurator a judicio, eo quod tempore excommunicationis fuit institutus, nam ibi tantum dicitur debere repelli: si ergo non repellatur, valent ejus acta.

II. Tabellio, seu Notarius, etiamsi sit vitandus, valide conficit scripturas sui officii: Suar. Con. Bon. Pal. n. 21. contra Canonistas. Neque obstat, quod dicitur cap. *Nullus 3. q. 4. Non creduntur, quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur;* quia hoc solum indicat, posse repelli, vel per exceptionem elidi: si ergo non repellantur, sententia ob eas lata erit valida; imo, si scriptura facta sit consensu partium id scientium, neutra poterit excipere, ut merito addit Suar. Hinc, si tabellio sit toleratus, & requisitus, licite etiam conficit scripturas; dummodo hæ non pertineant ad valorem actus, ut sunt testamenta, &c. quæ, cum possent per exceptionem elidi, nullam haberent firmitatem; vel dummodo fiant ex consensu partium ejus excommunicationem scientium, quia sic neutra poterit excipere: Suar. Con. Laym. Pal. n. 20.

III. Excommunicatus toleratus valide, & licite potest esse testis in judicio; quia actus testandi ex natura sua ordinatur in favorem alterius; potest tamen Judex, vel pars eum repellere, vel excipere. Si autem sit vitandus, valide & licite etiam fert testimonium in causa fidei, cap. *In fidei favorem, de Hæret. in 6.* in reliquis vero causis prohibetur esse testis (nisi veritas aliunde haberi non possit, in quo casu poterit Judex dispensare, juxta alibi dicta) Si tamen ferat testimonium, & non excipiatur ante sententiam Judicis, valet, quia nullo texta irritatur, sed tantum prohibetur, & quidem sub veniali per se loquendo: Pal. p. 15. n. 8. cum aliis contra Vasq. Heur. & alios.

IV. Excommunicatus nequit esse actor in judicio, neque per se, neque per Procuratorem, etiamsi contra alium excommunicatum agat, ex cap. *Intelleximus, de judiciis.* Si ergo sit toleratus, potest excipi a parte; hac tamen consentiente nequit repelli a Judice, & consequenter ejus acta valent: si vero sit vitandus, etiamsi pars non excipiat, repelli debet a Judice ratione officii, ad quod cogi etiam potest ab Ecclesiastico, arg. cap. *Si celebret, de Cler. exc.* Potest tamen excommunicatus etiam vitandus accusare hæreticum ob favorem fidei: item probare, se excommunicatum non fuisse, quia sic non est actio, sed defensio: item convenire debitorem coram Judice, si sciat illum meditari fugam; ne solvat, quia sic etiam se defendit ab injuria inferenda: Pal. n. 11.

V. Demum excommunicatus etiam vitandus, si trahatur ut reus in judicium, potest etiam per seipsum comparere, & se defendere etiam juramento, cap. *Dilecti* & cap. ult. *de except.* quare potest Testes, Judicem, Advocatum, Procuratorem eligere, excipere, appellare &c. quia defensio jure naturæ cuique conceditur. Neque obstat, quod cap. *Intelleximus* cit. dicitur, debere per alium respondere; nam ly *debere* intelligi debet, si sic commode possit; secus, poterit per se: Pal. n. 26.

CAPUT IV.

An, & quomodo privet usu passivo, & activo Sacramentorum?

Dico primo: Excommunicatus, etiam toleratus, etiam occultus, per se loquendo, illicita recipit quodvis Sacramentum: ita ut (nisi excuset ignorantia, aut gravis metus juxta alibi dicta) graviter peccet, cum faciat contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi; nullam tamen incurrit pœnam taxatam a jure, nisi in sola susceptione Ordinis Sacri, a quo suspenditur, c. *Cum illorum, de Sent. Exc.* Hinc quamvis valide recipiat reliqua Sacramenta; non tamen Sacramentum Pœnitentiæ sine prævia absolutione ab excommunicatione; nisi hanc ex ignorantia, aut oblivione invincibiliter taceat: tunc enim probabilius est, quod valeat absolutio Sacramentalis, etiamsi Confessarius non posset ab ea excommunicatione absolvere, aut intenderet absolvere tantum a peccatis: Suar. Bon. Laym. Pal. p. 7. num. 4. & alii

com-

communiter contra Sylv., Sot. & alios; vide dicta a nonis q. antec. c. 4. Cæterum, si urgeat præceptum Confessionis annuæ, vel Communionis Paschalis, peccat, si non procuret absolvi ab excommunicatione, quia hæc præcepta sunt de jure divino, quamvis determinata ab Ecclesia, & consequenter obligant ad removendum impedimentum: Nav., Con., Laym., Bon., Avil., Pal. p. 9. num. 3.

Si autem scienter ministres excommunicato vitando aliquod Sacramentum absque prævia absolutione ab excommunicatione, non solum peccas graviter contra prohibitionem Ecclesiæ, sed incurris excommunicationem minorem, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ, c. *Episcoporum, de Privil. in 6.*; &, si ille sit excommunicatus nominatim denunciatus a Pontifice, incurris excommunicationem majorem reservatam Papæ, cap. *Significavit, de Sent. Excom.*: &, si sit excommunicatus ob hæresim, aut ejus fautoriam, suspendendus es ab officio, nec restituendus absque dispensatione Papæ, cap. *Excommunicamus, de Heret.* At, si ille sic excommunicatus toleratus, non obligaris ex vi illius censuræ denegare ei Sacramenta; quia Concil. Const. permittit omnem communicationem etiam in divinis cum illo: Suar. Fil., Vasq., Pal., & alii contra Bonac. Imo addit Dicast. n. 641., quod ex nullo capite appareat obligatio talem excommunicatum monendi, præsertim, si ex officio non tenearis, nec commode facere possis: ex eo autem, quod scias, eum fuisse excommunicatum, non potes judicare, quod indigne accedat; si enim alioqui scias, eum esse conscientiæ non malæ, præsumere non debes, eum velle peccare. Cæterum, si tibi certo constet, eum non esse absolutum, tunc arcere debes, sed citra scandalum, aut infamiam, ex generali ratione, quod indebite accedat.

Dico secundo; Excomm. per se loquendo illicite exercet actum proprium Ordinis Sacri, quem habet, ideoque peccat graviter, & incurrit irregularitatem, cap. *Si Celebret, de Cler. exc.* Itaque, si celebret, cantet solemniter Evangelium, vel Epistulam, audiat confessiones, ministret Eucharistiam, aliave Sacramenta, aut conficiat Sacramentalia, fit ipso facto irregularis. Non vero, si assistat matrimonio, quia hæc assistentia non est actus proprius Ordinis, cum fieri possit a Parocho nondum ordinato in sacris, bene tamen, si benedicat nuptias. Neque item, si privatim baptizet; bene tamen, si solemniter. Neque, si exerceat actum Ordinis, quem non habet; uti neque, si contrahit matrimonium; quia, quamvis peccet, non tamen exercet actum proprium Ordinis; Pal. p. 8. n. 10.

I. Hæc omnia vera sunt de excommunicato vitando, qui solum excusatur a peccato, & irregularitate, si exerceat actum ordinis, quem habet ratione gravis metus sibi incussi, vel in extrema necessitate proximi moribundi, juxta alibi dicta. Et quoad metum gravis damni, aut etiam infamiæ in loco, ubi publice ignoratur ejus excommunicatio, certum est, excusari, si ministret, dummodo metus non sit incussus in contemptum Ecclesiæ, vel Fidei, nec adsit publicum scandalum. Excipe semper Sacramentum pœnitentiæ, utpote quod invalide ministratur ab excommunicato vitando extra articulum mortis, ob jurisdictionem amissam; putat tamen Richard., quod, si illud ministraret, non incurreret irregularitatem; quia hæc incurritur ob actum ordinis, non mere attentatum, sed revera præstitum, quod non haberetur in casu, in quo actus esset nullus. Sed communius rejicitur, quia hæc irregularitas non est imposita ministranti validum Sacramentum; secus, neque incurreretur, si illud non esset validum ex indispositione pœnitentis; sed est imposita utenti, quantum in se est, Ordine, quem habet, itaut in communi modo loquendi dicatur Sacramentum ministrare: Suar., Pal. n. 12., & alii communiter. Hinc, si pœnitens privatim ignoret, Confessarium esse vitandum, adhuc confessio esset invalida; quia ignorantia privata non tribuit ei jurisdictionem; secus vero, si sit ignorantia publica, quia tunc error communis cum titulo colorato tribuit ei jurisdictionem, ex *l. Barbarius*: Suar., Bon., & alii communiter. Quoad articulum mortis, potest valide, & licite absolvere, juxta alibi dicta.

Dubium est, An possit tunc ministrare moribundo etiam Viaticum, & Extremam Unctionem?

Negant Avil., Hurt., & alii, si ægrotus potuit Sacramentum pœnitentiæ recipere; quia tunc reliqua Sacramenta non sunt simpliciter necessaria ad salutem; & eorum præceptum cessat, quando decenter ministrari non possunt: sicuti cessaret, si deessent vestes sacræ, ut notat Sayr. Sed probabilius affirmant Suar., Pal. p. 8. num. 7., & alii; quia, quamvis tunc non essent simpliciter necessaria ad salutem, essent tamen maxime necessaria ad suggestiones dæmonis in eo articulo superandas: si enim, inquit Suar., tibi graviter indigenti licet cibum sumere ab excommunicato vitando, cur non etiam viaticum in maxima animæ necessitate, & indigentia?

II. Si excommunicatus sit toleratus, excusatur a peccato, & irregularitate, non solum ob periculum infamiæ, scandali, &c. verum etiam, si præmisso actu contritionis ministret ob petitionem fidelium; quia sic spectatur horum favor, juxta Concil. Const. Censetur etiam tacite requisitus, si alias tenebatur ex officio v. g. Parochiali; vel si occurrat dies festus, & non adsit alius, qui faciat Missam populo, quia sic præsumitur populus eam petere pro implendo præcepto: quod si tunc nota populo sit ejus excommunicatio, instrui debet, ut sufficienter intelligat, eum non peccare celebrando: Suar., Pal. n. 4., & alii.

CAPUT V.

An, & quomodo privet assistentia Divinis Officiis?

NOMINE divinorum officiorum veniunt hic: Primo, Sacrificium Missæ. Secundo, Horæ Canonicæ, Processio, Benedictio olei sancti, Olivarum, Aquæ lustralis, &c. Tertio, Concio sacra, Lectio Theologiæ, ac Juris Canonici, quæ proxime accedunt ad res divinas.

I. Quoad sacrificium Missæ: Nullus excommunicatus potest per se loquendo ei assistere, ex c. *Illud, de Sent. Excom.*; itaut graviter peccet, si assistat notabili parti Missæ; leviter, si exiguæ; nunquam tamen incurrit excommunicationem minorem, quia non communicat cum alio excommunicato vitando: Suar. d. 12. s. 1. n. 4. contra Pal. Si tamen sit toleratus, potest requisitus ministrare celebranti; non tamen, si sit vitandus, nisi excuset ignorantia, vel gravis metus, juxta jam dicta. Itaque, si contingat, excommunicatum vitandum velle assistere Missæ, monendus est ab iis, ad quos pertinet, ut exeat; &, si nolit, expellendus etiam vi, si opus fuerit: quod si non possit expelli, non est celebrandum, &, si cœpta fuerit Missa, intermittenda est, nisi forte facta jam sit consecratio, vel, ut aliis placet, inceptus sit canon; tunc enim reliquis abeuntibus Celebrans cum solo Ministro prosequatur usque ad consumptionem: & mox redeat in Sacristiam, ubi perficiat reliqua. Ipse vero excommunicatus vitandus incurrit excommunicationem majorem reservatam Papæ; uti etiam qui prohibent, ne exeat, ex Clem. *Gravis, de Sent. Excom.* At, si celebrans illum admittat ad suum sacrificium, ultra peccatum mortale, & excommunicationem minorem, interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, cap. *Episcoporum, de Privil. in 6.*, quod tamen intelligitur de Celebrante exempto, ut notant Cov., & alii: &, si admittat excommunicatum nominatim denunciatum a Papa, incurrit excomm. majorem, ex c. *Significavit, de Sent. Excom.* Si autem Sacerdos excommunicatus jubeat, ut coram se alius celebret, incurrit irregularitatem, quia ex fictione juris reputatur, ac si ipse celebret: Doctores communiter cum Glos. in Clem. I. *de privil.* contra Joan. Andr. Reliqui fideles, si non recedant a Missa, ubi assistit excommunicatus vitandus, incurrunt excommunicationem minorem, & secundum communem sententiam contra Hent., Sayr., Fil., & alios peccant graviter. Si vero ille in eodem templo assistat alteri Missæ, satis probabile est, fideles assistentes diverso sacrificio non obligatos esse recedere; quia sic non habetur communicatio in eodem officio divino: Suar., Bonac., Pal., & alii. Et a fortiori, si ille profugerit in templum, & ibi maneat, ne capiatur; tunc enim poterit ibi Missa celebrari, & ab aliis audiri, dummodo ille non attendat ad officia divina: Dicast. n. 694. Idem est, si eo deferatur ejus cadaver, dummodo ibi non sepeliatur, juxta dicenda c. 7.

Dubium est, An excommunicatus teneatur sub gravi procurare absolutionem, ut audiat Missam die festo?

Affirmant Nugnez, & alii, paritate confessionis annuæ, & communionis Paschalis, juxta dicta cap. antec. Sed probabilius negat communis sententia apud Pal. p. 9. n. 3., quia præceptum audiendi Missam die festo est de jure mere ecclesiastico, & solum obligat eos, qui sunt expediti, non vero obligat, ut expediantur: secus detentus in carcere peccaret, si non procuraret, ut tali die liberaretur.

II. Quoad

II. Quoad horas canonicas in choro, Processiones, benedictiones, &c., ex pluribus textibus prohibetur excommunicatus vitandus assistere, & consequenter etiam excommunicatus toleratus, nisi sit requisitus, c. *Significavit*, *de Sent. Excom.*, & cap. *Is*, *cui* eod. tit. in 6. Debent ergo reliqui recedere, si velit ibi assistere excommunicatus vitandus, & hic, si assistendo exerceat aliquem actum ordinis, fit etiam irregularis, juxta dicta cap. anteced. Tenetur tamen excommunicatus etiam vitandus, si aliunde erat obligatus, privatim recitare horas, ut alibi est dictum. Loco tamen *Dominus vobiscum* dicat *Domine exaudi*, *&c.*, secus peccat venialiter, ut docent Suar., Laym., Bonac., & alii; quamvis Avil., Hurt., & alii censeant nullatenus peccare, quia per ea verba non communicat cum aliis: uti neque, cum dicit *Venite exultemus*, *&c.* An autem possit adhibere socium ad recitandas horas, dictum est q. anteced., posse a domino adhiberi famulum, a patre filium, a Prælato cappellanum, &c., quia hoc non est ministerium ecclesiasticum, sed privatum obsequium. Denique extra tempus divinorum officiorum potest excommunicatus etiam vitandus ingredi templum, & ibi, etiam aliis privatim orantibus, orare. Potest etiam recitare salutationem Angelicam, quando datur commune signum; quia tunc unusquisque censetur orare pro se privatim.

III. Quoad sacram concionem, &c. Excommunicatus toleratus non potest concionari, vel docere, nisi requisitus; aut nisi ex officio solebat id facere, quia tunc censetur tacite requisitus. At excommunicatus vitandus omnino non potest, nisi ex metu gravi. Auditor vero, si sit excommunicatus, etiamsi sit vitandus, admitti potest, ut audiat concionem, quia hæc assistentia dirigitur ad ejus correctionem, cap. *Responso*, *de Sent. Excom.*; etiamsi eo præsente dicatur in principio concionis Salutatio Angelica; quia hæc non censetur publica oratio Ecclesiæ: Bon., Nav., & alii.

Non videtur tamen posse assistere lectioni Theologicæ, quia hæc non videtur directe pertinere ad salutem animæ, quod a fortiori militat de aliis lectionibus. Quare Prælector, & reliqui Auditores deberent recedere, si talis excommunicatus assisteret; quia mutuo se referunt auditores cum præceptore, & inter se invicem: Fil., Bonac., Pal. n. 11. contra Suar., Henr., Sayr., Fil., & alios, qui secus sentiunt de auditoribus. Excusat tamen ratio boni communis, vel etiam particularis, ne scilicet lectiones ob id intermittantur.

CAPUT VI.

An, & quomodo privet publicis suffragiis Ecclesiæ?

HÆc sunt, quæ offeruntur a Ministris Ecclesiæ nomine ipsius, quales sunt fructus sacrificii, orationes publicæ, indulgentiæ, & satisfactiones ex thesauro Christi, ac Sanctorum.

I. Itaque excommunicatus vitandus est his omnibus omnino privatus, cap. *A nobis*, cap. *Sacris*, *de Sentent. Exc.*; itaut, si Minister Ecclesiæ aliquid horum pro eo offerret, peccaret graviter contra prohibitionem Ecclesiæ, & incurreret excommunicationem minorem, & nullius valoris esset talis applicatio; quia invalida est distributio rerum a servo facta contra voluntatem domini in personas ab eo exclusas. Putant tamen Sylv., Covar., & alii, posse hæc pro eo offerri in genere, seu in communi; quia sic postulatur ejus conversio, quod est magnum bonum ab Ecclesia per excommunicationem intentum. Sed rectius negant Sayr., Vasq., Avil., Pal. p. 6. n. 6. & alii; quia secus ille non esset magis privatus his suffragiis, quam reliqui fideles, pro quibus in communi offeruntur: quare non licet ea pro eo directe offerre; bene tamen pro peccatorum extirpatione, quia sic bonum Ecclesiæ spectatur directe, etsi indirecte cedat in bonum illius.

Dubium est, An licite, & valide hæc pro illo offerri possint, si sit jam contritus, & per ipsum non stet, quin absolvatur?

Affirmant Rich., S. Antonin., Navar., Cov., Henr., Sayr., & alii; quia non est credendum, quod Ecclesia velit his suffragiis privare contritum, & pœnitentem; cum solum, ut a contumacia recedat, excommunicationem induxerit; imo, si est vere contritus, est jam membrum vivum ipsius Ecclesiæ, adeoque debet subsidiis aliorum membrorum vegetari. Sed melius negant Suar., Sot., Con., Laym., Hurt., Pal. n. 8., quia cap. *A nobis* cit. dicitur, pro excommunicato defuncto cum signis contritionis non esse orationes publicas instituendas, antequam absolvatur: ergo neque pro eo vivente, etiamsi contrito. Et ratio est, quia ante talem absolutionem perseverat censura, & consequenter omnis ejus effectus. Quod autem ille evaserit membrum vivum, solum fit, ut ejus orationes per communicationem privatam cum aliis fiant gratiores Deo, & facilius exaudiantur.

II. Excommunicatus toleratus probabilius non est privatus publicis suffragiis Ecclesiæ, quæ proinde licite, & valide possunt pro eo applicari: Ugol., Sayr., Henr., Laym., Pal. n. 10., & alii contra Sot., Cov., Bell., Suar., Avil., Vasq., & alios. Neque obstat, quod in Concil. Const. dicitur, suæ intentionis non esse in aliquo ei suffragari. Nam talis applicatio adhuc cederet in favorem ipsorum fidelium applicantium ei suffragia, tum scilicet ad gratiæ propriæ augmentum, tum etiam ad commodum temporale, puta stipendium pro missa ei applicata, tum denique ne scrupulis agitentur. Adde, quod excommunicato occulto, neque jure antiquo denegabantur publica Ecclesiæ suffragia, ex cap. *Cum non ab homine*, *de Sent. Excom.*: ergo excommunicatio de se non impedit. Hinc usus, & consuetudo virorum piorum offerentium sacrificia pro hæreticorum reductione; imo etiam ipsius Ecclesiæ die parasceves orantis pro hæreticis, & schismaticis, &c.

III. Nullus excommunicatus, sive vitandus, sive non vitandus, privatur orationibus privatis fidelium, quæ non fiunt nomine Ecclesiæ. Hinc non solum potest quivis fidelis pro eo orare, &c., verum etiam Sacerdos offerre pro eo potest fructum sacrificii, qui venit ex intentione ipsius operantis nomine suo; imo etiam fructum satisfactionis, qui provenit ex intentione ipsius operantis nomine Christi; quia de his non disponit Ecclesia: & a fortiori potest pro eo privatim orare sub memento: Pal. n. 3. Potest denique excommunicatus vitandus uti sacris imaginibus, reliquiis, &c., & ut addit Pal., etiam aqua benedicta: sed in hoc dissentiunt Bon., Dicast., & alii; quia hac unice uteretur propter benedictionem Ecclesiæ, a cujus suffragiis ipse excluditur.

CAPUT VII.

An, & quomodo privet Ecclesiastica Sepultura?

SEPULTURA Ecclesiastica, seu in loco sacro est, vel intra Ecclesiam, vel in Cœmeterio, quamvis ab Ecclesia separato, vel in loco ab Episcopo, aut consuetudine deputato ad sepulturam fidelium, etiamsi non sit consecratus: item omnis locus in quo dicitur Missa, quæ eum veluti consecrat; item ambitus Ecclesiæ. Alius autem locus, quamvis Ecclesiæ proximus, nec ullo muro ab ea separatus, non ideo est Sacer: Dicastil. num. 1739. Hoc supposito, cap. *Sacris*, *de Sepult.* dicitur, excommunicatos privari ecclesiastica sepultura, *Ut quibus non communicamus vivis*, *nec communicemus defunctis*.

I. Itaque intelligi hoc debet de excommunicato vitando, etsi decesserit cum signis pœnitentiæ, sed sine absolutione ab excommunicatione, quia sic nondum est reconciliatus Ecclesiæ: qui ergo hunc in loco sacro sepeliunt, incurrunt excommunicationem majorem, neque ab ea absolvuntur, nisi prius arbitrio Episcopi satisfactum fuerit iis, quibus irrogata est injuria: aliter data absolutio est nulla, ex Clem. I. *de Sepult.*

Nomine sepelientium non veniunt comitantes cadaver, neque Clerici canentes, neque fossam aperientes; quia, licet hi vulgari modo dicantur sepelire, at non proprie; ideoque, etsi peccent, tamen solum incurrunt excommunicationem minorem; uti etiam lavantes, & ornantes cadaver, quia communicant cum eo defuncto. Proprie vero sepeliunt, qui in sepulchrum cadaver immittunt, & cooperiunt, atque hi ex Clem. cit. incurrunt excommunicationem majorem. Sub qua Suar., Pal. p. 6. n. 5., & alii putant, comprehendi etiam mandantes, quia aliter lex esset frustranea, cum sepelientes sint communiter indocti, ideoque excusari ab illa: sed melius negant Cajet., Nav., Henr., Avil., Fil., Dicast., & alii; quia sepelientes sæpe tales sunt, qui id sciunt. Si autem hi sepeliant hæreticum, ejusque fautorem, non absolvantur, donec propriis manibus eum extumulent, & projiciant, cap. *Quicumque*, *de Hæret. in 6.* dummodo ille fuerit nominatim denunciatus, ut merito addit Pal. p. 6. n. 14. cum aliis.

Itaque, si excommunicatus vitandus ante mortem det signa pœnitentiæ, absolvi tunc potest, ac debet a quovis Sacerdote, & hoc absente, si absolutus sit a

non

non Sacerdote, probabile putant Sanch. & alii apud Pelliz. contra Sylv. posse etiam sepeliri in loco sacro. Si autem non fuit absolutus, absolvi potest cadaver cum ceremoniis verberationis, &c. & sic sepeliri, &, si fuit ante absolutionem sepultus, absolvi potest cum iisdem ceremoniis verberando sepulchrum: Dicast. n.474. Atque hæc absolutio defuncti est tantum ei indirecta: juxta dicta d. 1. q. 1. c. 2. §. 1. Requiritur tamen, ut per evidentia signa constiterit de ejus pœnitentia, ex cap. *A nobis*, & cap. *Sacris* cit. sufficit tamen unus testis omni exceptione major id deponens, & hæredes tenentur eam absolutionem procurare: Dicast. n.470. At, si decessit sine signis pœnitentiæ, sepeliendus est in loco profano, quod licite a quocumque fit, ne cadaver inhumatum aerem inficiat. Quod si sepultus jam sit in loco sacro, extrahi debet, si ab aliis ossibus discerni possit, & projici; etiamque locus ille reconciliandus, quia per ejus sepulturam pollutus est, & incapax factus ad officia divina, & ad aliorum sepulturam, ex cap. *Consuluisti, de Consecr. Ecclesiæ*. Si autem res sit occulta, non peccant, qui in tali loco divina peragunt, ut addit Krim. n. 1636.

II. Excommunicatus toleratus, etiamsi in excommunicatione decesserit, non videtur privatus ecclesiastica sepultura, quia cum eo communicamus vivo, adeoque communicare etiam possumus defuncto: dummodo tamen cum signis pœnitentiæ decesserit; quia secus sepultura concedi non debet, non quia decessit cum excommunicatione, sed quia a cœlesti regno est exclusus: Laym. Pal. & alii. Hinc non licet sepelire hæreticum in loco sacro, si decessit in hæresi, quia sic eum sepelire est facto profiteri probabile esse, eum mortuum in gratia, & consequenter æquivalenter dicere, ejus Religionem esse veram. Neque dicas, fortasse eum fuisse hæreticum materialem; nam id prius probandum, cum in foro externo non præsumatur. Quamvis autem graviter peccent eum sepelientes, non tamen incurrunt excommunicationem, nisi ille fuerit nominatim denunciatus; idemque est de iis, qui sepeliunt duellantes, &c. Cæterum ad redimendam gravem vexationem potest Parochus permittere, ut ab hæreticis sepeliatur in loco sacro corpus v. g. officialis hæretici, imo etiam excommunicati vitandi; quia præceptum ecclesiasticum non obligat cum gravi damno; dummodo tamen sit citra scandalum, aut contemptum Religionis, vel Ecclesiæ: ideoque nullatenus potest ipse canere, sepelire, &c. quia sic facto profiteretur contra sensum Ecclesiæ. Addunt tamen Less. Suar. Sayr. Ugol. Pignat. t. 2. cons. 59. contra Glos. Regio. & alios, non peccare eos, qui amicitiæ, vel humanitatis gratia comitantur funus hæretici in Germania, quia is est honor tantum politicus, & ibi non affert scandalum.

CAPUT VIII.

Qui sint effectus remoti Excommunicationis majoris?

I. PRÆTER dicta, est Suspicio hæresis, quam contrahit excommunicatus, si per annum insurdescat animo obdurato in excommunicatione lata specialiter ab homine, ex cap. *Alma mater*, & ex Trid. *sess.* 25. *de Ref. c.* 3. non tamen, si per medium annum fuerit absolutus; & statim reincidit per alterum medium annum, quia tempora hic non conjunguntur: Croix n. 387. Talis suspicio, quamvis sit levis, obligat tamen ad purgationem; &, si hanc nolit subire, citari iterum debet sub pœna excommunicationis; &, si respondere neglexerit, & in hac contumacia per alterum annum perseveraverit nullo allegato impedimento, condemnari potest ut hæreticus, ex cap. *Cum contumacia, de Hæret. in* 6. Pal. p. 20. n. 2. cum aliis.

II. Insurdescens per annum in excommunicatione lata in causa hæresis habetur veluti hæreticus ipso jure: priusquam vero publice declaretur, citari debet, ut se purget. Et similiter insurdescens in excommunicatione lata in causa criminali habetur pro convicto; non vero in causa civili.

III. De reliquis effectibus remotis, puta de privatione beneficii ob insurdescentiam, de irregularitate ob exercitium ordinis facti, de suspensione ob susceptionem ejusdem ordinis, de excommunicatione minori ob communicationem, partim supra jam egimus, partim agemus infra, ubi sese occasio offeret.

DISPUTATIO III.

De Suspensione, Depositione, & Degradatione.

VIDENDA est I. Natura ipsius suspensionis? II. Quæ sint suspensiones juris communis? III. Quid, & Quotuplex sit depositio, & degradatio?

QUÆSTIO I.

De Natura Suspensionis, ejusque Proprietatibus.

UT suspensionis natura, ac proprietates innotescant, investigandum est, Quid ea sit, & Quotuplex, Quæ sit suspensio ab Officio, Quæ a Beneficio, Quæ sit pœna eam violantium, & Quomodo tollatur?

CAPUT I.

Quid, & Quotuplex sit Suspensio?

I. SUSPENSIO est censura privans Clericum usu officii, aut beneficii, aut utriusque simul. Differt ab excommunicatione minori, quia hæc tantum privat usu passivo Sacramentorum, illa vero usu activo, aliisve functionibus Ecclesiasticis. Differt ab excommunicatione majori, quia hæc privat his functionibus, in quantum sunt quædam communicationes cum fidelibus; illa vero privat, in quantum sunt functiones Clericales. Differt demum ab interdicto, quia hoc prohibet interesse talibus functionibus, ideoque afficit etiam laicos; illa vero tantum prohibet eas exercere, ideoque solos afficit Clericos.

Infers, Omnes, & solos Clericos posse suspendi: neque obstat Extravag. un. *de Censibus*, ubi fertur suspensio in laicos, quia ibi hoc vocabulum improprie sumitur pro prohibitione a communione. Hinc neque Religiosi laici, neque Abbatissæ, Priorissæ, &c. proprie suspendi possunt, cum nullam habeant potestatem proprie ecclesiasticam, seu provenientem a statu clericali. Itaque generalibus suspensionibus juris contra Clericos, seu personas Ecclesiasticas comprehenduntur etiam Religiosi, si sint Clerici; non tamen Episcopi, nisi eorum fiat expressa mentio, ut dictum est d. 1. Suspendi etiam potest Capitulum constans ex Clericis.

Dubium tamen est primo, An suspenso capitulo singuli etiam inculpabiles suspendantur?

Communis sententia apud Pal. d. 4. p. 3. distinguit, quod scilicet suspendantur quoad actiones capitulares, seu totius communitatis, non tamen quoad actiones, quas singuli ut personæ particulares exercere possunt. Et ratio est, quia suspensio, quæ proprie est pœna privans jure quæsito proprio, contrahi non potest ob culpam alienam, sed ob propriam: ergo actiones tantum capituli, quod deliquit, suspenduntur, non actiones particulares Innocentium. Neque obstat paritas interdicti generalis; nam neque in illo innocentes puniuntur, sed Ecclesia, justas ob causas sua beneficia subtrahit tam nocentibus, quam innocentibus.

Dubium est secundo, An ferri possit suspensio ob culpam levem?

Affirmant Cajet. Arm. Nav. Avil. & alii paritate excommun. minoris, quæ videtur gravior, quam suspensio. Sed communius negant Sot. Suar. Sanch. Coninch. Laym. Pal. & alii, quia suspensio in se gravis pœna est, & nonnullam infamiam secum affere, & sæpe inducit damnum irreparabile; non sic excommunicatio minor, utpote quæ facillime tolli potest: adduot tamen citati Doctores, aliquam suspensionem latam ad modicum tempus probabiliter infligi posse ob culpam levem.

II. Suspensio alia est a jure, alia ab homine; si a jure, requirit tantum verba legis, quibus sufficienter significetur, talem pœnam ipso facto incurrendam. Ab homine ferri debet in scripto (nisi Prælatus Religiosus privilegium habeat absque scripto eam ferendi) in quo exprimatur causa, & species suspensionis, quodque dari debet suspenso, si illud expostulet, juxta dicta d. 1. q. 1. c. 6. Si ergo Judex solo verbo dicat Sacerdoti, *Suspendo te v. g. a celebratione*, videtur esse simplex tantum prohibitio, non censura; quia non præsumitur Judex velle peccare, illicite eam ferendo sine scripto: Bonac. d. 1. q. 1. p. 7. Rursus alia est suspen-

suspensio nondum denunciata, alia jam denunciata juxta dicta loc. cit. c. 7. itaut suspensum nominatim denunciatum teneantur fideles vitare, neque illi ministrare in iis, quæ ei probibita sont per suspensionem, & quidem sub gravi, nisi excuset parvitas materiæ: sub nulla tamen pœna, puta excommunicationis, quia nulla est in jure expressa. Suspensum vero non denunciatum non tenentur vitare, ex Concil. Const. Rursus alia est suspensio per modum censuræ, alia per modum puræ pœnæ. Prior, ut valide feratur a Judice, prærequirit præviam monitionem, & ferri debet indefinite; cum sit pœna medicinalis præsentis contumaciæ, a qua proinde, si recesseris, suspensio, etsi per se non cesset, est tamen per absolutionem tollenda. Suspensio per modum puræ pœnæ non prærequirit præviam monitionem, cum infligi possit in vindictam peccati mere præteriti: talis est, si feratur ad tempus limitatum, puta ad mensem, ad annum, vel addita partitula *In perpetuum*, aut *Sine spe relaxationis*; vel hac alia particula, *Donec Judex*, aut *ad beneplacitum Judicis &c.* quia sic non pendet ejus relaxatio a pœnitentia delinquentis; idemque probabile est, si dicat, *Sis suspensus, quia tale delictum commisisti*, quia sic ex materia, & fine legis colligitur ferri tantum pro delicto commisso; Tamb. c. t. n. 4.

Denique dividitur Suspensio in tres principales species, ob officio, a beneficio, & ab utroque simul. Atque hæc postrema appellatur suspensio simpliciter totalis; si ergo suspensio aliqua absolute feratur, comprehendit suspensionem ab officio simul, & beneficio, quia non est, unde limitationem accipiat; & cur potius de officio, quam de beneficio intelligatur: Doctores communiter. Quod si suspensio proferatur sub hac disjunctione, *Ab officio, vel a beneficio*, Host. Panor. & alii cum Glos. in cap. *A crapula* censent etiam comprehendere utrumque simul: Hurt. Suar. & alii dicunt, in voluntate Rei situm esse utrumvis eligere, &, si noluerit, utroque simul ligari ex mente legislatoris; sed Pal. p. 5. n. t. cum aliis docet, suspensionem sub tali disjunctione non esse latæ sententiæ, sed ferendæ, pront legislator per sententiam specialem determinaverit. Superest latius explicandum, quæ sit suspensio ab officio, qoæ a beneficio?

CAPUT II.

Quæ sit Suspensio ab Officio?

OFFICIUM, vel est Ordinis, vel Jurisdictionis spiritualis, vel Pontificalium. Itaque suspensio ab officio absolnte prolata absque ulla restrictione est horum omnium suspensio, quia hæc omnia veniunt sub nomine officii. Si vero lata sit cum expressione alicujus effectus particularis, puta ab ordine, vel a tali ordine, vel a tali actu ordinis, ad talem effectum dumtaxat extenditur, & ad ea, quæ sunt illi adnexa: Doctores communiter. Hinc

I. Suspensus absolute ab officio non poterit ministrare Sacramenta, celebrare, cantre solemniter Epistolam, Evangelium, exercere divina officia, qualiter a Clericis qua talibus exerceotur, quia sunt actus ordinix. Item neque ferre senteutias, censuras, concedere indulgentias, absolvere &c. vel etiam hæc delegare, qui sunt actus jurisdictionis spiritualis; neque demum conferre ordines, conficere chrisma, benedicere virgines, consecrare Ecclesias, &c. quia sunt usus Pontificalium. Ecootra vero poterit recipere Sacramenta, ingredi Ecclesiam, assistere divinis officiis, canere in choro more laicorum, ac demum uti jurisdictione temporali. Suar. d. 26. s. 3. & alii communiter.

Dubium est primo, An suspensus absolute ab officio sit atiam sospensus a beneficio?

Affirmant Palud. Nav. & alii cum Glos. in cap. *Latores de Cler. exc.* quia beneficium est accessorium officio. Sed communius negant alii cum Pal. p. 5. §. 1. n. 5. quia sutpensiu ab officio est specie distincta a suspensione a beneficio; quare, si per alium supplet, quod per se nequit, percipiet fructus beneficii; imo etiamsi illicite per se satisfaciat, quia valide satisfacit: Pal. n. 7. contra Covarr.

Dnbium est secundo, An snspensus absolute ab officio possit eligi ad beneficinm?

Affirmant valide, & licite Hurt. quia cap. *Vel non est, de temp. ordin.* mandatur, beneficium provideri ordinato ante ætatem; sed hæc vel non est vera suspensio, vel est ad tempus, ideoque non impedit beneficii collationem ante tale tempus non exercendi. Hinc communis sententia negat licite eligi; & Pal. n. 3. cum aliis contra Suar. & alios negat etiam valide; quia cap. *Cum bona, de ætat. & qualit.* præcipitur, eos, qui durante suspensione beneficia coosecuti sunt, illis spoliari; quod verbum ei tantum competit, qui rem usurpatam habet: qoam sententiam pluribus decisionibus comprobat Bon.

Dobinm est tertio, An suspensus absolute ab officio habeat vocem in Capitulo?

Negant Sayr. Fel. Panor. cum Glos. in cap. *Cum dilectus, de consuet.* quia vocem habere in capitulo est usus Ecclesiastici officii, qnod aliquando nonnisi subdiaconis competit ex Clem. *Ut ii* eod. tit. Sed communiter affirmant Nav. Suar. Fil, Boo. Pal. n. 9. & alii, qoia eligere est actus diversæ potestatis competens etiam laicis conversis, & monialibus.

II. Snspensus absolute ab ordine privatus est cujusvis ordinis usu, & quidem ubique, quia exercitium ordinis ubique est unicum. At, si alias poterat, adhuc poterit concedere facultatem eligendi confessarium: etsi ipse confessarius esse non possit, qnia ad confessionis munus requiritur ordo, non tamen ad eam facultatem concedendam: Doctores communiter. Snspensus absolute ab ordine, quamvis postea fiat Parochus, non ideo ex titulo Parochiæ obtentæ licite absolvit: licite tamen delegare potest alteri suam jurisdictionem, assistere matrimonio &c. quia hi non sunt actus ordinis. Suspensus a sacris ordinibus potest exercere ordines minores, quia ex communi modo loquendi, præsertim in odiosis, sub ordinibus sacris non comprehenduntur minores. Suspensus ab officio celebrandi potest alios actus Sacerdotales exercere, nisi vero hi exerceri non possent absque illo, quia sic indirecte ab his etiam suspenditur: sic suspensus a pontificalibus eo ipso indirecte est suspensus ab actionibus Sacerdotalibus requisitis ad exercenda pontificalia, non vero ab aliis: puta a celebrando sine pontificalibus, jurisdictione Episcopali &c. quia non pertinent ad apparatum pontificalem. Similiter suspensus a determinato apparatu Sacerdotali potest cum alio celebrare.

Quæres, An suspensus ab ordine inferiori sit etiam suspensus a superiori, cujus usus præstari possit absque usu illius?

Affirmant Nav. Henr. Sayr. & alii communiter, quia, cui res minoris momenti prohibitæ sunt, dedecet majora concedi, ex *Reg. Jur. in 6.* Sed probabiliter negant Con. Fil. Laym. Hurt. Pal. n. 15. quia in pœnis stricta interpretatio est facienda; & *Reg. Jur.* intelligitur, quando quis ex se, & absolute est indignus: non vero, si puniatur in minori in pœnam delicti non sufficientis ad tollendum majus, ut habetur in casu. Hinc Confessarius suspensus a Diaconatu poterit absolvere; & similiter Episcopus suspensus a Sacerdotali officio poterit Episcopale munus exercere in iis, quæ Sacerdotalix ordinis usum non requirunt, & suspensus a collatione inferioris ordinis poterit ordinem superiorem conferre, & econtra; quia unius collatio ab alterius collatione non pendet: Suar. Laym. Pal. n. 7. contra Ab. & alios.

III. Suspensus absolute a jurisdictione est privatus omni usu jnrisdictionis spiritualis, non tamen actibus ordinis: nisi vero hi requirunt etiam jurisdictionem, qualis est absolutio Sacramentalis, ministratio Viatici, Extremæ Unctionis &c. Potest tameohic talis, si sit Parochus, assistere matrimonio, & dare licentiam assistendi, quia hi actox non sunt jurisdictionis propriæ, juxta alibi dicta. Suspensus vero a jurisdictione in parte, puta a voce activa, a collatione beneficii, &c. potest reliquos jurisdictioois actus exercere, quia pœnæ oltra proprietatem verborum non sunt extendendæ; & econverso suspensus a voce passiva etiam habere vocem activam, &c. Pal. p. 19. & 20. & alii communiter. An autem suspensus a jurisdictione in hac Diœcesi sit suspeosus ubique, dicam c. sequ.

IV. Suspensus ab administratione Ecclesiæ, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, privatur solum actibus talis administrationis, quales sunt ministratio Sacramentorum, collatio beneficiorum, actio in judicio super juribus, & possessionibus rei Ecclesiasticæ, quam quis administrat, nec non etiam responsio, & ejusdem dispositio etiam extra judicium: Doctores communiter.

V. Suspensus a divinis officiis intelligitur privatus interesse choro, tanquam Clericus, & minister ex officio; non vero, si intersit, tanquam laicus, audiendo tantum: Arm. Nav. Fil. & alii contra Sylv. Add. Fil. talem suspendi etiam a celebratione missæ, utpote quæ est præcipuum officium divinum.

VI. Su-

VI. Suspensus ab ingressu Ecclesiæ privatus est actu solemni cujuscumque urdiuis, & ex officio iutra Ecclesiam; item ufficiis divinis quoad ea recitanda, vel audieuda in Ecclesia; & sepulrora Ecclesiastica, modo impœnitens decesserit: si tamen sic sepeliretur, non pollueretur Ecclesia: Fil. & alii communiter. Potest tamen in sacello privato domus eelebrare &c. absque peccatu, & irregularitate; imo etiam in quovis oratorio, dummodo non esset designatum ab Episcopo iu perpetuum pro eelebratione; quia sic non differret ab Ecclesia, a cujus ingressu est ille suspensus: Suar. Fil. & alii.

VII. Suspensus ab officio prædicandi potest canere Evangelium, licet, urrumque ad Diaconum specter, & suspensus ab officiu Altaris, potest alia munera Sacerdotis exercere, & sic de reliquis. Ex quibus colligiror ea regula in bac materia tanquam certa: Ut verbis senteutiæ standum sit, & solus ille actus sit prohibitus, qui in determinatione suspensionis exprimitur, vel qui cum eo fuerit necessario connexus: v. Suar. s. 4.

CAPUT III.

Qua sit suspensio a Beneficio?

SUSPENSIO a beneficio non privat illo, sed ejus fructibus, ex c. *Cupientes*, *de Elect.* & quidem ante sententiam Judicis: Doctores communiter contra Nav. Tenetur tamen ita suspensus satisfacere uneribus beneficii, recitare horas &c. quia suspeusio punit, non relevat, ex cap. *Universalis* eod. tit. Nomine fructuum beneficii veniunt primitiæ, ublationes, pensiones ædium locatarum, agrorom proventus, & reliqua emulumenta, quæ ratione beneficii percipiuntur. Porro, an veniant etiam distributioues quotidianæ, quæ assistentibus choro conceduutur, dubitant Doctores: Affirmant Fel. Ugol. cum Glos. in Clem. II. *De vit. & honest. Cler.* præsertim cum distributiones sulis beneficiatis conceduntur, ut limitant Fil. Bon. & alii: sed distinguendum cum Hurt. Con. Pal. §. 2. n. 4. & affirmandum, si tales distributiones siut extractæ ex fructibus beneficii, quia sic sunt potius ejus fructus; uegandum, si sint ex particulari fidelium fundatione, esto sulis beneficiatis applicentur, quia sic nou intuitu beneficii, sed in stipendium officii conceduntur, & beueficium est tantum conditio, non causa concessionis.

Inter froctus beneficii computanda etiam est ejut administratio: Doctores communiter; quare suspensus a beneficio nequit illud locare, ejus fructus vendere, proque eo per se, vel per alium in judicio agere, aliamve actionem præstare, quæ ad temporalem administratiunem pertinet; ideoque constitueudus est Œconomus, ex cap. t. & ult. *de Elect. in 6.* Similiter nequit illud permutare, aut in favorem tertii resignare, quia hi sunt quidam usus beneficii: Suar. & alii communiter. Item inter fructus beueficii Nav. Henr. Sayr. & alii numerant etiam collationem, & electiouem ad beneficium, competentem titulo beneficii, quia, cum ab hoc pruveniant, inter ejus fructus computari debent. Sed rectius negant Suar. Bon. Pal. & alii communiter cum Gloss. in cap. *Cupientes* cit. quia potestas eligendi, aut conferendi beneficia, etsi oriatur ex beueficio, non ramen est usus beneficil, sed officii ex beneficiu competentis: ergo suspensus tantum a beueficio adhuc poterit eligere, &c.

Quæres primo, An requiratur Judicis executio, ut suspensus a beneficio privetur ejus fructibus?

Respondeo, Quod, quamvis Nav. Avil. Tanner. Dian. p. 5. tr. iu. r. 3. probabiliter dicant, requiri; probabilius ramen non requiritur, quia sicut suspensus ab officio est privatus actu officii, antequam privetur a Judice, ita &c. Hurt. Leand. Pal. p. 5. §. 2. n. 6. in fine: addunt tameu, bi Doctores, percipere posse fructus beueficii correspondentes labori, quem inserviendo beneficiu impendit, quique substitutu coucederentur; quia hi non tam sunt fructus beneficii, quam stipendium laboris impensi. Imu, si sit pauper, posse percipere, quantum ad sui, suorumque substentationem congruam est necessarium; etsi beneficio non serviat; dummodu suspensio lata sit in puram pœuam, quia sic non est in ejus potestate ab ea liberari; secus vero, si lata sit, tanquam ceusura, ub rationem oppositam: Sayr. Bon. & alii.

Quæres secundo, An suspensus ab Episcopo absolute a beneficio sit etiam suspensus ab omnibus beneficiis, quæ actu ubiubi possidet?

Respondeo Affirmative, nisi ex circumstantiis, aut ex intentione ferentis suspensionem contrarium colligatur. Ratio est, quia Episcopus potest suspendere subditum suum ab omnibus beneficiis tam suæ Diœcesis, quam alienæ, cum habeat potestatem in jus inhærens ipsi subdito; quia suspensio absolute a beneficio, cum sit illimitata, suspendit ab omnibus. Dixi *Nisi contrarium colligatur ex circumstantiis*; puta si delictum, ob quod fertur, sit contra aliquam particularem Ecclesiam; tunc enim credendum est, comprehendere tantum beneficia illius Ecclesiæ; ideoque, si Canonicus, Episcopus, vel Rector sub nomine Canonici, Episcopi, vel Rectoris suspendatur a beueficio, ab eo tantum suspenditur, quod sub illu nomine significatur, quia præcedeutia sæpe ex subjectis denuminatiunem accipiunt: Sayr. Suar. Pal. §. 2. n. 2. Dixi etiam, *Nisi contrarium colligatur ex intentione ferentis*, quia satis probabile est, Episcopum, cum absolute suspendit subditum a beneficio, sola beneficia in sua Diœcesi sic compreheudere velle, quandu aliud non exprimit: idemque est de suspensione a jurisdictione absolute lata: Pal. Suar. Sayr. & alii, neque obstat, quod suspensus absolute ab ordiue sit ubique suspensus; nam exercitium ordinis ubique est unicum; at beneficium situm in una Diœcesi, ejusque fructus diversi sunt ab alio alterius Diœcesis: & similiter jurisdictio pro diversitato locorum varietatem recipit.

Quæres tertio, An suspensus a beneficio sit inhabilis ad aliud beneficiunm suscipiendum?

Respondeo, Probabilius uou esse inhabilem; quia nullus est textus, ex quo ipsu jure irritetur talis collatio, sed tantum, quod per Judicem sit irritanda: Suar. Laym. Pal. n. 3. & alii contra Avil. & alios plures, quia non est privatus jure radicali ad beneficia; ergo valide ea conferrentur, quamvis illicite, cum contra rationem sit novum beneficium ei conferri ab Ecclesia, quem censuit indignum. Neque obstat, quod beneficium sit jus percipieudi fructus, quo suspensus privatus est; nam non est privatus jure radicali (secus privatus esset etiam titulo beneficii possessi) sed solum jure proximo, & expediro. Addit Suar. d. 27. s. t. n. 27. probabile esse, si nullum beneficium habens committas crimen, cui adnexa sit suspensio a beneficiis, non privari nova beueficii acquisitione, quia bæc pœna ceusetur ferri contra beneficiarios.

CAPUT IV.

Qua sit culpa, & pœna violantium Suspensionem?

SOLUS suspensus violare proprie suspensionem dicitur, quia solum ipsi interdictus est usus ufficii, vel beneficii. Reliqui vero sulum peccare possunt, quateuus occasionem ei dederint talis violationis. Peccatum hoc sive violantis, sive occasionem dantis, per se luquendu, est mortale, quia est contra gravem prohibirionem Ecclesiæ, ejusque censutam; nisi veru excuset a mortali parvitas materiæ, puta si suspensus a jurisdictione recipiat uunm testem, vel si suspensus ab ordine exerceat ordinem minorem, qui etiam a laicis exerceri potest.

Itaque suspensus ab officiu, si non sit nominatim denunciatus, peccat se ingerendo ad exercitium illius officii; non tameu, si illud ad aliorum petitiunem exerceat. Si veru sit nominarim denunciatus, peccat, etiamsi ad aliorum petitionem exerceat, nisi excusee ignorantia, gravis metus, aut urgentissima proximi necessitas, juxta dicta de excommunicato vitando; ideoque etiam peccant alii petendo ab eo tale exercitium, quia petunt aliquod illicitum: si tamen non petant, neque inducant, non peccant mere interessendu ejus Missæ, aliisve divinis officiis, quia nullum est præceptum, quod communicationem cum suspenso prohibeat, neque in casu sunt causa peccati illius: Sayr. Suar. Heur. Avil. Pal. p. 6. n. 3.

Pœna imposita suspenso violanti suspensionem est irregularitas, quæ tamen solum incurritur ob violationem suspensiouis ab ordine sacro, ejus officium solemniter exercendo: Doctores communiter ex cap. t. *De Sent. & re Judic.* & cap. t. *De Sent. exc. in 6.* Et quidem incurritur, sive violetur suspeusio lata per modum censuræ, sive per modum puræ pœnæ, & ad tempus, ut omuino certum docent Suar. & alii communiter ex text. cit. contra aliquos innominatos apud Sa.

Dixi, *Ob violationem suspensionis in Ordine Sacro*, quia ob violationem suspeusionis in Ordine minori nou incurritur irregularitas, eo quod officia horum Ordinum etiam solemniter præstari possunt a laicis: Sayr. Bon. Pal. p. 6. n. 4. Dixi, *Ejus officium solemniter exercendo*,

quia sic solum a constitutis in sacris exerceri potest. Si ergo in missa solemni cantet Epistolam, vel Evangelium absque manipulo, vel stola, non fit irregularis, quia sic cantari solet etiam a non habentibus Subdiaconatum, vel Diaconatum. Similiter suspensus a divinis officiis & a Sacramentis non fit irregularis, si assistat Divinis, & recipiat Sacramenta, quia ea assistentia, & receptio non est actus proprius Ordinis Sacri, eum a laicis etiam præstari possit. Similiter suspensus ab Ordine Diaconatus, vel ab officio prædicandi, non fit irregularis, si cum superpelliceo, & benedictione Sacerdotis solemniter in missa concionetur, quia, esto ex præscripto Ecclesiæ id solis Diaconis competat, at non ordinaris etiam concedi potest ab Episcopo: Sayr. Sylv. Henr. Bon. Pal. n. 4. contra Nav.

Ob violationem suspensionis a jurisdictione nulla incurritur irregularitas, quia nullibi hæc pœna his violatoribus est imposita: ideoque, si hic talis conferat beneficium, eligat, proferat sententiam &c. quamvis peccet, non fit irregularis; nisi vero simul exerceat actum ordinis, puta absolvendo Sacramentaliter. Similiter nec Parochus præcise assistens matrimonio, in quo non exercet actum ordinis, nisi solemniter benedicat etiam nuptias, vel solemniter baptizet. Neque demum incurritur irregularitas ob violationem suspensionis a beneficio, ob eandem rationem; verum hujus suspensionis violator privatur ipso jure beneficio, ex cap. 1. *De elect. in 6.*

Altera pœna violantis suspensionem est annullatio actus ab ipso suspenso præstiti; quæ pœna solum habet locum in iis, quæ pendent ab ipsa Ecclesia, uti est jurisdictio, & beneficium. Si ergo suspensus a beneficio illud administret, invalidus est actus, dummodo tamen suspensus sit denunciatus; secus enim est validus, &, si sit requisitus, etiam licitus. Similiter suspensus a jurisdictione, invalide absolvit, si sit denunciatus, nisi sit error communis, vel extrema proximi necessitas; valide, si non sit denunciatus, & etiam licite, si sic sit requisitus: Doctores communiter juxta dicta de excommunicatione.

CAPUT V.

Qualiter Suspensio suspendi, vel tolli possit?

I. SUSPENSIO semel incursa dupliciter suspendi potest, vel per appellationem, vel per dispensationem. Quoad appellationem, si sit suspensio ab officio, aut ab ingressu Ecclesiæ, per subsequentem legitimam appellationem nullatenus suspenditur, ut expresse deciditur cap. *Is, cui de sentent. Exc. in 6.* dummodo ea lata sit per modum censuræ, ut limitant Abb. Pal. p. 7. quia in textu dicitur, *Sicut excommunicatio*, quæ semper retinet rationem censuræ: quare, si talis suspensio lata sit per modum pœnæ, per legitimam appellationem suspenditur, & celebrans post talem appellationem non incurrit irregularitatem. Item per legitimam appellationem suspenditur quævis alia suspensio a beneficio, quia in textu solum dicitur *Ab officio, & ingressu Ecclesiæ*; Pal. & alii.

Quoad dispensationem certum est, suspensione adhuc manente posse a Pontifice dispensari quoad ejus effectum, & obligationem, cum ex ejus institutione censurarum effectus, & obligatio pendeat. Idem posse Episcopum in suspensione a se lata, docent Panor. Sayr. Bon. n. 4. tum quia hoc videtur jure concessum quoad interdictum, ex cap. *Dilectus, de Appell.* tum quia ita videtur usu comprobatum: sed probabilius negat Suar. Pal. p. 8. n. 3. quia inferior nequit mutare superioris institutionem, quæ est, ut censura, dum de facto est, suum effectum habeat, & obligationem inducat; & textus cit. non permittit, suspendi interdictum eo manente, sed ipsum interdictum pro aliquo tempore; in quo casu, si interdictum, vel suspensio sit per modum censuræ, non redibit sine nova contumacia, juxta dicta d. 1. q. 5.

II. Suspensio semel incursa dupliciter tolli potest, vel per seipsam cessando, vel per absolutionem.

Cessat, per seipsam, si lata sit per modum pœnæ ad tempus: v. g. si lata sit per annum, incipit obligare a primo die, quia trahit secum executionem, ex cap. *Pastoralis, de Appell.* ideoque dies termini in ea computari debet in termino: cessat vero per seipsam completo die 365. etiamsi annus ille sit bissextilis, quia dies bissextus rejicitur in odiosis, ex *l. Cum hæres, de Statu liberor.* Similiter, si lata sit die 1. Febr. per mensem, cessat per seipsam completo die 28. etiamsi mensis sit bissextilis; lata 3. vel 4. mensis, cessat completo die 2. vel 3. mensis sequentis, sive prior fuerit 28. sive 30. sive 31. dierum, arg. *l. Qua ætat.* eod. tit. Tempore autem intermedio tolli quidem potest per dispensationem ab eo, qui tulit, non autem ab inferiori, qui nequit dispensare in lege superioris: idem a fortiori est, si lata sit *In perpetuum*, si *ad beneplacitum Judicis*, cujus morte cessat; non vero, si *Ad beneplacitum Sedis*, quia Sedes non moritur, juxta alibi dicta. At, si in puram pœnam lata a jure sit indefinite, probabiliter tolli potest ab Episcopo, nisi specialiter sit reservata; quia sic ex intentione Pontificis videtur esse remissibilis: Pal. p. 9. n. 6. cum aliis contra Panorm.

Per absolutionem quævis suspensio juris communis lata per modum censuræ tolli potest ab Episcopo, si proveniat ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum sit deducta, ex Trid. *sess. 24. de Ref. c. 6.* Si autem sit publica, vel deducta ad forum contentiosum, poterit etiam Episcopus, dummodo non sit expresse reservata. De Parocho autem, aut Confessario, non reperio apud Doctores ita affirmari, sicut de excommunicatione non reservata; fortasse quia suspensionis absolutio non est necessario præmittenda absolutioni Sacramentali: Vivald. tamen apud Fil. contra Nav. & alios asserit, etiam posse, dummodo Episcopus non sibi reservaverit omnes suspensiones juris, ut solent communiter facere.

Ex Privilegio Societati Jesu concesso absolvendi a quibuscumque censuris, sententiis, & pœnis ex delicto provenientibus possunt ejus Confessarii a Superioribus deputati has suspensiones relaxare; nam esto hæ suspensiones non absolutione proprie, sed dispensatione tolli debeant, earum tamen relaxatio juxta frequentem loquendi modum absolutio nuncupatur: Castropal. p. 9. num. 7.

QUÆSTIO II.

De Suspensionibus Juris communis.

HARUM aliæ sunt contra Clericos, aliæ contra Capitula & Conventus, aliæ sunt propriæ Religiosorum, aliæ propriæ Episcoporum. Equidem aliquas frequentiores explicabo.

CAPUT UNICUM.

Quæ sint suspensiones juris communis contra Clericos?

NOMINE *Clerici* in his suspensionibus non comprehenduntur Episcopi, nisi de his fiat expressa mentio, ex cap. *Cum Periculosum, de Sent. Exc. in 6.* Dubium est, an comprehendantur Clerici Religiosi? Negant Ugol. Sayr. Bon. t. 3. d. 3. q. 8. quia vox Clerici ex frequenti usu in materia pœnali videtur jure accommodata tantum Clerico sæculari, ideoque Clem. I. *de Privil. Cler.* a Religiosis distinguuntur, & Clem. II. *de Vit. & honest. Cler.* ut Religiosi comprehendantur, exprimuntur. Sed affirmant Suar. d. 28. s. 2. n. 8. Pal. p. 2. n. 6. & alii, quia Clerici Religiosi sunt vere Clerici: ergo comprehenduntur, nisi ex materia, circumstantiis, aut tenore suspensionis contrarium eruatur: in Text. aut cit. distinguuntur, vel exprimuntur, &c. quia complures Religiosi non sunt Clerici. Utraque sententia est probabilis.

§. I.

Quæ sint suspensiones Clerici peccantis in Ordinatione?

I. CLERICI recipientis Ordines Sacros (non tamen, si minores) ab Episcopo, qui cum acceptatione Papæ renunciavit dignitati Episcopali, ex cap. *Requisivit de Ordinat. ab Episc. &c.* Suspensio est tantum ab Ordine Sacro sic suscepto, & reservatur Papæ, si incursa sit scienter, vel cum ignorantia crassa, aut affectata: si secus, potest Episcopus dispensare; hoc est, declarare, nullam adfuisse suspensionem: Pal. p. 10. n. 1. in Text. cit.

II. Recipientis Ordines, sive majores, sive minores ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto, vel irregulari, Simoniaco, Hæretico, aut Schismatico; dummodo tamen sit denunciatus, seu vitandus, quia sic caret potestate conferendi Ordines, juxta Concil. Constant. Hæc suspensio est etiam ab Ordine sic suscepto, & reservatur Papæ, ex cap. *Daibertum* 1. 47.

Do-

Doctores communiter ap. Bon. t. 3. d. 3. p. 10. n. 8. ubi cum aliis asserit, incurri etiam cum ignorantia invincibili, quia non videtur imposita in pœnam Ordinati, sed in detestationem Ordinantis, eo quod dat Ordinis usum, quem non habet. Sed contradicunt alii cum Pal. p. 10. n. 2.; quia ex nullo textu id eruitur; & dictum illud, *Nemo dat, quod non habet*, intelligitur de donationibus, non de rebus spiritualibus; cum etiam infidelis possit conferre Baptismum, quem non habet: si ergo fiat omnino ignoranter, dispensari, hoc est, declarari potest ab Episcopo, juxta dicta n. 1.

III. Recipientis Ordines, sive majores, sive minores in excommunicatione majori etiam occulta, ex c. *Cum illorum de Sent. Excom.* Non tamen, si sit prima Tonsura, quæ in odiosis non censetur ordo, nec habet proprium actum, a quo suspendatur; neque, si sit consecratio Episcopi, quæ non est ordo distinctus e Sacerdotio, sed ejus ampliatio: Pal., Suar., Bon. p. 6. Hæc suspensio quoad Clericos sæculares est in perpetuum ab Ordine sic suscepto, & reservatur Papæ, sive contracta sit scienter, sive cum ignorantia crassa, & supina; quoad Clericos Religiosos est tum ab Ordine sic suscepto, tum ab officio: absolvi tamen possunt a suo Superiore, modo non deliquerint scienter, vel factum fuerit grave, & notabile: Bon., & alii ex Text. cit. Cov., & alii extendunt hanc suspensionem etiam ad recipientem Ordines in suspensione, vel interdicto; sed ex nullo textu id eruitur: Bon. n. 2.

IV. Recipientis ordines, sive majores, sive minores simoniace, ex Bull. Sixti V. *Sanctum, & salutare*, Ubi præter excommunicationem dictam d. 2. incurritur suspensio reservata Papæ, & quidem non solum ab ordine sic suscepto, ut est certum, sed probabilius etiam ab aliis ante susceptis, ut docent Bon., & alii contra Less., & alios: item inhabilitas ascendendi ad ordines superiores, ex text. cit. & ex Bull. Paul. II., quæ inhabilitas, & excommunicatio probabilius etiam incurritur in receptione simoniaca primæ tonsuræ, ut docet idem Bon. t. 3. d. 2. q. 3. p. 14. n. 3. contra Less., & alios. Requiritur tamen primo, Ut simonia sit complete realis ex alibi dictis, quia hæc censura non incurritur, nisi effectu complete secuto. Secundo, Ut committatur ipso sciente, & non contradicente, quia secus non adest ejus culpa, ob quam censura contrahitur: Bon. d. 3. q. 1. p. 5. contra Avil, & alios. Hinc neque eam incurrit, qui post suam ordinationem ratificat simoniam se ignorante factam, quia suspensio est tantum imposita ob simoniam in ipsa ordinatione. Mediator vero incurrit solam excommunicationem; ac præsentator ad ordinem per simoniam incurrit etiam suspensionem ab ordinum executione per triennium ex c. pen. *de Simonia*.

V. Recipientis Ordines Sacros post contractum matrimonium, etiamsi non consummatum: Extrav. *Antiqua de voto*, exceptis tamen casibus jure concessis, ut si ante consummationem alteruter profiteatur in Religione; vel si post consummationem uxor dedit legitimam licentiam; vel si ipso innocente factum sit legitimum divortium. Hæc suspensio est ab ordine sic suscepto cum inhabilitate ad alios suscipiendos, ad beneficia, & officia Ecclesiastica; & reservatur Papæ etiam matrimonio deinde soluto; nisi forte solvatur per validam professionem in Religione, quia tunc potest dispensare Episcopus, ut eruitur ex text. cit. At, si bona fide receperit Ordinem Sacrum putans, eam uxorem esse mortuam, & postea comperiat, esse vivam, vetatur quidem sub gravi ab exercitio ordinis, at non per vim censuræ, sed per vim simplicis prohibitionis, donec ea vivat, vel voveat castitatem cedens juri suo: Suar., Fil., Bon., & alii. Denique, si mala fide recipiat tantum ordines minores, peccat quidem, sed non incurrit hanc suspensionem, quia in textu dicitur, *Ordines Sacros*.

VI. Recipientis absque dispensatione Papæ plures Ordines Sacros eodem die, vel Sabbato, & Dominica sequenti continuato jejunio Ordinantis, & Ordinati, quia tunc reputatur idem dies, ex c. *Litterarum, de Temp. Ordinat.* Hæc suspensio est ab ordine superiori tunc simul suscepto, & reservatur Papæ, ex text. cit., nisi Religionem intraveris, quia tunc pœnitentia ibi peracta dispensare potest Superior, & Episcopus, ex cap. *Innotuit, De eo, qui furtive &c.* Si ergo eodem die suscipias Subdiaconatum, & Diaconatum, ab hoc es tantum suspensus; si vero tres simul Ordines Sacros, a duobus superioribus, quia Subdiaconatus tunc legitime supponitur susceptus. Si vero absque dispensatione Episcopi suscipias eodem die ordinem minorem, & Subdiaconatum, suspensus es ab isto, ex eodem cap.; nisi vero vocatus esses ad utrumque suscipiendum, quia sic cessat furtiva ordinis receptio, etiamsi ex inadvertentia Episcopi: Pal. num. 8. At, si eodem die absque dispensatione Episcopi suscipias primam Tonsuram, & Ordinem minorem, vel plures simul Ordines minores, peccas quidem graviter contra prohibitionem Ecclesiæ, nullam tamen incurris suspensionem, quia nulla est in jure: Doctores communiter. Qui autem furtive Ordinem suscipit (hoc est absque prævio examine, & approbatione, usurpato nomine alterius examinati, & approbati, vel faciens sub nomine suo alium examinari, & approbari) incurrit irregularitatem, ex cap. *Veniens, de eo, qui furtive*, ut dicam d. 5.

VII. Recipientis Ordines Sacros extra tempora (nimirum extra Sabbatum Sanctum, Passionis, aut Quatuor Temporum) absque dispensatione Pontificis, ex Bul. Pii II. *Cum ex Sacrorum*. Hæc suspensio est ab Ordine Sacro sic suscepto cum inhabilitate ascendendi ad Superiores; non est tamen reservata Papæ; quia, etsi Sixt. V. eam sibi reservaverit, tamen Clem. VIII. eam ad terminos S. Canonum Pii II., & Trid. redegit, in quibus non videtur reservata: Bon., Pal. n. 7. Ut autem incurratur, requiritur culpa gravis: quare, si bona fide putabas, te habere privilegium, vel Episcopum posse dispensare, &c., excusaris a suspensione, sicut a culpa. Si autem in hac suspensione exerceas actum ordinis culpabiliter sic suscepti, tunc evadis irregularis, cum adest præsumptio: Doctores communiter ex text. cit. Denique in prima Tonsura, vel Ordinibus minoribus extra tempora non habetur suspensio, quia hæc non habent statuta tempora. At, si suscipias Ordines Sacros intra tempora, sed non servando interstitia (annum scilicet integrum inter unum, & alterum Ordinem) graviter quidem peccas contra prohibitionem Trid. *sess.* 23. *c.* 11. nullam tamen incurris suspensionem, quia nullibi est expressa: Suar., Bon., & alii communiter contra Henr. Et Episcopus dispensare potest, ut omnes minores ordines eodem die suscipiantur, &, si consuetudo sit, simul etiam cum Subdiaconatu; in interstitiis vero inter Sacros Ordines non potest dispensare, nisi ob necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ, ex eod. Trid. c. 11. 12. & 13. idem dic de Capitulo Sede Vacante.

VIII. Recipientis Ordines Sacros ante legitimam ætatem, ex eadem Bulla Pii II. & suspensio est eadem; quæ nec incurritur ob primam Tonsuram, vel Ordines minores susceptos ante legitimam ætatem, quamvis sit peccatum contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi: Bon. & alii communiter. Legitima ætas ad primam Tonsuram est septennium completum. Ad Ordines minores est quælibet ætas elapso septennio; ad Subdiaconatum 22. anni inchoati; ad Diaconatum 23. inchoati; ad presbyteratum 25., etsi per medium diem inchoati: Doctores communiter ex Trid. cit. ad Episcopatum 30. anni completi, ex c. *Cum de cunctis, de elect.* Dies autem bissextilis hic non computatur, cum simus in odiosis: Bon. p. 1. Monet Suar., Bon., Pal., & alii communiter, ex decis. 6. S. Congr. Ordinatum in Sacris ante legitimam ætatem, etiamsi absolvatur a suspensione, non posse ordinem ita receptum exercere, quousque ad legitimam ætatem pervenerit, non quidem ob impedimentum suspensionis jam sublatæ, sed irregularitatis a jure inductæ, qua quivis prohibetur ante legitimam ætatem ordinem suscipere, & consequenter illum exercere, donec ad ætatem requisitam pervenerit; quod verum est etiam de eo, qui omnino ignoranter Sacrum Ordinem ante ætatem susceperit.

IX. Recipientis Ordines ab alieno Episcopo sine licentia proprii, ex eadem Bulla Pii II. Et est eadem suspensio, absolvenda tamen ab Episcopo proprio, cui facta est injuria, ex Trid. *sess.* 23. *c.* 8. Ex quo valet etiam in ordinibus minoribus, quia loquitur universaliter de ordinibus, non autem in prima Tonsura, quæ nec in odiosis est ordo, nec habet actum proprium, a quo possit suspendi: Toler., & alii contra Less., & alios: est tamen irrita sic suscepta, ex cap. *Illud quoque*, & cap. *Si quis ausus* d. 71., ideoque nequit ei conferri beneficium sine dispensatione Apostolica, nec gaudet privilegio fori, secuta tamen prius sententia Judicis, quia irrita est quoad executionem, si minus quoad substantiam: Bon. p. 11. n. 22. ex Bull. Urb. VIII.

Itaque, ne incurratur dicta suspensio, obtinenda est prius licentia per litteras dimissorias, in quibus, si non exprimatur in specie ordo suscipiendus, non valent, nisi ad minores ordines, ex c. 1. *de Temp. ordin.*; si exprimatur in specie Episcopus, ad quem, &c., non valent pro alio, ex cap. *Nonne de Præsumpt.*, & perseverant post mortem concedentis, quia sunt gratia facta, ex cap. *Si cui, de Præb. in 6.* Concedi autem possunt a proprio Episcopo

(etiam a proprio Prælato quoad Clericos Religiosos) non autem ab ejus Vicario, nisi speciale mandatum habente, ex Trid. *sess. 7. c.* 10. Imo neque a Capitulo, ejusve Vicario capitulari, sede vacante, infra aonum a die vacationis, nisi quis ratione beneficii recepti, vel recipiendi arctatus sit ad ordines recipiendos; ex Trid. cit., ubi secus ordinati in minoribus spoliantur privilegio Clericali in criminalibus; ordinati in majoribus suspenduntur ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati; at, si sedes ultra annom vacavit, valide, & licite conceduntur omnibus litteræ dimissoriæ a Capitulo, ejusve Vicario, quia jus antiquum quoad hoc non videtur immutatum a Trid. Bon. n. 24. Verum immutatum de facto est in Regno, ex novo decreto S. Congr. sub Clem. XI.

Clericus, qui obtinuit rescriptum, vel privilegium a Papa recipiendi ordines a quovis Episcopo, si eos recipiat absque litteris commendatitiis proprii Episcopi, incurrit eandem suspensionem, ex eod. Trid.; quia rescriptum illud solum excludit litteras dimissorias, non vero commendatitias, hoc est testimoniales de vita, & moribus: Bon. n. 22. Clericus vero commorans Romæ, si extra Urbem se conferat ad recipiendos ordines absque licentia Papæ, vel ejus Vicarii in scriptis, incurrit eandem suspensiooem reservatam Papæ, ex decr. Card. Burgh. de Mandato Clem. VIII. apud Bon. n. 5.

Sunt autem tres casus, in quibus licitum est ordinari ab alieno absque licentia proprii Episcopi: Primo, Quando proprius Episcopus est notorie suspensus, eo quod subditum alienæ Diœcesis sine debita licentia ordinavit, ex c. *Eus, qui, de Temp. Ordin. in 6.*; par enim est, ut in eo puniatur, in quo deliquit, ut advertit Glos.; oportet autem, ut ea suspensio sit notoria, sive jure, sive facto, etsi non sit denunciata: Secundo, Si per triennium continuum commoratus fueris in eodem loco cum alieno Episcopo, tanquam ejus familiaris, seu de ejus familia, & beneficium sine ulla fraude ab eo statim recipias, ex Trid. *sess. 23. c. 9.*, etiamsi triennium cœperit, antequam Ordinans fueris creatus Episcopus; Bon., Pal., & alii: debet tamen statim conferri beneficium etiam in prima tonsura, quia sub hac conditione id permittitur: S. Congr. apud Barb.; si autem ordinans deinde beneficium non conferat, ordinatos bona fide non suspenditur: excusatur etiam ordinans, si ad titulum patrimonii, vel pensionis ordinaverit: Doctores cit. Tertio, Si alienus prudenter censeat, tuum Episcopum ratihabiturum tuam ordinationem, arg. cap. *Lugdunensis 9.* q. 2.; sed hoc non est facile admittendum, ne perturbentur jurisdictiones, & indigni promoveantur.

X. Recipientis ordines a proprio Episcopo in aliena Diœcesi absque licentia illius Episcopi, ex Trid. *sess. 6. c.* 5. Hæc suspensio est ab ordine sic suscepto, sive majori, sive minori; quia ad horum omnium collationem requiruntur Pontificalia, quæ ex Trid. cit. prohibentur in aliena Diœcesi; non est tamen reservata, nec incurritur in prima tonsura, quæ ad actos Pontificales pertinere non videtur, cum privatim conferri possit in cubiculo: Henr., Pal., & alii contra Rebuff., Alter., & alios. Extenditur tamen suspensio etiam ad ordinatum ab Archiepiscopo in Diœcesi sui suffraganei absque hujus licentia, exceptis quibusdam casibus, puta actualis visitationis, &c., de quibus alibi diximus.

XI. Recipientis ordines per saltum, hoc est superiorem inferiori etiam minori prius non recepto: Doctores communiter contra Turrecrem., ex Trid. *sess. 23. c. 4. de Refor.* Hæc suspensio est ab ordine sic recepto, & durat, donec inferiorem omissum receperit ex dispensatione Episcopi; dummodo in superiori antea non ministraveris, quia aliter incurris irregularitatem a solo Papa dispensabilem: Doctores communiter ex Trid. cit. Ergo econtra, si in eo non ministraveris, quamvis deinde absque ulla dispensatione susceperis ordinem prætermissum, adhuc potest dispensari ab Episcopo: Bon. p. 2. n. 13. contra Suar., & alios. Qui vero recipit ordinem prætermisso baptismo, peccat graviter, & invalide recipit, sed non incurrit hanc pœnam, quia non est subjectus Ecclesiæ. Qui recipit ordinem, vel tonsuram ante confirmationem, peccat, sed valide recipit, neque incurrit suspensionem, quia in jure non est expressa; uti neque, si recipiat consecrationem Episcopalem ante Sacerdotium, etsi invalide consecretur, quia character Episcopalis est idem ac Sacerdotalis peculiariter extensus: Bon., & alii communiter contra Ab., Host., & alios.

XII. Recipientis ordines sacros absque titulo, intercedente pacto cum ordinante, aut præsentante, de non petendo ab his alimenta, c. *Per tuas*, & c. *Si quis, de Simonia*. Hæc suspensio est in perpetuum ab ordine sic suscepto, donec a Sede Apostolica dispensetur; & Episcopus sic ordinans suspenditur a collatione ordinum per triennium, præsentator vero ab exercitio ordinum per triennium; ex text. cit. Si autem non intercessit tale pactum, Pal. n. 12. cum aliis putat, non incurri suspensionem ab eo, qui nullo, vel ficto titulo beneficii, pensionis, aut patrimonii sacris initiatur; quia, quamvis cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum* d. 70. lata sit; tamen revocata videtur, cap. *Secundum Apostolum, de Præb.* & cap. *Si Episcopus* eod. tit. in 6., ubi tantum imponitur scienter ordinanti, aut præsentanti obligatio alendi sic ordinatum, quam solam obligationem creditur renovasse Trident. *sess. 21. de Reform. can.* 2.

Sed probabilius Sanch., Suar., Vasq., Bon. p. 8., & alii communiter dicunt, etiam incurri suspensionem, quamvis non reservatam; quia in Trid. cit. dicitur, *Antiquorum canonum pœnas super his innovando*: quare innovatur suspensio cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum*: atque ita supponitur in Bulla Pii V. *Romanus*, ubi extenditur eadem suspensio ad Religiosos ante professionem ordinatos in Sacris absque titulo. Titulus ergo esse debet, vel beneficii, vel patrimonii, aut pensionis, vel professionis Religiosæ, aut votorum simplicium pro Religiosis Soc. Jesu.

Itaque hanc suspensionem incurrit, qui initiatur Sacris titulo beneficii, quod sit nullum, vel non perpetuum respectu Clerici, vel insufficiens ad sustentationem (nisi constituatur sufficiens ex bonis propriis, vel ad titulum beneficii de futuro) ut, si sit tantum præsentatus, quia sic nondum habet titulum (secus, si tantum possessionem non cœpit, quia sic habet titulum) vel cum coadjutoria perpetua cum futura successione, si illa per se non sit sufficiens, vel ad titulum annui stipendii suo labore obtinendi, puta ob picturam, musicam, aliamve licitam artem, quia isti sunt redditus incerti. Idemque est de patrimonio ficto, vel falso, probando se habere, quod non habet, vel plusquam habet, insufficiens ad sustentationem, vel fictam donationem ab aliquo accipiendo, &c. Idemque est de titulo professionis, quæ sit invalida, &c. Atque hæc suspensio contra Ultramontanos est reservata Papæ, ex Bull. Urb. VIII. *Secretis*, non tamen pro reliquis: v. Bon. l. cit.

Atque hæ 12. suspensiones enumeratæ incurruntur ipso facto; ideoque, si cum aliqua ipsarum actum ordinis prohibitum exerceas, incurris irregularitatem.

Dubium est primo, An irregularitatem incurras in ipsamet ordinatione; puta, si in ipsa Missa ordinationis cantet Evangelium, a quo indebite suscipiendo tunc suspenderis?

Affirmant Bon. p. 1. num. 9., & alii; quia exerces actum ordinis jam suscepti: negant Suar. d. 31. s. 1. n. 70., & alii; quia ille actus moraliter loquendo non est distinctus ab ipsa ordinatione, cum tota actio ordinantis a principio usque ad finem officii sit unus actus moralis, ad quem reliqui spectant.

Dubium est secundo, An mere suspensus ab ordine, quem habes, incurras irregularitatem recipiendo ordinem superiorem?

Negare videntur aliqui apud Suar. d. 26. s. 4 n. 8.; sed ipse probabilius affirmat, quia character ordinis inferioris est veluti facultas moralis ad recipiendum superiorem: ergo hujus receptio est quidam usus illius characteris, qui usus, licet videatur magis passivus, quam activus, tamen inter functiones clericales numerari potest.

§. II.

Quæ sint suspensiones Clerici peccantis in exercitio sui ordinis, vel muneris?

I. CELEBRANTIS divina officia, aut celebrare facientis in loco interdicto, vel coram persona excommunicata, aut interdicta, vel eam admittentis ad divina, aut ad sepulturam ecclesiasticam, ex c. *Episcoporum, de Privil. in 6.* Hæc suspensio est ab ingressu Ecclesiæ, nec tollitur, nisi præstetur satisfactio ad arbitrium illius, cujus sententia violata est, & valet etiam contra Clericos Regulares, ex Trid. cit. Non tamen incurritur, nisi adsit præsumptio, ex eod. text., neque, si interdictum, vel excommunicatio non fuerit denunciata, ex Concil. Const. Neque demum, si tantum interdictum sit cœmeterium, & celebratio fiat in Ecclesia: bene vero econtra, quia accessorium sequitur prin-

principale: Bon. q. 3. p. 1., & alii adducentes alios textus, sed non ad rem ex Fil.

II. Omittentis sine gravi causa Missam inchoatam, ex cap. *Nullus*, *de Consecr.* d. 1., etiamsi sit Episcopus. Hæc suspensio est a celebratione; & Fil. cum Glos. probabiliter docet, esse sententiæ ferendæ, quia in textu dicitur *Suspensus sit*.

III. Celebrantis Missam, & in ea non communicantis, ex cap. *Relatum*, *de Consecr.* d. 2. Hæc suspensio est per annum a celebratione; & incurritur, etiamsi in die natalis Domini in ultima tantum Missa communices, ut notat Bon. ex eod. text.; non tamen, si aliquas sanguinis particulas non sumas in Missa; neque, si in una tantum specie consecres, & consummes, quamvis utrobique pecces gravissime; neque demum, si tempore ordinationis consecres cum ordinante, nec communices.

IV. Conjungentis sponsos in matrimonium, vel benedicere eos audentis, absque licentia Parochi, ad quem spectat, ex Trid. *sess.* 24. *de Reform.* *c.* 1. Hæc suspensio est ab officio Sacerdotali; quia, licet in textu dicatur absolute *Suspensus maneat*, tamen determinatur ex subjecta materia: Suar.; & tolli potest ab Episcopo ejus loci, cujus Parochus matrimonio assistere, vel benedicere debebat, ex eod. textu. Suspensio autem benedicentis secundas nuptias est sententiæ ferendæ, ut notant Fil., aliique.

V. Recipientis oblationes a publico usurario, aut illum sepelientis, ex cap. *Quia in omnibus*, *de Usur.*, item accipientis eleemosynam a violatore, seu raptore publico Ecclesiarum, aut eum absolventis ante satisfactionem, aut assistentis ejus sepulturæ, ex c. *Super* 2. *de Raptoribus*. Hæc suspensio quoad primam partem est ab officio, nec absolvitur, nisi satisfecerit ad arbitrium Episcopi, ex eod. text.; & nomine oblationum veniunt, quæ offeruntur Deo in recognitionem divinæ excellentiæ, non quod traditur ministris Ecclesiasticis in substentationem, vel stipendium: Suar., Bon., & alii. Quoad secundam partem est ab ordine, & beneficio, sed non ipso jure lata, quia in textu dicitur, *Puniantur*, *careant*; & in Trid. *sess.* 22. *de Ref.* *c.* 11. *suspendantur*.

VI. Utentis publice veste sæculari partita, aut virgata contra statutum Clem. 2. *de Vit.*, *& honest. cler.* Hæc suspensio quoad beneficiatos est a beneficio per sex menses; quoad ordinatos in Sacris citra Sacerdotium est inhabilitas ad beneficia etiam per sex menses: cæteri peccant, & puniri possunt arbitrio Ordinarii: Fil., Suar., & alii, ex text. cit.; ex Bul. autem Sixt. V. *Cum Sacrosanctum*, Clerici habentes beneficium, vel pensionem, si non utantur veste talari, privantur omni officio, & beneficio, itaut pensiones censeantur vacare; & similiter milites beneficiati, si non deserant habitum ipsorum proprium.

VII. Gravantis Ecclesiam sibi commissam alienis debitis, vel concedentis litteras, aut sigilla, quibus possit Ecclesia gravari, ex cap. 2. *de Solut.* Hæc suspensio est ab administratione tum in spiritualibus, tum in temporalibus: & requiritur præsumptio, ut incurratur, ex eod. text. Sylv., Bon., & alii probabiliter putant, posse absolvi ab Episcopo, postquam satisfactum fuerit Ecclesiæ; quamvis contradicant Suar., Fil., & alii.

VIII. Occupantis, consumentis, vel dissipantis, adeoque male administrantis bona Ecclesiæ Collegiatæ sede vacante, pertinentia ad ipsam Ecclesiam, vel ad Prælatum defunctum, vel ad successorem, ex cap. *Quia sæpe*, *de Elect. in* 6.; & intelligitur etiam de bonis mobilibus, fructibus, &c. provenientibus ex jurisdictione, ex sigillo curiæ, aliave simili causa, ex disp. Clem. V. in cap. *Statutum*, eod. tit. Suspensio est ab officio, & beneficio, & afficit Capitula, Conventus, Collegia, & singulos Clericos delinquentes, sive sæculares, sive regulares; modo sint de Collegio illius Ecclesiæ: nec tollitur, nisi facta restitutione totali, vel nisi Prælatus remittat, aut condonet restitutionem: Bonac., & alii ex text. cit. At cap. *Præsenti*, *de Off. ordin. in* 6. extenditur ad Clericos, qui vacantibus dignitatibus, Personatibus, Prioratibus, vel Ecclesiis quibuscumque sibi subjectis, seu ad se pertinentibus, præsumunt occupare, aut quomodolibet in suos usus convertere bona ibi inventa, sive vacationis tempore obvenientia, nisi speciale privilegium, consuetudo, aut alia rationabilis causa id permittat. Episcopus autem incurrit suspensionem, aut interdictum ab ingressu Ecclesiæ, ex cap. *Præsenti*, *de Off. ordinar. in* 6.

IX. Occupantis per se, vel per alium bona cujusvis Ecclesiæ, beneficii, montis pietatis, vel alterius loci pii, aut ei consentientis, ex Trid. *sess.* 22. *de Reform.* *c.* 11.; ex quo præter excommunicationem latæ sententiæ reservatam Papæ, *privatus sit* Clericus omnibus beneficiis, & *inhabilis efficiatur* ad alia obtinenda, & arbitrio Ordinarii *suspendatur* ab Ordine, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem.

X. Visitatoris, ejusve familiaris recipientis ultra victualia aliquod etiam munus sponte oblatum, nisi intra mensem restituat duplum, ex cap. *Exigit*, & extrav. un. *de Censibus*, & ex Trid. *sess.* 24. *c.* 3. Hæc suspensio quoad reliquos inferiores Episcopo est ab officio, & beneficio, quousque satisfaciant: quoad Episcopum autem est solum ab ingressu Ecclesiæ. Porro nomine victualium veniunt ea tantum, quæ consistunt in victu, non autem alia, etsi necessaria personæ, puta medicinæ, vectura equorum, aut alia extra victum. Et liberum est iis, qui visitantur, tradere in pecunia ipsa victualia, ex Trid. cit. Si autem uno die plura loca visitet, non potest recipere plura victualia, ex cap. *Felicis*, *de Censibus in* 6. notat tamen Glossa, Prælatos hoc tempore privilegium ad hoc obtinuisse. Non potest autem, qui per alium visitat; quia victualia debentur impendenti officium visitationis, ex cap. *Exigit* cit. Comprehenduntur demum Visitatores Regulares, nisi sit in oppositum laudabilis eorum consuetudo, aut institutum, ex cap. *Rom.* eod. tit.

XI. Dantis cultum sine debita facultate iis, qui cum fama sanctitatis mortui sunt, ex decr. Urb. VIII. in Congr. S. Inquis. an. 1625. Suspensio est sententiæ ferendæ; & quoad Regulares est a divinis cum privatione officii, vocisque activæ, ac passivæ; quoad sæculares est etiam ab administratione Sacramentorum, & executione suorum ordinum, præter alias pœnas arbitrio Ordinarii: Bonac. q. 6. p. 7. Cultus vero prohibiti sunt: Primo, Apponere in Ecclesiis, Oratoriis, aut aliis locis etiam privatis eorum imagines, venerationem, aut cultum indicantes; non tamen, si talem cultum non indicant: Secundo, Tabellas &c., ad eorum sepulchra appendere, lampades &c. accendere: Tertio, Libros continentes eorum gesta, revelationes, miracula &c. imprimere sine approbatione Ordinarii, & responso Sedis Apostolicæ. Excipe ex eodem decreto eos, qui coluntur communi Ecclesiæ consensu, aut tolerantia longissimi temporis; hoc est 100. annorum, ut addunt Doctores, vel 40., aut 50. annorum, ut putat Pratejus.

XII. Defendentis, aut aliquo modo tractantis, B. V. in peccato originali conceptam fuisse, ex Bull. Sixt. IV., Pii V., Paul. V., & maxime Urb. VIII. Præter excommunicationem est suspensio a divinis, si es in Sacris, cum privatione cujuscumque gradus, & dignitatis, inhabilitate ad similia, & reservatur Papæ.

XIII. Facientes in judicio per gratiam, aut sordes aliquid contra conscientiam, & justitiam in gravamen alterius partis, ex cap. *de Sent.*, *& re judic.* Suspensio est ab officio Judicis, & ordinationis per annum, si sit Episcopus, & comprehendit Judices ordinarios, & delegatos; non autem arbitros, compromissarios, aut meros executores.

XIV. Eligentis indignum ad beneficium curatum, ex cap. *Cum in cunctis*, *de Elect. in* 6. Suspensio est a beneficiis per triennium in ea Ecclesia: Episcopi autem in hoc delinquentes privantur potestate conferendi talia beneficia.

XV. Consentientis in electionem per abusum potestatis sæcularis, ex c. *Quisquis* eod. tit., ubi electores, qui hoc modo inducti eligunt contra libertatem canonicam, incurrunt suspensionem ab officio, & beneficio, sed ferendæ sententiæ; electus vero evadit inhabilis ad illud, & ad alia beneficia, quæ sint dignitates, ex eod. text.

Sunt & aliæ suspensiones in electione, quæ non ita frequenter accidunt, & legi possunt apud Pal., Fil., & Bon. tom. 3. Enumerantur etiam suspensiones Clerici publice peccantis, concubinarii, sodomitæ, simoniaci, provocantis, atque acceptantis duellum, & pugnantis, raptoris, &c., sed hæ probabiliter sunt sententiæ ferendæ, non latæ: v. Pal., Fil., Bon., & alios, apud quos etiam reperies suspensiones proprias Episcoporum, Capitulorum, & Religiosorum. Unam tantum ego hic in calce expendam, nimirum Religiosi præsumentis introducere mulieres in sua Monasteria, vel etiam in sacristiam, ut addit Sanch., licet in hoc contradicat De la Crux apud Bassæum. Hæc suspensio est a divinis, præter privationem beneficiorum, & inhabilitatem ad illa, & ad alia obtinenda. Quod si sit superior, incurrit etiam excommunicationem reservatam Papæ, ex Bulla Pii V. *Regularium*, & ejusdem *Decet Romanum*, &

Greg. XIII. *Uti gratiæ:* quam excommunicationem incurrunt etiam mulieres ingredientes,

Excipe tamen primo Reginas, Imperatrices, earumque filias, quia illæ non comprehenduntur in generali prohibitione, nisi exprimantur; ideoque ingredi possunt etiam comitatæ aliis feminis honestis, juxta decentiam sui status, arg. cap. *I. de Privil. in 6.*; idemque est de alia habente speciale privilegium a Papa; Secundo, Si admittatur mulier causa necessitatis, cui alia via occorri nequeat; ut ad lactandum, vel alio modo medicandum Religiosum infirmum, non aliter sanandum; vel si tantus sit populi concursus in Ecclesia, ut feminæ per ejus portas ingredi, vel egredi nequeant, quam per claustra, vel alia loca Conventus, modo recto tramite incedant, ex Bull. Pii V. Tertio, Si admittantur causa processionis, missæ, funeris, concionis, vel alterius divini officii, ex eadem Bulla apud Bon., dummodo sint functiones publicæ ecclesiasticæ; Sanch. l. 6. *Moral.* c. 17. num. 22.

QUÆSTIO III.

De Natura Depositionis, & Degradationis.

Suspensioni subjici solent Depositio, & Degradatio, ob similitudinem, quam habent cum illa; censuræ tamen non sunt, cum non sint pœnæ medicinales, ut mox patebit.

CAPUT I.

Quid sit simplex Depositio?

Depositio est *Pœna Ecclesiastica privans Clericum officio, vel beneficio, vel utroque simul irremissibiliter.* Differt ergo a sospensione etiam perpetua, quæ tamen jure ordinario adhuc est remissibilis, illa vero nonnisi extra ordinem, & ex plenitudine potestatis Pontificiæ, & solum posset ab Episcopo remitti, si delictum, ob quod quis est depositus, fuerit minus adulterio, ex cap. *At si Clerici, de Judiciis*: Pal. n. 14. Non tamen privat per se privilegio canonis, & fori, nisi expresse in sententia id exprimatur, ex cap. *Cum non ab homine, de Judiciis*. At, si post depositionem Clericus in eodem crimine, vel simili perseveret, cujus correctionem Ecclesia sub excommunicatione præcepit, intelligitur omni Clericali privilegio denudatus, utpote incorrigibilis: Ab., Sylv., Avil., Bonac. n. 3. sed requiritur insuper sententia declaratoria incorrigibilitatis, imo etiam privativa talis privilegii, ut bene notant Suar., Laym., Tolet., Pal. d. 4. p. ult. n. 3.

Depositus a beneficio ipso jure privatus est titulo, ac radice beneficii, ut patet ex proprietate ipsius vocis, quæ hujusmodi privationem significat: Suar. d. 30. f. 1. num. 4.; quamvis non teneatur seipsum spoliare beneficio ante sententiam Judicis, ut addit Bonac. Et post sententiam addit Fil. apud Suar. num. 3., ex illius redditibus fore alendum, ne cum opprobrio Clericatus mendicare cogatur; nisi vero post depositionem evadat incorrigibilis, ut advertit Laym. Cæterum, si depositus sit absolute a beneficio, est etiam inhabilis ad nova beneficia; si depositus sit ab uno tantum beneficio, respectu aliorum non inducitur inhabilitas: Suar., Fil., & alii:

Depositus ab officio est privatus omni usu ordinis, non tamen ipso ordine, qui est character indelebilis; ideoque, etsi illicite, valide tamen exercet actus ordinis: excepta absolutione Sacramentali, quæ est etiam actus jurisdictionis, juxta alibi dicta. Hinc, neque est privatus oneribus adnexis Ordini Sacro, puta obligatione recitandi horas, voto castitatis, & invaliditate matrimonii contrahendi. Imo neque est ipso jure privatus beneficio: venit tamen privandus, & fere semper privatur, quia in perpetuum, & irremissibiliter privatus est ab officio, ratione cujus beneficium conceditur: Suar. n. 4.

In jure est depositio latæ sententiæ a dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio contra Clericum assassinum, vel mandantem, receptantem, defendentem, seu occultantem assassinum, cap. *Pro humani, de Homicid. in 6.* & c. 2. d. 50.; requiritur tamen Judicis Ecclesiastici declaratio, ex decr. Clem. VIII. apud Barb. Ex jure etiam antiquo ferri potest depositio ob Clerici adulterium, stuprum, furtum, homicidium, & his majora crimina; sed hodie ob hæc ferri non debent, nisi sint scandalosa, & atrocia; in quo casu ferri solet depositio respective, quæ etiam dicitur degradatio verbalis in ordine ad degradationem realem, ut mox expendam,

CAPUT II.

Quid, & Quotuplex sit Degradatio?

Degradatio est *Authentica, & solemnis privatio officii, beneficii, & cujusvis Ecclesiastici privilegii*, Et est duplex, alia verbalis, alia realis, seu actualis,

Degradatio verbalis, quæ etiam dicitur depositio respectiva, fit per sententiam authenticam, & solemnem (per quod etiam differt a depositione simplici, & absoluta, jam dicta) ad quam sequi debet degradatio realis, tanquam ejus executio. Ferri ea potest in Clericum absentem contumacem, nec per se privat privilegio canonis, & fori, nisi post degradationem realem. Porro degradatio Clerici etiam Presbyteri spectat ad proprium Episcopum, etiamsi nondum consecratum, cum non sit actus ordinis, sed jurisdictionis, ideoque etiam ferri potest a Vicario Capitulari sede vacante: Pal. num. 7, cum aliis: degradatio Clerici Religiosi exempti spectat ad Summum Pontificem, nisi ex consuetudine, aut privilegio spectet etiam ad Prælatum Regularem. Degradatio autem Episcopi unice spectat ad Papam. De forma, & solemnitate vide Sayr., Fil., Pal. n. 8.

Degradatio realis, seu actualis, quæ degradationem verbalem exequitur, habet solemniores quasdam ceremonias, & ritus; ejusque forma præscribitur, c. 2. *de pœnis in 6.*, & in Pontific. Rom.; ideoque fieri debet necessario ab Episcopo consecrato, quia est actus non solum jurisdictionis, sed etiam ordinis Episcopalis, & reus debet esse præsens, qui sic degradatus dejicitur omnino a statu Clericorum, nudatus omni privilegio canonis, & fori; ideoque in potestatem sæcularem transit, a qua capi, incarcerari, & puniri ob crimina potest, sicut quilibet alius laicus: Doctores cum Glos. c. 2. cit. Remanet tamen cum dictis oneribus ordinis Sacri, quia non amittit characterem, & potestatem ordinis; nec nisi a Pontifice ex plenitudine potestatis posset in pristinum statum restitui. Porro hæc degradatio solum ferri potest in casibus, in quibus post illam Clericus traditur brachio sæculari, ex c. 2. cit. Casus præcipui sunt tres; hæresis, quod maxime procedit in relapso, & incorrigibili, crimen falsi in litteris Apostolicis; calumnia, & contumelia gravis in proprium Episcopum: sunt & alii casus, quorum tamen scientia magis pertinet ad Judices, quam ad Confessarios.

DISPUTATIO IV.

QUÆSTIO UNICA.

De Interdicto.

Agendum I. De natura Interdicti: II. De effectibus Interdicti: III. De culpa, & pœna violantium Interdictum: IV. De Interdictis juris communis: V. demum De natura Cessationis a Divinis.

CAPUT I.

De natura Interdicti, ubi quid, & quotuplex sit Interdictum?

Interdictum est censura privans fideles usu quorundam Sacramentorum, divinis officiis, & Ecclesiastica sepultura: Bon., & alii, ex cap. *Non est vobis, de Sponsal.* Differt ab excommunicatione, & suspensione, quia excommunicatio his rebus privat, quatenus sunt quædam communicationes cum fidelibus; suspensio, quatenus sunt functiones Clericales; interdictum vero, quatenus sunt Bona Ecclesiæ. Dividitur interdictum principaliter in locale, & personale, ex cap. *Si civitas, de sent. exc. in 6.*; quibus alii addunt interdictum mixtum, quod complectitur utrumque, & vocatur deambulatorium, eo quod non solum afficit personam, sed quemcumque locum, quo illa persona fuerit ingressa, ex cap. *Non est vobis* cit.

§. I.

§. I.

Quid de Interdicto locali?

INTERDICTUM locale directe, & immediate afficit locum, indirecte vero, & mediate personas, quia in eo loco interdicuntur divina celebrare ob alicujus culpam; & dividitur in interdictum locale generale, & speciale.

I. Interdictum locale generale est, quod plura loca sub se continet, & quidem non solum sacra, sed etiam profana, itaut neutrobique audiri possint divina officia, ut notat Leander cum plurimis: ut, si interdicatur Regnum, Provincia, Diœcesis, vel Parochia, modo non intelligatur sola Ecclesia Parochialis, sed totum districtum locale etiam profanum, quia sic nemini licet divina audire nec intra, nec extra Ecclesiam.

Interdictum generale Civitatis, quamvis latum ab Episcopo, non solum comprehendit omnes Ecclesias ibi existentes sibi subjectas, sed etiam, si sint exemptæ ab Ordinario, ex Trid. *sess.* 25. *c.* 12. *de Regular.*; imo etiam Ecclesias, quæ postmodum fuerint erectæ; quia respicit locum, cui Ecclesia de novo erecta inhæret: Doctores communiter comprehendit etiam suburbia Civitatis, & ædificia continentia, quia secus facile eluderetur, c. *Si Civitas, de sent. exc. in 6.* Porro per ædificia continentia intelliguntur ea, quæ, quamvis sint divisa a Civitate, tamen absque gravi difficultate adiri possunt, ut quæ sunt intra militare: Sylvest. Quod verum est, etiamsi suburbia, vel ædificia continentia pertinentia pertineant ad aliam Diœcesim, aut alium dominum ab eo, ob cujus culpam Civitas est interdicta; quia hæc dispositio non est Episcopi ferentis interdictum, sed juris communis, ne interdictum facile eludatur; Doctores communiter, ex textu cit. contra Anchar.

Hæc omnia cum proportione dicenda sunt de interdicto generali Diœcesis, Provinciæ, Regni. Probabile tamen putat Pal. p. 1. *n.* 2. cum Sayro, interdictum Regni, vel Provinciæ non extendi ad suburbia, & continentia, quæ pertineant ad aliam Provinciam; quia sic non redditur frustraneum tale interdictum per hoc, quod aliqui tantum illius Provinciæ possint ad ea suburbia facile accedere. Interdicto Diœcesis Covar., Bon., Alter. putant non comprehendi Civitatem, quæ est ejus caput; & similiter interdicto Civitatis non comprehendi Cathedralem putat Covar., sed communiter contradicunt alii; quia secus, facile eluderetur tale interdictum, ut sæpe est dictum. Neque obstat, quod cap. *Quamvis, de præbend. in 6.* dicitur, in litteris ad beneficia obtinenda in aliqua Ecclesiarum Civitatis, vel Diœcesis non comprehendi Cathedralem; nam expresse ait *in hoc casu*, adeoque non videtur extendi ad casum interdicti: adde, quod non dicit, sub nomine Civitatis, vel Diœcesis non comprehendi Cathedralem, sed sub nomine Ecclesiarum Civitatis, vel Diœcesis; quod, quam sit diversum, dicam n. 2. Denique, si interdictum locale generale sit contra Terras alicujus Principis, certum est comprehendi omnes terras, in quas ille habet dominium plenum, sive sint contiguæ, sive invicem distantes; & probabilius etiam eas, quarum tantum habet usumfructum, ut terræ in feudum, vel pignus, vel emphyteusim acceptæ, quia vere ab ipso habentur, & possidentur: Sayr., Henr., Con., Pal., & alii; at non comprehenditur ea terra, quæ pro indiviso est etiam alterius innocentis, ne sine culpa innocens puniatur, arg. c. fin. 1. q. 4., Sylv., & alii, licet comprehendatur, si divisim sit nocentis, & innocentis, quia secus facile eluderetur interdictum revera afficiens partem nocentis, arg. c. *Si civitas*, Pal. contra Sayr., item non comprehenditur terra, quam ille dominus de novo acquirit, quia interdum, nisi aliud exprimat, ex se non respicit futura, nisi ratione loci jam interdicti, ut dictum est de Ecclesia de novo ædificata in loco interdicto: Sayr., Bon., & alii; bene tamen, si terram interdicto suppositam vendat, quia, licet illud interdictum latum sit in pœnam prioris domini, tamen transit terra cum priori onere, quod non cessat ipso jure, quamvis sit auferendum: Suar., Bon., & alii, contra Con., Hurt.

II. Interdictum locale speciale est, quod fertur in locum sacrum determinatum: ut, si una, vel plures Ecclesiæ alicujus Civitatis sint interdictæ, ex quo proinde non interdicuntur officia in Oratoriis privatis &c. Imo etiamsi interdictum feratur in omnes Ecclesias Civitatis, adhuc dici potest speciale, quia non comprehendit etiam loca Civitatis profana, neque Oratoria privata: Suar., Bon., & alii communiter apud Leand. contra Sot., & alios: hinc si Episcopus interdicat omnes Ecclesias Civitatis, non comprehendit Ecclesias exemptas, puta Regularium, quia hæ specialiter interdici nequeunt ab Episcopo, sed tantum ab illis Prælatis, cui sunt subjectæ: Suar., Bonac. cap. 5. Econtra vero, si interdictum feratur in Civitatem cum exceptione aliquarum Ecclesiarum, adhuc dici potest generale, quia particularis exceptio non tollit eam generalitatem Civitatis continentis loca Sacra, & profana: Suar., Bonac., Leand., & alii contra Ab., Sylveir., & alios.

Interdictum alicujus Ecclesiæ comprehendit omnes ejus Cappellas, & Cœmeterium contiguum, quia sunt ejus partes, ex cit. cap. *Si Civitas*. Idemque est, si Ecclesiæ interdictæ pars aliqua adderetur, quia est ei accessoria, & accessorium naturam sequitur principalis: Sayr., Bonac., & alii. Idemque est, si tota Ecclesia per partes reficeretur: Pal., Leand., & alii: imo, si tota corruat, non possunt ibi sepeliri cadavera, quia ejus fundum manet interdictum. Non vero, si Ecclesia interdicta funditus periret, & in eo loco alia de novo ædificaretur; quia neque esset illa prior, neque ejus pars: Pal. n. 6. Neque alia Ecclesia, etiamsi interdictæ contigua, ob eandem rationem; nisi esset ei accessoria instar Cappellæ, vel Cœmeterii: Sayr., Suar., Avil., Bon., & alii. Quod si duo essent Cœmeteria Ecclesiæ medio quodam pariete divisa, Tabiena, & Sayr. censent, Cœmeterium pariete intermedio divisum non subjacere interdicto Ecclesiæ, quia non videtur esse ejus pars, nec accessorium: quod verum est, si ad alteram Ecclesiam non interdictam pertineat. Econtra vero interdicto Cœmeterio, vel Cappella, nullatenus censetur interdicta Ecclesia, quia principale non sequitur accessorium: Doctores communiter ex cit. c.

III. Interdictum locale, sive generale, sive speciale, omnes tam sæculares, quam regulares, tam incolæ, quam exteri, tam non exempti, quam exempti observare tenentur; quia illud non tam est prohibitio facta personis, quam inhabilitas, seu privatio Divinorum imposita loco, arg. cap. *Licet*; & cap. *Auctoritate, de Privil. in 6.* Quod adeo verum est, ut ipse etiam Episcopus, qui interdictum locale apposuit, teneatur illud ibi observare, quia hæc obligatio oritur ex jure communi, cui ipse derogare nequit: Sylv., Nav., Ugol., Sayr., Avil., Con., Bon., Pal. n. 7.

Denique interdictum locale semper fert secum interdictum personale illorum, qui tali interdicto locali causam dederunt, itaut neque in illo loco interdicto, neque alibi possint Divina participare: Doctores communiter, ex cap. *Si sententia, de sent. exc. in 6.* Ad alias autem personas non extenditur, nisi in ordine ad ipsum locum interdictum, quare extra illum possunt interesse divinis.

§. II.

Quid de Interdicto Personali?

INTERDICTUM personale est, quod directe & immediate afficit personam, cui proinde prohibita est Divinorum participatio, ubicumque existat. Et similiter est duplex, generale, & speciale, seu particulare.

I. Interdictum personale generale afficit aliquam hominum communitatem, puta Populum, Cives, Clerum, Capitulum, Academiam, Familiam &c. Hoc interdictum per se loquendo non continet interdictum locale generale, quia hæc duo sunt per se distincta, ut notat Leand. cum communi contra Covar., & alios: quare personæ, quæ non sunt ex communitate interdicta, possunt ibi participare divina, in Ecclesia illius communitatis, modo non detur tali communitati occasio violandi suum interdictum, ut bene notant Doctores cit. In quovis autem interdicto generali personali nunquam comprehenditur ille, qui illud posuit, neque ejus superior, vel æqualis; quia nemo habet jurisdictionem coactivam in foro exteriori, nisi in sibi subditos: Bon., & alii communiter.

Interdicto Populo alicujus Civitatis, omnes qui sunt illius membra, censentur interdicti, etiam innocentes, cap. *Si Sententia* cit., etiamsi sint absentes, quando interdictum imponitur, quia absentia non impedit, eos esse membra, &c. Sayr., Bon., Pal. n. 5. Idemque est, si de novo post latum interdictum fiant partes illius communitatis, quia vere evadunt ipsius membra: Doctores cit. communiter; imo, etiamsi mortuis omnibus primis alii subrogentur per successionem, quia filii illorum

rum similiter interdicti censentur: Palud. apud Leandr. Comprehendit etiam tale inteedictum conceives habitantes in Suburbiis, & ædificiis continentibus; dummodo æque ac alii de populu ejus honores, & onera subeant, quia sic censentur esse de illo populo: secus vero, si sint sui juris, suaque oncra, & honores distinctos habeant: Sayr., Avil., Bon., & alii. Comprehendit etiam personas primarias illius populi, puta Marchiones, Duces, &c. (nisi privilegio aliquo, aut consuctudine legitime præscripta eximantur) quia sunt vera membra populi; &, quod sæpe sint exempti ab oneribus, & honoribus temporalibus, arguit, potius eos esse de populo; alioqui talis exemptio eis necessaria non foret: Doctores communiter contra Hostiens.

Eximuntur ab interdicto populi: Primo, Episcopi, nisi de ipsis fiat expressa mentio, cap. *Quia periculosum, de Sent. exc. in 6.* Secundo, Infantes nondum doli capaces, & amentes, quia non sunt capaces prohibitionis per tale interdictum uppositæ, ideoque absque ullo peccato admitti possunt ad divina officia: Doctores communius contra Ugol., Nav., & alios: bene tamen prohibentur tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, quia hæc non tam ipsos, quam sepelientes afficit: Doctores communiter contra Filiuc.; idemque est in interdicto locali generali: Leand., & alii communiter: Tertio, Hospites, & peregrini, quia non sunt partes, & membra illius populi; & probabilius etiam exteri habentes ibi quasi domicilium, uti scholastici, litigantes, negotiatores, famuli, &c.; quia, esto plerumque legibus illius populi adstringantur, non tamen illis, quæ afficiunt personas, quatenus sunt partes, & membra illius communitatis: Doctores communiter: Quarto, Transferentes alio domicilium, quia sic desinunt esse partes, & membra illius populi: modo non dederint causam interdicto, quia sic ei subjacent specialiter. Habentes autem duplex simul domicilium, aliud in loco interdicto, aliud in loco non interdicto, Tab., Arm., & alii affirmant, eos esse interdictos, quia vere sunt de populo interdicto, negant Sylv., Henr., & alii; quia non est major ratio, cur sentiant onus unius communitatis, quam libertatem alterius: sed Suar., Fil., Bonac., Pal., & alii melius dicunt, hos subjici interdicto, quamdiu actu habitant in populo interdicto; secus quamdiu in popolo non interdicto, quia æquum est, ut durante habitatione, populo, cujus sunt partes, conformentur. Quinto demum Clerus, quia nomine populi sæculares tantum veniunt intelligendi, ut nomine Cleri non veniunt laici: Suar., Bon., & alii communiter ex cap. *Si Sententia* cit.

Interdicto Clero, omnes illius Clerici, qui gaudent privilegio canonis, & fori, sunt interdicti: non autem illi, qui solum habent privilegium canonis, quia hi sæculares reputantur, & jurisdictioni sæculari subjiciuntur: Sayr., Con., Hurt., & alii. An autem interdicto Clero a Papa intelligantur etiam interdicti Religiosi, & Religiosæ, dubitant Doctores: Affirmant Covar., Nav., Tolet., & alii; quia ex cap. cit. Communitas dividitur in Populum, & Clerum: cum ergo personæ Religiosæ non sint de populo, esse oportet de Clero. Sed probabilius negant Sylv., Tabien., Sayr., Avil., Fil., Laym., Bon., Pal., Lean., & alii, quia in favorabilibus tantum comprehenduntur Religiosi sub nomine Clerici; neque obest cap. cit.; quia ibi noluit Pontifex definire omnia membra communitatis, sed declarare, sub nomine populi Clericos non comprehendi. Bene tamen sub interdicto Cleri veniunt Religiosi possidentes beneficium sæculare, quia sic unum cum Clericis sæcularibus corpus constituunt: uti etiam sub interdicto *Personarum Ecclesiasticarum* veniunt etiam Religiosi utriusque sexus; etiam laici, quia vere sunt personæ Ecclesiasticæ ad Ecclesiam, ejusque jurisdictionem directe pertinentes: Saye., Pelliz., Pal., & alii.

Interdicta aliqua familia comprehenduntur etiam Clerici illius familiæ, quia familia est nomen communis ad Clericos, & Laicos: Sylv., Arm., Hurr., Avil., Bon., & alii. Addunt tamen, quod si qui dictæ familiæ post latum interdictum recedant ab ea, adhuc remanent interdicti; nullatenus vero, qui ad illam de novo accedant; quia hoc interdictum non est generale, sed speciale; non enim respicit primu & per se ipsam communitatem propriis legibus gubernandam, sed personas singulares ut tales, non ut ejus membra. Sed in hoc contradicunt Con., Pal. p. 1. n. 4.; quia hoc interdictum non videtur ferri in personas, quatenus aliqua qualitate sibi propria afficiuntur, sed quatenus sunt ex tali familia, & unum corpus politicum componunt.

Interdictis Doctoribus alicujus Academiæ, Sylv., Rosel. Ugol., Avila, & alii negant, comprehendi Doctores Clericos, quia solis laicis competere videtur Universitatem constituere: sed melius contradicunt Arm., Henr., Bon., Lean., Pal., & alii, quia nomen Doctoris æque Clericis, ac Laicis commune est.

Denique, Si communitas aliqua interdicta dissolvatur, & interdictum cadebat in communitatem, ut talem, hoc ipso etiam cessat interdictum, quia desinit ejus subjectum: si autem ob causam datam afficiebat certas personas, manent hæ interdictæ, donec absolvantur: Dicast. n. 219.

II. Interdictum personale speciale est, quod in personas particulares fertur, ut in Cajum, Petrum, &c. Neque opus est, ut hæ personæ propriis nominibus designentur; cum satis sit, ut sub aliqua ratione exprimantur; ut si feratur in personas tale delictum committentes; quia sic sufficienter exprimuntur singulares personæ, esto ignotæ sint: Pal. n. 4. Similiter, qui causam dederunt interdicto locali, aut generali personali, dicuntur specialiter interdicti, ex cap. *Si sentent.* cit. Denique illi dicuntur nominatim interdicti, qui sic post incursionem interdicti declarati, & denunciati fuerint proprio nomine, seu talibus circumstantiis, quæ personam demonstrent: Pal. p. 2. §. 2. n. 12.

CAPUT II.

Qui sint effectus Interdicti?

JURE novo tres sunt, Privatio Divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, ex c. *Alma mater, de Sent. exc. in 6.* Additur ab aliquibus quartus effectus, scilicet Privatio ingressus Ecclesiæ, sed hoc est quoddam peculiare genus interdicti, quod non incurritur, nisi exprimatur. Itaque interdictum absolute latum tres priores effectus continet; si vero feratur cum limitatione, illum tantum effectum habet, quem exprimit: Suar., & alii communiter.

§. I.

Quid de privatione Divinorum Officiorum?

DIVINA Officia sunt, quæ ex sua institutione a Sacris Ecclesiæ Ministris fiunt: ut Sacrificium Missæ: item Sacramentalia, quæ vel præparative, vel consecutive pertinent ad solemnem ritum Sacramentorum, ut solemnis benedictio Episcopi, scilicet cum baculo, solemnes benedictiones Templi, Altaris, Chrismatis, Sacrorum Vasorum, Vestium, Corporalium, Candelarum, Ramorum, Cinerum, Fontis Baptismalis, Aquæ lustralis, Nuptiarum, &c., Professio solemnis in Religione, solemnis collatio primæ Tonsuræ, &c. Item Horæ Canonicæ in Choro cum ordinaria Ecclesiæ solemnitate, & litaniæ processionaliter recitatæ cum cruce elevata, & superpelliceis, &c.; imo etiam Horæ Canonicæ a Monialibus solemniter recitatæ, quia ex sui institutione a Sacris Ministris sic recitantur, & sic Monialibus indulgentur: Suar., Laym., Pal. p. 4. §. 2. num. 1. Hæc omnia prohibentur active, & passive tempore cujusvis interdicti, cap. *Permittimus, de Sent. Excom.* Cum aliquibus tamen exceptionibus hic, & cap. *Quod in te, de Pœnit., & Remis.*, demum jure novo in cap. *Alma Mater* cit.

I. Tempore interdicti localis generalis jure novo permittitur; *Quod singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur Divina Officia, sicut prius: submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis*, c. *Alma Mater* cit. Nomine *Ecclesiarum, & Monasteriorum* veniunt etiam loca pia, hospitalia, oratoria publica auctoritate Episcopi in perpetuum erecta, dummodo non sint specialiter interdicta, ut dicam infra; non autem oratoria privata, aliave loca, quæ communiter nomine Ecclesiæ, vel Monasterii non veniunt: Sanch., Bon., Bal., & alii contra Ugol., Avil., Laym., & alios latius hoc extendentes. Rursus nomine Monasteriorum veniunt etiam Monialium. Missa autem potest esse non solum propria diei, sed quæcumque: Doctores communiter contra Joan. Monac.

Hoc privilegium concessum est solis Clericis; sub quorum nomine veniunt hic omnes personæ Ecclesiasticæ, & Regulares utriusque sexus, modo non sint specialiter interdictæ, eorumque Novitii, & Conversi: Doctores communiter. Aliqui tamen cum Nav. excludunt Clericos conjugatos: sed communius includuntur cum Suar.; quia ab Episcopo deputati sunt servitio Ecclesiæ. Aliqui cum Archid. excludunt ab Ecclesia solum Clericos alie-

nos;

nos; sed communius cum Sayr. includuntur; quia textus dicit *Sicut prius*. Ex cit. autem text. apparent quatuor conditiones omnino a Clericis servandæ.

Conditio prima est, ut Divina Officia *Submissa voce* ibi celebrentur; hoc est sive legendo, sive etiam cantando, taliter tamen, ut ab iis, qui extra Ecclesiam fuerint, audiri non possint; bene tamen ab iis, qui sunt intra, ut notat Suar.

Conditio secunda, *Januis clausis*; etiamsi Ecclesia sit in loco remoto, quia hoc est per accidens: Suar., & alii: debent autem portæ omnes ita esse clausæ, ut videri non possint Divina Officia ab existentibus extra; ideoque occludi etiam debent earum foramina, ex Clem. I. *de Sent. Excom.*; non est autem opus, ut portæ aperiri non possint; nam privilegiatis dandus est aditus; satis ergo est, si sint junctæ; & conveniens esset apponere ostiarium, quamvis non sit præceptum: Suar. s. 1. n. 2. Si autem bini, vel terni Clerici recitarent Horas in Choro, non opus esset claudere januas, sed satis, si submissa voce recitent; quia sic non est Officium solemne: Nav., Sayr., Avil., Pal. n. 13.

Conditio tertia, *Exclusis excommunicatis, & interdictis*, modo sint denunciati, ex Concil. Constant.; & intelligitur, tam de interdictis personaliter nominatim, & particulariter, quam de iis, qui interdicto causam dederunt, vel auxilium, consilium, aut favorem tali causæ dederunt, ex text. cit.; sive hi fuerint Clerici, sive laici. Quare, si hi post monitionem nolint exire, & Canon Missæ inceptus non sit, cessandum est a celebratione; aliter celebrans incurret irregularitatem: quod omnino verum est, si celebratio fiat in loco interdicto, quia ibi non conceditur facultas celebrandi, nisi *Exclusis, &c.*, si autem fiat in loco non interdicto, probabile est, non incurri in casu irregularitatem coram persona interdicta, sed solum coram excommunicata: Suar. s. 2. n. 20. Laici autem non personaliter interdicti admitti tantum possunt, si sint infantes, vel amentes; vel viri ad susceptionem primæ tonsuræ, & feminæ ad consecrationem in Monasterio, aut ad purificationem post partum, quia duæ priores actiones, esto incipiant in persona laica, consummantur tamen in Ecclesiastica, & purificatio non est Officium Divinum: Suar. s. 3. n. 17. Vel demum, si Sacerdos celebraturus nullum habeat Ministrum Clericum; tunc enim posset convocare laicum, ut ministret: quia concesso privilegio concessa videntur, quæ ad ejus usum necessaria sunt, arg. cap. *Licet, de Privil. in 6.* Pal. n. 16. Quod si laicus habeat privilegium assistendi Divinis tempore interdicti, ingredi poterit *Cum familiaribus domesticis*, cap. *Licet, de Privil. in 6.*, hoc est iis, qui de more eum comitari solent; etiamsi famuli recepti sint tempore interdicti, modo non fiat in fraudem: Pal. n. 16.; Avil. autem, & Bonac. extendunt id ad uxorem, filios, nepotes, & alios, qui ratione potestatis paternæ, vel dominii cum privilegiato degunt, sed nimia videtur Pal. hæc extensio. Si vero privilegium concessum sit alicui communitati, nequeunt ejus familiares admitti, ex cit. cap. *Licet*. At Clericus admittere potest suum familiarem, quia probabile est, privilegium juris communis concessum Clericis comprehendi sub privilegio singularis personæ: Avil., Henr., & alii apud Leand. contra aliquos.

Conditio quarta *Campanis non pulsatis*; sive majoribus, sive minoribus, sive quibusvis aliis signis publicis, quibus populus ad divina convocari consuevit: quare nec licet pulsare tintinnabulum ad *Sanctus, &c.*, quia facile extra Ecclesiam auditur: Doctores communiter contra Hurt.; similiter etiam organa, & alia signa solemnitatis prohibentur, cap. *Quod in te, de Pænit., & Remis.* Permitti autem solet, convocari Clerum ad Officia Divina aliquo signo Tubæ, vel Matrachæ, &c., quia, cum sit hoc speciale signum, denotat, populum non vocari, sed potius excludi: Suar., Sayr., Fil., Bonac., & alii communiter. Cæterum ad ea, quæ non sunt Divina Officia, licitum est pulsare Campanas, puta ad Concionem, ad Salutationem Angelicam, ad ostensionem Reliquiarum, ad delationem Eucharistiæ ad infirmos, ad indicandas horas diei, pro Adventu Regis, vel Prælati, &c. Doctores communiter.

Denique eodem cap. *Alma Mater* sunt aliquæ præcipuæ festivitates anni, in quibus ex jure communi permittitur, Missas, & Divina Officia publice, & solemniter celebrari sine præfatis conditionibus, exclusis tantum excommunicatis denunciatis; sed interdictis admissis, ita tamen ut, qui dederunt causam tali interdicto, non communicent, neque ab eis oblationes in Missa recipiantur: qui tamen possunt, tenentur audire Missam talibus diebus festis: Doctores communiter, ex cit. cap. *Alma Mater*. Festivitates sunt Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. M. V., in quibus proinde suspenditur interdictum; quam suspensionem Mart. V., & Eug. IV. extenderunt etiam ad Festum Corporis Christi per totam octavam; & Leo X. ad Festum Conceptionis B. V. per totam octavam, sed pro sola Hispania. Sub festo Nativitatis Domini, Paschæ, & Pentecostes, satis probabile est, venire tres integros dies festos cujusque, & sic praxis obtinuit: Pal. n. 19. & alii contra alios. Et quidem incipit suspensio interdicti a primis Vesperis; imo valde probabile putat Sayr. cum aliis, incipere a Missa vigiliæ antecedentis: quod certum videtur Pal. de Missa Sabbati Sancti, in qua simul Vesperæ habentur; cessat autem talis suspensio in Completorio festi inclusive: Pal. n. 20. cum aliis.

II. In interdicto locali speciali non militat concessio facta cit. cap. *Alma Mater* sed tantum concessio facta jure antiquo, cap. *Permittimus*, & cap. *Quod in te* cit.; hoc est ut in Ecclesia specialiter interdicta possit (servando quatuor præfatas conditiones) quotidie legi, non autem cantari, Divinum Officium a Clericis binis, vel ternis, & celebrari Missa semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam, quæ pro infirmis servabatur: quod si necessitas infirmorum urgeat, neque sufficiant particulæ in illa Missa consecratæ, licitum erit alias Missas celebrare, prout necessitas expostulaverit, ut addunt Nav., Suar., Bon., & alii.

III. In interdicto generali personali populi certum est, concessionem cap. *Alma Mater* non restringi; quia ex vi talis interdicti Ecclesiæ interdictæ non sunt, neque etiam Clerici, qui Officiis Divinis peragendis admittuntur: Sayr., Pal., n. 11.

Noto demum, Tempore cujusvis interdicti non prohiberi Salutationem Angelicam cum pulsu campanæ, simplicem benedictionem mensæ, fructuum, aut vestium ingredientis Religionem, benedictionem simplicem, quam solet Episcopus impendere, dum iter agit; sumptionem aquæ benedictæ in ingressu Ecclesiæ; concionem, & declarationem Evangeliorum, Psalmorum, &c. Adorationem Crucis in die Veneris Sancti, modo fiat sine publicis precibus ab Ecclesia pro illo actu institutis; purificationem mulieris post partum, si fiat sine solemnitate, hoc est, si Sacerdos eam introducat in Ecclesiam ad reddendas gratias Deo sine stola, & ornatu Sacerdotali; absolutionem excommunicatis, si detur etiam absque stola, & solemnitate Sacerdotali; omnia Officia solita recitari a Confraternitatibus laicorum; ideoque, & cantari posse litanias, & alios Psalmos sine gestatione Crucis elevatæ, sine stola, superpelliceo, &c.; ac demum commendationem animæ moribundi, quia hæc omnia non censentur Officia Divina: Doctores communiter.

§. II.

Quid de Privatione aliquorum Sacramentorum?

JURE novo habetur in interdicto privatio activa, & passiva quorundam Sacramentorum: quorundam usus permittitur.

I. Baptismus, & Confirmatio tempore interdicti localis, sive generalis, sive specialis, conferri potest parvulis, & adultis, sive sanis, sive infirmis, ex c. *Quoniam, de Sent. exc. in 6.*, & cap. *Alma mater* cit. Et quidem cum solita solemnitate apertis januis, &c., quia hæc accessoria sunt rei permissæ: Doctores communiter: quod adeo verum est, ut si fons non sit benedictus; vel chrisma non confectum, poterit benedici, confici, &c. Suar. d. 33. s. 1. n. 2., Pal. §. 1. n. 6. Et persona interdicta interdicto generali potest hæc Sacramenta ministrare; non vero specialiter interdicta, nisi in casu necessitatis, adeoque privatim: Suar., Bon., & alii. Similiter persona generaliter interdicta potest eadem Sacramenta recipere; non autem specialiter interdicta, vel qui causam dedit interdicto, qui proinde illicite recipit, nisi prius exhibuerit satisfactionem, aut, si nequeat, cautionem pignoratitiam, fidejussoriam, aut saltem juratoriam: Pal. n. 7. arg. cap. *Alma Mater*.

II. Sacramentum Pœnitentiæ jure novo omnibus conceditur, etiam extra articulum mortis, sub duplici tamen conditione apposita cap. *Alma Mater*; Prima, ne recipiens sit excommunicatus; quod Slv., Armil., & alii intelligunt tantum de excommunicato, eo quod causam dederit interdicto; de aliis vero excommunicatis quoad absolutionem tantum solemnem: Pal. n. 8. cum aliis: Secunda, ne recipiens dederit causam interdicto,

dicto, aut ne sit specialiter interdictus; sic enim debet prius satisfactionem condignam exhibere, vel cautionem, ut supra. Similiter Confessarius generaliter interdictus potest hoc Sacramentum ministrare, etiam in loco sive generaliter, sive specialiter interdicto; secus vero Confessarius specialiter interdictus, quia ei quælibet Sacramentorum ministratio extra casum necessitatis prohibetur. Probabilius valida esset absolutio Sacramentalis data a Confessario interdicto denunciato; quia interdictum non privat jurisdictione, sed usu tantum divinorum: Bon., Fil., Pal. n. 8.

III. Eucharistia tempore interdicti localis, vel personalis generalis potest, ac debet ministrari per modum viatici iis, qui sunt in articulo, vel periculo mortis, qualis etiam est navigatio periculosa, prælatio, partus difficilis, condemnatio ad mortem, &c., modo non dederint causam interdicto, vel aliunde non fuerint specialiter interdicti, nisi præstita prius satisfactione, aut cautione &c. Doctores communiter ex cap. *Alma Mater*. Hoc viaticum ministrari debet cum solita solemnitate, & honore, cum Clericis, aliisque comitantibus, candelis accensis, pulsatis cymbalis, & campanis, recitando cum comitantibus privatim orationes, hymnos, & psalmos; non tamen horas canonicas, aliudve officium divinum, ut patet ex primo effectu interdicti. Ministrans autem debet non esse specialiter interdictus, aut qui dederit causam interdicto; nisi vere non adesset alius Sacerdos, quia tunc excusaret necessitas: Doctores communiter. Delato viatico licitum est ostendi populo Eucharistiam adorandam, & cum ea benedici; quia per interdictum non prohibetur populo Eucharistiæ visus, ostensio, & adoratio, nisi in missæ sacrificio: Suar. d. 33. s. 1. n. 27.; item concedi solitas indulgentias accessorias delationi Viatici: Bon., & alii.

Extra articulum, vel periculum mortis in generali interdicto satis probabile est, licitam esse communionem Clericis, aliisque habentibus privilegium; quia his permissa est assistentia sacrificio missæ, quæ a tempore nascentis Ecclesiæ adnexam secum habet communionem: Sylv., Suar., Fill., Pal., & alii contra Sayr., Bonac., Avil., Laym., & alios plures. At cæteris laicis certe non licet communio, etiamsi innocentes sint, ex cap. *Quod in te* cit. Unde Nav., Sayr., Bonac., Avil., & alii plures dicunt, nec eis licere in quinque illis festivitatibus anni numeratis §. antecedenti; sed in hoc verius contradicunt Suar., Con., Fil., Pal. n. 13. & alii, tum ob rationem jam datam, tum præsertim ex cap. *Alma Mater*, ubi prohibetur in talibus diebus communio specialiter interdictis, vel qui dederunt causam interdicto, quæ exceptio firmat regulam pro cæteris, qui proinde possunt, & tenentur ad communionem Paschalem.

IV. Extrema Unctio in nullo interdicto locali, vel personali ministrari potest alicui sive Clerico, sive Laico: Doctores communiter ex cap. *Quod in te* cit (nisi quis in hoc speciale habeat privilegium, quales sunt Religiosi mendicantes, & qui cum eis communicant: Hen., Sayr., Pal. n. 19.) ait tamen Sylv., concedi omnibus posse in quinque festivitatibus jam dictis in c. *Alma mater*: sed communissime rejicitur; quia verba textus ultra proprietatem non possunt extendi. Notant tamen Laym., Pal. n. 10., & alii, quod, si infirmus aliud Sacramentum recipere non posset, deberet ei conferri Extrema Unctio ex præsumpta voluntate Ecclesiæ.

V. Sacramentum Ordinis in loco interdicto, vel personis specialiter interdictis nullo modo conferri potest: bene tamen generaliter interdictis in loco non interdicto: Doctores communiter ex cap. *Sententiam*, & cap. *Responso*, *de Sent. Excom.*; quod adeo verum est, ut, etsi festivitas Paschalis incipiat a missa Sabbati Sancti juxta jam dicta, neque possint tunc conferri ordines, quia talis collatio non est ita accessoria tali missæ, ut hæc sine illa celebrari non possit: Doctores communiter. Cæterum possent conferri ordines in casu necessitatis, v. g. si ob penuriam Sacerdotum Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ infirmis ministrari non possent, nec Episcopus ad locum non interdictum posset accedere, nec mittere ordinandos ad Episcopos viciniores: Bonac., Laym., Pal., n. 13., & alii contra Sylv., Cov., & alios.

VI. Sacramentum matrimonii in loco interdicto, vel a personis specialiter interdictis celebrari posse, negant Ugol., Sayr., Suar., Bon., & alii plurimi; quia ex generali prohibitione nullibi invenitur hoc Sacramentum exceptum. Sed contradicunt Sylv., Nav., Henr., Avil., Sanch., Laym., Pal. n. 25., & alii; quia matrimonium præcipue est contractus politicus, cui ratio Sacramenti ex Christi institutione est adnexa: cum ergo tempore interdicti non prohibeatur contractus, neque prohibitus est talis contractus ob rationem Sacramenti adjunctam, cum accessorium sequatur naturam principalis. Hinc specialiter interdicti, si contriti sint, & pœniteant, neque a contrahendo matrimonio excluduntur; quia ex vi censuræ interdicti non est prohibita eis matrimonii receptio: Doctores cit.

Cæterum, quamvis Rosel., Abb., & alii hinc inferant, etiam licere benedictiones nuptiales in loco interdicto, vel personis interdictis, eo quod sint accessoriæ matrimonio; tamen communissime rejiciuntur, quia hæ sunt officia divina, nec de necessitate, nec de præcepto sunt in contractu matrimonii: Pal. n. 28., & alii. At, si sponsi habeant privilegium assistendi divinis Officiis, possent eorum nuptiæ benedici servatis conditionibus, cap. *Alma mater*: Sanch., & alii. Imo in quinque illis festivitatibus anni licita est publica nuptiarum benedictio, nisi aliunde sit prohibita, puta in festo Paschatis, & Natalis Domini. Denique, si uterque sponsus, vel alteruter sit specialiter interdictus, debet ante benedictionem absolvi; quia, cum hæc censura afficiat personam, eam removet ab assistentia divinorum officiorum: idem est, si uterque, vel saltem vir fuerit generaliter interdictus, neque per mutationem domicilii, aut alia via interdicto liberetur; quia eo durante privatur divinis officiis: at, si mulier tantum sit generaliter interdicta, optime benedici poterunt eorum nuptiæ, quia per illas mulier sortitur forum, munera, & honores sui viri, *l. fin.*, *c. de incolis*; sic enim in ea interdictum jam cessavit: Sanch., Bon., Saye., Pal. n. 30.

§. III.

Quid de privatione Ecclesiasticæ Sepulturæ?

INTERDICTUM, sive locale, sive personale, sive generale, sive speciale privat Ecclesiastica sepultura: Doctores communiter ex Clem. 1. *de Sepult.* Itaque

I. Per interdictum locale generale prohibetur, ne quis in illo loco habeat ecclesiasticam sepulturam explicatam a nobis d. x. q. a. c. 7., nisi sit jure, vel privilegio exceptus.

Jure excepti sunt Clerici, ex cap. *Quod in te* cit., dummodo non sint specialiter interdicti, nec dederint causam interdicto, nec interdictum violaverint actione Clericorum propria: Suar. d. 35. n. 4., & nomine *Clerici* veniunt hic omnes personæ Ecclesiasticæ, adeoque etiam Religiosi utriusque sexus, etiam Conversi, & Novitii, imo etiam Clerici conjugati, juxta dicta §. 1. Præscribuntur autem in horum sepultura tres conditiones: Primo, Ut fiat sine pulsatione campanarum, juxta dicta §. 1. Secundo, Sine solemnitate ecclesiastica; quæ autem pertinent ad humanum honorem, non prohibentur: Suar. n. 8. Tertio, Absque officiis divinis more ecclesiastico dicendis extra Ecclesiam; quamvis possint recitari preces privatæ more laicorum; intra Ecclesiam vero celebrari potest missa, & officium divinum servata moderatione cap. *Alma mater* explicata §. 1. Quare, si in cœmeterio extra Ecclesiam sepeliantur, celebratis ut supra officiis in Ecclesia, illuc cum silentio transferantur: Suar. n. 10. At in festivitatibus concessis cap. *Alma mater* sepeliri possunt publice, & solemni ritu, ut certum supponit Pal. n. 4.

Laici vero (nisi speciale privilegium habeant) sepeliri nequeunt in loco sacro generaliter interdicto, etiamsi sint innocentes, exteri, infantes, vel amentes; quia per tale interdictum locus sacer est incapax eorum sepulturæ: Doctores communiter. Quare, vel transferantur ad locum sacrum non interdictum, modo ipsi non sint specialiter interdicti, vel dederint causam interdicto; vel sepeliendi sunt in campo, aut in cœmeterio deputato per Episcopum, non tamen benedicto: & cessante interdicto transferri inde possunt ad locum sacrum, modo fuerint innocentes, aut, si fuerint specialiter interdicti, causamve dederint interdicto, decesserint tamen pœnitentes: Suar., Bon., & alii. Contra vero, si illicite sepulti sint in loco sacro interdicto, hoc durante non sunt transferendi ad locum non sacrum: Sa, Henr., Fil. contra Sayr., Bonac., & alios, nisi fuerint personaliter interdicti denunciati, juxta Concil. Const.

Dubium est, An laici innocentes, nec privilegiati, sepeliri possint in loco sacro generaliter interdicto in festivitatibus concessis cap. *Alma mater?*

Affirmant Sylv., Sot., Sayr., Nav., Henr., Bon. n. 7., & alii; quia, cui communicamus vivo, possumus etiam communicare defuncto, ex c. *Sane* d. 24. q. 2.; si ergo possunt Clerici in illis festivitatibus communicare laico vivo in divinis officiis, possunt etiam communicare defun-

functo in sepultura, quæ venit, ut accessorium illis. Negant Palud., Covar., Ugol., Con., Avil., Fil., Suar., Pal., & alii; quia privatio sepulturæ Ecclesiasticæ est effectus interdicti distinctus a privatione divini officii: ergo sub hujus concessione non venit illius concessio: sic cap. *Cum, & plantare, de Privil.* conceditur accedentibus Templariis, & Hospitalariis ad Ecclesiam interdictam semel in anno celebrari posse divina officia publice, &c., & tamen ecclesiastica sepultura laicis denegatur. Si qui vero sint privilegiati inter laicos (quod privilegium a solo Papa concedi potest) sepeliri possunt, ut Clerici. Atque id concessum est Templariis, ut, qui eorum fraternitati sunt adscripti, possint tempore interdicti sepeliri, cap. *Ut, de Privil.* Qui vero habent privilegium ad divina officia, probabilius sepeliri non possunt; quia privatio sepulturæ est effectus distinctus, nec sepultura est accessoria divinis officiis, cum his privatus non ideo censeatur privatus illa: Ugol., Suar., Con., Pal., & alii contra Sylv., Sot., Avil., & alios; addunt tamen Suar., & Pal., sub hac generali concessione, *Ut ad divina admittatur*, omnes effectus interdicti probabiliter suspendi.

II. Per interdictum locale speciale habetur eadem prohibitio sepulturæ in eo loco. Clerici autem illius Ecclesiæ, etsi expediens sit, ut in alia Ecclesia non interdicta sepeliantur; nullo tamen jure excluduntur ab ejus sepultura: Pal. n. 8. cum communi. De Clericis alienis negant Sylv., Cov., & alii, quia hi jam habent Ecclesias proprias non interdictas: sed probabilius etiam affirmant Suar., Avil., Pal., & alii, quia nullo jure Clerici sepultura restringitur ad propriam Ecclesiam. Cæterum Clerici in Ecclesia specialiter interdicta semper sepeliendi sunt absque officio missæ, cantu, & pulsatione campanarum, quia concessio cap. *Alma mater* est tantum de interdicto generali: Doctores communiter.

III. Per interdictum personale generale privantur interdicti ecclesiastica sepultura; qui hic est effectus proprius interdicti absolute lati. Opus est tamen, ut tale interdictum sit denunciatum, juxta Concil. Constant.; at non opus est, ut singuli communitatis interdictæ denuncientur, quia hoc fere est impossibile: satis ergo est, ut ipsa communitas, quæ interdicitur, sit denunciata; ex eo enim reliqui, qui partes illius communitatis sunt, denunciati censentur: Suar., Avil., Laym., & alii contra Nav., & Sa.

IV. Per interdictum personale speciale privatur etiam persona interdicta sepultura Ecclesiastica; & similiter, qui dedit causam culpabilem interdicto, quia hic, ut sæpe est dictum, habetur ut personaliter interdictus: neque in hac parte alicui etiam Clerico favor ullus conceditur. Debet tamen esse denunciatus; nam post Concil. Const. nemini est deneganda sepultura ex vi alicujus censuræ, vel sententiæ, nisi prius fuerit hæc denunciata: Suar., Con., Laym., Pal., & alii.

V. Per interdictum ab ingressu Ecclesiæ (quod speciali sententia exprimi debet, & quoad Clericos vocatur etiam suspensio) habetur privatio sepulturæ in Ecclesia, vel Cœmeterio, & divinorum officiorum in Ecclesia, ex cap. *Is, qui, de Sent. Excom. in 6.* Quare probabile est, sic interdictum posse audire, & celebrare divina, non solum extra Ecclesiam, juxta alibi dicta, sed etiam in cœmeterio, quamvis non possit ibi sepeliri, quia hoc secundum, non primum, exprimitur in text. cit., & aliunde sumus in odiosis: Suar., Bonac., Pal. §. 4. n. 3. contra Palud. Putant Avil., Henr., & alii, posse hunc existentem extra audire missam in Ecclesia; sed communiter negant alii, quia ei non prohibetur ingressus materialis, sed formalis, scilicet ne assistat Divinis celebratis in Ecclesia; ideoque econverso probabilius est, posse ingredi Ecclesiam, ibique orare, quando ibi divina non celebrantur, quia tunc non ingreditur formaliter Ecclesiam secundum ejus institutionem, quæ est, ut divina ibi peragantur: Bon., Pal., & alii contra Suar., Fil., & alios; imo etiam sine gravi culpa transire potest per Ecclesiam, dum divina celebrantur, ibique orationem brevem fundere, quia ex illo transitu non potest dici assistere divinis: Nav., Avil., Bon., & alii. Probabilius etiam est, quando divina non celebrantur, posse etiam in Ecclesia exercere actus jurisdictionis (excepta absolutione Sacramentali, quæ est actus ordinis, cujus exercitio prohibitus est in Ecclesia) imo etiam recipere tunc Sacramenta, quia non est privatus usu passivo Sacramentorum: Henr., Avil., Bon., Pal. n. 7. contra Sylv., Suar., Sayr., Laym., & alios. Denique concessio festivitatum in cap. *Alma mater* ad hunc etiam interdictum probabiliter extenditur, quia hic non efficacius excluditur ab ingressu Ecclesiæ, quam absolute interdicti: Suar., Pal. n. 9., & alii.

CAPUT III.

Quæ sit culpa, & pœna violantium Interdictum?

INTERDICTUM communiter non violatur, nisi sit denunciatum, & observatum ab iis, in quorum gratiam est latum; nam, si non sit denunciatum, solum violari potest interdictum personale ab ipsamet persona interdicta, si se ingerat, juxta Concil. Constant.; &, si sit denunciatum interdictum locale: si tamen ii, in quorum gratiam est latum, illud non observent, censetur Ecclesia illud remittere, ex cap. *Petiistis, de Privil.*, Pal. p. 5. n. 8. His suppositis

I. Laici violantes interdictum personale graviter peccant, ut est certum. Item, si violent interdictum locale in his circumstantiis, puta si compellant Clericum in loco interdicto publice celebrare, vel pulsatis campanis præsumant convocare populum ad officia divina, vel præsumant impedire, ne excommunicati, aut interdicti exeant, vel se fingant Clericos, aut privilegiatos, aut locum non esse interdictum, vel recipiant Sacramenta tunc prohibita, vel demum aliquem non privilegiatum ibi sepeliant. Si autem tantum assistant divinis officiis, secluso contemptu, scandalo, violentia, aliaque ex dictis circumstantiis, Cajet., & Nav. putant, non peccare; quia lex, non laicis, sed clericis prohibet, ne officia celebrent coram laicis. Sylv., Sot., Henric., Avil., & alii putant, peccare tantum venialiter, quia quoad laicos hæc assistentia non videtur gravis materia; sed rectius Pal., Bon., & alii communius dicunt, esse mortale, nisi excuset parvitas materiæ, quia hæc assistentia indirecte saltem prohibetur laicis, & est materia de se gravis, quam, si quis voveat, certe obligatur sub gravi.

Pœna contra laicos violantes interdictum nulla est ipso jure posita, præterquam in Clem. 2. *de Sent. Exc.* ubi excommunicationem incurrunt reservatam laici cogentes clericum celebrare divina officia in loco interdicto, vel vocantes alios interdictos, ut intersint illis divinis officiis, vel prohibentes, ne interdicti exeant, postquam a Clericis fuerint admoniti exire: sicuti etiam excommunicantur ipsi interdicti recusantes exire, postquam a Clericis fuerint nominatim moniti; & in Clem. 1. *de Sepulturis*, sepelientes in casibus non permissis defunctos tempore interdicti, vel scienter sepelientes nominatim interdictos, excommunicationem incurrunt non absolvendam, nisi post exhibitam satisfactionem Episcopo, cui facta est injuria: quid autem sit sepelire, diximus d. 2. q. 2. c. 7. Si autem sepeliant nominatim interdictum tempore interdicti, unam tantum excommunicationem incurrunt, quia violant prohibitionem ejusdem rationis Suar. d. 5. s. 3.

II. Clerici etiam, per se loquendo, mortaliter peccant violantes interdictum, sive personale, sive locale in casibus non sibi permissis in cap. *Alma mater*; ut, si celebrent divina officia tempore interdicti localis, apertis januis, aut voce non submissa, aut pulsatis campanis, &c. Excusat tamen a mortali aliquando parvitas materiæ, puta, si januas apertas esse permittant, dum cantatur Evangelium, vel fit offertorium, vel recitantur orationes post communionem. Imo, si casu accidat, januas ab ingredientibus apertas relinqui, non tenetur celebrans illico sistere, donec claudantur; quia non licet ita facile Sacrum intermittere: Pal. p. 5. n. 2. Similiter, si pulsatis campanis non celebret, neque esset mortale aperire januas: Fil., Suar. n. 12., & in exercitio ordinum minorum vix unquam Clericus committere potest mortale, quia non præstatur id a Clericis tanquam proprium ordinis, sed qualiter a laicis etiam præstari solet: Suar. n. 9.

Pœna Clerici graviter violantis interdictum, sive personale proprium, sive locale, per actum Ordini Sacro adnexum, est irregularitas, ex cap. *Is, cui, de Sent. Excom. in 6.* Quod si in loco interdicto celebret, aut alium actum ordinis exerceat, non servatis conditionibus cap. *Alma mater*, incurrit etiam suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, ex cap. *Episcoporum, de Privil. in 6.*; si autem Clericus non interdictus celebret in loco non interdicto coram nominatim interdictis, vel eis Sacramenta ministret, vel concedat ecclesiasticam sepulturam, quamvis peccet, non fit irregularis; quia nullibi est hæc pœna ob tale delictum imposita; incurrit tamen suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, quousque satisfaciat ei, cujus sententiam contempsit, cap. *Episcoporum*,

rum,

tum, *de Privil. in 6.* requiritur tamen ad hoc, ut ipse sit exemptus a jurisdictione Episcoporum : Suar. Avil. & alii ex text. cit. contra Sayr.

Clericus, vel Religiosus utriusque sexus violans interdictum locale, privatur etiam voce activa, & passiva, ex c. *Is*, *qui*, *de Sent. Excom. in 6.* & plures Doctores hanc pœnam extendunt, si violet interdictum personale proprium. Plures etiam Doctores cum Suar. Avil. & Laym. docent, suspendi etiam ob officio, & beneficio, si violet interdictum locale; sed ex nullo textu hæc pœna colligitur: Sayr. Con. Bon. Pal. p. 6. n. 4. Denique Religiosi, qui interdictum generale loci, quod ab Ecclesia Matrice observatur, in suis Ecclesiis non observaverint, ultra prædictas pœnas excommunicationem incurrunt: Nav. Suar. Sayr. Avil. Pal. n. 5.

CAPUT IV.

Quis ferre, suspendere, aut relaxare possit Interdictum?

I. QUi ferre potest censuras, ferre potest interdictum; Episcopus autem, & quivis Prælatus habens sub se Capitulum, quamvis spectato juris rigore nequeat interdicere Clericos sine consensu Capituli, ex cap. 1. *de Excess. Præl.* tamen ex consuetudine potest: Doctores communiter; & similiter Vicarius Capitularis sede vacante. Econtra Prælati Religiosorum ex consuetudine nequeunt interdicere loca sibi subjecta, nisi forte in plebem jurisdictionem habeant: Suar. d. 36. s. 1. n. 2. cum communi. Cæterum ferri nequit interdictum generale, nisi ob culpam capitis, aut communitatis, nec interdictum locale generale ferri potest pro ære alieno absque Papæ licentia, ex Extravag. *Provide* confirmata a Clem. VII. an. 1530.

II. Suspendi interdictum ad tempus potest ab eo, qui tulit; nam illa suspensio est tacita illius sublatio, & tacita illius impositio. At probabilius solus Papa potest suspendere effectus interdicti manente interdicto, quia is solus potest dispensare in jure communi: Hurt. Avil. Pal. p. 7. contra Sylv. Laym. Suar. & alios.

III. Interdictum appositum pro limitato tempore, vel conditione cessat absque absolutione finito tempore, vel conditione: Doctores communiter. Antea vero absolutione, vel dispensatione indiget, præstanda ab ejus auctore, vel superiore pleno jure: idemque est de interdicto lato in puram pœnam absque limitatione; nisi interdictum sit personale, & delictum occultum, quia tunc potest Episcopus: Henr. Avil. & alii ex Trid. *sess.* 24. *c.* 6. Item cessat interdictum absque absolutione destructo ejus subjecto, ut si Ecclesia interdicta destruatur: si autem locus Ecclesiæ sit interdictus, manet in solo, vel pavimento: Suar. Fil. Bon. Laym. Pal. n. 3. Similiter destructa communitate interdicta destruitur ejus interdictum, etiamsi partes illius maneant, nisi fuerint causa interdicti, quia singulæ partes non ligantur, nisi in quantum communitatem componunt: Pal. contra Bon. At interdictum ob contumaciam omnino indiget absolutione, ut dictum est de Censuris in genere. Itaque, si tale interdictum sit locale, etiamsi non reservatum, nullus alius præter habentem jurisdictionem Episcopalem in illum locum relaxare potest, quia ad hunc actum requiritur jurisdictio fori contentiosi. Idem est de interdicto personali generali, itaut neque singulares personæ illius communitatis absolvi possint ab alio: quare ex privilegio concesso Religiosis absolvendi a censuris tolli non potest interdictum locale, neque personale generale: Suar. Fil. Bon. Laym. Pal. n. 6.

Interdictum vero personale speciale non reservatum relaxari potest non solum ab Episcopo, aut Religiosis habentibus privilegium absolvendi a censuris, verum etiam probabiliter a Parocho, aliove Confessario in foro conscientiæ: Suar. Bon. & alii, ex cap. *Nuper*, *de Sent. Excom.* contra Henr. Sayr. Avil. Si autem sit reservatum, relaxari potest tantum ab eo, qui tulit, vel ejus superiore pleno jure: quod verum est etiam de reservatione tacita, cum scilicet interdictum latum est in personam particularem cognitam, quia eo ipso hoc judicio latoris reservatur, arg. cap. *Cum ab Ecclesiarum*, *de Off. ordin.* Idemque est de eo, qui dedit causam interdicto generali, quia ejus speciale interdictum æque ac generale reservatum est: Bon. Pal. n. 8. Cæterum interdictum nunquam relaxandum est, quin principalis delinquens satisfactionem offerat. Quare, si consiliarii, & fautores offerant satisfactionem, admittenda est, & pœnitentia eis injungenda; interdictum autem non est relaxandum, principali in sua contumacia perseverante: Palud. Henr. Sayr. Avil. Pal. n. 10. Item exigendum juramentum de non committendo amplius tale delictum ex cap. *Venerabili*, *de Sent. Exc.* nisi facta sit satisfactio, vel data cautio: Suar. Pal. n. 11.

CAPUT V.

Quænam sint Interdicta juris communis?

OCto sunt interdicta localia jure communi lata, ut videre est ap. Pal. p. 8. §. 1. sed nullum ex his est observandum, nisi facta fuerit denonciatio, juxta Concil. Constant. ideoque in his explicandis non immoror.

Item sunt septem interdicta personalia generalia apud eundem §. 2. quæ etiam ut obligent, debet ipsi communitati constare delictum, cui ejusmodi interdictum est jure adnexum: si autem uni tantum, vel alteri delictum constet, nemo illius communitatis tali interdicto ligatur, neque etiam illi, qui causam dederunt, quia nondum communitas, in quam fertur tale interdictum, est ligata: Suar. Fil. Pal. & alii.

Denique sunt 15. interdicta personalia specialia apud eund. Pal. §. 3. quæ ut plurimum sunt ab ingressu Ecclesiæ, & quoad Clericos vocantur etiam suspensiones, de quibus multa diximus disp. antec. reliqua videri possunt apud eundem, & Bon. t. 3.

CAPUT VI.

Quæ sit cessatio a Divinis?

EST prohibitio Ecclesiæ Clericis imposita abstinendi a divinis officiis in aliquo loco, in signum doloris, ob gravissimam injuriam sibi, seu honori divino illatam, & in illius reparationem, ex Clem. I. *de Sent. Exc.* Differt ab interdicto, quia nullam determinatam personam afficit, nec ob sui violationem inducit irregularitatem, nec admittit privilegia tempore interdicti concessa; ideoque neque est censura, cum non in medicinam, sed in merum dolorem sit imposita.

Primus effectus cessationis a divinis est Privatio divinorum officiorum, itaut Clerici directe, laici indirecte prohibeantur ibi a divinis: quare, neque possunt Clerici ibi ea celebrare submissa voce, clausis januis, &c. Doctores communiter contra Palud. & Navar. possunt tamen recitare Horas bini, vel terni, quia fit privatim, & fieri potest etiam extra Ecclesiam, ut probabiliter docent Suar. Bon. Pal. & alii contra Sayr. & alios, neque concessio cap. *Alma mater* pro certis festivitatibus tempore interdicti extendi jure potest ad cessationem a divinis: Bonac. Laym. Suar. & alii; quamvis spectata æquitate, & consuetudine hanc extensionem faciendam docuerint Covar. Sanch. Avil. & alii. Licitum tamen est ibi celebrare semel in hebdomada pro renovanda Eucharistia, ne infirmi sine viatico decedant; præsente tamen uno, vel duobus ad summum ministris, ex c. *Hoc quoque de Consecr.* d. 3. nec, qui privilegium habet pro tempore interdicti, potest hic assistere, nisi privilegium sit communitatis, vel concessum Episcopo, ut probabiliter limitant Covar. Henr. Sayr. apud Pal. n. 8.

Secundus effectus est privatio Sacramentorum. Et quidem spectato juris rigore solus baptismus, & pœnitentia morientibus, & viaticum administrari tunc potest, ex c. *Non est vobis* cit. At ex benignitate Ecclesiæ, & Doctorum auctoritate ea Sacramenta ministrari etiam possunt, quæ tempore interdicti licent. Quare solum Sacramentum Ordinis, Eucharistia sanis, & Extrema Unctio infirmis tempore cessationis, sicut tempore interdicti, denegantur: omnia tamen Sacramenta, quæ eo tempore ministrari licet, ministranda sunt cum suo ritu, & solemnitate debita.

Tertius effectus est Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Cæterum hunc effectum habet, quia fere semper cessatio supponit interdictum; verum, si per se sumatur, valde probabile est, illum non habere, quia solam privationem divinorum officiorum per se fert, sub quibus non venit Ecclesiastica sepultura: Suar. Con. Bonac. Pal. n. 12. & alii.

Cæterum pœna violantium cessationem nulla est jure imposita laicis, sed arbitrio judicis puniri debent. Clerici vero, & Religiosi tam exempti, quam non exempti, incurrunt excommunicationem, ex Clem. I. *de Sent. Excom.* debet tamen cessatio esse generalis, & observari ab Ecclesia Matrice; nam ex violatione cessationis specialis nulla pœna ipso jure incurritur. Denique

pœnam

pœnam irregularitatis verius est non contrahi, quia nullibi est expressa: Pal. n. 4. cum communi contra aliquos.

DISPUTATIO V.

De Irregularitate.

IRREGULARITAS est *Impedimentum Canonicum ad susceptionem Ordinum, & eorum usum.* Differt a censuris; tum quia non est pœna medicinalis post correctionem tollenda; tum quia unice est imposita jure canonico communi, itaut nequeat imponi ab Episcopis: imo ipsos etiam afficiat, etsi non sint expressi; tum demum quia, etsi imposita sit per verba de futuro, incurritur ipso facto, cum non pendeat a ministerio Judicis: Suar. d. 40., & alii communiter. Irregularitas absoluta, & totalis tres habet effectus.

Privat I. Licita susceptione Ordinum, imo etiam prima tonsura, quia, cum hæc sit dispositio ad Ordines, incongruum est, suscipi ab irregulari, seu indisposito ad illos; valide tamen utraque susciperetur, quia Ecclesia non potest irritare Ordines, & Tonsuram irritare non vult, nisi in bigamis: Suar., Bon., Pal. p. 5. aliique communiter: II. Privat usu ordinum susceptorum, ita tamen, ut talis usus ab irregulari positus non inducat novam irregularitatem, aut aliam pœnam in jure expressam; nec sit irritus, cum Ecclesia nequeat illum irritare, nisi in absolutione Sacramentali, de qua mox videbimus; imo nec est illicitus irregulari ille ordinum usus, qui præstari etiam solet a Laicis: Doctores communiter: III. Privat receptione novi beneficii, officii, & pensionis clericalis, ex c. 2. *De Cler. pugn.* & Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de Reform.*, quam receptionem communis sententia contra Sylv., Pal., & alios dicit, esse etiam invalidam, quia inhabilis ad unum inhabilis censeri debet ad omnia illa, quæ ex uno consequuntur, arg. c. *Translata de Constit.* At non privat ipso facto beneficiis ante obtentis, quia solum ex jure colligitur, esse privandum: Laym., Pal. n. 12., & alii addentes, beneficium curatum esse sponte resignandum, sive absolute, sive in favorem tertii, si dispensatio irregularitatis impetranda non sit. Hinc irregularitas non privat ipso facto jurisdictione, quam ante habebas, sive ordinariam, sive delegatam; & consequenter, si cum hac evadas irregularis etiam denunciatus, valide, quamvis illicite, absolveres sacramentaliter accedentem bona fide. Immo neque irritat jurisdictionem delegatam postea acquisitam, puta simplicis Confessarii, quia hæc non fundatur in beneficio, aut officio. Irritat tamen juxta communem sententiam contra Sylv. jurisdictionem ordinariam postea acquisitam, quæ cum fundetur in novo beneficio, corruit cum principali: & consequenter irregularis evadens Parochus, invalide absolveret, nisi adsit error communis: secus vero, si evadat Summus Pontifex, quia sic nec est, nec esse potest amplius irregularis; nisi vero sit perpetuo amens, non baptizatus, aut femina, quæ proprie non sunt irregularitates, hoc est impedimenta juris canonici, sed naturalis, aut divini: Suar., Tamb., Bon., & alii.

Denique irregularitas alia est ex delicto, quæ semper est absoluta, & totalis; alia est ex defectu, quæ aliquando est limitata, & partialis quoad effectus, ut in decursu patebit. In dubio autem juris (an scilicet sit lex inducens irregularitatem; vel an verba legis inducant irregularitatem, aut aliam pœnam; vel an talis casus contineatur sub lege?) si post adhibitam moralem diligentiam adhuc dubium perseveret, non es censendus irregularis; quia ex cap. *Is, qui, de Sent. excom. in* 6. tunc incurritur irregularitas, cum est in jure expressa; sed expressio non adest, quando omnibus pensatis res est dubia: ergo &c. Suar., Nav., Con., Avil., Sanch., Bon., Tamb., & alii contra aliquos: in dubio autem facti res est infra decidenda.

QUÆSTIO I.

De Irregularitatibus ex Delicto.

DELICTA, quibus e jure adnexa est irregularitas, sunt I. Homicidium, & Mutilatio: II. Hæresis: III. Iterata receptio Baptismi: IV. Abusus Ordinum: V. Violatio Censuræ. Additur sexta, quæ est Infamia: sed hæc, undecumque oriatur, pertinet potius ad irregularitates ex defectu, de quibus q. seq.

Jam vero non incurritur irregularitas ex delicto, nisi delictum sit proprium, mortaliter peccaminosum, exterius consummatum, cum effectu secuto, sive publicum, sive sit occultum. Neque incurritur, si delictum sit commissum ante baptismum, quia sic non subjacet Ecclesiæ imponenti hanc pœnam, & per baptismum deinde purgatur omne delictum, & indecentia orta ex delicto, cap. *Si quis post baptismum* d. 50., & ibi Glos. Neque incurritur, si delictum commissum sit ante septennium, ex Clem. *Si furiosus, de Homicid.*; etiamsi malitia suppleverit ætatem, quia in textu expresse excipitur *Infans*: Henr., Avil., & alii contra Ab., Cov. Nav., Rodr., & alios: si autem post septennium ante pubertatem, probabilius incurritur, juxta dicta d. 1. q. 1. c. 4. §. 1. contra Pal., Tamb., & alios; etiamsi dubitetur, an tunc habuerit perfectum usum rationis, quia hic post septennium præsumitur: Sanch., & alii communiter contra Henr. & Avil. At, si invincibiliter ignores legem Ecclesiasticam, quamvis pecces contra jus naturale, aut divinum, patrando delictum, satis tamen probabile est, non incurrere irregularitatem, quia *c. 2. De Constitutionib. in 6.* dicitur, non ligari sententiis Ordinariorum illas ignorantes: Con., Sanch., Pal., & alii. Si autem scias legem Ecclesiasticam, sed invincibiliter ignores, ab ea imponi irregularitatem, Suar., Avil., Bon., & alii communiter volunt, incurri: sed Sanch., Merol., Leand., Tancr., Pal., & alii probabiliter negant, quia irregularitas ex delicto, licet sit impedimentum &c., tamen est impediens tantum jure Ecclesiastico, & simul inductum est in pœnam violatæ obedientiæ; cum ergo sit pœna extraordinaria, non habet locum in ignorante illam, dummodo non sit ignorantia crassa, & supina, ut dictum est de censuris: excipiunt tamen Sanch., Merol., & alii irregularitatem ortam ex homicidio injusto, quia in hoc imbibita est irregularitas ex defectu lenitatis, quæ incurritur etiam ab ignorante; sed falsum est, includi, ut dicam q. seq. melior esset ratio ipse usus, & consuetudo fidelium petentium in hoc dispensationem, ut not. Tamb. An autem excuset hic metus gravis, vide dicta a nobis d. 1. q. 2. c. 4.

CAPUT I.

Qua sit Irregularitas orta ex delicto Homicidii, vel Mutilationis?

LOQUIMUR hic tantum de homicidio, aut mutilatione injusta, itaut patretur cum peccato contra justitiam, & obliget ad restitutionem: quia in re idem censendum est de hac irregularitate, ac de obligatione restitutionis, juxta regulam Hurt., Tambur., & aliorum: ideoque potest esse homicidium, vel mutilatio hominis fidelis, vel infidelis, sive publica, sive occulta, cum effectu tamen secuto. Dicam igitur I. De homicidio voluntario: II. De homicidio casuali: III. De homicidio dubio: IV. De mutilatione.

§. I.

Quid de Homicidio voluntario?

HOMICIDIUM voluntarium dicitur, quod committitur cum intentione illius; & sic incurritur irregularitas omnium gravissima, ex toto fere tit. *De homicidio*, & Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de Refor.*; dummodo sequatur mors, itaut ante non incurratur, etiamsi mors per miraculum sit impedita: Suar. d. 44. s. 2., & alii communiter. Si autem hanc intentionem expresse non habens, vel ab ea præscindens, scienter tamen ponas causam proximam de se illativam mortis, puta venenum, vulnus lethale, &c., Gom., Fil., Pal., & alii dicunt, non esse secundum jus canonicum homicidium voluntarium, sed casuale, sed probabilius contradicunt Bon., Tamb., & alii, quia, qui scienter vult causam tam proximam mortis, nisi sit amens, vult mortem: hac ergo secuta habetur homicidium voluntarium; secus vero, si sine ea intentione ponas causam admodum remotam, sciens forte interdum afferre mortem, ut dicam §. seq.

I. Extenditur hæc irregularitas etiam ad mandantes sive tacite, sive expresse tale homicidium ex intentione illius, cap. ult. *De homic. in 6.* Quod verum est, etiamsi mandatarius non servaverit modum mandati, ut si jussisti, occisionem fieri in agro, veneno, tali die &c., ille vero occidit domi, sclopo, alio die &c, quia adhuc, tua jussio influxit in substantiam mortis. Secus vero, si constet, mandatarium non fuisse motum ex tuo mandato,

sed aliunde; itaut eodem prorsus modo occidisset, si tu non mandasses, quia sic nullatenus influis in ejus mortem: & similiter, si mandasti occidere Petrum, ille vero per errorem occidit Paulum, quia in hujus mortem tu consensum non præbuisti: Tamb., ex decl. S. Cong. Si mandatum revocasti, sed revocatio non pervenit ad mandatarium, es irregularis secuto homicidio; quia adhuc vere ex tuo mandato est factum, & irregularitas non requirit præsentem contumaciam, cum non sit censura, sed impedimentum, & pura pœna: Suar., & alii communiter. Secus vero, si revocatio pervenit ad mandatarium, sive expresse, sive tacite, puta si scierit, jam te in amicitiam recepisse adversarium, quia sic non amplius ex tuo mandato dicitur factum: Navar., Suar., Bon., & alii. At, si mandatarius putans, te non scienti revocasse, vel revocationis oblitus occidat ex vi mandati, quod perseverare putat, Tamb. ex Lugo pronunciat te irregularem, quia jam homicidium ex tuo mandato consequitur: nisi forte etiam monueris adversarium, ut sibi caveat; uti fieri debet, cum non potes ob distantiam intimare revocationem mandatario.

II. Extenditur ad consulentes sive directe, & explicite, sive indirecte, & implicite tale homicidium ex intentione illius, c. eodem, & c. *Ex litteris, de excess. Prælat.* Dummodo consilium aliquo pacto influat in homicidium, sive quoad ejus substantiam, sive quoad modum patrandi facilius, animosius, aut crudelius: Ugol., Tol., Bon., & alii communiter. At, si parato occidere hodie suadeat, ut occidat cras, non es irregularis, quia utiliter agis rem adversarii, dummodo mors crastina non inferatur animosius ex tuo consilio. Si vero parato occidere cras suadeas, ut occidat hodie, tunc distinguendum; si id faciat ex pravo fine illius mortis, es irregularis; si ex charitate motus, puta quia ille lenta, & atroci morte vult occidere, Tamb. putat, nolle tunc Ecclesiam punire tuum consilium de minori malo. Illud nota, quod consilium semel datum nunquam sufficienter revocatur, nisi oppositum ei efficaciter persuadeas. Quod si non valeas ejus voluntatem dimovere, monere debes adversarium, ut sibi caveat; aliter es irregularis secuto homicidio: Suar., Bon., & alii communiter contra Gibal. Hinc, si nequeas dimovere matrem a consilio dato abortus, quamvis Rodr. putet, te non esse irregularem, eo quod sufficienter monuisti infantem in sua matre, rejicitur tamen ab Avil., quia talis monitio nihil prodest infanti nullatenus potenti se liberare. In dubio autem, an tuum consilium influxerit in homicidium, dicam §. 3. Cæterum, si consilium des Petro, ut pro bono publico, vel privato exponat se periculo mortis, cui se exponere licite poterat, ea secuta non es irregularis, ut patet; consilium enim est de re licita: Tamb., Gibal., & alii communiter.

III. Extenditur ad cooperantes ex c. *Sicut dignum, de homicidio*, sive scilicet tenendo adversarium, ut occidatur, sive impediendo, ne se defendat, sive defendendo occisorem, sive ei animum præbendo tuo consensu, præsentia &c., quia sic etiam influis in homicidium. Secus vero, si tua mera præsentia animum non auxisti, eo quod superior erat viribus, & armis; vel si ob consanguinitatem, amicitiam &c. eum associaveris ea tantum intentione, ne periclitaretur, quia hæc associatio sub tali intentione non videtur illicita, dummodo animum non augeat: Henr., Avil., Nav., Pal. n. 6. Si plures communi consensu aggressi sint Titium, & hic unius tantum vulnere periit, omnes, sunt irregulares, utpote ex conspiratione invicem animati; at, si casu, vel subita quadam rixa, itaut alter alteri animum non auxerit &c., ille tantum videtur reus homicidii, & irregularis, qui vulnus infixit; si vero nescitur, quisnam illud infixerit, omnes, qui dubitant a se vulnus inflictum, sunt irregulares, juxta dicenda §. 3. Quod si omnes sive ex conspiratione, sive non, leviter vulnerarunt, & ille ob multum sanguinis e vulneribus effusum, aut febrim inde exortam obierit, omnes sunt irregulares, quia ex illis vulneribus, veluti ex multis causis secutum est homicidium: Suar. d. 45. s. 3. n. 9. secus vero, si obierit ex imperitia, aut negligentia medici, vel sui ipsius: Sayr., Tol., Henr., & alii, & ex c. *Significasti 2. de homic.* contra Nav., Sylv., Majol., & alios. Si vero tu vulneres leviter Titium, deinde Cajus te inscio vulneret lethaliter; non tu, sed Cajus est irregularis, quia non tu, sed Cajus influit in mortem Titii: Bon., & alii ex c. *Significasti de homicid.* etiamsi ex tuo vulnere debilitatus Titius non potuit fugere a Cajo, ut addit Tamb., quia hoc tibi inscio est omnino casuale: uti esset, si domus corruens Titium impotentem fugere opprimeret. Idemque est, etiamsi tu vulnerasti lethaliter Titium ob id moriturum intra aliquod tempus, ante quod Cajus te inscio illum statim interimit; secus vero, si non statim, quia sic utrumque vulnus lethale cooperatur morti: Bon. Tamb. Avil., & alii contra Cov., Ugol., & alios. Si ex intentione homicidii vendas, aut præbeas, vel instigaveris alios, ut vendant, aut præbeant arma, equum, socios &c. Cajo volenti committere homicidium, etiamsi sine illis Cajus id commissurus fuisset, incurrit irregularitatem ex homicidio voluntario: secus vero, si ea nec animosiorem reddant Cajum, nec ullo pacto adjuvent, quia sic nihil influis, etsi ex intentione homicidii id feceris: Tamb. n. 19.

IV. Extenditur ad non impedientes ex prava intentione homicidii, dummodo tamen hæc omissio aliquo pacto cooperetur in illud. Ut, si mulier tecum fornicata dicat, se velle procurare abortum, & tu id volens taceas, unde illa secura voluntatis tuæ abortum facit, tu es irregularis ob securitatem, & animum tali silentio ei præstitum: Similiter, si consulent aliqui occidere Petrum, & tu assistens consultationi taceas eo fine, ut sequatur homicidium, quia ea taciturnitas in talibus circumstantiis affert illis animum, & est tacitus quidam consensus: Tamb., & alii. An autem pura omissio nullum afferens animum &c. inducat irregularitatem, videbimus §. seq.

V. Extendunt aliqui cum Nav., Sylv., Molin. ad ratihabentes homicidium in gratiam sui factum se inscio; quia ratihabitio in jure æquiparatur mandato. Sed rectius contradicunt Suar., Avil., Bon., & alii; quia ratihabitio comparatur mandato in iis tantum, quæ pendent a voluntate, ut sunt contractus, gratiæ, & similia; secus vero in pœnis, & præsertim in irregularitate, quæ non incurritur, nisi sit expressa in jure, ex cap. *Is, qui* cit. In jure autem solum exprimitur excommunicatio ob ratihabitionem percussionis Clerici, cap. *Cum quis, de Sent. Excom. in 6.*

Dispensatio ab irregularitate ex homicidio voluntario a solo Pontifice datur, & quidem raro, & nonnisi ex gravi causa. Episcopus ergo nullatenus potest, neque in homicidio voluntario occulto, ut expresse cavetur a Trid. *sess. 24. c. 6. de Ref.* ubi ait: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus dispensare, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario.* At Prælatis Ordinum Mendicantium concessa est facultas dispensandi cum suis subditis, si tale delictum sit occultum, quæ facultas in Societate Jesu reservatur Generali, & quibus ipse commiserit, ut patet ex eorum privilegiis.

§. II.

Quid de Homicidio casuali?

NON loquimur hic de homicidio omnino, & simpliciter casuali, quod scilicet nullo pacto, ne per dubitationem quidem, aut suspicionem prævidetur, neque in se, neque in causa; quia sic nulla incurritur irregularitas ex delicto, cum nulla adsit culpa homicidii, ex Clem. *Si furiosus*, ex qua, *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam in hoc irregularitatem incurrit.* Loquimur ergo hic de homicidio casuali secundum quid, quod scilicet accidit præter intentionem operantis, prævidetur tamen, vel saltem dubitatur, posse ex ea operatione sequi, nec adhibetur debita diligentia, ut non sequatur; quo sensu dicitur etiam indirecte voluntarium; sic enim habetur peccatum mortale contra justitiam ex homicidio casuali secuto obligans ad restitutionem, & consequenter irregularitas: Doctores communiter ex plur. text. Et extenditur pariter ad mandantem, consulentem, cooperantem, aut non impedientem talem operationem: & fieri potest, ut homicidium ex ea operatione secutum respectu mandantis &c. sit voluntarium, respectu ponentis eam actionem sit casuale, vel econverso; ut si mandans verberationem intendat mortem, mandatarius vero velit tantum leviter verberare, sed ob negligentiam contingat vulnus lethale, ille est irregularis ex homicidio voluntario, hic ex casuali: Mol., Sayr., Fil. apud Bass., & alii. Itaque

I. In operatione licita, si domum tuam destruas, vel aliquid in publicam viam projicias, nullo dato signo, ut transeuntes sibi caveant, es irregularis ex homicidio casuali, etsi præter intentionem tuam quis opprimatur; dummodo id aliquo pacto suspicatus saltem fueris; si enim inadvertenter omnino operatus es, homicidium fuit tibi simpliciter casuale. Idem est, si inter dormiendum opprimas infantem in lecto; si subdubitans

non

non adhibuisti debitam cautionem: similiter, si præceptor verberans discipulum non adhibeat debitam diligentiam, ne sequatur mors, aut mutilatio, fit irregularis, ea secuta, ex c. *Presbyterum*, *de homic.* Idem dic de Patre, aut domino verberante cum excessu filium, aut servum, unde præter intentionem sequatur mors: nisi vero vulnus fuerit leve, sed vulneratus ex sua intemperantia, aut incuria Medici obierit, juxta jam dicta.

Medicus, vel Chirurgus, si ob negligentiam, imperitiam, aut aliquid aliud peccet in curatione infirmi, fit irregularis secuta morte; secus vero, si curavit juxta regulas artis, & inter curandum ille expiret: Doctores communiter. Item fit irregularis, si desperato ægroto concedat, dari quoslibet cibos, etiam noxios, unde mors, vel notabilis ejus acceleratio sequatur; secus vero, si cibos non valde nocentes vehementer cupienti concedat, quia non videtur prudenter timeri inde mors, ut ex Galen. notat Gibal. apud Tamb. Si autem mulieri prægnanti simul, & ægrotanti det pharmacum salutare, etsi periculosum fœtui, non fit irregularis secuto abortu (dummodo pharmacum non habeat directe pro sua vi abortum facere) quia præstat, vitam matris tueri cum abortu permisso, & non intento, quam expectara utriusque mortem: Sanch. l. 9. *Matr.* d. 20. & alii.

Infirmarius, seu quivis alius etiam Sacerdos assistens ægroto, si temere, vel contra præscriptum Medici aliquid circa illum agit, unde sequatur mors, aut notabiliter acceleretur, etiamsi id faciat titulo pietatis, fit irregularis; nisi vero negligentia sit venialiter tantum culpabilis: Armil., & alii, vel nisi mors ita parum acceleretur, ut pro nihilo reputetur: Henriq., Avil., Bonac. n. 12., vel nisi bona fide det aliquid infirmo, aut cum revolvat in lecto, ut facilius quietem, cibum capiat, &c., adhibendo diligentiam, quæ communiter adhiberi solet: Doctores communiter. Si vero hæc faciat intendendo ejus mortem accelerare, quamvis motus ex misericordia, ne ægrotus diutius in agonia laboret, erit tunc irregularis ex homicidio voluntario, etiamsi id ipsum voluerit infirmus; quia nec to, nec ipse estis vitæ domini: Henr., Tamb., & alii communiter contra Avil. falso putantem, illud tantum esse homicidium voluntarium, quod fit ex animo crudeli, non vero, quod ex commiseratione.

Occidens invasorem ob defensionem suæ vitæ non est irregularis, ut expresse habetur Clem. *Si furiosus* cit. Imo etiam ob defensionem membri, pudicitiæ, bonorum magni momenti, & quidem etiam proximi innocentis, ut addunt communiter Doctores contra aliquos; quia, etsi in textu hæc non addantur, tamen aliunde patet, licitum esse vim vi repellere, non solum ob propriam defensionem, verum etiam proximi, & extranei, dummodo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est si aliter invasorem vitare non valeas: quare, si poteras te defendere verberando, aut tantum mutilando, aut fugiendo (absque notabili ignominia proveniente ex fuga, ut addunt Suar., Pal., & alii) to tamen occidas invasorem, es irregularis, quia excedis limites tuæ defensionis, ex homicidio tamen casuali, quia te defendens non intendis directa illum occidere: Tamb. §. 15. n. 3. Item es irregularis, si occidas aliquem nitentem inferre calumniam, etsi aliter hanc ignominiam vitare non possis: vel fugientem, postquam impegit alapam, aut fuste percussit; vel ob defensionem rei parvi momenti (nisi sis ita pauper, ut sine ea vivere non valeas) vel ob defensionem rerum, ad quas tantum habes jus inchoatum, seu quas possessurum speras, ex thes. 30. 31. 32. & 33. damnatis ab Inn. XI. vel falsum accusatorem, falsos testes, aut judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, etsi alia vi nequeas damnum vitare, ex thes. 18. damnata ab Alex. VII., quia in his omnibus, vel non habetur defensio moderata, vel habetur ultio: Doctores communiter. Secus vero, si occidat furem incontinenti fugientem cum furto magni momenti, quia adhuc defendis rem tuam, modo aliter tunc defendere non possis. Idem dicunt Doctores, si occidas hostes in bello mere defensivo, quia defendere patriam est de jure naturæ, & reducitur ad defensionem propriam: in hoc tamen Clerici non sunt irregulares hortando, juvando, dando arma civibus, ut se defendant; secus vero, si propria manu occidant; quia prohibitum eis est propria manu pugnare, ex cap. *Ex multa*, *de voto*, & per laicos possunt bellum depellere: Ab., Sylv., & alii, nisi vero in aliquo casu inevitabilis sit necessitas, ut recta limitat Laym.

Item est irregularis, qui occidit Cajum ad vitandam mortem sibi comminatam a Titio, nisi occidat Cajum, & similiter puella prægnans, quæ ad vitandam infamiam, vel mortem sibi a suis inferendam procurat abortum fœtus animati; quia neque hic fœtus, neque ibi Cajus est invasor, sed omnino alius. Secus vero, si ille fugiendo ab invasore per accidens conculcet infantem expositum in via: vel illa prægnans ægrotando sumat pharmacum sibi salutare, ex quo per accidens sequatur abortus; quia cæteris paribus præstat propriam vitam tueri, & sic permissive se habere ad alterius mortem.

II. In operatione illicita ratione alterius materiæ, puta luxuriæ, furti, &c., si nihil omnino advertisti, vel debitam diligentiam adhibuisti, ne sequatur homicidium, non es irregularis, eo ex tali actione illicita secuto, quia sic, etsi pecces contra alia præcepta, non tamen contra quintum: Tamb., & alii, ex c. *Quantum* d. 50. ubi deciditur, *Eum, qui equos surripuit, a quibus, dum eos fur abduceret, mulier quædam confracta est, furti reum esse: verum, si ipsius voluntas perniciosa non cognoscitur, aliqua legali pœna affici non debere.* Secus vero, si prævidens, vel dubitans, debitam diligentiam non adhibeas, aut ab operatione illa illicita non abstineas. Hinc, si adulter in circumstantiis aliqua modo advertit adulteram, forte a suis occidendam, nec abstinuit, erit irregularis secuta morte, non quidem ex adulterio, quod non est causa proxima mortis, sed ex periculo, cui eam exposuit, quamvis volentem; secus vero, si tales fuerint circumstantiæ, ut tale periculum non afferrent: Suar. d. 46. s. 1. n. 51., vel si maritus seipsum propter dedecus interimeret, aut adultera, ne a marito occidatur, eum interimeret; quia hos casus humano more prævidere non poterat, ut addit Tamb. Si autem adulter maritum in se irruentem tunc occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ, Ugol., Mol., & alii ap. Dian. p. 4. tr. 2. res. 2. pronunciant irregularem. Negant Less., Hurt., Avil., & alii: sed melius Suar., Laym., Con., & alii putant, tunc incurri, quando adulter prævidit morale periculum, aut occumbendi, aut occidendi: secus, si id nullatenus prævidit. Cæterum, qui occidit turpiter inventum cum sua uxore, matre, aut filia, etsi peccet, tamen sicut excusatur ab excommunicatione juxta alibi dicta, ita etiam ab irregularitate, quia videtur Ecclesia remittere ei utramque pœnam ob tam gravem injuriam: Fagun., Tamb., & alii. Si ducas uxorem Bertam, quam corrivalis prætendebat, & ob id eam occidit, certe, si nihil prævidisti, non es irregularis; si suspicatus fueras, te irregularem pronunciant Patres; sed negant Majol., Tamb., & alii quia non peccasti contra justitiam in materia homicidii: Idem dicunt de Judice constringente adulteram in Monasterio, ubi tamen a marito occiditur; nisi vero sic adulterum occultum patefecit, quia hic, non ibi, peccat contra justitiam in materia homicidii. Ugol., & alii. Denique es irregularis, si inter colloquendum referas adulterium coram marito, aut consanguineis, unde adultera occidatur, quia in hac circumstantia es causa injusta homicidii, dummodo id aliquo pacto suspicatus fueris. Et similiter, si mandes, vel consulas Cajo adulterium, furtum, &c. prævidens, ipsum ob id capite plectendum, vel e tecto iturum in præceps, &c.

Addit Pal. hic d. 6. p. 12. §. 4. n. 3. quod, si opus illicitum sit, sed non periculosum, adhibita diligentia non es irregularis: ut si quis pulsans campanam in loco interdicto est occasio mortis ex tintinnabulo casu cadente; vel si succidat arborem die festo, ex cujus casu mors sequatur: Avil. Si sit illicitum ratione periculi occisionis, ut adustio, vel incisio chirurgica prohibita Clericis, torneamenta, venatio clamorosa, &c., D. Th. 2. 2. q. 64. art. 8., Canonistæ, Laym. &c. dicunt irregularem etiam, qui diligentiam præmiserit; quia pluribus canonibus, præsertim cap. *Quidam*, *de homic.* duo requiruntur, *Quod dederit operam rei licitæ, & quod diligentiam adhibuerit.* Cæterum, si actio ita sit periculosa, ut raro exerceri possit sine morte, &c., sive Clericus, sive Laicus, fit irregularis. Secus, si non raro exerceri possit sine morte; ut torneamenta, &c. Aliter laicis essent etiam prohibita: excusantur ergo ex natura rei, licet oppositum præsumatur.

III. In operatione illicita ratione periculi ipsiusmet homicidii, puta explosione bombardæ, ictu lapidis, venatione clamorosa, &c., pari modo, inquit Tamb., excusaberis ab irregularitate, si non prævenisti, nec subdubitasti de homicidio, vel sufficienter diligentiam adhibuisti, ne sequatur, quia sic homicidium est omnino casuale. In foro autem externo, contra eum, qui huic operi illicito vacat, facilius præsumitur, seu colligitur voluntas occidendi, seu non cavendi homicidium,

& ideo multi textus soliciti sunt in examinando, an dederis operam rei illicitæ, sed præsumptio exterior veritatem, quæ est in conscientia, non lædit, ut ait Suar. d. 45. s. 5. n. 8.

Hinc, si quia, etiam Clericus (cui prohibita est venatio clamorosa) putans feram, in dumis hominem latentem occidat, non est irregularis, si nec advertit, nec dubitavit, vel debitam diligentiam adhibuit; secus vero, si non omnino caute se gessit. Idem est, si foveam, vel laqueos aptat ad feras, & casu in illa impingens homo moriatur: Idem est de nutriente ursum &c., si caute, vel incaute custodiat, unde quis perimitur. Idem de ludo, sive licito, sive illicito, qualis est hastiludium, tractatio gladiorum, agitatio taurorum &c.; eris enim, vel non eris irregularis secuta morte, si sufficienter, vel negligenter cautelas adhibuisti, aut, si sufficienter cavere non poteras, ludum non reliquisti, ludentesve facile venturos ad arma domi admisisti. Idem de Clerico excitante ad choreas, vel incutiente repentinum metum mulieri prægnanti, unde sequatur abortus, si prævidens incaute se gessit: idem de marito incaute habente cum ea copulam, &c.

Monachus, vel Clericus in Sacris (quibus vetita est chirurgia per sectionem, vel adustionem, c. *Sententiam*, *ne Cler. vel Mon.*) si eam exerceat etiam ex regulis artis, & ex causa pietatis, Laym., Pal., Bon., & alii plures, ex c. *Ad aures de ætat.*, *& qual.*, & c. *Tua nos*, *de homic.* pronunciant absolute irregularem secuta morte, vel mutilatione (nisi excuset necessitas, quia alius deest, ut limitat Bon.) Sed contradicunt Con., Præp., Dian., Less., Tamb., & alii; quia, licet peccet contra dictam prohibitionem, at non contra quintum præceptum, si omnino caute se gessit ex regulis artis, ut supponitur cap. *Vero ad aures* pronunciatis irregularis, *si super præmissis conscientia tua te remordet*, hoc est, si non caute te gessisti: & c. *Tua nos* satis significatur, non esse irregularem, si causa pietatis, & cum debita diligentia fecisti, ut ait Less. Similiter nec est irregularis Sacerdos baptizans moribundum, etiamsi suspicetur mortem ei forte accelerandam ex aqua ad baptismum necessaria; tum quia hæc acceleratio est fere insensibilis, ut ait Huet., tum quia mors dicenda potius casualis, ut ait Tamb. Secus vero, si non habens aliam aquam infantem moribundum projiciat in puteum, ut baptizet, quia peccat occidendo infantem; non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona: Tamb. de Bapt.

Aromatarius, seu Pharmacopola vendens medicamenta effœta pro bonis, unde mors sequatur, irregularis certe est, quia sic morti cooperatur; secus vero, si fideliter se gerat. Si autem vendat medicamentum violentum (idem dic de vendente gladios, &c.) tunc, si suspicetur, emi ad aliquem determinate occidendum, est irregularis secuto effectu: Sayr., Tamb., & alii, quidquid excusent Hurt., & Leand.; idemque est, si suspicetur emi ad aliquem indeterminate ex inimicis occidendum, quia adhuc est causa proxima, ut addit idem Tamb. contra Hurt.; excusatur tamen, si suspicetur, emi ad bellum injustum, quia sic non est causa adeo proxima; nam in tanta indeterminatione suspicari etiam potuit, nullum fore ab eo occidendum: Tamb. At, si tu compellas gravi metu mercatorem, ut vendat, &c., de te, non de illo, procedunt dicta. Si explodas sclopetum, vel projicias lapidem in Cajum, fis irregularis, si plumbum, vel lapis, Cajo declinante, incidat in Titium, si absque sufficienti diligentia te gessisti, ne ictus ad Titium perveniret; Cajus vero declinando ictum non fit irregularis, etsi id prævideerit; quia utitur jure suo declinando ictum; imo neque fit irregularis, si in tali declinatione ipsemet opprimat Cajum, quia id sequitur casualiter, ut se ipsum servet incolumem: Bon., Tamb., & alii. Homicidium commissum ab ebrio, vel dormiente, qui non prævidit illud secuturum, non inducit irregularitatem, cum sic censeatur omnino casuale; etiamsi antea male affectus esset erga occisum, ut addit Bon.; secus vero, si consuetus sit id facere in ebrietate, vel somno; quia sic prævisum est plene voluntarium in causa, & secutum in ebrietate, vel somno est tantum veluti conditio, quæ non requirit tunc malitiam homicidii, ut diximus de Censuris: excusat tamen Tamb., si id prævidens caveat tollendo arma, imponendo amicis, ut teneatur, &c.; quia sic moralem diligentiam adhibet.

Mandans, vel consulens Titio occidere Cajum, si accidat, ut Titius ipse occidatur a Cajo, es irregularis ex homicidio casuali, quia occasionem dedisti tuo mandato, vel consilio, dummodo ad id adverteris. Si tamen Cajus erat longe debilior Titio, Bon., Dian., & alii excusant in casu mandantem, aut consulentem, quia sufficienter cavit Titii periculum, videndo eum adeo fortiorem; at non excusant Con., Cov., & Avil., quia, qui se defendit, solet supra suas vires assurgere; nisi vero mandatum, vel consilium fuit de occidendo Cajum sclopo, sagitta, &c., Titius vero voluit cominus congredi ferro, ideoque occubuit, ut addit Tamb. At, si mandes Titio, ut tantum verberet Cajum, Titius vero occidat Cajum, Bon., & alii communiter pronunciant te irregularem, etiamsi expresse imposueris Titio, ne lethaliter vulneret, ex cap. *Is*, *qui*, *de Hom. in 6.* ubi *Cum mandando in culpa fuerit; & hoc evenire posse debuerit cogitare*. Secus vero, si nihil prorsus ad id advertisti.

IV. In omissione; cum scilicet potens defendere non defendis. Si quis teneatur tantum ex charitate, & negligat impedire homicidium, multi cum Sylv. putant, incurrere irregularitatem, quia, qui potuit hominem liberare a morte, & non liberavit, eum occidit, ut dicitur c. *Sicut dignum*, *de homic.* Sed alii communius cum Suar., Nav., Bon., Mol. negant, quia non peccat peccato homicidii, & injustitiæ, sed solum contra charitatem, quæ non obligat ad restitutionem, neque adeo inducit irregularitatem: verba autem tex. cit. non debent intelligi vere & proprie, sed interpretatione juris, quasi dicant occidere videtur: Pal. Hinc, qui non revelat Cajo consilium ab aliis initum de ejus morte, non fit irregularis, si ex sola charitate tenebatur revelare. Idemque est, si volenti ex charitate defendere Cajum persuadeas, ne defendat, quia non peccas contra justitiam, sed contra charitatem; dummodo tamen non per injuriam, violentiam, aut fraudem retraheres illum a defensione præstanda, quia Cajus habebat jus, ne per injuriam impediretur sibi auxilium ferri: Ugol, Sayr., Avil., Pal., Bon., & alii.

At, si quis tenebatur ex justitia, & negligat impedire homicidium, Leand., Hurt., Dian., & alii adhuc putant, esse liberum ab irregularitate, præsertim si sit pura omissio, ut addit Tamb.; quia ad irregularitatem requiritur aliquis influxus sive physicus, sive moralis in homicidium, ex c. *Petrus*, *de Homic.*, ubi dicitur, non esse habendum velut homicidam, qui causam, vel occasionem non dedit homicidio. Sed contradicit communis sententia Nav., Hene., Suar., Bon., Pal., & aliorum; quia jam peccat contra justitiam non impediendo, & censetur causa moralis homicidii, & tenetur ad restitutionem damni secuti: textus autem cit. loquitur de eo, qui expresse prohibuit homicidium: hinc Judex, Medicus, Nauclerus, Advocatus, Procurator, & quicumque alius pretio conductus, si nihil agendo sinant tuam mortem injustam, sunt irregulares. Si grassator patrem, vel filium tuum retinet, teque per internuncium moneat, quod, nisi mittas lytrum, eum interimet, sed tu negligis, itaut ille interimatur, es irregularis, si teneris ex justitia; secus, si ex charitate. Idemque est de eo, qui tibi suadeat, ut pecuniam ex justitia debitam non mittas, vel ne defendas, quem defendere teneris ex justitia, vel ne des eleemosynam extreme indigenti, vel ne Judici interroganti testimonium feras in favorem alicujus, qui hoc teste destitutus capite punitus est, &c.

Si quis jactatur in undis, vel ab insequentibus fugiat ad januam tuæ domus, vel per angustum pontem flumen pertransire tentet &c., & tu potens non funem porrigas, non januam forte clausam aperias, non facem præstes &c. non excusaris ab irregularitate secuta morte, si tenebaris ex justitia; excusaris, si ex charitate, nisi forte, & funem abripias, vel januam forte apertam claudas, vel facem extinguas, &c. quia sic cooperaris. At quid de casu, quem proponit de Lugo? Petrus veneno infecit ficus comedendas a suo inimico; sed casu advenit amicus, & comedit Petro vidente, &, ne suum crimen proderet, tacente, estne Petrus irregularis? Respondeo cum eodem, non esse; quia cum tanto suo periculo manifestandi suum delictum neque ex justitia, neque ex charitate tenebatur monere amicum de veneno.

Dispensatio in irregularitate ex homicidio casuali potest dari etiam ab Episcopo quoad suos subditos in sua Diœcesi; modo delictum sit occultum, nec ad forum contentiosum deductum, ex Trid. cit. §. antec. Nomine *Episcopi* venit etiam Capitulum sede vacante; & Prælati habentes propriam Diœcesim: item Prælati Regulares quoad suos subditos, juxta eorum privilegia. Nomine *Subditi* veniunt etiam, qui habent in Diœcesi quasi domicilium: item etiam vagi, quia subditi sunt ei, in cujus Diœcesi versantur; non autem

adve-

advenæ, & peregrini, quia, esto hi possint ibi a peccatis absolvi, non tamen in irregularitatibus, & vocis dispensari: Suae., Sanch., & alii. In irregularitate ex homicidio casuali publico potest Episcopus dispensare ad ordines minores, & ad simplex beneficium, quia de bis directa non agit Trid. *sess.* 24. *c.* 7. *de Ref.*, adeoque servandum jus commune concedens hæc Episcopis: Nav. ap. Tamb. c. 15. §. 17. n. 11. Potest autem Episcopus extra Diœcesim dispensare eum suo subdito, quia ly *In sua Diœcesi* non stat taxative, sed ostensive, ut alibi diximus. Atque hæc dispensatio valet non solum pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo, quia ly *In foro conscientiæ* est appositum in Trid., cum agitur de absolutione a reservatis, non vero eum de dispensatione: Pal. d. 6. p. 7.

§. III.

Quid de Homicidio dubio?

LOQUIMUR de dubio facti, an scilicet fuerit causa homicidii, & hoc dubium potest esse duplex, vel positivum, vel negativum.

I. Dubium positivum est, cum habetur sola probabilitas facti, & sic proprie dicitur opinio: si ergo probabiliter putes homicidium a te commissum, itaut nullam, vel valde tenuem habeas rationem in oppositum, gere te irregularem; quia secus es imprudens, adeoque peccas celebrando, &c. Si rationes habeas utrinque solide probabiles, potes te gerere liberum ab irregularitate, secluso scandalo; quia solidam probabilitatem sequendo prudenter agis, etiamsi pars opposita sit probabilior; dummodo non sit adeo valida, ut in ejus conflictu altera probabilitas fere opprimatur; ut fert communior sententia.

II. Dubium negativum est, cum nullam rationem solide probabilem habes, neque pro, neque contra homicidium, adeoque es anceps; & tunc adhibere prius debes moralem diligentiam pro veritate indaganda: secus graviter peccas celebrando, &c., quia te exponis periculo violandæ irregularitatis: Doctores communiter. Difficultas ergo eo pertinet, quando præmissa debita diligentia adhuc manet tale dubium de facto homicidii; sed in hoc etiam cum communi sententia dicendum, te debere gerere irregularem quoad ordines, si minus quoad beneficia: Doctores communiter, & ex c. *Ad audientiam*, c. *Significasti* 2., & c. *Petitio*, *de Homicid.*, in quibus hæc traditur ratio, *Quia in dubiis tutior pars est eligenda*. Hæc ratio, prout accipitur a text. cit., continet præceptum naturale; quia in illis supponitur jam operatio aliqua, & homicidium secutum, & in dubio, an illa in hoc influxerit, deciditur irregularitas; & merito, quia in tali dubio non possidet libertas, sed operatio facta, & homicidium secutum: & ideo in hoc dubio tutior pars est eligenda, cum in hac nullum, in altera vero magnum periculum timeatur, ut additur cap. *Significasti* cit.

Hinc infers: Si plures absque conspiratione, animatione, &c., vulneraront Titium, in quo mortuo unum tantum appareat vulnus lethale, & ignoretur, a quo sit inflictum, omnes, qui dubitant a se inflictum, sunt irregulares. Similiter, si dubium sit, an tuum consilium, mandatum, &c. influxerit in homicidium jam positum, gere te irregularem, quia in tali dubio possidet consilium, mandatum, &c., quod præsumendum est operari: Sanch., & alii communiter contra Tamb., Gibal., & alios. Si dubium sit, an occideris cum moderamine inculpatæ tutelæ, gere te irregularem, quia non possidet tua libertas, sed occisio facta: idemque est, si Medicus, infirmarius, &c. dubitet, an sua culpa infirmus obierit; si dubites, an homicida usus sit armis, quæ ei præbuisti; si dubites, an tua præsentia animaveris, &c. Doctores communiter contra Tamb., Gibal., & alios. Si autem dubites, an homicidium fuerit voluntarium, an casuale, potest dispensare Episcopus, si sit occultum, quia non est certum homicidium voluntarium, & pœnæ sunt molliendæ, ex *Reg. Jur. in 6.*

Si dubium sit, an abortus a te factus fuerit fœtus animati, idem Tamb. putat, te non debere putare irregularem; quia text. cit. supponunt homicidium, hoc est occisionem hominis, & loquuntur de dubio, an sit a te commissum. Sed communiter etiam rejicitur a Sanch., & aliis, quia, cum constet corpus delicti, puta abortus, tibi incumbit onus probandi, quod non sit fœtus animati: quousque ergo non probes, gerere te debes irregularem: idemque est de occidente monstrum, de quo dubitatur, an sit homo, an brutum? Si autem

probabiliter putes, fœtum non fuisse animatum, potes juxta dicta n. 1. te gerere liberum ab irregularitate, cum Bulla Sixt. V. in hoc revocata sit a Greg. XIV. Cum ergo satis probabile sit ex Aristotele, marem animari die 40., feminam 80., non es censendus irregularis, si ante hos dies abortum feceris: at, si facto abortu post diem 40. dubites, an sit mas, an femina, præsumendum est, esse marem, quia natura per se tendit ad perfectum, adeoque incurris irregularitatem: Dian. p. 7. res. 6. ex Bordono, & aliis. Demum, si dubium sit, an post tuum consilium, mandatum, cooperationem, venenum propinatum, &c. adversarius revera obierit; multi putant, etiam præmissa debita diligentia, & veritate non comperta, debere te gerere irregularem; quia lex etiam pœnalis est extendenda ad similes casus, in quibus invenitur ratio expressa in lege; & ratio text. cit. *In dubiis tutior pars est eligenda:* ergo pariter in tali dubio, cum hic etiam magnum periculum timeatur. Sed probabilius contradicunt Sanch., Merol., & alii, quia, cum irregularitas non incurratur, nisi secuto effectu, si de hoc sit dubium invincibile, possidet libertas, seu immunitas ab irregularitate, & ex *Reg. Jur. Melior est conditio possidentis:* & ideo etiam sub initium hujus quæstionis diximus cum communiori, in dubiis juris etiam in materia homicidii posse te gerere liberum ab irregularitate; quia in talibus dubiis possidet libertas. Ratio ergo illa *In dubiis, &c.* non assumitur a text. cit. universalissime (sic enim non continet præceptum naturale, sed tantum consilium, ut bene notat Suar.) sed accipitur juxta subjectam eorum materiam, nempe supposita hinc operatione, & inde homicidio secuto; quia sic habet vim præcepti ex eo, quod *Melior sit conditio possidentis*, puta ipsius homicidii; cum ergo in casu nostro non possideat homicidium, sed libertas, non extenditur huc ratio textus, neque adeo istius decisio; cum nullum timeatur animæ periculum sequendo partem minus tutam; ut patet.

§. IV.

Quid de Mutilatione?

MUTILATIO est *Membri abscissio, seu obtruncatio*. Qui ergo alteri injuste mutilat membrum, est irregularis ex delicto, cap. *In Archiepiscopatu*, *de Raptor.*, & Clem. *Si furiosus*, *de Homic.*; sive sit mutilatio voluntaria, sive casualis secundum quid; & extenditur ad mandantes, consulentes, cooperantes, & non impedientes, juxta dicta de homicidio; quia jura de utroque pariter loquuntur.

Dubium est primo, An incurras hanc irregularitatem, si absque abscissione debilites alteri membrum, itaut fiat ineptum ad proprium officium?

Affirmant Cajet., Majol., Graff., & alii, quia paria sunt aliquid non esse, & inutile esse: ut uxorem non habere maritum, & illum inutilem habere, ex *Jur. Civ.* & ex *Jur. Can.* Idem reputatur de Prælato inutili Ecclesiæ, & de nullo. Idem affirmat Suar. disp. 44. f. 2. n. 11., dummodo membrum reddatur omnino aridum, & inanime, quia sic vere ab anima separatur, & abscinditur. Sed probabilius negant Ab., Nav., Covar., Mol., Bonac., Avil., Pal., Tamb., & alii; quia irregularitas non incurritur, nisi sit expressa in jure, ex c. *Is*, *qui* cit., & in jure solum exprimitur ex mutilatione, per quam membrum desinat esse pars corporis, ut colligitur ex cap. *Sicut urgeri* 1. q. 1.. ubi *Si cujus hominis manus esset arida, verum quidem esset membrum illius, quamvis sine sanguine, & inefficax, & mortuum:* textus autem ab adversario cit. tantum loquuntur quoad aliquos effectus ex ipsius juris fictione, quæ non potest procedere de irregularitate, utpote quæ expressa esse debet in jure.

Infers hinc primo, Qui injuste mutilat tale membrum aridum, & inanime, fieri irregularem, quia proprie est hominis mutilator. Secus vero, si id facias ex officio chirurgiæ, juxta regulas illius artis, quia sic consulit majori malo vitando: quemadmodum etiam, si parato occidere Cajum consulas, ut saltem contentus sit mutilatione: hac secuta non es irregularis, cum non consulas malum, sed vitationem majoris mali.

Infers secundo, neque esse irregularem, qui obcæcat v. g. aliquem non eruendo ei oculos, quia non est mutilator; neque, qui mutilat membrum monstruosum, & superfluum, puta tertiam manum (dummodo non periclitetur etiam vita) quia sic non mutilat, hoc est non reddit hominem mancum, sed potius perfectum. Neque demum, qui mutilat membrum cadaveris, quia

ad hanc irregularitatem requiritur mutilatio hominis viventis: Doctores communiter contra Felin., & Schia.

Dubium est secundo, An, qui injuste alteri mutilat partem membri, sit irregularis?

Affirmant Sylv., Majol., & alii, si ex tali mutilatione reddat illum irregularem ex defectu, puta adeo deformem, aut mancum, ut ob indecentiam, aut impotentiam nequeat exercere actus ordinum; quia valet apud hos auctores hoc principium, *Semper est irregularis, qui irregularem reddit alterum*. Sed communius negant hoc principium Nav., Sayr., & alii, quia non est irregularis, qui generat filium spurium, neque qui condemnat reum ad infamiam, cum tamen spurius, & infamis sint irregulares: ergo neque in casu nostro. Hinc non est irregularis, qui amputat alteri capillos, barbam, digitum, dentes, labia, supercilia, nervum, cutem, &c., etsi reddat illum deformissimum, & irregularem: quia hæc non sunt membra, sed partes membri, quod juxta Apostolum dicitur id, quod proprium actum habet, seu proprium officium distinctum ab aliis partibus corporis, ut est pes, manus, oculus, &c. Similiter non est irregularis, qui alteri amputat auriculas, hoc est cartilagines aurium externas, vel nasum; dummodo non tollat etiam auditum, vel olfactum, quia sic mutilaret membrum. Qui amputat alteri pollicem, vel indicem, non est irregularis, quia ex dictis non membrum, sed membri partem amputat. At, si amputet omnes digitos, vel pollicem simul, & indicem manus, Tamb. contra Gibal. putat irregularem; quia id, quod manet, non potest amplius dici membrum, cum absolute usum proprium habere non possit. Idem ait de eo, qui non habenti manum, vel pedem abscinderet brachium, vel crus; cum hæc sint magna pars membri inservientis ad eorum usum. Idemque est de amputante manum ei, qui caret omnibus digitis. Qui amputat feminæ mammillas, Cov., Henr., Bald., & alii putant, non esse irregularem: sed communiter rejiciuntur, quia ex Aristotele earum munus est conficere lac, adeoque actum proprium habent distinctum ab aliis membris; secus vero, si amputes viro mammillas, quæ tantum ad ornatum sunt, nec proprium actum habent. Qui autem viro injuste amputat testes, Bon., Hurt., & alii putant non esse irregularem, quia sunt pars membri: sed melius contradicunt Pal., Tambur., & alii, quia impedit actionem generativam; nisi vero unum eorum tantum amputet, quia sic non impeditur generatio. At, quid si eos amputes ratione vocis retinendæ? Multi apud Dian. p. 3. t. 5. r. 38. docent, peccare, & consequenter fieri irregularem, quia homo non est dominus vitæ, & membrorum: sed probabiliter negant Salon., Pasq. 1. Tamb. l. 6. *Decal.* c. 2. §. 5., quia ob bonum commune justa videtur causa adesse in Republica, & Ecclesia tales cantores: dummodo fiant eunuchi absque morali periculo mortis, & cum eorum consensu; secus nec patri licebit id attentare in filio.

Quæres, An incurrat irregularitatem ex delicto, qui sibimet amputat membrum, aut partem membri?

Respondeo affirmative, etiamsi cujuslibet digiti partem sibi volens abscindat, aut abscindi permittat (non autem, si barbam, capillos, aut ungues, &c., quia hæc, vel non sunt partes, vel admodum parvæ, & parum pro nihilo reputatur) Doctores communiter ex plur. text., præsertim cap. *Qui partem* d. 55. ubi additur hæc ratio, *Quia in illo voluntas est judicata, quæ sibi ausa fuit ferrum injicere:* si ergo fiat absque propria voluntate, & quidem peccaminosa, non incurritur hæc irregularitas, etsi possit tunc habere locum alia irregularitas ex defectu ob deformitatem, aut impotentiam, juxta dicenda q. seq. Si quis ergo ex indignatione, aut zelo indiscreto servandæ castitatis amputet sibi membrum, vel partem membri, est irregularis ex delicto: Doctores communiter, etsi occulta sit tam culpa, quam partis abscissio, quia hæc irregularitas non tam nititur notorietati, quam excessui, & sævitiæ, quam quis secum exercuit: Sayr., Mol., Pal., & alii contra Nav., Cov., Avil., & alios. Si autem causam dederis culpabilem, ut tibi amputetur membrum ab alio, puta ob furtum, rixam, adulterium, &c., Ugol., Suar., Laym., Avil., & alii putant te irregularem ex delicto; sed Tol., Con., Hurt., Castr., Tamb., & alii, probabiliter negant, quia textus loquuntur tantum de eo, qui volens sibi membrum per se, vel per alium amputaverit. Si testes tibi abscindi permiseris causa vocis retinendæ, Pal., Tamb., & alii negant te irregularem; quia non ex indignatione, aut zelo indiscreto id fecisti, ut videntur requirere text. cit.; sed probabilius affirmant Nav., Avil., Tol., Fil., Bonac., & alii, quia cap. *Qui partem* cit. dicit tantum, *Qui volens*, &c. Si attentaveris, te mutilare, aut occidere, non es irregularis effectu non secuto, ut patet: at, si attentare te ipsum occidendi est publica, es irregularis ex infamia, juxta dicenda q. sequ. E contra vero, si ad curandum morbum testes v. g. tibi abscindi permiseris, vel in infantia, aut casu, aut per vim, & injuriam tibi abscissi fuerint, non es irregularis, quia non adest voluntas judicata, ut loquitur textus: ridiculus est ergo error vulgi, inquit Nav., putantis, opus esse, eos tunc apud se gestare, si velit ordinari, aut celebrare: quemadmodum, neque est irregularis, qui a natura eos non habet; neque, qui eos sibi absque abscissione arefecit, juxta jam dicta.

Dubium est tertio, An in dubio facti mutilationis debeas te gerere irregularem?

Affirmant Abb., Silv., Tab., Vasq., Azor., Val., Cov., & alii; quia *In dubiis tutior pars est eligenda*, ex c. *Ad audientiam* cit.; tanto magis, quod mutilator dicitur homicida c. *Si quis absciderit* d. 55., & ibi Glos. Negant Sanch., Merol., Pal., Tambur., & alii, quia principium illud ex speciali dispositione Juris solum habet vim præcepti in dubio facti homicidii; & mutilatio improprie tantum dicitur homicidium. Equidem juxta dicta §. antec. puto, si dubium sit, an secuta jam sit mutilatio? præmissa morali diligentia, posse te gerere liberum ab irregularitate; secus vero, si ea constet, & dubium sit, an influxeris in illam?

Quæres; Quis possit dispensare in irregularitate ex delicto mutilationis?

Respondeo, Solum Pontificem, si sit publica; si vero occulta, posse etiam Episcopum (& ex privilegio Prælatum Regularium relate ad suos subditos) sive sit ex mutilatione voluntaria, sive casuali; sive sui, sive alterius; quia ex Trid. cit. solum a potestate Episcopi excipitur irregularitas ex homicidio voluntario occulto, juxta dicta §. 1. Scio Pal. p. 12. in 6. docere, Episcopum tunc solum posse dispensare in irregularitate ex mutilatione proprii membri, quando & culpa, & ipse defectus membri est occultus. Sed immerito; nam satis est, si delictum sit occultum, etsi defectus membri sit notorius: Tamb. contra Pal. Neque dicant Sanr., Leo, Merol., & alii, in mutilatione ex delicto includi etiam defectum lenitatis; nam hic defectus probabilius habetur solum in Ministris Justitiæ, ut dicam q. seq. si vero defectus membri sibi abscissi inducat irregularitatem ex defectu, in hac solus Papa dispensat, juxta dicenda q. seq. Quod dictum est de Episcopo, dic pariter de Prælato Mendicantium relate ad suos subditos ex eorum privilegiis.

CAPUT II.

Quæ sit Irregularitas ex delicto Hæresis?

HÆc irregularitas adnectitur delicto hæresis etiam occulto; sicut adnectitur excommunicatio: ita communis sententia cum Suar. d. 43. s. 2., Bon., & aliis ex c. *Saluberrimum* 1. q. 7. contra Sayr., Laym., & alios putantes, requiri hæresim notoriam. Et, licet canones loquantur tantum de Clericis, communiter tamen extenditur hæc irregularitas etiam ad laicos, quia non afficit Clericos, qua Clerici sunt, sed simpliciter qua lapsi in hæresim: Suar. n. 2. Qui autem est tantum suspectus de hæresi, non incurrit hanc irregularitatem, sed aliam ortam ex infamia, juxta dicenda q. seq.

Extenditur hæc irregularitas etiam ad apostatas a fide, utpote qui subjacent eisdem pœnis hæreticorum, ex c. *Non potest*, 2. q. 7. Imo, quamvis non censeatur irregularis, qui exterius tantum propter hæresim, interius tamen bene sentit, cum revera non sit hæreticus; tamen probabilius censetur irregularis, qui tantum exterius est Apostata a fide, ut qui ob metum tormentorum adorat Idolum, etsi animo non adoret: Suar., Sanch., Bon.; & alii, ex c. *Presbyteros* d. 50. contra Nav., Azor, Pal., & alios. Apostata etiam a Religione, durante eo statu, non est admittendus ad ordines. c. *fin. de Apostatis:* Apostata vero a Clericali habitu, & tonsura non est irregularis, cum nullo jure id probetur: Ugol., Bon., & alii contra Majol. Extenditur demum ad fautores, receptatores, & defensores hæreticorum, ex cap. 2. *de Hæret. in 6.*, ubi idem de his statuitur, quod de Hæreticis: Suar., Sanch., Bon., & alii contra Henr., Pal., Tamb., & alios putantes, solum esse irregulares quoad officium, & beneficium. Ac non extenditur ad Schismaticos (modo schisma non sit conjunctum cum hæresi) quia hoc non est expressum in jure: Suar., Sanch., Bon., & alii.

Du-

Dubium est primo, An Clericus, qui lapsus est in hæresim, post pœnitentiam, & abjurationem possit saltem exercere ordines, quos habet?

Affirmant Sayr., Avil., Farin., & alii; quia cap. *Saluberrimum* cit. dicitur, Clericos revertentes ab hæresi recipi posse in suis ordinibus; sed probabilius negat communis sententia cum Suar., Bon., & aliis; quia sensus verborum est, posse in hoc cum eis dispensari; non vero, quod ipsi possint sua auctoritate ministrare.

Dubium est secundo, An possit Episcopus dispensare in irregularitate ex delicto hæresis occulto?

Affirmant Sanch., Farin., Pal., & alii; quia irregularitas orta ex hæresi occulta non est certa, sed dubia, ob opinionem probabilem oppositam Sayr., & aliorum: ergo potest in ea dispensare Episcopus. Sed communius negant Suar., Fil., Bon., & alii; quia non potest hoc tempore Episcopus absolvere ab hæresi occulta, ejusque excommunicatione: ergo neque dispensare in irregularitate inde proveniente: arg. cap. *Cum illorum*, *de Sent. exc.*, ubi habetur, Episcopos non posse dispensare in iis casibus, in quibus est illis prohibita absolutio; cum potestas dispensandi sit major potestate absolvendi. Cæterum probabile est, Clericum conversum ab hæresi posse circa usum ordinum susceptorum dispensari ab Episcopo usque ad Diaconatum inclusive, ex cap. *Saluberrimum* cit., non tamen quoad usum Sacerdotii, & multo minus quoad usum Pontificalium, ex cap. *Inquisitores*, *de Hæret. in 6.* Solum ergo potest dispensare in hac materia, ubi potest absolvere.

C A P U T III.

Quæ sit Irregularitas ex delicto iterationis Baptismi?

I. QUi culpabiliter permittit, se rebaptizari, incurrit irregularitatem totalem, ex cap. *Confirmandum* d. 50., non autem, qui inculpabiliter, quia, cum ex nullo textu manifeste constet, hanc irregularitatem esse ex defectu, dicenda est ex delicto: Doctores communiter contra Sylv., Majol., & alios citantes in oppositum cap. *Qui bis*, *de Consecr.* d. 4., quod tamen non est Pontificis, sed cujusdam Theodori, ideoque non habens vim legis. Hinc, si infans rebaptizetur, non est irregularis, etiamsi id postea ratum habeat; neque qui ignoranter rebaptizetur, sive ignorantia sit juris, sive facti: dummodo non sit supina, aut affectata. Qui autem rebaptizatur ex metu gravi, tunc, si non habet intentionem suscipiendi iterum baptismum, neque est irregularis, quia revera non rebaptizatur; si eam intentionem habeat, est irregularis, quia revera culpabiliter rebaptizatur: Suar., Bon., & alii communiter. Eandem irregularitatem incurrit, qui libere, & absque ulla necessitate baptismum suscipit ab hæreticis declaratis, ex c. *Ventum est* 1. q. 1. non autem ignorans, aut infans, etiamsi postea id ratum habeat. Qui autem libere differt baptismum usque ad ægritudinem, senectutem, aut periculum mortis, ordinari non debet ob defectum probatæ fidei, juxta dicenda q. seq. Ob iterationem vero Confirmationis, aut Ordinis nulla incurritur irregularitas, quia nullibi est expressa: Sayr., Suar., Bon., Laym., & alii communius contra Nav., Majol., S. Anton., Graff., & alios.

II. Acolythus ministrans rebaptizanti, & consequenter ipse rebaptizans, incurrunt irregularitatem solum quoad promotionem ad superiores ordines; dummodo fiat publice, & culpabiliter: Doctores communiter, ex c. *Ex litterarum de Apostatis*. Quare eam non incurrunt, si occulte, vel si ignoranter faciant, sive sit ignorantia juris, sive facti, dummodo non sit crassa, & supina; incurrunt vero, si ex metu gravi rebaptizent cum intentione; secus, si sine intentione, juxta modo dicta.

Qui autem rebaptizat sub conditione, *Si non sis baptizatus*, nullatenus est irregularis; etiamsi de hoc dubitans debitam diligentiam non adhibuerit, quia, etsi peccaverit agendo imprudenter, tamen non habuit intentionem rebaptizandi. Imo neque, si in tali dubio baptizavit absolute, quia non judicatur reiteratum, quod ambigitur esse factum, ex cap. fin. *de Presb. non baptizante*. Imo neque, qui falso putans, aliquem esse jam baptizatum, rebaptizet, quia revera non rebaptizat, & hæc irregularitas non incurritur ob solam conscientiam erroneam: Doctores communiter.

Dispensatio hujus irregularitatis dari potest ab Episcopo, si delictum sit occultum, ex Trid. cit. Imo etiamsi publica sit rebaptizatio, sed nescitur publice, utrum ille fuerit ante baptizatus, quia sic delictum est occultum.

C A P U T IV.

Quæ sit Irregularitas ex delicto abusus Ordinum?

INCURRITUR hæc irregularitas, vel ex abusu in ordinum susceptione, vel ex abusu in eorum exercitio.

I. Qui suscipit Ordines Sacros ante Confirmationem, nullam incurrit irregularitatem: Doctores communiter contra Majol.; quia nullibi ea est expressa: Imo probabiliter putant Nav., Henr., Suar., & alii, neque peccare mortaliter, quia in Trid. *sess.* 23. *c.* 4. *de Ref.* statuente, ne recipiantur Ordines ante Confirmationem, non continetur rigorosum præceptum. At, qui suscipit Ordines Sacros post matrimonium contractum, extra casus a jure permissos, est suspensus, & irregularis. Extrav. *Antiquæ*, *de Voto*: Doctores communiter. Item, qui suscipit Ordines Sacros furtive, hoc est sine approbatione, & admissione Episcopi, cum scilicet non admissus, neque vocatus se cum aliis ordinandis ingerit, vel usurpato nomine alterius personæ examinatæ, & approbatæ ad Ordines illius locum occupat, vel si sub nomine suo faciat alterum examinari, & approbari, & postea ipse proprio nomine vocatus ad Ordinem accedat, incurrit irregularitatem saltem quoad ordines superiores suscipiendos: Doctores communiter, ex c. *Veniens* 1. *de eo*, *qui furtive*: & in hac potest Episcopus dispensare; nisi incursa sit etiam excommunicatio, quia tunc solus Papa dispensat: excepto, si reus sit religionem ingressus, vel si delictum sit occultum, ex text. cit. & Trid. cit. Qui vero suscipit Ordines per saltum, vel eodem die duos Sacros Ordines, vel Ordinem Sacrum sine titulo, vel absque litteris dimissoriis, vel non servatis interstitiis, vel sine debita ætate, probabilius incurrit solam suspensionem juxta dicta d. 4. Qui autem Ordines suscipit in peccato mortali publico, & manifesto, incurrit irregularitatem ex infamia, juxta dicenda q. seq.

II. Clericus ministrans in Ordine Sacro, quem non habet, incurrit irregularitatem, dummodo scienter, serio, & solemniter ministret: Doctores communiter, ex cap. 1. & 2. *de Cler. non Ordinat. Ministr.* Et in hac potest dispensare etiam Episcopus, si delictum sit occultum, ex Trid. cit. Imo absolute potest dispensare, ut exerceat ordines jam susceptos, ut docent Suar., Bon., & alii, ex text. cit. contra Pal.

Dicitur primo, *Clericus*; quia, etsi textus cit. loquantur absolute, & generaliter, tamen intelligi debent juxta tit. *de Cler. non Ordin. Ministr.* Quare, si laicus celebret, absolvat sacramentaliter, &c., non fit irregularis: Sayr., Suar., Bon., & alii plurimi contra Nav., Sot., Avil., Con., Fil., & alios. Dicitur secundo, *Ministrans in Ordine Sacro*; quia ministrans in minoribus, quos non habet, non fit irregularis, cum in istis soleant etiam laici adhibitis vestibus ministrare. Dicitur tertio, *Scienter*, quia ex text. requiritur scientia; si quis ergo ex ignorantia etiam crassa ministret in Ordine Sacro, quem non habet, credens v.g. se talem Ordinem habere, non fit irregularis: Ugol., Nav., Bon., & alii. Dicitur quarto *Serio*, nam, si per jocum, aut ludum ad aliquam historiam repræsentandam Ordinem exerceas, in hanc irregularitatem non incidis, quia non exerces Ordinem, sed ejus exercitium repræsentas: ut cum quis se exercet in Missa celebranda, ut ejus cæremonias addiscat, vel cum pueri aliquas Missæ partes inter se canunt: Dicitur quinto, *Solemniter*; si ergo Clericus non Subdiaconus cantet in Missa solemni Epistulam sine Manipulo, vel Evangelium sine Stola, non fit irregularis, etsi intendat canere ex officio, quia non canit solemniter; fit autem irregularis exercendo in Choro munus Hebdomadarii proprium Sacerdotis, cum ipse nondum sit Sacerdos: Ugol., Bon., & alii. Item absolvendo sacramentaliter, aut benedicendo sponsos, etiamsi id faciat absque superpelliceo, & stola; nam hoc etiam est proprium munus Sacerdotis: Suar., Con., & alii. Item ministrando solemniter Baptismum etiam in extrema necessitate; quia exercet actum proprium Sacerdotis; secus, si privatim baptizet, vel si assistat matrimonio: Diaconus vero ministrans solemniter baptismum cum licentia Parochi, vel Episcopi, non fit irregularis, saltem ubi consuetudine ita receptum est: Bon. n. 5.

Sacerdos vero ministrans Pœnitentiam, Viaticum, Extremam Unctionem, aut assistens matrimonio, aut benedicens nuptias, non fit irregularis, etsi absque jurisdictione id faciat; quia irregularitas incurritur ob exercitium Ordinis, quem non habet; non vero ob exercitium jurisdictionis, quam non habet: & in casu Sacerdos habet primum, licet non secundum: Henr.,

Con.,

Con., Bon., & alii. Secus vero, si det Confirmationem, conferat Ordines, consecret Altaria, aut det benedictionem his verbis *Sit nomen Domini benedictum*, quia sic exercet actum Ordinis Episcopalis, quem non habet: Suar. d. 42. f. 4. n. 7., Bon., & alii.

Dubium est, An Clericus exercens serio officium Ordinis, quem non habet, absque intentione v. g. absolvendi, celebrandi, &c., incurrat irregularitatem?

Negant Nav., Avil., Ugol., & alii; quia hic revera non absolvit, non celebrat, &c., sed simulat. Sed melius contradicunt Soat., Con., Laym., Pal., & alii; quia hæc irregularitas imposita est ad comprimendam audaciam eorum, qui exterius exercent actum Ordinis, quem non habent: aliter solos hæreticos, aut crassissime ignorantes comprehenderet.

C A P U T V.

Quæ sit Irregularitas ex delicto violationis Censuræ?

De hac irregularitate sæpe actum est: quare breviter dico, Clericum ligatum excommunicatione majori, suspensione, vel interdicto, etiamsi sit occultus, incurrere irregularitatem exercendo solemniter, vel ex officio actum Ordinis majoris, quem habet; nisi excusetur ratione necessitatis proximi, vel scandali vitandi, vel ignorantiæ, vel metus gravis, juxta jam dicta in hoc Tractatu: excusat etiam mera petitio fidelium, si sit toleratus, juxta Conc. Constant. Si autem exerceat actum Ordinum minorum, quem solent etiam exercere laici; vel cum excommunicatione minori exerceat actum Ordinis Sacri; vel cum suspensione, aut interdicto exerceat ea, quæ non sunt sibi prohibita per tales censuras; non fit irregularis. Qui vero dubitans, se esse ligatum censura majori, exercet actum Ordinis Sacri, evadit irregularis, si revera erat ligatus; secus vero, si postea comperiat, quod revera non erat tunc ligatus; nam irregularitas non incurritur ob conscientiam erroneam, sed ob violationem veræ censuræ. Imo neque evadit irregularis, qui deposito tali dubio v. g. celebrat, quamvis postea comperiat, quod revera erat tunc ligatus; quia sic non peccavit, & consequenter non incurrit pœnam irregularitatis: Suar., Sylv., Ugol. Sayr., Bon. & alii.

In dubio, an incurrerit irregularitatem? si nulla adhibita diligentia suscipias Ordines, peccas exponendo te periculo violandi irregularitatem; at, si deinde adhibita debita diligentia perstitat dubium, potes exercere Ordines susceptos, quia sic possidet tua libertas. Similiter, si in tali dubio ante adhibitam diligentiam accipis beneficium, peccas, nec potes illud tuta conscientia retinere, quia es possessor malæ fidei. At si deinde adhibita diligentia perstitat dubium, potes illud retinere, quia tunc incipis bona fide illud possidere: Sanch. l. 1. *Dec. c.* 10. n. 46.

Dispensatio in hac irregularitate potest dari ab Episcopo, si delictum sit occultum, ex Trid. cit. Est autem delictum occultum, etiamsi publice exerceas actum Ordinis Sacri, dummodo occulta sit censura, qua es ligatus: Doctores communiter; non vero econtra; si publice excommunicatus occulte celebret, ut resolvit S. Congr. apud Pignat. t. 6. conf. 99. n. 35.

Q U Æ S T I O II.

De Irregularitatibus ex defectu.

Contrahuntur hæ irregularitates etiam sine culpa, & ab ignorantibus, quia non sunt pœnæ, sed meri defectus, sive significationis, sive decentiæ, sive potentiæ. Neque in his dispensare potest Episcopus; etiamsi sint occultæ, cum nec usu, nec jure aliquo videatur id ei concessum: potest tamen in dubio declarare, non adesse defectum requisitum ad irregularitatem, ut clarius fiet infra. Defectus autem, quibus jure adnexa est irregularitas, sunt octo: I. Defectus lenitatis: II. Defectus Sacramenti: III. Defectus Famæ: IV. Defectus Natalium: V. Defectus Corporis: VI. Defectus Animi: VII. Defectus libertatis. VIII. Defectus Ætatis.

C A P U T I.

Quæ sit Irregularitas ex defectu lenitatis?

Omnes Ministri Justitiæ, qui aliquo pacto proxime concurrunt ad justam occisionem, aut mutilationem Rei auctoritate publica factam, sunt irregulares ex defectu lenitatis; quia sic repræsentare amplius non possunt lenitatem, & mansuetudinem Christi, qui nullius sanguinem fudit: Doctores communiter ex plot. text. Tales sunt Judex, Accusator, Testis, Advocatus, Tabellio, Satelles, Carnifex, & Miles in bello justo offensivo. Itaque

I. Judex ferens sententiam mortis, vel mutilationis in Reum est irregularis secuto effectu, ex cap. *Aliquoties* d. 51., secus, si executio sententiæ undecumque impediatur. Et quidem unam incurrit irregularitatem, si unam sententiam mortis simul proferat in plures Reos, vel unam sententiam mutilationis plurium membrorum; secus vero, si diversas sententias: Bon. & alii communiter contra Ugol. Eadem irregularitate ligatur Assessor Judicis, qoia complet ejus personam. Princeps vero condens legem universalem, per quam delinquentibus debeatur mors, non fit irregularis; quia non fert sententiam mortis, sed legem prohibentem sub pœna mortis: Hurt., Dian., & alii communiter. Fit tamen irregularis, si assistat sententiæ etiam delitescens sub cortina, quia sua auctoritate tunc influit in sententiam: secus vero, si non assistat, etiamsi deleget Judici causam capitalem Rei, modo non mandet auctoritative, ut mortem exequatur: Doctores cit. Fit etiam irregularis secuta morte, si proponat præmium iis, qui capiant Titium reum mortis: Item si generatim edicat, ut, quicumque e grassatoribus sive vivus, sive mortuus ad se addncatur, tunc uno eorum occiso erit irregularis, quia elare suam auctoritatem interposuit.

Eadem dicenda sunt de Prælato Ecclesiastico habente jurisdictionem temporalem; non enim fit irregularis, si constituat Judices, & Ministros, ut causam Rei etiam in particulari judicent, & exequantur juxta leges, qoia sic non proxime cooperatur morti; dummodo ipse non assistat, vel mandet, ut sententiam sanguinis proferant; &c. Mol., Avil., & alii communiter ex cap. ult. *Ne Clerici, vel Monach.* Judex vero Ecclesiasticus, si Clericum morte dignum degradet, & remittat Judici sæculari, ut juxta qualitatem delicti sententiam proferat, &c. debet protestari, seu intercedere, ut citra sanguinem sententiam moderetur: aliter evadit irregularis, ex cap. *Novimus, de verbor. signif.* uti etiam, si ei tradat processum a sua Curia factum, quia sic concurrit ut Minister justitiæ; non vero, si det copiam renunciationis clericatus, vel licentiam inspiciendi cadaver sepultum, ut constet de corpore delicti, quia sic remote se habet ad sententiam mortis: Tamb., Bon., & alii. Inquisitoribus vero multa in hoc sunt privilegia ex Bulla Pauli IV. an. 1557. confirmata a Pio V.

II. Accusator, seu Denunciator in causa propria (hoc est ob defensionem, aut reparationem sui honoris, famæ, vitæ, rerum temporalium, vel etiam cognatorum, aut affinium intra quartum gradum, imo etiam famulorum domesticorum, & subditorum: Suar., Avil., Bon., & alii) si intentet actionem civilitee, hoc est ad reparationem damni illati, non evadit irregularis, dummodo expresse protestetur, ut supra, ante prolationem sententiæ sanguinis: Doctores communiter ex cap. 2. *de Homic. in 6.* At, si intentet actionem criminalitee, hoc est ad punitionem, fit irregularis secuta morte, aot mutilatione, etiamsi protestatus fuerit in contrarium, quia ipsa accusatio criminalis eft factom contra dictum: Suar., Avil., & alii communiter. Si vero accuset, aut denunciet sive civiliter, sive criminaliter in causa aliena, etiamsi protestationem faciat, est irregularis, secuta morte, aut mutilatione ex vi talis accusationis, aut denunciationis: Doctores communiter ex text. cit. Excipe primo, si id facias ad præcavendum damnum Reipublicæ, vel etiam particulare alienum, quod tamen alia via averti non possit, qnia sic non libere se immiscet causæ sanguinis, sed ex lege charitatis coactus: Suar., Avil., Bon., Pal., & alii ex cap. *Accusati, de Accusat.* Excipe secundo, si accuset, vel denunciet de crimine levi, & judex excedens limites justitiæ puniat pœna sanguinis, vel accusato aliunde superveniant accusationes alterius delicti capitalis: Doctores communiter.

III. Testis voluntarie testificans contra Reum, ex quo testimonio sequatur mors, aut mutilatio, evadit ir-

regularis, quia proxime cooperatur, neque ei prodest protestatio, utpote, quæ solum conceditur defendenti propriam causam, cap. *Prælatis, de homic. in 6.* Si autem a Judice compellatur ad testificandum, satis probabile est, non fieri irregularem; uti neque si cogatur timore gravi aliunde incusso; quia sic non voluntarie se ingerit. Imo neque, si ad instantiam partis agentis civiliter, & cum protestatione, quia sic sequitur conditionem ipsius partis; neque demum, si testificetur pro Reo, etsi inde detecta calumnia accusator puniatur pœna talionis, quia hæc per accidens contingit, neque huic testi est imputanda: Suar. Bon. Avil. & alii.

IV. Advocatus evadit irregularis, si reus, contra quem advocat, deformetur morte, vel mutilatione, ex cap. *Aliquantos* d. 51. Si autem Reum defendat, itaut accusator pœna talionis puniatur, tunc, si in Rei defensione aliquid objecit contra accusatores, sine dubio est irregularis, quia est causa per se, & directa talis pœnæ; secus vero, si solum ostenderit Rei innocentiam cum protestatione, &c. Doctores cit. Advocatus vero, qui injuste suscepit partes talis accusatoris pœna talionis puniti, putatur a Suar. irregularis, quia patrocinio suo eum animavit ad talem accusationem, adeoque cooperatus est ad ejus pœnam: sed melius negant Avil. Bon. & alii, quia talis pœna non evenit ex eo patrocinio, sed ex calumnia aliunde probata. Denique, si ex negligentia, aut imperitia culpabili advocati ejus cliens deformetur, advocatus fit irregularis, non ex defectu, sed ex delicto: Nav. Suar. Bon. & alii. Eadem dicenda sunt de Procuratore.

V. Tabellio, seu Notarius Judicis criminalis, & quicumque Scribæ, Commissarii, Sollicitatores, Actuarii, &c. qui Judicem ex officio adjuvant ad sententiam sanguinis, recipiendo depositionem testium, illasve legendo, quando publicantur, &c. fiunt irregulares; quia sunt Ministri publici talis justitiæ. ex cap. *Prælatis, de homic. in 6.* Secus dicendum de famulo, aliove transcribente scripturam factam a Notario, quia sine hoc transcripto Reus condemnatur.

VI. Pariter irregulares fiunt tortores Rei, si inde fateatur crimen capitale (nisi hoc fiat in Tribunali S. Inquisitionis) Item Satellites, Carnifices, cæterique ex officio sententiam exequentes, vel executioni auctoritative assistentes, quia concurrunt tanquam Ministri justitiæ. Item quicumque occidit Bannitum, seu Forjudicatum, quia tunc quicumque e populo constituitur Minister justitiæ.

VII. Pariter milites in bello justo offensivo, si occidant, vel mutilent, fiunt irregulares ex defectu lenitatis; quia agunt ut Ministri publici exercentes justam vindictam contra hostes: Doctores communiter ex cap. 1. & 2. d. 51. Secus vero, si propria manu non occidant, nec mutilent, etiamsi hortentur, aliove modo cooperentur ad hostium occisionem, ex cap. *Petitio, de homic.* ubi hæc irregularitas non incurritur, nisi ab illis militibus, qui propria manu occidunt, vel mutilant: D. Th. Con. Nav. Pal. Dian. Tamb. & alii communiter. Si vero bellum sit mere defensivum, dictum est jam q. antecedenti. At, si sit bellum injustum, omnes tum pugnantes, tum cooperantes, animantes, afferentes cibos, &c. etiamsi ipsi immediate arma non tractent, evadunt irregulares, si unus duntaxat hostium occidatur, aut mutiletur; quia tunc committitur homicidium injustum, juxta dicta etiam q. antecedenti. V. Dian. p. 11. t. 7. r. 8.

VIII. Dubium est, An reliqui, qui concurrunt ad mortem, vel mutilationem Rei, sed non ut Ministri justitiæ, evadunt irregulares? Affirmant omnes fere Doctores antiqui, quia sunt causa proxima talis deformationis. Sed probabiliter negant Recentiores plusquam 30. quos refert, & sequitur Dian. p. 11. t. 2. r. 63. Vasq. Hurt. Pal. Tamb. & alii; quia hæc irregularitas, ex defectu lenitatis non est expressa in jure, nisi contra omnes, & solos Ministros justitiæ auctoritate publica concurrentes. Hinc probabiliter non evadit irregularis, qui, non ut accusator, vel ut testis necessarius, vel ut alio modo constitutus Minister justitiæ, sed ut privatus detineat v. g. furem, aut clamet, aut convocet famulos, vicinos, custodes in auxilium, ut capiant, etiamsi fur resistens ab illis occidatur; aut deinde a Judice morte damnetur; quia non præsumitur, Ecclesiam velle fovere hæc facinora, quæ certe foventur, si ob timorem irregularitatis non possent homines privati hæc agere: Gibal. apud Tamb. At, si hæc faciant ex odio mortali in furem, putant iidem Doctores, incurrere irregularitatem ex delicto, quia sic concursus ad mortem, ut a privata persona procedens, est injustus; etsi ut procedens a Ministro justitiæ, sit tantum contra charitatem.

Similiter, qui non ex odio, sed ex amore justitiæ privatim solicitant Procuratorem causæ, ut petat pœnam sanguinis juste infligendam, Verricel. ap. Tamb. contra Comit. Bon. & alios probabiliter putat, non fieri irregulares. Neque, qui tanquam privatus dat consilium, dirigit causam criminalem, aut reaptat scripturam factam a Fisco, &c. quia procedit extrajudicialiter, & tanquam persona privata; secus vero, si a Judice fuerit juridice adscitus tanquam comminister justitiæ: Ab. Less. Henr. & alii. Item neque irregularis censeri debet Confessarius negans Judici absolutionem, nisi sententiam sanguinis proferat, ad quam ex conscientia tenetur; vel inducens Reum ad fatendum delictum, supposito, quod ad id jure naturali teneatur, vel persuadens Reo, ut justæ sententiæ acquiescat, nec velit injuste appellare, vel monens carnificem, ut fungatur officio suo, ut reum statim suffocet, ut iterum calcet, &c. quia hæc non agit, ut minister justitiæ, & aliunde supponitur ea agere ex bono fine: Tamb. Busemb. Gob. & alii. Item neque irregulares sunt, qui vendunt ligna, gladios, funes, aliave instrumenta ad interficiendos delinquentes: neque faber, qui furcam elaborat, aptat &c. neque qui privatim monet reum, ut capue stipiti admoveat, vel schalas ascendat, vel instigat equum, quo reus ad supplicium ducitur, aut docet viam breviorem &c. tametsi reus inde citius interficiatur; quia in his actionibus non procedit, ut minister justitiæ, neque ex odio, ut supponitur, & hæc levia sunt, ut pro nihilo reputari debeant: Pal. §. 4. n. 2.

IX. Dispensat in irregularitate ex defectu lenitatis, sive publico, sive occulto solus Papa: Doctores communiter contra aliquos apud Pasqual. & Dian. Possunt tamen ex privilegio Papæ dispensare tum Commissarius Cruciatæ, tum Prælati Regularium in ordine ad suos; Tamb. Pal. & alii. Denique, si hic defectus fuerit ante baptismum, per hunc tollitur, per quem regeneratur novus homo induens lenitatem, & mansuetudinem Christi, ut ait Laym.

CAPUT II.

Quæ sit Irregularitas ex Defectu Sacramenti, seu ex Bigamia?

BIGAMIA est *Duplicatio matrimonii*, & vocatur defectus Sacramenti, quia deficit a significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia repræsentatæ per matrimonium, quæ fuit unius cum una. Hinc omnis Bigamus est irregularis, ex defectu significationis: Doctores communiter ex cit. de Bigamis, & Trid. *sess. 23. c. 17. de Refor.* Hæc Bigamia est triplex, propria, interpretativa, & similitudinaria.

I. Bigamia propria, seu vera est, quando quis vere, & valide contrahit successive, & consummat duo matrimonia, ex cap. *Si quis viduam* d. 34. Si ergo unum saltem eorum consummatum non sit, nondum incursa est irregularitas; quia nondum facta est divisio carnis in plures, adeoque non habetur defectus a perfecta significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ repræsentatur per copulam conjugalem: Doctores communiter. Si autem plura ejusmodi matrimonia successive contraxeris, & consummaveris, unam tantum incurreis irregularitatem, quia non multiplicas defectus, sed actus tantum in eadem specie Bigamiæ: Dian. p. 11. t. 6. r. 66.

II. Bigamia interpretativa est, quando quis interpretatione juris censetur, ac si contraxerit duo matrimonia, & hoc tripliciter contingere potest: Primo, si contrahas, & consummes matrimonium cum repudiata, vel vidua, quæ prius matrimonium consummaverat, & idem est, si contrahas, & consummes cum corrupta ab alio, ex text. cit. quia sic neque potes significare conjunctionem Christi cum Ecclesia Unica, & Virgine, non vero, si ea prius matrimonium non consummaverat, vel corrupta tantum fuerat a teipso, quia sic non dividis carnem tuam in plures: Doctores communiter contra Hostiens. Neque, si ea corrupta sit ab alio sodomitice, vel tu utcumque corruptus sis cum aliis, quia vir sortitur speciem a conjuge, per copulam conjugalem: Sanch. Nav. Pal. p. 8. n. 4. Secundo, Si cognoscas propriam uxorem, postquam hæc commisit adulterium, ex cap. *Si laici* d. 53. quia sic diceris maritus corruptæ, idque verum est, etiamsi ignoraveris ejus adulterium, vel ejus fornicationem ante matrimonium, quia hæc irregularitas non est pœna, sed defectus significationis: Doctores communiter

niter contra Ledesm. idemque est, etiamsi illa per vim oppressa fuerat ab alio: Sanch. Suar. & alii. Tertio, si post contractum ; & consummatum matrimonium mortua uxore ascendas ad Ordines Sacros, & deinde matrimonium utique invalidum contrahas, & consummes, ex cap. *Nuper, de Bigamis*: quod Doctores communiter extendunt ad eum, qui vivente uxore aliud matrimonium utique invalidum contrahit, & consummat; vel qui mortua prima uxore aliud matrimonium, utcumque invalidum, contrahit, & consummat; vel qui utrumque matrimonium invalide contraxit, & consummavit; quia semper deficit significatio, non propter verum Sacramentum, sed propter affectum intentionis cum subsecuta copula, ex text. cit. & ea intentio satis est, si sit habendo illam in uxorem in foro externo: Pal. n. 7. Si autem vivente prima contrahas, sed non consummes cum alia, non es quidem bigamus, sed aliunde es irregularis ob infamiam, ut dicam cap. seq.

III. Bigamia similitudinaria est, quando quis post votum solemne castitatis in professione Religiosa contrahit, & consummat matrimonium etiam cum virgine, ex cap. *Quotquot* 27. *q.* 1. quia per tale votum censetur spirituali quodam matrimonio conjunctus cum Christo. Idem est de voto castitatis scholasticorum, & coadjutorum Societatis Jesu post biennium: Fil. Præp. Pelliz. tr. 7. c. 5. sect. 2. n. 88. Idemque est de eo, qui duxerit in uxorem monialem professam, ut notat Majol. ex tex. cit. Extenditur etiam communiter a Doctoribus contra Ab. Hurt. & alios ad Clericum sæcularem constitutum in sacris, qui contrahat, & consummet matrimonium etiam cum Virgine, quia pari voto solemni castitatis erat Christo copulatus. Secus vero dicendum de eo, qui cum minoribus ordinibus, vel cum voto simplici castitatis, etiamsi scholasticorum, vel coadjutorum Societatis Jesu, contrahit, & consummat matrimonium cum virgine; quia id non est in jure expressum: Sanch. Bon. & alii communiter. Itaque ad incurrendam irregularitatem ex Bigamia, sive propria, sive interpretativa, sive similitudinaria requiritur matrimonium consummatum per copulam conjugalem, itaut femina receperit semen intra vas debitum, quocumque modo receperit; quare non sufficit, si copula inter conjuges fuerit sodomitica, vel non fuerit facta commixtio seminum, juxta dicta de matrimonio. Similiter multiplicata sponsalia, etiamsi cum copula, non inducunt Bigamiam, quia non habetur matrimonium consummatum. Item neque multiplicatæ viri fornicationes, vel adulteria, si contrahat matrimonium, & consummet cum virgine. Denique, si adsint tres prædictæ species Bigamiæ, tres irregularitates incurruntur: una vero, si replicentur actus ejusdem speciei: Tamb. & alii.

Quæres primo, An infidelis Bigamus sit irregularis? Respondeo, Esse irregularem suscepto baptismo, sive utrumque matrimonium contraxerit, & consummaverit ante; sive unum ante, alterum post baptismum. Ratio est, quia baptismus tollit quidem delicta, & indecentiam provenientem ex delictis, non tamen tollit bigamiam, seu divisionem carnis factam in plures; & ideo, statim ac baptizatur, consurgit ex ea irregularitas: Doctores communiter apud Rebell. Neque obstat paritas ex defectu lenitatis, quæ non remanet, si fuerit ante baptismum; nam hæc irregularitas non est imposita, nisi ob defectum post baptismum, ex cap. *Si quis post Bapt.* *d.* 51.

Quæres secundo, Quis possit dispensare in irregularitate ex bigamia?

Respondeo, Posse Summum Pontificem etiam in bigamia propria; quia, etsi fit ex Apostolo 1. *ad Tim.* 3. tamen non est ab eo tanquam Apostolo, sed tanquam Episcopo particulari: & Papa potest dispensare in legibus latis ab Episcopis, vel ab Apostolis tanquam Episcopis: Val. Sayr. Fil. Bon. & alii. Episcopo vero solum conceditur posse dispensare in bigamia similitudinaria, ex cap. 1. *Qui Cler. vel Voventes*, at non potest in bigamia propria, vel interpretativa, quia id ei nullibi videtur concessum: Bon. & alii communiter. Putant tamen primo Henr. & alii posse Episcopum dispensare cum tali bigamo facto jam Religioso, ne scilicet detur occasio vagandi, sed id non videtur usu receptum, ut notant Palud. Sot. & alii. Putant secundo Doctores communiter, posse Episcopum cum tali bigamo dispensare ad tonsuram, ordines minores, & beneficium simplex; sed probabilius negant Laym. Pal. Bon. & alii ex decis. S. Congreg. Putant demum Sanch. Henr. Pal. Tamb. & alii, posse Episcopum dispensare in bigamia interpretativa, si delictum sit occultum, virtute Trid. sæpe cit. verum hæc irregularitas, etiamsi ortum habeat ex delicto, est tamen ex defectu significationis; quod enim cap. Nuper cit. hæc bigamia dicatur, *non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis*, intelligi debet, ac si dicat, non propter veri Sacramenti defectum, sed propter ejus attestationem. Ex privilegio autem Sixti IV. possunt Religiosi Mendicantes cum suis subditis Religiosis bigamis dispensare ad sacros ordines: & ex privilegio etiam concesso Generali Societatis Jesu potest hic dispensare cum suis subditis in omni irregularitate: Pal. n. 12.

Quæres tertio, An bigamus absque dispensatione ordinatus gaudeat privilegiis clericalibus?

Respondeo, Gaudere, si sit ordinatus in Sacris; quia hic non potest vivere, ut laicus. Secus vero, si initiatus tantum sit tonsura, vel ordinibus minoribus; hic enim, si est bigamus, privatus est ipso facto omni privilegio Clericali, ex cap. un. *de Bigamis in 6.* vide Suar. d. 39. s. 5. n. 4.

CAPUT III.

Quæ sit Irregularitas ex defectu Famæ, seu ex Infamia?

INFAMIA est defectus bonæ famæ; & ideo hæc irregularitas est ex defectu, ex quo immediate oritur; & quamvis infamia oriri etiam possit ex proprio delicto, hoc tamen esse potest communiter existimatum, quamvis revera non adsit, & sic etiam, quamvis innocens, esse potes revera infamis, & irregularis, ex Suar. d. 48. s. 3. n. 1. Duplex autem est infamia; alia juris, seu legalis, quando scilicet lex disponit, aliquem esse infamem; alia facti, quando scilicet etiam absque dispositione legum, evulgatur alicujus factum, unde decidat a bona hominum existimatione, & utraque inducit irregularitatem ex plur. text. & ex *Reg. Jur. in 6. Infamibus portæ non pateant dignitatum*. Itaque

I. Quoad infamiam juris: ex quatuor capitibus lex disponit, aliquem esse infamem, ex delicto alieno, ex delicto proprio, ex pœna inflicta, & ex officio vili.

Ex delicto alieno infames, ideoque irregulares sunt filii, & nepotes eorum, qui violentas manus in Cardinalem injecerunt, cap. *Felicis, de Pœnit. in 6.* item filii eorum, qui committunt crimen læsæ majestatis. *l. Quisquis c. ad leg. Jul.* Filii vero hæreticorum, horumque fautorum, aut receptatorum, etsi infames jure non sint, sunt tamen irregulares quoad beneficium, & officium publicum, si mater fuerit hæretica; &, si pater fuit hæreticus sunt similiter irregulares etiam nepotes, ex cap. *Statutum* 2. *de Hæret. in 6.* non tamen si delictum parentum inquisitoribus denunciant; vel nati sunt, ubi crimen hæresis infamiam non affert; vel nati sunt ante hæresim; vel si hæc est occulta, nec probata; vel si nati sunt ab hæretico jam emendato, & cum Ecclesia conciliato: Doctores communiter apud Pal. p. 19. §. 2. Cæterum Constitutiones Pii V. cum extensione Greg. XIII. prohibentium, ne descendentes Hæreticorum, Judæorum, Saracenorum suscipiant ordines, non sunt usu receptæ: Avil. Hurt. & alii.

Ex delicto proprio infames (ideoque irregulares) sunt Leones; contrahentes duo simul sponsalia, vel duo simul matrimonia etiam non consummata; pugnantes cum bestia, vel cum homine ob quæstum; milites, vel duces, dimissi ab exercitu, aut militiæ insignibus spoliati, ob crimen ibi patratum; milites conducentes prædia aliena negotiationis causa; usurarii ex officio, non adimplentes cum possint promissionem juratam: ita ex jure civili; jure vero canonico, ultra hos, infames sunt, committentes crimen læsæ majestatis humanæ, vel divinæ, idest hæresis, eorumque fautores, insequentes hostiliter Cardinalem; raptores mulierum, committentes duellum, eorumque patrini; atque hi omnes infames sunt ipso jure ante sententiam declaratoriam criminis; si tamen ante hanc sententiam non sint notorii, nec sint in proximo periculo notorietatis, possunt se gerere liberos ab irregularitate (excepta hæresi) Sanch. Laym. Tamb. & alii. Præter hos etiam sunt alii infames infamia juris, sed nonnisi post sententiam Judicis condemnatoriam; ut sunt, qui committunt crimen homicidii, adulterii, proditionis, falsi, rapinæ, furti, injuriarum, doli mali, & iniquæ pactionis, ne de his criminibus quis accusetur: ita ex jure civili, & ex jure canonico crimen doli in contractu societatis, in tutela, mandato, deposito, & in accusando aliquem de delicto; atque hi omnes, etiamsi notorii sint, tamen non sunt infames, neque adeo irregulares (excepto homicidio) nisi post

post sententiam definitivam: Doctores communiter apud Tamb.

Ex pœna inflicta infames (ideoque irregulares) sunt, qui ipsa Jodicis sententia damnantur tali pœna infamiæ; vel qui puniuotur pœna imposita ob delictum infamiæ, ut est pœna fustigatiouis ob notorium, & infamiæ crimen, damnatio ad triremes cum executiooe ob crimen publicum commissum cum dolo, publica pœnitentia imposita ob suspicionem hæresis, damnatio militis Religiosi ad deponendam crucem, seu habitum suæ Religionis ob crimen famosum, stigmatizatio in fronte, vel homero ob furtum, & publica expositio amicti pennis aviom ob tollendum oxoris adulterium: Tamb., & alii.

Ex officio vili infames (ideoque irregulares) sunt publiei histriones ex cap. *Maritum* d. 35. Item circulatores, funambuli, macellarii, caopones, cloacarii, quibus aliqui addunt vespillones, & eos, qui propria manu incidunt eadavara: item satellites, carnifices, & qui similes artes vilissimas exercent; sunt enim irregulares propter indignitarem, & indecentiam, etsi aliqui eorum non censeantur infames. Item, qui io uxorem duxit ancillam, meretricem, repudiatam, saltatricem, vel scœnicam, vel aliam feminam vilem; quia vilit etiam præscindendo ab infamia est, qui cum vili tam stricte copulatur: Suar., Tamb., & alii.

II. Quoad infamiam facti iosames (ideoqoe irregulares,) sunt quicumque notorie perseverant in aliquo peccato mortali, ex c. *Testans*, *de Test.*, & c. *Infamis 6.* q. 1. Requiritur ergo primo peccatum mortale, quodcumque illud sit: Secundo ejus publicitas, & quidem certa, hoc est orta, non ex vanis, sed probabilibus eoojecturis; quare non satis est, si mere accusatus sis de commercio cum femina, quia non raro id fit sine suffieientibus probationibus; secus vero, si etiam citatus sis a Judice, qoia citatio probationes supponit. Tamb., Barb. & alii: Tertio, requiritur perseverantia in peccato, qualis est excommunicatus vitandus, aut notorius, coocubinarius, &c., si autem publice sciatur, te semel fornicationem commisisse, non ideo es infamis infamia facti: secus vero, si publice sciatur, te semel cognovisse tuam matrem, quia hoc de se fert infamiam, ut not. Tamb.

Quæres, Qoomodo cesset irregularitas orta ex infamia?

Respondeo; Si sit ex mera infamia facti, cessare per scipsam post publicam emendationem delicti durantem saltem per triennium, ut docent Doctores communitee; quamvis Gibal. non præscribat tempus: item si hæc infamia sit ante baptismum, per hunc aboletur, quia pee hunc regeneratur nova creatura; Suar. d. 44. s. 3. n. a. At irregularitas orta ex Infamia juris, si præcessit sententia declaratoria criminis, aut condemnatoria ad infamiam, dispensatione indiget, esiamsi reus sit emendarus; & quidem, si crimen fuit minus adulterio, potest post peractam pœnitentiam dispensare Episcopus cum suo Clerico, ot in susceptis ministret, ex eap. *Si Clerici*, *de Judiciis*, in reliquis solus Papa dispensat, etiam cum infideli baptizato, quia infamia joris etiam perseverat post baptismum: Suar., Pal. p. 7. Cæterum infamia jorix civilis potest etiam aboleri a Principe, qua abolita cessat irregularitas: Doctores communitee.

CAPUT IV.

Quæ sit Irregularitas ex defectu Natalium?

IRREGULARES ex defectu natalium sunt omnes illegitimi; sive sint naturales, hoc est orti ex parentibus, inter quos poterat intercedere matrimonium; sive siot spurii, hoc est orti ex parentibus, intee quos non poterac intercedere matrimonium ob aliquod impedimentum dirimens; vel etiam ex conjugibus, quorum alteroter post consummatum matrimonium ex communi consensu professus erat in Religione, aut ascenderat ad Ordines Sacros: *ex tit. de filiis Presbyterorum*.

Contrahitur hæc irregularitas, etiamsi talis defectus sit occultus: quia text. cit. loquuntor absolute; si tamen illegitimus occultus grave damnum vitare non possit, nisi ordines suscipiat, non peccat; manet tamen irregularis: Doctores communiter contra Alph. de Castro. Similiter, si ignarus suæ illegitimitatis ordines susceperit, ut primum eam rescierit, tenetur se gerere irregularem, donec dispeosationem obtineat, quam pia Mater Ecclesia in hoc casu non negat, arg. eap. *Nisi*, *de Renunciat.* Si quis vero dubites, an sit illegitimus, adhibere debet debitam diligeotiam pro veritate indaganda: at, si deinde dubium persistat, potest ascendere ad ordines, quia tunc possidet libertas: quod si dubium superveniat ordini bona fide suscepto, Tamb. ex doctrina Caram. putat, posse in eo mioistrare; sicut conjuges, supervenienta dubio de impedimeoto dirimenta, interim, dum veritatem exquirunt, non privantur facultate, quam bona fide possident, donec constet de impedimento: oppositum tamen communiter videtur iurius. Cæterum in tali dubio standum est præsumptionibus. Sic natus ex conjugata semper præsumitur legitimus, etiamsi rumor, seu fama sit in oppositum; quia matrimonium est io possessione, & rumor, seu fama nihil probat contra justum possessorem, nisi aliis adminiculis adjuvetur. Imo non teneris tunc habere fidem matri asserenti, te esse illegitimum, etiamsi morti proxima juret; nisi afferantur etiam aliæ coojecturæ, quales essent, si sciretur, matrem continuo versatam esse cum adultero, & graviter odio habitam a marito; vel maritum longe absuisse tempore tuæ conceptionis, & similia: sine his adminieulis, neqoe utriqua parenti habendam fidem, docent Tamb., Ab., & alii contra Suar., Bon., & alios.

Similiter sufficientia indicia non sunt, quod mater tempore tuæ conceptionis admisit, præter maritum, etiam adolterum; vel quod facie, colore, corporis habitu sis valde similis adultero; quia hæ falsa esse possunt: Sanch., Pal., Tamb., & alii. Idem est, si natos sis decimo, vel etiam undecimo mense post mariti mortem, quia ex Aristotele toto hoc tempore mulier potest esse gravida. Idem est, si meretrix nupsit, & pariat septimo a nuptiis mense, quia tali tempore nati sunt filii, teste medicorum experientia: Tamb. n. 12. Si autem sis ex matrimonio invalido ob impedimentum dirimens occultum, tunc distinguendum: si uterque parens contraxit mala fide, es certe illegitimus, quia sic natos es ex fornicatione: si vero uterque bona fide contraxit in facie Ecclesiæ, es legitimus, ex tit. *Qui filii sint legitimi*; imo sat est bona fides ooius, ut ex text. notat Sanch., Bon., & alii communiter contra Suar. idque verum est etiam, dum pendente lite de ea validitate parentes essent interim separati a Judice, vel atsi inde declaretur matrim. fuisse invalidum, ex c. text. Hinc, si certo scias, intee tuos parentes fuisse impedimentum dirimens, & ignores, an bona fide contraxerint, nee sit via indagaodi veritatem, potes te gerere legitimum; quia non præsumitur eorum delictum: Suar., Bon., & alii. Idemque est, si unus tantum fateatur, se mala fide contraxisse, quia sufficit tibi præsumere bonam fidem alterius: Sanch., Bon., Tamb., & alii contra Suar., non tamen, si uterque malam fidem fateatur; quia tunc possidet impedimentum, & bona, vel mala fides aliunde sciri non potest, quam ex eorum dicto: Tamb., & alii communiter. Filii vero conjugum infidelium censendi sunt legitimi, si eorum matrimonium foerit validum secundum oaturam, & eorom leges, quamvis invalidum secundum jux canonicum, com illi non erant subjecti.

Quid aotem præsumendum sit de filiis expositis, quorum parentes ignorantur? Dissident Doctores. Illegitimos præsumi debere, docent Suar., Avil., Bonac., & alii commooiter, qoia frequentissimum est, tales exponi, rarissime vero legitimos. Sed probabiliter oegant Meooch., Tamb., Pal., & alii; qoia hæc præsumptio irrogat certam infamiam, quæ cedere debet præsumptiooi oppositæ, licet ortæ ex raro contingentibus. Illud videtur ab Ecclesia admissom, tales expositos, si jam susceperint ordines, posse illis uti absque alia dispensatiooe, quia melior est conditio possidentis: & ante susceptionem concedi posse facultatem ab Episcopo ad Ordines suscipieodos, ob opinionem probabilem legitimitatis.

Denique illegitimitax, & irregularitas consequens tolli potest quadruplici via, vel per subsequens matrimonium, vel per professionem Religiosam, vel per legitimationem, vel per dispensatiooem: de quibus hic agam.

I. Pee subsequens matrimonium pareotum filius illegitimos natoralis evadit legitimus, & consequentee habilis ad omnia, ex cap. *Tanta*, *qui filii*, *&c.* (excepto tantum Cardinalatu, ex Bulla Sisti V. *Postquam*, anno 1595.) Sufficit autem matrimonium, etiamsi sic præsumptum, hoc est putatum validum in facie Ecclesiæ, quia sic adest bona fides contrahentium: Suac., Bonac., & alii contra Panorm. Sufficit esiam, si non contrahatur immediate, sed aliud intercedat matrimonium, quia hoc est per accidens: Cov., Sayr., & alii communiter: sufficit esiam, si contrahatur, postquam

filius

filius cum irregularitate fuit ordinatus, qui proinde statim poterit ordines susceptos exercere, quia sublata est irregularitas, quæ ex illegitimitate pendebat: Con., Bon., & alii communiter contra Majolum: sufficit demum, etiamsi parentes legitimitati contradicant; quia hic est favor concessus matrimonio, cui nemo valet renunciare, ex cap. *Si diligenti*, *de Foro comp.*

At filius spurius, si conceptus, & natus sit tempore impedimenti dirimentis, & quidem cogniti ipsis parentibus, non evadit legitimus per subsequens matrimonium utcumque validum ex remotione impedimenti: Doctores communiter ex cap. *Tanta* cit. Hinc econverso probabile est, evadere legitimum, si unus parentum ignoraverat tale impedimentum, quia sic ea copula ex parte illius solam habebat malitiam intemperantiæ, adeoque filius comparatione illius est tantum naturalis, non spurius: Cov., Gratian., Pal., & alii contra antiquiores. Item probabile est, evadere legitimum, si tale impedimentum fuit tantum tempore conceptionis, vel tantum tempore nativitatis, quia text. ait, *Si vir aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit*, ubi particula *Et* conjungit utrumque: Sanch., Mol., Dian., Pal., Tamb., & alii contra Ponc., Suar., Con., & alios. At quid, si impedimentum fuit quidem tempore conceptionis, & nativitatis, non vero tempore intermedio? Puta si vir vivente uxore cognoscit concubinam, tum moritur uxor, & cognoscit sororem concubinæ, & deinde nascitur filius ex priori concubina? Probabiliter puto cum Pal., Tamb., & aliis, etiam legitimari hunc filium per subsequens matrimonium cum illa, quia *l. Qui in utero*, *ff. de statu hominum*, *Qui in utero est*, *perinde est*, *ac si in rebus humanis esset constitutus*, *quando de commodis ejus agitur*: sed, si eo tempore, quo in utero est, nasceretur, evaderet legitimus per subsequens matrimonium: ergo, etiamsi tunc non nascatur, cum perinde sit quoad ejus commoda: similiter filius ancillæ est liber; si tempore conceptionis, vel uteri, vel partus, ea fuerit libera, Instit. *de Ingenuis*.

II. Per professionem Religiosam (aut vota simplicia Societatis Jesu ex Bull. Greg. XIII. *Ascendente*) filius illegitimus, sive naturalis, sive spurius, legitimatur ad ordines, non autem ad Prælaturas: Doctores communiter ex cap. 1. *de Fil. Presb.*, quod privilegium, quamvis a Sixt. V. sublatum fuerit, fuit tamen a Greg. XIV. restitutum; & acquiritur ipso facto in professione, itaut non requiratur alia superiorum dispensatio; nam, quando in aliquibus Bul. conceditur Prælatis Regul., ut possint dispensare cum suis professis in defectu natalium, intelligitur quoad Prælaturas, ad quas hi indigent speciali dispensatione, quam eorum Generalis dare potest. Possunt tamen absque tali dispensatione eligi in Ministros, Æditus, Magistros Novitiorum, & ad quodcumque officium, aut beneficium simplex, quod prælaturam secum non afferat; imo etiam delegari eis potest quævis jurisdictio, quia sic non evadunt Prælati: non possunt tamen fieri Vicarii Generales Episcopi, quia sic haberent jurisdictionem ordinariam; neque accipere beneficium curatum, etsi nec prælationem secum afferat, ut ex praxi docet Pal., uti, neque succedere possunt in bonis paternis; quia nullibi id eis conceditur, utcumque dispensatum cum eis fuerit a suo Generali: Suar., Sanch., Castr., Tamb., & alii contra aliquos. Si autem redeant ad sæculum, eo quod probaverint, suam professionem esse nullam, non gaudent dicto privilegio, ut patet. Si vero sint ejecti ob incorrigibilitatem, gaudent, quia manent ligati votis Religiosis, etiamsi suspensi sint ab ordine, ex decr. S. Congreg. apud Donatum, itaut non possit dispensari ab Episcopo. At, si Religiosus Societatis Jesu post vota simplicia dimittatur, Sanch. l. 5. *Decal.* c. 5. n. 54., Barbos., & alii putant, gaudere dicto privilegio, quia extincta jam fuit irregularitas, nec ullo jure probatur reviviscere, sed probabilius negant Turr., Rodr., Dian., Tamb., & alii; quia hoc privilegium est tantum concessum statui Religioso. Si autem Pontifex illegitimum Professum liberaverit omnino a votis, probabilius non amittitur privilegium, quia beneficium Principis est ampliandum.

III. Per legitimationem ex rescripto Principis: ex quo, qui absolute legitimatur a Papa, evadit habilis ad omnia, ad quæ se extendit potestas Pontificia, quatenus fieri potest absque præjudicio alterius, ex cap. *Venerabilem qui Filii*, *&c.* Quare non censetur legitimati ad dignitates sæculares, ad hæreditatem extra territorium D. Petri, & vice versa legitimatus per rescriptum Imperatoris, vel alterius Principis sæcularis non censetur legitimatus ad ordines, beneficia, dignitates Ecclesiasticas: Sayr., Bon., Suar., Fil., & alii. Potest item dari legitimatio partialis ad hunc tantum, vel illum effectum juxta tenorem rescripti, quod cæteroqui late est interpretandum, quantum verba extendi possunt, cum sit favor Principis.

IV. Per dispensationem, quæ differt a legitimatione in hoc, quod non tollit illegitimitatem, sed concedit, ut ea non obstante possis hoc, vel illud, &c.; ideoque stricte est interpretanda, cum sit vulnus legis, & proinde odiosa: Sanch., Suar., Tamb., & alii communiter ex fusius dictis in de dispensatione q. 1. c. 1. quæst. 1., quæ procedunt de dispensationibus in quacumque alia irregularitate.

Porro in hac irregularitate solus Pontifex dispensat de jure: ex concessione vero cap. 1. *de Fil. Presb. in 6.* dispensare potest Episcopus cum suis Diœcesanis illegitimis, etiam spuriis (non vero, si sint sui familiares triennales ex aliena Diœcesi) ad primam tonsuram, ordines minores, & consequenter etiam ad beneficium simplex, ad canonicatum collegiatæ non requirentem Ordines Sacros, ad dimidias portiones, & ad inferiora beneficia etiam cathedralis, etsi bis accessorie sit adjuncta cura animarum, quia hæc sunt beneficia per se simplicia; non tamen ad beneficium per se curatum, dignitatem, personatum, integras portiones, & ad canonicatum Cathedralis, &c., quia his adnexi sunt Ordines Sacri, ex Trid. *sess.* 34. *c.* 12. *de Reform.*; at, si sit beneficium simplex requirens Ordinem Sacrum ex instituto ipsius Episcopi, potest ipsemet dispensare in suo statuto, ut notat Tamb. Putant insuper Præp., Avil., Pelliz., & alii, Episcopum posse etiam dispensare ad Ordines Sacros, si sis illegitimus ex copula occulta, quia sic defectus provenit ex delicto occulto parentum: sed probabilius negant Con., Nav., Bon., Pal., Tamb., & alii communiter, quia Trid. non concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus ex defectu occulto, sed tantum ex delicto occulto, quod proinde intelligi debet ex delicto proprio, & ex quo immediate oritur irregularitas ut pœna. Putant demum Navar., Pal., Laym., & alii, posse Episcopum cum illegitimo bona fide promoto ad Ordinem Sacrum dispensare ad ejus exercitium, quia per ordinem bona fide susceptum videtur ille acquisivisse jus aliquod ad ejus usum, &c.; imo, etiamsi præcesserit mala fides, & culpa sit occulta. Sed probabilius negant Suar. d. 50. f. 3. n. 3., Tamb., & alii, quia bona, vel mala fides non tollit illegitimitatem, & jus bona fide acquisitum solum facit, ut facile obtineatur dispensatio a Pontifice.

CAPUT V.

Quæ sit Irregularitas ex defectu corporis?

DEFECTUS corporis inducens irregularitatem est duplex, vel ob indecentiam, vel ob impotentiam.

I. Ob indecentiam irregularis est, qui notabilem habet corporis deformitatem, itaut horrorem, scandalum, aut risum moveat adstantibus: Doctores communiter ex plur. text. Hinc irregularis est hermaphroditus, qui scilicet particeps est utriusque sexus, c. *Si testes* 4. q. 2.; etsi magis particeps sit sexus virilis, & res sit occulta, quia negari nequit, eam monstrositatem indecentiam inducere, in qua solus Pontifex dispensare potest: Nav., Suar., Avil., Bon., Pal., & alii contra Fil., Hurt., & alios. Si autem prævaleat sexus femininus, est incapax etiam characteris: quia absolute femina, non vir, est reputandus; etiamsi post ordinationem id apparuerit, quia antea erat, sed latebat. Econtra vero, si progressu temporis ita prævaleat sexus virilis, ut femineus amplius non remaneat, non censebitur amplius irregularis, quia non dicetur amplius hermaphroditus: Suar. d. 51. f. 2. n. 2. Fil., Bon., & alii. Demum, qui æque est particeps utriusque sexus, quamvis sit incapax professionis Religiosæ ob periculum scandali, & libidinis, non est tamen certum, esse incapacem characteris: Pal. contra Bon., & alios.

Est etiam ob indecentiam irregularis, qui duo habet capita, tres manus, vel pedes, brachium enormiter longius altero, ingens caput pigmeo corpori adjunctum, cicatricem enormiter fœdam in facie, aut vultum adeo fœdum, ut risum, vel horrorem moveat. Item, qui est sine naso, vel illum habet ita distortum, aut magnum, ut notabilem pariat deformitatem: item, qui habet labia penitus corrosa, vel abscissa, vel divisa instar leporis, vel dentes adeo enormiter prominentes,

ut

ut horrorem, vel risum moveant, ideoque resecandi sunt, si fieri potest absque periculo, ut cesset irregularitas: Ugol., Bon., & alii. Qui vero caret auriculis, irregularis est, nisi forte capillis tegi hæc deformitas possit: Bon., Pal., & alii. Æthiops autem non videtur irregularis, quia non solet horrorem parere: idem regulariter dic de statura grandiori, vel exigua, nisi Episcopus in aliquo casu aliter judicet: Majol., Bon., & alii contra Ugol. Similiter non videtur irregularis habens sex digitos, modo digitus superfluus non impediat usum aliorum, præsertim indicis, vel pollicis, quia tunc esset irregularis ob impotentiam: Ugol., Bon., & alii, addentes, digitum superfluum posse abscindi absque periculo irregularitatis ex delicto, modo fiat sine periculo vitæ, aut majoris deformitatis. Similiter non videtur irregularis, qui habet crura distorta, si ejusmodi deformitas tegi possit auxilio vestium; secus vero, qui caret aliquo pede, quia est deformitas patens, cui non medetur pes ligneus; vel qui adeo indiget baculo, ut non possit per seipsum accedere ad Altare, ibique functiones absque eo exercere, ex c. *Si quis* d. 55. Item non videtur irregularis gibbosus, nisi id conjunctum sit cum nimia deformitate: Avil., Mol., Bon., &c.

Irregularis est, qui habet unum oculum enormiter grandiorem altero, vel utrumque enormiter prominentem, itaut magnam inducat deformitatem: idem est, si maculam habet in oculo generantem notabilem deformitatem, etiamsi visum non tollat, ex cap. 2. *De corpore vitiatis*. Si careat oculo dextero, itaut nec appareat notabilis deformitas, vel per artem sufficienter tegatur, irregularis non est; si vero careat sinistro (qui dicitur oculus Canonis) est irregularis, ex c. *Si Evangelica* d. 55. nisi possit commode, & sine indecora faciei conversione legere canonem per dexterum: Suar., Tamb., & alii. Qui autem habet oculos distortos, aut est strabo, non est ex se irregularis: idemque est, si habeat palpebras dimissas, inversas &c.; nisi forte nimis deformis adstantibus appareat: quod si aliqua in his sit dubitatio, Episcopi erit rem decernere, ut in simili dicam infra.

II. Ob impotentiam irregularis est, qui ob notabile corporis vitium nequit exercere ordines. Hinc irregularis est, qui laborat morbo caduco, itaut nec possit ad ordines promoveri, quamvis jam morbo liberatus, & semel tantum fuerit ab eo correptus, ex c. *Communiter* d. 33., ob periculum scilicet incidendi de novo in eundem morbum: Doctores communiter. Si vero liberatus jam sit morbo, poterit in susceptis ministrare: quod si nondum plene sit liberatus, sed tantum raro, puta semel in mense cadat in terram cum clamore, & spumarum effusione, potest celebrare adjuncto sibi socio Sacerdote jejuno, qui sacrificium ab incepto canone perficiat, ex cap. *Nuper* d. 7. q. 2. Ad Episcopum autem pertinet judicare, an quis liberatus sit eo morbo facta 30. dierum observatione; & a tempore recuperatæ salutis expectandus est annus, prout Episcopus judicaverit: Sayr., Ugol., & alii ex text. cit. Irregularis etiam est dæmoniacus, arreptitius, energumenus &c., itaut nec possit ordines suscipere, nec susceptos exercere, ex c. *Clerici* 4. d. 33.; imo etiamsi dæmoniacum se quis simulavit: ita ex Concil. Const. VI. can. 6. Ugol., Sayr., & alii. Sic, si constet dæmoniacum spatio unius anni non fuisse vexatum, potest Episcopus dare facultatem, ut ordines susceptos exerceat, ex cap. *Communiter* c., uti potest, & liberatum promovere usque ad ordines minores, quia cap. *Cler.* cit. solum loquitur de Ordine Sacro: Sayr., Filliuc., &c.

Laborans febri continua est irregularis: secus vero, si febris sit quartana, aut levis febricula, quia sic non impedit: Bon., & alii. Laborans gravi dolore capitis est irregularis, quandiu periculum subeat celebrando: Suar. d. 51. s. 2. n. 17. Laborans peste est irregularis ob periculum infectionis aliorum; uti etiam laborans tussi, quæ continuum faciat periculum in suscipienda Eucharistia; at his sublatis cessat irregularitas: Ugol., Majol., & alii communius.

Cæcus utroque oculo certe irregularis est ob impotentiam: non autem, qui indiget perspicillis. Si autem Sacerdos evadat luscus, idest parum videns; tunc, si decenter, & sine periculo errandi possit celebrare, licebit, adscito præsertim alio Sacerdote, qui assistat. Quod si legere non possit, sciat tamen recitare memoriter missam aliquam, v. g. defunctorum, vel B. V., eam celebrare quotidie posse, concedit Maranta apud Tamb., in hoc tamen petenda ex praxi est facultas a Summo Pontifice.

Surdus utraque aure (non autem una tantum, aut surdaster) irregularis est, quia non potest audire responsionem Ministri: Suar., Bon., & alii ex Can. Apost. 7. contra Henr., Præp. & alios putantes, satis esse, si certo moraliter putet, ministrum respondisse, quæ opinio probatur a Tamb. solum, cum surditas supervenit Ordinato. Mutus vero irregularis omnino est ob impotentiam; non tamen balbus, seu blæsus, carens dentibus, &c. Mancus, seu mutilus manu, vel pollice, vel indice est irregularis: item, si hos habeat ita tremulos, ut hostiam frangere, aut eam, vel calicem tenere nequeat, & multo magis, si hunc morbum patiatur in brachiis: Ugol., Fil., Tamb. Qui autem caret uno, vel altero ex minoribus digitis, videat Episcopus, an impotentiam, vel deformitatem afferat, & pro arbitrio decernat: Tamb., & alii.

Irregularis pariter est mutilus pede; si autem is pede ligneo sit instructus, itaut nec impotentia, nec deformitas appareat, Mol., Ros., Sylv., Majol., Tamb., & alii non putant irregularem, si modicus sit defectus, tegique possit. Contradicunt Sayr., & alii; in quo dubio arbitrari potest Episcopus. At claudus ita, ut ad accedendum, vel standum in altari indigeat baculo, est irregularis, ex c. *Si quis infirm.* d. 55., secus, si baculo non indigeat: Pal. p. 11. n. 3. Qui vero caret aliquo membro occulto, itaut nec impotentiam, nec deformitatem notabilem afferat, non est irregularis, modo id non contigerit ex propria culpa, juxta d. q. antec., quia tunc, etsi nulla sit deformitas, aut impotentia, est irregularis ex delicto, etiamsi partem membri sibi absciderit; non tamen, si dentem, capillos, barbam &c., quia hæc vix sunt partes, & parum pro nihilo reputatur: Tamb., & alii. Denique abstemius, itaut vinum omnino nequeat bibere, vel illud evomat, aut alio modo patiatur vomitum, non potest ad Sacerdotium promoveri: si autem hic defectus superveniat Sacerdoti, potest reliqua Sacerdotii munia exercere: Bon., Majol., & alii communiter.

III. Infers ex dictis primo, facilius dispensari, aut etiam tolerari defectus corporis in ordinato, quam in ordinando: quare Sacerdos habens defectum corporis impedientem tantum exercitium, v. g. celebrandi, potest absque dispensatione ministrare Sacramentum Pœnitentiæ, & reliqua extra celebrationem, & sic de reliquis; At vero, qui habet defectum corporis impedientem susceptionem Sacerdotii, non potest admitti ad reliquos ordines: Doctores communiter contra Sayrum: potest tamen Pontifex sic dispensare, etiam ad susceptionem Sacerdotii, etiam cum cæco, cum mutilo utraque manu &c. Tamb. & alii.

Infers secundo, Episcopum non posse dispensare in hac irregularitate ex defectu corporis: posse tamen judicare, utrum defectus, vel deformitas inducat irregularitatem, & sic prudenter judicans non inducere poterit promovere ad ordines, vel ordinato usum concedere. Idem judicium Tamb., & alii concedunt Prælatis Regularibus respectu suorum subditorum; licet contradicant Suar., Fil., Avil., & alii.

CAPUT VI.

Quæ sit Irregularitas ex defectu animi?

DEFECTUS animi inducentes irregularitatem sunt tres, amentia, ignorantia, & novitas in fide. Itaque

I. Amentia, vel insania, si sit per modum habitus ex organo, vel humore habitualiter læso, affert irregularitatem: etiamsi permittat lucida intervalla, ex c. *Maritum* d. 33. Quod si deinde constet, esse omnino liberatum ab insania, solus Pontifex dispensat ad ordines suscipiendos: Suar., Bonac., & alii communiter contra Tabien. Ad exercendos vero ordines susceptos potest Episcopus (elapso anno ab amentia, ex cap. *Communiter* d. 33., imo etiam ante, ut docet Suar., Bon., & alii) facultatem concedere, quia sic est potius justa declaratio, quam gratiosa dispensatio: Suar. d. 51. s. 1. n. 15. At, si amentia, seu furor, proveniat ex causa transeunte, puta vi morbi, vulneris, iræ, subitæ passionis, &c., sublata causa cessat per se irregularitas, ex communi usu: qui autem levem quandam mentis alienationem, vertiginem, deliquium, aut quid simile patitur, ad celebrandum non accedat, nisi adjuncto sibi socio Sacerdote: Majol., Suar., Bon., & alii.

II. Ignorantia, si tanta sit, ut reddat ineptum ad munia ordinum, affert irregularitatem, ex c. *Illitteratos* d. 36. Oportet autem distinguere quatuor gradus ignorantiæ. Primo, cum quis omnino ignorat legere, & scribere, & hic est omnino illitteratus, & irregularis, ex text. cit. Secundo, cum quis tantum scit legere,

& ſcribere lingua vulgari; & hic eſt irregularis ad ordines; poteſt tamen initiari prima tonſura, ad quam ex Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 11. ſatis eſt, ſi ſciat rudimenta fidei, & ſciat legere, & ſcribere (lingua vulgari) ut addit Sanch. l. 7. *conſ.* c. 1. d. 45. n. 13. Tertio, cum quis latine etiam legit, & ſcribit, ſed ea non intelligit; & hic eſt irregularis ad Ordines Sacros, ex cap. *Quamvis, de ætat.*, *&* *qualit.*, non tamen ad Ordines minores; quia, quamvis ex Trid. cit. requiratur, ut *Pro minoribus linguam latinam intelligat*, non tamen dicitur, eſſe irregularis, cui talis ſcientia deficiat, ſed tantum prohibet ſub gravi, ne minoribus initietur: Pal., & alii. Quarto denique, cum quis imperfecte intelligit, & loquitur linguam latinam, percipit tamen ſubſtantiam talis locutionis; & hoc cum variam habere poſſit latitudinem, relinquitur arbitrio Epiſcopi judicare, an tantam habeat litteraturam, quanta requiritur ad ſingulos ordines. Et quidem ex Trid. cit. requiritur, *Pro Subdiaconatu*, *&* *Diaconatu*, *ut litteris*, *&* *iis*, *quæ pertinent ad eos Ordines*, *quos ſuſcipit*, *exercendos*, *ſit inſtructus*. *Pro Sacerdotio eas habeat litteras*, *quibus poſſit docere populum de his*, *quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria*, *ſciatque adminiſtrare Sacramenta*. Notant hic Doctores, Tridentinum non imponere irregularitatem, ſed merum præceptum, juxta modo dicta: ſi quis ergo ſine ſcientia a Trid. requiſita ordines ſuſcepit, poterit ex diſpenſatione Epiſcopi in ſuſceptis miniſtrare, dummodo habeat ſcientiam, quæ jure naturali, & divino requiritur: Henr., Avil., & alii.

Ut autem quis aſcendat ad Sacerdotium, non opus eſt, ut ſit idoneus ad confeſſiones; quia non omni Sacerdoti id imponitur, & quando imponitur, novum examen accedere debet ex eod. Trid. At, ſi Parochus ſit illitteratus, dandus eſt ei coadjutor aſſignata congrua ſubſtentatione: Pal., & alii. Denique, qui forte cum barbariſmis, & ſolæciſmis Deum invocat, eſt pie tolerandus, dummodo ſententiam intelligat, ut ex Auguſtino dicitur cap. *Speculo* d. 38., quod ſavere poteſt, quando ordinandus eſt neceſſarius loco, ubi ſapientiorem Epiſcopus habere non poteſt; vel ſi indigeat operario in locis infidelium; vel ſi Canonicus, aut alias Beneficiatus ſit inſignis moribus, aliove dono præditus: Menoch., Tamb. Gibal., & alii. Addunt Henr., Porcel., & alii contra Tambur., & alios, minorem ſcientiam requiri in Religioſo, quam in ſæculari, ad Sacerdotium, quia ſatis eſt, ſi canat in Choro.

III. Novitas in Fide (per quam quis dicitur Neophytus, hoc eſt recens in adulta ætate baptizatus) inducit irregularitatem, ex c. *Sicut Neophytus* d. 48., ne ſcilicet in ſuperbiam elatus in judicium incidat diaboli, ut ait Apoſt. 1. *Thim.* 3., atque is eſt, qui in adulta ætate a Paganiſmo converſus baptiſmum ſuſcepit. Qui vero ab infantia baptiſmum ſuſcepit, non dicitur Neophytus, neque adeo irregularis, etiamſi ab infantia inter infideles vixerit: idemque eſt de eo, qui e Chriſtianis natus, diu inter infideles vixit, ſed eorum ſectam non eſt profeſſus, & deinde, cum primum potuit, eſt baptizatus: Bon., Pal., & alii. Secus vero, ſi, cum poſſet, noluit, ſed diſtulit baptiſmum ad periculum mortis, quia hoc non vacat ſuſpicione infirmæ fidei, niſi forte poſtea ejus fides probata fuerit, ut additur text. cit. Tempus vero, pro quo quis cenſendus ſit Neophytus, relinquitur judicandum arbitrio Epiſcopi, qui juxta qualitatem perſonæ, & debitam illius inſtructionem, poterit illud prolongare, vel coarctare; tranſacto autem decennio non ceuſetur amplius Neophytus, neque irregularis: Sayr., Bon., & alii. Si ergo intra biennium v. g., vel triennium a baptiſmo dederit ſigna ſufficientia probatæ fidei, & morum, poterit ad arbitrium Epiſcopi abſque ulla diſpenſatione promoveri ad Ordines; antea vero ſolus Pontifex diſpenſat: Con., Pal., & alii, ex D. Ambr. in c. *Neophyt.* 61.

CAPUT VII.

Quæ ſit Irregularitas ex defectu libertatis?

DEFECTUS libertatis inducens irregularitatem eſt triplex, Servitus, Matrimonium, & Obligatio ad Ratiocinia. Itaque

I. Servus, hoc eſt mancipium, ſive ex nativitate, ſive ex venditione, ſive ex captivitate, quamdiu ſervitus durat, eſt irregularis, ex tit. *de Serv. non ordinand.*; tum quia ſervire nequeunt Eccleſiæ, cum ſint alterius juris; tum quia humilitas ſervitutis dedecet ſtatum Eccleſiaſticum: Doctores communiter. Hinc, ſi evadat liber, ceſſat per ſe irregularitas; & eo ipſo manet liber, ſi ſciente, & non contradicente Domino, aſcendat ad ſtatum clericalem, ex c. *Si Servus* dub. 54. dummodo unus ſit dominus; ſi enim plures ſint domini in ſolidum, tunc non ſatis eſt, unum non contradicere, niſi etiam illum offerat ad Ordines, quia ſic cenſetur tacite ſe obligare aliis condominis: Tamb. cum Gloſſ. At, ſi ſervus evadat libertus, hoc eſt manumiſſus a Domino reſervante ſibi aliqua tantum obſequia; tunc diſtinguendum, ſi hæc obſequia ſint temporalia, adhuc manet irregularis; ſi vero ſint ſolum ſpiritualia, quæ ſtatum clericalem non dedeceant, poterit ordinari, quia ſic cenſetur jam abſolute liber, ex c. *Nullus de Serv. non ordinand.* Libertinus vero, hoc eſt liberti filius, nullatenus eſt irregularis, quia liber omnino eſt, & ſolum debet patrono reverentiam: Bartol., & alii. De libertis Eccleſiæ, V. Ugol. *de Irreg.* c. 37. §. 4.

Durante ſervitute ſolus Papa diſpenſare poteſt in hac irregularitate. An autem poſita diſpenſatione Papæ, & ſervo ordinato ſine licentia Domini, debeat Pontifex ſolvere pretium Domino, an potius cenſeatur diſpenſare, ut maneat ſervus in temporalibus obſequiis, quæſtio eſt ad praxim non pertinens. Illud ſciendum, quod, ſi ignorante, aut contradicente domino, ſine ulla diſpenſatione aſcendat ad ſtatum clericalem, peccat, & in minoribus manet ſervus, ſicut ante, nec gaudet privilegio clericali, ex c. *Antiquis* d. 54.: in majoribus vero ſubdiſtingue, ſi fiat ordinatio ab Epiſcopo conſcio malitiæ, aut hoc ignaro ab aliis inducentibus Epiſcopum, tenentur hi reddere domino pretium ſervi duplicatum, aut duos ſervos, unum ex juſtitia, adeoque ante ſententiam Judicis, alterum in pœnam, adeoque poſt ſententiam, etſi ille ſervus evadat liber, ex cap. *Si Servus* d. 54.; ſi vero ſolus ipſe ſervus fuit conſcius malitiæ, & ſi nondum ſit Sacerdos, manebit ſervus, & ſuſpenſus ab ordine, cum privilegio tamen canonis, ut probabiliter putant Sayr., Tamb., & alii. Si ſit Sacerdos, erit quidem liber, ſed cum onere ſolvendi domino alium ſervum, vel pretium ex ſuo peculio, aut miniſteriis non indignis Sacerdotio, vel ſpiritualia obſequia, ſi nihil habet: Tamb., Gibal., & alii.

II. Matrimonium, etiam cum virgine, quouſque duret, reddit maritum irregularem, ſeu inhabilem ad ordines, exceptis tamen tribus caſibus jure expreſſis: Primo, Si ante conſummationem alteruter, etiam ſine licentia alterius, ingreſſus, & profeſſus ſit Religionem: Secundo, Si poſt conſummationem uxor det licentiam viro, ut initietur ſacris, vovens ipſa caſtitatem in Religione, vel in ſæculo: Tertio, Si ob adulterium uxoris fiat juridice divortium, juxta dicta de matrimonio. At quid, ſi poſt conſummatum matrimonium putans bona fide, uxorem eſſe mortuam, initieris ſacris, & poſtea reſcias, eam vivere, & hæc reſciens te initiatum ſacris conſentiat, ut in his maneas ſeparatus ab ipſa? Dico, in caſu te non eſſe irregularem; quia id nullo jure eſt expreſſum, cum in Extrav. *Antiquæ de Voto* ſermo ſit de eo tantum, qui ordinetur ſciens uxorem vivere, qui proinde ſit irregularis ex delicto; tu vero in caſu nil deliquiſti: ergo, &c. Defectus autem libertatis ceſſat in caſu per licentiam uxoris, etſi ea nolit ne in ſæculo quidem vovere caſtitatem, quia text. cit. ſolum loquitur de illo, qui ſine licentia uxoris promoveatur, ut addit Sauch. l. 7. *Matr.* d. 49. n. 3.

III. Obligatus ad ratiocinia, hoc eſt ad reddendam rationem adminiſtrationis ſui officii ſæcularis, eſt irregularis, quouſque durat officium, & obligatio poſt ipſum rationis reddendæ, ex cap. unic. *de Obligatis ad Ratiocinia*; quia ſic eſt minus aptus, ac liber ad functiones ſacras. Tales ſunt omnes curiales, ideſt qui curiæ ſæculari ſunt obligati juramento, vel ſtipendio, &c., ut Judices, Advocati, Actores, Executores Magiſtratus, Capitanei, Prætores, Sollicitatores, Procuratores, Commiſſarii, Nuntii publici: item Duces, Milites, arcis Præfecti, Theſaurarii, Depoſitarii publici, Tutores, Curatores, imo etiam Feudatarii, qui obligantur exhibere domino feudi obſequia perſonalia, &c., niſi habeant ſpecialem diſpenſationem a Papa pro his officiis, vel conſuetudo ſciente Papa id permittat. Si quis ergo manens in tali officio ordinetur, graviter peccat, nec poteſt Ordinibus uti, & ſimul in officio perſiſtere: Sayr., Tamb., & alii contra Bon.; Imo, ſi quis poſt officium, ſed nondum abſolutus ratiociniis ordinetur, debent ejus bona tradi creditoribus, &, ſi non ſufficiant, tenetur Epiſcopus, ſi ſciens id fecerit, compenſare: Doctores cit. Poſt ratiocinia poterit ordinari, etiamſi ex illis adhuc maneat obligatus ad ſolvendam pœnam, quia jura loquuntur tantum de obligatione ad ratiocinia, niſi vero maneat adſtrictus pœnæ ex dolo, vel

pro-

probabiliter timeatur lis de tali dolo, quia sic est irregularis ex infamia, vel periculo infamiæ: Suar. Pal. Tamb. & alii. Poterit pariter ordinari, si deponat officium, & reddat rationes, vel præstet pignus, aut fidejussorem, vel cedat bonis per cap. *Odoardus*: Doctores cit. At, si administratio, vel obligatio ad ratiocinia superveniat Ordinato, non infert irregularitatem, quia de hoc jura non loquuntur: Ugol. Tamb. & alii.

Demum noto ex Suar. n. ult. quod, licet irregularis per se loquendo non sit, qui est gravatus ære alieno, tamen, si tanta, & talia sint debita, ut sine litibus, & contentionibus expediri non possint, tunc vere incidit in defectum obligationis ad ratiocinia, vel si tale sit debitum talis personæ, ut, cum aliter non sit solvendo, possit jure civili reddi in servitutem, aut obsequium creditoris, adeoque habetur irregularitas, & inhabilitas ad ordines ex defectu. Uti etiam est defectus legitimi tituli, scilicet beneficii, patrimonii, vel pensionis, aut professionis Religiosæ, qui defectus in laico inducit irregularitatem, ex Trid. *sess.* 21. *c.* 2. *de Ref.*

CAPUT ULTIMUM.

Quæ sit Irregularitas ex defectu ætatis?

DEFECTUS ætatis requisitæ secundum Canones ad aliquem ordinem est quædam irregularitas, cum sit impedimentum Canonicum ad eorum susceptionem, & usum, ex Clem. ult. *de Ætat. & qualit.* per se tamen cessat, adveniente ætate, juxta dicta d. antecedenti. Antea vero solus Papa dispensat, ut quis ordinetur, vel utatur in ordine suscepto; cum Episcopus nihil circa hoc habeat concessum a jure, vel consuetudine. Si ergo culpabiliter ordineris ante legitimam ætatem, manes suspensus ab ordine suscepto; ideoque, si illum exerceas, incurris novam irregularitatem, quæ certe non cessat adventu ætatis, ut nec suspensio, quamvis cesset irregularitas orta ex defectu ætatis. Denique defectus ætatis requisitæ secundum canones ad beneficia reddit irritam eorum collationem, electionem, impetrationem, &c. utpote factam personæ inhabili, & contra formam a jure præscriptam: Azor. Ugol. Pal. *de Benef.* d. 4. p. 3. n. 21.

De ætate requisita ad ordines actum est d. antecedenti. Ad beneficium simplex, vel canonicatum Collegiatæ, vel dimidias portiones Cathedralis, requiritur annus 14. saltem inchoatus. Ad Canonicatum Cathedralis, vel ejus portiones integras requiritur ætas, quæ capax est, ut intra annum suscipias ordinem adnexum. Ad dignitates, & personatus curam animarum non habentes requiritur annus 22. completus. Ad beneficium curatum requiritur annus 25. saltem inchoatus: idemque est de vicaria perpetua Ecclesiæ Parochialis, ac de Coadjutoria, Abbatia, Decania, Præpositura, Archipresbyteratu, cæterisque dignitatibus curam animarum habentibus: idem de dignitatibus regularium, tametsi beneficia manualia sint. Ad Episcopatum, vel Cardinalatum requiritur annus 30. completus. Ad Canonicatum Pœnitentiarium requiritur annus 40. saltem inchoatus, & insuper, ut sit Doctor, vel Licentiatus in jure Canonico, aut in Theologia, nisi aptior pro loci qualitate non reperiatur. Denique in Abbatissatum, Priorissatum, seu Præfecturam Monialium requiritur annus 40. completus, & insuper, ut octo annis post Professionem laudabiliter vixerit; &, si hæc non reperiatur in Monasterio, ex alio ejusdem ordinis eligi potest: si minus ex consensu Prælati eligi potest, quæ ibi habet annos 30. completos, & post professionem laudabiliter vixerit: Pal. loc. cit. ex Trid. & aliis textibus.

Hæc omnia, tum de Censuris, atque Irregularitate, tum de omni re Theologico-Morali hucusque ad Majorem Dei Gloriam, atque Animarum salutem dicta sint satis.

F I N I S.



ADDENDA.

Ad Appendicem de Jubilæo Anni Sancti non immerito factum censuimus addere hic Indictionem universalem recens editam a BENEDICTO XIV. felic. Regn. quæ in integrum exhibemus prout sequitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem.



EREGRINANTES a Domino, & futuram Civitatem Patriam nostram inquirentes, in multis omnes offendere, atque a via mandatorum Dei sæpe nos declinare, & quasi insipientes Oves aberrare, nimis est exploratum. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus; arguente nos conscientia nostra de multitudine prævaricationum nostrarum, propter quas formido mortis conturbat nos, & timor, & tremor veniunt super nos, in cogitatione appropinquantis judicii Dei. Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus Deum, cujus vera, & justa sunt judicia, cujus flagella non alia de causa congregata sunt super nos, nisi quia peccavimus ei, injuste egimus, iniquitatem fecimus; & ideo nos temporaliter cædere, & castigare non desinit, ut convertamur ad eum, antequam sempiternam adducens retributionem adveniat.

Hujus rei causa pia Mater Catholica Ecclesia potissimam hanc pietatis curam alumnis, filiisque suis incessanter impendit, ut errantes ad viam justitiæ, ruentes in præceps ad rectum salutis tramitem revocet; lapsos ad pœnitentiam, & per hanc, ad delictorum veniam obtinendam adducat; meritisque pœnis obnoxios, ad dissolvendas impietatis colligationes, oblatis Misericordiæ Divinæ remediis, invitet. Sed pauci sunt, qui Ecclesiæ salubriter monenti auscultent. Plerique enim vel pravis affectionibus adstricti, vel solitudinibus, & voluptatibus vitæ impliciti, pœnitentiæ spiritum, & labores, morumque emendationem refugientes, divitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnunt: Indulgentiarum vero thesauros, quos prolixa Ecclesiæ benignitas omnibus, ubique, & omni tempore apertos exhibet, alii damnabiliter negligunt, alii non rite acquirere, & promereri student. Interim vero dies nostri deficiunt, & omnes sicut aqua dilabimur super terram; quum autem apparuerit justus Judex, tunc sero agnoscemus, secundum duritiam nostram, & impœnitens cor, thesaurizasse nobis iram in die iræ; atque omnia manere Divino judicio punienda, quæcumque non fuerint pœnitentiæ emendatione deleta.

Bene itaque ac sapienter Prædecessores Nostri Romani Pontifices, certa quædam tempora in sæculorum evolutione delegerunt, quibus universos per Orbem Terrarum Christi Fideles de ingruente Mundi fine commonefactos, majori studio excitarent ad redimenda peccata, ad salvandas animas; cumque id olim centesimo quoque anno fieri consuevisset, habita deinde ratione illius temporis, intra quod generationes hominum passim renovari conspiciuntur, post singulos vigintiquinque Annos hoc idem provide præstandum esse decreverunt; ut novis subinde Familiis super faciem terræ succrescentibus, genetalia propitiationis, & indulgentiæ consequendæ media, non sine apta pœnitentialium operum præfinitione, suppeditarent. Annum hunc acceptabilem, annum renovationis & pœnitentiæ, annum reconciliationis & gratiæ, Sanctum in Ecclesia merito appellatum, qui proximo hyemali solstitio aperietur, annunciamus vobis, quotquot Catholico nomine censemini, ac paterno vos affectu adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; neve nostra, & Ecclesiæ consilia, quæ ad pacem, & salutem directa sunt, in irritum cedere sinatis.

Audite, audite summam Apostolicæ Prædicationis, quam Dominus JESUS CHRISTUS Nobis etiam, indignis licet, ad Apostolicæ servitutis officium vocatis, demandavit: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum Cœlorum. Filioli, novissima hora est, revertimini ad Dominum, reconciliamini Deo. Et Mundus transit, & concupiscentia ejus; nec aliis promittitur æterna stabilitas, quam his, qui fecerint voluntatem Dei, quæ manet in æternum. Quæ est autem voluntas Dei, nisi sanctificatio vestra? Ad hanc perficiendam vocat vos communis Mater Ecclesia Romana, quæ proximum hunc annum in publicis Religionis, & pietatis exercitationibus totum impendet, id optans, ut filii sui omnes, quicumque Catholicæ doctrinæ lacte per omnem Terrarum Orbem imbuti sunt, de latere surgant, ac de longe veniant, & conspirante pietatis studio, Dei misericordiam, & gratiam, tam sibi singuli, quam universæ Fraternitati demereant. Aperit illa advenienti multitudini Sacrorum Templorum Portas; sed multo magis pandit Maternæ charitatis sinum, atque omnibus sincere postulantibus, & digne inquirentibus, certam peccatorum veniam, & indulgentiam promittit.

Huic promissioni fidem indubiam adstruunt, tum suprema ligandi, atque solvendi potestas, Beatissimo Apostolorum Principi, ac per eum Nobis in illius Sede residentibus, ipsa Redemptoris voce tributa, & inæstimabilis meritorum, & satisfactionum thesaurus, ex ipsius Christi Domini, ejusque Virginis Matris, omniumque Sanctorum meritis, passionibus, ac virtutibus constans, ejusdem Beati Petri, nostræque similiter dispensationi concreditus, tum sanguis Apostolorum, & Martyrum, qui ad Ecclesiæ hujus ædificationem tamquam aqua olim super terram effusus, clamat ad Dominum, suisque cultoribus veniam precatur, & pacem; tum recta disciplinæ ratio, ad Ecclesiasticæ regulæ normam in præscribendis salutaris pœnitentiæ operibus, & ad Ecclesiasticæ lenitatis spiritum in Indulgentiæ largitione conformata; tum denique propositi finis sanctitas, Christianæ plebis utilitas, majorum exemplum:

Quod igitur ratio temporis, & prædictorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum admonet consuetudo, illorum vestigiis inhærentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium assensu, universalis, & maximi Jubilæi in hac Alma Urbe Nostra celebrationem in annum proximum Millesimum septingentesimum quinquagesimum, a primis Vesperis Vigiliæ Nativitatis Domini Nostri JESU CHRISTI proxime futuræ inchoandam, & per totum annum ipsum finiendam, auctoritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Petri, & Pauli, ac Nostra, ad ipsius Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiæ exaltationem, ac totius Christiani Populi sanctificationem, indicimus, & promulgamus.

Quo quidem Jubilæi anno durante, omnibus utriusque Sexus Christi Fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, sacraque Communione refectis, qui Beatorum Petri, & Pauli, nec non Sancti Joannis Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe Basilicas semel saltem in die, per triginta continuos, aut interpolatos dies, sive naturales, sive etiam Ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romani, vel Incolæ Urbis, si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem hujusmodi dies, devote visitaverint, & pro Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, Hæresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & Christiani Populi salute, & tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, & veniam misericorditer in Domino concedimus & impertimur.

Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo, vel alia legitima causa detenti, aut morte præventi, præfinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato, præmissa exequi, & dictas Basilicas visitare nequeant: Nos piæ promptæque illorum voluntati, quan-

tum

tum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere pœnitentes, & confessos, ac sacra Communione refectos, prædictæ Indulgentiæ, & remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus a Nobis præscriptis reipsa visitassent, ut præfatis necessitatibus impediti, desiderii sui effectum, dono Sancti Spiritus consequantur.

Commovemini itaque, ut par est, universi Catholicæ Ecclesiæ Filii ad tanti muneris vobis oblati nuncium, ac summa alacritate, & spiritus fervore aggredimini opus, quod salvare potest animas vestras. Non vos retineant assueti domicilii commoda: Non vos terreat itineris labor; Sed spiritualis Thesauri acquisitionem Christianæ Fidei æstimationa pensantes, nolite committere, ut major appareat in negotiatoribus sæculi terrenæ substantiæ aviditas, quam in Fidelium cordibus divitiarum cœlestium desiderium. Ingens itineris vestri luctum spiritualis consolationis cumulabit suavitas. Quid enim Christiano homini jocundius accidere potest, quam Gloriam Crucis Christi in supremo, quo in Terris fulget, splendoris lumine conspicere, ac monumenta Triumphalis Victoriæ, qua Fides nostra Mundum devicit, propriis oculis intueri? Hic videre licebit ad Religionis reverentiam sæculi culmen inclinatum; ipsamque serrenam quondam Babylonem, in novæ, ac Cœlestis Civitatis speciem conversam, non quidem ad conterendas Nationes, & subjuganda Regna, sævas armorum, bellorumque minas intentare, sed ad docendos salvandosque Populos, Doctrinæ Cœlestis, atque intemeratæ Disciplinæ documenta depromere: Superstitionis hic olim regnantis memoria oblivione sepulta, sincerum veri Dei cultum, sacrorumque Rituum Majestatem ubique splendere; Mendacium Numinum eversa delubra, summi Dei Templa casta Religiona consecrata; impios Theatrorum ludos, & vesana Circensium spectacula ex hominum mentibus obliterata, frequentata Martyrum Cœmeteria: Dejecta Tyrannorum Monumenta, Apostolorum Sepulchra Imperatoriis manibus ædificata: Pretiosa quæque Romanæ superbiæ ornamenta, ad Sacrarum Basilicarum cultum translata; & quæ olim, subactis Provinciis, oblata Diis gentium fuerant celsiora donaria, nunc ab impura superstitione expiata, invictæ Crucis Trophæum justius, & felicius sustinere. Ipse demum conspectus innumerabilis Fidelium multitudinis hoc ipso anno ad Urbem undique confluentis, justo, sanctoque gaudio cumulabit cor vestrum; dum suam quisque fidem in tot diversarum Nationum, linguarumque hominibus agnoscens, & cum his omnibus in charitate fraternitatis apud communem Matrem Ecclesiam Romanam in Domino congaudens, cœlestium benedictionum rorem, tamquam de vertice Hermon in Sanctæ Civitatis habitatores de proximo defluentem, uberius in se derivari persentiet.

Atque utinam Nobis datum esset, ad unitatem Catholicæ Fidei redeuntes conspicere, ac vobiscum, Dilecti Filii, convenientes amplexari tot alios, olim ejusdem Fidei, & conversationis alumnos, qui jamdiu diabolica fraude decepti, atque e Domo pientissimæ Matris digressi, adhuc de longe stant, & obturant aures suas, ne audiant illius vocem, ad suum sinum eos amantissima revocantis. Sed numquid non audiunt? Numquid non intelligunt, quot, & quam variis errorum vanitatibus jactentur, ex quo derelinquentes eam, quam a Patribus acceperant, Fidem, & Unius Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ antiqua & sancta deserentes instituta, hominum commentis intendere cœperunt, & tradiderunt se erudiendos iis, qui secundum voluntatem suam doctrinis variis, & peregrinis eos abduxerunt? Sed heu! quam multi sunt inter illos, qui hæc non ignorent! & quidem propriæ cujusque sectæ fundamenta nutare, ac, si paululum excutiantur, facile labi, & corruere, non diffitentur. At, quod magis deflendum est, prava quædam incuria circa ea, quæ Dei sunt, humanos animos occupavit, propter quam veritatis lumen, & conscientiæ suæ voces contemnunt, nec tam Ecclesiæ Catholicæ, quam Animarum suarum hostes, nolunt intelligere, ut bene agant, neque scrutari vias Domini rectas, per quas unice ad salutis portum reduci possunt. Expergiscantur saltem, Fidei vestræ, ac devotionis exempla intuentes, ac serio tandem cogitent, inexcusabiles se fore apud Divinum Judicem, si oblatas sibi veritatis agnoscendæ rationes aspernari pergent. Sit illis æmulationi ac pudori studiorum vestrorum manifesta concordia, in Dei cultu, in emendatione vitæ, in unanimi observantia erga communem Patrem, Magni Pastoris Vicarium, cujus votorum summa est, ut repleatur Terra scientia Domini, ac Dei honor, cum Fidei Christianæ puritate, & morum sanctitate, apud omnes ubique Gentes floreat, & augescat. Id postulabimus, velut agmine facto; id precum vestrarum suffragiis obtinere sperabimus a clementissimo Domino, qui a servis suis, quoties simul ipsum orare consueverint, quandam quasi vim sibi fieri profitetur; simulque cum pro Ecclesiæ Catholicæ pace, pro Christianorum Principum felicitate, pro universi Fidelis Populi incolumitate precabimur.

Vos autem, Venerabiles Fratres, Catholicæ Religionis Antistites, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, qui apud Christianas Plebes legatione fungimini pro Deo, & Ecclesia, vocate Cœtum, congregate Populum, annunciate ipsis Annum Domini acceptabilem; Omnique rationa data operam, ut paternæ charitatis Nostræ consilium, ad Dei gloriam, totiusque Ecclesiæ utilitatem, ex Venerabilium Prædecessorum Nostrorum instituto susceptum, proposito Nobis non fraudetur effectu. Et quoniam Misericors Deus exoptatissimam pacem, post diuturni belli calamitates, enixis Populi sui obsecrationibus largiri dignatus est; ad ipsius Populi emendationem, æternamque salutem proficiat, quod ad ejus temporalem tranquillitatem contulit Dei Nostri benignitas. Novum belli genus adversus salutis Nostræ hostes nunc est suscipiendum. Cohibenda est ab omnibus opinandi, agendique licentia; coercenda vitæ luxuria atque superbia; iniquorum quæstuum cupiditas refrænanda; expurganda omnis immunditia; reconciliandæ simultates, abolenda sunt odia.

Agite ergo Sacerdotes, Ministri Dei, clangite tubis, & spiritale hujusmodi Bellum adversus inimicos Crucis Christi indicite. Confortate remissas Militum vestrorum manus, soluta genua erigite; in primisque rectos gressus facite eorum pedibus, qui ad hanc Religionis arcem, & inexpugnabile propugnaculum conferre se statuent. Audiant ex Vobis, non se ad otiosam vagationem, aut ad curiosa spectacula huc evocari, sed ad tractanda Christianæ Militiæ arma, & ad colluctationis, pugnæque labores accipi. Quæ autem arma Satanas pertimescit, nisi piorum Vigilias, Orationes, Jejunia, eleemosynas, Christianæque humilitatis, & Misericordiæ opera? Quibus nimirum, & humanæ cupiditatis tyrannica dominatio destruitur, & ejus, quæ in Deum, & in proximum est, Charitatis regnum firmatur, & ampliatur.

Ad hoc igitur pium bellum prodeuntes, oportet Cruce Christi munitos, & in omni armatura Dei collectos incedere, ut ne quis insidiantibus hostibus suppetat nocendi locus. Placidi, atque concordes, modesti, ac religiosi, itinerum suorum spatia transcurrant; implorantes regimen, & misericordiam, & adjutorium Dei; ut cujus signa sequi se profitentur, illius disciplina se dignos exhibeant; & cujus auspiciis militant, ejus etiam ductu & auxilio, propositam victoriæ coronam mereantur acquirere. Vos vero, Venerabiles Fratres, cum hæc iisdem insinuare curabitis, hoc simul cogitate, quod facile est quidem exhortationis, & suasionis officium; sed validiora sunt exempla, quam verba; & plenius est opere docere, quam voce. Luceat itaque coram ipsis sanctæ conversationis vestræ splendor, ut videant opera vestra bona, & ad normam eorum, vitam moresque suos exigant, & conforment. Hospitalitatis, beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci; & dum Ecclesia spiritualibus Fidelium indigentiis uberiorem exhibet clementiæ mansuetudinem, temporales quoque pauperum necessitates, a pietate vestra, majori misericordiæ largitate subleventur.

Carissimos quoque in Christo Filios Nostros, Imperatorem electum, ac Reges, & Principes omnes Catholicos, hortamur, & rogamus in Domino, ut quo plura, & magis illustria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur; Præcipue vero Venerabilium Fratrum Nostrorum Episcoporum, & superiorum Antistitum Pastoralem sedulitatem, & vigilantiam adjuvent, & a suis Magistratibus, & Ministris adjuvari mandent, ut improborum licentia coerceatur, & bonorum studia, eorum Regia ope, & gratia foveantur. Maxime autem erga Peregrinos munificentiam, & liberalitatem exerceant, curentque, ut tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, sed Hospitalibus, Domibus, & publicis Hospitiis amanter excepti, & commeatu, rebusque ad viam necessariis recreati, sine ulla concussione, & injuria, institutum iter læti peragant, & cum gaudio in Patriam revertantur. His enim hostiis Reges potissimum, & Principes Deum sibi placabilem reddent,

ut diu in terris felices vivant, & demum in æterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus CHRISTUS pascitur, & nutritur.

Ut vero præsentes Litteræ ad omnium Fidelium, quibuscumque in locis existentium, notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ sigillo munitis, eamdem prorsus fidem haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent, & ostensæ.

Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostræ indictionis, promulgationis, concessionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1749: tertio Nonas Maji, Pontificatus Nostri Anno Nono.

D. Card. Passioneus.

I. Datarius.

Visa.

De Curia J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

I. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Millesimo septingentesimo, quadragesimo nono, Indictione duodecima, die vero quinta decima Maji, Festo Ascensionis Domini Nostri JESU CHRISTI, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini BENEDICTI Divina providentia PAPÆ XIV. Anno Nono, præsentes Litteras Apostolicas in Atrio Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ de Urbe, adstante Populo, legi, & solemniter publicavi.

Ego I. C. Boschi Abbreviator de Curia.

Anno a Nativitate Domini Millesimo septingentesima quadragesimo nono, Indictione duodecima, die vero quinta decima Maji, Pontificatus SS. D. N. BENEDICTI PAPÆ XIV. Anno Nono, supradictæ Litteræ Apostolicæ in Atrio Basilicæ Principis Apostolorum, ut supra publicatæ, ad valvas ejusdem Basilicæ affixæ fuerunt, ac eædem postea publicatæ in Basilicis S. Pauli, Lateranensi, & Sanctæ Mariæ Majoris, & ad earum valvas affixæ fuerunt, prout similiter ad valvas Cancellariæ Apostolicæ, & Magnæ Curiæ Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis dimissis Copiis, ut moris est, per Nos Nicolaum Cappelli, & Josephum Renzoni SS. D. N. PP. Cursores.

Antonius Besani Magister Cursorum.

* AD tertium Decalogi præceptum *De dierum festorum observatione*, quod explicuimus tr. 2. d. 1. q. 4. per totam, addendum hic opportune judicatur pro Regnis utriusque Siciliæ Breve recens editum, die scilicet 22. Decemb. 1749. a Bened. XIV. felic. Regn., cujus initium *Cum, sicut*, quo Sanctiss. Pont. instante tum Piissimo utriusque Siciliæ Rege nostro Carolo, tum Archiepiscopis, & Episcopis Regni Siciliæ citra Pharum, nec non Messanensi, & Panormitano Archiepiscopis (quibus Breve dirigitur) *Pauperum calamitatibus sublevandis, Sanctorumque dierum cultui amplificando*, Festis quibusdam diebus servilia opera exerceri posse permittit. Iis igitur mandat SS. Pontifex in hæc verba: *Ut diebus Dominicis Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes, aliisque per annum Dominicis diebus; necnon diebus Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, & Nativitatis Domini, diebus Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ; Natali die Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, die festo omnium Sanctorum, ac festo die cujusvis præcipui quarumcumque Civitatum, vel locorum Diœcesum prædictarum Patroni, pro veteri Ecclesiæ Catholicæ instituto, Sacris non tantum astare Christifideles vestrarum respective Civitatum, & Diœcesum teneantur; sed etiam a servilibus operibus feriati sint. In reliquis vero festis, sive per Apostolicam hanc Sanctam Sedem, sive per Synodales quarumcumque Diœcesum hujusmodi constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per Christifideles Civitatum, Diœcesum, & Provinciarum hujusmodi, eorumque Majores facti, quod, quoad hanc partem auctoritate nostra Apostolica per vos commutari volumus, præceptis, præscriptisque, Sacrosancto Missæ Sacrificio intersint; cæterum negotiis familiaribus, servilibusque suis operibus, sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo incumbere integrum cuique sit. Ubi vero obtingit, unum, eundemque Episcopum duabus præesse Ecclesiis invicem canonice unitis (quod potissimum in Regno Siciliæ citra Pharum evenit) quarum unaquæque suum habet præcipuum Patronum, homines tantum illius Diœcesis, cujus Patroni festivus dies recurrit, non vero alterius, volumus, & præcipimus eodem die, tum Missæ Sacrificio adesse, tum a servilibus operibus sibi temperare.*

Hortatur deinde supradictos Episcopos, & Archiepiscopos, subdens. *Ut Populos vestræ curæ commissos, quam sæpissime edoceatis, quæ ad justam, legitimamque dierum festorum celebrationem pro temporum varietate pertinere videbuntur, qua spiritus alacritate, qua mentis contentione, qua cordis humilitate astare oporteat Sanctissimo Altaris Sacrificio, in quo Christus Dominus tradit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis, quam frequentes Divinis Officiis, Sacris Concionibus, Christianæ Doctrinæ explicationibus, & explanationibus esse debeant, & quanti piaculi sit eos temerare dies, quos ad sui nominis gloriam amplificandam sibi Dominus consecravit. Ne autem per eos dies potissimum Christifidelium corda graventur in crapula, & ebrietate, ac cogitationibus sæcularibus, quam diligentissime curare debetis, ut profana quæque, ludrica, & minus religiosa, publicis locis quam longissime amoveantur, etiam invocato, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis; quod sane non defuturum neutiquam dubitamus: Memores semper Prophetici illius Oraculi, quo solemnitates, quas vitiosa consuetudine homines deturpant, tanquam stercus a Deo projiciendas, & disperdendas esse declaratur.*

Ne vero Constitutiones, Concilia, &c. Brevi huic obstare posse quis autumet, ejus robur denique firmat, addendo, *Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Provinciarum, Civitatum, Diœcesum, & locorum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.* *

INDEX LOCUPLETISSIMUS
RERUM OMNIUM NOTABILIUM,

Quæ in toto hoc Opere continentur,

Prior numerus indicat Paginam, secundus Columnam.

A

*BBAS* num possit elargiri munera præter escu-lenta, & poculenta. pag. 133. col. 1. Licet aliquibus Abbatibus concessa sit facultas exercendi pontificalia, in ea tamen non comprehenditur facultas confirmandi. 261. 1. Ex concessione, quam habent a Papa, possunt conferre tonsuram, & ordines minores sibi subditis, non vero aliis. 297. 1. Num suis novitiis, ib. Abbates regulares, non sæculares, dare possunt dimissorias suis subditis. 199. 1. Num etiam suis novitiis, & ad quemcumque Episcopum. ib. Num, & quæ altaria possint consecrare. 280. 1. Num, & quo jure possint censuras ferre. 443. 2.

Abbatissa non potest ferre leges, neque in virtute præcipere S. Obedientiæ. 22. 2. Quo sensu possit monialibus præcepta imponere saltem temporalia, quæ tamen sub gravi obligent. ib. Abbatissæ, Priorissæ, &c. in odiosis num comprehendantur sub nomine Monialium. 370. 1. Possunt probabiliter irritare vota Religiosarum. 98. 2. nisi obstet consuetudo, possunt confiteri cuivis Confessario generaliter ab Episcopo approbato. 341. 1. Secus non approbato. ib. 2. V. *Approbatus ad Confessiones Monialium*. Nequeunt Abbatissæ, Priorissæ, &c., ferre censuras. 443. 2. Neque ut delegatæ. 444. 1. Quo sensu dicantur Clericos sibi subditos suspendere. ib. Nequeunt tamen ipsæ suspendi. 467. 2. Quæ ætas requiratur ab abbatissarum, prioratum, præfecturam Monialium, &c. 495. 1. Quid, si in Monasterio nulla inveniatur habens ætatem 40. annorum requisitam. ib.

Abortus. Illicitum est abortum directe procurare fœtus, sive animati, sive non animati. 235. 2. Num etiam indirecte. 236. 1. V. *Mater*. Si detur pharmacum ægrotæ prægnanti causativum abortus, incurriturne 12. casus reservatus cum excommunicatione in Diœcesi Neapol.. 272. 1. Est item casus specialiter reservabilis in Ordinibus Religiosis. 275. 1. Si femina tecum fornicata dicat, se velle procurare abortum, & tu volens, taceas, sis irregularis ex delicto. 482. 2. Si nequeas dimovere matrem a consilio dato abortus, sisne irregularis. ib. 1. Quid, si dubites, an abortus a te factus fuerit fœtus animati. 485. 1. Quando autem fœtus censendus sit animatus. ib. 2.

Abrogatio legis est *Sublatio legis secundum totum*. 39. 2. Quæ lex possit abrogari, & num ad abrogationem requiratur promulgatio. ib. Quando lex posterior censeatur priorem legem abrogare. ib. Num lex condita ab inferiore, & a superiore confirmata possit ab illo, ejusque successore abrogari superiore inconsulto. ib. V. *Legislator*.

Absens. *Absentia*. Matrimonium contractum inter absentes. V. *Procurator*. *Matrimonium*. Absolutio collata absenti, V. *Absolutio a peccatis*. *Absolutio a censuris*. Absentia a Diœcesi, V. *Residentia*. Subditus committens delictum in absentia a territorio, V. *Subditus*. *Homicidium*. Sponsalia inter absentes, V. *Sponsalia*.

Absolutio a peccatis est *Forma, in qua præcipue est vis Sacramenti Pœnitentiæ*. 375. 2. Differt ab absolutione a censuris. ib. Essentialiter consistit in verbis formalibus. ib. Illicite simul, & invalide confertur absenti. 323. 1. & 375. 2. Quæ præsentia sit sufficiens præsertim in absolutione moribundi. ib. Quomodo dari possit pluribus ratione terræmotus, &c. 376. 1. Num sic eam conferens sine necessitate peccet, & qualiter. ib. Quæ verba necessario requirantur ad essentiam talis absolutionis, & quæ possint omitti. ib. & 2. Valetne absolutio, si immutentur verba per synonima, vel verba proferantur imperativo, aut deprecativo modo, vel deferatur *Dominus noster*, *&c.* ib. Dicens *Absolvo dominationem vestram*, vel sciens latinum sermonem proferat illam italice, peccat venialiter. ib. 1. Quare Ecclesia dicit *Absolvo*, cum Christus dixerit *Remiseritis*. ib. Quomodo, seu quibus ritibus danda sit absolutio Sacramentalis, & num præmittenda absolutioni a censuris. ib. 2. & seq. 1. V. *Absolutio a censuris*. Data ex metu, aut ex errore circa personam num valeat. 248. 2. & 376. 2. In absolvente requiritur attentio debita, & intentio saltem virtualis. ib. Si duo Sacerdotes ambo conditionate absolvant eundem moribundum, essetne valida absolutio. ib. Quando, & quomodo danda sit absolutio. 377. 2. V. *Confessarius*. Num, quando absolutio datur sub conditione, debeat hæc exprimi verbis. ib. & seq. An aliquando iteranda. 378. 1. Ignorans mysteria Fidei nequit absolvi. 54. 1. & 378. 2. Num aliquorum mysteriorum ignorantia reddat absolutionem invalidam etiam in mortis articulo. ib. Qui versatur in occasione remota, regulariter potest absolvi: secus, qui in proxima. 379. 1. V. *Occasio proxima*. Num absolvendus recidivus. ib. 2. & seq. V. *Recidivus*. Vel blasphemus. V. *Blasphemus*, vel jurans ex consuetudine. 87. 1. Vel dives pauperes a se sine eleemosyna repellens. 112. 1. Vel qui retinens rem alienam, non vult, nisi in mortis articulo, restituere. 208. 2. Absolutio in articulo mortis, V. *Moribundus*.

Absolutio a censuris, & casibus reservatis. Quis possit absolvere a casibus papalibus, vel episcopalibus, &c. in articulo, vel periculo mortis. 335. 2. Quis a casibus, & censuris papalibus extra articulum, vel periculum mortis, in casu legitimi impedimenti, sive perpetui, sive temporalis. 351. 1. 2. Quis ab Episcopalibus extra etiam articulum, vel periculum mortis, præsertim in casu legitimi impedimenti. 352. 2. & seq. 1. 2. Quis possit pœnitentem regularem absolvere a reservatis. 353. 2. & seq. 1. 2. V. *S. Pœnitentiaria*. *Legatus a latere*. *Episcopus*. *Vicarius capitularis*, vel *generalis*. *Prælatus regularis*. *Confessarius sæcularis*, *&* *Parochus*. *Confessarius Regularis*. *Superior Regularis*. Quomodo intelligendæ sint concessiones absolvendi a reservatis. ib. 2. Num petere licentiam pro absolutione a reservatis, sit onus pœnitentis, an Confessarii. ib. & 355. 1. Licentia petita & non obtenta nequit Confessarius pœnitentem absolvere. ib. Quid, si pœnitens sit regularis. ib. Num possit denegare superior hanc facultatem. ib. Quomodo intelligendæ sint licentiæ limitatæ absolvendi a reservatis. ib. 2. Quomodo illimitatæ. ib. V. *Bulla Jubilæi*. *Bulla Cruciatæ*. *Confessarius*.

Absolutio a censuris differt ab absolutione Sacramentali. 375. 2. Potest dari absenti, scripto, & signo. ib. Data ex metu est irrita. 376. 2. Quæ sit ejus forma. 377. 1. Quomodo exequendæ literæ S. Pœnitentiariæ pro absolutione a censuris. ib. Requiritur absolutio, etiamsi cesset contumacia. 456. 1. Num, etiamsi data sit censura sub hac clausula: *Donec resipiscas*. ib. Dari potest, vel pro foro tantum interno, vel etiam pro foro externo. ib. Et utraque hæc, vel absolute, vel conditionare. Dari etiam potest ad cautelam. ib. Rursus dari potest ad reincidentiam. ib. 2. Hoc modo fere utuntur Judices in debitis pecuniariis, &c. ib. Quo ritu danda sit hujusmodi absolutio a censuris. 456. 2. Quid requiratur ex parte absolventis, quid ex parte absolutionis. ib. Quid demum ex parte absolvendi. ib. Mortuus, sin minus directe, absolvi saltem potest indirecte a censuris, & quidem iisdem verbis, ac vivus. 457. 1. Num debeat verberari sepulcrum. ibid. V. *Hæres*. Absolutio ab excommunicatione minori dari potest a quovis Confessario, imo etiam a Parocho, qui non sit Sacerdos, vel ab Episcopo, qui nondum sit consecratus. Num etiam a simplici Sacerdote. 462. 1. Per absolutionem tolli potest suspensio. 470. 1. 2.

Abstinentia a cibo, potu, carnibus, &c. V. *Jejunium*. *Quadragesima*.

Abstinentia ab operibus servilibus, V. *Festorum observantia*.

Acceptilatio quid sit. 88. 2. Num liceat in ea cum æquivocatione jurare. ib. & seq. V. *Æquivocatio*.

Accusatio. V. *Denunciatio*.

Accusator, seu denunciator quando incurrit irregularitatem accusando, deferendo, denunciando, &c., quando eam declinat. 448. 2.

Acc-

Acedia est *Tristitia de bono spirituali divino ex fine creationis necessario*. 70. 2. An directe opponatur charitati. ib. Dantur peccata acediæ generalis, quæ non semper sunt mortalia. ib. Sex sunt ex D. Th. acediæ filiæ. ib.

Acolythus. *Acolythatus*, Acolythatus est ordo, *Quo datur potestas accendendi lumina, & porrigendi Subdiacono urceolos*. 293. 1. Quæ ejus materia proxima, quæ remota. ib. Quæ forma. 294. 1. Quæ ejus munera, & onera. 295. 2. V. *Ætas*. Acolythus ministrans rebaptizanti, si fiat publice, & culpabiliter, incurrunt ambo irregularitatem solum quoad promotionem ad ordines superiores. 487. 1. V. *Baptismus* in calce.

Actio posita ob solam voluptatem sensus est saltem venialiter culpabilis. 3. 1. V. *Actus*. Qualis est obligatio ordinandi singulas nostras actiones ad finem virtutis, & ad Deum. ib. 2.

Actor. V. *Judicium*. Actor, licet graviter peccet, si officium acceptet tempore excommunicationis, valide tamen instituitor. 464. 2.

Actus conjugalis. V. *Copula*. *Debitum conjugale*. *Conjux*, *&c.*

Actus humanus in individuo indifferens probabilius est impossibilis. 3. 1. Si fiat saltem implicite ob commodum naturæ, probabilius non est malus: porro ita dicendus esset potius bonus. ib. V. *Lex*.

Adjuratio quid sit. 92. 1. Quando est actus Religionis, quando vetita sub veniali, vel mortali. ib. 2. Illam comitari debent veritas, justitia, & judicium. ib. Sitne aliquando licita dæmonis adjuratio. ib.

Adoratio stricte sumpta est *Actus, quo nos submittendo veneramur Dei excellentiam super omnia*. 71. 1. Ad quam adorationem nos teneamur vi legis naturalis. ib. Triplex est adoratio, Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ. ib. Quæ sit, & cui competat adoratio latriæ. ib. Quæ, & cui adoratio hyperduliæ. Quæ, & cui adoratio duliæ. ib. Num adorandæ sint Sanctorum Reliquiæ, & Imagines. ib. V. *Reliquiæ*. *Imago*. Num adorandi, & quomodo, Beati, vel qui nondum sunt per Ecclesiam beatificati. ib. 2. Quid de eorum imaginibus. ib. Quid de aliis ritibus, quibus coli possunt. 72. 1. Per quæ signa exhiberi debeat adoratio. ib. Quid de adoratione privata. ib. Species panis, & vini a Christo separatæ, num, & qua adoratione sint adorandæ. 263. 2.

Adoptio. *Adoptivus*. V. *Cognatio legalis*. *Filius*, Ad legitimam adoptionem duo requiruntur. 392. 1. Num omnis adoptio inducat impedimentum. ib. Ex adoptione triplex species cognationis legalis oritur. ib. Et Sacerdos, & Eunuchus possunt adoptare. ib.

Advertentia, alia est plena, alia semiplena. 7. 2. Utra ex his requiratur, & sufficiat ad culpam. ib. Non requiritur autem reflexa, neque advertentia ad malitiam formalem sui actus, sed tantum exercita ad malitiam objecti. ib. Pro dubiis, an in actione præterita adfuerit plena advertentia; optima traditur regula. ib.

Adulterium. V. *Divortium*. Quomodo contrahatur impedimentum dirimens matrimonium per adulterium. 391. 2. & seq. 1. V. *Crimen*. *Adulter*, *&c.*

Adulter, & *Adultera* quid teneantur marito restituere, si proles ex adulterio nata non sit. Quid, si nata sit proles adulterina. 238. 1. Vel, si sine adulterio fingant illius partum, supponentes marito prolem supposititiam. ib. 2. Non tenentur se revelare cum periculo vitæ suæ, vel illegitimi. ib. Neque cum periculo famæ pro quacumque hæreditate, modo ipsa adultera e. g. non sit jam malæ famæ. ib. Alimenta tali proli usque ad tertium annum debentur a matre: a tertio vero anno a patre. ib. Quid in dubio, an proles sit mariti, an adulteri, an inter plures adulteros incertus sit pater. ib. In adulterio explicandum in confessione, an conjugatus peccaverit cum libera, vel contra. 313. 1. Consentiente marito adhuc est grave peccatum. 315. 1. Maritus, si in actu conjugali se morose delectet cum alia veluti præsente, est species adulterii. ib. V. *Copula*. Adulter, si advertit, adulteram forte a suis occidendam, nec abstinuit, num sit irregularis secuta morte. 483. 2. Quid, si maritus propter dedecus seipsum interimeret, aut adultera, ne a marito occidatur, eum interimeret. ib. Vel si adulter maritum in se irruentem occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ. ib. Qui occidit turpiter inventum cum sua uxore, matre, aut filia, etsi peccet, tamen excusatur ab excommunicatione, & irregularitate. ib. Si inter colloquendum referas adulterium coram marito, consanguineis, &c. unde adultera occidatur, es irregularis, si id fueris suspicatus: item, si consulas, mandes adulterium, &c. prævidens adulteri mortem. ib. V. *Debitum conjugale*. *Indissolubilitas Matrim.*

Adultus non censetur dispositus ad habitum fidei, & spei, nisi præcedat actus fidei, & spei: secus relate ad habitum charitatis. 321. 2. In adultis, quæ intentio requiratur ad suscipienda Sacramenta. 252. 2. V. *Sacramentum*.

Advocatus qui sit. 169. 1. Potest causam suscipere, etsi eam videat minus probabilem, & oppositam probabiliorem. 20. 2. Num, si quis eum consulat, possit ipse reponere secundum opinionem aliorum probabilem, etsi ipse probabilius reputet oppositum. ib. Num ei sit invalida pactio de *Quota litis*. 186. 2. Nequit causam suscipere, quam scit esse injustam. ib. Quando evadit irregularis ex defectu lenitatis. 489. 1. Quando ex delicto. ib. & 484. 2.

Æquivocatio. An in judiciis liceat testibus, aut reo æquivocare cum juramento assertorio. 87. 2. Num liceat jurare cum juramento assertorio. 87. 2. Num liceat jurare cum æquivocatione assumendo gradum Doctoratus. 88. 1. Aut in acceptilatione. ib. 2. Aut extra judicium. ib. Si æquivoces cum rationabili causa, non peccas; secus si nulla subsit justa causa. ib.

Ætas pro Ordinibus olim major requirebatur; nunc autem quæ requiratur ex Tridentino pro singulis ordinibus. 300. 2. & 471. 2. Num anni, qui requiruntur, debeant esse completi, an vero sufficiat, si sint inchoati. 300. 2. Num licita, vel saltem valida sit ordinatio ante legitimam ætatem. 301. 1. Quis dispensare possit in ætate ad ordines requisita. ib. Ex defectu ætatis ad ordines recipiendos incurritur irregularitas. 495. 1. Quæ ætas requiratur ad beneficium simplex, vel canonicatum Collegiatæ, quæ ad canonicatum Cathedralis, quæ ad dignitates, beneficia curata, &c. ib. Quæ ad canonicatum Pœnitentiarium, Episcopatum, Cardinalatum, &c. ib. & 471. 2. V. *Abbatissa*, *Jejunium*. *Infantes*. *Pueri*, *&c.* Quæ ætas sit requisita ad matrimonium. 400. 2. & 420. 1. Quæ inepta. 400. 1.

Affinitas est *Propinquitas personarum proveniens ex copula sive licita, sive illicita*. 398. 2. Ad hanc requiritur, & sufficit seminum commixtio. 399. 1. Non sufficit copula sodomitica, aut Eunuchi, aut impuberis, aut mere attentata. ib. Probabilius sufficit, si viri semen sponte, vel casu, vel arte, vel ope dæmonis immittatur intra vas mulieris. ib. An satis sit viri seminatio absque mulieris seminatione. ib. Utraque præsumenda est in copula voluptuosa, si dubitetur. ib. Affinitas ex copula licita dirimit matrimonium usque ad 4. gradum consanguinitatis de jure præsenti: usque ad 7. de jure antiquiori. ib. Gradus affinitatis iidem sunt, ac consanguinitatis. ib. Consanguinei unius conjugis non fiunt affines consanguineis alterius. ib. An aliquis gradus affinitatis dirimat matrimonium jure naturæ. ib. Affinitas ex copula illicita dirimit matrimonium usque ad secundum gradum jure novo Trident., antiquum reformante. ib. 2. Infideles, tamen hoc jure non comprehenduntur. ib. An affinitas contracta ante baptismum irritet matrimonium post baptismum. ib. & seq.

Aggressor iniquus, V. *Homicida*. *Homicidium*. *Bannitus*.

Agnus. Comedens agnum furtivum ad quid teneatur. 204. 1.

Alienatio bonorum Ecclesiæ. V. *Bona*. *Ecclesia*. *Ecclesiastici*.

Altare est *Locus immediatus sacrificii*. 280. 1. Absque eo celebrare grave sacrilegium est. ib. Quod sit altare aptum sacrificio; & num consecretur per merum sacrificium bona, vel mala fide in eo factum. ib. Quales esse debeat lapis consecratus. ib. Quinam usus altaris portatilis sit hodie prohibitus. 283. 1. In quo casu possit licite celebrari in hujusmodi altari. ib. Non licet celebrare in altari execrato: quando autem intelligatur execratum. 280. 2. V. *Ecclesia*, *seu Templum*.

Alumni Religiosorum num, & quos casus reservatos incurrant, & a quibus absolvendi. 350. 2.

Amens. *Amentia*. Perpetuo amentes nullis subduntur legibus. 33. 2. Num possint licite induci ad ponendas actiones vetitas. 34. 1. Num possint contrahere. 125. 2. Num testari. 136. 1. Num institui hæredes. 137. 1. Num esse domini. 181. 2. Num possint confirmari. 262. 2. Num possit iis ministrari extrema unctio. 34. 1. 291. 2. & seq. Vel Eucharistia saltem in mortis articulo. 34. 1. & 271. 2. Quid de cæteris Sacramentis. 252. 2. Num, quando sufficit consensus habitualis, conferri possit Sacramentum amenti, qui dum fuit rationis compos, illud voluit, vel voluisse præsumitur. 253. 1. Num possint admitti intra Monasteria Monialium. 34. 1. Porro post septennium illa ingredi omnino non possunt. 363. 1. Amentes sintne capaces censuræ. 444. 2. Quid si, dum amens erat compos rationis dedit causam efficacem censuræ incurrendæ, & postea, dum erat ligandus, incidit in amentiam. ib. Neque potestate ipsa delegata amentes ferre possunt censuras. ib. 1. Quæ amentia inducat irregularitatem ex defectu, & non possit in ea aliquando etiam Episcopus dispensare. 493. 2. Num aliquando cesset per se isthæc irregularitas. ib. Validene amentes contrahant sponsalia. 420. 1. Vel matrimonium. V. *Impedimentum publicæ honestatis*. *Amplexus*, *&c.* Suntne liciti sponsis. 412. 2.

Angelus nequit esse Minister Sacramentorum. 246. 2. Neque

que poteſt conſurari, cum non ſubjaceat juriſdictioni Eccleſiæ. 444. 2.

Animus. Animi defectus irregularitatem inducentes ſunt amentia, ignorantia, nuvitas in fid. 493. 2. & ſeq. V. *Neophitus*, *Amentia*. *Ignorantia*.

Antichriſeos contractus eſt *Cum in contractu pignoris convenitur, ut creditor utatur pignore, aut fructus inde tamdiu lucretur, donec debitum ipſi reſtituatur*. 144. 3. Num liceat. 146. 2. 165. 2. Quibus titulis excuſari poſſie ab uſura. ibid. & ſeq.

Apodixa. Sitne uſura emere minoria apodixas, & credita immatura, &c. 145. 1. & 147. 2.

Apoſtaſia. *Apoſtata*. Apoſtaſia a Fide quid ſit. 67. 2. In quo differat ab hæreſi. ibid. Quæ ſit poteſtas Eccleſiæ in Apoſtatas, & quæ pœnæ ab ea in illos ſtatutæ. 68. 2. Apoſtatæ num ſint denunciandi. 69. 2. Num poſſint inſtitui hæredes. 137. 2. Quæ apoſtaſia a Religione ſit caſus reſervabilis in Ordinibus religioſis 374. 2. Nocturna, & furtiva e Monaſterio, ſeu Conventu egreſſio etiam non animo apoſtatandi facta eſt item inter caſus Clem. VIII. reſervabiles in iiſdem ordinibus. ibid. Apoſtatæ a fide ſunt irregulares ex delicto hæreſis. 486. 2.

Appellatio eſt *Provocatio a Judice inferiori ad ſuperiorem competentem ratione alicujus gravaminis facta intra certum tempus*. 452. 1. Num ſemper fieri debeat in ſcriptis. ibid. Num debet fieri ſemper coram Judice *A quo*, an ſufficiat, ſi fiat coram Judice *Ad quem*. ibid. Num Judex teneatur eam admittere, etiamſi dubium ſit, an ſit legitima. ibid. Qui ſunt ejus effectus, & quando proprie eſcuſet a cenſura. ibid. & ſeq. Quando habet effectum devolutivum, quando ſuſpenſivum. 453. 1. Poſt tempus præfixum appellationi manet ſolum locus ſimplici querelæ. ibid. In aliquibus tamen caſibus nulla conceditur appellatio, aut querela. ibid. Num aliquando licitum ſit appellare a lege, vel ſupplicare contra illam. 27. 1. Appellatio num liceat die Feſto. 101. 1. Appellantes ab ordinationibus Rom. Pontificis ad futurum concilium, &c. escommunicantur bulla cœnæ. 359. 1. Item omnes, qui prætexentes frivolam appellationem a gravamine, &c. litterarum apoſtolicarum, &c. ad curias ſæculares recurrunt. 361. 1. Item, qui prætextu litterarum Apoſtolicarum, &c. cauſas ſpirituales, &c. a Judicibus Eccleſiaſticis avocant, &c. ibid. Per appellationem ſuſpendi poteſt ſuſpenſio. 470. 1.

Applicatio Miſſæ. *Miſſa*. Operum ſatisfactoriorum. V. *Satisfactio Sacramentalis*, Indulgentiarum. V. *Indulgentia*.

Approbatio eſt *Judicium, quo ſuperior declarat, aliquem Sacerdotem eſſe idoneum ad audiendas confeſſiones*. 339. 1. Sine approbatione ſitne invalida abſolutio. ibid.

Approbatus ad Confeſſiones Sæcularium. Hæc approbatio ſit ex Trid. Tripliciter. ibid. Debet dari gratis, ſecus eſt illicita, ſed probabiliter valida. ibid. Quid, ſi detur ex vi, vel metu, vel Epiſcopus erret circa idoneitatem, vel externe tantum approbet. ibid. Superior approbans ad confeſſiones ſæcularium eſt Epiſcopus, etſi nondum conſecratus, vel vitandus, vel ejus Vicarius generalis, vel ſede vacante Vicarius capitularis. ibid. Num approbare etiam poſſint, qui habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem? Vel Nuntii Apoſtolici, Legati in ſua Provincia, Cappellani majores relata ad confeſſiones militum, vel domus regiæ. ibid. Epiſcopus exiſtens extra ſuam Diœceſim num poſſit approbare Sacerdotem pro ſua Diœceſi. ibid. & ſeq. Num Sacerdos, ſive regularis, ſive ſæcularis, hoc ipſo, quod obtineat beneficium parochiale, ſit approbatus. ibid. Num indigeat approbatione Superior Regularis, vel Parochus mutans parochiam, &c. ibid. Quivis Sacerdos ad confeſſiones ſæcularium indiget approbatione Epiſcopi. ibid. Non ergo ſufficit approbatio Univerſitatis ad gradus Licentiati, Doctoris, &c. nec approbatio ſemel habita a Vicario Papæ in Urbe, ut poſſit intelligi approbatus pro toto orbe. ibid. A quo Epiſcopo fieri debeat hæc approbatio. ibid. Num Confeſſarius ſæcularis Diœceſanus approbatus in una Diœceſi, ſi peregrinetur extra illam, poſſit abſolvere ſubditos illius Diœceſis etiam peregrinantes. 440. 1. Num idem dici poſſit de Confeſſario regulari Diœceſano pariter extra Diœceſim peregrinante. ibid. Ad approbationem pro confeſſione ſæcularium non ſufficit eſſe idoneum, Epiſcopo præſentatum, ſed requiritur ejus judicium ſaltem tacite manifeſtatum. ibid. Epiſcopus approbare poteſt, vel abſolute, vel limitate ad tempus, locum, & perſonas. ibid. 2. Licet poſſit non admittere Sacerdotem ad examen, ſi tamen admiſerit, & idoneum repererit, peccat contra juſtitiam, ſi illi neget ſine juſta cauſa approbationem. ibid. Quoad regulares, quid Epiſcopo liceat, quid non. ibid. Num poſſit illos iterum examinare. ibid. Vel ſuſpendere facultatem confeſſiones audiendi omnibus ſimul alicujus conventus, &c. ibid. Regularis approbatus num poſſit quovis tempore, & quorumvis, etiam infirmorum confeſſiones audire. ibid.

Approbatus ad confeſſionem Regularium. Ad confeſſionem Religioſorum exemptorum non requiritur approbatio Epiſcopi, ſed facultas Superioris regularis. 440. 2. Hic poteſt approbare, ſeu deputare quemvis Sacerdotem etiam alterius, imo etiam ſæcularem non approbatum ab Epiſcopo. 440. 2. Nomine Religioſorum num veniant Equites melitenſes. ibid. Vel Novitii. ibid. V. *Novitius*. Num etiam ſæculares domus religioſæ? Alumni, ejuſque familiares. ibid. Hujuſmodi autem qui ſint. ibid. Tenentur tamen ire ad Parochialem Eccleſiam pro communione paſchali. ibid. Num ad id teneantur etiam famuli. ibid. Confeſſarii Regularium num poſſint hos, imo etiam Novitios, familiares, &c. abſolvere etiam extra Conventum, & Diœceſim. ibid. & 337. 1. V. *Religioſi Soc. Jeſu*.

Approbatus ad confeſſiones Monialium. Quid requiratur, ut quis ad confeſſiones Monialium ſit approbatus. 341. 1. Approbatus pro uno Monaſterio, vel pro una vice non intelligitur approbatus pro alio, vel pro pluribus vicibus. ibid. Approbatus pro duabus, vel tribus monialibus in aliquo Monaſterio, nequit alias aliarum Monialium confeſſiones audire, ibid. Hujuſmodi approbatio relate ad Moniales etiam exemptas dari debet ab Epiſcopo Diœceſano. ibid. & quoad exemptas non ſine ſpeciali etiam licentia Superioris Ordinis: ſecus, quoad non exemptas. ibid. Confeſſarius ordinarius durat ad tres annos. ibid. Extraordinarius debet offerri bis, vel ter in anno ab Epiſcopo, ſi Monaſterium ſit ſubjectum Epiſcopo; a Prælatis Regularibus, ſi his ſit ſubjectum Monaſterium: quod ſi hi non offerant, poteſt aſſignare Epiſcopus. ibid.

Approbatus ad confeſſiones Privilegiatorum. Privilegiati hic ſunt, qui ſive a jure, ſive a conſuetudine, ſive ab homine habent facultatem eligendi ſibi Confeſſarium non approbatum. ibid. A jure hoc habent Epiſcopi, etſi tantum confirmati, & titulares: item, etſi excommunicati, ſuſpenſi, aut depoſiti: ſecus, ſi ſint degradati, aut nondum confirmati. ibid. Privilegiatus exiſtens in aliena Diœceſi nequit eligere ſibi ſimplicem Sacerdotem illius Diœceſis: bene vero approbatum, vel ſimplicem ſuæ Diœceſis. ibid. 2. Qui alii jure gaudeant hoc privilegio. ibid. Qui ſaltem a conſuetudine. ibid. Privilegium ab homine habere poſſunt tantum ii, quibus Epiſcopus, vel Papa concedat. ibid. Approbatus pro viris tantum num poſſit tempore Jubilæi audire confeſſiones Monialium. ibid.

Aqua. Quæ aquæ quantitas requiratur ad vini conſecrationem, & num neceſſario, &c. V. *Vinum*. Quæ, & in quanta quantitate ſit materia certa ad baptizandum. 255. 2. Quæ ſit materia dubia. ibid. V. *Baptiſmus*.

Arbiter, *Arbitrator* peccat, & ad reſtitutionem tenetur, ſi cauſam adjudicat parti rationes habenti minus probabiles. 169. 1.

Archiepiſcopatus, *Archiepiſcopus*. Archiepiſcopatus num ſit ordo diverſus ab Epiſcopatu. 292. 2. Archiepiſcopus num poſſit leges ferre obligantes totam nationem. 22. 2. Quid poſſit tempore appellationis, vel viſitationis in Eccleſiis ſuffraganeorum. ibid. Num poſſit diſpenſare cum Epiſcopis ſuffraganeis, vel cum eorum ſubditis. 42. 2. Quid poſſit circa abſolutionem a reſervatis, & cenſuris. 352. 2. V. *Epiſcopus*. Num poſſit ferre cenſuras non ſolum in propriis locis, ſed etiam in Diœceſi ſuffraganeorum. 443. 2.

Aromatarius. V. *Pharmacopola*.

Arrha eſt, *Quod in ſponſalibus actu traditur inter promittentes pro ſecuritate matrimonii promiſſi*. 420. 2. Tales arrhæ ſunt licitæ etiam in quavis quantitate, & in bonis immobilibus. ibid. Imo iis addi poſſunt pignora, & fidejuſſiones. ibid. Qui poſt arrham datam, vel acceptam reſiliat, quid, cui, & quando teneatur reſtituere. ibid. Non inducitur impedimentum publicæ honeſtatis, ſi ſe invicem obligent duo, tantum ſub pœna amittendi e. g. Arrham. 398. 1. In quo arrha differat a ſponſalitia largitate. V. *Sponſalitia largitas*.

Articulus mortis. V. *Moribundus*, *Confeſſarius*, *Reſervatio*, &c. *Artifex*, V. *Cooperatio*.

Aſſecuratio eſt *Contractus, quo quis alienæ rei periculum in ſe ſuſcipit, obligando ſe ad eam compenſandam, etſi caſu perierit*. 166. 1. Si fiat pretio accepto, duo ad juſtitiam requiruntur. ibid. Si aſſecurans ſit certus, rem eſſe in tuto, injuſte pretium accipit, & tenetur reſtituere. ibid. Quid, ſi id ſciat ſcientia privata. ibid. Si plures ſint aſſecuratores, & merces pereat, cui perit. ibid.

Aſſeſ-

Assessor Judicis, qui complet ejus personam, num & ipse incurrat irregularitatem ex defectu lenitatis. 488. 2.

Assignatio debiti fit, cum debitor vice sua alium dat reum creditori. 215. 2.

Astrologia. Divinare ex astris effectus mere naturales præcisa invocatione, vel pacto cum dæmone num sit peccatum, & quale. 80. 1. Quæ sit astrologia judiciaria. ibid. Est de se mortalis, & prohibita, ibid.

Attentio est *Advertentia ad id, quod peragis*. 76. 1. Alia est externa, alia interna. ibid. Rursus interna triplex potest esse. ibid. Ad Horas requiritur certe externa. ibid. Num etiam interna. ibid. Si te distrahas in illis voluntarie, saltem venialiter peccas. ibid. 2. Num illis satisfacias scribendo, pingendo, &c. ibid. 1. Ad Missam requiritur attentio saltem externa. 102. 2. Num satisfaciat præcepto Missæ, qui tali tempore confiteatur peccata sua, vel se examinet. ibid.

Attritio est *Dolor, & detestatio peccati non ex motivo charitatis, sed alterius virtutis moralis*. 319. 2. Ejus motiva sunt turpitudo peccati, gehennæ, & pœnarum metus, & amissio gloriæ, ibid. & 320. 1. Se sola non sufficit ad justificationem peccatoris extra Sacramentum. ibid. Est sufficiens tamen in Sacramento, etsi nullam involvat formalem Dei dilectionem. ibid. & seq. 2. Detestatio peccati ex solo metu gehennæ, falsum est, quod contineat hoc adjunctum: *Peccarem, si gehenna non esset*. ibid. 1. V. *Dolor*.

Auctoritas Judicis in tribus casibus excusat a restitutione. 216. 5.

B

BAncum. Num licite a depositariis, seu deputatis Banci possit aliquid moderatum accipi a deponentibus, vel extrahentibus e banco pecuniam, vel propter numerationem pecuniæ, vel ob alios titulos. 556. 1. V. *Montes Pietatis*.

Bannitus. Bannitum occidens non est injustus homicida. 235. 1. Fit tamen irregularis ex defectu lenitatis. 489. 1. Si eum occidat filius, peccat contra pietatem; & si Clericus, contra decentiam sui status. 235. 1. Num aliquando possit, uterque excusari. ibid. Illum occidens extra Territorium bannientis num teneatur ad restitutionem. ibid. Bannitus vero injuste occidit aggressorem vitæ suæ. ibid. Si ipse, vel alius grassator, vel malefactor occidant satellites, num semper teneantur ad restitutionem. ibid.

Baptismus. Quod sit ejus etymon. 254. 2. Varie appellatur. ibid. Definitur communiter *Ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum, &c.* ibid. Aliter definitur a Catech. Rom. ibid. Ejus virtus ad quosnam effectus se extendat? ibid. & seq. Alius est fluminis, alius flaminis, alius sanguinis. ibid. Num ad baptismum sanguinis necessario prærequiratur contritio, vel dilectio Dei super omnia. ibid. V. *Martyrium*. De fide est, fuisse institutum a Christo Domino. ibid. 2. Dubitatur de tempore. ibid. Præcipitur baptismus omnibus etiam infidelibus præcepto positivo divino, estque necessarius necessitate etiam medii, vel in re, vel in voto ad salutem. ibid. Num possit, vel etiam teneatur quis se objicere certo mortis periculo, ut baptizetur. ibid. Ejus materia remota est aqua elementaris: quid autem intelligatur hoc nomine? ibid. Sunt inepta ad baptismum lacrymæ, sudor, cerevisia, & alia apposita. ibid. & seq. Num ad licite etiam baptizandum requiratur semper aqua consecrata. ibid. Materia proxima est ipsa ablutio, quæ tripliciter fieri potest. ibid. Num requiratur, ut, qui profert formam, ipse baptizandum abluat? 256. 1. In qua parte, & qua aquæ quantitate debet ablui infans, quo valide baptizetur. ibid. Ex præcepto Ecclesiæ abluendum caput. ibid. Num valeat, & liceat baptismus infanti collatus per ejusdem projectionem in puteo. ibid. Quæ sit baptismi forma usurpata a Latinis, quæ a Græcis. ibid. 2. Ad ejus validitatem requiritur expressio saltem implicita baptizantis, item explicita baptizandi, ipsius actionis abluendi, & unitatis Divinæ Naturæ cum Trinitate Personarum. ibid. Num, & quomodo unus baptismus conferri possit a pluribus, vel plures simul baptismi ab uno. ibid. Qui sit baptismi Minister ordinarius, qui in casu necessitatis, & num opus habeat facultate Episcopi. 257. 1. Quis ordo sub gravi, vel sub levi servandus sit in administratione baptismi in casu necessitatis. ibid. 2. Quibus ritibus ministrandus baptismus solemnis. ibid. Requiritur potissimum designatio Patrini, de quo. V. *Patrinus*. Baptismi subjectum est unus homo viator: non satyri, non monstra, neque infantes in utero matris totaliter existentes. 258. 1. & 2. Num baptizari possint filii infidelium, mancipiorum, hæreticorum, & apostatarum invitis parentibus. ibid. Quid, si sint infantes morti proximi. 259. 1. Quid, si pater sive hæreticus, sive infidelis petit, filium baptizari. ibid. Quid, si baptismus conferatur ab Ariano. 248. 2. Quandonam baptismus iterari possit, aut debeat sub conditione. 156. 1. & 258. 2. Num valeat baptismus collatus ab obstetrice, & quando. V. *Obstetrix*. Tempore interdicti localis, sive generalis, sive specialis conferri potest baptismus parvulis, & adultis, sanis, & infirmis. 477. 2. Quibus cæremoniis. ibid. Num persona generaliter, vel specialiter interdicta possit illum ministrare, vel etiam suscipere. ibid. Sacerdos baptizans moribundum, etsi suspicetur mortem ei forte accelerandam ex aqua ad baptismum necessaria, non est irregularis: bene vero, si non habens aliam aquam, illum, ut baptizet, projiciat in puteum. 484. 1. Qui culpabiliter permittit, rebaptizari, est irregularis ex delicto: secus, qui inculpabiliter, ut sunt infantes, etiamsi postea id ratum habeant. 487. 5. Quid, si quis rebaptizetur ex ignorantia, vel metu. ibid. & seq. Quam irregularitatem incurrat baptismum suscipiens libere, & absque ulla necessitate ab hæreticis declaratis. ibid. Ignorans autem, vel infans ab ea excusatur. ibid. V. *Acholythus*. Rebaptizans incurrit irregularitatem solum ad superiores ordines, si rebaptizat publice, & culpabiliter: secus, si ignoranter, & occulte. ibid. Quid, si id faciat ex metu gravi. ibid. Vel rebaptizet tantum sub conditione. ibid. Episcopus autem in hac irregularitate num, & quando possit dispensare. ibid. V. *Sacerdos*.

Barbi-tonsor. Barbitonsores quo pacto excusentur a peccato, tondendo die festo. 102. 1. Communius non excusantur, per se loquendo, a jejunio. 106. 2.

B. Virgo non recepit gratiam Sacramenti Pœnitentiæ, ut putavit Albert. Magn. 323. 2. Cultus illi exhibitus dicitur hyperdulia. 71. 1. Ad quam virtutem pertineat talis cultus. ibid.

Beatus. In quo Beati differant a Sanctis. 71. 2. Qui cultus ex Rom. Eccl. sint iis indebiti, qui debiti. ibid. V. *Adoratio*. Num adorari possint, qui nondum per Ecclesiam sunt beatificati. ibid. & seq.

Bellum. Bello a Rege indicto, num semper teneantur subditi parere. 15. 1.

Beneficiatus ex fructibus beneficii quid possit donare. 533. 1. Num possit, & ex quibus bonis testari. 136. 1. & 2. Hujus onera sunt tria. 220. 2. Quando incipiat obligari ad Horas. 73. 1. & 2. Culpabiliter omittens recitare Horas canonicas in primis sex mensibus a pacifica possessione beneficii peccat mortaliter, & post eos menses tenetur etiam restituere fructus beneficii tali omissioni correspondentes. 220. 1. & 2. Quid, si fecerit eleemosynas, nihil cogitans de tali obligatione restituendi. ibid. Num possit supplere, per hoc, quod bis sequenti die eas recitet? ibid. Potest petere compositionem a Papa. ibid. Omittens eas inculpabiliter ad nihil tenetur. ibid. Num beneficiatus, qui non possides pacifice beneficium, vel illud est tenue, peccet omittendo Horas, & ad restitutionem teneatur. 221. 1. vel, si privetur fructibus beneficii jam possessi. ibid. V. *Residentia*. Quando talis restitutio fieri debeat. ibid. Expendens in usus profanos fructus beneficii, &c. peccat mortaliter: porro probabiliter neque ipse dans, neque accipiens tenetur quidquam restituere Ecclesiæ, vel pauperibus. 222. 2. Non fit fructuum suorum beneficiorum Dominus. ibid. V. *Beneficium Ecclesiasticum*. Si parce vivendo minuat expensas suæ congruæ substentationi necessarias, potest de iis pro libito disponere. 223. 2. Num obligetur sub gravi, & graviter peccet omittendo deferre habitum, & tonsuram. 222. 2. Ex superfluis quando teneatur ad eleemosynas. 111. 2. Si impedias, ne Titius conferat beneficium Cajo &c. ad quid tenearis. 189. 5. V. *Ecclesia*.

Beneficium Ecclesiasticum est *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter officium spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum*. 174. 2. Aliud est simplex, aliud duplex 175. 1. Aliud sæculare, aliud regulare. ibid. Aliud monoculare, aliud titulare. ibid. Duplex est perpetuitas in beneficio, 174. 2. Quæ sint beneficia manualia, & num sint proprie beneficia. ibid. In beneficio, & est obligatio exercendi functionem spiritualem, & fert jus percipiendi fructum ex bonis Ecclesiæ. ibid. Acquiritur per collationem. 175. 1. Num hæc prærequirat examen, debeat fieri gratis, postquam vacet beneficium. ibid. 2. Num possit Episcopus variare collationem absenti, antequam ille acceptet. ibid. Acquiritur beneficium patronatus per præsentationem: hæc a quo, & cui conferri possit, vel debeat. ibid. V. *Patronus*. Acquiritur per electionem, quæ tripliciter fieri potest. 176. 1. Quis sit inhabilis ad acquirendum beneficium: ibid. 2. Quomodo hoc vacet, vel amittatur. ibid. Sex

modis

modis amitti potest. ibid. Beneficia incompatibilia, alia sunt ex munere, alia ex jure, alia ex persona. ib. Num possit aliquando unus duo simul sibi beneficia retinere. ib. Quando vacet beneficium litigiosum, quando pacificum. 177. 1. Simonia in beneficiis, V. *Simonia in materia beneficiaria*. Quinam fructus beneficii dicantur superflui congruæ substentationi beneficiati. 223. 1. Congrua autem substentatio non est respectu omnium æqualis. ib. Ad hanc num pertineat etiam substentatio consanguineorum. ib. Congrua substentatio Episcopi sitne determinata, & unde taxanda. ib. 2. Quomodo fructus congruæ sint erogandi. ib. & seq. Præsertim ab Episcopis. ib. Qui alii Canones præcipiant, ut portio fructuum, &c. detur pauperibus. ib. Quæ dicta sunt de beneficiato, procedunt pariter de Regulari promoto ad beneficium. ib. V. *Pensionarius*. Quid de fructibus beneficii decreverit Ben. XIV.. 224. 1. V. *Pensio*. Restitutio beneficii simoniace accepti, V. *Simonia* in calce. Restitutio fructuum beneficii, V. *Beneficiatus*. *Residentia*. Beneficii Episcopus quis sit. 297. 2. V. *Ordo*. Qui Titulus beneficii. 333. 1. & seq. V. *Titulus*. Quæ sit suspensio a Beneficio. V. *Suspensio*. Beneficia permutans propria auctoritate, sitne sacrilegus. 29. 1. Fructus beneficii vacantis ad quem spectent. 198. 1. V. *Pensio*. Si Petro debeas 100., num illi satisfacias ei conferendo beneficium Ecclesiasticum. 210. 1. Num tu, & Petrus acceptando committatis simoniam. ib. Excommunicatio major quomodo privet habilitate ad beneficia Ecclesiastica, dignitates, &c. 462. 1. Irritane sit electio, præsentatio, nominatio excommunicati, etiam tolerati? Item collatio, permutatio, &c. ib. Qualiter peccent, & puniantur tum excommunicatus acceptans, tum eligentes, præsentantes, &c. 463. 1. Num valeat beneficium, si electio, præsentatio, vel collatio facta sit ante excomm., ipse vero acceptet beneficium tempore excommunicationis. ib. Vel, si beneficium collatum quidem sit tempore excommunicationis, sed acceptatum post absolutionem ab excommunicatione. ib. Porro quid hic veniat nomine beneficii. ib. 2. V. *Pensio*. Jam vero excommunicatus, etsi vitandus, minime privatur beneficio jam obtento ante excomm. ib. V. *Insurdescens*. Num privetur fructibus saltem talis beneficii hoc ipso, quod incidit in excomm. ib. Num, si per excommunicatum non stet, quominus excommunicationis absolutionem obtineat, possit percipere distributiones, quæ dantur assistentibus in choro, cui ipse ob excommunicationem nequit assistere. ib. V. *Excommunicatio minor*.

Bestialitas. V. *Luxuria*.

Biblia Sacra. Qui verbis Scripturæ Sacræ abutitur, vel ea corrumpit profanando, num dicendus sit blasphemus, & sacrilegus. 82. 2. Quid, si iisdem verbis utatur per jocum ad res honestas; imo & ad facetias. ib.

Bibliopola num, & quomodo incurrat casum reservatum in Diœcesi Neapol. cum excommunic. lata contra ementes libros, &c. non exhibito prius Deputatis emptorum librorum catalogo. 372. 1.

Bigamia, *Bigamus*. Bigamia est *Duplicatio matrimonii*. 489. 2. Cur vocetur defectus Sacramenti. ib. Omnis bigamus est irregularis ex defectu significationis. ib. Bigamia alia est propria, alia interpretativa, alia similitudinaria. ib. Bigamia propria est, cum quis vere, & valide contrahit successive, & consummat duo matrimonia. ib. Interpretativa est, cum quis interpretatione juris censetur, ac si contraxerit duo matrimonia: hoc autem tripliciter potest esse. ib. Similitudinaria est, cum quis post Votum solemne Castitatis contrahit, & consummat matrimonium etiam cum Virgine. 490. 1. Quando incurratur irregularitas ex bigamia. ib. Num infidelis bigamus sit irregularis. ib. Num Papa dispensare possit in omni bigamia. ib. In qua possit Episcopus. ib. V. *Mendicantes*. Num bigamus sine dispensatione ordinatus gaudeat privilegiis Clericalibus. ib.

Blasphemia. *Blasphemus*. Blasphemia est *Verbum contumeliosum in Deo prolatum*. 83. 2. Consistit in verbis etiam scripto, & mente, seu corde conceptis. 84. 1. Num sit blasphemus, qui expuit in cœlum, frendet dentibus, &c. 83. 2. Blasphemia alia est in Deum, alia in Sanctos, aut alias res Sacras, alia hæreticalis, alia simplex. 84. 2. Quot modis committatur. ib. Non est de ejus ratione falsitas. 83. 2. Neque expressa voluntas inhonorandi Deum; sed sufficit exercita. ib. Est peccatum mortale ex toto genere non admittens parvitatem materiæ. 84. 1. Num excusari possit a mortali ratione indeliberationis, subitæ iræ, &c. ib. Non est tamen sacrilegium. ib. Num omnes blasphemiæ sint ejusdem speciei; & quid in confessione exprimendum. ib. 2. & 314. 2. Verba contumeliosa in Sanctos, vel res Sacras prolata sunt blasphemiæ. 83. 2. Aliquando tamen continent peccatum irreligiositatis. ib. Dum contorquentur in alias creaturas, si addatur, *Dei*, adhuc sunt blasphemiæ. ib. Imprecatio in se, hominem, diem, &c. quando est venialis, ib. 1. Dehonoratio alicujus Sancti per jocum num sit mortale. ib. Quæ sint verba blasphema. ib. 2. Num sit blasphemus, qui verba blasphemiæ conditionate tantum profert. 85. 1. Vel qui immutat, aut dimidiat, ne blasphemet, verba. ib. Num peccet, qui ebrium, stultum, vel usus rationis expertem inducit ad blasphemandum. ib. 2. Quæ sint pœnæ contra blasphemantes. ib. & seq. Quæ obligatio audientis blasphemantem. 86. 1. Ad quid teneantur, qui consuetudinem habent blasphemandi, & num differenda eis sit absolutio. 85. 2. Tria requiruntur ad incurrendum primum casum sine excommunicatione reservatum in hac Diœcesi contra *Blasphemantes*, *&c.* ib., & fusius. 372. 2. Quando excusari possunt blasphemantes a tali incursione. 373. 1. An blasphemia in Deum opponatur directe charitati. 71. 2.

Blanditiæ etiam importunæ num irritent matrimonium. 394. 2.

Bona Ecclesiæ alia sunt mobilia, alia immobilia. 125. 1. Num possint alienari. ib. & seq. V. *Ecclesia*. Proventus bonorum Ecclesiæ in quot partes dividendi. 174. 2. V. *Contractus*. Bona incerta quæ sint. 196. 1. Quæ bona adespota. 197. 1. Quæ vacantia. 198. 1. Quæ communia. ib. Num hæc omnia sint restituenda. V. *Restitutio*. Bona corporis quæ sint. 233. 1. Quæ bona animi. 239. 2. V. *Sponsalia*.

Bonorum cessio. V. *Cessio bonorum*.

Bonitas moralis alia est objectiva, alia formalis. 2. 2. Hæc consistit in conformitate cum recta ratione, & non cum natura rationali, aut cum lege Dei primaria. ib. & seq. Illa desumitur tantum ab objecto formali, & etiam a circumstantiis. 3. 1. & 5. 2.

Bruta, & reliqua inanimata possuntne censurari. 444. 2.

Bulla Cœnæ. Usus hujus bullæ quando incepit. 357. 1. Renovatur singulis annis in cœna Domini. ib. Continet 20. excommunicationes latæ sententiæ strictissime reservatas Papæ. ib. usque ad 362. 1. Num dicendæ sint a jure, an ab homine. 357. 1.

Bulla Cruciatæ quomodo intelligenda quoad facultatem absolvendi a reservatis. 356. 2. Vi hujus bullæ nequit quisquam complicis confessionem audire ex Ben. XIV. 371. 1. Neque potest quisquam sibi eligere in Confessarium Sacerdotem non approbatum. 341. 1. Ejus privilegia minus revocantur per Jubilæum anni sancti. 56. 1. Per Bull. Cruciatæ conceditur compositio per bullam cum duabus tantum conditionibus. 215. 2. Confessarius cruciatæ quid possit circa dispensationem in matrimoniis, vel legitimationem prolis. 210. 2. Bullæ Cruciatæ commissarius potest dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis. 489. 2.

Bulla Jubilæi quomodo intelligenda quoad facultatem absolvendi a casibus, & censuris reservatis, commutandi vota, &c. 355. 1. & seq. Num in Jubilæis requiratur, ut opera injuncta fiant in gratia. 334. 2. Ex bulla Jubilæi nequit quis sibi eligere in Confessarium Sacerdotum non approbatum. 341. 2. V. *Regularis*. *Approbatus ad confessiones Privilegiatorum*. *Moniales*. *&c.*

C

Cadaver, V. *Sepultura Ecclesiastica*. *Homicidium*. *Mutilatio*, *Mutilator*, *&c.*

Cæcus num teneatur ad Missam die festo. 103. 2. Quomodo confiteri debeat, præsertim, si cæcus simul sit, ac surdus, & mutus a nativitate. 329. 1. Num sit irregularis ex defectu corporis. 493. 1.

Calix, & quidem consecratus sub mortali requiritur ad Missæ celebrationem. 288. 1. Cujus materiæ possit, & debeat esse. ib. Si denuo inauretur, probabiliter non indiget nova consecratione. ib. & seq. V. *Presbyter*. *Presbyteratus*.

Cambium. *Campsor*, *&c.* Cambium est *Permutatio pecuniæ pro pecunia aliquo pacto diversa*. 155. 2. Differt a mutuo, emptione, &c. ib. Dividitur in siccum, & reale, quod subdividitur in minutum, & locale, seu per litteras. ib. Cambium minutum quid sit. ib. Varie appellatur. ib. In eo licitum est publico nummulario, vel etiam personæ privatæ, aliquod moderatum pretium a campsario exigere. 156. 1. Si lege positiva vetetur, ne homines privati hæc minuta cambia exerceant, exercendo probabilius deobligantur a restitutione. ib. Num, & a quibusnam possit aliquid accipi in cambiis minutis pro pecuniæ custodia. ib. Cambiens monetam alterius ex industria num possit aliquid sibi retinere. ib. & seq. Dupliciter fit cambium per litteras. ib. An in hoc cambio liceat campsori aliquod moderatum lucrum. ib. Quodnam sit cambium ad nun-

nondinas, vel ad terminos, & non possit ob id aliquid campsor exigere. ibid. 2. Circa id quomodo intelligenda Bulla Pii V. 157. 1. Quid, si in hoc cambio campsor nesciat, campsarium non habere in loco destinato ad solutionem pecuniam saltem in credito. ibid. Quomodo fiat cambium recursæ, & num liceat. ibid. & seq. Quid sit cambium siccum, seu fictum. ib. Est omnino illicitum. ib.

Cancellaria Romana. V. *Regulæ Cancellariæ.*

Canonicus. Canonicatus. Canonicus cathedralis debet sepeliri in sepulchro canonicorum ejusdem, &, si hoc desit, in sepulchro suæ familiæ. 348. 2.

Capitulum num possit ferre leges, &c. obligantes ipsos capitulares etiam absque Episcopi consensu. 22. 2. Sede autem vacante etiam obligantes totam Diœcesim. ibid. Num obligetur propriis legibus. 33. 1. Capitulum sede vacante potest a primo anno vacationis dare Testimoniales suis subditis habentibus aliunde dimissorias, imo & dare licentiam Episcopo, etiam nullatensi. ibid. exercendi pontificalia. 209. 2. Num etiam dimissorias. ibid. 1. Num dispensare possit sede vacante in irregularitate orta ex homicidio casuali. 484. 2. Capitulum constans ex Clericis suspendi potest. 467. 2. Num eo suspenso singuli etiam inculpabiles suspendantur. ibid. Si in capitulo sint aliqui vitandi, & horum suffragia sint necessaria ad electionem, electio est nulla: secus, si non sit simpliciter necessaria. 464. 1.

Cappellania. Cappellanus. V. *Stipendium Missæ, Beneficium Ecclesiasticum, &c.* Cappellaniæ manuales, laicales, vel collativæ num sint beneficia. 174. 2. Cappellanus num peccet graviter, reddens se impotentem culpabiliter ad celebrandum. 31. 1. Quid agere debeat, si obligatus celebrare in tali Ecclesia, hæc sit polluta, execrata, vel interdicta. 184. 1. Num teneatur statim ab initio cujuscumque anni, & sine interpellatione celebrare numerum Missarum, ad quem redactum est de licentia Sedis Apostolicæ onus Missæ quotidianæ. 287. 1. V. *Sacerdos.* Num Cappellani majores, possint Sacerdotes approbare relate ad confessionem militum, & domus regiæ. 339. 1.

Captivus. Captus. Num possit testari. 136. 1. Num tenetur ad Horas, præsertim, si detineatur apud infideles. 73. 1.

Capuccini. Horum privilegia vivæ vocis oraculo concessa non intelliguntur revocata ab Urban. VIII. 57. 1. Neque singuli Capuccini, neque eorum Conventus possunt institui hæredes. 537. 2.

Carcer. Incarceratus. Carcere detenti num urgeantur præcepto interessendi Sacro die Festo. 31. 1. 104. 1. Vel præcepto confessionis annuæ. 139. 2.

Cardinalis. Cardinalium collegium num possit, Sede Apostolica vacante, ferre leges. 22. 1. Cardinales etiam non Episcopi possunt de jure communi indulgentias concedere in Ecclesiis suorum titulorum. 333. 2. Num possint censuras ferre. 443. 2.

Carthusianus a carnibus, quibus indigeret ad vitæ conservationem, in extremis abstinens quare non peccet. 233. 2.

Castitas. V. *Votum.*

Casuum reservatio. V. *Reservatio casuum.*

Casus reservati Papæ sunt 20. Bullæ Cœnæ. V. *Bulla Cœnæ*; sunt item 6. specialiter reservati extra Urbem intra Italiam his versibus comprehensi.

Jura Sacri violata loci, vel septa Sacrarum
Virginum, & in Clero cum violenta manus.
Simonia fide, aut facto producta: Duellum:
Hos intra Italiam nonnisi Papa levat.

V. 362. 1. ad 365. Quid veniat nomine Italiæ. 362. 1. Alii sunt in corpore juris, aliisque Const., & 84. hic enumerantur. ibid. 2. Num reservati 61. enumerantur. 367. 1. & seq. Casus reservati Episcopis alii sunt a jure, vel consuetudine, quos ipsi Episcopi sibi reservant, & exponere solent in tabellis suis. 351. 2. & 368. 1. Num horum reservatio cesset mortuo Episcopo. Præsertim, si ille aliquem sibi casum servavit per modum mandati. ibid. Expenduntur cum suis notis 16. casus reservati in Diœces. Neapol. cum excomm. & 7. sine excomm., quos omnes his versibus comprehensos habet:

Hæreticos adieas, & abutens crismate; spondens
Obsequium diti: Vos quoque sortilegi.
Virginis alloquium: falsi cum crimine Testes,
Complicis absolvens crimina: Sollicitans.
Incestus, Clericumque trahens laicum ante tribunal:
Quique necem in Templo, quique venena parat.
Invectans libros simulantes Paschate schedam,
Falsificans nummos, sprætaque juncta toro.
Blasphemus, Sodoma, & sibi fassum sæpe Sacerdos
Sollicitans: Medicus, qui Sacra non jubeat.
Qui pia defraudat monitus loca; pellice lectam
Qui scelerat, qui nec paschate Sacra capit.

V. 368. 1. ad 374. Num hi casus incurrantur ab omnibus etiam pueris. ibid. 1. Sex adhuc adnotantur. ibid. circa hujusmodi reservationem. Expenduntur 11. casus Clement. VIII., qui reservati possunt in ordinibus Religiosis. ibid. 2. & seq.

Catechumenus. Pro catechumenis possit ne offerri Missæ sacrificium. 279. 2. In eos nequit ferri censura. 444. 2.

Caupo. Cauponarii. Caupona. Num possit esse rationabilis causa cauponibus, &c. ministrandi cibos vetitos, &c. manducantibus, ementibus, &c. 119. 1. Num possit divertere in cauponam, quo divertit excommunicatus vitandus: & in quibus possit ibi cum eo communicare. 459. 2. Cauponarii recipientes a filiis familias, vel a famulis pecuniam furtivam, num & cui eam teneantur restituere. 201. 1. Quid, si solum iis permittant ludere. ibid.

Causa modus est adjectus contractui. 183. 1. Est vel motiva, vel impulsiva. ibid. Unde dignoscitur hæc diversitas, & qualiter in dubio præsumenda. ibid.

Censura sic dicta a Censore. 442. 1. Definitur *Pœna Ecclesiastica privans fideles delinquentes, & contumaces usu quorumdam bonorum spiritualium ad eorum correctionem.* ibid. Quæ sint ista bona spiritualia. ibid. Quo jure institutæ sint, vel servari debeant censuræ. 542. 1. 2. In earum effectibus solus Papa potest dispensare. ibid. Differt censura ab irregularitate. 481. 1. Censura triplex est, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum. Hæc triplex subdividitur in censuram juris, & ab homine, quæ potest esse specialis, & generalis. 442. 2. Rursus in censuram latæ sententiæ, & ferendæ, in absolutam, conditionatam, & disjunctivam. 443. 1. Demum in censuram majorem, quæ est excommunicatio major, & in minorem, quæ est excommunicatio minor. ibid. Num suspensio, & interdictum sint censuræ majores, an minores. ibid. Num ferens censuram possit illam incurrere, vel saltem aliam censuram latam a suo superiore. 445. 1. Sola potestas Ecclesiastica, non vero laicalis, ferre potest censuras. 443. 2. Quis autem eas ferre possit potestate ordinaria. ibid. Quis delegata. 444. 1. Per consuetudinem, vel præscriptionem acquiri potest facultas censurandi ordinaria a quovis Clerico. 444. 1. Ad delegandam hanc potestatem quid requiratur. ibid. Qui nequeunt ad id delegari. ibid. Ferri autem possunt censuræ in homines tantum baptizatos, viatores, habentes usum rationis, & subditos. ibid. 2. & seq. V. *Vagi, Exempti, Pueri, &c.* Ob quam causam ferri possint. 447. 1. Debent ferri ob peccatum mortale, & quidem proprium, in quo differt censura ab interdicto, & suspensione. ibid. Num pro quovis mortali ferri licite possit censura gravis. ibid. Debet item peccatum esse exterius consummatum. 447. 2. Ad incurrendam censuram gravem requiritur actus tum externus, tum internus graviter peccaminosus. ibid. & seq. Num debeat esse etiam manifestus actus peccaminosus, an sufficiat, si sit occultus, dummodo sit per se sensibilis. 448. 1. An debeat peccatum esse specialiter ab Ecclesia prohibitum sub censura. ibid. V. *Mandans. Consulens.* Debet similiter esse peccatum commissum cum contumacia. 449. 1. Censura ut censura ferri nequit pro peccato mere præterito: sed vel pro cavendo futuro, vel pro emendatione peccati præteriti, aut ejusdem satisfactione. ibid. Requiritur semper inobedientia, & contumacia saltem virtualis. ibid. Num, si quis deliquit contra statutum e. g. ferendæ sententiæ, & ante judicis executionem sie sufficienter emendatus, &c. possit a Judice censurari. ibid. & 2. V. *Homicida*, & rursus *Mandans, Consulens.* Num eadem causa, seu culpa subjacere possit pluribus simul censuris ejusdem speciei. ibid. 2. Ferrine possit censura in propria causa. ibid. & 450. 1. Quomodo ferri debeat censura. ibid. Tria requiruntur. Primo prævia monitio. ibid. Censuræ generales hanc inhibiunt: unde, si sunt latæ sententiæ, incurruntur ipso facto: secus, si ferendæ. ibid. Monitio quomodo, & ad cujus instantiam fieri debeat. ibid. 2. Num semper debeat esse trina. ibid. Sine hac monitione invalida est censura, & neque a Papa sic ferri potest. ibid. Requiritur secundo voluntas ferentis censuram. ibid. Qualis autem debeat hæc esse. ibid. Si superior non libere omnino, sed metu gravi coactus ferat censuram, sitne hæc valida. ibid. Requiritur tertio forma censuræ, quæ debet exprimere in scriptis causam, speciem censuræ, & personam, in quam fertur. ibid. Num si aliquid ex his non exprimeret, adhuc esset valida. ibid. Num valeat, si feratur sine scripto, vel sub voce generica, vel sub persona indeterminata. ibid. Vel disjunctive. 443. Num ferri possit sub conditione. ibid. & 451. 1. Quo tempore, & loco ferri possit censura, & num in absentem. ibid. An, & a quo possit censura reservari. ibid. An, & quomodo fieri possit denunciatio censuræ.

V. Cen-

V. *Censuræ denunciatio*. Quæ sint excusationes a censuris. V. *Excusationes a censuris*. Quæ earum absolutio. V. *Absolutio a censuris*. *Moribundus*. *Reservata*, *&c.* Quæ sit irregularitas ex delicto violationis censuræ. 488. 1. Quis possit in ea dispensare. ibid.

Censuræ denunciatio est *Censuræ jam incursa publica declaratio*. 451. 1. & 457. 2. Quo die, quomodo, & ubi affigenda. ibid. & 151. 1. Quid debeat præcedere denunciationem censuræ, quid comitari; & num debeat reus necessario citari. ibid. A quo fieri possit talis denunciatio. ibid. Quid agere debeat is, cui superior commisit denunciationem excommunicati, quem scit certo esse innocentem. 451. 1.

Census. Ejus nomen varie accipitur. 151. 1. Definitur *Jus percipiendi pensionem aliquam ex re utili, vel persona alterius*. ibid. Dividitur in reservativum, & consignativum. ibid. Consignativus subdividitur in realem, personalem, & mixtum; in certum, & incertum, in temporalem, & perpetuum. ibid. Temporalis, vel est ad certum tempus, vel ad incertum, v. g. ad vitam unius, vel plurium, diciturque vitalitius. ibid. & 154. 2. Perpetuus, vel est redimibilis, vel irredimibilis: redimibilis, vel est talis ex una tantum parte, vel utrinque. 152. 1. Quid statutum sit jure positivo circa censum consignativum. ibid. 1. Expenditur circa hoc Bulla Pii V. & 12. conditiones ab eo censui appositæ. ibid. Sub quibus conditionibus liceant census reales. ibidem. Quod sit ejus pretium justum. ibid. Qua in re fundari possit. 153. 2. Quando liceat census personalis, quando mixtus. 154. 1. Expenditur quidditas census temporalis: item qualitates ejus, & census vitalitii, qui potest esse tum realis, tum personalis. ibid. 2. Quo pretio possit emi, & num addi possit pactum, ut, si redimatur, refundatur idem pretium a censuario, quo ab initio fuit venditus. ibid. An licite addatur censui reali pactum commissorium, vel personali rescissorium. 11. 1. Num censui illicite addatur pactum, ut non redimatur per partes, aut nisi in eadem moneta, aut solvendi pensionem, licet res censuata pereat. ibid. Census, si nullum adjiciatur pactum redimibilitatis, aut dubium sit, ex jure naturæ censendus irredimibilis. ibid. 2. Num, si Titius 1. Januarii 1749. dedit Cajo 5000. ad censum vitalitium vita sua durante, cujus primam pensionem levaret in termino. 1. Januarii 1750. sed moritur die 1. Novembr. 1749. Num, inquam, ejus hæredi debeatur pars illius pensionis pro rata temporis decursi. 154. 1.

Cessatio a divinis est *Prohibitio Ecclesiæ Clericis imposita abstinendi a divinis officiis in aliquo loco*. 480. 2. Differt ab interdicto, ibid. Primus effectus cessationis a divinis est privatio divinorum officiorum, itaut Clerici directe, Laici indirecte prohibeantur ibi a divinis. ibid. Num possint ibid. recitare Horas bini, vel terni. ibid. Vel ibid. celebrare semel in hebdomada pro renovanda Eucharistia. ibid. Qui tamen possit huic Sacro assistere. ibid. Secundus effectus est privatio Sacramentorum. ibid. Num possint eo tempore ministrari ea benignitate Ecclesiæ ea Sacramenta, quæ possunt tempore interdicti. ibid. Tertius effectus est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, quem habet non per se cessatio a divinis, sed quia fere semper supponit interdictum. ibid. Quæ pœna est Clericis, & Religiosis imposita, si violent cessationem a divinis. ibid. Pro Laicis taxanda arbitrio Judicis. ibid.

Cessio Bonorum in quo foro debitorem excuset a restitutione. 213. 1. Num cedens bonis possit etiam pro foro conscientiæ sibi retinere, occultare, quantum est necessarium, ut tenuiter vivat. ibid. Num, si post hanc cessionem redeat ad pinguiorem fortunam, teneatur restituere. ibid. Quinam in hoc gaudeant cap. *Odoardus de solutionibus*. ibid.

Charitas Dei. V. *Virtus*. Præceptum charitatis est de amore Dei formali. 65. 2. Non tenetur tamen referre omnes actus morales ad Deum propter se. ibid. Præceptum hoc esse debet de amore Dei absolute super omnia, & supernaturali. ibid. Amorem summum appretiativum possumus hic habere: sed intensivum nonnisi in patria. ibid. Qui Deum naturaliter tantum cognoscunt, tenentur eum amare amore naturali. 66. 1. Ex quo motivo teneamur Deum diligere. ibid. Pro praxi hujus præcepti facilis traditur modus. ibid. Ejus præceptum negativum vetat omne peccatum. 70. 2. V. *Odium*.

Charitas sui quomodo præcipiatur in Scripturis. 107. 1. Num per se loquendo teneatur quisque propriam vitam conservare. ibid. An possit aliquando optare sibi mortem, se occidere, mutilare, infamare, &c. ibid. & 168. 1. V. *Reus Ægrotus*.

Charitas Proximi. V. *Proximi dilectio*.

Chirographum. V. *Creditum*.

Chirurgus. V. *Medicus*.

Chrisma. V. *Confirmationis Sacramentorum*. *Extrema Unctio*.

Christianus. Christiani captivi num licite remigent metu mortis in triremibus Turcarum invadentium classem catholicam, vel licite Turcis porrigant arma, &c. 118. 1. & 359. 2. & seq. Num Christianis liceat etiam secluso bello bona infidelium usurpare, vel deprædari. 181. 2.

Circumcisio in legi veteri num causaret gratiam, & virtute sua deleret originale. 141. 2.

Circumstantiæ peccatorum. V. *Peccata*. *Confessio*.

Civitas. *Cives*. Civitati licitum est imponere, non gabellas, sed aliqua sibi tributa, seu *Assisia* ad communes populi necessitates. 170. 5.

Clandestinitas. Matrimonia clandestina sunt, quæ clam fiunt. 402. 1. Hæc, licet olim valida, semper tamen illicita habita sunt ab Ecclesia. ibid. Hodie autem matrimonium clandestinum est, quod, licet fiat publice, & coram omni populo, attamen sine assistentia Parochi, & Testium; ut habet Trid. decretum. ibid. Estque irritum, etiamsi sit hæreticorum in loco, ubi Trid. decretum est publicatum. ibid. Contra vero matrimonium clandestinum etiam catholicorum est validum, ubi Trid. non est publicatum. ibid. 1. Quid de eo, qui e loco, ubi Trid. decretum est publicatum, eat ad locum, ubi non est publicatum, ibique contrahat clandestine. ibid. Num valeat matrim. in aliquo casu etiam, ubi decretum. Trid. fuit publicatum. ibid. Quid autem hic intelligatur nomine Parochi. 403. 1. Ad matrimonium valide, & licite assistit Parochus non Sacerdos. ibid. Valide assistit Parochus suspensus, interdictus, irregularis, excommunicatus etiam vitandus privatus administratione Sacramentorum, imo etiam degradatus, modo non sit depositus. ibid. Ad matrimonium requiritur assistentia non qualiscumque Parochi, sed proprios. ibid. 2. Quis autem reputandus Parochus proprius. ibid. Quid, si contrahentes spectent ad diversas Diœceses. ibid. Qui Parochus reputandus sit proprius vagorum, peregrinorum, vel habentium alicubi quasi domicilium. ibidem, & seq. Num, & cui possit Parochus proprius delegare, ut matrimonio assistat. ibid. Num hæc facultas delegari possit scripto, vel voce. ibid. V. *Licentia*. Requiruntur etiam ad valorem matrim. præter Parochum duo alii testes. 405. 1. Quales autem hi debeant esse. ibid. Num requiratur horum simultanea cum Parocho assistentia. ibid. Habere debent attentionem actualem, ut verum sit, quod sint humano modo præsentes. ibid. Quid, si sint surdi, muti, cæci, vel contrahentium idioma non intelligant. 405. 1. Porro ad validam assistentiam Parochi, & Testium non requiritur, ut sint vocati, ac libere assistant. ibid. Qualiter peccent, & puniantur, qui vi, vel dolo Parochum, vel testes, ad matrim. assistendum retinent. ibid. Quæ autem sit pœna contrahentium sine Parocho, & Testibus. ibid. Num impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato oritur etiam ex matrimonio clandestino. 398. 1.

Clausura Religiosorum. Qualiter puniantur cum Religiosi introducere præsumentes mulieres intra Monasteria, &c. tum mulieres ingredientes. 473. 2. Qui in hoc habeant privilegium. ibid. Excusetne aliquando necessitas, vel, si mulieres admittantur causa supplicationis, missæ, funeris, &c. ex bulla Pii V. ibid.

Clausura Monialium est *Spatium intra januam Monasterii semper clausam, & cætera Monasterii loca, quæ ea janua continentur*. 363. 1. Violatur, tum per egressum ipsarum Monialium, tum per ingressum aliarum personarum. ibid. Quæ autem personæ possint ex privilegio ingredi. ibid. Ingredientes sine debita licentia quam excomm. incurrant. ibid. 2. Prælati vero pontificalis dignitatis, si ingrediantur præterquam in casibus sibi concessis, plures pœnas incurrunt. ibid. Num in egressu, vel ingressu detur, & quæ sit parvitas materiæ. ibid. Quid hac in re liceat ex necessitate, vel periculo, puta incendii, terræmotus, &c. ibid. Num casus a Clem. VIII. reservatus tantum complectatur, qui illam violat ex malo fine fornicandi, an vero ob alios etiam malos fines: puta furandi, &c. ibid. Num etiam Moniales Conversæ, Educandæ, Oblatæ, Novitiæ teneantur ad clausuram, an vero saltem ex parte eximantur. ibid. 1.

Clericatus. *Clericus*. V. *Percussio Clerici*. *Sepultura Ecclesiastica*. *Commendatitiæ litteræ*. *Dimissoriales*, *&c.* Clericus nequit renunciare privilegio canonis, & fori. 57. 1. Incedens sine habitu Clericali, & tonsura, item omittens adscribi alicui Ecclesiæ num amittat præfatum privileg. ib. 2. & 295. 2. & 362. 1. Constitutus in Sacris tenetur ad Horas. 73. 1. Num deobligetur, si ex Papæ dispensatione ducat uxorem. ib. 2. Non tenetur servare consuetudines obligatorias laicorum. 41. 2. Quæ sit Clericorum obligatio erga suos Prælatos; & contra. 110. 1. Clericis con-

stitutis in Sacris, vel in minoribus cum beneficio est illicita negotiatio. 158. 1. Num possint fidejubere. 161. 1. Num sint immunes a gabellis. 471. 1. Quando potest a Clericis exigi gabella. 172. 1. V. *Confirmationis Sacramentum*. Clericus suspensus, interdictus, depositus, degradatus, V. *Suspensio*. *Interdictum*. *Degradatio*. *Depositio*. Clericus, dum est in famulatu Episcopi, in quo possit cum eo vitando communicare. 460. 2. Clericus num gaudeat immunitate Ecclesiastica contra suum Judicem Ecclesiasticum. 363. 1. Clericus, cui est delegata potestas ferendi censuras, num eam retineat quodammodo a delegante pendentem. 444. 1. Clericus, si sciens, ac libere admittat in divinis excommunicatum nominatim denunciatum a Papa, incurrit excommunicationem majorem. 459. 1. & 461. 1. Item, si eum eo communicet in crimine criminoso. ibid. & 459. 1. Si ipse sit vitandus, num præsentatio beneficii a se facta sit irrita. 464. 1. Num Clericis Diacono inferioribus possit, sin minus ab Episcopo, a Summo saltem Pontifice delegari facultas dispensandi Eucharistiam. 269. 1. Tempore interdicti generalis quod privilegium concessum est Clericis. 476. 2. Qui autem hic veniant nomine Clericorum, & num etiam conjugati. ibid. Quatuor tamen conditiones sunt a Clericis servandæ. ibid. & 477. 1. Num iis liceat interdicti tempore Eucharistiæ sumptio. 478. 1. V. *Laici*. Num possint tempore interdicti sepeliri in loco sacro. ibid. 2. & seq. V. *Sepultura Ecclesiastica*. Qualiter peccent, & puniantur violantes interdictum. ibid. 2. Estne irregularis Clericus, & cui prohibita est venatio clamorosa, si putans feram in dumis hominem latentem occidat? Vel aptans laqueos ad feram in illos impingat homo, & moriatur. 484. 1. Vel si assistat ludis lucris, vel illicitis, ubi mors sequatur. ibid. Vel si exercens chirurgiam, sequatur mors, vel mutilatio. ibid. Num Clericus, qui lapsus est in hæresim, post pœnitentiam, & abjurationem possit saltem exercere ordines, quos habet. 487. 1. Quot modis evadere possit irregularis ex delicto abusus ordinum. ibid. 2. Num incurrat irregularitatem Clericus, si exerceat serio officium ordinis, quem non habet, sine intentione tamen absolvendi, e g. celebrandi, &c. 488. 1. Clerici quando incurrant irregularitatem ex delicto violationis censuræ, & a quo possint in hac dispensari. ibid. V. *Dubium*. Clerici sæculares inducentes aliquem ad vovendam, &c. Sepulturam in eorum Ecclesia, &c. incurruntne excomm. 348. 1. V. *Regulares*.

Codicillus est *quod additur testamento ad aliquid explicandum, vel mutandum, addendum, vel detrahendum &c.* 135. 2. Quid requiratur ad ejus valorem præsertim pro foro externo. ibid. In foro conscientiæ, & ad pias causas, valet, ut testamentum. ibid.

Cœmeterium. V. *Ecclesia*. *Sepultura Ecclesiastica*. *Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ*, *&c.*

Cognatio triplex est, naturalis, spiritualis, & legalis. 390. 1. Naturalis, quæ & consanguinitatis dicitur, est *Propinquitas personarum ab eodem stipite descendentium*. ibid. V. *Linea*. Usque ad quem gradum consanguinitatis est irritum matrimonium. ibid. 2. In quo gradu consanguinitatis irritum sit matrimonium jure naturæ. ibid. Si infideles contraxerint in gradibus jure naturæ dirimentibus, & postea baptizentur, sunt separandi: secus, si in gradibus dirimentibus jure ecclesiastico. ibid. Excommunicatio contra consanguineos & affines contrahentes non extenditur ad contrahentes cum cognatione spirituali, vel legali. 392. 2. Cognatio spiritualis contrahitur in baptismo, & confirmatione, itaut eam in baptismo contrahant tantum Patrini, & baptizans cum baptizato, ejusque patre, ac matre & in confirmatione patrinos, & confirmans cum confirmato, ejusque patre, ac matre. 391. 1. V. *Patrinus*. Quid requiratur ex parte personarum, ut contrahant hanc cognationem. ibid. 2. Quid requiratur ex parte intentionis. ibid. Quid ex parte baptismi. ibid. Conjux contrahens cognationem spiritualem, an, & quando privetur jure petendi debitum. 438. 1. 2. Si uterque conjux illam contrahat, num uterque privetur tali jure. ibid. Cognatio legalis est impedimentum dirimens matrimonium inductum jure civili, & approbatum jure ecclesiastico. 392. 1. Num afficiat infideles. ibidem. Oritur ex adoptione: & quidem triplex species cognationis ex adoptione oritur. ibid. V. *Adoptio*. Per cognationem legalem, quæ matrimonio superveniat, non impeditur redditio debiti. 438. 2.

Commenda. Commendæ equitum Jerosolymitanorum, etsi ecclesiasticæ, non sunt proprie beneficia. 175. 1.

Commendatitiæ litteræ quæ sint. 472. 1. Qui a Papa obtinuit rescriptum recipiendi ordines a quovis Episcopo, si eos recipiat absque litteris commendatitiis proprii Episcopi, quam suspensionem incurrat. ibid. V. *Testimoniales*.

Commodatum est *Gratuita concessio rei ad solum usum pro tempore expresse, aut tacite determinato*. 140. 1. Num possit commodator saltem, si sit pupillus, minor &c. absque injustitia rem repetere ante præfixum tempus. ibid. Num possit aliquid accipere pro commodatione, vel deterioratione rei. ibid. Ad quid teneatur commodatarius circa rem commodatam, & qui usus rei illius ei liceant, qui non. ibid. Quomodo in hoc excipiantur pupilli, & minores. ibid.

Communicatio cum excommunicato vitando, vel non vitando. Sub qua culpa, & pœna prohibita sit fidelibus talis communicatio. 458. 2. V. *Excommunicatus*. In quinque tamen casibus uno versu comprehensis possumus licite communicare cum excommunicato vitando. 459. 2. Primo, quando adest utilitas notabilis tua, vel ipsius vitandi. ibid. Quare potes eum alloqui verbis, vel scripto, gratia illi dandi consilium salutare. ibid. Potes concionem coram eo facere, vel concioni cum eo interesse. ibid. Num etiam lectioni theologicæ. 466. 1. Non possis ab eo petere, vel dare medicinas, tuum creditum exigere, prosequi contractus societatis, petere, & ei dare eleemosynam, recipere legatum ab eo relictum &c. 460. 1. Secundo licitum est cum eo communicare uxori. ibid. V. *Uxor*. Tertio filiis, servis, & subditis non autem in crimine criminoso. ibid. 2. V. *Filius*. *Servus*. *Subditus*. *Crimen criminosum*. Quarto ob ignorantiam. Quinto ob necessitatem etiam licet supradicta communicatio. 461. 1. V. *Ignorantia*. *Necessitas*.

Communicatio facultatum, privilegiorum, &c. V. *Mendicantes*. *Religiosi*, *&c.*

Communio. V. *Quotidiana communio*. *Eucharistia Sacramentum*.

Communitas. Communitatis nomine quid veniat. 21. 1. 27. 1. & 40. 2. Quando peccet non acceptando legem jam promulgatam. 26. 2. & 27. 1. Cui facienda restitutio, quando quis redditus v. g. alicujus communitatis læsit. 198. 2. Nulla communitas ligari potest excommunicatione. 446. 2. Ligari tamen potest suspensione, vel interdicto. ibid. Imo ferri potest excommunicatio in singulos, qui ex tali communitate deliquerint. ibid.

Commutandi potestas in quo differat a potestate dispensandi. 43. 1. V. *Dispensatio*.

Commutatio voti. V. *Votum*. Pœnitentiæ Sacramentalis. V. *Satisfactio Sacramentalis*.

Compensatio. V. *Dominus*. *Fur*. *Fama*. *Injustitia*. *Censura*. Creditor uti potest occulta compensatione, modo debitum sit ex justitia, sit certum, sit præsens, compensatio fiat æqualis debito, & de rebus debitoris, creditum non possit alia via obtinere, & demum moneat debitorem, ejusque hæredes, ne iterum solvant. 207. 1. & 2. V. *Famulus*. Num aliqua ex his conditionibus obliget sub levi tantum. ibid. Si feratur excommunicatio in surripientes bona Titii, num incurrat, qui aliquid surripuit in compensationem. 207. 2. Et num de hoc a Judice interrogatus possit negare etiam cum juramento. ibid. Num teneatur saltem Judici revelare, quid sciat. ibid. Restitutio potest fieri per compensationem, qua debitor per aliud creditum compensat suum debitum: requiritur tamen, ut utrumque debitum sit de liquido ad liquidum. ibid. Num, si debitor teneatur Petro e. g. dare 500. ex justitia, & gratis illi conferat obsequium ejusdem valoris, aut rem æquivalentem per donationem, possit postea id per compensationem in extinctionem debiti adscribere. 210. 1. V. *Beneficium Ecclesiasticum*.

Complacentia de pollutione in somno habita sitne semper peccaminosa. 4. 2.

Complex. Num debeat pœnitens in confessione manifestare complicem, si non possit aliter integre confiteri suum peccatum, vel aliquam ejus circumstantiam. 318. 2. Quando fieri potest confessio integra sine complicis manifestatione, est illicita talis manifestatio: imo a Bened. XIV. damnata fuit praxis nonnullorum Confessariorum exquirentium nomen complicis. ibid. * Adde, quod hic Pontifex in alia Const. edita die 2. Junii anno 1746. cujus initium est: *Ubi primum* (& cujus mentio non fit in Opere) addit excommunicationem latæ sententiæ sibi reservatam in docentes oppositum, vel scriptis, aut verbis eam praxim defendere præsumentes, &c. In Confessarios vero contrafacientes, ultra peccati lethalis incursum, suspensionem ab officio audiendarum confessionum, aliasque graviores pœnas inferendas statuit *. In Synodo Neapolitana, imo & pro tota jam Ecclesia ex Ben. XIV. tollitur omnis facultas absolvendi a peccatis venereis, quorum Confessarius fuit complex. 371. 2. Etiam in articulo mortis, si adsit alius, etsi simplex Sacerdos. ib. Quid, si hic alius Sacerdos sine infamia, vel scandalo vocari nequeat, vel hoc ipsum confingatur a pœnitente in articulo. ibid.

Num

Num excuseris a denunciatione alicujus suspecti de hæresi, si sis complex? 69. 2. V. *Sollicitatio*, *Reus*, *&c.*

Compositio est *Pactio de re aliqua, vel circa quam nulla controversia sit, vel circa quam sit, aut esse possit*. 167. 1. Compositio cum creditore excusat debitorem a reliqua restitutione, si sit omnino libera, & legitima. 215. 1. V. *Remissio debiti*. Potest fieri compositio cum Episcopo quoad restitutionem fructuum beneficii. 221. 2. Si creditor componitur cum debitore, qui cedit bonis, ut parte remissa aliquid accipiat, num talis remissio sit conditionalis. 215. 1.

Compositio per bullam est *Conventio debitoris cum Papa, qui dispensat, ut major pars debiti mutetur in minorem, &c.* ibid. V. *Bulla Cruciatæ*. Num præter Papam possit & Episcopus illam concedere pro sua Diœcesi. ibid. Super quæ debita concedi possit hæc compositionis bulla, & num non sine causa. ibid. Num debitor habens multa debita partim certa, partim incerta, si super incertis compositionem obtinrat, teneatur id, quod ex his sibi retinet, dare creditoribus certis. 216. 1. Num, si post compositionem, & persolutam partem designatam in pia opera compareat dominus, teneatur debitor residuum ei dare. ibid.

Compromissum est contractus, *Quo aliqui mutuo consensu in sententiam arbitri, seu arbitratoris rejiciunt controversiam aliquam dirimendam, spondentes, se illi pariturus*. 167. 1. Ad quam contractus speciem pertineat, & ad quid obliget. ibid. V. *Arbiter*.

Concilium generale num possit leges ferre. 22. 1. Num ferre censuras pro tota Ecclesia. 443. 2. Quid de Provinciali, Diœcesano, &c. ibid. Num ferre possint leges Conc. Diœcesanum, Provinciale, aut Nationale. 22. 2. Num possit Conc. Generale gabellas imponere in locis sæculari Principi subjectis. 170. 1.

Concio. *Concionator*. Concionatores prædicantes miracula ficta, &c., vel male interpretantes S. Scripturam, vel prædicentes tempus Antichristi, Judicii, &c. num incurrant excommunicationem? 78. 1.

Concordata inter SS. P. N. Bened. XIV. & piissimum Regem nostrum Carolum quæ sint. 362. 1. & 363. 1.

Concubinarius. *Concubina*. Concubinarius est *Qui frequenter habet copulam cum eadem fœmina cum animo retinendi illam, tamquam suo usui mancipatam*. 373. 2. Sitne intrinsece malum dare munera concubinæ, ut apud Judicem intercedat. 118. 2. Quomodo intelligendus 6. casus reservatus in Diœcesi Neapolit., sive excommunicatione circa reservationem absolutionis relate ad concubinarios, & concubinas. 373. 2.

Concupiscentia. Concupiscentiæ nomine quid intelligatur. 7. 1. Alia est antecedens omnem advertentiam, alia consequens. ibid. Actus ex ea proveniens qualiter sit peccaminosus. ibid. Qui aliquo pacto resistit concupiscentiæ diuturnæ, licet non tam prompte, &c., censeturne ei consensisse. ibid. 2.

Conditio rigorose sumpta est *Qualitas adjecta contractui, quem suspendit, donec illa impleatur*. 123. 2. Alia est de præsenti, alia de præterito, alia de futuro, ibid. & 416. 2. Subdividitur in necessariam, impossibilem, & contingentem: rursus in turpem, & honestam seu licitam. ibid. Aliquæ ex his conditionibus sponsalibus appositæ, quando illa firment, quando irritent, quando suspendant. ibid. & 417. 1. & 2. Differt conditio a modo 123. 2. Si sit turpis, habeturne pro rejecta. ibid. Quæ sit conditio turpis, & quotuplex. ibid. & 417. Quomodo impleri debeat conditio. 123. 1. Quandonam valeat negativa. ibid. Per conditionis adventum num statim contractus conditionatus evadat absolutus. ibid. Quando cessat privilegium cessante conditione illi apposita. 58. 1. Quæ sint conditiones occultæ compensationis. 206. 2. & seq. Conditio servilis dirimens matrimonium. V. *Impedimentum conditionis*. Conditio a lege præscripta, si omittatur, num invalidet actum. 31. 2. & seq. Conditiones juramenti. V. *Juramentum*. Conditiones adjectæ sponsalibus. V. *Sponsalia*.

Conductio, & *Locatio* sunt unicus contractus, quo *Quis personam, aut rem aliam mobilem, vel immobilem alteri ad tempus utendum, vel fruendum concedit, certo pretio, aut mercede, seu pensione sibi constituta*. 162. 2. Quænam locatio, & conductio sit jure positivo prohibita. ibid. Quid dicendum de locatore. ibid. & seq. Quid de conductore. 163. 1. Ad quem spectant expensæ, pericula, & fructus rei locatæ. ibid. 2. Domum locare meretrici. V. *Meretrix*.

Confessarius pœnitentiam imponens, commutans. V. *Satisfactio Sacramentalis*. Potest absolvere pœnitentem, qui contra ipsius opinionem sequi velit sententiam probabilem, & deobligantem a restitutione: num etiam debeat. 20. 2. Confessarius assistens moribundo, vel scrupuloso. V. *Scrupulosus*: *Moribundus*. Quæ potestas ordinis debeat haberi a Confessario, ut suum ministerium rite exequatur. 335. 1. *Pœnitentiæ Sacramentum*. Num, & quod interdictum possit relaxare. 480. 1. Confessarii consilium num excuset debitorem a restitutione. 216. 1. V. *Fur*. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente defraudante gabellas. 170. 2. Vel obligato ad restitutionem. 208. 1. Quid de Confessario, qui non restituit rem secreto acceptam ad hunc finem. 210. 1. V. *Parochus*. *Absolutio*. Quid agendum sit Confessario dubitanti, utrum habeat facultatem necne in reservata. 156. 2. Non debet esse nimis scrupulosus in vestigando numero actuum interuorum moraliter interruptorum. 186. 1. Excitans pœnitentem ad contritionem non descendat ad particularia Dei amori posthabenda. 319. 1. Frangatue sigillum Confessarius interrogans voce alta pœnitentem, *Quoties peccaveris?* Vel acriter eum increpans, vel ei imponens pœnitentiam publicam. 280. 2. V. *Sigillum*. Confessarius, ut licite absolvat pœnitentem debet esse moraliter certus de ejus dispositione. 337. 2. Hæc moralis certitudo debet accipi respective ad pœnitentem. ibid. Quando teneatur sub gravi illum absolvere. ibid. Quando possit prudenter ei differre absolutionem. ibid. Si dubitet de ejus dispositione, non potest absolvere. Num possit, vel etiam aliquando teneatur illum absolvere conditionate. ibid. V. *Absolutio*. Num aliquando debeat, vel saltem possit absolutionem iterare. 378 1. Confessarii qualiter debeant se in praxi gerere cum pœnitentibus, qui debent repetere confessiones invalide antea factas. 327. 1. Confessarius quadruplex gerit officium: unde plures habet obligationes. 341. 2. Debet esse probus: qualiter ergo peccet ministrans hoc Sacramentum in mortali, & quid agere debeat, si petatur ad audiendas confessiones. 342. 1. Num ligatus censura peccet absolvendo, si per contritionem se ponat in gratia. ibid. Debet scire, quæ ad suum officium pertinent. ibid. Proindeque debet habere scientiam habitualem, actualem, & per interrogationes acquisitam, ut licite Sacramentum pœnitentiæ administret. ibid. Quoad habitualem tria scire debet. ibid. Num tum ad licite, tum ad valide absolvendum. ibid. Quanta debeat esse Confessarii scientia, ut licite administret hoc Sacramentum. ibid. V. *Pœnitens*. Quæ est scientia actualis, quam habere debeat Confessarius. 342. 2. Qualiter peccet, si audiens confessiones non attendat ad peccata pœnitentium, ibid. Quomodo debeat recordari peccatorum pœnitentis, tum cum absolvit. ibid. Licet debeat formare judicium de auditis in confessione ante absolutionem, non tamen tenetur judicare de singulis peccatis in particulare. ibid. Si post datam absolutionem, vel pœnitens, vel confessarius re melius perpensa advertat esse veniale, quod absolutum fuit ut mortale, vel contra, ad quid teneantur. ibid. Quid, si pœnitens confitendo affert casum difficilem. ibid. Quando debet Confessarius interrogare pœnitentem, sciat necne requisita ad confessionem. ibid. 2. Num si videat pœnitentem deficientem ab integritate confessionis, debeat illum interrogare. ibid. Quando non teneatur, nisi leviter tantum, illum interrogare. 343. 2. Interrogatio debet esse discreta respective ad statum pœnitentis. 343. 2. Hinc rudior pœnitens de pluribus est interrogandus. 344. 1. Debetne interrogare pœnitentem tacentem peccatum, quod clare commisit, & quid, si pœnitens illud neget. ibid. Post moralem autem diligentiam non teneatur ulterius pœnitentem interrogare: num non teneatur exactius illum interrogare, quam teneatur pœnitens se examinare. 343. 2. Habens ex officio curam animarum teneturne semper sub gravi admittere pœnitentem ad confessionem. 344. 1. V. *Parochus*. *Testis*. Quid de reliquis non habentibus curam animarum. ibid. 1. Num debeat ignorantem mysteria fidei, vel indispositum prius instruere, ut eum possit absolvere. ibid. V. *Absolutio*. Num debeat ignoranti e. g. invaliditatem sui matrimonii impedimentum aperire. ibid. & seq. Si pœnitens illum interroget, an aliquid si peccatum, præceptum, &c. num debeat illi aperire veritatem. ibid. Teneatur in multis monere pœnitentem ad denunciandum. 345. 1. V. *Denunciatio*. Confessarius sollicitans. V. *Denunciatio*. *Sollicitatio*. Quæ sint ceteræ obligationes Confessarii monendi, & docendi pœnitentem, &c. 347. 1. V. *Reus*. *Juramentum* in calce. *Magus*. *Sepultura Ecclesiastica*. *Absolutio a reservatis*, *&* *censuris*. Confessarii Regulares quid possint circa absolutionem a casibus, & censuris reservatis Papæ? Quid Confessarii sæculares. 351. 2. Quid circa reservatos Episcopis. 352. 2. & seq. Num Confessarii sæculares, vel regulares possint aliquando extra articulum, vel periculum mortis absolvere a casibus expositis in Tabella non petita prius facultate. 353. 1.

Confessarius Cruciatæ. V. *Bulla Cruciatæ*. Confessarius debitorem audiens in confessione. V. *Debitor*. Confessarius habens potestatem in reservata. V. *Absolutio a reservatis*. *Reservata*, *&c.* Num aliquando censendus sit irregolaris ex defectu lenitatis Confessarius multa præstans consona suo ministerio. 489. 2. Ad quid teneatur Confessarius advertens conjuges bona fide contraxisse cum impedimento dirimente, illudque adhuc ignorantes. 431. 1. Præsertim, si dubitet, an sua admonitio, sit necne profutura. ibid.

Confessarii approbatio. V. *Approbatio*. *Approbatus*, *&c.*

Confessarius Monialium. V. *Approbatus ad Moniales*.

Confessionis præceptum. V. *Pœnitentiæ Sacramentum*.

Confessio. V. *Pœnitentiæ Sacramentum*. *Peccatum*. *Examen*. *Contritio*, *&c.* Confessio oris est *Externa*, *ac sensibilis accusatio proprii peccati in ordine ad absolutionem Sacramentalem accipiendam*. 322. 2. Sexdecim sunt ejus qualitates (non tamen omnes illi essentiales) quatuor versibus comprehensæ. 323. 1. Nequit fieri absenti per litteras, aut internuncium. ibid. Materia confessionis sufficiens sunt sola peccata fidelium. ibid. 2. Num etiam censuræ, peccata mere putata, imperfectiones morales. 324. 1. V. *Imperfectio*. *Regula*. Venialia, quæ, & quomodo esse possint materia confessionis. ibid. Num possint ex industria aliqua omitti in confessione. ibid. V. *Dolor*. Quid de mortalibus alias rite confessis. ibid. Materia necessaria sunt omnia, & singula mortalia, itant exprimendum sit in confessione etiam mortale in individuo. ibid. Num confitendus etiam effectus peccati mortalis. ibid. Num non solum circumstantiæ mutantes speciem, sed etiam notabiliter peccatum intra eandem speciem aggravantes. ibid. 2. seq. Num confitenda etiam necessario consuetudo peccandi mortaliter. 325. 1. Quid significet vox illa *circiter* addita in confessione numero expresso peccatorum. ibid. Qui bona fide dixit in confessione, se v. g. decies circiter peccasse, & postea comperiat, undecies, &c. vel qui bona fide aperuerunt statum suæ animæ Confessario, & postea distinctius ejus recordentur, ad quid teneantur. 327. 2. Num peccatum mortale dubium sit materia necessaria confessionis. ibid. 2. Num se solo sit materia sufficiens. 326. 2. Hoc autem dubium tripliciter potest esse. 325. 2. Mortale dubium confessum ut tale, si deinde deprehendatur ut certum, num iterum ut certum debeamus illud confiteri. 327. 2. Quid de pœnitente, qui bona fide integre exposuit sua peccata Confessario imperito. ibid. Qui suscipit Sacramentum pœnitentiæ, sine debito dolore, integritate, &c. unum peccatum commisit, & satis sit, si confiteatur: *Confessus sum sacrilege*. 314. 2. Sacrilegium quomodo in confessione aperiendum. 83. 1. Quomodo furtum, & rapina. 217. 1. Quomodo homicidium, vel mutilatio. 236. 1. Quomodo jactantia de peccato præterito. 313. 1. Quomodo omissio auditionis Sacri die festo. 314. 1. Quomodo peccata contra castitatem. 312. 2. & seq. & 315. 1. V. *Luxuria*. *Sodomia*. *Incestus*. *Adulterium*. *Inducens ad malum*. *Virginitas*. Peccata sunt confitenda, ut sunt in conscientia: certa ut certa, dubia ut dubia 327. 2. Hinc si invincibiliter ignorabas malitiam, vel non advertebas ad aliquam circumstantiam, illam non contraxisti. ibid. V. *Mendacium in confessione*. Quæ mortalia antecedentium confessionum sint materia necessaria confessionis præsentis. 326. 2. & seq. Invaliditas confessionis potest oriri tum ex defectu pœnitentis, tum Confessarii. ibid. V. *Reservatio*. Si confessiones invalidæ repetantur apud Confessarium diversum a primo, debent omnia, & singula mortalia repeti: secus, si apud eundem Confessarium. ibid. Num in dubio pœnitens debeat repetere confessiones antea factas, & qualiter cum iis debeant se gerere Confessarii. ibid. 2. & seq. Mortalia indirecte absoluta in alia confessione sunt materia necessaria confessionis præsentis. 327. 1. Quæ sint hujusmodi peccata. ib. V. *Censura*. *Reservatio*. Num mortale in confessione oblitum, si memoriæ occurrat ante communionem, debeat ante hanc subjici clavibus ibid. Quæ sit confessio formaliter tantum integra, & non materialiter, & quæ tum formaliter, tum materialiter integra. 328. 2. Confessio formaliter tantum integra licet, si adsit impotentia, sive physica, sive moralis. V. *Impotentia moralis*. *Impotentia physica*. Non est tamen causa sufficiens dimidiandi confessionem concursus populi. 329. 1.

Confirmationis Sacramentum. Confirmatio quare sic dicta. 259. 2. Quandonam instituit Christus hoc Sacramentum. ibid. Num Apostoli non solum impositione manuum, sed & chrismatis unctione uterentur in hujus Sacramenti administratione. ibid. 2. Ejus materia remota est Chrisma ab Episcopo benedictum. ibid. Chrisma autem qua necessitate debeat esse mixtum oleo, & balsamo. ibid. Num liceat moribundum confirmare in necessitate solo oleo infirmorum? 260. 1. Oleum debet esse olivarum, non ex nuce, vel grandi pisce: balsamus cujuscumque sit regionis. ib. Num semper, & a quo debeant esse benedicta. ibid. Num non solum chrismatis consecratio, sed etiam modus, quo consecratur, sit de jure divino. ibid. Qualiter peccet Episcopus transgrediens Ecclesiæ ritum. ibid. Quando consecrandum est Chrisma, & quorum assistentia. ibid. Materia proxima est unctio in fronte confirmandi facta manu Episcopi in formam crucis. ibid. Num unctio fieri possit alibi a fronte, vel medio aliquo instrumento, vel alio digito prater Indicem. ibid. Valeatne confirmatio, si Episcopus prius signet cruce, mox ungat. ibid. Qui sit finis, & effectus hujus Sacramenti. ibid. 2. Quæ ejus forma apud Latinos, quæ apud Græcos. ibid. 1. Quid debeat necessario explicari in forma. ibid. 2. Variæ fuerunt ab initio Ecclesiæ manuum impositiones, & variæ unctiones. ibid. Minister ordinarius confirmationis est solus Episcopus etsi excommunicatus, hæreticus, &c. ibid. Delegatus ab uno Papa potest esse simplex Sacerdos, non tamen simplex Clericus, vel Laicus. 261. 1. Ex parte Ministri in hujus Sacramenti administratione quatuor requiruntur. ibid. Num, quando, & quibus ritibus, ac cæremoniis teneatur Episcopus illud ministrare. ibid. 2. Hujus Sacramenti subjectum est homo baptizatus. 262. 1. Num requiratur semper voluntas suscipientis. ibid. V. *Infans*. *Amens*. An, & qualis sit obligatio suscipiendi confirmationem. ibid. 2. Confirmationis reiteratio, etsi grave peccatum, irregularitatem tamen non inducit. 263. 1. Num possit suscipi, vel ministrari a persona interdicta. 477. 2.

Conjugium. *Conjux*. V. *Sponsus*, *&c.* An conjux excusetur a jejunio, si nequeat debitum reddere. 106. 2. Tenetur tamen sub gravi minus se impotentem reddere ad illud reddendum. 438. 2. Potestne illud reddere, vel etiam petere, si dubitet de valore matrimonii bona fide contracti. 15. 1. & 435. 2. Quid si mala fide. ibid. 1. Quid, si post contractum matrimonii, vel alterutri tantum, vel utrique superveniat dubium. ibid. Si alterutri tantum superveniat dubium, teneturne illud alteri aperire. ibid. 2. Quæ sit obligatio conjugum ad invicem. 120. 1. Quid debeat viro conjux, & contra. ibid. & 439. 1. Quid de conjugum habitatione. ibid. Num possit conjux servus mitti, vel vendi a domino in regiones longinquas. ibid. 2. Potestne conjux se vendere in servitutem. ibid. Quam conditionem filii sequantur. ibid. Quid de alimentis uxori a viro præstandis, vel contra. ibid. Conjuges excommunicati num possint petere, & reddere debitum. 438. 2. Quid, si alterutor tantum sit excommunicatus. ibid. V. *Uxor*. *Divortium*. *Correctio*. *Copula*. *Debitum Conjugale*. *Indissolubilitas matrim.* *&c.*

Consanguinitas. V. *Cognatio*.

Conscientia est quasi *Cordis scientia*. 1. 1. Triplex autem potest esse. ibid. Quodnam peccatum sit agere contra conscientiam confuse dictantem, aliquid esse peccatum. 2. 2. *Concupiscentia*. *Motus*. Quæ sit conscientia ob ignorantiam erronea, vel perplexa. 10. 2. & 12. 2. V. *Ignorantia*, *Perplexitas*, *&c.* An sit licitum operari contra conscientiam invincibiliter dictantem, aliquod esse præceptum, quod reipsa non est præceptum, imo divinæ legi contrarium. 11. 1. An sit peccatum operari contra conscientiam invincibiliter erroneam actu non existentem, sed habitualem. ibid. Si conscientia sit tibi vincibiliter erronea, peccas, sive contra, sive juxta eam agas. 11. 1. Error vincibilis, quando evadat invincibilis. ibid. Num majus peccatum sit sequi conscientiam vincibiliter erroneam, quam non sequi. ibid. Conscientia sic erronea vincibilis quomodo deponi possit, ac debeat. ibid. Agere juxta conscientiam invincibiliter erroneam est licitum. 12. 1. Et bonus, honestusque est actus juxta eam positus. ibid. Quæ sit conscientia dubia positive, quæ dubia negative. 13. 1. Quæ speculative, & quæ practice dubia. ibid. Quæ dubietate juris, quæ dubia dubietate facti. ibid. Illicitum est operari cum conscientia practice dubia. ibid. 2. Quale peccatum sit, & num ita operans duplex peccatum committat. ibid. Num semper sit illicitum operari cum conscientia speculative dubia, & ad quid teneatur, qui habens talem conscientiam nolit eligere partem tutiorem. 14. 1. Conscientia scrupulosa quæ sit. Quæ ejus judicia. 16. 2. V. *Scrupulus*.

Consensus ad matrimonium. V. *Matrimonium*. *Indissolubilitas matrimon.* Debet absolute ferri saltem virtualiter, & implicite in triplex bonum. 427. 1. Num valide contrahat matrimonium, qui fingit, se consentire; interne tamen non consentit. 394. 1. V. *Intentio* in calce. Quid de consensu matrimoniali conditionato, ubi

quæ

quæ conditiones possiot illi addi, & num consensus conditionatus per adventum conditionis evadat per se statim absolutus. 427. 2. Num valeat matrimonium, cum pactu, ut nunquam habeatur cupula. 428. 1. An, & quumodo revalidandum matrimonium invalidum es defectu consensus. 432. 1. V. *Matrimonium*.

Consensus partis an, & quomodo excuset ab incursu censuræ. 455. 2. Censura lata ad instantiam partis debet regulari justa ejus intentionem. ibid.

Consentiens in damnum dicitur, qui suo suffragio injustæ actioni consentit. 200. 2. Consentiens damnum tertii tenetur ad ejus restitutionem. ibid. Quo autem ordine. 202. 2. Excusatur tamen, si non sit causa, sed habeat meram complacentiam illius damni. 200. 2.

Consiliarii Principum consulentes exemp. gr. bellum injustum, peccant certe; num teneantur etiam ad restitutionem. ibid. 2.

Consuetudinarius. Ad quid teneatur habens consoetudinem blasphemandi. 85. 2. Vel jurandi. 87. 1. Num consuetudinarius habere possit propositum efficax, si non possit habere spem aliquam non relabendi. 321. 2. & seq. Sitne absolvendus. 379. 2.

Consuetudo est *effectus usus, seu facti frequentis*. 40. 1. Differt a lege. ibid. 2. Alia est præter, alia contra, alia justa legem. ibid. 1. Consuetudo obligatoria definitur *Jus rationabile legitimo tempore præscriptum, moribusque perfectæ communitatis volentis se obligare, & consensu Principis inductum*. ibid. Vocatur etiam præter legem. ibid. Quæ sit consuetudo juxta legem. 42. 2. Quæ contra legem. 41. 2. Subdividitur hæc in abrogatoriam, & derogatoriam. Quid habet specialis abrogatoria. ibid. Ut consuetudo vim habeat, sex requiruntur conditiones. 40. 1. & 41. 2. Quæ dicatur consuetudo rationabilis, utrobique. Quæ communitas requiratur, & satis sit ad consuetudinem legitime introducendam. 40. 2. & 42. 1. An, & qua actuum frequentia induci debeat, utrobique. An actus isti debeant poni a communitate animo se obligandi. 40. 2. Quanta temporis diuturnitas, & qui Principis consensus requiratur, & satis sit, ut illa tandem obliget. ibid. 41. 2. & 42. 1. Ad abrogandam legem civilem sufficit decennium non interruptum: num sufficiat etiam ad Ecclesiasticam. 40. 2. & 41. 2. Consuetudinis effectus est obligare sive ad culpam, sive ad pœnam, sive ad utrumque simul. ibid. 1. Unde dignosci possit obligatio sub levi, vel sub gravi. ibid. Consuetudines in Ecclesia immemorabiles sint ab Apostolis institutæ. ibid. quæ obligent in Ecclesia sub gravi. ibid. Consuetudo abstinendi ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima obligat sub mortali. ibid. & 105. 1. Quid de aliis jejuniis extra quadragesimam. ibid. Quando consuetudo est authentica legis interpretatio. 42. 2. Nequit abrogare legem naturalem, neque divinam, neque jus gentium, sed solum humanam, sive civilem, sive ecclesiasticam, ibid. 1. Num abrogare possit solum legis humanæ pœnam, relicta obligatione ad culpam, & contra. ibid. An abrogare possit legem irritantem actus, contractus, vel legem prohibentem consuetudinem contrariam, dicendo e. g. *Non obstante consuetudine in contrarium*. ibid. Dupliciter abrogari potest ipsa consuetudo. ibid. 2. Consuetudo ipsa mortaliter peccandi num aperienda in confessione. 325. 1. Num consuetudo inducere possit novum impedimentum matrimonii fidelium. 42. 1. & 384. 2. & seq. Num possit acquiri potestas ferendi censuras per consuetudinem. 444. 1.

Consulens aliquid apud Morales est, qui incitat, suadet, &c., vel modum ostendit, quo fiat damnum tertio. 199. 2. Tenetur certe ad restitutionem. ibid., & 203. 1. Quo tamen ordine. 202. 2. Num teneatur, etiamsi suaserit homicidium Cajo jam ad illud determinato. 199. 2. Vel, etiamsi suaserit damnum minus volenti inferre majus, sive eidem, sive alteri. ibid. Vel si rogatus consuluerit damnum secutum ratione suæ ignorantiæ, vel culpæ latæ. 200. 1. Quid si revocaverit consilium, vel dubitet, an suum consilium fuerit causa damni. ibid. Qui mere malo exemplo inducit aliquem ad furandum e. g., nequit dici in rigore consulens, proindeque non tenetur ad restitutionem. ibid. V. *Restitutio*. Num censura imposita contra *Facientes*, vel *committentes* aliquod delictum comprehendat etiam consulentes. 448. 2. Si expresse feratur contra consulentes, num incurratur ab his in omni casu. ibid., & seq. Num incurratur ab eo, qui datum consilium revocaverit. 449. 2. An, & quomodo incurratur irregularitas ex delicto a consulentibus sive directe, & explicite, sive indirecte, & implicite homicidium voluntarium. 482. 1. Esne irregularis, si parato occidere cras, suadeas, ut occidat hodie, vel econtra. ibid. Consilium semel datum quando intelligitur vere revocatum, itaut vi hujus revocationis declines irregularitatem. ibid. V. *Homicidium*. Quid, si consulas Petro, ut pro bono publico, vel privato se exponat periculo mortis. ibid. Consulens Titio occidere Cajum, si occidat, ut Titius occidatur a Cajo, esne irregularis ex homicidio casuali. 484. 1.

Contentio quid sit. 116. 1. Est charitati opposita, discordiæque effectus. ibid.

Contractus definitur: *Duorum, vel plurium in idem placitum conventio obligationem pariens*. 121. 1. Num distinguatur a pactu. ibid. Ad ejus valorem requiritur intentio, seu consensus intentus, & deliberatus externe manifestatus. ibid., & 2., & 247. 2. An requiratur animus se obligandi sub gravi. 121. 2. Quid, si adsit animus se obligandi ficte, vel, si non sit animus præstandi id, ad quod quis se obligat. ibid. 1. & 2. Quatuor modis fit manifestatio interni consensus. 122. 1. Num obligent in conscientia contractus facti sine solemnitate. ibid. Contractus, alius est gratuitus, alius onerosus. ibid. 2. Qui sint contractus gratuiti. 130. 1. Qui onerosi. 146. 3. Alius est contractus bonæ fidei, alius stricti juris; alius nominatus, alius innominatus, alius purus, alius non purus, alius dicitur pactum nudum, alius vestitum; alius explicitus, alius implicitus, alius quasi contractus, alius distractum, alius novatio. 122. 2. & seq. Contractus gratuitus quotuplex. 130. 1. Quotuplex onerosus. 146. 2. In quo differat contractus conditionalis a modali. 123. 2. V. *Conditio*. Duplex est qualitas contractui adjecta. ibid. 1. Ejus materia debet esse possibilis, existens, honesta, certa, propria, nec a jure prohibita. 124. 1. & seq. Quinam contractus de rebus Ecclesiasticis sint prohibiti. 125. 1. Unde discerni possit, utrum aliquod sit substantia, an vero qualitas contractus, & quando qualitas possit transire in ejus substantiam. 128. 1. Quando error illum invalidet. V. *Error*. Quis possit contrahere, qui non. 125. 2. & seq. Num contractus invalidi juramento firmentur. 129. 2. & 90. 1. Ex qua culpa teneatur quis restituere ratione contractus, aut quasi contractus. 194. 2. & seq. V. *Culpa*. Restitutio, & solutio ex contractu justo ubi facienda. 209. 1. & quando. 208. 1. Qui per contractum acquirit aliquod dominium super bona ecclesiastica num teneatur restituere, si contractus sit sine causa, debita solemnitate, & sine licentia S. Congr. 227. 1. Num, si res per contractum accepta, puta per depositum, pereat apud accipientem ex ejus culpa juridica, non theologica, teneatur is ad restitutionem. 195. 1. Num, qui rem alienam habet ex contractu, teneatur ejus valorem restituere, si perierit, eo quod non poterat eam servare sine jactura rei propriæ. ibid. 2. Si contraxeris cum Titio, quando erat potens satisfacere suis creditoribus, & postea ante traditionem fiat impotens, vel contra, num; & quando possis ab eo solutionem exigere, & num ille preces sic contrahendo. 206. 2. V. *Excommunicatus vitandus*.

Contractus Matrimonialis pertinet ad jus naturæ. 384. 1. Quomodo ergo lex humana potest inducere in illum impedimentum, quod ex natura ei non inest. ibid. V. *Lex* in calce. In quo consistat essentia talis contractus. 427. 1. V. *Matrimonium*. Ad hujus valorem requiritur talis consensus, & intentio, ut absolute feratur saltem implicite, & virtualiter in triplex bonum. ibid. V. *Intentio*. Quomodo valeat inter absentes in ratione contractus. V. *Matrimonium*. *Procurator*, *Consensus*, &c.

Contritio est *Animi dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætera*. 315. 2. Dividitur in perfectam, & imperfectam. ibid. Perfecta est *Dolor, & detestatio de peccatis ex motivo charitatis*. 318. 2. V. *Attritio*. *Dolor*. Num possit procedere ex motivo alterius virtutis Deum respicientis, ibid. Debet se extendere ad omnia mortalia saltem virtualiter. ibid. Non autem ad omnia venialia. 319. 1. Debet detestari peccatum super omnia mala saltem virtualiter, & implicite. ibid. Num per eam remittatur non solum culpa, sed tota etiam pœna temporalis. ibid. Contritio perfecta justificat etiam extra Sacramentum. 306. 2.

Contumelia est *Manifestatio defectus proximi in præsentia, vel quasi præsentia cum injuria, per quam ille dehonoratur*. 232. 2. Committitur privative, & positive. ibid. Hic tamen duplex modus non fert specificam diversitatem. ibid. Si fiat parenti, probabilius est contra pietatem in confessione explicandum. ibid. Ad quid teneatur, qui proximi honorem læsit, & quomodo satisfacere suæ obligationi debeat. ibid. Quid de veniæ petitione. ibid. 2. Num injuriatus censeatur remittere honoris restitutionem, si familiarem conversationem habeat cum injuriatore. 233. 1.

Conversus. Religiosi conversi num teneantur ad Horas. 73. 1.

Conversa Monialium V. *Clausura*.

Cooperatio alieno peccato potest esse materialis, & formalis, 117. 2. Formaliter cooperari est semper peccaminosum. ibid. Materialiter tunc licet: 1. cum operatio secundum se est bona, vel saltem indifferens: 2. cum ponitur absque ulla prorsus intentione peccati alieni: 3. cum adest causa rationabilis eam ponandi. ibid. Num esse possit causa rationabilis cooperandi proxime peccato alieno vergenti in grave damnum tertii. ibid. & seq. Major proportionaliter requiritur causa ad cooperandum materialiter peccato, & damno alieno, quam ad illud permittendum, seu non impediendum. 118. 1. Num possint ex justa causa hystriones, artifices, &c. cooperari materialiter peccatis alienis contra castitatem. ibid. 2. V. *Famulus*, *Meretrix*. Cooperantes usuris, V. *Usura*. Cooperantes aliquo pacto ad Homicidium num omnes, vel qui ipsorum incurrant irregularitatem. 482. 1.

Copula, V. *Luxuria*. *Consensus ad matrim.* Copula diversimode habita quomodo mutet peccati species in confessione aperiendas. 315. 1. Copula conjugalis in Ecclesia num haberi possit, & num ibi habita, illa polluatur. 281. 1. & 437. 5. Num Communionem impediat. 273. 1. & 437. 1. Inter conjuges, si fiat ex fine recto non solum est licita, sed & meritoria. 435. 1. Potest tamen esse per accidens tripliciter illicita. ibid. Quomodo copula conjugalis evadat illicita ratione actus interni. ibid. V. *Conjugium*. *Conjux*, *&c.* Qui sit finis primarius copulæ, qui fines secundarii, & qualiter peccent Conjuges hos non intendentes in usu copulæ, sed alios improprios, & vetitos. 436. 1. V. *Delectatio*. Quomodo evadat copula illicita ratione actus externi, qui talis potest esse, tum extra copulam, tum in ipsa copula. ibid. 1. & 2. Num, & quando conjugibus liceant oscula, amplexus, tactus, &c. ibid. Qualiter peccet conjux, si seipsum tangat ob voluptatem sine animo habendi copulam, aut quando hæc haberi nequeat. ibid. 2. Vel, si conjuges non servent situm naturalem. ibid. Vel copulentur sodomitice, &c. ibid. Vel mutuo consensu abrumpant cœptam copulam, vel contineant seminationem. ibid. Fœmina prius seminans teneturne sub gravi expectare seminationem viri, vel contra. ibid. Num liceat viro copula, si post matrim. fiat Eunuchus. ibid. Quid, si illi, vel uxori superveniat impotentia seminandi, retinendi semen, &c. ibid. & seq. Quomodo demum fit copula illicita ratione circumstantiarum: puta loci, & temporis. 437. 1. Sitne illicita die benedictionis nuptiarum. ibid. Vel tempore jejunii, fluxus menstrui, prægnationis, dum mulier lactat, post prandium. ibid. Tempore demum amentiæ. ibid. 2.

Corpus. Corporis defectus inducentes irregularitatem alii sunt ob indecentiam, qui numerantur. 495. 2. & seq. Alii ob impotentiam, quos invenies. 493. 1. V. *Hermaphroditus*. Hi autem corporis defectus facilius dispensantur, vel tolerantur in ordinato, quam in ordinando. ibid. 2. Quis possit dispensare in hac irregularitate. ibid.

Correctio legis veteris est vitanda. 23. 2. V. *Lex*.

Correctio fraterna. Adest præceptum naturale corrigendi proximum. 113. 1. Ut obliget, requiritur necessitas ex parte proximi, potentia ex parte tui, & spes fructus ex parte correctionis. ibid. In privatis nulla videtur esse obligatio (per consequens, vel nulla, vel levis culpa) corrigendi in proximo venialia, secus vero in Prælatis, &c. ibid. Privati item ab ea excusantur, si non possint sine gravi incommodo; secus Prælati, &c. ibid. Num, qui sunt in parva æstimatione, eximantur ab hac obligatione. 114. 1. quando facienda, & quo ordine correctio fraterna. ibid. V. *Denuntiatio*. Vir an, & quomodo teneatur uxorem corrigere. 440. 1. Quibus pœnis eam punire possit. ibid. Uxor potest tantum monere, & exhortatione virum corrigere. ibid.

Credere. V. *Fides*.

Creditor. *Creditum*. V. *Fidejussio*. *Compensatio*. *Debitum*. *Contractus*. Num liceat emere minoris chirographa, & credita immatura, quæ v. g. maturescant post annum. 145. 1., & 147. 2. In restitutione quis ordo servandus inter plures creditores. ibid. Præferendus creditor, cujus res apud debitorem extat in specie. 147. 2. Item debita certa incertis, ibid. & 205. 2. Inter certa prius solvenda debita contracta pro expensis funeris moderate factis. ibid. Deinde, quæ habent hypothecam. ibid. & seq. Inter plures creditores hypothecarios prius solvendum iis, qui tempore sunt priores, præter octo casus, in quibus posterior tempore ex privilegio priori præfertur. ibid. Post habentes hypothecas præferendi sunt creditores personales. 206. 1. Num inter ipsos adhuc sit ordo. ibid. Num, si plures sint creditores personales non habentes privilegium prælationis, & aliquis ex illis petat satisfieri ante alios, possit debitor illi integre solvere. ibid.

Crimen, V. *Notorium*. *Homicidium*, *&c.* Quatuor sunt crimina, in quorum pœnam statutum est jure ecclesiastico contra reos impedimentum dirimens. 392. 2. Primum est occisio conjugis cum conspiratione, ad quam patrandam tria debent concurrere. ibid. Alterum est occisio cum adulterio. ibid. Sufficit tamen hic in alterutro intentio matrimonii, & ut sit causa mortis: porro debet esse verum adulterium, & ut præcedat conjugis mortem. ibid. Tertium est adulterium cum promissione futuri matrimonii, itaut utrumque requiratur. 393. 1. Qualis autem esse debeat hæc promissio, ibid. Num peccet conjux promittens matrimonium contrahere post obitum conjugis. ibid. Quartum est matrimonium de facto initum cum adultero. ibid. Num sufficiat mera attentatio matrimonii. ibid. Num excuset aliquo modo ab incursione talis impedimenti ignorantia aliqua. ibid. V. *Ignorantia*.

Crimen. *Criminosum* quid sit. 459. 1. Qui in hoc crimine communicat cum excommunicato vitando, incurrit excommunicationem majorem, & quidem reservatam. ibid. Requiruntur tamen ad incurrendam hanc pœnam 4. conditiones. ibid. Incurritur etiam ab uxore excommunicati. 460. 1. Item a filiis, servis, subditis. ibid. Num hæc communicatio possit aliquando excusari a culpa. 454. 5.

Culpa, alia est theologica, alia juridica. 194. 2. Quæ sit theologica. ibid. Juridica triplex est, lata, levis, levissima. ibid. & seq. V. *Depositarius*. *Contractus*. *Damnificatio*.

Cultus disparitas, V. *Disparitas cultus*.

Curator quas eleemosynas possit facere de bonis minorennis. 512. 2. Quæ dona. 133. 1. Licet in aliis contractibus possit stipulari pro minorenni, non tamen in sponsalibus sine ejus speciali mandato. 419. 1. V. *Minor*.

Cursarii. V. *Fur* in calce.

Cusio monetæ. V. *Falsificatio*.

Custodes nummorum ad quid teneantur. 201. 2. Custos videns furem, non clamans quid teneatur restituere. ibid.

D

Dæmon. Dæmoni spondentes obsequium, thus, &c. item condentes, condere facientes imaginem, in qua dæmonem constringunt, &c. incurrunt casum reservatum cum excommunic. in Diœces. Neapolit. 369. 1. Nequeunt dæmones censurari. 444. 2.

Damnatus. Pro damnatis ad inferos invalide, & illicite offertur Sacrificium. 279. 2. Damnatus ad mortem; triremes, &c. num teneatur ad Horas. 73. 2. Quinam damnati de crimine aliquo nequeant testari. 136. 1. Damnatis ad mortem ob quodvis crimen est administranda Eucharistia. 271. 5.

Damnificatio. *Damnificator*. *Damnificatus*. Damnificator, seu possessor bonæ, vel malæ fidei quis sit. 190. 5. Ad quid teneatur ratione rei acceptæ, vel injustæ acceptionis. V. *Possessor*. Ex qua culpa injustæ damnificationis teneatur damnificator malæ fidei. 193. 2. Num requiratur culpa theologica, ut teneatur ante sententiam judicis. ibid. V. *Culpa*. Quid, si hæc culpa sit tantum venialis. ibid. & seq. Num ad illum obligandum sub gravi ad restitutionem requiratur culpa externa gravis. 194. 1. Ad quid teneatur, qui damnum intulit Titio putans, & volens inferre Cajo. ibid. Num teneatur ad restitutionem damnificans ex ignorantia, vel scienter inferens damnum grave, sed invincibiliter ignorans, esse grave. ibid. 2. Si damnificatio sit lucrosa, quis teneatur restituere primo loco, quis deinde. Quid, si non sit lucrosa. 202. 2. Vel si plures sint causæ damni æque principales. 203. 1. Damnificatus poteritne restitutionem exigere a causis tum negativis, tum positivis, & quomodo. Et an, si illam condonet causæ principali, possit exigere ab aliis, vel contra. ibid. Num, si plures unanimi consensu concurrunt ad idem damnum inferendum, teneantur singuli in solidum restituere. ibid. 2. Quid, si diversum damnum intulerint. ibid. Vel, si omnes sine mutuo consensu seorsim Titio e. g. hujusmodi damnum intulerint. ibid.

Damnum emergens, V. *Mutuum*, *Possessor*.

Dataria. In hac Papa per seipsum dispensat. 45. 1. Quomodo exequendum Datariæ rescriptum. V. *Rescriptum*. Forma ad Datariam mittenda quomodo concipi possit, & quid in ea necessario exprimendum. 50. 5. Pro ea solvendæ sunt mulctæ pecuniariæ. ibid. Quid requiratur, ut obtineri possit in forma pauperum. ibid. Dispensatio data per Datariam num possit revocari. 52. 2. Quando Pontifex dispensat in Dataria. 408. 2. Conceditur hæc dispensatio dupliciter. ibid.

Debitor. *Debitum*. Debitor num, & quas eleemosynas possit facere. 112. 2. V. *Fidejussor*. Debitor impotens solvere, si nolit admittere aliquam donationem, vel hæreditatem, qualiter peccet, & ad quid teneatur. 206. 2. Restituere debet, statim ac potest, tum ex injusta acceptione, tum ex re accepta. 208. 1. Num teneatur restituere ex

re ex

re ex contractu, vel quasi contracto, statim ac elapsus est terminus solutioni præfixus, & quid si nullus sit præfixus. ibid. V. *Confessarius*. Quando teneatur restitutionem facere poblice, quando possit privatim. Num eam possit facere per tertiam personam, & num teneatur iterum restituere, si misit rem restituendam per latorem ab ipso creditore, vel a se designatum, qoi tamen sibi retinuit, consumpsit, spolietur a furibus, &c. 209. 1. Quid, si res erat restituenda ob delictum occultum, quam non tenebaris immediate restituere ob infamiæ periculum, & proinde eam misisti e. g. per Confessarium, qui disperdidit, retinuit, &c. ibid. V. *Compensatio*. *Necessitas*. *Impotentia*. *Cessio bonorum*. *Ingressus in Religionem*. *Compositio*. Si debitor prævideat, rem allaturam damnom spirituale creditori, vel aliis, possitne, ac debeat solutionem differre, 214. 1. Qoid, si illa sit allatura creditori damnum temporale. ibid. Vel ipsi debitori aliquod grave incommodum ex dilasione solutionis. ibid. Debitor morte plectendus, V. *Hæres*. Debitores piorum locorum, sive eorundem debitorum administratores, intra quod spatium temporis, nisi solvant, incurrant casum reservatum in Diœc. Neapolit. sine excommun. 373. 1. & 2. Debitor excommunicatus, eo quod non solvit, si neque nunc potest solvere, quid debeat præstare Confessario, ot absolvatur ab excommunicatione, & a peccatis. 215. 2. V. *Hæres*, Debitum dubium quotuplex. 310. 2. Num tenearis restituere, si dubites, an olim debitum contraxeris. ibid. Vel, si certus de debito olim contracto dubites, vel positive, vel negative, an ei satisfeceris. ibid. Num in simili casu teneari restituere totum, an vero debiti partem. 211. 1. V. *Hæres*. An, qui dat Titio 100. in eleemosynam immemor, se illi totidem debere ex justitia, satisfaciat debito. 29. 1.

Debitum conjugale qoid importet. 435. 1. V. *Copula*. *Conjux*. Vir, & uxor æquale habent jus petendi, & reddendi debitum. 437. 2. Ex matrimonio quænam sequatur per se loquendo obligatio reddendi debitum. ibid. Jus petendi impediri potest voto. ibid. Pacto. ibid. Incestu. 438. 1. Adulterio. ibid. Cognatione spirituali. ibid. Demum excommunicatione. ibid. V. *Votum*. *Pactum*. *Incestus*. Num pecces, si neges alteri petenti ex gratia, vel benevolentia, vel si ex justitia sæpe petenti differas aliquantolum, vel neges semel, aut bis, &c. ibid. 2. Quid, si alter minus rationabiliter petat, &c. ibid. V. *Conjux*. *Copula*. Num excuseris reddere ob gravem difficultatem alendi filios, si multiplicentur. ibid. Num possis conjogi illicite petenti debitum reddere. 439. 1. An possit uxor petere, & reddere debitum, vel etiam teneatur reddere viro excommunicato vitando &c. 460. 1. V. *Crimen Criminosum*.

Decimæ. Imponentes quavis auctoritate decimas, &c. personis Ecclesiasticis, &c. sine expressa Romani Pontif. licentia, vel eas exigentes, &c. excommunicantur in Bull. Cœnæ. 362. 1.

Decisiones Rotæ Romanæ habentne vim legis. 22. 1.

Declarationes Sacræ Congr. habentne vim legis. ibid.

Defectus inducentes irregularitatem, V. *Irregularitas ex defectu*.

Deflorator est *Qui consentientem virginem corrumpit*. 237. 1. Si eam sponte consentientem cognovit sine promissione matr. ad nihil tenetur. ibid. 1. Quid, si deflorationem publicet. ibid. Si eum promissione matrimonii, regulariter tenetur eam ducere. ibid. Qoid, si deflorator sit conjugatus, constitutus in Sacris, &c. 238. 1. Vel, etsi sit homo liber, ficte tamen promisit matrimonium. ibid.

Deformitas. Quæ deformitas inducat irregularitatem ex defectu, 492. 1. & seq.

Defuncti. Num Ecclesia ferre possit censuras in defunctos. 444. 2. *Absolutio a censuris*.

Degradatio. *Degradatus*. Degradatio est *Authentica, & solemnis privatio officii, beneficii, & cujuscis Ecclesiastici privilegii*. 474. 2. Alia est verbalis, seu respectiva, alia realis, seu actualis. ibid. Differt a depositione simplici, & absoluta. ibid. V. *Depositio*. Quæ fiat per sententiam authenticam, & solemnem, & quæ habeat solemniores quasdam cœremonias. ibid. Nom fieri debeat necessario ab Episcopo. ibid. Quæ spectet ad Summum Pontificem. ibid. In quem Clericum ferri possit. ibid. Num degradatus dejiciatur omnino a statu Clericorum, & privetur omni privilegio. ibid. An remaneant etiam illi onera Ordinis Sacri. 474. 2. A Papa possetne in pristinum statum reduci. ibid. Casus præcipui degradandi sunt tres. ibid.

Delectatio morosa, quam peccati speciem desumat. 4. 2. & 313. 1. & seq. & 315. 1. Si sit de objecto turpi, sed non qua tali, bene semper mortalis. 4. 2. In re tamen venerea semper est letbalis. ibid. Conjuges, si morose extra copulam de illa prout habita, vel habenda delectentur, qualiter peccent. 436. 1. V. *Vidua*. Delectatio detractione audita quale peccatum sit. 230. 1. Delectari num liceat sponsis de copula in futuro matrimonio habenda. 436. 1. & 421. 1. V. *Sponsas*.

Delictum, V. *Crimen*. Delicta inducentia irregularitatem. V. *Irregularitas ex delicto*.

Demonstratio est *Appositio signi alicujus ad rem ostendendam*. 123. 1. Est modus in contractu. ibid.

Denunciationes matrimonii. V. *Proclamationes*. V. *Dispensatio in matrimonio*.

Denunciatio, Hæreticus certe est denunciandus, 68. 2. Num, etiamsi ejus delictom sit occultom, vel scias ex auditu mediato, vel sub secreto naturali, vel delinquens sit mortuus in sua hæresi. ibid. Cui, & quomodo facienda sit hæc denunciatio, & num cum juramento. ibid. & seq. Num impeditus tenearis denunciare per alium. 69. 1. Si hæreticus sit dogmatizans, nullimode excusaris a tali denunciatione ob grave damnum tibi imminens, vel tuis: secus vero, si non sit dogmatizans. ibid. Proferens blasphemias hæreticales etiam est denunciandus. 86. 1. Num qui retinet libros prohibitos tantum contra bonos mores. 70. 5. Denunciatio paterna, seu evangelica, quæ sit. 114. 1. Qui ejus finis. ibid. Num possit Superiori deferri crimen omissa correctione secreta. ibid. Quid possit Superior, cujus delictom novit ex denunciatione paterna. ibid. 2. Quid sit denunciatio judicialis, seu canonica, & num possit fieri omissa item correctione fraterna. ibid. Num cesset aliquando obligatio denunciationis juridicæ, ibid. & seq. Obligatio denunciandi Confessarios sollicitantes eruitur, com ex aliis Pontificum constit. tum potissimum ex Bull. Greg. XV. cujus verba citantur. 345. 1. Et ex nova Bull. Bened. XIV. cujus summa. ibid. 2. apponitur. Verba Greg. XIV. fusius explanantur. ibid. & seq. Debent denunciari omnes, & singuli Sacerdotes sollicitantes personas, quæcumque illæ sint, &c. Qui hic veniat nomine Sacerdotum, qui nomine personarum sollicitatarum. 345. 2. Debet sollicitatio esse ad res venereas, quod verificatur, etiamsi pœnitenti tradat Confessarius cartam postea legendam, ubi ad venerem incitat, ibid. V. *Dubium*. Per hæc verba: *Sollicitatio in actu Sacramentalis confessionis &c.* sex designantur casus sullicitationis denunciandæ. ibid. Oligatio denunciandi Confessarium sollicitantem quosnam urgeas. 346. 1. Cui fieri debeat hujusmodi denunciatio, & quaodonam. ibid. Quinam sollicitati excusentur ab hac obligatione denunciandi: qui non. ibid. 2.

Denunciator. *Delator*. V. *Accusator*.

Depositio. *Depositus*. Depositio est *Pœna Ecclesiastica privans Clericum officio, vel beneficio, vel utroque simul irremissibiliter*. 474. 1. Differt a suspensione etiam perpetua, ibid. & a degradatione. V. *Degradatio*. Num, & quando privet privilegio canonis, & fori, vel etiam omni alio privilegio Clericali. ibid. Depositus ab officio est privatus omni usu ordinis, non tamen ipso ordine: unde valide, utot illicite, exerceret actus ordinis præter absolutionem Sacramentalem. ibid. An privetur oneribus adnexis Ordini Sacro. ibid. Num saltem privetur beneficio. ibid. Depositus a beneficio, ipso jure privatus est titulo, ac radice beneficii. Num ante, vel post Judicis sententiam. ibid. Num ali debeat ex redditibos beneficii, & num evadat inhabilis ad nova beneficia. Ob quæ crimina Clerici in jure sit depositio latæ sententiæ a dignitate, ordine, &c. ibid.

Depositarius. *Depositum*. Depositum est *Contractus gratuitus, quo aliquid traditur custodiendum, ut integrum reddatur*. 139. 1. Quandonam perficiatur. ibid. Num quisque possit esse depositarius, & num hic uti possit re apud se deposita. ibid. 1. Quæ sit obligatio depositarii in custodiendo deposito. ibid. Quando tenetur ex culpa lata, quando ex levi, quando ex levissima. ibid. Quando tenetur rem depositam reddere. ibid. Num possit aliquid accipi ratione depositi. 140. 1. V. *Sequestrum*. Depositarius, qui suscepit rem apud se depositam, ad quid teneatur, &c. 194. 2. & seq. V. *Restitutio Contractus*.

Derogatio legis est *Sublatio legis secundum partem*. 39. 2. V. *Abrogatio*. *Lex*.

Desiderium specie distinguitur juxta execotionem externam 4. 1. & 313. 1. Quodnam sit desiderium inefficax de malo proximi. 4. 1. Num, & quodnam peccatum sit. ibid. Quodnam sit, & nom liceat desiderium conditionatum objecti mali. ib. 2. Num licitum sit desiderare mortem proximo ad vitandum aliquod ingens malum temporale. 115. 2.

Desperatio in quo consistat. 70. 1. Est ita mortale, ut excludat materiæ parvitatem. ibid. Quando est hæresis. ibid. Multiplex est peccatum contra spem. ibid.

Detractio. *Detractor*. Detractio est *Occulta famæ denigratio* 127. 2. Detractor est *Qui famam proximi violat eo rationabiliter invito*. ibid. Detractio alia est directa, alia indire-

dire-

directa; alia per calumniam, alia per infamiam. ibid. 2. hi autem modi probabiliter specie non differunt. 228. 1. Si fiat detractio cum susurratione, est nova peccati species in confessione aperienda. ibid. V. *Infamia*. Sitne contra justitiam, vel saltem contra charitatem dicere crimen proximi, quod est, fuit, vel erit publicum. ibid. 2. V. *Notorium*. Vel enarrare peccatum proximi occultum, si in aliis peccatis sit diffamatus, vel si sit defunctus. 229. 1. num possis, & cui, manifestare crimen proximi occultum ad impediendum damnum inde imminens tibi, vel aliis. ibid. An præciso dicto damno vitando licitum sit illud revelare uni, vel duobus personis. ibid. 2. Qui injuriam occulte sibi illatam amico aperiat, num peccet. ibid. An, qui grave aliquid occultum ex auditu refert aliis, sine tamen assecuratione, sed dubitanter, peccet graviter contra justitiam. ibid. Sitne mortale manifestare occultum crimen, tacendo personam in particulari. 230. 1. Quid, si dicas, num ex tali, vel tali Religione inventum esse cum meretrice, &c. ibid. V. *Libellus famosus*. Audiens detractorem num, & qualiter peccet. ibid. & 2. V. *Secretum*.

Detractor dupliciter potest esse talis. 231. 1. Ad quid teneatur detractor, qui imposuit proximo crimen falsum. ibid. Vel qui verum, sed occultum crimen propalavit, &c. ibid. 2. Num detractor teneatur restituere famam non solum apud suos auditores, sed etiam apud eos, quibus iidem auditores retulerunt. ibid. V. *Fama*.

Deus potest dispensare in sua lege positiva, baptismi e. g. &c. 44. 1. An, & quomodo in sua lege naturali. ibid.

Diaconatus. *Diaconus* Diaconatus est *Ordo*, *quo datur potestas proxime ministrandi celebranti*, *legendique Evangelium in Missa*. 293. 1. Quæ ejus materia remota, quæ proxima apud Latinos, quæ apud Græcos. ibid. Quæ forma. 294. 1. Quæ ejus munera, & onera. 295. 2. V. *Ordo*. Diaconus, an, & quando possit Eucharistiam ministrare. 269. 1. Diaconatus estne Sacramentum. 292. 2. V. *Ætas*. *Tempora ordinationum*, *&c.*

Dictamen conscientiæ est *Judicium practicum*, *quo judicamus*, *aliquid esse agendum*, *vel ommittendum tanquam licitum*, *vel illicitum*. 1. 1. Differt a synteresi, & a judicio mere speculativo. ibid. & 2. Aliud est remote, aliud proxime, seu practice practicum. ibid 2. Ultimum conscientiæ dictamen (quod est dictamen practice practicum) debet esse moraliter certum. 2. 1. Qui operatur juxta ultimum rationis dictamen, non peccat. ibid. Errant, qui post actum inspiciunt libros, &c. ibid. Ad peccandum num requiratur judicium certum de inhonestate actionis. ibid.

Dilatio restitutionis. V. *Restitutio*. Absolutionis. V. *Absolutio*.

Dimissoriales litteræ sunt, *Quibus datur licentia accipiendi tonsuram*, *& ordines*. 298. 2. A quibus hæ dari possint. ibid. & seq. & 471. 2. & seq. Num a quolibet Episcopo, sive originis, sive domicilii, sive beneficii. 298. 2. Quomodo intelligenda sit facultas data in dimissorialibus. 299. 1. Adnotanda adhuc septem sunt circa has. ibid. Num ordinatus uno ordine ab Episcopo originis possit sine dimissoriis alium ordinem suscipere ab Episcopo domicilii, & alium ab Episcopo beneficii. 298. 1. In dimissorialibus, si non exprimatur in specie ordo suscipiendus, non valent, nisi ad ordines tantum minores. 471. 2. Si exprimatur in specie Episcopus ad quem, non valent pro alio, & perseverant post mortem concedentis. ibid.

Discordia est *Dissensio voluntatis propriæ a voluntate proximi circa bonum*, *quod velle ex charitate teneris*. 116. 1. Num pecces, si consulas testatorem, ne relinquat hæredem, quem volebat, &c. ibid. Vel si te opponas in iis, quæ velle teneris, vel, si somines discordias. ibid.

Disparitas cultus est inter personam fidelem, & infidelem. 393. 2. Est impedimentum dirimens jure ecclesiastico. ibid. Num possit in eo Pontifex dispensare. ibid. Quid hic veniat nomine infidelis. ibid. Matrimonium non dirimitur per infidelitatem illi supervenientem. ibid. V. *Divortium*. Validum est matrimonium inter personam catholicam, & hæreticam. ibid. Num sit saltem illicitum. ibid. 2. & seq. Num peccent, & qualiter Parochus, & testes tali matrimonio assistentes. 394. 1. Dispensatio in hoc impedimento aliquando fieri potest ab Episcopo, aliquando requiritur a Papa. ibid. Quid circa matrimonia in fœderatis Belgii provinciis inter hæreticos contracta, vel contrahenda decreverit Bened. XIV. 393. 2.

Dispensatio. *Dispensans*. *Dispensatus*. Dispensatio est *Juris relaxatio*. 43. 1. & 408. 2. Differt a permissione, licentia, privilegio, & absolutione. 43. 1. Item a legitimatione. 492. 2. Stricte est interpretanda, præterquam in sex casibus. 43. 1. & 2. Dispensandi potestas alia est ordinaria, alia delegata. 44. 1. Num utraque sit late interpretanda. ibid. 408. 2. Quomodo differant inter se potestas dispensandi, irritandi, & declarandi exemptum a lege. 44. 1. In quo differat potestas dispensandi & commutandi, & num, qui potest unum, possit & alterum. ibid. Dupliciter exerceri potest potestas dispensandi. ibid. 2. Num possit dispensatio concedi absenti, ignoranti, nolenti, & num extorta ex gravi metu adhuc valeat. ibid. Quis habeat potestatem dispensandi, in qua lege, & circa quos. ibid. 2. & seq. V. *Deus*. *Pontifex*. *Episcopus*, *&c.* Num possit Legislator dispensare secummet, vel cum vagis, forensibus, & peregrinis in iis, in quibus potest cum suis subditis. 46. 2. Num qui potestatem habet dispensandi, dispensare possit cum subdito absente. 47. 1. Num ad dispensandum requiratur causa. ibid. Et num esse debeat tanta, quanta requiritur ad excusationem. ibid. Quæ causa censenda sit sufficiens ad dispensandum. ibid. 2. Præsertim pro impedimentis matrimonii. ibid. V. *Dispensatio in Matrimonio*. Num valida sit dispensatio facta in lege superioris non præcognita a dispensante causa, quæ reipsa aderat, vel contra bona fide credendo, esse causam sufficientem, quæ revera non erat talis. 48. 1. Quando existere debeat causa sufficiens, ut incipiat valere dispensatio, ibid. An inferior possit valide dispensare in lege superioris. 47. 2. Quæ veritas sit exprimenda in petitione dispensationis. 48. 2. Quæ falsitas tacenda. 49. 1. Num in petitione exprimi jure, vel consuetudine debeat prior dispensatio forte obtenta in eadem materia. 48. 2. Vel omnia impedimenta, quæ habes relate ad eundem effectum, ob quem petis dispensationem, & num in specie atoma. ibid. 2. & seq. Num falsa causa dispensandi allegata in petitione vitiet substantialiter dispensationem. 49. 1. An vitietur dispensatio, si plures in petitione allegentur causæ motivæ, quarum aliqua sit falsa. ibid. 1. & 2. Nullane sit dispensatio, si falsitas in petitione sit circa materiam, vel circa personam. ibid. Quæ sit forma talis petitionis. V. *Dataria*, *Pænitentiaria*. Quot modis cesset dispensatio. 51. 2. Num cesset per non acceptationem. ibid. 2. Num per renunciationem. 52. 1. Num per revocationem. ibid. 1. Num per cessationem causæ. ibid. Num per transitum in alienum territorium. ibid. 2. Num demum morte concedentis. ibid. Quando, & quomodo cesset facultas dispensandi. ibid. 2. Num cessat morte delegantis facultas dispensandi delegata, si sit indeterminata. 53. 1. Si sit determinata, hæc commissio potest esse personalis, & realis; prior cessat morte delegantis, non autem posterior: neutra tamen, si res non sit integra. ibid. 1. & 2. Per dispensationem an, & a quo suspendi, vel etiam tolli possit suspensio. 470. 1.

Dispensatio in observatione festorum. V. *Festorum observantia*: in jejunio. V. *Jejunium*. Pro Ordinibus, Votis, V. *Votum*, *Juramentum*, Pro Ordinibus. V. *Ordo*, *Episcopus*, *Pontifex*, *&c.* In irregularitate. V. *Irregularitas*: In interdicto. V. *Interdictum*, &c.

Dispensatio in matrimonio. V. *Dispensatio*. Quid possit Papa circa impedimenta matrimonii, & in quibus possit dispensare. 408. 2. V. *Dataria*, *Pænitentiaria*. Episcopus potest dispensare in denunciationibus ante, & post matrimonium. 45. 2. & 409. 1. Imo hanc facultatem potest aliis delegare. ibid. Peccat, si dispensat sine justa causa. ibid. Quæ autem esse possint causæ sufficientes ad omittendas denunciationes, vel saltem ad eas transferendas. ibid. Num Episcopus possit dispensare ad petendum debitum, si conjugibus superveniat affinitas ex copula illicita, vel cognatio spiritualis. ibid. 2. Num in voto castitatis. ibid. An, & quando in impedimentis dirimentibus jure Ecclesiastico ex præsumpta facultate Papæ Episcopus possit dispensare in foro conscientiæ post contractum matrim. ibid. 2. & seq. V. *Dubium*. Si contrahentes spectent ad diversas diœceses, a quo Episcopo debeat peti dispensatio. 410. 1. Parochus in nullo impedimento potest dispensare. Num possit saltem ex urgenti causa omittere denunciationes. ibid. Ad dispensandum in impedimentis requiritur causa. ibid. 2. Causæ sufficientes quæ sint. ibid. & seq. Pro impedimentis impedientibus quæ sit causa sufficiens ad dispensationem sponsalium. 411. 1. Quæ ad dispensandum in voto. ibid. Sine causa potestne dispensare Papa in impedimento saltem juris Ecclesiastici. ibid. 2. Quid de Episcopo. ibid. Num hæc cognitio causæ sufficiat, si sit extrajudicialis, & quandonam causa allata censenda sit sufficiens. ibid. In petitione dispensationis tria sunt necessario vitanda. 412. 1. Multifariam esse potest subreptitia dispensatio, eo quod in petitione taceatur, quod ex jure, vel rationabili voluntate Pontificis erat exprimendum. ibid. Primo, si non exprimatur, quale in se est. Ibid. Secundo, si non exprimatur in individuo. ibid. 1. & 2. Tertio, si non exprimatur numerus impedimentorum ejusdem generis. ibid. 2. Quarto si non exprimantur in eadem petitione plura impedimenta, quæ habes, diversi generis. ibid. & 48. 2.

Qui-

tæ. 413. 1. Sexto, si non exprimatur prior dispensatio, pro qua re datur regula. ibid. Num sit etiam subreptitia dispensatio, si non exprimatur prior repulsa. ibid. 2. Num petens dispensationem consanguinitatis, vel affinitatis cum Berta, exprimere etiam debeas copulam incestuosam cum ea commissam. 412. 2. Potest similiter subreptitia esse dispensatio, eo quod exprimatur falsum, præsertim in exponendis causis dispensationis, quæ vel veræ non sint, vel ad minus non sufficientes. Causa autem, ob quam inducitur Pontifex ad dispensandum, alia dicitur finalis, seu motiva, alia mere impulsiva. 413. 2. Si ergo falsitas sit circa causam finalem, dispensatio erit certe subreptitia: secus, si circa causam mere impulsivam. ibid. Quomodo ex pluribus causis allegatis pro dispensatione, quarum aliqua sit falsa, quomodo, inquam, cognoscendum est, an dispensatio inde obtenta fueritne valida, an subreptitia. ibid. 2. & seq. Dispensatus sine justa causa, num peccet utendo tali dispensatione. 47. 2. Dispensatio in impedimento superveniente sponsalibus num debeat peti ab eo, qui impedimentum apposuit, si id ab altero innocente exigatur. 425. 2. & seq.

Distinctio peccatorum numerica, vel specifica. V. *peccatum*.

Distributiones chori a non assistentibus choro num, quæ, & quando debeant restitui. 224. 1. Quando possint non restitui. ibid. 2. Distributiones quotidianæ, seu præsentiæ num restituendæ ante Judicis sententiam. ib. 2. Num etiam restituendæ ab eo, qui est in choro; sed non cantat, &c. ib.

Dives. Ditior factus ex re aliena, V. *Absolutio. Restitutio.*

Divinatio. Divinator. Divinatio est *Superstitio, qua quis opem dæmonis tacite, vel expresse invocat ad cognoscenda futura, vel occulta naturaliter incognoscibilia*. 79. 2. Quæ dicatur *Necromantia*, quæ aliis nominibus. ibid. 2. Est ex toto genere mortalia excludens materiæ parvitatem, & specialiter in confessione aperienda. ibid. Quæ sit divinatio, quæ fit tantum per invocationem, seu pactum tacitum, seu interpretativum. ibid. Hæc quando possit excusari a mortali. ibid. V. *Astrologia*. Divinatio per somnia num liceat. 80. 2. Num liceat ex physionomia, chyromantia, &c. ibid. 2. Num ex augurio, aruspicio. ibid. Quid de arte notoria, de cabalis, &c. ibid. Divinatores, &c. incurrunt casum reservatum cum excomm. in Diœc. Neap. 369. 1.

Divortium est *Matrimonii solutio*. 440. 1. Nunc fieri tantum potest quoad thorum, & habitationem. ibid. Causa divortii natura sua perpetui, quod fit ob culpam unius conjugis, est fornicatio, seu adulterium. ibid. Quid hic veniat nomine adulterii. ibid. Conjux adulter nequit divertere: innocens vero etiam in perpetuum. ibid. Num propria auctoritate etiam quoad habitationem. ibid. Quid, si uterque commisit adulterium. ibid. Si post unius, vel utriusque adulterium reconcilientur, alteruter, qui postea fornicatur, potest ab altero deseri. ibid. Aliæ possunt esse causæ divortii ad tempus: puta hæresis, sævities, malum corporis, malum animi. ibid. 2. Divortii effectus tres adnumerantur: primus relate ad dotem, & alimenta. ibid. 2. Secundus relate ad mutationem status. 441. 1. Tertius relate ad reconciliationem. ibid. V. *Vidua*.

Doctor, V. *Advocatus*.

Dolor, V. *Contritio. Attritio*. Dolor requisitus essentialiter ad Sacramentum pœnitentiæ debet esse formalis, & simul detestatio peccatorum: item elici debet ex fide, & spe saltem virtuali. 315. 2. & seq. Non ergo satis est dolor virtualis, vel putatus, vel tantum externus, nec merum propositum, nec quæcumque displicentia cum velleitate, vel dolor, quo quis doleat, se non dolere, &c. neque in confessione venialium. 315. 2. Quinque sunt qualitates veri doloris. 316. 1. & seq. Num opus sit, ut dolor descendat ad detestanda singula mortalia, an vero sufficiat eorum detestatio universalis. 316. 2. Num in confessione venialium requirantur etiam dictæ qualitates. 317. 1. Quando dolor debeat elici, & quomodo fiat sufficienter sensibilis. ibid. 2. An elicitus ante confessionem, ut sufficiat ad Sacramentum, debeat elici ex intentione confitendi. 318. 1., & quandiu ante confessionem elici possit. ibid. Num idem dolor physice præteritus sufficiat pro pluribus absolutionibus. ibid.

Dolus num obstet valori contractus. 127. 1. V. *Error*.

Domestici qui sint. 219. 2. V. *Furtum*.

Domicilium. Episcopus Domicilii, V. *Ordo*. Domicilium in aliquo loco quando acquiratur. 34. 2. Quando quasi domicilium. 35. 1. V. *Peregrini*, &c. Quando acquiratur domicilium in Parochia. 403. 2.

Dominus, V. *Restitutio. Furtum. Impedimentum conditionis. Conjux*. Dominus quid debeat servis, vel famulis. 120. 1. Num teneatur aliquid compensare possessori malæ fidei ob melioramenta. 192. 1. Num possit communicare cum servo excommunicato vitando. 460. 2. V. *Servus*.

Dominium idem est, *ac Jus in re*. Plenum, & perfectum definitur *Jus percipiendi perfecte de re in proprium commodum, nisi obstet aliqua lex, vel conventio*. 181. 1. Quid obstare possit plenitudini dominii; quis, & quarum rerum possit esse dominus. ibid. Dominium imperfectum, vel est directum, vel ususfructus, vel habitatio, vel usus, vel servitus, vel possessio. 182. 2. Ad dominium acquirendum requiritur titulus, qui triplex est. 182. 1. Quomodo acquiratur per contractum. ibid. Vel per occupationem. ibid. Vel per unionem. ibid. & 2. Vel per præscriptionem, V. *Præscriptio*.

Donatio. Donum. Donatio est *Datio liberalis*. 132. 2. Fieri potest realiter, vel mere verbaliter. ibid. Alia est mere liberalis, & gratuita, alia remuneratoria. ibid. Quomodo obliget. ibid. Quæ sit donatio inter vivos. ibid. Est irrevocabilis, præterquam in tribus casibus. ibid. Quis & cui, possit donare inter vivos. ibid. 2. & seq. Ob ingratitudinem donatarii in quinque tantum delictis potest revocari. 133. 2. Num possit etiam revocari ob prolem postea susceptam. ibid. & seq. Donatio inofficiosa quæ sit, & num possit revocari. 134. 1. Quantum quis donare possit inter vivos. ibid. & 2. Quæ sit donatio causa mortis. ibid. 2. Quæ ejus qualitates, & in quo differat ab ultimis voluntatibus. ibid. Potest pro arbitrio donantis semper revocari. ibid. Quando intelligitur ab eo implicite revocata. ibid. Quid, si illi adjiciatur pactum, vel juramentum non revocandi. ibid. Quis, quantum, & cui donare possit causa mortis. ibid. Num, qui donum accipit a Titio, quem scit non esse solvendo suis Creditoribus, peccet, & teneatur ad restitutionem. 206. 2. & seq. V. *Sponsus*, &c.

Dormiens num possit contrahere. 125. 2. Occidens aliquem in somno sitne irregularis. 484. 1. Dormiens tota die qua ad jejunium tenebatur, satisfacitne præcepto. 28. 2.

Dos. V. *Dispens. in matrim.* Dos, si deficiat, estne causa sufficiens dissolvendi sponsalia. 426. 2.

Dubium. Dubius. Dubium est *Suspensio intellectus inter duo contradictoria sibi proposita, quorum neutri assentitur, neutri dissentit*. 13. 1. Conscientia dubia. V. *Conscientia*. Hoc axioma *In dubio melior est conditio possidentis* post adhibitam debitam diligentiam valet, tum in materia justitiæ, tum aliarum virtutum. 14. 1. & 2. & seq. Quæ sit regula ad dignoscendum, pro qua parte stet in dubiis possessio. 15. 1. Hoc aliud Axioma. *In dubio tutior pars est eligenda*, est tantum de consilio, excepta irregularitate in dubio, an fueris causa homicidii jam secuti, & casu, in quo aliunde est obligatio obtinendi in re finem intentum. 15. 2. & seq. Hoc demum Axioma, *In dubio standum pro valore actus*, verum regulariter est, si dubium sit, an actus certo jam positus fuerit validus; falsum, si dubium sit, an actus simpliciter sit positus. 16. 1. In dubio, num in actione præterita fuerit perfectus consensus, seu advertentia, optima traditur regula. 7. 2. Quid in dubio, sit necne lex, vel consuetudo legitime introducta. 14. 2. Vel in dubio, sitne lex favorabilis, an odiosa. 21. 2. sitne de re illicita, vel injusta quoad onus impositum. 25. 2. Sitne promulgata. 26. 1. Aut acceptata. 27. 2. Quid, si dubium sit de potestate superioris. 35. 1. Vel de significatione verborum legis. 23. 2. Vel de voluntate legislatoris, num scilicet voluerit, aliquem casum sua lege generali comprehendere. 38. 2. Vel de causa pro dispensatione adducta, sit necne finalis, an impulsiva. 49. 1. Vel de consuetudine, sit necne a communitate introducta animo se obligandi. 41. 1. Vel de aliquo effectu, sit necne naturalis, an superstitiosus, a Deo, an a dæmone. 81. 1. Vel verba aliqua sint necne blasphema. 85. 1. Quid de voto dubio, quod tale multipliciter potest esse. 93. 2. & seq. Quid in dubio, sit necne festus dies, qui obliget ad Missam audiendam. 14. 1. Vel in dubio, an quis sit necne deobligatus a jejunio. 106. 1. Vel in dubio, sitne census redimibilis, an non. 155. 2. Num teneatur restituere, qui accepit aliquid a mutuatario, dubitet tamen, num ille id dederit vi mutui, an ex liberalitate. 142. 1. Quid in dubio, sitne prædium feudale, an allodiale. 164. 2. Vel in dubio, an sint ita furiosi, amentes &c., ut nequeant testari. 136. 1. In dubio utri litigantium causa adjudicanda sit, quid agere debeat Judex. 20. 2. & 169. 1. Ad quid teneatur, qui dubia fide rem alienam possidet. 14. 1. & 191. 5. In dubio, an mandans, vel consulens fuerint causa damni, V. *Mandans. Consulens*. Debitum dubium. V. *Debitum*. Dubium de prole, sitne proprii mariti, an Adulteri, &c. V. *Adulter*. Confessarius dubitans, habeat necne facultatem absolvendi a reservatis. V. *Confessarius*. In dubio impedimenti. V. *Conjux*, & 385. 2. In dubio hæreditatis, V. *Hæreditas*. In dubio, an puer, vel quilibet alius æger unquam usus sit ratione, num possit dari extrema unctio. 292. 1. Quid in aliis dubiis, puta sitne infirmus in certo periculo mortis, vel in gratia, &c. ibid. Peccatum dubium num debeamus confiteri. V. *Confessio*. Confessarius quid agere debeat in du-

bio de dispositione pœnitentis. 377. 2. Vel in dubio de sua jurisdictione. 338. 2. & seq. Num in dubio possit absolutionem iterare. 378. 1. In dubin, an aliquid cadat sub sigillum, V. *Sigillum*. In dubio, an puer habeat usum rationis, quando obligetur ad annuam confessionem. 309. 1. Dubium de ordine suscepto, V. *Ordo*. Dubium de confessionibus antea factis, fuerint necne bonæ. 327. 1. V. *Confessio*. Quid dicendum in multiplici dubio, sit necne incursa a se e.g. censura. 15. 2. & 452. 2. Conjux dubitans de valore matrimonii, V. *Conjux*. Impotentia dubia ad contrahendum matrimonium. V. *Impotentia ad contrahendum matrimonium*. Homicidium dubium inducit, necne irregularitatem. 485. 1. V. *Homicidium*. In dubio, an abortus a se factus fuerit fœtus animati, num censendus sis irregularis. ibid. Num pecces, si Ordines suscipias in dubio, an iocurreris irregularitatem. 488. 1. In dobio, an quis sit legitimus, possitne ascendere ad ordines. 491. 1. & 2. In dubio, an quis habeat ætatem requisitam ad matrimonium: vel an sit habilis ad consummandam copulam, validene contrahat, vel contraxerit. 400. 1. V. *Impotentia ad contrahendum matrimonium*. Sitne denunciandus Confessarius, si dubium sit, an verba obscura ab ipso prolata fuerint ex prava intentione. 345. 2. Tenerisne excommunicatum publice denunciatum vitare, si dubium sit, illum esse talem. 457. 2. Quid, si dubites, fuerit, necne ille absolutus. 461. 1. Quid, si excommunicatus dubitet, an lata sit in se excommunicatio, vel, an patraverit delictum, vel an excommunicatio fuerit injusta, vel ab ea absolutus. 461. 1. Post septennium in dubio, an quis habuerit usum rationis, incurritne censuram. 481. 2. In dubio juris, an scilicet sit lex inducens irregularitatem, aut aliam pœnam, aut, an talis casus contineatur sub lege, num quis censendus irregularis. ibid. 1. Quid in dubio, an in promissione sponsalium fuerit mentis perturbatio. 416. 1. Vel, an sponsalia inita sint cum usu rationis. ibid. Vel, an promissio fuerit gratuita, an respectiva. 419. 2. Vel absoluta, an conditionata. 417. 2. Vel, an mutatio consequens sponsalibus sit notabilis, nata proinde illa dissolvere. 426. 2.

Duellum. V. *Homicida*. Duellum est *Duorum vel etiam plurium pugna deliberate suscepta ex condicto, statuto tempore, & loco cum periculo mortis, vel gravis vulnerationis*. 363. 2. Quid si hoc accidat in rixa, vel fiat pugnis, vel fiat non statuto tempore, & loco. ibid. In duobus casibus licitum est duellum. ibid. Num alii a duellantibus, puta consulentes, permittentes in terris suis, &c. excommunic. incurrant Papæ reservatam extra Urbem, intra Italiam. ibid. Quando proprie incurratur a duellantibus excommunicatio. ibid. Quando a reliquis. ibid. & seq. Num etiam a spectatoribus. 363. 2. A quibusnam incurratur excommunicatio etiam duello non secuto. 364. 1. V. *Regulares*. Qualiter peccet, & num obligetur ad restitutionem, tum provocans, tum acceptans duellum, præsertim, si secuta sit mors, vel mutilatio. ibid. & 234. 2. Num liceat sepelire duellantes in loco sacro. 467. 1.

E

Ebrietas. *Ebrius*. Ebrius num possit contrahere. 125. 2. Num possit illi ministrari Extrema Unctio. 292. 1. V. *Impedimentum publicæ honestatis*. Ebrius committens homicidium sitne irregularis. 484. 1.

Ecclesia. Num vetita sit transactio pro terminanda lite circa bona antecedenter possessa ab Ecclesia. 125. 1. Num possit Ecclesia aliquando bona ei donata propria auctoritate alienare. ibid. Ecclesiæ, earumque bona, &c. immunes sunt a gabellis. 171. 1. Num etiam bona Ecclesiasticorum, &c. ibid. 2. Bona Ecclesiastica quando restituenda. 207. 2. Quando Ecclesia suppleat, aut dispenset in aliquo ad valorem Sacramenti requisito. 250. 2. Quando Ecclesia suppleat jurisdictionem. V. *Jurisdictio. Sacramentum Pœnitentiæ*. Qui jurisdictiones, fructus, redditus, &c. ad Sedem Apostolicam, & ad quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, &c. pertinentes, usurpant, sequestrant, &c. sine debita licentia, excommunicantur in Bull. Cœn. 361. 2. V. *Religiosi Societatis Jesu* circa Ecclesiasticam sepulturam in suis Ecclesiis.

Ecclesia sive *Templum*. Ecclesiæ nomine quid veniat. 280. 2. In ea (nisi sit execrata, polluta, vel interdicta) debet fieri sacrificium. ibid. A quo consecrari, vel benedici possit. ibid. Pollui, & violari potest per homicidium, effusionem sanguinis, effusionem seminis, & per sepulturam excommunicati vitandi, seu infidelis. ibid. & seq. Quando hujusmodi actiones intelligantur completæ. 281. 1. Num polluatur etiam, si consecretur, vel benedicatur ab Episcopo excommunicato vitando. ibid. An in ea publice polluta, antequam reconcilietur, licite fiat Sacrificium. Quomodo autem conciliet. ibid. 2. Quomodo execretur, & an in ea execrata celebrari possit. ibid. Execrata Ecclesia num & altaria ipsa execrentur, vel econverso; & num, si corruant ejus parietes, Ecclesia benedictionem amittat. 281. 2. Ejus vero lapides, ligna, &c. cui usui inservire possint. ibid. Num celebrari possit in Ecclesia interdicta. ibid. Num Sacerdos e. g. Forensis possit sine licentia Ordinarii alterius Diœcesis ibi celebrare. ibid. Regularium Ecclesiæ in casu necessitatis mutarine possint de loco ad locum a Provinciali. ibid. 2.

Ecclesiasticus. Quid veniat sub tali nomine. 36. 1. Non tenetur servare leges civiles lædentes Ecclesiasticam immunitatem. ibid. Ad alias vero leges civiles quomodo teneatur. ibid. & seq. Ecclesiastici beneficiati num possint quid sibi reservare de superfluis ad meliorandum statum. 112. 1. V. *Ecclesia*. *Regulares*, &c.

Electio Summi Pontificis facta a Cardinalibus vitandis est valida. 464. 1. Electio ad beneficium. V. *Beneficium Ecclesiasticum*.

Eleemosyna est *Liberalis donatio transferens dominium rei in pauperem*. 112. 2. V. *Necessitas*. *Absolutio*. *Hæreditas*. Erogans eleemosynam virgini pauperi, ut eam inducat ad copulam, vel negans illam pauperi, ut hunc inducat ad patrandum homicidium, num sit simul immisericors, deflorator, & homicida. 113. 1. Quis facere possit eleemosynam. 112. 2. Quibus facienda, præsertim si relicta sit a testatore, ut in pauperes distribuatur. ibid. Eleemosyna num sit aliquando restituenda. 189. 2. V. *Eremita*. Si res, cujus dominus ignoratur, dispensetur in pauperes ad eleemosynam, & postea dominus compareat, estne huic reddenda. 196. 1. V. *Beneficium Ecclesiasticum*. V. *Debitum*. Vovens eleemosynam, ut avaritiæ opinionem tollat, an teneatur voto. 94. 2. V. *Sacerdoe*. V. *Dispensatio in Matrimonio*. V. *Communicatio cum excommunicato vitando*.

Eleemosyna spiritualis, V. *Correctio*: Manualis: V. *Stipendium Missæ*.

Emphyteusis est *Contractus*, *quo res aliqua immobilis ad longum tempus alicui conceditur quoad dominium utile pro pensione annua solvenda*. 164. 1. Differt a locatione. ibid. Quid possit, vel debeat Emphiteuta circa rem emphyteuticam. ibid. Quid de canone, seu pensione solvenda. ibid.

Emptio, & *Venditio*. *Emptor* &c. V. *Pretium*. *Merx*. Emptio est *Pactio pretii pro merce*. Venditio est *Pactio mercis pro pretio*. 246. 2. Venditio quomodo possit rescindi. 151. 2. Ad quid teneatur, qui vendidit rem supra summum pretium, vel emit infra infimum. 147. 1. Num qui scit, pretium mercis mox augendum notabiliter, possit eam emere pretio nunc currente multo minore. ibid. 2. Num res, quæ non habet pretium legitimum, nec vulgare, possit vendi, quanti volet Dominus. ibid. Num liceat rem vendere, supra summum pretium præcise ob dilationem solutionis, vel emere infra infimum ob ejus anticipationem. ibid. V. *Apodixa*. *Creditum*. Num vendens rem frugiferam ad creditum possit contrahere cum emptore de percipiendis fructibus, donec solvatur pretium, vel de pensione solvenda. 148. 1. Num venditor teneatur vitium, vel emptor bonitatem mercis manifestare. ibid. 2. Quid de venditione mercis, in qua intercedat fraus, vel mendacium. ibid. & seq. Quid, si vendas quid pro quo. 249. 1. Quid de iis, qui vendunt ex mandato alterius. ibid. 1. Quid de periculo, deterioratione, & commodo rei venditæ. ibid. & seq. Num liceat alicui bona fidelium injusto bello a piratis capta sibi emere. 249. 2. Quando dominium rei venditæ intelligatur translatum in emptorem. 150. 1. Ad emptionem, & venditionem quæ pacta pertineant. ibid. 2. & seq. Emptor bonæ fidei, si eadem bona fide vendidit alii rem furtivam, ad quid teneatur. 149. 2.

Epikeja est *Benigna legis interpretatio*. 38. 1. Quando in legibus detur Epikejæ locus. ibid. Num ad utendum epikeja requiratur certitudo, an vero sufficiat probabilitas excusationis, seu benignæ voluntatis Legislatoris, præsertim, si lex sit admodum onerosa. ibid. 1. V. *Dubium*.

Episcopatus est *Ordo*, *quo datur potestas confirmandi*, & *ordinandi*. 293. 2. Quæ ejus materia remota, quæ proxima. ibid. Quæ forma. 294. 1. Num sit ordo ab aliis diversus. 292. 2. Quæ sint Episcopi munera, & one-

onera. 295. 2. V. *Ætas*. *Tempora ordinationum*. Episcopatus Minister quinam sit. 296. 2. Num pro assistentia duorum aliorum Episcoporum possint ex Papæ dispensatione esse duo Sacerdotes. 298. 2.

Episcopus. V. *Suspensio*. Potest leges Ecclesiasticas pro Diœcesi ferre. 22. 2. A Papa hanc habet potestatem: at aliquibus in rebus coarctatam. ibid. Quibus ipse legibus teneatur. 33. 1. V. *Lex*. Num indigeat in legibus ferendis consensu Cleri, vel Populi. 22. 2. Dispensare potest non modo in legibus suis, verum & sui Antecessoris, & synodi Diœcesanæ. 45. 2. Num etiam in legibus synodi provincialis, in festis, & jejuniis Ecclesiasticis, in juramentis, & votis. 45. 2. Num in denunciationibus matrimonialibus, in impedimentis dirimentibus, sin minus jure naturali, saltem Ecclesiastico. 409. 1. & seq. Num in irregularitatibus. 46. 1. Præsertim in homicidio voluntario. 482. 2. Vel casuali. 484. 2. Vel in mutilatione, sin minus publica, saltem occulta. 486. 2. Vel in irregularitate orta ex delicto hæresis occulto. 487. 1. Vel ex iteratione baptismi. ibid. Vel ex delicto violationis censuræ. 488. 1. Vel in irregularitatibus ex defectu. ibid. Præsertim ex defectu corporis. 493. 2. Vel natalium. 492. 2. Num denique dispensare possit in legibus Pontificiis. 46. 1. Num dispensare possit cum Regularibus exemptis suæ Diœcesis, uti potest cum suis subditis. 47. 1. Quæ juramenta possit relaxare. 91. 1. Episcopus num possit cum justa, vel etiam sine justa causa commutare pias voluntates testatoris. 138. 2. Quando potest ad se pertrahere executionem hæreditatis. 139. 1. & quando hæredem cogere. ibid. Episcopus beneficium conferens minus digno peccat: num teneatur etiam ad restitutionem. 169. 1. V. *Compositio per bullam*. Episcopi congrua, residentia, fructus beneficiorum. V. *Beneficium Ecclesiasticum*. *Residentia*. *Stipendium*. Episcopus num peccet consecrando in peccato chrisma, calices, vel dando primam tonsuram, &c. 249. 2. Num in qualibet Diœcesi Episcopus Ordinarius sit collator beneficii non patronati. 175. 1. V. *Confirmationis Sacramentum*. Episcopus potest delegare facultatem dispensandi Eucharistiam Diacono, ex necessitate tamen gravi. 209. 1. Num clericis, vel laicis. ibid. V. *Eucharistiæ Sacramentum*. Episcopus ordinarius potest Ecclesias, etiam Regularium consecrare. 280. 2. Potest tamen id alteri Episcopo, non vero simplici Sacerdoti delegare. ibid. V. *Religiosi Societatis Jesu*. *Ecclesia*. Nequit Episcopus concedere sæcularibus Oratoria privata. 282. 1. Bene vero habentia ostium patens extra domum: item potest erigere, vel mutare unum, vel plura oratoria in pluribus suis domibus Episcopalibus, Villis, &c. ibid. Num possit Episcopus dispensare, ut Missa celebretur alibi a loco obligationis. 283. 2. Num possit aliquid accipere pro collatione Ordinum. 296. 2. Episcopus ex Papæ concessione concedere potest indulgentias: non tamen pro defunctis. 333. 2. Episcopus approbans ad confessiones, V. *Approbatus*. Episcopus interdicens, deponens, degradans. V. *Interdictum*. *Depositio*. *Degradatio*. Episcopus num possit dispensare in ordinationibus extra tempora. 301. 2. Episcopus ordinans, V. *Ordo*. *Dimissoriales*. *Testimoniales &c.* Quas pœnas incurrat Episcopus ordinans sine titulo. 305. 1. V. *Ordo*. Episcopus num possit irritare sponsalia facta sine Parocho, & testibus. 418. 2. Potest concedere jus perpetuum, & proprium sepulturæ in aliquo loco. 349. 1. Ad quid teneatur Episcopus, qui, vel in confessione Sacramentali, vel ex scientia privata extra confessionem, novit impedimentum matrimonii contrahere volentium. 431. 1. Quid possit Episcopus circa absolutionem casuum reservatorum Papæ, sive per se, sive per Vicarium, sive in casu impedimenti perpetui, sive diuturni, &c. 351. 1. Quid circa reservatos Episcopis. 352. 2. Num possit auditis tantum reservatis absolvere, & remittere pœnitentem, ut a reliquis absolvatur per alium Confessarium. ibid. Quid possit cum Regularibus. 353. 2. Num possit quodvis interdictum relaxare. 480. 1. Num possit a Parocho, quamdiu manet Parochus, potestatem auferre assistendi matrimonio. 403. 1. In propria Diœcesi Episcopus, etsi nondum ordinatus, sed tantum confirmatus, ferre potest censuras. 443. 2. Num Episcopi, qui proprium Territorium, seu Diœcesim habent, possint censuris ligare suos subditos committentes crimen extra Diœcesim. 445. 1. & 2. An Episcopos ipse existens extra suum territorium possit ferre censuras in suos subditos. ibid. In aliom Episcopum, vel Archiepiscopum nequit potestate ordinaria ferre censuras. 446. 2. Quibus ipse censuris subjaceat, & a quibus eximatur. ibid. Quæ sit in hoc ejus potestas in Religiosos. 447. 1.

Equites Melitenses, V. *Approbatus ad confessiones Regularium*. *Percussio Clerici*.

Eremita, si petierit eleemosynas pro sacello, num possit ipse de illis inde vivere. 189. 2. Si debet aliquid restituere, cui teneatur. ibid. V. *Percussio Clerici*.

Error alius est circa substantiam rei, aliut circa qualitates. 127. 1. Rursus, vel dat causam contractui, & dicitur antecedens, vel non dat causam, & dicitur consequens. Demum, vel provenit ex tua opinione, & dicitur error, vel ex alterius voluntate, & dicitur etiam dolus. ibid. Error circa substantiam sive rei, sive contractus jure naturæ contractum irritat. ibid. 2. Quid, si sit circa qualitates. ibid. & seq. V. *Contractus*. Sponsalia inita per errorem. V. *Sponsalia*. Error circa fidem, V. *Hæresis*. Votum factum ex errore, V. *Votum*. Error Ministri circa personam suscipientem Sacramentum, per se loquendo (si excipias matrimon.) non obstat ejus valori. 248. 2. Quando ejus error circa formam Sacramentum invalidet, ib. & seq. Si ex errore falso putes alicui peccato adnexam esse reservationem, eam non incurris, 349. 2. Error, prout est impedimentum matrimonii, vel est personæ, vel qualitatum, vel demum ipsius contractus matrimonialis. 386. 2. Error personæ est impedimentum dirimens matrimonium de jure naturæ. ibidem. Sive sit antecedens, sive comitans. ibid. Error qualitatum, sive sit antecedens, sive comitans, non est per se impedimentum dirimens matrimonium, nisi sit error servitutis. 387. 1. Quam graviter peccet, qui alterum conjugem ducit in errore. ibid. Tres sunt exceptiones, in quibus error qualitatum est impedimentum dirimens. ibid. 1. & 2. Num valeat matrimonium contractum cum errore circa ejus proprietates. ibid. Vel, si illud contrahas cet; putans adesse impedimentum dirimens, quod revera non sit. 385. 2. Error communis cum titulo colorato, V. *Jurisdictio*. *Impedimentum publicæ honestatis*.

Eucharistiæ Sacramentum. Quod ejus etymon. 263. 2. Varie appellatur. ibid. Fuit a Christo institutum in ultima ejus cœna, & probabilius in azymo. ibid. Definitur: *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum*. ibid. 2. Ad hujus constitutionem pertinent species tum panis, tum vini, tum ipsum Christi corpus sub iis speciebus contentum. ibid. Verba consecratoria sunt pars essentialis hujus Sacramenti. ibid. Sumptio tamen est solum conditio necessaria; proindeque differt ab aliis Sacramentis. ibid. Quando Eucharistia causat effectum suum. ibid. Num Sacramenti gratiam suscipiat, qui tamdiu retinet species in ore, donec dissolvantur, vel moriatur, antequam hostiam in stomachum descendat. ibid. 2. Quid dicendum de Eucharistia per miraculum posita in stomacho sine sumptione. ibid. Christi Sanguis, & Corpus sub speciebus panis, & vini est unum specie Sacramentum, non plura: unde autem hæc unitas desumatur. 264. 1. Discrimen apponitur inter Ordinem, & Eucharistiam. ibid. Unde desumenda numerica hujus Sacramenti multiplicitas. ibid. Non major recipitur gratia a suscipiente plures particulas, quam a suscipiente unam: num suscipiens plures particulas recipiat majorem successive gratiam per hoc, quod Christus diutius sit in ejus stomacho. ibid. Quid sit discrimen inter sumptionem duarum particularum simul, & sumptionem specierum panis, & vini, & num harum sumptio possit aliquo modu dici duorum Sacramentorum. ibid. In quo differat hoc Sacramentum a reliquis. ibid. 2. Ejus natura dignoscitur ab effectibus, quorum primarius est augmentum gratiæ: secundarii, qui causantur in anima, numerantur novem: qui causantur in corpore, quatuor. ibid. Eucharistia immediate ex opere operato remissionem causat venialium, quæ tamen saltem virtualiter detestanda sunt. ibid. Quæ sit ejus materia proxima, quæ remota, & num possit saltem aliquando Sacerdos unam tantum speciem consecrare. 265. 1. V. *Panis*. *Vinum*. Ad validam materiæ Eucharistiæ consecrationem duo requiruntur, & ut sit præsens consecranti, & ut sit certa, atque a consecrantis intentione in individuo determinata. 267. 1. Num reputetur præsens materia in calice cooperto in ciborio, vel tabernaculo clauso, & vel sub corporali, missali, &c. vel posita in speculo post tergum, infra pedem, post parietem, a latere, &c. vel in modicissima quantitate. ibid. & 2. V. *Hostia*. Quid requiratur ad licitam materiæ Eucharistiæ consecrationem; & num peccet,

qui

qui vas, in quo hostiæ consecrandæ sunt, non aperit tempore consecrationis, vel illas consecrat extra Corporale, vel guttas calicis exterius adhærentes intenderet consecrare. 268. 2. Quæ sit forma Eucharistiæ consecrativa panis, quæ vini. ibid. Num, & quod peccatum sit aliquid immutare in hujus formæ probatione. 244. 2. & 268. 2. Quomodo explicent Doctores ly *Hoc* & *Hic*, ly *Meum* & *Mei* in utraque consecratione. ibid. Verba consecratoria quando operantur effectum suum. ib. Quomodo ex eo, quod ex vi verborum sub speciebus panis (idem dic de speciebus vini) solum Christi corpus ponatur, adhuc totus Christus sub utraque specie constituatur. ibid. 2. Constituitur autem sub his speciebus ad modum spiritus. 269. 1. Minister Eucharistiam conficiens (qui in hoc solum Sacramento esse potest distinctus a conficiente) est omnis, & solus Sacerdos. ibid. Qui sit Minister ex officio dispensans Eucharistiam, qui ex delegatione. ibid. Quis teneatur eam ministrare, præsertim in necessitate. 271. 1. V. *Parochus*. Quid requiratur in Ministro ad validam Eucharistiæ confectionem. V. *Sacramentum*. Quid ad licitam. 269. 2. & seq. V. *Jurisdictio*. Num possit Minister Eucharistiam deferre ad infirmum sine habitu decenti, lumine, &c. eundo, aut illam deferendo, vel clam in sinu suo, vel in equo manifesto, illamque porrigendo aliis ab indice, & pollice digitis, vel medio aliquo instrumento, &c. 270. 1. Quid, si illam ministret sine *Confiteor*; vel de uno ad alterum altare deferat sine lumine, vel sacris vestibus. ibid. Vel ministret indigno. V. *Sacramentum*. Tripliciter suscipitur Eucharistia a tribus personarum generibus. 271. 1. Solius tamen hominis viatoris est illam suscipere. ibid. 2. Quæ requiratur in illam suscipiente dispositio ex parte animæ. 272. 2. V. *Intentio*. Num requiratur immunitas ab omni peccato etiam veniali, a censura, &c. ibid. & seq. Quod sit præceptum confitendi ante communionem, præsertim Sacerdotibus. 310. 1. & 2. V. *Pœnitentia*. *Sacramentum*. *Sacerdos*. Ad principalem fructum Sacramenti, etiam Eucharistiæ, suscipiendum, & ad alias gratias actuales obtinendas num requiratur actualis devotio. 254. 2. Eucharistia tempore interdicti localis, vel personalis generalis possitne, ac debeat ministrari in articulo, vel periculo mortis constitutis. 478. 1. Quid extra tale periculum, vel articulum. ibid. Quibus autem cæremoniis debeat tale Sacramentum ministrari. ibid. V. *Clericus*. *Lugens*.

Eucharistiæ sacrificium. V. *Sacrificium Missæ*.

Evictio est *Actio, qua reditur ad auctorem contractus pro interesse rei ab alio evictæ*. 123. 2. Num locum habeat in omnibus contractibus. ibid.

Eunuchus. Eunuchi perfecti sunt ex frigiditate impotentes ad contrahendum matrimonium. 401. 1. Num etiam imperfecti. ibid. Hujus copulæ non sufficit ad contrahendam affinitatem. 399. 1. Num viro liceat copula, si post contractum matrimonium fiat eunuchus. 436. 2.

Examen conscientiæ est *Diligens perscrutatio peccatorum latentium in conscientia*. 311. 2. Per se loquendo ex præcepto divino illud tenemur præmittere confessioni. ibid. Quod sit sufficiens, præsertim pro mortalibus. ibid. Quæ diligentia requiratur. ibid. Si ob fragilitatem timeat, ne diu immorando in peccatorum examine in ea consensu prolabaris, num possit te breviter examinare. ibid. Num teneamur scripto adnotare peccata, aut complicem de eorum numero interrogare, aut in Kalendario e. g. videre, quot diebus festis Missæ non interfuerimus: num nos examinare debeamus, etsi sciamus a Confessario diligenter interrogandos. 312. 1. Num timorato, vel illi, qui paulo ante confessus est, sufficiat modica diligentia. ibid. Quæ diligentia adhibenda in articulo mortis. ibid. Quid agendum pœnitenti, cui sit moraliter impossibile numerum scire suorum peccatorum. ibid. 1. & 2. V. *Confessio*.

Excommunicatio est *Censura Ecclesiastica privans hominem baptizatum communione fidelium*. 457. 1. Dividitur in majorem, & minorem. ibid. V. *Excommunicatio minor*. *Homicidium*. *Injustitia censuræ*. Excommunicatio etiam vitanda creditoris non excusat debitorem in foro conscientiæ a restitutione, & a fortiori neque excommunicatio ipsius debitoris. 215. 2. V. *Debitor*. Si moribundus fuit per simplicem Sacerdotem absolutus etiam ab excomm., si hæc erat reservata, si convalescit, remanet illi onus se præsentandi, quamprimum commode poterit, Superiori: non ut absolvatur iterum, sed ut illi præstet obedientiam. 335. 2. & 347. 1. Conjuges excommunicati possuntne petere, & reddere debitum. 438. 2. V. *Conjux*. *Excommunicatus*. *Excommunicationis majoris effectus*.

Excommunicatio minor est *Quæ privat hominem baptizatum aliqua tantum communione fidelium*. 457. 1. Olim plures erant excommunicationes minores: hodie tamen unica tantum est imposita contra participantes, seu communicantes cum excommunicato vitando, sive vivo, sive mortuo in casibus non permissis. 458. 2. & 461. 1. Causa excommunicationis minoris est peccatum, & quidem in civilibus sufficit veniale deliberatum. ibid. In divinis potest esse etiam mortale. Utrobique tamen incurritur excommunicatio minor, si 4. tantum casus excipias. ibid. Effectus hujus excommunicationis est duplex. ibid. 2. Habens excommunicationem minorem; si recipiat Eucharistiam, Ordines, contrahat matrimonium, &c., qualiter peccet, & puniatur. ibid. Num Sacramenta recipiat valide. ibid. An valide recipias Sacramentum pœnitentiæ, si invincibiliter oblitus taceas in confessione peccatum habens adnexam excommunicationem minorem, & Confessarius non præmittat absolutionem a censuris. ibid. Num peccet, qui cum excommunic. minore ministrat Sacramenta. ibid. Vel recipit beneficium. ibid. Num peccent pariter electores, vel te præsentantes, &c. ibid. Et num irritanda electio, præsentatio, &c., etiamsi tua excommunicatio ignorabatur ab electoribus. ibid. & seq. V. *Absolutio a censuris* in calce.

Excommunicationis majoris effectus. 19. enumerat Nav. V. 462. 1. Ad pauciores reduci possunt. ibid. Primo ergo excommunicatio major privat omni communicatione civili, & forensi, itaut quivis excommunicatus, etsi toleratus, si sit occultus, nequeat occulte, si publicus, nequeat publice se ingerere cum fidelibus. ibid. Excipe tamen 5. casus, in quibus potest se ingerere. ibid. & 459. 2. & seq. V. *Dubium*. Quid, si non ipse se ingerat, sed sit ab aliis requisitus. ibid. Valide, etsi illicite excommunicatus excommunicatione majori exercet communicationem forensem. 462. 2. V. *Contractus* in calce. Privat etiam excommunicatio major habilitate ad beneficia, &c. V. *Beneficium Ecclesiasticum*. Usu jurisdictionis, & Officii publici. V. *Jurisdictio*. *Officium*. Usu passivo, & activo Sacramentorum. V. *Sacramentum*, *Sacerdos*. Assistentia divinis officiis, V. *Sacrificium Missæ*. *Hora Canonica*. *Supplicatio*. *Concio*, &c. Publicis Ecclesiæ suffragiis. V. *Suffragium*. Ecclesiastica demum sepultura. V. *Sepultura Ecclesiastica*. Sunt, & alii effectus, sed remoti excommunicationis majoris, appositi. 467. 1.

Excommunicatus qualiter peccet non procurans absolutionem, ut possit Missæ interesse die festo. 31. 1. & 465. 2. Num ab eo liceat petere administrationem Sacramenti. 254. 1. Num ipse peccet se ingerendo, vel tantum concurrendo, si rogetur. ibid. 2. Num possit ingredi templum, quando non celebrantur divina officia, & ibi orare privatim, &c. 465. 2. Potest recitare salutationem angelicam, quando datur commune signum. 466. 1. Imo & hujus recitationi factæ a Concionatore interesse. ibid.

Excommunicatus vitandus est, quem fideles omnino tenentur vitare. 457. 1. Hodie tamen non tenemur vitare, nisi excommunicatum nominatim denunciatum, & publicum percussorem Clerici. ibid. Num etiam excommunicatum notorium. ibid. Quemcumque alium, utpote toleratum, licet possimus, non tenemur tamen vitare. ibid. V. *Percussor Clerici*. Ut quis sit vitandus, quid requiratur. ibid. 2. Num, ut tenearis vitare hujusmodi excommunicatum, sit opus, ut tu audieris denunciationem. ibid. V. *Opinio probabilis*. *Dubium*. Num, qui semel scivit, aliquem esse vitandum, semper teneatur illum vitare. 458. 1. Num excommunicatus vitandus in uno loco, puta Romæ, sit etiam alibi vitandus, puta Neapoli, ubi forte nondum promulgata est fama talis denunciationis, &c., & quidem, sin minus publice, saltem private. ibid. 1. & 2. Sub qua culpa, & pœna prohibita sit fidelibus communicatio cum excommunicato vitando, vel non vitando. ibid. 2. Communicare cum vitando in civilibus secluso scandalo, contemptu, &c., est per se loquendo veniale. ibid. In divinis est mortale, nisi excuset parvitas materiæ: utrobique autem incurritur excommunicatio minor. ibid. In quatuor autem casibus incurritur excommunicatio etiam major. ibid. & 459. 1. Quomodo explicandum illud *Caput Leg.* communicantem cum excommunicato simili excommunicatione innodari. 458. 2. Communicatio prohibita cum excommunicato vitando comprehenditur versu a Doctoribus. 459. 1. Quando excuseris a tali communicatione. ibid. Potest excommunicatus vitandus uti sacris imaginibus, reliquiis, & ex Pal. etiam aqua benedicta. 466. 2. V. *Suffragia Ecclesiæ*. *Effectus excommunicationis majoris*. Excommunicatus toleratus quis sit. 457. 2. Sub qua culpa, &
pœ-

pœna illum vitare debeamus: & quibus in rebus possimus cum illo communicare. 458. 2. Num absque ulla necessitate, aut speciali necessitate inducere illum possimus, ut celebret, Sacramenta ministret, cum aliis Horas recitet, &c. ibid. V. *Effectus excommunicationis majoris*.

Excusationes a censuris sunt quinque. 451. 2. & seq. V. *Injustitia censura. Appellatio. Ignorantia. Metus, & Impotentia.* Demum *Consensus paris*.

Excusationes ab Horis Canonicis, V. *Horæ canonicæ*. A Missæ auditione, V. *Festorum Observantia*. A Jejunio, V. *Jejunium*. A Restitutione, V. *Restitutio*.

Execratio. Quomodo execretur altare. 280. 2. V. *Altare*.

Executor testamenti quis esse possit. 138. 1. Ut sit, nullus cogi potest. 139. 1. Quid, si a Testatore nullus nominetur. ibid. Post aditam hæreditatem, confectumque inventarium debet intra annum voluntatem exequi testatoris; & in legatis piis intra sex menses. ibid. differens id notabiliter peccat graviter: qualiter autem puniatur. ibid. Cui teneatur rationem reddere executionis factæ. ibid. V. *Legatum*.

Exemptus. Qui proprie dicantur exempti a censuris incurrendis. 446. 2.

Exhæredatio. Qui possint exhæredari. 137. 1. Causæ exhæredandi. 14. enumerantur. ibid.

Exorcista. Exorcistatus. Exorcistatus est ordo, *Quo datur potestas fugandi dæmones ab Energumenis*. 293. 1. Quæ ejus materia remota, quæ proxima. ibid. Quæ forma. 294. 1. Exorcistæ munera, & onera quæ sint. 295. 1. V. *Ætas*.

Expositus. Expositititius. Infantes exposititi num sint rebaptizandi. 259. 1. Sintne legitimi. 491. 2.

Extraneus. Extranei qui sint. 446. 1. V. *Peregrinus*.

Extrema Unctio. Hoc Sacramentum fuit a Christo Domino institutum. 290. 1. Ejus materia remota est Oleum olivarum. An sufficiat chrisma in necessitate. ibid. Oleum qua necessitate debeat esse benedictum, & a quo. ibid. Num Oleo sancto liceat miscere aliud non benedictum. ibid. Materia proxima est unctio. ibid. Quas corporis partes ungunt Latini, quas Græci, & quas essentialiter. ibid. & 2. Quomodo fieri debeat unctio, præsertim in casibus periculosis, & qualiter peccaret Minister ritus transgrediens. 290. 2. Quæ sit hujus Sacramenti forma. ibid. Tria debent per ipsam necessario significari. ibid. Quas preces omittere sit veniale tantum. ibid. Minister est unus Sacerdos. 291. 1. Num debeant plures interesse. ibid. Num Minister debeat esse proprius cujuscumque Pastor, & num hic teneatur sub gravi tale Sacramentum ministrare. ibid. Num possint in necessitate plures simul Sacerdotes illud ministrare. ibid. 2. Excommunicatus num possit ministrare extremam unctionem constituto in mortis articulo. 465. 1. Solus periculose infirmus est ejus subjectum: quid autem hic veniat nomine periculose infirmi. 291. 1. & 2. Num quivis hujusmodi infirmi injungi possint, vel teneantur sub mortali hoc Sacramentum suscipere. ibid. 2. Qui sit effectus primarius, qui secundarii extremæ unctionis. 292. 1. Num dari possit Homini, qui fuit semper in gratia, vel pueris ante rationis usum, vel amentibus. ibid. Num huic Sacramento debeat necessario præcedere confessio Sacramentalis, & Viaticum. ibid. 2. Est iterabile. ibid. Quando debeat repeti sub conditione. 290. 1. V. *Parochus*. Num, cum defertur ad infirmum, debeat necessario lumen præcedere. 270. 1. V. *Religiosus. Regularis*. Nequit ministrari extrema unctio, dum adest interdictum locale, vel personale, neque clerico, neque laico. 478. 1.

F

FAcultas dispensandi V. *Dispensatio*, Absolvendi V. *Absolutio*: Legendi libros prohibitos, V. *Liber*.

Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterii, aut conventus est casus reservabilis in Ordinibus religiosis. 375. 1. Falsum deponentes, falsificantes apochas, instrumenta, &c. præsentantes falsum patrimonium, &c. quando proprie incurrunt casum reservatum cum excomm. in diœcesi Neapol. 370. 1. & 2. Item alium casum cum excomm. incurrunt falsarii monetarum. 372. 2. Item casum bullæ cœnæ incurrunt falsificantes litteras apostolicas, vel falso fabricantes supplicationes, vel eas falso signantes. 360. 1.

Falsus Testis, V. *Testis*.

Fama est *Bona multorum opinio de vita, & moribus alicujus*. 227. 2. Violatur a detractione. ibid. Non restituitur nisi per famam. 211. 2. V. *Detractio*. In restitutione famæ num fieri possit compensatio. 232. 1. Quæ, & quot sint causæ excusantes a restitutione famæ. ibid. & 2.

Famulus quid Domino debeat. 120. 1. Num esse possit famulo causa rationabilis cooperandi materialiter peccatis dominorum suorum. 118. 1. Num teneatur de damno secuto, si videns furari in Domini domo, taceat. 202. 1. Nequit occulte hero suo aliquid surripere ad compensandum salarium, quod putat tenue. 207. Num possit vivere, & salarium acceptare ex bonis domini impotentis solvere suis creditoribus. 206. 2. Quando famulus hero surripiens graviter peccet. 219. 2.

Fatuus num possit contrahere. 125. 2. V. *Amens*.

Femina prægnans morti proxima, vel ad mortem damnata num debeat pati sectionem uteri, quo filius baptizetur. 110. 1. V. *Virgo*. Nequit delegari ad censuras ferendas. 444. 1. Num possit ob vitæ conservationem abortum procurare. 437. 1. V. *Abortus. Mulier. Uxor*.

Festorum observantia. Ad id obligamur præcepto tum naturali, tum Ecclesiastico. 99. 2. Num teneamur specialiter die festo abstinere a peccatis. ibid. Opus servile in quo differat a liberali. 100. 1. Tenemur a servili abstinere, etsi gratis, ob finem honestum, & sine labore fiat. ibid. Num liceat transcribere etiam lucri gratia, delineare, designare, aut pingere, piscari, venari, &c. præliari, sculpere, iter facere, &c. ibid. Num liceat ducere currus, seu naves onustas, & animalia &c., vel uti pistrino, molere, distillare aliquod simplex, &c. ibid. 1. & 2. Num peccet mortaliter, qui tali die mandat sex e.g. Famulis, ut singuli una hora laborent. ibid. Quæ opera forensia prohibeantur die festo, & num prohibeatur, & irritetur sententia excommunicat., suspensionis, & interdicti. ibid. 2. & seq. Num liceat appellatio. 101. 1. Quatuor sunt causæ, ob quas opera prohibita licent. ibid. Necessitas (ad quam reducitur Obedientia, Utilitas, Pietas, & Religio.) ibid. 1. & 2. Brevitas temporis. ibid. & seq. Consuetudo. 102. 1. Dispensatio. ibid. Num præter missam alia etiam bona opera percipiantur. ibid. Mortale est partem missæ notabilem omittere: quæ autem sit pars notabilis. ibid. 2. Num peccet, qui nequit simpliciter missam audire die festo, putat tamen, se peccare non audiendo. 12. 2. Qui sint illi dies festi, in quibus alicubi ex concess. Bened. XIV. audita Missa possint licite exerceri opera servilia. 498. 2. Quo in loco missa audienda sit, & a quo Sacerdote. 102. 2. Non satisfacit, qui missæ partes simul audit. Quid, si audias successive. 103. 1. Impotens audire totam, num teneatur ad ejus partem. 37. 2. Num possit missa audiri a fenestra domus. 102. 2. Qui obligentur ad missam. 103. 1. Quibus diebus, & quo tempore. ibid. 2. A missa audienda excusat impotentia. 104. 1. Ignorantia invincibilis, inadvertentia, oblivio &c. censura, & demum consuetudo. ibid. 1. Dormiens in missa num satisfaciat. 28. 2. Missam audiens, sed ignorans esse diem festum, adhuc satisfacit per illam. 29. 1. V. *Dubium*. Num possit quis sine necessitate discedere a loco, ubi est festum municipale, ut vitet missæ obligationem. 36. 1. & an teneatur mane missam audire, antequam exeat e civitate. ibid. Num excusatus a missa Die Dominico teneatur ad aliquod aliud pium opus. 104. 2. Quot peccata committat, qui a primo mane diei festi statuit non audire sacrum, & sæpe usque ad meridiem hanc voluntatem repetit. 312. 2. Num omne peccatum die festo commissum habeat specialem malitiam irreligiositatis, & sacrilegii. 314. 1. Qui die natalis Domini unam audit missam, satisfacitne. ibid. 2. Num excommunicatus teneatur sub gravi procurare absolutionem, ut audiat missam die festo. 465. 2.

Feudum est *Concessio rei immobilis pro homagio*. 164. 2. Differt ab Emphyteusi. ibid. Feudatarius est, qui feudum recipit: qui dat, dicitur Dominus directus. ibid. Feudatarius ad quid teneatur. ibid. Amittitur feudum post judicis sententiam in 3. casibus. ibid. Si amittatur, ad quem redit. 165. 1.

Fideicommissum, vel est, quo gravatur Titius ad restituendam totam hæreditatem Cajo, & dicitur universale; vel ad restituendam tantum partem, & dicitur particulare. 135. 2.

Fidejussio est contractus, *Quo quis in se suscipit obligationem debiti alieni implendam, si debitor principalis non solverit*. 166. 1. Quis possit fidejubere, & cui id sit vetitum. ibid. Ad quid teneatur fidejussor, quando possit cogi a Judice ad solvendum, & ad quid teneantur ejus hæredes. ibid. 1. & 2. Num possit fidejussor aliquid exigere pro fidejussione. ibid. 2. Num possit debitorem obligare, ut eum liberet a fidejussione. ibid. Num etiam creditorem. ibid.

Fidelis. Fides, V. *Virtus*. Fidei præceptum affirmativum per se obligat sæpius in vita: multoties per accidens: item dum urget gravis tentatio, dum recipitur Sacramentum Pœnitentiæ, &c. 63. 2. Fidei præ-

præceptum negativum prohibet omnem infidelitatem, quæ triplex est. 66. 1. V. *Infidelitas*. Quinam actus fidei sit necessarius necessitate medii. 63. 2. Quæ Mysteria debeant credi necessitate medii explicite, & an Mysterium Trinitatis, & Incarnationis. ibid. & seq. Num sint alia Mysteria explicite credenda. 64. 1. An sufficiat repetere actum fidei in generali. ibid. Hoc præceptum nos obligat credere actu interno. 63. 2. Discere Mysteria Fidei. 64. 2. Fidem exterius confiteri. ibid. Quæ Mysteria sint ab omnibus addiscenda. ibid. Fidelis etiam non interrogatus tenetur aliquando exterius confiteri Fidem. ibid. Num teneatur interrogatus a persona privata. ibid. Num, si interrogetur a persona publica, teneatur etiam cum vitæ dispendio. ibid. 2. & se manifestare Catholicum, si edicto generali id præcipiatur. 65. 1. Qui teneantur ad fidei professionem eliciendam ex Decr. Trid. ibid. Præceptum negativum Fidei. V. *Hæresis*, *Infidelitas*, &c. Cur fideles fere nunquam se accusent de transgressione præceptorum Fidei, Spei, & Charitatis. 63. 1. Num Fidelibus liceat uti vestibus, & signis, quibus utuntur infideles ad se discernendum? Vel exercere operationes proprias infidelium vel ex metu gravi die festo exercere opera servilia, vesci carnibus die jejunii ad dissimulandam fidem. 67. 1. Num peccent ministrando carnes die vetito infidelibus, vel illis injungendo opera servilia die festo. 33. 3. V. *Matrimonium*.

Filius. Filii Hæreticorum, &c. multis pœnis afficiuntur. 68. 2. Parentibus quid debeant. 119. 1. Num teneatur filius egredi e Religione, ut illis subveniat. ibid. 2. Filii num possint vivere de bonis Patris impotentis solvere suis creditoribus. 206. 2.

Filius familias num possit, aut teneatur facere eleemosynas. 112. 2. Num possit contrahere. 126. 2. Num possit disponere de suis lucris ex opere mechanico. ibid. 2. Num testari. 136. 1. Num fidejubere. 166. 1. Quid possit patri, vel matri donare inter vivos. 133. 2. vel mortis causa. 134. 2. Si accipiat mutuum restituendum post mortem Patris, non tenetur restituere in foro externo. Num saltem in foro conscientiæ. 141. 2. Quando filii patri surripientes committant furtum mortale. 219. 2. & seq. Filius inobediens Parenti in duabus rebus diversis, committitne duplex peccatum etiam specie diversum. 312. 2. V. *Sepultura Ecclesiastica*. Quæ communicatio liceat cum patre excommunicato vitando filiis; quæ non liceat. 460. 1. Nomine filii num veniant etiam illegitimi, adoptivi, &c. 460. 1. Num possint communicare cum patre etiam in divinis, ibid. 2. Vel cum fratre vitando, ibid.

Finis legis alius est adæquatus, alius inadæquatus. 38. 2. Cessare autem potest vel respectu personæ particularis, vel totius communitatis: item vel negative, vel contrarie. ibid. An, & quomodo eo cessante cesset lex. ibid. 2. & seq.

Forenses dicuntur, qui alibi domicilium habentes in alieno oppido habitant. 34. 2. Quando, & quomodo legibus loci teneantur. V. *Peregrinus*.

Fornicatio. V. *Virginitas*. *Luxuria*. *Sponsus*, &c. Certum est, per alterius sponsi fornicationem liberari innocentem ab obligatione contracta per sponsalia. 425. 2. Nocens vero remanet obligatus, sive sponsus sit, sive sponsa. ibid. At quid, si uterque post sponsalia crimen hoc admisit. ibid. Si sponsalia fuerint publice celebrata, sed crimen alterius fuerit occultum, quomodo consulendum hujus famæ in sponsalium dissolutione. ibid. V. *Hæresis*.

Fratres minores de observantia nequeunt substitui hæredes, 137. 2. Neque eorum conventus. ibid. Semel in vita possunt Confessarium de ordine seligere, a quo absolvantur ab omnibus reservatis, & censuris, & dispensentur in irregularitate, excepta ex homicidio, vel mutilatione voluntaria: item in articulo mortis, & quidem toties quoties sunt in eo articulo, possunt ab eo absolvi ab omnibus omnino sine ullo onere. 354. 2. Nam etiam bis gaudeant novitii, & familiares conventus. ibid.

Fraus. V. *Dolus*.

Fructus, alii sunt naturales, alii industriales, alii mixti, 190. 2. V. *Possessor*.

Fructus beneficii. V. *Beneficium*. *Beneficatus*. *Residentia*. *Restitutio*. *Fugitivus* a Religione. V. *Apostata*.

Furiosus num possit contrahere. 126. 2. Num testari. 136. 1. Num illi ministranda Extrema Unctio. 292. 1. V. *Impedimentum publicæ honestatis*.

Furtum, *Furtulum*. Furtum est *Ablatio rei alienæ invito rationabiliter Domino*. 216. 2. Num teneatur furti pignoratarius, commodatarius, si utatur pignore, vel rem aliis commodet. ibid. Si auferas ad compensandum tuum creditum, non es fur. ibid. Qui domini consensus sufficiat, ut tu rem illi auferendo nequeas dici fur. ibid. 2. & seq. Si Dominus consentiat, rem esse tuam, & tu id ignorans auferas, num sis reus furti, 217. 1. Dividitur principaliter in furtum simpliciter dictum, & rapinam: rursus in furtum diurnum, & nocturnum; in manifestum, & non manifestum. Demum in qualificatum (quod pro diversis acceptationibus dicitur Peculatus, Abigeatus, Plagium, Raptus, Sacrilegium) & non qualificatum. ibid. Furtum sacrilegum tripliciter committitur. ibid. Quando ob id incurratur excommunicatio. ibid. Furtum simplex est *Occulta ablatio rei alienæ*: proindeque differt a rapina. ibid. 1. & 315. 1. 2. Furtum rei sacræ de sacro num sint duo sacrilegia. 314. 2. Furtum nunquam est licitum. 217. 2. In extrema autem necessitate surripere necessaria ad vitam non est furtum, modo Dominus non sit in pari necessitate, nec possint necessaria ad vitam ab alio peti. ibid. V. *Necessitas*. Furtum est ex genere suo mortale, nisi excuset materiæ parvitas. ibid. 2. Quæ materiæ quantitas requiratur ad furtum mortale exterius consummatum. ibid. Hæc quantitas, alia est notabilis absolute, alia respective. ibid. & seq. Num quantitas respectiva sufficiens ad furtum mortale consistat in indivisibili. 218. 1. Num sit mortale surripere rem minimam, puta acum sartori. ibid. Num quantitas aliqua ablata sufficiens ad furtum mortale, eo quod pertinebat ad unum Dominum, sit etiam satis, si pertineat ad plures. ibid. Quomodo quantitas notabilis in furto sacrilego sit determinanda. ibid. 2. Furtulum committens animo furandi inde rem notabilem peccat graviter. ibid. Summa notabilis ex his furtulis debet major statui. ibid. Præsertim, si pluribus Dominis fiat ablatio. ibid. Num peccet mortaliter, qui post multa furtula committat ultimum, quo completur summa notabilis. ibid. & seq. Num & quantum, sic peccans graviter, teneatur restituere. 219. 1. Num peccent graviter multi furantes singuli modicum eidem Domino. ibid. Quid de furtis domesticorum, puta famulorum, uxoris, filii, propinquorum, &c. ibid. 2. Quid de furtis Religiosorum. 220. 1. Furtum de rebus Monasterii, &c. in ea quantitate, quæ est peccatum mortale, reservabile est in ordinibus Religiosis. 375. 1.

Fur. V. *Restitutio*. *Possessor*. *Damnificator*. Si fur incidens in extremam necessitatem consumat rem, quid teneatur postea Domino compensare. 192. 2. Vel quid, si valor rei mala fide possessæ crescat, vel decrescat, cum fit restitutio. ibid. Num teneatur Domino restituere valorem rei pereuntis apud se, si eodem modo domino periisset. ibid. Num rem a se ablatam, si possit, teneatur a communi incendio eripere non solum ex charitate, sed etiam justitia. 193. 2. Si fur, ut taceas, donet tibi pecuniam, teneris-ne illam Domino restituere. 202. 2. Si tibi furi dixerit confessarius, ut rem debitam Titio des pauperibus, vel pro Missis, & ita facias, num proinde tenearis iterum dare pretium Titio. 216. 1. Num si quis rem injuste acceperit, & postea eam consumpserit in extrema necessitate, num, unquam, postea, si possit, teneatur eam restituere, 213. 1. Surripientes bona naufragantium Christianorum etiam in litoribus inventa excommunicantur in bulla cœnæ. 359. 2. Item piratæ cursarii, latrunculi, &c. discurrentes mare Pontificium, &c. ibid. Si fureris, vel detineas rem levem, non incurris excommunicationem, si forte lata sit in fures, vel detentores, 447. 1.

G

Gabellæ sunt *Exactiones publicæ Principi, vel Reipublicæ solvendæ ad onera communia sustinenda*. 170. 1. Varie appellantur. ibid. Quis possit eas imponere. ibid. Quæ sint gabellæ justæ, & quas conditiones debeant habere. ibid. Num sit peccatum fraudare gabellas justas. ibid. 2. Ad quid teneantur officiales pro exactione gabellarum, & de mercibus inductis cum fraude gabellæ. ibid. & seq. Qui sint immunes a Gabellis. ibid. 1. & 2. Impositæ venditioni solvine debeant ab emptoribus. 151. 2. Imponentes nova pedagia, seu gabellas, vel eas augentes, præterquam in casibus a jure permissis, vel ex speciali licentia Sedis Apostolicæ excommunicantur in bulla cœnæ. 359. 2. Item, qui personis Ecclesiasticis, &c. imponunt tallias, decimas, &c. 362. 1. V. *Ecclesia*. *Ecclesiastici*.

Generalis confessio. V. *Mendacium in confessione*. Qualiter se gerere debeant confessarii cum pœnitentibus repetentibus confessiones invalide antea factas. 326. 2. & seq.

Gladiator, omisso scandalo num licite communionem sumat. 273. 2.

Gradus Consanguinitatis. V. *Linea*.

Grassator publicus. V. *Bannitus*.

Ha-

H

Habitus. Habitus charitatis amittitur per quodcumque mortale. 70. a. Habitus Fidei num amittatur per solum peccatum hæresis. 68. 1. V. *Hæresis*.

Hæreditas. *Hæres*. Hæres, alius est ex testamento, alius ab intestato; alius universalis, seu ex asse, alius particularis; alius liber, alius necessarius. 136. a. Hæredes necessarii in defectu descendentium possunt esse ascendentes in linea recta. 137. 1. Num possit citra injustitiam plus relinqui uni, quam alteri. ibid. Quando hæredi necessario datur actio ad supplementum. ibid. Si exhæredetur, debet in testamento exprimi causa. ibid. V. *Exhæredatio*. Quinam possint institui hæredes. ibid. & a. Qui esse debeant hæredes ab intestato. ibid. 2. Ad quid teneatur hæres adeundo hæreditatem. ibid. Cui liceat, & quomodo, renunciare hæreditatem, & an causa renunciationis aliquando cesset. 138. 1. Si donatarius ingratus obierit, ejus hæredes nihil tenentur restituere. 133. 2. Num, si hæredes Titii debitoris Cajo inveniant in scriptis debitum jam solutum: contra hæredes Caji inveniant insolutum, num, inquam, debeas iterum solvi debitum. 211. 1. V. *Infamia*, *&c.* Si duo fide digni testentur, Testatorem reliquisse tibi hæreditatem, duo alii testentur oppositum, quid agere possis, vel debeas. 19. 1. Si debitor morte plectatur ob damnum illatum, ejus hæredes non excusantur a restitutione. 215. 2. V. *Homicidium*. Si Testator jussit, ut per 10. annos successive erogetur certa summa pauperibus, num possit hæres totam quantitatem simul primo anno erogare. 113. 1. V. *Pensio*. Num ultra dispensationem Episcopi indigeat Sacerdos consensu hæredis, ut celebret alibi a loco obligationis. 283. 2. Hæredes saltem ex charitate tenentur mortuo procurare absolutionem a censuris. 457. 1. Num excommunicatus vitandus valide instituatur hæres. 462. 2.

Hæresis est *Error cum pertinacia circa fidem in eo, qui eam suscepit*. 67. a. In quo consistat hic error cum pertinacia circa fidem, & in quo differat ab apostasia. ibid. Num dubium in fide sit hæresis. 68. 1. Quid de errore orto ex ignorantia culpabili circa aliquem fidei articulum. ibid. Num per solum peccatum hæresis amittatur habitus fidei. ibid. Num amittatur fides per ignorantiam, etsi crassam, supinam, & affectatam. Vel per hæresim materialem. ibid. V. *Divortium*. Num errores, & dubia in fide sint ejusdem speciei. Num etiam dubium de fide, & hæresis. 314. 1. Quando incurratur excommunicatio reservata in Diœcesi Neapolitana contra adeuntes cœtus hæreticorum &c. 368. 1. Quando excommunicatio bullæ cœnæ contra hæreticos, & eis credentes, &c. 357. 1. Quinam sint hæreticis credentes. ibid. Qui hæreticorum receptatores, fautores, & defensores. ibid. V. *Liber*. Excommunicantur pariter in cœna Domini deferentes arma, vel quid simile ad hæreticos, per apostolicam sedem expresse declaratus, &c. 360. 1. Si alteruter ex sponsis incidat in hæresim, innocens potest a sponsalibus resilire. 425. 2. V. *Hæreticus*.

Hæreticus. V. *Hæresis*. Quæ communicatio cum hæreticis sit catholicis prohibita. 68. 1. Quæ sit potestas Ecclesiæ, & quæ pœnæ in illos. ibid. Hæretici num sint denunciandi. V. *Denunciatio*. Hæreticus num teneatur ad Missam audiendam. 103. 1. Num possit institui hæres. 137. 2. Num dominium retineat suarum rerum. 181. 2. Hæreticus contrahens matrimonium cum catholicis. V. *Disparitas cultus*. *Matrimonium*. Hæreticum denunciatum sepelientes excommunic. incurrunt, a qua nequeunt absolvi, nisi illum extumulent propriis manibus, ac projiciant. 466. 2. Num Parochus ad redimendam vexationem possit permittere, ut hæreticus ab aliis hæreticis in loco sacro sepeliatur. 467. 1. Num peccent comitantes ejus funus. ibid. Delicto hæresis etiam occultæ adnectitur irregularitas, & excommunicatio. 486. a. Irregularitas extenditur etiam ad apostatas, & ad fautores, receptatores, & defensores hæreticorum. ibid. Num etiam ad schismaticos. ibid. Qui possit in hac irregularitate dispensare. 487. 1. Irrita sunt matrimonia clandestina etiam hæreticorum, ubi Trid. decretum est publicatum. 402. a.

Hermaphroditus magis ejus generis censetur, quod in eo prævalet. 41. a. Num valide ordinetur. 300. 1. Estne irregularis ex defectu corporis; & num possit in hac irregularitate Pontifex dispensare. 492. 2. Qui æque est particeps utriusque sexus, licet sit incapax professionis Religiosæ, probabiliter tamen non est incapax characteris. ibid. Num, & quando reputetur impotens ad contrahendum matrimonium. 401. 2. Duo hermaphroditi invalide contrahunt secundum usum promiscuum utriusque sexus. ibid.

Histrio. V. *Cooperatio*.

Homicidium. Homicida est *Qui hominem, aut animatum hominis fœtum injuste interficit*. 233. 1. Absque divina auctoritate illicitum est se ipsum directe, & positive occidere, ac mutilare: at non semper illicitum est, si indirecte, ac negative. ibid. 1. & 2. Num sit injustus Homicida, qui occidit injustum aggressorem suæ vitæ, vel rei magni momenti, vel honoris &c. idque fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. ibid. 2. & seq. Num incurrat irregularitatem. 483. 1. V. *Bannitus*. Quid notandum sit circa defensionem bonorum fortunæ ab injusto aggressore. 234. 2. Vel circa defensionem honoris. ibid. Vel circa eum, qui provocatus in rixa, aut in duello occidit, vel mutilat provocantem. ibid. a. V. *Duellum*. Num tam provocans, quam provocatus, sive fuit, sive non fuit in rixa, teneantur ad restitutionem damni secuti. ibid. Num in casibus, in quibus habes jus occidendi injustum aggressorem, possit alius id pro te præstare. 235. 1. Num dicendus sit homicida injustus, qui directe innocentem vel mutilet, vel occidat. ibid. Quidve, si indirecte tantum. ibid. 2. Vel qui auctoritate privata occidit, aut mutilat volentem. 236. 1. Uterque tamen certo peccat mortaliter. ibid. Quas circumstantias injustus homicida, aut mutilator aperire debeat in confessione. ibid. Homicida, vel mutilator duplex infert possunt damnum. ibid. Non tenentur quidquam restituere pro damno naturali illatu, modo occisus non sit servus. ibid. a. Bene vero pro temporali. ibid. V. *Servitus*. Cui restituendum hoc damnum temporale. ibid. & seq. Num, si occisus omnia remiserit occisori, teneatur is adhuc restituere hæredibus necessariis. 237. 1. Qui occidens præterea discerpat cadaver, evellat cor, præsertim si faciat adhuc spiranti, est reus malitiæ specie distinctæ. 315. 1. Item velle occidere, & graviter vulnerare specie differunt. ibid. Num Titius incurrat excommunic. latam contra Homicidas, si lethaliter vulnerato Cajo doleat, confiteatur, & absolvatur ante illius mortem. 449. 1. Occisio, vel vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ est inter casus Clement. VIII. reservabiles in Ordinibus religiosis. 375. 1. Homicidia vero, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, cœmeteriis, aut sacristiis, aut publicis oratoriis patrantes incurrunt excommunic. reservatam in Diœc. Neapol. 371. 1. Item incurritur excommunic. Bullæ Cœnæ ab interficientibus, mutilantibus, &c. Romipetas, &c. 360. 2. Item alia excommunic. ab interficientibus, mutilantibus &c. S. R. E. Cardinales, Episcopos, &c. ibid. Item alia excommunicatio ab occidentibus, &c. vel spoliantibus eos, qui pro suis negotiis sunt, vel recurrunt ad Romanam curiam. 361. 1. Quæ sit irregularitas orta ex delicto homicidii voluntarii injusti. 481. 2. Quando homicidium dicatur voluntarium. ibid. Extenditur hæc irregularitas etiam ad mandantes. ibid. V. *Mandans*. Ad consulentes. 482. 1. V. *Consulens*. Ad cooperantes. ibid. V. *Cooperans*. Ad non impedientes. ibid. 2. Num etiam ad ratihabentes. ibid. V. *Ratihabitio*. Quis dispensare possit in hac irregularitate. ibid. Quodnam est homicidium casuale simpliciter; quod casuale secundum quid. ibid. Ex hoc num incurratur etiam irregularitas, si sequatur in operatione licita. ibid. Num, si illicita, sive alterius materiæ, sive ratione periculi ipsiusmet homicidii. 483. 2. Num demum, si in omissione. 484. 2. In hoc etiam homicidio quinam possit dispensare. ibid. 2. Quæ sit irregularitas ex delicto homicidii dubii; quod dupliciter potest esse tale. 485. 1. Si plures absque conspiratione, &c. vulnerarunt Titium, in quo mortuo unum tantum appareat vulnus, & ignoretur, a quo sit inflictum, quis censendus irregularis. ibid. Quid in multiplici alio dubio ejusmodi. ibid. 1. & 2. V. *Dubium*. *Abortus*.

Honor est *Externa testificatio nostræ existimationis de excellentia alicujus*. 227. 2. Violatur a contumelia. ibid. V. *Contumelia*. Dupliciter impeti potest. 234. 2. V. *Homicida*.

Hora Canonica sunt *Certa oratio publice laudandi Deum, & petendi mente simul, & voce, auctoritate Ecclesiastica instituta*. 73. 1. Quinam ad eas teneantur, qui non. ibid. Qui excusentur. ibid. a. Excusat dispensatio. 74. 1. A quo, & in quos hæc concedi possit. ibid. Quæ infirmitas excuset. 73. 2. Quod impedimentum. 74. 1. Excusatus a toto minus excusatur a parte. ibid. & 37. 2. Officium nequit recitari per alium. 74. 1. Quod officium sit recitandum, & num sub gravi de die, qua oratur, ritu, qui præscribitur, & latinane, an alia lingua. ibid. 2. Quid de officio recitando in festis

ad libitum. ibid. Num in die defunctorum recitandum sub gravi sit eorum officium. ibid. Quomodo recitandum. 75. 1. Num audiri debeas a te ipso, & a socio vicissim. ibid. Quid debeas recitare socius, quid tu, ut satisfaciaris. ibid. Num satisfacias, si assistas horæ a Musicis decantatæ. ibid. Aut si alternes, priusquam socius absolverit. ibid. Aut si dividas, interrumpas, ordinem notabiliter invertas. ibid. 2. Quandonam recitandum. ibid. Qui sint in hoc privilegiati. ibid. Quo loco, & situ. 76. 2. Qua intentione. V. *Intentio*. Qua attentione, & num pingendo, & scribendo, &c. V. *Attentio*. Num recitans in choro tenearis omnibus applicare fructum officii. 76. 1. In choro, vel alibi non servare rubricas, an, & quod peccatum sit. 76. 2. Qualiter peccent, non recitantes, & quæ sit hic parvitas materiæ. ibid. Quæ pœnæ non recitantium. ibid. Si culpabiliter non recites volens restituere, peccas contra præceptum Ecclesiæ. 77. 1. Quæ facultates, & indulgentiæ concessæ sint, & quibus recitantibus. ibid. V. *Beneficiatus*. Num Horis canonicis interesse vetentur non solum excommunicati vitandi, sed etiam tolerati. 466. 1. Quid ergo agendum ab aliis, si hi intersint. ibid. Teneturne Excommunicatus privatim recitare horas, si antea tenebatur. ibid. Num debeat commutare ly *Dominus Vobiscum* in *Domine exaudi*, &c. ibid. Num possit adhibere socium. ibid.

Horologium. Ad dignoscendum e. g. quando transiit media nox, quo horologio uti debeas, si alicubi sint plura. 30. 2. Duo horologia recta num faciant duas opiniones probabiles. 19. 1. V. *Jejunium naturale*.

Horoscopus. Num licite adhibere possimus horoscopum, seu figuram nativitatis. 80. 1.

Hospitalarius. Etsi peccet officium acceptando tempore excomm. valide tamen instituitur. 464. 2.

Hostia. V. *Sacrificium*. Hostiæ rubræ num possint esse materia consecrationis. 265. 2. Quid agendum, si in distribuenda Eucharistia Sacra Hostia decidat. 270. 2. Quid de fragmentis hostiarum, quæ forte reperiuntur &c. ibid. Est figuræ orbicularis in Ecclesia latina, quadratæ in græca, & in particulis triangularis. 266. 1. Num liceat celebrare cum hostia fracta, maculata, non integra, vel in hostia minore, quæ datur laicis. ibid. Num liceat parvam sumere, & majorem relinquere ad exponendum in hierotheca v. g. vel a se consecratam reponere in ciborio, & ab alio consecratam sumere. ibid. Num error Sacerdotis consecrantis circa numerum hostiarum a se consecrandarum obsit validæ consecrationi omnium. 267. 2. Num censendæ sint consecratæ particulæ positæ in ciborio, seu pyxide, in altari, ut consecrentur a celebrante, si hic tempore consecrationis ad eas nullimode se reflectat, vel cogitet. 268. 1. Num invalide consecrares, qui ex multis hostiis, unam, aut plures intenderet consecrare, eas non determinando: & alia id genus. 267. 2. V. *Eucharistia Sacramentum*.

Hypotheca est *Contractus, quo res obligatur creditori in securitatem crediti*. 165. 1. Alia est expressa, alia tacita. ibid. Hæc in quibus bonis inveniatur ex dispositione juris. ibid.

I

J*Actantia*. Ad quam peccati speciem pertineat jactantia de peccato præterito. 313. 1. Quomodo in confessione aperienda. ibid.

Idololatria est, cum *Cultus Deo dumtaxat debitus creaturæ tribuitur*. 78. 1. Dividitur in internam, & externam. Hæc, vel est tantum materialis, vel formalis, quæ subdividitur in perfectam, imperfectam, & simulatam. ibid. Quæ ex his subjaceat pœnis in jure statutis, vel aliis arbitrariis. ibid. Perfecta est casus reservatus Bull. Cœn. Imperfecta estne casus hujus Diœcesis Neap. ibid. Num sit species idololatriæ cultum hic divinum, alibi mere civilem, ibi creaturæ exhibere. ibid. Vel credere iis, quæ dicuntur a Dæmone loquente in obsesso. ibid. Quomodo vocetur cultus Duliæ, seu Hyperduliæ creaturæ non Sanctæ exhibitus. ibid.

Jejunium Ecclesiasticum est *Abstinentia a cibis paschalibus, & unica comestio a media ad mediam noctem sequentem*. 104. 2. Vetatur esus illarum carnium, quæ a piscibus sunt contradistinctæ. ibid. Num vetentur etiam testudines, ranæ, limaces, viperæ. ibid. Num quælibet pars animalium. ibid. Num die Jejunii liceat vesci lacticiniis. 105. 1. Dispensatus sive ad lacticinia, sive ad carnes adhuc tenetur ad jejunium. ibid. Num prohibeatur die jejunii potus: & quid proprie pertineat ad cibum, quid ad potum. ibid. Quid de uva, peponibus, cocholata, & de vulgo *Sorbetta*. ibid. Unica comestio certe præcipitur die jejunii. ibid. 2. Frangitur ab eo, qui sæpius etsi modicum quid comedit. ibid. Si quis die jejunii tertio, quarto, &c. comedat, & præsertim carnes, quoties peccat. ibid. Qua hora sis facienda unica comestio, & quantum temporis medians tollat illius unitatem. ibid. Refectiuncula quæ esse debeat. ibid. Quæ ciborum qualitas, & quantitas in ea permittatur, & quo tempore sumi possis. ibid. & seq. Num pro jentaculo sumi possit panis coctus, fabæ, amygdala, &c. quorum quantitas debita habeatur ante coctionem. 106. 1. Obligatio jejunandi unde sit. ibid. Ab ea excusant ætas, labor, infirmitas, paupertas. ibid. Quæ ætas excuset, ibid. Qui labor. ibid. Quæ infirmitas. ibid. 2. Quæ paupertas. ibid. Num satisfacias, qui jejunare obligatus certa die, dormierit, vel ea cibis invitus privatus fuerit. 28. 2. Discessurus e sua civitate, ubi est jejunium municipale, num possis mane jentaculum sumere. 36. 1. Quid, si discedat ad vitandam jejunii obligationem. ibid. Num possit quis uno jejunio satisfacere pluribus obligationibus. 29. 1. & 2. Quoties peccet transgrediens jejunium, ad quod ex pluribus capitibus tenebatur. 107. 1. Vel qui initio quadragesimæ proponit non jejunare. 106. 2. Num, & qualiter pecces alium inducens ad frangendum jejunium. 107. 1. V. *Caupo*. Jejunare die Dominico num liceat. 77. 2. Num possis die jejunii vesci carnibus ad dissimulandam fidem. 67. 1. Qui non potest totum jejunium una die servare, num teneatur ad partem, quam potest. 37. 2. Quid de jejunio quadragesimali. ibid. Vel de jejunio in pane, & aqua. 38. 1.

Jejunium naturale ante communionem in quo consistat, & per quid violetur. 104. 2. & 273. 2. Ita graviter obligat, ut non admittat materiæ parvitatem. ibid. Triplici ex capite frangi potest; vel quia id, quod sumitur, habet rationem cibi, & potus; vel quia sumitur per modum potationis, & comestionis; vel quia sumitur ab extrinseco. ibid. Plurima recensentur, quæ illud frangunt, plurima, quæ non. ibid. 2. & seq. Post sumptam Eucharistiam, licet non sit præceptum, est tamen conveniens jejunium servare, quousque species absumantur. 274. 2. Quando hæ credantur absumptæ. ibid. Quibus casibus liceat Eucharistiam sumere non jejuno. ibid. V. *Dubium*. Relate ad tale jejunium quomodo computanda media nox, & quo horologio sis utendum, si alicubi plura sint. 275. 1.

Ignorantia est *Scientiæ alicujus objecti carentia in subjecto capaci*. 8. 2. Alia est juris, alia facti, alia pœnæ: item alia invincibilis, alia vincibilis: & utraque hæc potest esse vel causans, vel concomitans actum, ibid. & seq. invincibilis variæ appellatur. Variæ etiam vincibilis, quæ subdividitur in affectatam, crassam, & supinam. 8. 2. & seq. Ignorantia vincibilis transgressorem legis non excusat a peccato. 9. 1. Num saltem a pœna. ibid. 2. Quid, si ignorantia sit generico tantum nomine vincibilis, itaut non pertingat ad crassam. ibid. 1. Quæ diligentia adhibenda sit pro tollenda ignorantia vincibili, & num hæc aliquando evadat invincibilis. ibid. Invincibilis transgressorem legis excusat a culpa, & pœna. ibid. 2. Malitia actus excusatur partialiter, si pars tantum invincibiliter sit ignorata. 10. 1. Num actus positus ex ignorantia invincibili unius pœnæ excuset a tali pœna. ibid. An sciens, actum externum esse peccatum, invincibiliter tamen ignorans actum internum esse talem, excusetur a peccato interno. ibid. 2. An, quæ dicuntur de ignorantia invincibili, procedant etiam de actuali inadvertentia, seu oblivione. ibid. V. *Conscientia*. Votum factum ex ignorantia. V. *Votum*. Damnificans ex ignorantia. V. *Damnificans*. Num incurrat reservationem, qui committit casum reservatum ignorans reservationem: & quid, si sciat peccato esse adnexam excommunicationem, cujus reservationem ignores. 349. 1. & 10. 2. & 454. 1. Num ignorantia invincibilis excuset a censuris. 453. 2. & seq. Quid, si sit invincibilis. 454. 1. Num talis ignorantia excuset, quando censura fertur his e. g. verbis, vel similibus: *Qui scienter, ausu temerario, contumaciter id fecerit, &c.* 454. 1. Sitne possibilis ignorantia graviter inculpabilis, quæ non pertingat ad esse crassam, & supinam, proindeque excuset a censuris incurrendis. ibid. Num ignorantia excuset ab incurrenda irregularitate. ibid. & 488. 1. Num, & quæ ignorantia excuset a communicando cum excommunicato vitando, 10. 2. & 461. 1. Ignorans legem Ecclesiasticam, si eam transgrediatur, num incurrat irregularitatem illi transgressioni adnexam. 481. 2. Quid, si sciat legem, sed nesciat eam imponere irregularitatem transgressoribus. ibid. Qui ignorantes suscipiunt baptismum ab hæreticis declaratis, irregularitatem ex delicto non incurrunt. 487. 1. Num hanc incurrant, si ignoranter faciant se rebaptizari.

zari. ibid. Vel illi, qui ignoranter rebaptizant. ibid. Sponsalia contracta per ignorantiam. V. *Sponsalia*. Matrimonium factum cum impedimento dirimente, etsi invincibiliter ignorato, irritum est. 385. 2. Ignorantia quando affert irregularitatem in ordinando. 493. 2. & seq. Quænam scientia ex Trid. requiratur ad Ordines. 494. 1.

Illegitimus. Illegitimi qui sint. 137. 1. & 491. 1. Si illegitimo concedatur privilegium ad ordines, vel beneficium, intelligendum de ordinibus tantum minoribus, & de beneficio simplici. 54. 2. Filii illegitimi, si sint naturales, sunt solum hæredes necessarii ex testamento matris, non vero patris, nisi fuerint antea legitimati. 137. 1. V. *Spurius*. *Filius*. *Expositus*. Quando contrahitur irregularitas ex defectu natalium, seu legitimitatis. 491. 1. Num si contrahatur etiam in dubio, sit necne aliquis illegitimus. ibid. 2. Natus ex conjugata, quæ sæpe, vel saltem aliquando admisit adulteros, censendusne sit legitimus, an illegitimus, & quæ ad id dignoscendum sint indicia. ibid. V *Meretrix*. Illegitimitas, & hinc orta irregularitas quadruplici via tolli potest. ibid. V. *Legitimatio*.

Imago. Imagines Sanctorum, Angelorum, B. V. imo & ipsius Dei sunt certo adorandæ. 71. 2. Qua adoratione. ibid. V. *Adoratio*. Quid de imaginibus beatorum, vel eorum, qui nondum sunt ab Ecclesia beatificati. ibid.

Immunitas Ecclesiastica quid sit. 362. 2. Immunitate gaudet quævis Ecclesia auctoritate Episcopi stabiliter fundata. ibid. Quid de oratoriis, locis piis, hospitalibus, palatio Episcopi, & partibus ipsius Ecclesiæ. ibid. Qualiter peccet, & puniatur impediens fugientem ad talia loca, vel violenter eum ab Ecclesia abstrahens. ibid. Quando proprie quis dicitur extrahi ab Ecclesia. ibid. V. *Judex*. *Clericus*. Adhuc tamen plures delinquentes possunt ea jure extrahi ab Ecclesia. 363. 1. Quinam autem isti sint. ibid. V. *Concordata*. Est etiam casus reservatus in Diœces. Neapol. cum excommunicatione contra trahentes Clericos ad forum sæculare etiam consentiente reo, &c. 371. 2. V. *Appellatio*. Lædentes, qui veniunt ad Sedem Apostolicam, vel quovis modo vexantes, qui in Urbe commorantur, &c. excommunicantur in bulla cœnæ. 360. 2. Item, qui impediunt, vel invadunt deferentes ad Curiam Romanam victualia, &c. ibid. 1.

Impedimentum legi apponibile, aliud est proximum, aliud remotum. 30. 2. Num teneamur hujusmodi impedimenta vitare ad legis observantiam. 30. 1. V. *Lex*.

Impedimentum matrimonii est *Circumstantia quædam, cum qua matrimonium, vel non valet, vel non licet*. 384. 1. Alia sunt impedimenta dirimentia matrimonium, alia illud tantum impedientia. ibid. Circa matrimonia infidelium quivis Princeps sæcularis, sive fidelis, sive infidelis potest ea statuere. ibid. Circa matrimonia fidelium potest Ecclesia impedimenta statuere. ibid. 2. Hodie tamen talis potestas est Papæ reservata, ac Conc. Generali. Episcopus autem potest tantum novas pœnas addere. ibid. Principes sæculares nihil possunt circa matrimonia fidelium, etsi subditorum. ibid. V. *Magistratus*. *Consuetudo*. Quænam impedimenta, sive juris divini, ac naturalis, sive Ecclesiastici impediant, vel dirimant matrimonia etiam hæreticorum, & infidelium. 385. 1. Num irritum sit matrimonium, quod quis gravi metu compulsus contrahit cum aliquo impedimento dirimente etiam juris ecclesiastici. ibid. 2. Vel quod contrahit cum impedimento dirimente, etsi invincibiliter ignorato. ibid. V. *Probabilitas*. *Ignorantia*. *Error*, *&c.* Præter defectum consensus, qui generaliter dirimit omnes contractus, 14. sunt impedimenta dirimentia matrimonium 5. versibus comprehensa. 386. 2. Horum 4. sunt de jure naturæ: reliqua de jure ecclesiastico, & quidem duo addita sunt a Trident. ibid. Impedimentum dirimens superveniens sponsalibus. V. *Sponsalia*.

Impedimentum erroris. V. *Error*.

Impedimentum conditionis. Nomine conditionis venit hic servitus strictissime accepta, quæ autem hæc sit. 388. 1. Estne impedimentum juris naturalis, an mere ecclesiastici. ibid. Quando conditio servilis dirimat matrimonium. ibid. Num dirimat, si persona libera ducat servam ignorans ejus servitutem. ibid. Num, etiamsi talis ignorantia sit crassa, & imprudens. ibid. Vel, etiamsi servo promissa sit libertas intra breve tempus. ibid. Vel, etiamsi tempore contractus concessa sit servo libertas ad tempus. ibid. Num liceat servo resilire a matrimonio contracto cum libera ejus servitutem ignorante. ibid. 2. Cui incumbat onus probandi, servitutem esse, vel non esse ignoratam. ibid. Conditio servilis non dirimit, si liber, dum contrahit, sciat conditionem alterius servilem. ibid. Imo, etiamsi habeat dubium, vel opinionem de servitute alterius. ibid. Vel ignorantiam affectatam. ibid. Vel putet, se contrahere cum serva, quæ revera est libera. ibid. Vel, si habeat actualem affectum eam ducendi, etiamsi sit serva. ibid. Neque dirimit matrimonium servitus ignorata, si dominus servum, vel servam suam tradat in matrimonium personæ liberæ non detecta ejus servitute. ibid. Idque verum est, etiamsi dominus sciens, suam servam cum libero nubere, dissimulanter se gerat, & non sine dolo servitutem occultet. ibid. Vel, etiamsi tradat servam libero servitutis conscio, & simul conficiat servæ instrumentum dotis. ibid. Vel si ipse dominus, vel domina servæ, vel servo nupserit. ibid. Validum demum est matrimonium, si servus ducat servam, sive sciat, sive nesciat ejus servitutem, etsi putet esse liberam, vel contra. 389. 1. Vel, etiamsi contradicant ejus domini. ibid. Num his contradicentibus contrahat etiam licite. ibid.

Impedimentum voti. V. *Votum*.

Impedimentum cognationis. V. *Cognatio*.

Impedimentum criminis. V. *Crimen*.

Impedimentum disparitatis cultus. V. *Disparitas cultus*.

Impedimentum vis, *&* *metus*. V. *Vis*. *Metus*.

Impedimentum ordinis. V. *Ordo*.

Impedimentum ligaminis. V. *Ligamen*.

Impedimentum publicæ honestatis est ecclesiasticum. Quid autem sit. 397. 2. Oritur hodie primo ex sponsalibus validis, nec excedit primum gradum, & quidem solius consanguinitatis. 398. 1. Est tamen exceptio. ibid. 2. Debent sponsalia esse valida, nec refert, quod sint occulta, vel fiant ab impuberibus post septennium. ibid. 1. Sponsalia, si sint irrita ex defectu consensus omnino occulto, vel ex voto etiam occulto &c. num inducant publicam honestatem. ibid. Quid, si sint conditionata sub conditione nondum adimpleta? Vel sponsi sint impuberes ante septennium, vel se obligarint tantum sub levi &c. ibid. Oritur etiam hoc impedimentum ex matrimonio rato, etiam invalido, modo tale non sit ex defectu interni consensus, & extenditur usque ad quartum gradum consanguinitatis. ibid. 1. & 2. Tale impedimentum in multis casibus non oritur propter defectum consensus: puta, si contrahatur a furiosis, pueris, amentibus, ebriis, vel per errorem personæ, vel cum persona indeterminata, vel ex metu gravi injuste incusso, vel demum sub conditione de futuro non adimpleta. ibid. Num oriatur ex matrimonio clandestino. ibid. 2.

Impedimentum affinitatis. V. *Affinitas*.

Impedimentum impotentiæ. V. *Impotentia*.

Impedimentum clandestinitatis. V. *Clandestinitas*.

Impedimentum raptus. V. *Raptus*.

Impedimenta impedientia tantum matrimonium hodie redacta sunt ad quinque unico versu comprehensa. 406. 2. Primum oritur ex tempore sacro, secundum ex tempore vetito. V. *Tempus*. Tertium oritur ex sponsalibus. V. *Sponsalia*. Quartum ex voto. V. *Votum*. Quintum ex proclamationibus neglectis. V. *Proclamationes*.

Imperator potest ferre leges. 22. 1. Num sit exemptus a censuris incurrendis. 446. 2.

Imperfectio. Imperfectiones morales num sint materia Sacramenti pœnitentiæ. 323. 2. Num saltem licitum, & laudabile sit eas confiteri. 324. 1.

Impotentia, quæ est matrimonii impedimentum dirimens, est *Physica inhabilitas ad consummandam copulam*. 400. 1. Hujusmodi impotentia, alia est ex defectu ætatis. ibid. & 2. V. *Ætas*. *Impubes*. Alia est impotentia perpetua: quæ autem hæc sit, & cur dicatur perpetua. ibid. Oritur hæc ex quadruplici vitio, vel scilicet ex maleficio, vel ex frigiditate, vel ex improportione, vel ex commixtione duplicis sexus. ibid. & seq. V. *Hermaphroditus*. Impotentia dubia ad contrahendum matrimonium talis potest esse dupliciter. 401. 2. Qualiter peccet contrahens matrimonium dubitans de sua perpetua impotentia. ibid. Quid, si dubium superveniat matrimonio jam contracto. ibid. Signa autem impotentiæ perpetuæ in triplici sunt genere. ibid. & seq. Num prius matrimonium ob impotentiam a Judice Ecclesiastico dissolutum debeat aliquando restaurari. 402. 1.

Impotentia moralis quæ sit. 37. 2. & 455. 1. Num excuset ab observantia omnium omnino legum. 37. 2. Num impotens implere totum præceptum teneatur implere partem, quam potest. ibid. & seq. & 308. 2. Quæ sit impotentia moralis, ob quam licet confessio tantum formaliter integra. 328. 2. Num adsit hæc impotentia, si pœnitens non possit aliter confiteri, nisi nominando complicem: Vel si ex confessione timeat grave damnum spiritua-

rituale, vel temporale sibi, suis, vel Confessario. ibid. Vel sit mutus. 329. 1. Vel surdus. ibid. Vel cæcus a nativitate. ibid. Vel puer rudis, vulgo *Locco*. ibid. V. *Confessio*. Num impotentia moralis ad solvendum, restituendum, manifestandum, revelandum, &c. excuset a censuris latis in non solventes, restituentes, &c. 455. 1. 2. V. *Restitutio* circa finem.

Impotentia physica confitendi materialiter integre est in periculo mortis: puta naufragio, terræmotu, &c. 329. 1. In hac sufficit confessio tantum formaliter integra. ibid. Num tunc sit obligatio confessionis publicæ. ibid. 2. Quid de tempore pestis. ibid. 1. V. *Pestis*. *Moribundus*. Impotentia physica excusat a censura. 454. 2.

Impotentia solvendi debita alia est physica, alia moralis. 211. 1. Ad quid teneatur, qui simpliciter nequit restituere. ibid. Num impotens restituere in uno bonorum genere, puta in fama, teneatur in alio, puta in pecunia. ibid. Quando possit licite differri solutio. ibid. 2. Num debitor teneatur restituere in bonis fortunæ cum detrimento suæ famæ. ibid. V. *Fama*. *Testis*. *Notarius*. Num, qui non potest nunc commode restituere, possit differre, etsi prævideat, postea fore simpliciter impotentem. ibid.

Impotentia reddendi debitum. V. *Copula*. *Debitum conjugale*.

Imprecatio quid sit. 84. 1. In creaturas sitne tantum veniale. ibid. Quid, si homini impreces malum. ibid.

Impubes quis sit. 400. 1. Num possit contrahere. 126. Num testari. 137. 1. V. *impedimentum publicæ honestatis*. *Sepultura Ecclesiastica*. Impubes sitne incapax censuræ. 444. 2. Num ab impubere exposcendum juramentum in articulo mortis, si absolvatur a reservatis, censuris, &c. 347. 1. Sponsalia impuberum, num, & quando dissolvi possint, mutuo consensu. 420. 1. 423. 1. Num graviter peccet, qui ante pubertatem contrahit matrimonium. 400. 2. Ab impubere valide & licite ineuntur sponsalia post septennium. 420. 1. Matrimonium impuberis, licet non valeat ut matrimonium, valet tamen ut sponsalia, quæ usque ad pubertatem suspenduntur quoad executionem. ibid.

Inadvertentia. V. *Ignorantia*.

Incestus. *Incestuosus*. In incestu sitne explicanda in confessione circumstantia personæ in primo gradu lineæ rectæ. 312. 2. Quando ob hoc crimen incurritur excommunicatio reservata in Diœces. Neapol. 371. 1. Conjux committens incestum, quando privatur jure petendi debitum. 438. 1. Num declinet hanc pœnam, eo quod illum commiserit ex gravi metu, ex ignorantia, &c. ibid. Num tamen teneatur semper alteri conjugi innocenti reddere. ibid. Quid, si uterque seorsim incestum comm[i]serit. ibid.

Indissolubilitas matrimonii. Matrimonium consummatum fidelium est omnino indissolubile. 433. 1. Quando proprie intelligatur consummatum. ibid. Morte tantum dissolvitur. ibid. Si unus conjugum altero invito profiteatur in Religione, professio est nulla. ibid. 2. Num redire debeat ad reddendum debitum, & post ejus mortem iterum regredi in Religionem. ibid. Si unus conjugum commisit adulterium post consummatum matrimonium, nequit alter propria auctoritate eo invito licite profiteri in aliqua religione, vel sacris initiari: utrumque autem valide faceret. ibid. V. *Divortium*. Si velint mutuo consensu mutare statum, vie ut ascendat ad Sacros Ordines, vel profiteatur in aliqua religione, debeatne prius expectare e. g. uxoris professionem, an vero sufficiat, si hæc votum in sæculo emittat castitatis perpetuæ. 433. 2. Matrimonium ratum inter fideles nequit dissolvi per mutuum consensum, neque per supervenientem impotentiam perpetuam, neque per susceptionem ordinis Sacri. 434. 1. De fide tamen est, posse dissolvi per professionem religiosam, quam alter conjux emitteret etiam altero inscio, vel invito, etiamsi ante matrimonium habuerit copulam. ibid. Quid dicendum de bimestri concesso conjugibus ad deliberandum de Religionis ingressu. ibid. Potestne tale matrimonium dissolvi per Pontificis dispensationem. ibid. V. *Religiosi Societatis Jesu*. Matrimonium legitimum infidelium num sit jure naturæ indissolubile. ibid. Nequit dissolvi, neque per mutuum consensum, neque a Principe sæculari, neque ab Ecclesia. ibid. V. *Pontifex*. In tribus autem casibus tale matrimonium dissolvi potest. ibid. Num in hujusmodi casibus statim dissolvatur matrimonium per ipsum baptismum Conversi. ibid. 2. & seq. Vel in his casibus dissolvatur matrimonium etiam per susceptionem Sacri Ordinis, vel per professionem religiosam conjugis conversi. 435. 1.

Inducens ad malum. V. *Scandalum*. *Cooperatio*. Si mulierem induxeris ad fornicandum, num debeas hanc inductionem exprimere in confessione. 116. 2. & 313. 1. inducens ad furandum. V. *Juramentum*.

Indulgentia definitur *Remissio extra Sacramentum pœnæ temporalis Deo debitæ per applicationem satisfactionis Christi, & Sanctorum*. 333. 1. Dividitur in partialem, & totalem, quæ & aliter appellatur. ibid. 2. Item in personalem, localem, & realem, in perpetuam, & temporalem. ibid. Quæ sit indulgentia certa. ibid. Indulgentiis frui potest etiam eas concedens: large sunt interpretandæ; nec expirant morte concedentis. ibid. An, si pluries Ecclesia visitetur, poterit pluries acquiri indulgentia plenaria tali Ecclesiæ concessa. ibid. Quis possit indulgentias concedere, præsertim pro defunctis. ibid. Num validæ sint indulgentiæ collatæ sine legitima causa, aut sine injunctione alicujus operis ad earum assecutionem. ibid. Justa autem causa, ac legitima quæ sit. 334. 1. Qui sint indulgentiarum effectus. ibid. Quid requiratur, ut defunctis applicatæ prosint, & num iis semper prosint infallibiliter. ibid. Sex dispositiones necessario prærequiruntur in lucraturo indulgentias. ibid. 2. Num, & quando requiratur, ut sit in gratia. ibid. Num lucretur indulgentiam ponens opera injuncta principalius ob alium finem, vel Ecclesiam visitans præcise ob curiositatem. ibid. Num præmitti debeat confessio, vel contritio, & quam pœnæ remissionem impediat veniale. ibid. Num indulgentiæ reviviscant. ibid. Assecutus indulgentiam plenariam num teneatur ad pœnitentiam Sacramentalem. 332. 2. Indulgentiæ concessæ officium recitantibus. V. *Horæ Canonicæ*. *Jubilæum Anni Sancti*.

Infamia. *Infamis*: Infamia est *Defectus bonæ famæ*. 490. 2. Alia est juris, alia facti. ibid. Infamia juris ex 4. capitibus oriri potest juxta legum dispositionem. ibid. Alii sunt infames ex delicto alieno, & proinde irregulares. ibid. Alii infames, proindeque etiam irregulares, ex delicto proprio. ibid. Alii infames, atque adeo irregulares ex pœna inflicta. 491. 1. Alii demum infames, & irregulares ex officio vili. ibid. Sunt autem infames infamia facti quicumque perseverant notorie in aliquo peccato mortali: quatuor tamen requiruntur, ut incurratur isthæc infamia, & per consequens irregularitas hinc orta. ibid. Irregularitas orta ex infamia quomodo cessat. ibid.

Infans. *Infantia*. V. *Pueri Baptismus* in fine. Num infantes possint contrahere. 125. 1. Num testari. 136. 1. Num, & quarum rerum esse domini. 181. 2. Quorum Sacramentorum sint capaces. 252. 2. Quomodo urgeantur præcepto baptismi. 255. 2. V. *Baptismus*. Num, & quando possint confirmari. 262. 1. Pro infantibus offerri potest sacrificium Missæ. 279. 2. Num possit ipsis dari extrema unctio. 34. 2. & 292. 2. Num possint ingredi monasteria Monialium. 363. 1. Si infans non habens usum rationis ordinetur in sacris (valide, licet illicite) non manet obligatus voto castitatis, neque adveniente usu rationis est impeditus ad matrimonium. 396. 2. Infantes ante septennium completum sunt incapaces cujuscumque censuræ. 444. 2. V. *Impubes*.

Infidelis. *Infidelitas*. Infidelitas triplex est. 66. 1. Item potest esse, vel negativa, vel privativa. ibid. Infidelitas negativa peccatum non est. ibid. Infidelitas pure negativa Atheismi videtur impossibilis. ibid. Infidelitas privativa grave peccatum est. ibid. Quando quis censeatur fidem negare, & qualiter peccet. ibid. Infideles nequeunt censurari. 444. 2. Quibus legibus teneantur. 33. 2. Num dominium retineant suarum rerum. 181. 2. Infidelis bigamus. V. *Bigamus*. Infidelis contrahens impedimentum matrimonii. V. *Disparitas cultus*. *Matrimonium*.

Infirmarius. *Infirmitas*. *Infirmus*. V. *Moribundus*. *Extrema Unctio*. Infirmos num teneatur procurare salutem. 107. 2. Infirmitas num excuset ab Horis. 74. 2. Vel ab audienda Missa die festo. 104. 1. Num possint infirmi a Religiosis communicari tempore præsertim Paschatis. 270. 1. Infirmarius quando incurrere possit irregularitatem ortam ex delicto homicidii casualis. 483. 1.

Ingressus in Religionem num debitorem excuset a restitutione. 213. 2. Si quid autem antea habebat, relinquere num debeat creditoribus. ibid. Num possit illam ingredi, si valeat intra breve tempus creditoribus satisfacere. ibid. Jure positivo num inhabilitatus sit ingressus eorum, qui ob dilapidatam rem suam familiarem reddiderunt se impotentes solvendo. ibid. Impotens solvendo valide profitetur in Religione. 214. 1. Professus contrahens nova debita num teneatur, aut ejus vi-

vice Religio, restituere. 314. 1. Per Religionis ingressum num dissolvantur sponsalia. 423. 2. Num dissolvantur in ipsa Religionis ingressu. ibid. Num ingredi possit Religionem absque consensu alterius, qui sponsalia juramento firmavit. ibid. Num possit quis sponsalia, vel matrimonium inire cum animo ingrediendi Religionem. 424. 1. V. *Indissolubilitas matrimonii*.

Inimicus. Num teneamur inimico exhibere signa communia benevolentiæ. 509. 1. Num possimus aliquando ab hoc excusari. ibid. Num teneamur inimicum salutare, aut alloqui. ibid. Vel petere veniam a læso, vel veniam inimico petenti concedere, sive privatim, sive juridice. ibid. 2. Num illi exhibere signa benevolentiæ specialia. 510. 1.

Injuria. *Injuriatas*. V. *Jus*. *Contumelia*.

Injustitia censuræ. Censura dupliciter esse potest injusta, vel tantum accidentaliter, vel etiam substantialiter. 452. 1. Primo modo non excusat censuratum ab ejus incursione; excusat vero, si secundo modo. ibid. Num excuseris ab ejus incursu, si causa, seu culpa revera non existat, sit tamen juridice probata. ibid. Si Judex te excommunicet, nisi solvas 100., quæ tu scis certe non debere, probatum tamen juridice sit, te debere; non incurris excommunicationem in foro conscientiæ, si non solvas; &, si cogaris solvere, potes uti occulta compensatione: in foro tamen externo debes te gerere ut censura ligatum. ibid. Num excuseris, si probabile tantum sit, quod censura in te lata sit injusta. ibid. 2. Quid in dubio. ibid.

Innocens, qui secundum allegata, & probata damnatus est ad mulctam pecuniariam, quid possit facere. 169. 1. Innocens incarceratus num possit occidere custodem carceris, ut evadat. 235. 1.

Instructio Confessariorum, & *Parochorum*, V. *Confessarius*. *Parochus*.

Insurdescens in censura. Insurdescens per annum in excom. lata specialiter ab homine est suspectus de hæresi: secus, si per medium annum fuerit absolutus, & reincidat. 467. 1. Si tamen excommunicatio sit lata in causa hæresis, si per annum insurdescat, habetur ut hæreticus ipso jure. ibid. Si lata sit in causa criminali (secus si in civili) habetur pro convicto. ibid. Insurdescens per annum in excommunicatione, poterit privari arbitrio Ordinarii beneficio; si per triennium, debet eo privari. 463. 2.

Intentio est *Actus voluntatis*, *quo quis intendit aliquem finem*, seu, *quo quis se determinat ad aliquid faciendum*. 247. 1. 75. 2. Dividitur in actualem, seu formalem, virtualem, habitualem, & interpretativam: in absolutam, & conditionatam; in explicitam, & implicitam; in directam, & indirectam. Utrobique, Ad satisfaciendum legi, seu præcepto affirmativo requiritur intentio ponendi ipsum opus injunctum. 28. 2. Non tamen requiritur, ut tale opus ponatur ex intentione satisfaciendi ipsi præcepto. 29. 1. Neque ut ponatur ea intentione finis Legislatoris. ibid. Ad violationem præcepti requiritur actus liber. 28. 1. At non requiritur omissio libera, & voluntaria ad satisfaciendum legi, seu præcepto negativo. ibid. Satisfacit legi, qui ponit opus injunctum cum positiva intentione illi non satisfaciendi; imo etiam qui illud ponit ex prava intentione. 29. 1. & 32. 1. Qua intentione recitandæ sint horæ canonicæ; & num illis satisfacias, si præcise nolis satisfacere, habeas tamen intentionem orandi. 75. 1. Quid, si neque orandi intentionem habeas. ibid. Vel si tantum intendas addiscere memoriter, vel historias scire ibi contentas, &. 28. 2. & 75. 1. Quid, si recites in ebrietate, vel somno. 28. 2. Quæ intentio requiratur ad votum, juramentum, contractum, V. *Votum*. *Juramentum*. *Contractus*. Quæ intentio requiratur ad Missam. 102. 2. Quæ ad contrahendam cognationem spiritualem. 391. 1. V. *Cognatio spiritualis*. Ad valorem Sacramenti non sufficit ex parte ministri intentio ponendi res, & verba ex joco, neque pure materialiter, sed necessario requiritur intentio ponendi ea, ut Sacramentalia. 247. 1. Num sufficiat in Ministro intentio indirecta, vel habitualis, vel interpretativa. ibid. 1., & 2. Sufficit tamen virtualis, & a fortiori actualis. ibid. 2. & seq. Num Minister, qui de more ponit actiones requisitas ad Sacramentum, possit prudenter dubitare de intentione requisita, & num illi opus sit semper dicere *Intendo hoc facere* &c. 248. 1. Num possit habere intentionem conditionatam de præterito, de præsenti, vel de futuro. ibid. Si habeat simul intentiones contrarias, quænam debeat prævalere. ibid. 2. Num ejus intentio debeat esse determinata ad certam materiam, & personam. ibid. Quæ intentio requiratur in infantibus, vel amentibus. V. *Infans*, *Amens*. In adultis suscipientibus Sacramentum requiritur voluntas propria, & simpliciter libera, quæ tamen non vitiatur ex metu gravi. 252. 2. Item sufficit habitualis, imo in aliquibus Sacramentis aliquando etiam interpretativa, ibid. & seq. Aliter requiritur intentio in ministro, aliter in suscipiente Sacramenta. 252. 2. Si quis ratione utens ore tantum renuat, corde tamen consentiat in baptismum, confirmationem, &c. valide ne baptizetur, confirmetur. 253. 1. Ad valorem ordinationis non sufficit intentio interpretativa, nec habitualis in ordinante, neque sufficit indirecta, sed requiritur formalis, vel saltem virtualis. 294. 2. Quæ autem intentio requiratur ex parte ordinandi ad valorem ordinationis. ibid. Vid. *Ordo*. *Subdiaconatus*. Ad valorem matrimonii, ut contractus est, requiritur intentio, quæ absolute feratur saltem virtualiter, & implicite in triplex bonum. 427. 2. Num valide, & licite contrahat, qui absolute contrahit matrimonium, nihil attendens ad finem ejus principalem, sed solum ad aliquem finem accidentarium, sive intrinsecum, sive extrinsecum. ibid. 2. Vel si cum intentione, saltem implicita finis principalis stet simul prava intentio non servandi obligationem, quæ subitur: puta intentio adulterandi, &c. ibid. In contrahentibus matrimonium sufficit intentio virtualis, & implicita, seu juxta morem, seu patriæ, seu faciendi, quod alii fideles faciunt. 429. 1. Num valeat matrimonium fidelium sub expressa intentione non conficiendi Sacramentum, sed tantum contractum legitimum adinstar infidelium. ibid.

Interdictum est *Censura privans fideles usu quorumdam Sacramentorum*, *Divinis Officiis*, & *Sepultura Ecclesiastica*. 474. 1. Differt ab excommunicatione, & suspensione. ibid. Item a cessatione a divinis. 480. 2. Dividitur in locale, personale, & mixtum, quod & deambulatorium nuncupatur. 474. 2. Quod est interdictum locale. 475. 1. Hoc subdividitur in generale, & speciale. ibid. Ferri potest ob peccatum alterius. 447. 1. Num interdictum generale civitatis omnes omnino Ecclesias, suburbia, & ædificia comprehendat. 475. 1. Ad quid se extendat interdictum generale Regni, Provinciæ, Diœcesis, &c. ibid. Ad quid interdictum locale Civitatis, Ecclesiæ, &c. ibid. Interdictum locale, sive generale, sive speciale omnes omnino personæ observare tenentur. ibid. 2. Locale quando ferat secum personale. ibid. Quid est interdictum personale. ibid. Quid personale generale. ibid. Quos afficit, & num semper contineat interdictum locale generale. ibid. Num interdicto populo alicujus civitatis, omnes, qui sunt illius membra, censeantur interdicti. ibid. Qui tamen jure eximantur. 476. 1. Interdicto Clero, non intelliguntur interdicti, nisi Clerici habentes privilegium canonis simul, & fori. ibid. Num interdicto Clero a Papa intelligantur interdicti etiam Religiosi, & Religiosæ. ibid. Interdicta familia, num Clerici, &c. etiam includantur. ibid. Vid. *Doctor*. *Communitas*. In quos feratur, & quomodo interdictum personale speciale. ibid. 2. Qui dicuntur specialiter interdicti, qui nominatim. ibid. Interdictum absolute prolatum tres habet effectus. ibid. Alius, ut incurratur, debet exprimi. ibid. Num, & quæ divina officia tali tempore prohibeantur, quæ permittantur præsertim jure novo in cap. *Alma mater*. 476. 2. & seq. V. *Officia divina*. Quorum Sacramentorum usus permittatur, vel vetetur, præsertim in cit. cap. *Alma mater*. 477. 1. 2. & seq. V. *Baptismus*, *Confirmatio*, *Pœnitentiæ Sacramentum*, &c. Quomodo privet sepultura Ecclesiastica. 479. 2. V. *Sepultura Ecclesiastica*. Quæ sit culpa, & pœna violantium interdictum. ibid. 2. Quæ pœna est imposita Laicis, quæ Clericis, quæ Religiosis utriusque sexus. 479. 2. Vid. *Clericus Laicus*. Quis ferre possit interdictum, & quam ob causam. 480. 1. V. *Episcopus*. *Prælati Regulares*. A quo possit suspendi. ibid. Solus Papa potest suspendere effectus interdicti manente interdicto. ibid. Quando, & quot modis cessare possit quodvis interdictum, & num ad ejus cessationem requiratur semper absolutio. ibid. A quo possit relaxari, præsertim si sit reservatum. ibid. Numquam tamen relaxandum, quin principalis delinquens satisfactionem offerat. 480. 1. Num exigendum etiam juramentum. ibid. Quæ sint interdicta localia juris communis, quæ personalia, sive generalia, sive specialia. ibid. 2. Interdictum ab ingressu Ecclesiæ quid sit. 479. 1. Quid specialiter prohibeat, quidve permittat. ibid.

Interpres pœnitentis tenetur ad sigillum. 381. 2. Pœnitens barbari idiomatis num teneatur confiteri (etsi possit) per interpretem. 329. 2. Saltem in articulo mortis. ibid. Num teneatur confiteri saltem per signa. ibid. Interpres sollicitans in confessione non videtur denunciandus. 245. 1.

Interpretatio legis, alia est authentica, alia usualis, alia doctrinalis. 23. 1. Quis possit legem interpretari. ibid. V. *Con-*

V. *Consuetudo*. Quatuor regulæ servandæ in legibus interpretandis. ibid. Quomodo intelligenda regula illa juris: *Odia restringi, & favores convenit ampliari*. ibid. 2. An lex extendi possit ad casum sub verbis legis non comprehensum ob paritatem, vel identitatem rationis. ibid. & seq. Quid in correlativis, æquiparatis, connexis, &c. 24. 1. Particulæ *seu*, *sive*, *vel*, *&* in lege appositæ aliter sumuntur in materia favorabili, aliter in odiosa. 23. 2.

Interruptio. V. *Peccatum*.

Interstitium. Interstitia quæ sint. 301. 1. Num interstitia intercedere debeant inter tonsuram, & ostiariatum. ibid. Quæ intercedere debeant inter minores ordines, & majores inter se. ibid. Sub qua culpa, & pœna servanda sint. ibid. Quis possit in iis dispensare? Quæ sint causæ dispensandi, & quomodo intelligenda verba dispensationis. ibid. 2. Num possint saltem ex dispensatione accipi uno die plures ordines majores. ibid. Quæ autem causa, & quæ necessitas in his dispensationibus requiratur. ibid. Num Superiores Regulares dispensare cum suis subditis possint in interstitiis, & quinam habeant in hoc privilegium Papæ. 301. 1.

Inventa. Bona inventa. V. *Bona*. *Restitutio*. *Thesaurus*.

Invidia est *Tristitia de bono alterius*. 515. 2. Est semper mortalis, nisi excuset materiæ parvitas, vel imperfectio consensus. ibid. Differt ab odio proximi. ibid.

Irregularitas est *Impedimentum canonicum ad susceptionem ordinum, & eorum usum*. 481. 1. Differt a censuris. ibid. Nequit imponi ab Episcopis, imo ipsos etiam afficit. ibid. Dividitur in irregularitatem ex delicto, atque in irregularitatem ex defectu, quæ aliquando est limitata, & partialis quoad effectus. ibid. V. *Dubium*. Irregularitas absoluta, & totalis tres habet effectus. ibid. Primo privat licita (non tamen valida) susceptione ordinum, imo & prima tonsura: Secundo, Usu ordinum susceptorum: quo tamen modo. ibid. Tertio, Receptione novi beneficii, officii, & pensionis Clericalis, quæ esset invalida: non tamen privat ipso facto beneficiis antea possessis. ibid. Num privet jurisdictione, sive ordinaria, sive delegata. ibid.

Irregularitas ex delicto incurritur ob homicidium, & mutilationem, hæresim, iteratam receptionem baptismi, abusum ordinum, violationem censuræ, &c. ibid. V. *Homicidium*. *Hæresis*, *&c.* Ut incurratur irregularitas ex delicto, debet delictum esse proprium, mortaliter peccaminosum, exterius consummatum cum effectu secuto. ibid. Item, ut commissum sit post baptismum, & septennium. V. *Dubium*, *Ignorantia*. *Ordo*.

Irregularitas ex defectu contrahitur etiam sine culpa, & ab eam ignorantibus. 488. 1. Num Episcopus possit in hujusmodi irregularitatibus dispensare. ibid. Defectus autem, quibus adnexa est irregularitas ex defectu, sunt 8. ibid. Irregularitatem ex defectu lenitatis incurrunt omnes ministri justitiæ, qui aliquo pacto proxime concurrunt ad justam occisionem, aut mutilationem Rei auctoritate publica factam. ibid. 2. Tales sunt Judex, Accusator, Testis, Advocatus, Tabellio, Satelles, Carnifex, & Miles in bello justo offensivo. ibid. V. *Judex*, *Accusator*, *&c.* Num reliqui concurrentes ad mortem, vel mutilationem rei, sed non ut ministri justitiæ, evadant irregulares. 489. 1. Puta, qui privatim sollicitat Procuratorem causæ, ut pœnam sanguinis juste infligendam petat, vel qui dat consilium, dirigit causam criminalem, qui vendunt ligna, gladios, funes, &c. ad occisionem inservientia. Qui furcam elaborat, vel privatim moneat reum, ut caput stipiti admoveat, &c. ibid. 1. V. *Confessarius*. In hac irregularitate solus Papa dispensat: ex hujus tamen privilegio possunt etiam tum commissarius Cruciatæ, tum Prælati Regularium in ordine ad suos. ibid. Tollitur etiam hic defectus per baptismum. ibid. Irregularitas ex defectu Sacramenti, seu ex Bigamia, V. *Bigamia*. Ex defectu famæ, seu ex infamia. V. *Infamia*. Ex defectu ætatis. V. *Ætas*. Ex defectu corporis. V. *Corporis defectus*. Ex defectu animi. V. *Animi defectus*. Ex defectu libertatis. V. *Libertas*. Ex defectu demum natalium. V. *Illegitimus*. *Spurius*. *Expositus*.

Irreligiositas quæ sit, & in quas species dividatur. 82. 1. Conculcans Imaginem Sacram, &c. peccatum committit irreligiositatis. 83. 2.

Irritatio voti. V. *Votum*: *Juramenti*. V. *Juramentum*.

Jubens. V. *Mandans*.

Jubilæi Bulla. V. *Bulla*.

Jubilæum Anni Sancti quid sit. 58. 1. Quo tempore, & ritu sit institutum, a quo, & num possit indici Sede vacante. ibid. Qua die aperitur, & qua clauditur. ibid. Quid contineat ejus bulla, & num late an stricte sit interpretanda. ibid. 2. Quæ sint facultates Confessariorum Romanorum (Confessarii sæculares, etsi a Vicesgerente approbati, non enumerantur in Notificatione) tempore hujus jubilæi. ibid. Ad quid se extendat facultas absolvendi a casibus Bullæ Cœnæ in hoc jubilæo. 59. 1. An ad publicos percussores Clericorum, Cardinalium, &c. vel ad excommunicatos, suspensos, & interdictos. ibid. An se extendat ad totum tempus hujus jubilæi relate ad eundem pœnitentem, & an etiam ad oblita. ibid. An ad absolutionem reservationis, & censurarum pœnitentis facientis confessionem invalidam, vel sacrilegam. 59. 2. Quæ vota possint commutari, & num possit in iis etiam dispensari. 58. 1. Quæ opera sint exequenda, & a quibus pro lucrando hoc jubilæo. 59. 2. Non requiritur eleemosyna, nec jejunium; num confessio, & absolutio Sacramentalis; num communio. ibid. Quæ visitatio Basilicarum requiratur, quando, & qua animi dispositione sit facienda. ibid. 2. & seq. Peccatum commissum in ipso actu visitationis Basilicarum num jubilæo obstet. 60. 1. Tempore hujus jubilæi, quæ indulgentiæ, & facultates olim suspendebantur. ibid. Nunc suspenduntur (aliquas si excipias) omnes indulgentiæ plenariæ extra Urbem. ibid. Non plenariæ probabiliter non suspenduntur. ibid. 2. Suspendanturne facultates, quæ intuitu indulgentiarum concessæ sunt. 61. 1. Quæ privilegia, & facultates Regularium, Episcoporum, & Prælatorum non suspendantur. ibid.

Judæus, *Judaismus*. Judaismus Fidei opponitur susceptæ tantum in typo. 67. 2. Num possit Ecclesia Judæos cogere ad fidem. ibid. Quæ communicatio cum his sit fidelibus vetita. ibid. Num Paganismus, Judaismus, & Hæresis specie inter se differant. ibid. 1. In Judæos nequit ferri censura. 444. 2.

Judex. V. *Auctoritas Judicis* Judex in pari dubio proprietatis inter partes cui adjudicare debeat rem, & quando possit alterutri, cui voluerit, dare, aut demum rem dividere. 14. 2. item 10. 2. Si unius rationes sunt probabiliores, huic tenetur causam adjudicare. ibid. An lex pœnalis obliget Judicem ad infligendam reo pœnam præscriptam, quin possit illam vel minuere, vel augere. 33. 1. & 187. 2. Judex licite radit pilos, vel lavat maleficos torquendos, &c. 79. 2. A judice interrogatus num possis cum æquivocatione jurare. V. *Æquivocatio*. *Juramentum*. Quando a judice capitur informatio de moribus, &c. alicujus, quæ certitudo sufficiat ad jurandum. 87. 2. Quod sit officium Judicis. 168. 2. Quam legum scientiam debeat habere. ibid. Num debeat semper judicare secundum allegata, & probata. ibid. Quid agere debeat, quando pro utraque parte litigante sunt rationes probabiles. 169. 1. Num, & quæ munera possit acceptare. ibid. 2. Num acceptata injuste teneatur restituere. ibid. Si infligat pœnam majorem delicto, præter peccatum, quod committit, tenetur ad restitutionem. 187. 2. Quid teneatur compensare parti læsæ, si illi minus notificet delationem favorabilem. &c. 201. 2. Teneaturne semper quibuscumque reis tempus concedere pro Eucharistia sumenda. 271. 1. Judex in causa matrimonii num debeat esse semper Ecclesiasticus. 441. 2. Judicis sententia num debeat essentialiter esse scripta, ut vim habeat. 26. 1. Judex juridice procedens non censetur inferre metum in causa matrimonii contrahendi. 395. 1. Quos justitiæ actus exercere possit in Ecclesia Judex Ecclesiasticus. 362. 1. V. *Prælatus*. Judex sæcularis incurrit casum Bull. Cœn., si se interponat in causis criminalibus in Religiosos, &c. ibid. 1. Item, si ex prætenso officio, vel ad instantiam partis, &c. personas Ecclesiasticas, conventus, &c. ad suum Tribunal, ante se, vel ad suam audientiam præter juris canonici dispositionem trahit, vel trahi faciat, &c. 361. 1. V. *Injustitia Censura*. Judex sæcularis excommunicatus toleratus num valide, & aliquando etiam licite, actus exerceat suæ jurisdictionis. 464. 1. Quid, si sit vitandus. ibid. Num debeat judex repellere actorem in judicio, si sit excommunicatus. ibid. 2. Judex ferens sententiam mortis, vel mutilationis in reum est irregularis secuto effectu. 488. 2. Si unam sententiam in plures reos simul proferat, unam incurrit irregularitatem. ibid. Judex Ecclesiasticus, si clericum degradet morte dignum, vel ad forum sæculare remittat, quid agere debeat, ut declinet irregularitatem. ibid. Quid si constringat adulteram in monasterio, ubi a marito occidatur. 483. 2. Vel, si omittat actionem suo muneri debitam, ex qua omissione mors sequatur. 484. 1.

Judicium. In judiciis num liceat testibus, vel reo æquivocare cum juramento. 87. 2. & seq. V. *Æquivocatio*,

tio, &c. Excommunicatus nequit esse actor in judicio, neque per se, neque per Procuratorem. 464. 2. Si trahatur ut reus in judicium, potest etiam per se ipsum comparere, & se defendere etiam cum juramento. ibid. V. *Judex* circa finem.

Juramentum est *Invocatio divini Numinis in testem*. 86. 1. Dividitur in assertorium, & promissorium; utrumque autem hoc potest esse vel simplex, vel execratorium. 87. 1. Item dividitur in judiciale, & extrajudiciale: in solemne, & non solemne; in absolutum, conditionatum, & pœnale; in explicitum, & implicitum. ibid. In mentale, verbale, reale, & mixtum. 86. 1. Num sit juramentum, si jures nihil invocando. ibid. Vel, si jures per creaturas. ibid. Vel per falsos Deos. ibid. Vel invocando Deum nihil affirmando, aut spondendo. ibid. 2. Vel demum, si jures sine animo jurandi. ibid. Tres conditiones comitari debent juramentum, veritas, justitia, & judicium. ibid. Num peccet habens consuetudinem jurandi. 87. 1. V. *Absolutio*. Num liceat aliquem inducere ad jurandum. ibid. Ad juramentum assertorium quæ notitia prærequiratur rei assertæ. ibid. 2. Quæ in juramento judiciali. ibid. V. *Sacerdos*. *Æquivocatio*. Juramentum promissorium quid sit, & in quo differat ab assertorio. 89. 1. Duplex autem potest esse, duplicemque in se veritatem habere. ibid. Quid, si deficiat alterutra veritas, ibid. Juramenti promissorii materia esse debet licita, & honesta. ibid. Juramentum promissorium de re lethali grave sacrilegium est: de re veniali leve. ibid. Deo factum esse debet de meliori bono. ibid. Quando obliget homini factum. ibid. 2. Juramentum dolosum triplex est. Quando est perjurium, & quando obliget. ibid. Quam obligationem pariat juramentum promissorium per injuriam, aut per metum, aut per dolum extortum. ibid. & seq. Num, & quos contractus firmet. V. *Contractus*. Num obliget, si sit de re illicita. 90. 2. Quadrupliciter autem potest esse illicitum. ibid. Quomodo interpretandum in ordine ad inducendam obligationem, quoties non constet de jurantis intentione. ibid. Num obliget juramentum rebus notabiliter mutatis. 91. 1. Num tale promissorium juramentum obligationem pariat in successore, hærede, aliove a jurante. ibid. Quis possit juramenta homini facta relaxare, quis facta uni Deo. ibid. Relaxatio, a quocumque fiat, fieri debet cum causa. ibid. 2. Quot, & quæ esse possint causæ pro relaxatione juramenti facti Deo, vel homini. ibid. Quis possit juramentum promissorium commutare in aliud opus præstandum. ibid. Causæ ad commutationem tres esse possunt. ibid. Quis possit hoc juramentum irritare. ibid. & seq. Juramentum execratorium quid sit. 92. 1. V. *Adjuratio*. Num omne juramentum falsum, &c. sit blasphemum. 85. 2. Quæ perjuria sint specie diversa, & proinde aperiri debeant in confessione. 314. 2. Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo est reservabile in ordinibus religiosis. 374. 2. Confessarius absolvens in articulo mortis percussorem clerici, num debeat illi imponere juramentum de stando mandatis Ecclesiæ; item aliud de satisfaciendo parti. 347. 1. Quid, si sit impubes, vel certo credatur statim moriturus. ibid. V. *Absolutio a Reservatis*. V. *Interdictum*. Si quis fictam promissionem matrimonii firmet juramento, licet peccet sacrilege, non tamen tenetur per se loquendo illam implere. 451. 1. Si ficte promittens interrogetur a judice, potestne etiam cum juramento negare. ibid. 2.

Jurisdictio est *Dominium politicum superioris in subditos, quos legibus gubernat ad ipsorum commodum*. 180. 1. Hæc requiritur saltem ad licitam cujuscumque Sacramenti administrationem, aliquando ordinaria, aliquando delegata. In pœnitentiæ Sacramento requiritur etiam ad validam ejus administrationem. 249. 1. & 336. 1. 2. In ministro non habente jurisdictionem ordinariam administrandi Eucharistiam, sufficitne præsumpta. 269. 2. Qui sine ulla prorsus jurisdictione illam administraret, graviter peccaret. ibid. Num & irregularitatem incurreret. ibid. V. *Religiosi Mendicantes*. Ecclesia potest reddere irritam absolutionem datam a Sacerdote, licet non consecrationem. 336. 1. Hæc jurisdictio quoad absolutionem Sacramentalem esse potest vel ordinaria, vel delegata. ibid. vel ex errore communi cum titulo colorato. 338. 1. Qui illam habeant ordinariam. 336. 2. Num, quicumque habet jurisdictionem ordinariam absolvendi suos subditos, possit eam delegare alteri. ibid. Quando cessat jurisdictio ordinaria. ibid. Qui habent jurisdictionem delegatam. 337. 1. Quid requiratur ad acquirendam jurisdictionem absolvendi Sacramentaliter. ibid. 1. & 2. Quando cessat jurisdictio delegata absolvendi Sacramentaliter. ibid. 2. & seq. Quando habetur error communis, quando titulus coloratus. 338. 1. Error communis cum titulo colorato dat jurisdictionem absolventi. ibid. Num ad talem errorem sufficiat, si sit communis in hac Civitate e. g., etiamsi non alibi. ibid. Num Ecclesia suppleat jurisdictionem, si adsit error communis, sed sine titulo colorato. ibid. 2. Num suppleat, seu tacite det jurisdictionem confessario absolventi ex opinione probabili circa suam jurisdictionem. 338. 2. Num licite absolvat Sacerdos in dubio de sua jurisdictione. ibid. & seq. Suspensus a jurisdictione, quo ejus usu intelligatur privatus. 468. 2. Excommunicatus vitandus num privatus sit omni usu jurisdictionis Ecclesiasticæ. 464. 1. Quid, si sit excommunicatus toleratus. 463. 2. V. *Parochus*. *Judex*, &c.

Jurisperiti, cum dicunt, per desuetudinem abrogari legem, de qua desuetudine intelligant. 41. 2.

Jus idem est, ac *Justum*. 180. 1. Aliud est naturale, aliud positivum, aliud gentium. ibid. Positivum vel est divinum, vel humanum, quod subdividitur in Ecclesiasticum, & civile. ibid. & 31. 1. 2. Rursus aliud est jus commune, aliud locale, aliud municipale. ibid. Aliud latum, aliud strictum. Hoc definitur *Facultas legitima disponendi de re in proprium commodum, & obligandi alios, ne huic facultati contraveniant*. 180. 1. Dicitur etiam activum. ibid. 2. Dividitur jus proprietatis in inchoatum, seu jus ad rem, & in actuale, seu jus in re. ibid. Quomodo intelligenda regula juris. *Scienti, & consentienti non fit injuria*. ibid. Aliud est jus ad beneficium, aliud in beneficio. 175. 1.

Jus Patronatus acquiritur per præsentationem. ibid. 2. A quo hæc fieri possit, vel debeat. ibid. V. *Patronus*. Aliud est laicum, aliud Ecclesiasticum, aliud mixtum. 176. 1. Aliquando est personale, aliquando reale. ibid. 2. Habens jus Patronatus in aliqua Ecclesia, non ideo jus habet sepulturæ. 349. 1.

Jus prohibendi quid sit. 150. 2. An, & cui liceat. 151. 2.

Justitia est *Constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*. 186. 1. Dividitur in commutativam, distributivam, legalem, & vindicativam. ibid. V. *Restitutio*. Quando committatur peccatum acceptionis personarum. 187. 1. V. *Jus*.

L

Lacticinia vetantur sub gravi in quadragesima. 41. 1. & 105. 1. Num etiam aliis diebus jejunii extra quadragesimam. Utrobique.

Laicus. Laici, qui ex necessitate communicant cum sola contritione mortalium, num teneantur, ut Sacerdotes, confiteri quamprimum. 311. 2. Num iis, sin minus ab Episcopo, a summo saltem Pontifice committi possit facultas dispensandi Eucharistiam. 269. 1. Num possit laicus saltem in extrema necessitate absolvere a censuris. 335. 1. 2. Præsentatio ad beneficium facta a laico excommunicato vitando sitne valida. 464. 1. In generali interdicto num liceat laicis communio in articulo, vel periculo mortis in aliquibus solemnioribus festivitatibus. 478. 1. Laici non possunt sepeliri in loco sacro generaliter interdicto. ibid. 2. Num, si sint innocentes, nec privilegiati, possint ibi sepeliri saltem in festivitatibus concessis cap. *Alma Mater*. ibid. Quid, si interdictum sit locale speciale, vel personale generale, aut speciale. 479. 1. Qualiter peccent, & puniantur laici violantes interdictum. ibid. 2. Laicus absolvens Sacramentaliter, vel celebrans, ex defectu abusus ordinum sitne irregularis. 487. 2. V. *Confirmationis Sacramentum*. *Sepultura Ecclesiastica*. *Hæresis*, &c.

Lapis consecratus. V. *Altare*. *Sacrificium missæ*.

Latinus Sacerdos. V. *Sacerdos*.

Latrunculus. V. *Fur* in calce.

Laudemium a quo debeat solvi in contractu libellatico. 165. 1.

Lector. *Lectio*. Excommunicatus non videtur posse assistere lectioni Theologicæ. 466. 1. Quid ergo agendum a Prælectore, & Auditoribus, si ille lectioni interesse velit. ibid. Sitne simonia pretium accipere pro officio magistri in Theologia, in Jure Canonico, in Interpretatione Sacr. Script., in Doctr. Christ., &c. 172. 2.

Lectoratus. *Lector*. Lectoratus est ordo, *Quo conceditur potestas legendi Prophetias, & Scripturas in Ecclesia*. 293. 1. Quæ ejus materia remota, quæ proxima. ibid. Quæ forma. 294. 1. Lectoris munera, & onera quæ sint. 295. 2. V. *Ætas*.

Legatarius est *Cui relinquitur legatum a Testatore*. 138. 1. Nisi renunciet, statim post obitum legantis habet jus ad legatum. ibid. V. *Legatum*.

Legatum eſt *Donatio quædam a Defunčto relicta, & ab hærede præſtanda*. 535. 1. Aliud eſt purum, aliud non purum. ibid. Legatum ad pias cauſas quando exequendum. 138. 1. Quando ad cauſas profanas. ibid. 2. Quid agendum, ſi legata ſint incerta, ſive ex incertitudine legatarii, ſive ex incertitudine loci, Eccleſiæ, &c., vel rei legatæ. 139. 1. Si Titius legavit bona ſua alicui Eccleſiæ cum onere miſſæ quotidianæ, ita ut, ſi ſemel omittatur, eo ipſo bona devolvantur ad alium; ſi omittatur, num Eccleſia bonis privetur. 138. 2. Quomodo intelligenda alia id genus legata. ibid. Num poſſit recipi legatum relictum ab excommunicato vitando, ut pro eo oretur etiam oratione publica. 460. 1.

Legatus a latere poteſt per ſe loquendo, in ſua provincia circa diſpenſationem, quidquid poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi. 47. 1. Num poſſit approbare ad confeſſiones. 339. 1. Num dare dimiſſorias, & quibus. 298. 2. Quid poſſit circa abſolutionem a reſervatis. 351. 1. Quid præſertim pro abſolutione Regularium a reſervatis. 353. 2. Num poſſit ſuam facultatem aliis ſubdelegare. ibid. In provincia ſuæ legationis ferre poteſt cenſuras. 443. 2.

Legislator Humanus num poſſit obligare ſubditos, etſi legem a ſe latam non acceptent. 27. 2. Num poſſit in ſua lege diſpenſare. 44. 2. Num tamen poſſit valide ſine juſta cauſa. 47. 1. Quæ ſit hujuſmodi cauſa. ibid. 2. V. *Diſpenſatio*. Non tenetur ſuis legibus parere quoad vim coactivam: bene vero quoad directivam. 33. 1. Num legislator ſupremus legibus teneatur municipalibus. ibid. 2. Num legislator poſſit punire ſubditum exiſtentem extra Territorium. 36. 2. V. *Subditus*. Num legislator inferior poſſit condere legem contrariam legi ſuperioris, aut hanc abrogare pro territorio. 40. 1. V. *Lex*.

Legitima. *Legitimatio*. *Legitimus*. V. *Illegitimus*. Legitimatio quadruplici via obtineri poteſt. 491. 2. Primo per ſubſequens matrimonium: quod autem matrimonium ad hoc ſufficiat. ibid. & ſeq. Secundo per profeſſionem religioſam, aut per vota ſimplicia Soc. Jeſu obtinetur legitimatio quoad ordines. 492. 1. Num legitimatio acquiratur ipſo facto per profeſſionem, & num ſolum relate ad ordines. ibid. Tertio acquiritur legitimatio ex reſcripto Principis. ibid. Ad quid autem ſe extendat hujuſmodi legitimatio. ibid. Quarto demum per diſpenſationem, quæ differt a legitimatione. ibid. 2. Quis autem in irregularitate ex illegitimitate orta diſpenſet ex jure, quis ex conceſſione, & relate ad quos. ibid.

Lenitas. V. *Irregularitas ex defectu*. *Judex*. *Confeſſarius*. *&c.*

Lex eſt *Ordinatio rationis ad bonum commune a legitimo Superiore in perpetuum promulgata*. 21. 1. In quo differat a conſuetudine. 40. 2. Vel a præcepto. 21. 1. Omnis lex dici poteſt præceptum, non contra. ibid. Dividitur lex (idem dic de præcepto) in naturalem, & poſitivam, quæ ſubdividitur in poſitivam divinam, & humanam. Humana autem in jus Eccleſiaſticum, civile, & gentium. ibid. Item dividitur lex in favorabilem, & odioſam; in affirmativam, & negativam; in jus commune, locale, & municipale; in legem prohibentem, & prohibentem ſimul, & irritantem; in præceptivam, pœnalem, & mixtam; in diſpoſitivam, præſumptivam, coactivam, ac demum directivam. ibid. 2. Quæ ſit Dei lex primaria, quæ ſecundaria. 22. 1. Ad legis valorem plura requiruntur. 21. 1. Debet eſſe juſta, & utilis. 25. 1. Sex autem modis poteſt eſſe injuſta. ibid. 2. Num ſit juſta, ſi uni communitati proſit, alteri noceat. ibid. 2. Num utilis reputanda, ſi, licet fuerit inutilis, cum fuit lata, incipiat tamen eſſe utilis ſucceſſu temporis. ibid. Quid de lege fundata in falſa præſumptione. ibid. Legis promulgatio quæ ſit. 26. 1. Num ſit eſſentialis omnibus legibus, etiam naturali. ibid. Num requiratur, ut fiat ſcripto. ibid. Ubi facienda ſit promulgatio legis Pontificiæ, ubi Cæſareæ, aut Regiæ, ubi legis latæ a Magiſtratu civili, vel alio Principe inferiori. ibid. An, & quæ lex, ſtatim ac eſt promulgata, obliget. ibid. Lex quando dicatur acceptata, quando non. ibid. 2. Lex naturalis, aut divina, ut obliget, acceptatione non indiget. ibid. Num de facto etiam lex humana. ibid. V. *Legislator*. *Communitas*. Lex plures habens partes, ſi ſecundum unam tantum acceptetur, num ſecundum hanc tantum obliget. 27. 1. Num ſit licitum appellare a lege, vel ſupplicare contra illam. ibid. Num lex ab initio non acceptata, ſi deinde acceptatur, incipiat tunc obligare, & contra. ibid. Legis naturalis, & poſitivæ divinæ ſolus Deus eſt auctor. 22. 1. Eſt tamen in hominibus poteſtas ferendi leges humanas. ibid. A quo ſit hæc poteſtas. ibid. Leges civiles quis ferre poſſit: quis Eccleſiaſticas pro tota Eccleſia, vel ſaltem pro Diœceſi. ibid. & 2. Quis leges Regularium. ibid. 2. Quæ ſit forma & interpretatio legis. V. *Verba*. *Dubium*. *Interpretatio legis*. Quæ legis materia. 24. 1. Num lex humana poſſit præcipere, vel vetare actus in ſuo genere indifferentes. ibid. 2. Vel mere internos, ſin minus directe, ſaltem indirecte. ibid. & ſeq. Qui ſint effectus legis. 27. 2. Ut lex obliget in conſcientia, duo requiruntur in Legislatore: poteſtas, & voluntas ita obligandi. ibid. In Legislatore divino utrumque ſemper habetur: in humano licet habeatur primum, non tamen ſemper habetur ſecundum. ibid. Lex eccleſiaſtica, ſi ſit præceptiva, vel etiam mixta obligat in conſcientia. ibid. Ex quadruplici capite cognoſci poteſt, legem eccleſiaſticam aliquid præcipere ſub gravi, vel ſub levi. ibid. & ſeq. Num lex civilis, ſive pure pœnalis, ſive mixta obliget ad culpam. 28. 2. Quo tempore obediendum ſit legi, ſeu præcepto, vel Cæſareo, vel Regio, vel Eccleſiaſtico, præſertim, ſi nullum determinatum ſit tempus. 29. 2. Num tranſacto tempore præfixo a lege, vel præcepto tranſeat etiam obligatio. 29. 2. An poſſis eodem tempore, ſive eodem actu, ſive pluribus, multis obligationibus ſatisfieri. 30. 1. & 2. Cum lex, ſeu præceptum aliquid præcipit pro certo temporis tractu, quomodo illud tempus ſit intelligendum. ibid. 2. Omnis lex obligat ad non ponendum impedimentum proximum ejus executioni. ibid. Num etiam ad non ponendum impedimentum remotum. 31. 1. Lex irritans, quæ ſit. ibid. 2. Num eo ipſo, quod prohibet actum, cenſeatur illum irritare. ibid. Unde diſcerni poſſit, quod lex actum irritet ipſo facto, an vero velit eſſe irritandum. ibid. Quæ ſit forma ſubſtantialis, qua deficiente actus dici debeat irritus. ibid. Num actus ſine ſolemnitate ſubſtantiali factus ſit in aliquo caſu validus. 32. 1. Num tranſgrediens legem pœnalem teneatur pœnam ſubire ante Judicis ſententiam. ibid. 2. Num pœna privationis officii, vociſque activæ, & paſſivæ incurratur ante ſententiam declaratoriam criminis, ſi in lege dicatur, quod *Incurratur ipſo facto*. ibid. V. *Judex*. Legis ſubjectum eſt ſubditus rationis capax. 33. 1. Quot modis ceſſare poſſit lex in actu primo, quot in actu ſecundo. 37. 1. V. *Abrogatio*. *Derogatio*. *Epicheja*, *&c.* Num lex aliqua obliget cum gravi incommodo. 8. 1. Num ad aliquid moraliter impoſſibile. 38. 2. V. *Impotentia*. Ejus finis ſi ceſſet, num & ipſa ceſſet. 38. 2. V. *Finis*. Lex humana, licet nihil poſſit in jus naturæ præceptivum, poteſt tamen aliquid in jus naturæ mere permiſſivum. 384. 1. Num liceant leges civiles, quibus ſancitur, ut ſi quis non ducat uxorem alienigenam, &c. gaudeat hoc, vel illo privilegio, &c. ibid. 2. Num lex eccleſiaſtica ſtatuens impedimenta matrimonii obliget omnes. 385. 1. Num hujuſmodi leges eccleſiaſticæ de impedimentis obligent in omni caſu. ibid. 2. V. *Impedimentum matrimonii*. Intentio requiſita ad legem, V. *Intentio*.

Libellum eſt *Contractus ſubfeudalis, ſeu ſubemphyteuticus, quo quis feudum, vel emphyteuſim ab aliis acceptam alteri tradit ſub juſta, & menſurata penſione*. 165. 1. A quo, & cui ſolvendum laudemium. ibid.

Libellus famoſus eſt *Scriptura publica, qua occulti defectus proximi manifeſtantur*. 230. 1. Eum conficere eſt graviſſimum peccatum contra charitatem, & juſtitiam. ibid. Num & adnexa ſit excommunicatio. ibid. Sub hoc nomine num veniant facetiæ privatæ, epiſtola privata, vel publica continens publicum vitium, vel ſchedula delata ad ſuperiorem, &c. ibid.

Liber. Libri hæreticorum prohibiti in bulla cœnæ qui ſint. 357. 2. Num etiam libri catholicorum continentes hæreſes, vel ſcholia hæreticorum. ibid. Libri prohibiti in indice in duplici ſunt claſſe: alii prohibentur ſub excommunicatione, alii tantum ſub peccato. ibid. Quando autem legere dicaris tales libros, & proinde excommunicationem incurras: quando ab ejus incurſione excuſeris. ibid. & ſeq. Num excuſeris a parvitate materiæ. 358. 1. Vel, ſi tantum audias legentem tales libros. ibid. Vel, ſi legas manuſcriptum. ibid. Excommunicatio extenditur etiam ad retinentes: quis autem dicitur tales libros retinere. ibid. Cui autem tradendi ſint, & num poſſis privatim comburere. ibid. 2. Dicta procedunt etiam de libris prohibitis, donec corrigantur. ibid. Item extenditur excommun. contra imprimentes: quis autem dicitur imprimere. ibid. Demum contra defendentes: quis autem dicitur defendere. 359. 1. V. *Denunciatio*. Quid requiratur ad incurrendum caſum reſervatum in Diœc. Neapol. cum excommunicatione lata contra introducentes ſine debita licentia libros in civitate, vel vendentes, extrahentes, imprimentes, &c. 372. 1.

Li-

Libertus, Ad moralitatem actus non sufficit in natura lapsa libertas remota, & in causa: sed requiritur, ut procedat a principio indifferenti. 6. 1. Quæ libertas sufficiat ad meritum. 12. 2. Defectus libertatis inducens irregularitatem est triplex: servitus, matrimonium, obligatio ad ratiocinia. 494. 2. V. *Servitus*. *Matrimonium*. Obligatus ad ratiocinia quis sit, & quamdiu sit irregularis. ibid. & seq. Gravatus ære alieno sitne irregularis ex defectu obligationis ad ratiocinia. 495. 1.

Libertus. *Libertinus*. V. *Servus*.

Liberum dicitur, *Quod est a principio intrinseco, quod, positis omnibus requisitis ad agendum, physice potest agere, & non agere*. 5. 2. Ad moralitatem actus præter dictamen conscientiæ, & voluntarietatem, requiritur etiam, ut sit liber. 6. 2. Quinam actus sint formaliter liberi, & quinam tantum denominative. ibid.

Licentia differt a dispensatione. 43. 1. Licentia assistendi matrimonio delegari potest scripto, vel voce: porro sufficit, etiamsi sit tacita de præsenti. 404. 1. Num sufficiat licentia præsumpta. ibid. 2. Vel impetrata per dolum, ac fallaciam. ibid. Vel generaliter concessa, sive sponsis, sive Sacerdoti. ibid. Num possit Sacerdos delegatus ad assistendum matrimonio alium substituere. ibid. Licentia, ut valeat, debet esse acceptata. ibid. Data sub aliqua conditione, si hæc non servetur, licentia sitne semper invalida. 404. 2. Semel data revocari potest: quando autem intelligatur revocata. 405. 1. Num expiret morte concedentis, vel amotione ab officio. ibid.

Ligamen est *Matrimonium valide contractum cum alia*. 396. 2. Est impedimentum matrimonii, & quidem juris divini naturalis. In eo tamen Deus post diluvium dispensavit cum hebræis. 397. 1. Nunc autem neque Pontifex potest in eo dispensare. ibid. Conjux nequit novum matrimonium contrahere, donec certum nuncium recipiat de morte prioris conjugis: non ergo sufficit dubitatio, vel opinio de morte, &c. ibid. Unde colligi possit hujusmodi certitudo. ibid. Causa de libero statu ad quem remitti debeat. ibid. Quas pœnas incurrat, qui plures simul uxores habet. ibid. 2. Num licitum sit saltem successive plures uxores ducere, & num secundæ, & tertiæ nuptiæ sint Sacramenta. ibid.

Linea est *Ordinata series consanguineorum*. 390. 1. Alia est recta, alia transversalis. ibid. Gradus autem est *Certa quædam distantia duarum personarum in prædictis lineis*. ibid. Ut autem cognoscatur, in quo aliqui sint consanguinitatis gradu, tres apponuntur regulæ, ex D. Th. ibid. Regulæ autem procedunt de jure ecclesiastico: civile enim ab eis discrepat quoad lineas transversales. ibid. V. *Cognatio*.

Litteræ, V. *Dimissoriales*. *Testimoniales*. *Commendatitiæ*. Aperire, & legere alterius litteras sigillo munitas num sit peccatum, & an semper mortale. 230. 2. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum a superioribus ad inferiores, vel contra, est casus specialiter reservabilis in Ordinibus Religiosis. 375. 2. V. *Falsificatio*. *Appellatio*. Quandonam per litteras intelligatur complete contractum matrimonium inter sponsos. 429. 2. V. *Matrimonium*.

Loca exempta. V. *Subditus*.

Locatio. V. *Conductio*.

Lucrum cessans. V. *Mutuum*. *Possessio*. Lucrum turpe. V. *Turpe lucrum*.

Ludus est contractus, *Quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit*. 160. 1. Qui finis ludi sit licitus. ibid. Quot sint ludorum species, & quinam sint prohibiti. ibid. 2. Num peccet mortaliter tenens domum ludo illicito expositam, &c. Vel Princeps permittens. ibid. 2. Quid, si ludatur in Ecclesia, vel pro oratione Dominica, Salutatione Angelica, &c. ibid. Ad quid teneatur, qui perdit in ludo prohibito, vel in illo lucratur. ibid. Quatuor sunt conditiones justi ludi. ibid. Quid dicendum de vi, dolo, & fraude adhibita in ludo, & quid hic veniat nomine vis, doli, & fraudis. ibid. 1. Quid de impotente disponere de re, quam ludo exponit. ibid. Quid, si ludas cum impotente alienare, & lucreris. ibid. 2. Ludus sortium, V. *Sortes*. Quid de æqualitate colludentium. ibid.

Lumen pro sacrificio. V. *Sacrificium Missæ* in calce.

Luxuria. Mollities, sodomia, bestialitas specie differunt. 312. 2. Num & copula incepta, & completa. ibid. & 4. 1. Num pollutio tactibus propriis, vel alienis. ibid. & 312. 2. Vel, si quis se polluat tangendo solutam. ibid. Num in fornicatione specie differat circumstantia sponsi, & sponsæ de futuro. 313. 1. Num etiam circumstantia disparitatis cultus. ibid. V. *Incestus*. *Adulterium*. Sitne sacrilegium diversum peccare cum Religioso, ac cum Sacerdote. ibid. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus est inter casus Clem. VIII. reservabiles in Ordinibus Religiosis. 375. 1.

M

Magia. *Magus*, Magia est *Facultas operandi res mirabiles*. 78. 2. Alia est naturalis, seu artificiosa, quæ per se loquendo est licita. ibid. Alia superstitiosa, seu dæmoniaca, quæ ex toto genere est mortalis. ibid. V. *Obsessus*. Dæmonis invocatio in opere magico potest esse, vel explicita, vel tantum implicita. ibid. Magia superstitiosa sæpe alias contrahit malitias, puta sacrilegii, &c. ibid. V. *Maleficium*. Quæ sint pœnæ latæ contra Magos, & a quibus possint absolvi. 79. 2. Confessarius Magi, vel Veneficæ tenetur eos monere de quatuor obligationibus. 347. 2.

Magistratus supremus potest leges ferre. 22. 1. Teneturne suis legibus. 33. 2. Quæ, & quot dona possit facere. 132. 2. Nullus Magistratus civilis potest imponere pœnas fidelibus contrahentibus matrimonium sine consensu e. g. Parentum, vel cum extraneo. 384. 2. V. *Lex*. Magistratus quomodolibet se interponens in causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas, &c. incurrunt casum bullæ cœnæ. 362. 1.

Maleficium est, Quo magus utitur ad flectendos animos, puta ad amorem, &c. 79. 1. Veneficium, quo utitur ad inferendum damnum. ibid. An, & quibus modis tolli debeat maleficium, seu ejus effectus. ibid. Num licet petere a malefico, ut illud novo maleficio dissolvat. ibid. V. *Judex*. *Magus*. Venefici, veneficæ, &c. incurrunt casum reservatum cum excommunicatione Diœc. Neap. 369. 1. V. *Impotentia ad contrahendum matrim.*

Malitia moralis actuum humanorum alia est formalis, alia objectiva: formalis consistit in difformitate a recta ratione: num, & a natura rationali, aut a lege Dei primaria. 2. 2. Objectiva desumitur ab objecto formali, materiali, & a circumstantiis. 3. 1. & 5. 2.

Mandans quando proprie est talis, quando potius jubens. 198. 2. Quid, & quomodo teneatur ad restitutionem. 199. 1. Num teneatur de damno, quod mandatarius intulit excedendo fines mandati. ib. vel de damno, si quod forte ex tali mandato secutum sit ipsi mandatario. ibid. Vel de damno secuto post revocatum mandatum. ibid. Vel in dubio, an suum mandatum fuerit causa damni. ibid. V. *Ratumhabens*. An censura imposita contra *Facientes*, seu *Committentes* aliquod delictum comprehendat etiam mandantes. 448. 2. Num expresse lata contra mandantes incurratur ab his in omni casu: ibid. & seq. Num incurratur, etiamsi mandatum revocaverint. 449. 2. Mandantes sive tacite, sive expresse homicidium voluntarium, illud intendentes, incurrunt irregularitatem ex delicto. 481. 2. & seq. Num excusari possint, præsertim quando revocarunt mandatum utrobique. Quid, si mandent Homicidium casualiter secutum. 482. 2. Mandans Titio occidere Cajum, si accidat, ut Titius occidatur a Cajo, estne irregularis ex homicidio casuali. 484. 1. Quid, si mandes Titio, ut verberet Cajum, ille vero occidat. ibid. 2.

Mandatum est *Officium ab eo, qui gratis suscipit, exequendum*. 167. 2. 198. 2. Aliud est speciale, aliud generale. 167. 2. Neutrum potest esse de re illicita. ibid. Sex modis extinguitur. ibid. Quando ex executione mandati debeatur stipendium. ibid. Quod autem sit justum stipendium dandum famulis &c. ibid. Vel puaris Honorariis, vulgo *Paggi*. ibid.

Maritus. V. *Conjux*.

Martyr. *Martyrium*. Martyrium remittit omnem simul culpam, & pœnam. 307. 1. Ut deleat peccata, sufficit attritio. 255. 2. Num, si dormiens occidatur a Tyranno in odium fidei, sit vere martyr. ibid. In martyre ne habitualis quidem requiritur voluntas martyrium suscipiendi. ibid. Quandonam martyr fructus percipiat sui martyrii, & num eos etiam percipiat, si post susceptum lethale vulnus miraculose a morte liberetur. ibid.

Mater. Quando huic liceat saltem indirecte procurare abortum. 235. 2. Num possit die festo domi remanere ad custodiendam filiam. 104. 1. Quæ sit ejus obligatio in filios. 119. 2. Quid possit filiis donare. 133. 2. Num teneatur publice, vel private se manifestare adulteram, ne illegitimus succedat cum legitimis, præsertim in Regnum, &c. 211. 2.

Matrimonium unde sic dictum. 427. 1. Aliis etiam nominibus appellatur. ibid. Dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. ibid. Definitur matrimonium, præsertim ratum, *Contractus viri, & feminæ legitimus, quo mutua corporum potestas traditur, gratiæ spiritualis collativus*. ibid. Ad hujus validitatem requiritur remotio omnium impedimentorum dirimentium, & proprius utriusque consensus de præsenti expressus coram Parocho, & Testibus. ibid. Qui consensus requiratur in matrimonio, ut contractus est, & quando valeat in ratione contractus. V. *Contractus matrimonialis*. Tria sunt matrimonii bona, scilicet Prolis, Fidei, & Sacramenti. ibid. Matrimonium fidelium, de fide est, esse elevatum a Christo

Domi-

Domino ad rationem Sacramenti. 423. 2. Tale etiam est matrimonium hæreticorum. ibid. & 385. a. Secus vero matrimonium infidelium. 428. 2. Num evadat Sacramentum, saltem si postea baptizentur, & renovent consensum coram Parocho, & Testibus. ibid. Quæ sit materia, & forma Sacramenti matrimonii. ibid. Num consensus mutuus sit necessario verbis exprimendus, ut valeat Sacramentum. ibid. Num saltem ex præcepto sint necessaria verba formalia. ibid. Qui sit minister hujus Sacramenti. 429. 1. Num requirantur essentialiter verba illa Parochi *Ego vos conjungo* &c. ibid. Qualiter tamen peccet Parochus illa omittens. ibid. Neque essentialiter requiruntur benedictiones nuptiales: sitne tamen peccatum, & quale, illarum omissio sine justa causa. ibid. Secundæ autem nuptiæ non benedicuntur. ibid. Quæ intentio requiratur in contrahentibus, & num liceat aliquando fidelibus contrahere matrimonium nullum. ibid. 2. V. *Intentio*. Matrimonium inter absentes valide, & licite contrahi potest sive per nuncios, sive per litteras, sive per Procuratores. ibid. Quomodo valeat in ratione contractus. ibid. Quomodo in ratione Sacramenti. 430. 1. V. *Procurator*. Num, & quando necessario esse debeat in gratia principalis, nomine cujus procurator contrahit. ibid. & 2. Num, ut ipse procurator licite contrahat, debeat & ipse esse pariter in gratia. ibid. Matrimonium potest repeti, imo & laudabiliter aliquando conjuges privatim secum repetunt mutuum consensum. ibid. Matrimonium bona, vel mala fide contractum. V. *Conjux*, & infra. Quid agendum post matrimonium sic contractum. ibid. & 2. Ad matrimonii valorem requiritur assistentia Parochi, & testium. 402. 1. & 405. 1. V. *Clandestinitas*. Matrimonii Sacramentum num celebrari possit in loco interdicto, aut a personis specialiter interdictis. 478. 1. Num saltem in aliquibus casibus liceant in loco interdicto, vel personis interdictis benedictiones nuptiales. ibid. 2. Matrimonium, etiam cum virgine, quousque durat, reddit maritum irregularem, seu inhabilem ad ordines, exceptis tamen tribus casibus jure concessis. 494. 2. At quid, si post consummatum matrimonium putans bona fide, uxorem esse mortuam, initieris sacris, & postea rescias eam vivere; & hæc resciens te initiatum sacris consentiat, ut in his maneas separatus ab ipsa. ibid. Per matrimonium a sponso cum alia contractum num dissolvantur sponsalia prius inita cum altera sponsa. 445 1. Num soluto tali matrimonio per mortem, vel per professionem religiosam uxoris teneatur sponsus redire ad priorem sponsam, si ipse velit. ibid. Matrimonium potest esse invalidum, vel ex impedimento dirimente, vel ex defectu consensus. 430. 2. An, & quando in utroque casu revalidandum. ibid. Obligatio revelandi impedimentum ante, vel post etiam matrimonium quos urgeat. ibid. & seq. V. *Parochus*. *Episcopus*. *Confessarius*. Quomodo probari possit impedimentum ante matrimonium. 431. 1. An, & quomodo sit revalidandum matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens. ibid. 2. Num, quando unus tantum est in bona fide, fieri debeat certior de nullitate, itaut etiam ipse de novo libere, & absolute consentiat. ibid. An, & quomodo revalidandum, si sit invalidum ex defectu consensus. 432. 1. 2. Hujusmodi autem defectus tripliciter potest accidere: vel quia consensus fuit fictus. ibid. 1. Vel quia fuit coactus. ibid. Vel quia suspensus a conditione de futuro. ibid. 2. Num ad revalidandum matrimonium invalidum ex consensu ficto sufficiat, si solus deceptor vere consentiat, an etiam requiratur novus consensus ex parte decepti. ibid. 1. Qui metum passus invalide contraxit cum Berta e. g. & nolens revalidare duxerit aliam, si postea impotens probare metum, cogatur, sive per excommunicationem, sive metu mortis ad cohabitandum cum Berta, ad quid teneatur. ibid. Quid hic agere debeat, si antequam duxerit aliam, cogatur etiam metu mortis ad habendam copulam cum Berta, cum qua coacte contraxit. ibid. Num ad revalidandum matrimonium invalidum requiratur iterum assistentia Parochi, & testium. ibid. 2. & seq. Matrimonium occultum denunciationibus omissis, vulgo nuncupatum *matrimonium conscientiæ* quando potest permitti. 409. 1. Quid circa hoc decrevit Bened. XIV. ibid. & 2. Matrimonium ex metu initum. V. *Metus*.

Medicus. *Medicina*. Medicus num peccet dando pharmacum ægroto minus efficax relicto efficaciori. 20. 1. Quandonam incurrat casum reservatum in diœces. Neap. omittendo admonere infirmum de Sacramentis suscipiendis. 308. a. & 373. 1. Medicus cum infirmo actuali nequit inire societatis contractum. 157. 2. Num possis licite petere, & dare medicinas excommunicato vitando. 459. 2. Medicus, seu Chirurgus quando incurrant irregularitatem ex delicto homicidii casualis. 483. 1. V. *Abortus*. *Pharmacopola*. Num etiam incurrant ex omissione. 484. 2.

Melioramenta, alia sunt intrinseca rei, alia extrinseca. 191. 1. V. *Possessor*.

Mendacium in confessione circa materiam liberam probabilius est tantum veniale. 328. 1. Circa materiam necessariam est grave sacrilegium. ibid. Qui confitetur mortale, de quo dubitat, an antehac sit confessus, num tenetur dicere, se de hoc dubitare. ibid. Num valide confiteatur, qui dicit, se velle confiteri generaliter, & peccatis alias confessis misceat nova, quin dicat, illa non esse antea confessum. ibid. Vel qui ex necessitate confitens huic confessario e. g. cui ex justa causa tacet aliquod peccatum, id ab eo interrogatus negat. ibid. Vel, qui mentitur circa individuum physicum peccati. ibid. 2.

Mendicantes. Privilegia uni Mendicantium ordini concessa etiam principaliter intelliguntur concessa aliis ex Pio V. 54. 1. Confessarii mendicantes, & qui cum his communicant in privilegiis, in quo possint dispensare pro foro conscientiæ. 46. 1. Num possunt vota commutare, vel in iis, aut juramentis dispensare. ibid. Quæ privilegia habeant circa Eucharistiæ administrationem. 269. 2. Possunt cum suis subditis religiosis bigamis dispensare ad sacros ordines. 490. 2. Item in irregularitate orta ex homicidio voluntario, sed occulto. 482. 2. Item orta ex mutilatione etiam occulta. 486. 2. V. *Quæstor*.

Mercator. Mercatores num excusentur a mendacio, aut perjurio, si dicant verbis hyperbolicis, vel etiam jurent se non posse tali pretio merces vendere, vel eas sibi pluris constare. 88. a. Si Mercator venderet alicui merces pretio summo bona fide, si ille ipsi revenderet minoris, num mercator committeret usuram, vel injustitiam. 146. 1. Num teneatur quidquam restituere, si sine dolo, ex intentione tamen damnificandi mercatorem vicinum, emptorem invitet ad suam officinam. 188. 2.

Meretrix. Num licite locari possit domus meretrici. 162. 2. Ex contractu, etsi illicito cum meretrice, num tenearis illi e. g. pretium solvere. 524. a. Ad quid teneatur, qui per vim copulam extorsit a meretrice. 237. 2. Si meretrix nupsit, & pariat septimo a nuptiis mense, ejus partus censendusne sit legitimus. 491. 2.

Merx est *Quævis res vendibilis*. 148. 1. Quæ ista sit. ibid. Hujusmodi non est beneficium ecclesiasticum, & reliquæ res sacræ. ibid. Num sint talia officia temporalia. ibid. V. *Emptio*, & *venditio*. Ad quid tenearis, si emas, vel vendas mercem furtivam. 142. 1. V. *Gabellæ*.

Metus est *Mentis trepidatio ob periculum imminens, vel futurum*. 7. 1. & 128. 1. Alius est gravis absolute talis, vel tantum respective, alius levis. 7. 1. & 394. 2. Differt a vi absoluta. 7. 1. Potest incuti, tum ab extrinseco, tum ab intrinseco, tum juste, tum injuste. ibid. Actus contra conscientiam positus ex metu levi, aut gravi, num, & quando sit peccaminosus. 8. 1. 2. Num sit peccaminosus, si hujusmodi metu positus sit contra legem naturalem, divinam, positivam, aut humanam. ibid. Metus levis juste, vel injuste incussus non impedit valorem contractus, uti nec metus gravis proveniens ab intrinseco, nec metus gravis juste incussus. 128. 2. Metus gravis ab extrinseco, etsi ab altero contrahente injuste incussus, non irritat contractum spectatum jure naturali. ibid. & seq. Num contractus ex tali metu initus possit rescindi. 129. 2. Num aliquis contractus initus ex metu gravi injuste incusso sit ipso facto irritus jure positivo. ibid. Sponsalia inita ex metu. V. *Sponsalia*. Num incurrat reservationem, qui compulsus metu committit casum reservatum. 350. 1. Approbatio ex metu extorta. V. *Approbatus*. Valetne ordinatio facta ex metu. 295. 2. V. *Ordo*. An liceat ministro ob metum gravem dissimulare Sacramenta. 252. 1. Metus levis, vel gravis, qui proveniat ab intrinseco, non dirimit matrimonium. 394. 1. Solus metus gravis injuste ab extrinseco incussus ad finem extorquendi matrimonii dirimit matrimonium jure tantum ecclesiastico. 385. 2. & 394. 1. 2. Idque verum est, etiamsi tali matrimonio addatur juramentum. ibid. 2. Num etiam metus reverentialis dirimat matrimonium. ibid. V. *Preces*. *Blanditiæ*. *Judex*. Num irritum sit matrimonium ex gravi metu contractum, qui juste quidem incuti posset ob alios fines, reipsa tamen de facto incutitur ad extorquendum matrimonium. 395. 1. Num peccet matrimonium contrahens ex metu gravi injuste incusso. ibid. Quam pœnam incurrat ad id cogens. ibid. 2. Quid agere debeat, si deinde cogatur ad copulam. V. *Impedimentum publicæ honestatis*. Censura ex metu gravi lata sitne valida. 450. 2. Ab ejus incursu non excusat metus levis. 454. 2. Num saltem excuset metus gra-

vis

vis ab incurrendis censuris impositis delictis prohibitis jure naturali, ac divino, aut saltem ecclesiastico. ibid. Num excuset censuratum ab exequendis effectibus censuræ jam incursæ. 455. 1. Num metu gravi coactus excuseris a communicando cum excommunicato vitando. 461. 1. Qui ex metu gravi permittit se rebaptizari, sitne irregularis. 487. 1. Quid de rebaptizante ex eodem metu. ibid.

Miles. Milites num possint communicare, & in quo cum ducibus vitandis. 461. 1. Quando evadere possint irregulares. 489. 1.

Minimi quid possint circa minuendum numerum Missarum, quando legatum e. g. evadit notabiliter tenue. 225. 1.

Minister Sacramentorum. V. *Sacramentum*.

Minor, seu *Minorennis* num possit contrahere. 126. 2. Num donare mortis causa. 134. 2. Quando teneatur commodatum custodire. 140. 1. Si accipiat pecuniam mutuam, quam profudit, nihil tenetur restituere. 216. 2. V. *Curator*.

Minores Religiosi quid possint circa minuendum numerum Missarum. 225. 1. V. *Minimi*.

Missæ Sacrificium. V. *Sacrificium Missæ*.

Modus est *Qualitas adjecta contractui*. 123. 1. Alius dicitur in diem, alius demonstratio, alius causa, alius pœna, alius evictio. 416. 2. Differt modus a conditione. ibid.

Mohatra contractus quid sit. 145. 2. Est illicitus. ibid.

Mollities, V. *Luxuria*.

Monachus. *Monasterium*, V. *Religiosus*. *Regularis Prælatus*. *Regularis Superior*. *Abbas*, *&c.*

Moneta. Monetam cambiens, V. *Cambium*. Monetam falsificans quot peccata committat. 205. 1. Num, & cui restituere debeat eam falsificans. ibid.

Moniales, aliæ sunt exemptæ a jurisdictione Episcopi, aliæ non. 350. 2. Omnes incurrunt casus reservatos Papales. ibid. Num etiam Episcopales, vel reservatos in illa Religione, cui ipsæ subduntur in spiritualibus. ibid. Clausura Monialium. V. *Clausura*. Moniales num possint esse matrinæ in baptismo. 258. 1. Vel in confirmatione. 262. 1. V. *Approbatus ad Moniales*. Num tempore jubilæi possint Moniales sibi eligere in Confessarium, approbatum ab Episcopo pro sæcularibus. 341. 2. Loquentes cum Monialibus incurrunt casum reservatum cum excommunicatione in Diœc. Neapol. 369. 1. Num excusentur a tali incursione ob necessitatem, vel materiæ parvitatem. ibid. Num incurrant etiam feminæ, Episcopi, pauperes, famuli, parvuli, &c. 369. 2. Num etiam consanguinei, vel alii loquentes cum Abbatissis, Priorissis, vel Novitiis, Educandis, &c. ibid. Quid de Religiosis. ibid. Num incurrant etiam hunc casum consanguinei in primo, vel secundo gradu, vel qui habentes licentiam loquendi, vel loquentes cum Abbatissa, &c. agant de obscœnis, &c. 370. 1. Num aliquando excusari quis possit a tali incursione. ibid.

Monopolium est *Cum unus, vel plures efficiunt, ut ipsi solum aliquod mercium genus vendant, vel certo pretio vendant*. 150. 2. Fit autem 4. modis, ibid. & seq.

Montes Pietatis qua ratione exigentes in mutuo aliquid ultra sortem excusentur ab usura. 144. 2. Num possint accipere etiam pignora. ibid. Illis plus licitum est exigere, quam privatis. 145. 1. Montes mixti etiam sunt liciti, si auctoritate publica sint fundati. ibid.

Moralitas actuum est eorum bonitas, vel malitia. 2. 1. V. *Bonitas*. *Malitia*. *Liberum*. *Voluntarium*.

Moribundus potest absolvi a Ministro, qui non est in gratia etiam citra hujus culpam. 249. 2. Confessarius num teneatur audire ad confitendum moribundum maxime rudem, &c. 110. 1. V. *Scrupulosus*. *Extrema unctio*. *Parochus*. *Interpres*. *Impotentia physica*. Moribundus est constitutus in gravi necessitate suscipiendi Eucharistiam, etsi confessus sit. 271. 1. Quando verificatur quod sit in mortis articulo. 329. 2. Tunc licet moribundo confessio formaliter tantum integra. ibid. Si nequit loqui, ex quibus signis possit arguere Confessarius, illum petere absolutionem. ibid. Si signum sit dubium, possitne absolvi sub conditione. ibid. Quid, si huic moribundus, neque per se, neque per alium dederit pœnitentiæ signum. ibid. Num possit absolvi, qui actualiter peccando destituitur sensibus. 330. 1. Vel catholicus in duello, vel adulterio confossus, si supersit aliquod tempus ante mortem. ibid. Si sit infidelis, vel hæreticus, vel fidelis jam mortuus, etsi signa ante dederit pœnitentiæ, nequit absolvi. ibid. Num quilibet Sacerdos possit moribundum absolvere licite & valide a quibuscumque peccatis, & censuris. 335. 2. Num etiam simplex Sacerdos, si præsens sit alius approbatus. ibid. Num dicta procedant in mortis periculo æque ac in mortis articulo. ibid. & seq. V. *Baptismus*. V. *Reservata*, *&c.* Moribundus per simplicem Sacerdotem a quibuscumque peccatis reservatis absolutus, si convalescit, non tenetur se sistere superiori, cum ab iis fuerit tunc directe absolutus. 335. 2. & 347. 2. Quod si tunc dicere ea non potuit, satis est, si inde ea aperiat cuivis Confessario. ibid. Num idem dicendum de censuris. ibid. V. *Excommunicatio*. *Juramentum*.

Mulier se ornans, & virorum aspectui se offerens num peccet peccato scandali. 117. 1. Num possit fidejubere. 166. 2. Num possit aliquando excusari ab excomm., ingrediendo Monasteria Monialium. 474. 1.

Muliones num excusentur iter agentes die festo jumentis oneratis. 100. 2.

Munus. Munera alia sunt realia, alia personalia, alia mixta. 170. 1. V. *Judex*. Quæ munera possint Regulares elargiri. 227. 2. V. *Regulares*.

Mutilatio. *Mutilator*. Mutilator est *Qui hominis integrum membrum injuste abscindit*. 233. 1. V. *Homicida*. Mutilatio est *Membri abscissio*, *seu obtruncatio*. 485. 2. Sic mutilans incurrit irregularitatem ex delicto, & extenditur ad mandantes, consulentes, &c. ibid. Num incurras irregularitatem, si sine abscissione debilites alteri membrum, itaut fiat ineptum ad proprium officium. ibid. Vel alteri mutiles membrum aridum, & inanime. ibid. Vel qui aliquem obcœcat. ibid. Vel mutilat membrum cadaveris. ibid. Num sit irregularis, qui alteri mutilat partem membri. ibid. & seq. Vel qui amputat sibimet membrum, vel partem membri. 486. 1. Num in dubio facti mutilationis debeas te gerere irregularem. ibid. 2. In hujusmodi irregularitate quis valeat dispensare. ibid.

Mutus num teneatur ad restitutionem. 201. 2. V. *Restitutio*. Vel ad Missam audiendam die festo. 103. 1. Vel ad sumendam Eucharistiam tempore paschatis. 271. 2. Quomodo confiteri debeat. 329. 1. Mutus est irregularis. 493. 1. Quid, si sit tantum blæsus, balbus, carens dentibus, &c. ibid. Si pœnitens si mutus num confiteri teneatur scripto, vel nutibus. 329. 1. V. *Custos mutus*.

Mutuum. *Mutuans*. *Mutuatarius*. V. *Usura*. Mutuum est *Traditio rei in suo genere functionem recipientis facta eo animo, ut statim fiat accipientis cum obligatione, ut similis specie, & bonitate restituatur*. 140. 2. Quando perficiatur. 141. 1. Differt a commodato, deposito, &c. quia transfert statim in mutuatarium dominium. ibid. Differt a donatione. ibid. Quæ similitudo sufficiat in mutuo. ibid. Quid intersit inter mutuum pecuniarium, & frumentarium, aliarumve mercium. ibid. Mutuans ad quid teneatur. ibid. Ad quid mutuatarius. ibid. 2. Num mutuatarius teneatur solvere usuras vi promissionis, vel juramenti. 142. 1. Num possit licite petere mutuum ab usurario. ibid. 2. Tres sunt tituli exigendi aliquid ultra sortem in mutuo: Lucrum cessans, Damnum emergens, Periculum amittendæ sortis. 142. 2. Debet tamen auctarium esse justum, & de eo monere mutuatarium. ibid. Quodnam sit lucrum cessans. 143. 1. Ob hoc licite potest exigi aliquid ultra sortem, non tamen in extrema proximi necessitate: idque verum est, sive mutues vi, sive sponte. ibid. Num possit pacisci pretium certum, & determinatum pro spe ipsa lucri, vel pretium incertum pro ipso lucro. ibid. Num liceat exigere aliquid pro lucro cessante, si habens alias pecunias otiosas subtrahas negotiationi illam, quam mutuas. ibid. Vel, si antequam petatur mutuum, subtraxeris pecuniam a negotiatione, ut alteri, quem scis periturum, possis mutuare. ibid. 2. Vel si ob pecuniam negotiationi subtractam pro mutuo te applices aliis industriis, &c. ibid. Vel si pecuniam, quam mutuas, destinaveras negotiationi tantum sub conditione, nisi scilicet a te peteretur mutuum. ibid. Vel demum per hoc, quod in mutuum pecuniæ nondum negotiationi destinatæ prives te spe incerta illam destinandi in futurum. ibid. Damnum emergens quid sit. ibid. Quid requiratur, ut pro eo possis aliquid exigere ultra sortem in mutuo. ibid. Num debeat esse liberum mutuatario pacisci, vel de damno, vel de periculo damni. 144. 1. V. *Usura*: Periculum amittendæ sortis aliud est mere possibile, & ob id nihil potest exigi; aliud est proximum, prudens, &c., & ob hoc potest aliquid exigi taxandum prudentium judicio. ibid. Idque multo magis, si mutuans in se suscipiat periculum rei mutuatæ. ibid. 2. Quomodo explicandus textus ille c. *Naviganti*, *de Usuris*. ibid. 2. Si accipiatur pignus, vel habeatur fidejussor, non potest aliquid exigi ratione periculi. ibid. & seq. Num possit etiam aliquid accipere mutuans Principi. ibid. 2. Num liceat pacisci, ut mutuatarius, si non restituerit tempore statuto, aliquid ultra sortem solvat in pœnam suæ moræ. ibid. Num liceat percipere fructus ex pignore dato a mutuatario in securitatem sortis. ibid. Num possit aliquid ultra

sortem exigere, eo quod mutuando privas te consolatione tuæ pecuniæ, &c. 145. 1. Vel ex eo, quod pecunia præsens, qua te privas, censeatur melior illa restituenda a mutuatario. ibid. Vel eo quod mutuans, te obliges ad non repetendam sortem intra certum tempus. ibid. V. *Apodixæ. Usura, &c.* Qui scit, vel probabiliter credit, se non posse restituere, num possit pecuniam mutuo, vel ad censum accipere. 141. 2. Num mutuans teneatur ad restitutionem, si ipse animo usurario accepit remunerationem, quam omnino liberaliter mutuatarius ei dedit. 145. 2.

N

NArratio peccatorum mere historica facta Confessario num sufficiat ad confessionem. 317. 2. & 323. 1.

Necessarium ad salutem, aliud dicitur tale necessitate medii, aliud necessitate præcepti. 242. 1. & 306. 1. Necessaria necessitate medii alia sunt in re, alia saltem in voto. ibid.

Necessitas, V. *Furtum*. Duplex est extrema proximi necessitas, corporalis scilicet, & spiritualis. 110. 1. & 212. 2. V. *Pœnitentiæ Sacramentum*. Utrique tenentur sub gravi succurrere. 110. 1. Num tenearis cum propriæ vitæ discrimine subvenire proximo constituto in extrema necessitate salutis æternæ. ibid. Vel in extrema vitæ necessitate. ibid. 2. Nisi succurras, quantum potes, & debes, indigenti extreme, num probabiliter pecces tantum contra charitatem. ibid. Num ille possit a te surripere. ibid. & 217. 2. Num tamen tu tenearis illi dare gratis, si alibi habeat, vel habebit, &c. 110. 1. Num teneatis cum propriæ vitæ discrimine subvenire Reipubl., vel personæ ei maxime necessariæ in extrema, vel quasi extrema necessitate. ibid. Num licite possis te in discrimen vitæ exponere ad subveniendum proximo extreme indigenti. 111. 1. Quis ordo charitatis servandus sit in extrema plurium proximorum necessitate spirituali, vel temporali. ibid. Extrema necessitas num excuset a restitutione. 212. 2. Num debitor teneatur restituere, si ipse, & creditor sint in extrema necessitate constituti. ibid. An teneatur saltem transacta extrema necessitate. ibid. & seq. V. *Fur*. Quæ sit gravis proximi necessitas corporalis. 111. 1. & 212. 1. Alia bona sunt necessaria vitæ, alia superflua vitæ, sed non statui, alia utrique superflua. 111. 1. Num ex superfluis statui tenearis succurrere gravi proximi necessitati. ibid. 2. Quid de superfluis vitæ. ibid. Num graviter indigens possit a te surripere superflua tuo statui. ibid. 217. 2. Quo ordine succurrendum in gravi plurium necessitate. ibid. Gravis necessitas, quamdiu durat, excusat a restitutione. 212. 1. Num tamen liceat in ea furari. ibid. Si sit perpetuo duratura, num debitor sit perpetuo liber a restitutione. ibid. Quid, si sit in pari gravi necessitate cum creditore. ibid. Num teneatur cum jactura status injuste acquisiti. ibid. Num teneatur minuere victum, familiam, &c. ibid. Num excusetur a restitutione ex gravi necessitate suorum, vel proximi. ibid. Quæ sit communis proximi necessitas. 111. 2. & 212. 1. Hæc num excuset a restitutione. ibid. 2. Num ex statui superfluis tenearis succurrere pauperibus communiter indigentibus. 112. 1. Præsertim, si sis dives. ibid. Aliter satisfacere debent huic obligationi Ecclesiastici beneficiati, aliter Laici. ibid. Qui ordo servandus in communi proximorum necessitate. ibid. Quæ necessitas communicandi cum excommunicato vitando excuset a culpa, & pœna. 46. 1.

Negotiatio est *Cum quis emit mercem eo animo, ut integram & non mutatam, vendendo aliis, lucretur*. 151. 1. De se non est illicita. ibid. Cui tamen prohibita sit. ibid. Exponitur hac super re recens Constit. Bened. XIV. ibid. 2. Quando proprie non est negotiatio, sed potius industria etiam Clericis, & Monachis licita. ibid. 1. V. *Religiosus. Clericus, &c.*

Negotia gesta quæ sint; & quæ obligatio inde oriatur tam in gerente alterius negotium, quam in eo, cujus negotium geritur. 187. 1. Num ea gerens possit sibi reficere labores, & expensas. ibid.

Neophytus. Qui proprie sit Neophytus. 494. 1. Estne hic irregularis ex defectu animi. ibid. Pro quo tempore quis censendus sit neophytus. ibid.

Nomen. Nominis divini vana usurpatio quæ sit. 83. 2. Est de se venialis, præciso contemptu, scandalo, &c. ibid. Si fiat ex indignatione in Sanctos, vel in Deum, est blasphemia. ibid.

Non obstans, non manifestans, non impediens, V. *Restitutio*.

Notarius conficiens scripturam falsam in damnum tertii, &c. num teneatur etiam publice se aliquando retractare. 211. 2. Quando evadit irregularis. 489. 1. Num famulus notarium adjuvans transcribendo scripturam, in qua continetur sententia sanguinis, & ipse evadat irregularis. ibid. Notarius, etsi peccet, si tempore excommunicationis officium acceptet, valide tamen instituitur. 488. 2.

Notorietas. Notorium. Notorietas, alia est juris, alia facti, alia famæ, 457. 2. Crimen autem etiam tripliciter potest esse notorium: jure, facto, fama. 228. 1. V. *Detractio*.

Novitas in fide. V. *Neophytus*.

Novitius. Novitia. Novitiatus. Novitius quid possit donare inter vivos. 133. 1. Vel mortis causa. 135. 1. Num possit testari. 136. 2. Num negotiari. 151. 1. Num teneatur ad Horas. 73. 1. Num, & quos casus reservatos incurrat. 350. 2. Cui possit confiteri. 340. 2. Præsertim, si babeat reservata. 354. 1. Novitii a quibus accipere possint, vel debeant testimoniales. 299. 2. Nequeunt ascendere ad sacros ordines, nisi titulo beneficii, pensionis, aut patrimonii. 305. 1. Si ordinentur in Sacris titulo paupertatis Religiosæ, incurrunt suspensionem; &, si in ordine sic suscepto ministrent, irregularitatem. ibid. 2.

Novitiæ Monialium. V. *Clausura, Sepultura Ecclesiastica*. Si quis vovit ingredi Religionem, & bona fide novitiatum ingressus ex justa mox causa exeat, potest licite matrimonium contrahere. 407. 2. Novitius autem, etsi nullum votum emiserit, nequit matrimonium licite contrahere. ibid. Num possint Novitius, vel Novitia communicare cum suis superioribus vitandis. 469. 2. Novitiatus tempore non dissolvitur matrimonium ratum. 434. 1.

Nuncius matrim. V. *Procurator*.

Nundinæ num liceant die festo. 100. 2.

Nuncius Apostolicus potest in dispensationibus pro sua provincia, quidquid potest Episcopus in sua Diœcesi. 46. 1. Num possit approbare ad confessiones. 339. 1. Num possit aliquando dispensare in temporibus ordinationum. 301. 2. Potest pro sua Provincia, & ordinare, & dimissorias concedere. 298. 2. Imo Ultramontani, & alii nati extra Italiam, debent (si velint ordinari intra Italiam) Nuntiis Apostolicis ostendere dimissorias, &c. ibid. Num possint in Religiosos ferre censuras. 447. 1.

Nuptiæ. Nuptiarum Benedictio, &c. V. *Matrimonium*.

O

OBedientia. Quid specialiter dicendum de obedientia filiorum relate ad matrimonium. 395. 2. V. *Filius*. Num filiæ, petito consilio parentum, si adhuc contra horum voluntatem ineat matrimonium, negari possit dos: vel, si nuberet indigno, privari possit alimentis. 396. 1.

Obex Sacramentorum, alius est positivus, alius mere negativus. 254. 1. Num ipso remoto reviviscant Sacramenta quoad causandam gratiam, & venialia remittenda. ibid.

Oblivio. V. *Ignorantia*.

Observantia vana est, *Qua credit, mediis improportionatis aliquid obtinere*. 82. 2. Est ex toto genere mortalis. ibid. Quæ sint media isthæc improportionata. ibid. & seq. V. *Dubium*. Quid de vana observantia in verbis, aut rebus sacris, aliisque operibus virtuosis, aut indifferentibus. 81. 1. 2. Quid in rebus, vel causis naturalibus. ibid. & seq.

Obses num possit testari. 136. 1.

Obsessus. Si dæmon in obsesso dicat, alicubi esse thesaurum, &c. num licitum sit experiri, inquirere, &c. 78. 2. Num obsessis danda sit Eucharistia tempore paschatis. 272. 1.

Obstetrix. Infantes baptizati ab obstetrice, vel dubie, vel certe venefica sunt rebaptizandi. 259. 2. Quid, si obstetrix sit integræ famæ. ibid. Porro quæ sit in hoc consuetudo. ibid.

Occasio peccandi, alia est proxima, alia remota. 378. 2. Num versans in occasione remota possit absolvi. 379. 1. Quid, si versetur in proxima. ibid. Num possit absolvi, antequam tollat occasionem proximam peccandi, dummodo serio promittat eam sublaturum. ibid. V. *Concubinarius*. Quid, si talis occasio sit ei necessaria. ibid. Vel contra, si potens quis cum aliquo suo incommodo eam tollere, nolit. ibid. Vel, si directe, vel indirecte quærat occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali suo, vel alterius. ibid. 2.

Odium peccati, V. *Contritio*. Odium, detractio, &c. contra parentes sunt diversæ speciei ab aliis. 315. 1. Qui veniant nomine parentum. ibid. Odium proximi quod peccatum sit. ibid.

Odium Dei directe opponitur charitati. 70. 2. Est peccatum per se grave, nullam admittens materiæ levitatem. ibid.

Odium abominationis num sit semper mortale. Illud regulari-

lariter peccatum non est, nisi cadat in personam. 125. 1. & 2. Num quodvis odium proximi sit ejusdem speciei. ibid. Odium inimicitiæ in quo differat ab ira, indignatione, vel appetitu vindictæ. ibid. 2. Vel ab invidia. ibid.

Officium divinum. V. *Horæ Canonicæ*.

Officia publica sunt officia Tutoris, Procuratoris, &c. 464. 2. Num hæc officia valide, etsi illicite, exerceantur ab excommunicato etiam vitando. ibid. V. *Tutor*. *Advocatus*, *&c.*

Officia divina quæ sint. 476. 2. Hæc prohibentur active, & passive tempore cujusque interdicti. ibid. Porro tempore interdicti localis generalis aliqua divina officia permittuntur Clericis in Ecclesiis, & Monasteriis. ibid. Quæ autem sint hæc officia, & quid veniat nomine Ecclesiarum, Clericorum, &c. ibid. Ut autem Clerici hujusmodi officia licite exerceant tali tempore, quatuor conditiones sunt eis servandæ. 477. 1. Sunt & aliquæ festivitates anni, in quibus ex c. *Alma Mater* licet missas, & divina officia publice, & solemniter celebrari sine præfatis conditionibus, exclusis tantum excommunicatis denunciatis: num etiam interdictis. ibid. Utra ex his duabus concessionibus militet in interdicto speciali locali, vel in interdicto generali personali populi. ibid. 2. Sunt tamen aliqua, quæ non prohibentur tempore cujusvis interdicti. ib.

Omissionis peccatum. V. *Peccatum*. *Homicidium*.

Onera Ordinati. V. *Ordo*. *Tonsuratus*. *Diaconus*, *&c.*

Opera Satisfactoria. V. *Satisfactio Sacramentalis*.

Opinio probabilis, seu *Probabile est Quod nititur motivo non quidem certo, sed tamen gravi, solido, magnique momenti, itaut movere possit virum prudentem ad assensum*. 17. 1. Quæ sit opinio probabilior. ibid. & 18. 1. Quæ probabilissima. 17. 2. Ejus motivum aliud est extrinsecum, aliud intrinsecum. ibid. 1. Quæ sit opinio tenuiter tantum probabilis. ibid. Juxta hanc operari præcisa extrema necessitate est illicitum. ibid. 2. Num opinio solide probabilis intra fines solidæ probabilitatis suscipiat magis, & minus. ibid. In opinione probabili quæ sit pars tuta, quæ tutior, & quæ minus tuta. ibid. Non peccat, qui in praxi sequitur opinionem probabilem relicta tutiore æque probabili. 18. 2. Neque, qui in praxi sequitur opinionem probabiliorem faventem suæ libertati, relicta tutiora minus probabili favente legi. ibid. 1. Neque, qui operatur juxta opinionem minus probabilem de licentia actionis, relicta probabiliore tutiora. 19. 1. Quæ sint opiniones oppositæ æque probabiles, & num se elidant. 18. 1. & seq. Num major probabilitas elidat minorem oppositam. 19. 2. Si esset obligatio sequendi probabiliora, plura sequerentur absurda. ibid. Licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam. 17. 2. Qui probabilius putat, aliquid non licere, possitne hoc non obstante illud ponere juxta probabilem opinionem aliorum oppositam. 20. 1. In administratione Sacramentorum non licet ministro uti sententia tantum probabili de valore Sacramenti relicta tutiore, &c. 17. 3. & 250. 1. V. *Sacramentum*. Si Probabile tantum tibi sit, Titium v. g. esse excommunicatum nominatim denunciatum, teneris ne illum vitare. 457. 2.

Oratio late sumpta est *Quæcumque mentis elevatio ad Deum per Deum*. Stricte accepta definitur *Petitio decentium a Deo*. 73. 1. Duplex de ea datur præceptum. ibid. Qualis debeat esse oratio, & quæ res, quæ petitur. ibid. Quæ attentio requiratur ad orationem. 290. 1. V. *Attentio*.

Oratorium privatum est *Locus aliquis intra domum hominis privati deputatus ad tempus ad divina officia*. 282. 1. Quibus privilegiis gaudeat, & in quo differat ab oratorio erecto in domo Episcopi, Regularium, &c. ibid. Qua auctoritate erigi possit, ubi, & quomodo erigendum ab habente privilegium sedis Apostolicæ. 282. 1. Durat usque ad mortem privilegiati: at quid, si mutat domicilium. ibid. Num cesset morte concedentis. ibid. Num possit pollui. ibid. 2. Quot missæ singulis diebus possint in eo dici. ibid. Num omnes ibi audientes missam die festo, præcepto satisfaciant. ibid. & 102. 2. Num in iis liceat celebrari absentibus illis, in quorum commodum privilegium est concessum. 282. 2. V. *Ecclesia*. Num diebus hebdomadæ sanctæ liceat, missam celebrari in his oratoriis. 285. 1.

Ordines majores, *vel minores*. V. *Ordo*. *Ordinatus*. *Diaconatus*. *Subdiaconatus*. *Presbyteratus*. *Tempora ordinationum*. *Sponsalia*, *&c.*

Ordinatus. Ordinati in sacris ex metu gravi num teneantur ad horas. 73. 1. V. *Clericus*. Tenetur libere ordinatus ad horas, quæ tunc in choro dicendæ essent. 75. 2. Quas pœnas incurrat, qui ordinatus in sacris contrahit matrimonium. 396. 2. V. *Infans*. Ordinatus prima tonsura, vel ordinibus minoribus quam pœnam subeat, & num peccet contrahens matrimonium. V. *Ordo*.

Ordo. Sacramentum ordinis definitur *Signum sensibile*, *quo tribuitur spiritualis potestas circa Eucharistiam*. 292. 2. Ordines septem ex Tridentinum unum sunt Sacramentum. ibid. Quæ sit materia cujuscumque ordinis. 293. 1. 2. Quam determinationem circa materiam, & formam ordinum statuit Christus Dominus, quam Ecclesiæ reliquit. ibid. 1. An ad valorem ordinationis requiratur contactus physicus. ibid. 2. Num etiam cujusvis materiæ. 294. 1. Quæ sit forma ordinationis. ibid. Num esse debeat necessario verbalis, & immutabilis. ibid. Sitne valida ordinatio, si forma proferatur ante, vel post materiam proximam. ibid. Quando esse possit prudens dubium de valore suscepti ordinis, & num hic debeat repeti casu, quo repetatur baptismus. ibid. 2. Hujusmodi autem reordinatio fieri potest sub conditione a quocumque Episcopo, & quovis tempore, etiam in oratorio privato. ibid. Valet ordinatio, si unus Episcopus conferat potestatem consecrandi, & deinde eo deficiente, alter Episcopus conferat potestatem absolvendi. ibid. Quæ intentio requiratur ad ordinationem. V. *Intentio*. Qua animi dispositione accedere quis debeat ad statum Ecclesiasticum. 295. 1. An valeat ordinatio facta ex metu gravi injuste incusso. ibid. 2. An, & quando teneatur Sacerdos celebrare tres illas missas, quæ ei injunguntur ab Episcopo ordinante. 287. 1. Quæ sint munera, & onera ordinatorum. 295. 2. Quæ sint pœnæ male ordinati. ibid. & seqq. V. *Suspensio*. *Clericus*. Quæ malas ordinantis. 269. 1. Num liceat Episcopo aliquid accipere pro collatione ordinum. ibid. 2. V. *Tempora ordinationum*. *Interstitia*. *Ætas*. Episcopus est minister ordinum, quot, ut licite conferat, requiritur, ut sit proprius ordinandi ratione, vel domicilii, vel originis, vel beneficii, aut ab his habeat dimissorias, vel testimoniales. ibid. V. *Dimissoriales*. *Testimoniales*, *&c.* Qui sit Episcopus domicilii. ibid. Habens duo domicilia possitne ab utroque Episcopo ordinari. 297. 1. Qui sit Episcopus originis. ibid. Qui huic subdatur. ibid. Si pater in duabus diœcesibus habeat duo domicilia, licet possit ab alterutro Episcopo ordinari, ejus tamen filius ab illo tantum potest ordinari titulo originis, in cujus diœcesi natus est. ibid 2. Filius natus in patris domicilio, patre alibi domicilium figente, adhuc retinet jus originis jam acquisitum in prima diœcesi. ibid. Qui sit Episcopus Beneficii. ibid. V. *Dimissoriales*. Num ordinatus uno ordine ab Episcopo beneficii, si illud hoc anno resignet, possit alium ordinem suscipere ab eodem Episcopo. 298. 1. Num, qui plura habeat beneficia in diversis diœcesibus, possit in singulis ordinari. ibid Qui sit Episcopus alienus. ibid. Num ordinatio ab hoc collata sit non solum illicita, sed etiam invalida. ibid. Sunt tamen duo casus, in quibus Episcopus alienus potest aliquem ordinare sine licentia proprii Episcopi. ibid. Subjectum ordinum debet esse essentialiter mas, & baptizatus. 300. 1. Num valide ordinetur baptizatus baptismo tantum flaminis, vel sanguinis. ibid. Vel baptizatus, sed nondum confirmatus. ibid. Peccat sacrilege, & graviter suscipiens ordinem in irregularitate. ibid. Num suscipiens quemvis ordinem. ibid. Num valide ordinatur irregularis, vel censuratus ignotus Episcopo ordinandi. ibid. 2. Num possit Episcopus licite ordinare extra suam diœcesim. 302. 2. Vel extra Ecclesiam. 303. 1. Quæ sint reliquæ circumstantiæ ordinationis. ibid. V. *Titulus Ordinandorum*. Quando omnibus ascendantibus ad Diaconatum injuncta fuit castitas, & abstinentia ab uxoribus antea ductis. 396. 1. V. *Infans Ordinatus*. In Ecclesia latina servata est semper castitas, ampliataque ad subdiaconatum, qui fert secum votum solemne castitatis, & impedimentum dirimens matrimonium jure Ecclesiastico. ibid. Num contrahas impedimentum, si ordineris in prima Tonsura, vel in minoribus, vel si in majoribus ex gravi metu injuste incusso, vel ex ignorantia, nesciens scilicet, ordini sacro esse adnexam castitatem. ibid. Num suspensus ab ordine, quem habes, incurras irregularitatem recipiendo ordinem superiorem. 47x. 2. Num incurras irregularitatem in ipsamet ordinatione: si exempl. grat. in ea exerceas illum ordinem, a quo indebite suscipiendo, tunc suspenderis. ibid. Exercens actum ordinis sacri, quem habet, in excommunicatione, qualiter peccet, & puniatur. 465. 1. V. *Sacerdos*. *Sacramentum Pœnitentiæ*. Sacramentum Ordinis in loco interdicto, vel personis specialiter interdictis, nullo modo conferri potest. 478. 1. Bene tamen generaliter interdictis in loco non interdicto. ibid. Quid in casu necessitatis, puta penuriæ Sacerdotum, itaut Sacramenta Eucharistiæ, & Pœnitentiæ infirmis conferri non valeant. ibid. Sponsalia num dissolvantur per sacros ordines, & num liceat sponso, absque sponsæ consensu, sacris initiari. 424. 1. V. *Sponsus*. *Sponsalia*. *Indissolubilitas matrimonii*. Ob ordinis

iterationem nulla incurritur irregolaritas. 487. 1. Incurriturne ex abusu in ordinum susceptione, vel in eorum exercitio. ibid. 2. V. *Clericus*. *Regulares*.

Osculum. Oscula an liceant sponsis. 422. 2. Vel saltem conjugibus. 436. 1. 2.

Ostiariatus est ordo *Per quem datur potestas claudendi, aperiendi, & custodiendi Ecclesiam*. 293. 1. Quæ ejus materia remota, quæ proxima: quæ ceremoniæ. ibid. Quæ ejus forma. 294. 1. Quæ sint ejus munera, & onera. 295. 2. V. *Ætas*.

P

PActum num differat a contractu. 121. 1. V. *Contractus*. Pacta census ad ecta. V. *Census*. Num liceat pactum retrovendendi, si fiat justo pretio. 150. 1. Quæ pacta adjici possint emptioni, & venditioni. ibid. 2. V. *Emptio*. Quid de pacto commissorio, vel additionis in diem, vel mobatra. ibid. V. *Mobatræ contractus*. Quæ pacta adjici possint sponsalibus, & quæ pœnæ, seu pacta pœnalie. 421. 1. Possunt conjuges mutuo pacisci, debitum nec petere, nec reddere. 437. 2. Num possint pactum hoc solvere, præsertim, si juramento firmassent. ibid.

Paganismus opponitur Fidei nondum susceptæ. 67. 2. Num habeat Ecclesia potestatem cogendi Paganos ad fidem. ibid. Quæ communicatio cum illis sit fidelibus per Canones vetita. ibid.

Palpo dicitur ille, *Qui adulando movet ad injustam actionem*, 200. 2. Tenetur ad restitutionem damni illati. ib.

Panis triticeus est materia necessaria Sacramenti Eucharistiæ. 265. 1. Non autem confectus ex oriza, castaneis, aliisque materiis appositis. ibid. Mortaliterne peccaret consecrans in materia dubia, puta in siligine, spelta, &c. ibid. Panis triticeus debet esse igne tostus. ibid. Qualiter autem sit coquendus. ibid. Item debet esse confectus aqua naturali, non ex melle, oleo, aut aliis liquoribus appositis. ibid. Si vinum cum pane coqueretur, neutrum esset consecrabile. ibid. Quid, si tritico admisceatur parum e. g. hordei, vel salis per errorem. ibid. 2. Sive fermentatus sit, sive azymos semper est materia valida consecrationis. ibid. Porro Sacerdos græcus tenetur in fermentato, latinus in azymo ex Ecclesiæ præcepto consecrare. ibid. Num id tenentur servare græcus etiam, cum celebrat in templo latinorum, vel Latinus in templo græcorum. V. 35. 2. & 265. 2. Præsertim in necessitate, vel ad vitandam mortem. 266. 1. Cujus figuræ debeat esse panis consecrandus in Ecclesia latina, cujus in græca. ibidem. V. *Hostia*. Quid requiratur ad validam ejus consecrationem. V. *Eucharistia Sacramentum*.

Paramentum. V. *Sacrificium Missæ*.

Parens. Quæ sit obligatio parentum erga filios. 119. 2. Quæ alimenta filiis præstare debeant. ibid. Quomodo eos urgeat præceptum baptizandi prolem. 255. 2. Nequeunt, nisi in extrema necessitate baptizare propriam prolem. 257. 2. Num secus privarentur jure petendi debitum. V. *Pater*, *Mater*, *&c.*

Parochus. V. *Beneficiatus*. *Residentia*. *Sigillum*. *Sepultura Ecclesiastica*. *Proclamatio*. *Raptus*. *&c.* Parochus, per se loquendo, nullam habet potestatem dispensandi, nisi ei delegetur. 46. 1. Num possit dispensare in jejunio Ecclesiastico. ibid. & 106. 2. Aut ad laborandum die festo. 46. 1. & 102. 1. Parochus non monens in confessione pœnitentem obligatum ad restitutionem, num ad eam teneatur ipse. 102. 1. Quid, si ipse, vel quivis alius Confessarius positive deobligavit pœnitentem, qui restituere teneretur. ibid. Debet monere populum de irreiterabilitate confirmationis. 263. 1. Tenetur ex charitate simul, ac Justitia Eucharistiam ministrare morituro. 270. 2. Num etiam cum periculo vitæ propriæ. 271. 1. Quando tenetur sub gravi celebrare vel per se, vel per alium. 284. 1. Num parocho timenti, ne noctu vocetur ad ægrum, liceat retinere domi Sacrum Oleum, ut vocatus possit venire expeditius. 298. 2. Nequit indulgentias concedere. 333. 2. Hoc ipso, quod est electus, num intelligatur approbatus. 339. 2. Quid, si desinat esse Parochus, vel mutet Parochiam. 339. 2. Num possit a Papa suspendi in sua jurisdictione ordinaria. 336. 2. Num possit etiam extra Diœcesim absque ulla alia facultate suorum subditorum confessiones audire. 337. 1. Num possit, aut teneatur populum suum deserere tempore pestis, & ire ad audiendas confessiones infectorum. 344. 1. V. *Pestis*. Parochus quam facultatem habeat circa absolutionem a casibus, & censuris Papæ reservatis. 352. 1. Quid circa reservatos Episcopis. 355. 1. 2. V. *Confessarius*. Parochus non habet potestatem ordinariam ferendi censuras. 443. 2. Potestne, & quod interdictum, relaxare. 480. 2. Num possit delegare Diacono potestatem dispensandi Eucharistiam. 269. 1. Parochus assistens matrimonio qui debeat esse, num possit, & cui hanc suam potestatem delegare, &c. 463. 2. V. *Clandestinitas*. V. *Procurator*. Num dispensare possit in denunciationibus matrimonii. 46. 1. & 410. 1. Vel in impedimentis matrimonii. ibid. Ad quid teneatur Parochus, qui novit in confessione Sacramentali impedimentum contrahere volentium. 431. 1. Vel si id novit ex scientia privata extra confessionem. ibid. Parochus vitandus, quamvis illicite, valide tamen assisteret matrimonio, & valide alteri Sacerdoti facultatem concederet assistendi. 464. 1. Num Parochus sit minister hujus Sacramenti? vel ad ejus valorem requirantur Parochi verba. 429. 1. Parochus nequit impedire electionem sepulturæ, dummodo illi detur quarta pars funeralium juxta consuetudinem suæ Parochiæ. 347. 2. Si plus petat, eo quod quis sepeliatur apud Religiosos, peccat, & excommunicatur. ibid. Dum quis sepelitur in Ecclesia Regularium, non solum licet Parocho funus prosequi, sed multa alia. 348. 1. Quid possint concordare Regulares cum Parocho. ibid. Potestne Parochus concedere jus perpetuum sepulturæ. ibid. 2. Ad ipsum pertinet determinare iter in associando cadavera. ibid. Num ad redimendam vexationem possit permittere, ut hæreticus a suis hæreticis in loco Sacro sepeliatur. 467. 1.

Participans potest esse tum in re accepta, tum in injusta acceptione. Quomodo teneatur ad restitutionem. 202. 1. Num ad eam teneatur, etiamsi gravi metu coactus in delicto participaverit. ibid. Quid, si ex gravi metu juvet tantum furem: puta in asportanda merce, vel venena vendat machinanti mortem. ibid. Num participantes teneantur restituere in solidum. 203. 2. V. *Damnificatio*.

Particula consecratæ. V. *Hostia*. Particulæ in lege appositæ. V. *Interpretatio legis*.

Paschalis Communio. V. *Eucharistia Sacramentum*.

Pater, *Paterfamilias*. Pater quæ bona possit consumere, quæ donare, &c. 132. 2. Quid valide donare possit filiis, sive legitimis, sive illegitimis, &c. ibid. Num possit communicare cum filio excommunicato vitando. 460. 2. V. *Parens*, *Filiusfamilias*, *&c.*

Patrimonium Clerici non est beneficium. 174. 2. Qui sit titulus patrimonii requisitus ad ordinationem. 304. 1. Quale debeat esse patrimonium, ut possit quis eo titulo ordinari. ibid. 1. 2. An possis alienare patrimonium, seu pensionem, cujus titulo es Ordinatus. ibid. 2. Num, si accepisti patrimonium ad ordines sub pacto, & conditione, ut donanti reddas totum, aut partem, vel eo non utaris, &c., tenearis hanc conditionem implere. ibid. Quodnam sit patrimonium falsum, fictum, aut fiduciarium. 305. 2. V. *Titulus*, *&c.*

Patrinus, qui aliter etiam appellatur a. SS. PP., est in baptismo solemni necessarius. 157. 2. Potest esse quicumque rationis capax, modo sit baptizatus. 258. 1. Num sit interdictum regularibus, ac monialibus. ibid. Quam obligationem suscipiat. ibid. Ad quem spectet ejus designatio. ibid. Num debeat esse unus tantum, & an possit esse femina. ibid. 391. 1. Ut contrahat cognationem spiritualem, debet puerum suscipere e baptismo, & quidem per aliquem contractum physicum. ibid. 2. & 258. 1. Si Parochus alium substituat, ut baptizet, hic contrahit cognationem spiritualem: secus dic de Procuratore. 391. 2. In baptismo conditionato, vel non solemni non requiritur Patrinus, qui, si adhibeatur, probabiliter non contrahit cognationem spiritualem. 258. 1. Num Pater, Mater, &c. possint esse patrini suorum filiorum, præsertim illegitimorum. ibid. Si plures eidem baptismo assistant, num omnes, vel aliqui tantum cognationem contrahant. ibid. 391. 1. V. *Cognatio Spiritualis*. In confirmatione e quo fieri debeat sub gravi Patrini designatio. 261. 2. Num omitti possit. ibid. Debet esse unus tantum, & confirmatus. ibid. Num debeat esse diversus a Patrino baptismi, & an possit esse Monachus, vel Monialis. ibid. Num quis possit eadem die esse Patrinus plurium, & quam obligationem in se suscipiat. 262. 1. Patrinus, & confirmatus eandem cognationem spiritualem contrahunt cum confirmato, ejusque parentibus, ac contrahitur in baptismo a Patrinis, & baptizante cum baptizato, ejusque parentibus. ibid. & 391. 1.

Patronus. V. *Advocatus*. *Patronus Beneficii* qui sit. 175. 2. Intra quod spatium a die vacationis beneficii possit præsentare, & quem. 176. 1. Si præsentat indignum, amittitne jus nominandi alium. ibid. Num possit præsentationem variare. ibid. Nequit præsentare se ipsum, etsi sit substitutus, vel procurator. ibid. V. *Jus Patronatus*.

Paupertas. *Pauper*, V. *Eleemosyna*. *Necessitas*. *Hæreditas*.

Ti-

Titulus paupertatis allegari potest dupliciter, ut causa, ad petendam dispensationem pro impedimentis matrimonii. 410. 2.

Paupertas religiosa est unus ex titulis ordinationis. 303. 1. Soli Professi, & Religiosi Societatis Jesu post vota simplicia possunt promoveri ad Sacros Ordines titulo paupertatis Religiosæ. 305. 1.

Peccator. V. *Examen*. *Confessio*. *Sacramentum*. *Pœnitentiæ Sacramentum*. Pro peccatoribus liciteue offerri possit sacrificium Missæ. 279. 2.

Peccatum, V. *Pœnitentiæ Sacramentum*. *Peccator*. *Luxuria*. Peccatum mere philosophicum est impossibile. 2. 2. Est mortale, si adsit gravitas materiæ, plena advertentia, & plenus consensus. 3. 2. & 312. 1. Si unum horum desit, est veniale. ibid. Ratione materiæ gravis, quæ non physice, sed secundum existimationem moralem dicitur talis, alia sunt mortalia ex toto genere, alia ex genere suo. 3. 2. Datur etiam materia ex toto genere levis. 4. 1. Plurium venialium materiæ, si coalescant ad constituendum aliquod unum, pertingunt ad mortale: secus vero, si ita non coalescant. ibid. Peccatum specie diversum est, quod vel opponitur diversis specie virtutibus, vel eidem virtuti modo notabiliter diverso. ibid. & 312. 2. Num id æque valeat pro peccatis omissionis, ac commissionis. ibid. Peccatorum numerus in eadem specie desumitur, vel ex interruptione actuum, vel ex fine, ad quem ordinantur. 4. 2. & seq. & 312. 2. An actus physice unus sit plura numero peccata. 5. 1. An plures actus possint esse unum numero peccatum. 4. 2. Parne hic etiam sit doctrina pro peccatis commissionis, atque omissionis. 312. 1. Peccatum commissum contra conscientiam erroneam ejusdem est speciei, ac commissum contra conscientiam rectam. 11. 1. Non eadem tamen est pœna humana. ibid. Peccata mortalia sunt materia confessionis necessaria; venialia vero sunt materia libera. 311. 2. Circumstantia peccati, alia est intra eandem peccati speciem, alia addit novam peccati speciem. 313. 2. Sunt sex omnes versu comprehensæ. ibid. Quomodo discerni possint peccata contra singula decalogi præcepta. 314. 1. 2. Num exponere se periculo peccandi sit ejusdem speciei cum eo peccato. 313. 1. V. *Confessio*.

Peculatus. V. *Furtum*.

Pensio. *Pensionarius*. Pensio *Jus est accipiendi fructus ex alieno beneficio*. 174. 2. Reipsa non est beneficium. ib. Alia est laicalis, alia clericalis, alia media. ibid. Quid de pensionum abolitione, seu extinctione decrevit Benedictus XIV. 224. 1. De habente pensionem clericalem circa Horas Canonicas, & restitutionem recurrunt doctrinæ de beneficiatis. 221. 1. V. *Beneficiatus*. Num pensionarius teneatur expendere, ut beneficiatus, superflua ex sua pensione in usus pios. 224. 1. Num hæredes, aut aliquis alius solvere teneantur pensiones alicujus beneficii, quæ solutæ non fuerunt a beneficiato defuncto. 198. 1. Ut super pensione promoveri possis ad Sacros Ordines, qualis esse debeat pensio. 174. 2. & 304. 1. & seq. Num possis alienare pensionem, cujus titulo es ordinatus. ibid. 2. Irritane sit pensio collata excommunicato etsi tolerato, &c. 463. 1. V. *Beneficium Ecclesiasticum* circa finem.

Percussio Clerici, quæ, & quanta esse debeat, ut incurratur casus specialiter reservatus extra Urbem intra Italiam. 364. 2. Hujusmodi potest esse, vel gravis, seu enormis, vel mediocris, vel levis. 365. 1. Gravis potest esse ex triplici capite. ibid. Hinc cognosci potest etiam mediocris, & levis quæ sit. ibid. Excommunicatio contra percussores ad quos alios se extendat. 364. 1. Num, si scias legem prohibentem Clerici percussionem, invincibiliter tamen ignores, illam prohiberi sub excommunicat., hanc incurras. 10. 2. Percussus debet esse Clericus, vel Monachus. 364. 1. Num omnis clericus gaudeat hoc privilegio, etiamsi sit mortuus: puta, si percutiatur ejus cadaver. ibid. Sub nomine Monachi (quo nomine complectuntur Regulares utriusque sexus) num veniant etiam Laici, Conversi, Novitii, Tertiarii SS. Francisci, & Dominici, Eremitæ, Equites Melitenses, & Teutonici, &c. ibid. 2.

Percussor publicus Clerici est, *Quem adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque aliquo suffragio excusari*. 457. 2. Non sufficit ergo notorietas juris, sed requiritur notorietas facti. ibid. Neque sufficit publica fama, quod percussisti, sed requiritur fama, quod percussisti coram multis. Quantus autem horum testium oculatorum numerus requiratur. 458. 1. Num, si percussio fiat coram paucis non sufficientibus ad faciendum delictum notorium, hi teneantur te vitare. ibid. Num, qui semel scivit, aliquem esse vitandum, teneatur semper illum vitare. 458. 1. V. *Excommunicatus*. Num quivis utriusque sexus etiam impubes possit esse percussor. 364. 2. Sunt tamen, qui Clericum percutientes excusantur, tum a peccato, tum ab excomm. ibid. Vel saltem ab excommunic. etsi non a peccato. ibid. Confessarius absolvens percussorem Clerici, sub quo onere illum debeat absolvere. 347. 1.

Peregrinatio. *Peregrinus*. Peregrini dicuntur, *Qui alibi domicilium habentes per aliquem locum transeunt*. 34. 2. Quando intelligantur alibi acquirere domicilium, vel quasi domicilium, & proinde obligari incipiant legibus illius loci. 35. 1. Num teneantur servare leges municipales loci, per quem transeunt. ibid. Num, & quos casus reservatos incurrant. 350. 1. & 2. An, si in hoc territorio delinquant, ligentur censuris hujus territorii latis, sive per statutum, sive per sententiam. 446. 1. Peregrinans extra Diœcesim, si committat casum Neapoli e. g. reservatum cum excommun. nec reservationem, nec excommunicationem incurrit. 35. 2. Vovens Romam peregrinationem, vel eo ire pedester, si id non possit, ad quid teneatur. 38. 1. V. *Clandestinitas*.

Perjurium. *Perjurus*. Perjurii pœnæ quæ sint. 88. 1. Num sit perjurium, si desit in juramento una veritas de futuro. 89. 1. V. *Juramentum*.

Periculum amittendæ sortis. V. *Mutuum*.

Permissio. Num liceat ob bonum finem permittere peccatum proximi. 517. 1. V. *Cooperatio*.

Perplexitas. *Perplexus*. Conscientia perplexa. V. *Conscientia*. Num, & quomodo adhibere debeas media ad tollendam perplexitatem. 12. 2. Si neque, quod minus malum est, tibi eligendum succedat, alterutram partem elegeris, non peccas ibid.

Pestis. Tempore pestis, si desit Parochus, num teneatur quivis alius Sacerdos, etiam simplex, confessiones audire infectorum. 344. 2. Num possit, vel teneatur Parochus populum suum deserere, ut hoc tempore eat ad audiendas hujusmodi confessiones. ibid. 1. Vel ad infectis ministrandam Eucharistiam. 271. 1. V. *Parochus*.

Pharmacopola. Liceatne pharmacopolis vendere venena, medicamenta abortus &c. 119. 1. Num incurrant casum reservatum in Diœces. Neap. cum excomm. contra ea etiam propinantes &c. 371. 1. Quid, si vendant quid pro quo, hoc est unam pro alia merce. 149. 1. Vendentes medicamenta, ex quibus mors sequatur, an, & quando fiant irregulares ex delicto homicidii. 484. 1.

Phreneticus. Num huic ministranda extrema unctio. 292. 1.

Pignus est contractus *Quo res consignatur creditori in securitatem crediti*. 165. 1. In quo differt ab hypotheca. ib. Non transfert dominium. ibid. Quæ res possit, quæ non possit oppignorari. ibid. & 2. Num creditor retinens pignus possit illud oppignorare, vel vendere. ibid. 1. Vel illo uti, vel frui. ib. V. *Antichriseos contractus*. *Mutuum*.

Pirata. V. *Fur* in calce.

Pistor. Ad quid teneantur pistores, si panem faciant minoris ponderis. 149. 1.

Pœna. Pœna legi apposita, seu lex pœnalis. V. *Lex*. Pœnæ additæ sponsalibus. V. *Sponsalia*. *Pacta*. Pœna contractui apposita dicitur conventionalis. 123. 2. Debet esse moderata. ibid. Debeturne ante petitionem, aut sententiam Judicis. ibid.

Pœnitens. V. *Examen*. *Denunciatio*. *Satisfactio Sacramentalis*. *Impotentia physica*. *Impotentia moralis*. *Interpres*. Nunc peccet pœnitens, qui de industria quærit Confessarium minus doctum. 342. 2. Pœnitens Religiosus. V. *Religiosus* in calce.

Pœnitentia Sacramentalis. V. *Satisfactio Sacramentalis*.

Pœnitentia virtus. V. *Pœnitentiæ Sacramentum*.

Pœnitentia Sacramentum est *Sacramentum Reconciliationis post lapsum in actibus Pœnitentis, & absolutione Sacerdotis consistens*. 306. 1. Varie appellatur a PP. ibid. Ejus materia remota sunt peccata, proxima sunt actus pœnitentis, forma vero est Sacerdotis absolutio. ibid. Quomodo sit necessarium præsertim lapsis post baptismum ad salutem. ibid. Ob solum originale non est necessaria pœnitentia, neque ut virtus, neque ut Sacramentum est. ibid. Quid, si in adulto cum originali conjunctum sit actuale. ibid. 2. Pœnitentia non sit simpliciter hic necessaria ob venialia: est tamen consulenda. ibid. Ob peccatum lethale est simpliciter necessaria, vel in re, vel in voto: non sic observantia aliorum præceptorum. ib. 2. & seq. Hoc autem votum habetur, vel in actu contritionis perfecto, vel in actu charitatis pariter perfecto, vel in martyrio. 306. 2. Nullum est præceptum per se obligans ad statim pœnitendum post peccatum mortale personale: bene vero ad non differendum diu pœnitentiam. 307. 1. 2. Datur præceptum divinum posi-

positivum subjiciendi clavibus omnia, & singula mortalia commissa post baptismum. 308. 1. Non vero ante baptismum. ibid. 2. Quid de peccato fictionis. ibid. De venialibus nullum est præceptum per se: est tamen aliquando per accidens. ibid. Quo tempore, num scilicet semel in anno, aliquando in vita, in articulo mortis, &c. obliget præceptum confitendi mortalia, ibid. Quod sit præceptum confessionis annuæ, quando, & quos obliget. ibid. 2. Quinam ab eo excusentur. ibid. V. *Puer*, &c. Quæ peccata vi hujus præcepti sint necessario clavibus subjicienda. 309. 1. Annus autem hic quinque modis computari potest, & secundum hanc diversam computationem plurima resolvi possunt. ibid. 2. Num, qui omisit confessionem debitam hoc anno, teneatur anno sequenti illam reficere. ibid. Qui diutius ultra annum differunt, graviusne peccatum committant, an etiam multiplex. ibid. Et num, qui multis annis non est confessus, confitendo hodie e. g. satisfaciat pro cunctis. ibid. Huic præcepto non satisfit per confessionem voluntarie nullam; imo neque si talis sit involuntarie. ibid. Quid si sit valida, & informis. ibid. Num valeat confessio, si fiat aliis a Parocho, sed approbatis ab Ordinario. 310. 1. Qui confitetur non habenti potestatem in reservata, num, si ipse habeat reservatum, debeat iterum alii illud confiteri. ib. Transgrediens præceptum Confess. num, & quando incurrat interdictum. ibid. Non communicantes in Paschate in Diœces. Neapol. incurrunt casum reservatum cum pœna interdicti. 373. 2. Quando autem hoc incurratur. 374. 1. Qui vero non communicantes ab aliis dolose accipiunt schedulas, &c. Vel, qui has illis accommodant, &c. incurrunt alium casum reservatum cum excommun. 372. 2. Quod sit præceptum confitendi ante communionem. 310. 1. Ut non obliget peccatorem volentem celebrare, vel communicare, tria requiruntur. ibid. Primo, quod desit copia Confessarii: quando autem hæc intelligatur abesse. ibid. 2. Secundo, quod sit urgens necessitas communicandi, vel celebrandi. ibid. Quando autem hæc habeatur. ibid. Tertio, quod eliciat actum perfectæ contritionis. Quando autem hic elici debeat præsertim a celebrante. ibid. Num sit præceptum confitendi mortalia ante susceptionem, vel administrationem aliorum Sacramentorum. 311. 1. Quod sit præceptum Sacerdotibus confitendi *Quamprimum*. ibid. Ut obliget, tria requiruntur. ibid. Non urget tamen laicos ex paritate rationis. ibid. Num ad hujus Sacramenti validam administrationem requiratur jurisdictio. 336. 1. 249. 1. Item approbatio. V. *Approbatio*. Demum potestas ordinis. 335. 1. Solus ergo Sacerdos complete ordinatus potest esse Minister hujus Sacramenti. ibid. Quid hic veniat nomine ordinationis completæ. ibid. Nemo non Sacerdos potest valide absolvere sacramentaliter ne per errorem quidem communem, vel titulum coloratum, licet ex delegatione possit aliquando a censuris. ibid. Num, si quis in extrema necessitate confiteatur laico, Deus tunc suppleat effectum gratiæ, quæ conferretur ab hoc Sacramento. ibid. Sacerdos absolvens constitutum in articulo, vel periculo mortis. V. *Moribundus*. Num, si minus licite, saltem valide absolveret a venialibus, & mortalibus alias rite confessis simplex Sacerdos. 336. 1. Quid, si veniale habeat adnexam excommunicationem minorem. ibidem. Num tempore interdicti, vel interdictis extra articulum mortis possit ministrari Sacramentum pœnitentiæ. 477. 2. Num Confessarius interdictus possit & illud ministrare. 478. 1. Excommunicatus num valide recipiat Sacramentum pœnitentiæ sine prævia absolutione ab excomm. 465. 1. Num valide illud ministraret excommunicatus vitandus, saltem in articulo mortis: & num extra talem articulum ministrando incurreret irregul. ibid. Possitne esse Sacramentum Pœnitent. validum, & informe. 316. 2.

S. *Pœnitentiaria*. *Pœnitentiarius*. Pœnitentiaria in quo possit dispensare. 409. 1. 45. 1. Quam absolvendi potestatem habeat. 45. 1. Quomodo exequendum S. Pœnitentiariæ rescriptum, V. *Rescriptum*. Forma apponitur, qua ad ipsam scribi possit a quocumque, & in quocumque idiomate. 49. 2. S. Pœnitentiarius ex Papæ concessione absolvere potest quoscumque ab omnibus Papalibus. 351. 1. Num possit subdelegare facultatem a Papa acceptam alteri Confessario. 355. 1. Quam facultatem habeat Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis. 352. 2. Summus Pœnitentiarius potest Regulares absolvere a reservatis, cum sit eorum supremus Ordinarius. 353. 2.

Pollicitatio quæ sit. 131. 2. In quo differat a promissione, & num, & qualiter obliget. ibid. V. *Promissio*.

Pollutio, V. *Virginitas*. *Luxuria*.

Pontifex. Unus Pontifex habet immediate a Christo Domino potestatem ferendi leges ecclesiasticas pro tota Ecclesia. 22. 1. Num etiam leges civiles obligantes loca alieno principi subjecta. ibid. Quibus ipse legibus teneatur. 33. 1. Est supra Concilium generale: nec in legibus ferendis a consilio pendet Cardinalium. 22. 1. In nullo jure divino, sive naturali, sive positivo potest dispensare. 44. 2. Num possit saltem indirecte in jure divino positivo. 45. 1. Directe potest in omni jure pontificio etiam Concil. generalium, imo etiam in legibus Apostolicis humanis. ibid. Hæc potestas dupliciter Romæ exercetur. ibid. 408. 2. & seq. Pontifex num possit omnia juramenta relaxare. 92. 1. Num gabellas imponere in locis Principi sæculari subjectis. 170. 1. V. *Compositio per bullam*. Pontifex potest dispensandæ Eucharistiæ facultatem delegare Diacono. 269. 1. Num, & Clericis, ac Laicis. ibid. V. *Sacramentum Eucharistiæ*. Papa a Christo immediate habet potestatem concedendi indulgentias pro vivis, & defunctis. 333. 2. Pontifex ferens interdicta, deponens, degradans. V. *Interdictum*. *Depositio*. *Degradatio*. Num unus Pontifex possit dispensare in ordinatione extra tempora. 301. 2. Quinque autem sunt causæ, ob quas potest peti, & obtineri hæc dispensatio. ibid. Papa tantum dare potest dimissorias pro tota Ecclesia. 298. 1. Num possit dispensare, ut in ordinatione Episcopi facta ex sua delegatione ab alio Episcopo, assistant duo Sacerdotes loco duorum aliorum Episcoporum. ibid. Pontifex dispensans in impedimento disparitatis cultus, vel criminis. V. *Crimen*. *Disparitas cultus*. In quæ loca habeat Pontifex dominium immediatum: in quæ tantum mediatum. 362. 1. Qui hoc dominio illum spoliare, &c. attentant, incurrunt casum bull. cœn. ibid. Pontifex, & sub eo Conc. generale, ferre potest censuras pro tota Ecclesia. 443. 2. Papa solus dispensare potest in earum effectibus. 442. 2. Nulla ipse censura ligari potest. 445. 1. Si tamen deprehendatur devius a fide, potest per Conc. generale cogi per censuras, ut pareat, quia tum desinit esse Papa. ibid. Solus Papa, & quidem raro, potest dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario. 481. 2. Vel ex mutilatione publica. 486. 1. Vel in irregularitate ex defectu lenitatis. 489. 2. V. *Hermaphroditus*. De jure unus Pontifex dispensat in irregularitate ex defectu natalium. 434. 2. Potestne Pontifex dispensare in matrim. rato. 491. 1. 2. Vel dissolvere matrim. legitimum infidelium. ibid. 2. V. *Dataria*. *Pœnitentiaria*. *Irregularitas*, &c.

Populus, V. *Communitas*.

Possessio. *Possessor*. V. *Restitutio*. *Emptio*. Possessio quid sit. 181. 1. Ad eam acquirendam tria requiruntur. ibid. 2. Veræ possessionis quatuor sunt privilegia. ibid. Quomodo amittatur ipsa, ejusque privilegia. ibid. Possessor vel damnificator bonæ fidei quis sit. 190. 1. Quis malæ fidei. 191. 2. In quo differant inter se. ibid. Ad quid teneatur possessor, vel damnificator bonæ fidei ratione rei acceptæ, si hæc extet: ad quid, si non extet. 190. 1. Num teneatur, præter rem alienam, restituere etiam fructus inde perceptos. ibid. 2. Num etiam melioramenta in re aliena facta. 191. 1. Num etiam lucrum cessans, aut damnum ei emergens ex carentia rei suæ. ibid. Ad quid teneatur, qui dubia fide possidet rem alienam. ibid. Ad quid, qui partim bona, partim mala fide. ibid. 2. Damnificator, vel possessor malæ fidei num teneatur non solum rem restituere, si extet, sed etiam æquivalens, fructus, melioramenta, lucrum cessans, damnum emergens, &c. ibid. 2. & seq. V. *Dominus*. Quantum debeat Domino restituere pro re mala fide possessa, si ejus valor creverit, vel decreverit tunc, cum fit restitutio. 192. 2. An iniquus possessor, seu fur teneatur restituere valorem rei alienæ apud se pereuntis, si eodem modo apud Dominum fuisset peritura. ibid. & seq. Quid, si dubitetur, quanti res fuisset valitura usque ad tale, vel tale tempus. ibid. Ex qua culpa teneatur restituere damnificator. V. *Damnificator*.

Potestas Absolvendi, V. *Absolutio*: Dispensandi. V. *Dispensatio*.

Præbens recursum est, qui receptat, occultat malefactorem, ejus instrumenta, &c. 200. 2. Quandonam ob talem culpam teneatur ad restitutionem. ibid.

Præceptum differt maxime a lege. 21. 1. Ejus divisiones quot sint, & quæ. ibid. V. *Lex*. Ignorantia præceptorum divinorum. V. *Ignorantia*. Differt præceptum affirmativum a negativo. ibid. 2. Præcepta Decalogi quot sint, & quos obligent præcepta Ecclesiæ. 62. 1. Præceptum amoris Dei, & præceptum amoris proximi includuntur in decem Decalogi præceptis. ibid. Præcepta virtutum Theologicarum, V. *Virtus*, *Fides*, *Spes*, *Charitas*. Primum Decalogi præceptum, ut affirmativum, præcipit actus virtutis Religionis, ut negativum, vetat vitia illi opposita sive per

excessum, sive per defectum. 71. 1. Impotens implere totum præceptum num teneatur implere partem, quam potest. 37. 2. & seq. 309. 1. Præceptum Confessionis, Communionis &c. V. *Pœnitentiæ Sacramentum*.

Prædium, aliud est urbanum, aliud rusticum. 182. 1.

Prælatus. Prælati regulares, in quo possint dispensare. 46. 1. V. *Dispensatio*. *Interstitia*. Quæ juramenta possint relaxare. 91. 1. V. *Clericus*. *Religiosus*. Prælati religiosorum quas eleemosynas possint, vel debeant facere. 112. 2. Quæ dona facere, & ex quibus bonis. 133. 1. V. *Clausura Monialium*. Debent Prælati Regulares bis, vel ter in anno offerre monasteriis Monialium sibi subjectis confessarium extraordinarium. 341. 1. Ipsi dant testimoniales pro suis subditis. 299. 2. Item dimissorias. ibid. 1. Prælati Regulares, seu Superiores Religionum num possint reservare aliud peccatum grave ab 11. reservabilibus ex Clem. VIII. Vel etiam determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis a confessariis imponendas &c. 374. 2. V. *Casus reservati*. Impedientes Prælatos, vel Judices Ecclesiasticos, quominus sua jurisdictione utantur, &c. excommunicantur in bulla cœnæ. 361. 2. Quæ sit potestas Prælatorum Ecclesiasticorum circa absolutionem a casibus, & censuris reservatis. 351. 2. Habent ex concessione Papæ potestatem ferendi censuras in subditos suæ Religionis. 443. 2. & seq. Quando incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis. 488. 2. Possunt Prælati Regulares dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis in ordine ad suos. 489. 2. Item in irregularitate ex homicidio casuali occulto. 484. 2. Num etiam in irregularitatibus ex defectu corporis. 491. 2.

Præscriptio est *Acquisitio dominii rei alienæ per possessionem bona fide cum titulo, & tempore debito continuatam*. 183. 2. Quando dicitur præscriptio, quando usucapio. ibid. Ad legitime præscribendum 4. requiruntur conditiones. 184. 1. Quod tempus requiratur, & sufficiat ad usucapionem rerum mobilium, vel ad præscriptionem immobilium: Præsertim contra Ecclesiam Romanam, Ecclesias inferiores, Religiosos &c. ibid. & 2. Quod ad præscribenda bona pupillorum, minorennium, beneficium Ecclesiasticum, res immobiles civitatis, vel res bonis coronæ adnexas contra Principem &c. ibid. 2. Vel demum contra debita. ibid. Quando dicatur præscriptio non procedere, aut dormire, aut interrumpi. 185. 1. Quando, & quomodo præscriptio, vel usucapio excusent a restitutione. 183. 2. & seq. Per præscriptionem potest a quovis clerico acquiri potestas ferendi censuram. 444. 1.

Præsentia moralis. Ad missam requiritur præsentia corporalis, moralis tamen, & humana. 102. 2. Quæ tamen hæc sit. ibid. V. *Attentio*. Quæ præsentia Hostiæ, & Particularum requiratur, ut a Sacerdote valide consecrentur. 267. 1. V. *Hostia*.

Præstimonium quid sit, & quæ ejus onera. 175. 1.

Præsumptio. Quodnam est præsumptionis peccatum, & cui virtuti proprie opponatur. 70. 1.

Presbyter, *Presbyteratus*, Presbyteratus est ordo, *Quo datur potestas conficiendi Christi Corpus, & Sanguinem, & remittendi fidelibus peccata*. 293. 2. De fide est, esse Sacramentum. ibid. 1. Quæ ejus materia remota, quæ proxima apud latinos, quæ apud græcos. ibid. 2. Quæ forma. 294. 1. Quæ presbyteratus munera, & onera. 295. 2. Quæ ætas. V. *Ætas*. Num Presbyteratus collatus apud Græcos sine prima impositione manuum sit validus. Quid si ita conferatur apud latinos. 293. 2. Per quam manuum impositionem imprimatur character. ibid. Num valeat Sacerdotium, si in ordinatione adhibeatur calix, & patena non consecrata, vel execrata. ibid. Vel, si tradatur solus calix cum patena, vel loco vini fuerit aqua tantum, vel defuerit panis. ibid. V. *Sacerdos*.

Precarium est *Gratuita concessio rei ad solum usum pro tempore nec expresse, nec tacite determinato*. 140. 2. Quando, & quot modis revocari possit. ibid. Circa ejus usum, & custodiam recurrunt doctrinæ de commodato. ibid. V. *Commodatum*.

Preces etiam importunæ num irritent matrimonium. 394. 2.

Pretium est *Pecunia, quæ pro merce datur*. 146. 2. Justum est, quod taxatur a lege, vel a communi hominum æstimatione: illud dicitur legitimum, hoc vulgare. ibid. In quo consistat pretium legale, seu legitimum, in quo vulgare, seu naturale. 147. 1. Hoc potest esse infimum, medium, & summum. ibid. Sæpe etiam mutatur. ibid. Ex quibus casibus potest crescere, ex quibus decrescere. ibid. V. *Emptio*. Ad quid tenearis, si accipias pretium furtivum. 149. 1.

Primates num possint leges ferre obligantes nationem. 22. 2.

Princeps absolutus potest leges ferre. 22. 1. V. *Legislator*. Tenentur ad restitutionem Principes, Magnates, &c. si scientes, suos famulos subditos suæ protectioni fidentes malum inferre, dissimulent. 201. 1. Quo jure nequeant Principes officia vendere temporalia. 151. 2. 186. 2. Principes supremi possunt justas gabellas imponere. 170. 1. Princeps, si præferat in distributione officiorum minus dignos dignioribus, num peccet, & an & cui teneatur restituere. 186. 2. Principes sæculares quæ peccata possint punire. 258. 2. Quid possint circa matrimonia fidelium, vel infidelium. 384. 1. V. *Impedimentum*. Quando incurrant irregularitatem ex defectu lenitatis. 464. 1. Num possint legitimare. V. *Legitimatio* ex rescripto Principis.

Privilegium est *Lex privata concedens beneficium*. 54. 1. Differt a gratia, licentia, & dispensatione. ibid. Dividitur in personale, & reale; in perpetuum, & temporale; in commune, & singulare; in favorabile, & odiosum; in privilegium ad instantiam partis, & ex motu proprio; in privilegium ad instar, & per communicationem. ibid. In scriptum, & non scriptum, quod & *Vivæ vocis oraculum* nuncupatur. ibid. 2. & 56. 2. In gratuitum, & remunerativum. 54. 1. & 56. 1. Privilegium, quod in nullius præjudicium cedit, interpretandum late; nunquam tamen ultra significationem verborum naturalem, & civilem. 54. 2. Quando fieri possit extensio privilegii ad alias personas. ibid. Derogans juri communi, vel privato tertii ordinarie stricte interpretandum: porro tres sunt hic exceptiones appositæ. ibid. Quæ clausula in privilegio apta sit derogare juri communi, vel tertii. 55. 1. Quandonam uti possis tuo privilegio contra privilegium alterius. ibid. Si duo privilegia sint contraria, quodnam prævalet. ibid. A quo, cui, & quæ privilegia concedi possint. ibid. Ut privilegii concessio sit valida, non requiritur causa: secus, ut sit licita. At quid, si causa falso allegetur bona, vel mala fide. ibid. 2. Num privilegiatus uti possit suo privilegio etiam extra territorium concedentis, & num teneatur semper eo uti. ibid. An, quod, & a quo privilegium revocari possit, & num etiam sine causa. ibid. & seq. Quæ sit causa legitima revocandi privilegia. 56. 1. Quandonam privilegium intelligatur concessum in præmium, & commemorationem meritorum, & quid requiratur ad ejus revocationem. ibid. Renunciatio privilegii alia est tacita, alia expressa. 57. 1. Quæ privilegia possint a particulari revocari, quæ non. ibid. Privilegium renunciabile non cessat per solam voluntatem renunciandi. ibid. Neque per non usum, modo non sit in alterius gravamen. ibid. 2. Num cesset per actum contrarium. ibid. Num per ejus abusum. ibid. Tripliciter autem abuti quis dicitur suo privilegio. ibid. Quinque aliis modis cessare potest privilegium. 58. 1. Privilegia scrupulosi. V. *Scrupulosus*. Conditio privilegio apposita. V. *Conditio*. Privilegia Regularium revocata. V. *Regulares*.

Privilegiati a jure, a consuetudine, vel ab homine qui sint. 341. 1. 2. V. *Approbatus ad privilegiatos*.

Priorissa. V. *Abbatissa*.

Probabile. *Probabilitas &c.* V. *Opinio*. Probabilitas alia est juris, alia facti. 385. 2. & seq. Num liceat matrimonium contrahere cum sola opinione probabili, quod non adsit impedimentum dirimens. ibid. & 386. 1. Sive hoc sit juris naturalis, sive divini, sive Ecclesiastici. Utrobique. V. *Opinio probabilis*.

Probitas. Quæ probitas requiratur in ministro Sacramenti Pœnitentiæ. 342. 1.

Processio. V. *Supplicatio*.

Proclamatio, V. *Dispensatio in matrimonio*. Proclamationes matrimonii sunt *Denunciationes, seu banna, quibus publicatur, matrimonium inter certas personas esse contrahendum*. 407. 2. Quid de iis statuit Tridentinum. ibid. Qualiter peccarent contrahentes, & Parochus assistens matrimonio neglectis denunciationibus. ibid. Num etiam peccarent, si omittatur una ex tribus, vel si proclametur extra Missarum solemnia, vel in die non festo. ibid. Inter unam, & alteram denunciationem num, & quot dies debeant intercedere. ibid. A quo, & ubi faciendæ sint proclamationes, præsertim si quis habitet duas Parochias. 408. 1. V. *Vagus*. Quas pœnas incurrant contrahentes neglectis denunciationibus. ibid. Quas Parochus, vel alius loco illius assistens. ibid. Sic contractum matrimonium diceretur clandestinum secundum quid. 407. 2.

Procurator est *Qui aliena negotia ex mandato domini administrat*. 168. 1. Alius est ad negotia, alius ad lites. ibid. Quot annos uterque habere debeat. ibid. Procurator ab absente constitutus, etsi nolit suscipere mandatum sibi hic & nunc præsentatum, potest tamen illud deinde suscipere, si mandans in eadem voluntate persistat. 57. 1.

Si

Si occupes procuratorem Titii, itaut non possit sic Titius obtinere aliquod bonum, ad quid tenearis. 189. 1. Procurator baptizans nomine principalis, V. *Patrinus*. Procurator, etsi peccet acceptando officium tempore excommunicationis, valide tamen instituitur. 464. 1. Estne irregularis, si nihil agendo siuat mortem sui principalis. 484. a. Si sponsus, & sponsa contrahant per Procuratorem in Parochia, quæ ad neutrum spectet, non valide assistit hic Parochus, sed requiritur licentia Parochi sponsi, vel sponsæ, data alii Sacerdoti, qui potest ex delegatione assistere. 403. 2. Quoad Procuratorem matrim., ut contractus est, quid statutum sit, & quæ sint necessario servanda. 429. 2. Quinam esse possit Procurator matrimonii. ibid. Si principalis post mandatum revocet consensum, antequam Procurator officium suum expleverit, matrimonium est nullum. Quid, si postquam revocaverit, iterum consentiat, antequam Procurator officium suum expleverit, vel principalis factus sit amens, tunc cum procurator contrahit. 429. a. Nuncii matrimonii quid præstare debeant, & in quo differant a procuratoribus. 430. 1. V. *Literæ*. Quomodo inter absentes valeat matrimonium etiam in ratione Sacramenti. V. *Matrimonium*. Num licite contrahat procurator, qui non sit in gratia. ibid. & 2. Principalis, quando requiratur, ut sit in gratia. ibid.

Prodigus Prodigalitas. Prodigus num teneatur facere eleemosynas. 112. a. Num possit contrahere. 126. 1. Num testari. 136. 1.

Professio Fidei Religionis &c. Qui teneatur ad fidei professionem eliciendam. 65. 1. Valida est professio religiosa facta tum ab excommunicato, tum apud superiorem excommunicatum. 462. 2. Num per quamcumque professionem Religiosam dissolvantur sponsalia. 423. 2. V. *Indissolubilitas matrimonii*. V. *Legitimatio*.

Professus. Professi militares num teneantur ad horas. 73. 1. Religiosi professi possunt ordinari titulo paupertatis Religiosæ. 305. 1. Invalide autem professi per aliquod impedimentum illicite sic ordinarentur in sacris. ibid. Quam pœnam incurrerent sic ordinati. ibid. a. Quid de ejectis. ibid. 1. V. *Regulares*. *Religiosi &c.*

Promissio. *Promittens*. Promissio est *Spontanea, ac deliberata obligatio fidei gratis facta alteri de re quapiam bona, & possibili*. 130. 1. Quatuor habet imbibitas conditiones. 90. a. Differt a proposito. 130. a. Promittens debet habere animum dandi simul, & se obligandi. ibid. Si quis actu tantum interno, vel externo occulto rem alicui promittat, non tenetur dare. ibid. Num promissio liberalis obliget ex justitia, vel ex fidelitate, & num sub gravi, an sub levi. ibid. & seq. Quæ, & in quibus casibus promissio non obliget. 131. 1. Ante acceptationem promissarii dicitur pollicitatio. V. *Pollicitatio*. ibid. Num, si ita sit etiam juramento firmata, obliget, & qualiter. ibid. 2. Quid reipsa sit promissionis acceptatio, & quando ponenda. ibid. & seq. Num possit alius acceptare loco promissarii, vel eam acceptationem deinde revocare. 132. 1.

Promissio matrimonii, V. *Sponsalia*. *Crimen*.

Propositum confessionis est *Voluntas non peccandi de cætero*. 321. 2 Certe requiritur ad justificationem. ibid. Quoad mortalia debet esse efficax, firmum, & universale, ibid. & seq. V. *Dolor*. *Consuetudinarius*. Firmitas in proposito quæ, & unde haberi debeat. 321. a. Num esse debeat formale, & expressum; an vero sufficiat virtuale, & implicitum in ipso actu doloris. 322. 1. Quoad venialia non requiritur, ut sit universale: debet tamen esse firmum, & efficax saltem respectu unius ex venialibus, quæ pœnitens confitetur. ibid. 2. Num habens solum venialia debeat etiam habere propositum cavendi mortalia. ibid.

Proximi dilectio duplici præcepto præcipitur. 107. 1. Nomine proximi quid veniat. 108. 1. Num charitatis præceptum jubeat nos proximum diligere actu interno. ibid. Qualis esse debeat hic actus, num supernaturalis, num elicitus ex formali motivo amoris Dei. ibid. a. Num elici debeat hic actus circa singulos in individuo, & quoties in vita. ibid. Num licite possit quis velle carere bono aliquo spirituali ex propria culpa. ibid. Debent etiam exhiberi proximo signa benevolentiæ, vel communia, vel specialia. 109. 1. V. *Inimicus*. *Odium*.

Puer. *Puella*. *Pubertas*, *&c.* Pueri, & puellæ ante usum rationis nullis subduntur legibus. 33. 2. Statim post talem usum tenentur legibus tum naturalibus, tum positivis divinis. 34. 2. Num etiam legibus, & pœnis Ecclesiasticis. ibid. & 103. 1. & 310. 1. Num possint introduci in monasteria monialium. 34. 1. & 363. 1. Num licite possint induci ad ponendas actiones vetitas. 471. a. Quando incipiant obligari ad missæ interessendum. 103. 1. Quando præsumuntur habere sufficientem usum rationis, & pervenisse ad annos discretionis: proindeque teneri ad annuam confessionem, &c. ibid. 309. 1. Puella (idem potest quæri de omni alio) carens veste convenienti, num excusetur a missa audienda. 104. 1. Num etiam, si credat ab adolescente lascivo concupiscendam. ibid. Pueri & puellæ ante pubertatem peccantes incurrantne casus reservatos sive Papales, sive Episcopales. 310. 1. & 349. a. Num, & quando possit iis ministrari Eucharistia, vel Extrema Unctio. 292. 1. & 33. 2. & seq. Vel Confirmatio. 262. 1. Pueri rudes quomodo teneantur confiteri. 329. 1. Incurrantne censuras. 444. 2. Non habentes usum rationis neque potestate delegata eas ferre possunt. ibid. 1. Ex matrimonio inito ex consensu ficto a pueris ante septennium non oritur impedimentum publicæ honestatis. 398. 1. Tempore interdicti generalis localis neque infantes possunt sepeliri in loco sacro. 478. 2.

Pupillus num possit, aut teneatur facere eleemosynas. 112. 2. Num valeat contrahere. 126. 2. Num fidejubere. 166. 1. Quomodo teneatur commodatum custodire. 140. 1.

Q

Quadragesima. Consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obligat sub gravi. 41. 1. & 105. 1. Quid in aliis vigiliis. Utrobique. V. *Jejunium Ecclesiasticum*.

Qualitates contractus, V. *Contractus*.

Quasi Contractus sunt *Obligationes, quæ tacite oriuntur ex aliqua actione, officio, &c.* 167. 1. V. *Negotia gesta*. *Mandatum*.

Quæstor. Quid possint, & quid non possint eleemosynarum quæstores. 113. 1.

Querela. V. *Appellatio*.

Quotidiana Communio sit necne, & omnibus suadenda. 272. 2. Non est nota prædestinationis, nisi in fidelibus digne illam suscipientibus. ibid.

R

Rapina est *Ablatio rei alienæ facta cum vi*. 217. 1. V. *Furtum*.

Raptor. *Raptus*. Raptus est *Cum per vim abducitur mulier de uno in alium locum ad finem contrahendi cum ea matrimonium, quousque ea non reponatur in loco libero, & tuto*. 405. 2. Quis raptus dirimebat matrimonium jure antiquiori, quis hodie dirimat ex Trid. ibid. Requiritur abductio mulieris de uno in alium locum moraliter diversum: item, quod abductio sit violenta sive physice, sive moraliter. ibid. Num sufficiat, si fiat dolo, aut falsis promissis. ibid. Requiritur item, ut violenta abductio fiat mulieri ipsi, non parentibus, & quidem ut fiat ad finem matrimonii. ibid. & seq. Si inscio Titio rapta sit ab amico ejus mulier ad finem matrimonii contrahendi cum ipso Titio, tunc validum potest esse matrimonium sive cum Titio, sive cum amico. 406. 1. At quid, si quis per alium scienter rapiat. ibid. Si mulier vi abducat virum etiam ad finem matrimonii, non inducitur impedimentum. ibid. Impedimentum raptus in quibus locis locum habeat. ibid. Probabilius decretum Trid. non irritat sponsalia inter raptorem, & raptam. ibid. Quæ sint ex eod. Trid. pœnæ raptus tum contrahentibus, tum ipsi Parocho tali matrimonio assistenti. ibid. & 2. Qualiter intelligendæ hujusmodi pœnæ, quando incurrantur, & num extendendæ ad consilium, auxilium, favorem præbentes, &c. ibid. 2. Quæ sint aliæ pœnæ de jure naturæ, & canonico. ibid.

Ratio contractus in matrimonio nequit separari a ratione Sacramenti. 428. a.

Ratihabentes homicidium injustum voluntarium in sui gratiam factum incurrantne irregularitatem ex delicto. 482. 2. In quo ratihabitio æquiparetne mandato. ibid.

Ratum habens damnum nomine suo illatum num teneatur ad restitutionem. 199. a.

Recidivus quis sit. 379. a. Nequit absolvi, nisi spes appareat emendationis. ibid. Quæ sint hujus spei signa. ibid. Num, si recidivæ proveniant ex sola fragilitate, aut consuetudine, possit absolvi toties, quoties affulget hujusmodi spes. ibid. Quid, si proveniant ex occasione extrinseca, quam potens non deseruit. ibid. V. *Consuetudinarius*. *Occasio proxima*. Num absolvi possit, si versetur in occasione proxima sibi necessaria, & adhibitis omnibus remediis semper labatur ut prius. 380. 1.

Recitatio Horarum. V. *Horæ canonicæ*.

Regina quando possit leges ferre. 22. 1. Tenetne legibus quoad vim directivam, secus quoad coactivam. 33. 1. 2. V. Rex, Reginæ, earumque filiæ possunt etiam comitatæ aliis feminis honestis ingredi monasteria Religiosorum. 474. 1.

Regula. Regulæ Cancellariæ habentne vim legis. 22. 1.

Regularum Religionis voluntaria transgressio caraatna culpa etiam veniali. 324. 1. Num solum isthæc transgressio esse possit sufficiens materia confessionis. ibid.

Regulares amiserunt jam privilegia, quæ per Trid. expresse revocata sunt. 56. 2. Quid de implicite ab ea revocatis. ibid. Revocata item sunt ab Urb. VIII. Privilegia Regularium vivæ vocis oraculo concessa: excipiuntur tamen illa Capuccinorum, in quibus tamen non communicant alii Regulares. 57. 1. Sunt & tres aliæ exceptiones. ibid. Regulares indigent licentia Papæ, ut accipiant mutuum solvendo interesse. 142. 1. Regulares promoti ad beneficium, V. *Beneficium Ecclesiasticum*. Regulares etiam exempti tenentur ad missam, & ad servanda festa, quæ Episcopus cum consensu cleri, & populi indicit, num etiam ad illa, quæ populus vovit Episcopo approbante. 103. 2. Invalidene, & illicite largiantur munera cum dissipatione bonorum Religionis, & cum ambitione. 287. 2. Num etiam munuscula ad devotionem spectantia, &c. ibid. Regularium Ecclesiæ, V. *Ecclesia, seu Templum*. Regulares possintne sine Episcopi licentia erigere, & mutare oratoria in suis domibus, & villis, de licentia tamen personali suorum Provincialium, &c. 282. 1. Item ministrare de licentia suorum Superiorum Extremam Unctionem suis familiaribus etiam sæcularibus. 291. 1. Num etiam aliis in necessitate. ibid. Quos casus reservatos incurrant Regulares. 350. 2. V. *Novitius*. Regularis approbatus ad confessiones. V. *Approbatus*. Regulares in itinere cui possint, ac debeant confiteri. 340. 2. & seq. Num possint tempore Jubilæi absque licentia superioris eligere sibi confessarium approbatum tantum ab Episcopo. 341. 2. Num vi suorum privilegiorum possint absolvere, sin minus provocantes ad duellum, saltem consulentes, permittentes. &c. 364. 1. V. *Interstitium*. Pro Regularibus dat testimoniales superior regularis: Scientiæ autem examen spectat ad Episcopum. 299. 2. V. *Religiosi Soc. Jesu*. Regulares a quo debeant ordinari. 298. 2. Regulares a quibus absolvi possint a reservatis Papalibus, vel in suo Ordine, &c. 353. 2. & seq. V. *Superior*. *Religiosus*, *&c.* Num possint, & in quo, subditi regulares communicare cum suis Prælatis, & Superioribus vitandis. 460. 2. Regulares inducentes aliquem ad jurandum, vovendum, &c., ut eligat sepulturam apud eorum Ecclesiam, incurrunt excomm. reservatam. 348. 1. Quid, si obligent ad eligendam sepulturam in Ecclesia alterius, vel hortentur tantum, ut eligant eorum Ecclesiam. ibid. V. *Sepultura Ecclesiastica*. Quid ipsis liceat, quid Parocho, & quæ possint cum Parocho concordare circa hujusmodi sepulturam. ibid. & 2. Possunt, quin contradicantur ab Episcopo, vendere sepulturam. 349. 1. Si pro loco honoratiori eam vendant, num sit simonia. ibid. V. *Simonia*.

Relaxatio juramenti. V. *Juramentum*: Interdicti. V. *Interdictum*.

Religio. Religionis virtus est prima post Theologales, qua debitus Deo cultus exhibetur. 71. 1.

Religiosus, V. *Professus*. Religiosus tenetur ad leges civiles non lædentes Ecclesiasticam Immunitatem quoad vim directivam tantum. 37. 1. Num etiam ad leges synodales ab Episcopis latas Clericis. ibid. Num Religiosi, sive ad chorum deputati, sive non, ad Horas teneantur. 73. 1. 2. Vel servare consuetudines municipales Clericorum, vel Sæcularium. 41. 1. Religiosus, ut Franciscanus, num teneatur ad jejunia suæ regulæ etiam ante 21. annum. 107. 1. Quæ sit obligatio Religiosorum erga suos Prælatos, & contra. 120. 1. Religiosi, præsertim mendicantes, eleemosynantes, V. *Quæstor*. Num teneantur facere eleemosynas. 112. 2. Religiosus professus num possit contrahere. 125. 2. Num testari. 136. 2. Num institui hæres, & quomodo. 137. 2. Num fidejubere. 166. 1. Num illicite simul & invalide largiatur munera de rebus monasterii, &c., & quæ quantitas liceat ex illis. 133. 1. Religiosis num sit prohibita negotiatio, & qualiter peccent eam exercentes per se, vel per alium. 151. 1. 2. Quid, si emant aliquid animo vendendi sine lucro, vel plura pro securitate suæ provisionis; & postea, quod superfluit, carius vendant, &c. ibid. 2. Industriæ autem iis licent. ibid. Si sine vi, & fraude testatori suadeant, ut potius suo monasterio, vel religiosis, &c. relinquat legata, num peccent, & ad restitutionem teneantur. 189. 1. Religiosorum furta, V. *Furtum*. Num professus contrahens debita in Religione, teneatur ipse, vel Religio, restituere. 214. 1. Religiosi mendicantes, & cum iis communicantes, quæ privilegia habeant circa Eucharistiæ administrationem. 269. 2. Religiosi communicantes in privilegio Soc. Jesu, qua hora possint celebrare. 285. 2. Ministrantes extremam unctionem externis incurrunt excommunicationem Papalem. 291. 1. Num etiam in necessitate. ibid. V. *Regulares*. Religiosæ & Religiosi interdicti, V. *Interdictum*. Religiosis, quibus licuit ante Trid. ordinari extra tempora, num etiam nunc liceat. 302. 1. Religiosi num gaudeant immunitate Ecclesiastica relata ad suos Prælatos, si confugiant ad Ecclesiam suæ Religionis, vel alterius. 363. 1. Religiosis sub qua culpa, & pœna vetitum sit loqui cum monialibus. 369. 2. Num possint sibi eligere Ecclesiasticam sepulturam. 348. 1. V. *Sepultura Ecclesiastica*. Religiosi iter facientes (præsertim Soc. Jesu) a quo possint absolvi a reservatis. 454. 2. Religiosi exempti non possunt censurari ab Ordinario. 447. 1. Num a Nuntiis Apostolicis. ib. Religiosi laici proprie suspendi nequeunt. 467. 2. Est suspensio a divinis, præter privationem beneficiorum, & inhabilitatem ad illa, vel alia obtinenda contra Religiosos præsumentes introducere mulieres in monasteria, &c. Num etiam in sacristiam. 473. 2. Religiosi privilegium habentes absolvendi a censuris num, & quod interdictum possint relaxare. 480. 1. Religiosus pœnitens, si petat a superiore posse absolvi a reservatis a Religioso suæ Religionis, & illi negetur talis facultas, adhuc valide potest absolvi. 310. 1. Religiosi violantes interdictum qua pœna puniantur. 481. 1. V. *Clericus*. *Interdictum*. *Sepultura Ecclesiastica*. Religiosis num sit vetita chirurgia. 483. 2. Num illam exercentes incurrant irregularitatem ex delicto homicidii casualis. ibid.

Religiosi Societatis Jesu. Num possit Societas Jesu sine S. Congr. licentia reddere dimisso bona sua, quæ ei donaverat. 129. 1. In Societate licentia ad contrahendum de his, quæ pertinent ad victum, & vestitum sitne invalida. ibid. 2. Rectores Soc. Jesu quid possint donare de rebus Religionis. 133. 1. Religiosi Soc. Jesu post vota simplicia valide testantur de Generalis licentia. 136. 2. Quid post professionem. ibid. Num possint institui hæredes. 137. 2. Num saltem eorum Domus, Ecclesiæ, Collegia, &c. ibid. Quid possint Superiores Societatis Jesu erga subditos, quorum delicta noverit ex denunciatione paterna. 114. 2. Vi concessionis Bullæ Pauli III. Num liceat Religiosis Soc. Jesu alicubi administrare baptismum. 257. 1. Quibus privilegiis gaudeant circa administrationem Eucharistiæ præsertim etiam tempore Paschatis, si necessitas urgeat. 169. 2. & seq. Vel circa consecrationem suarum Ecclesiarum. 280. 2. Vel circa tempus celebrandi. 285. 2. Vel circa tempora ordinationum. 301. 2. Vel circa examen. 299. 2. & seq. Vel circa dimissorias. 299. 1. Vel circa titulum ordinationis. 305. 1. Vel in dimissos a Soc. ibid. Religiosi Soc. cui debeant confiteri, dum sunt in itinere. 340. 2. & seq. Num possint in suis Ecclesiis recipere defunctos sine licentia Generalis, exceptis Fundatoribus, Principibus, & Prælatis. 349. 1. A quonam in Societate danda, vel petenda absolutio a reservatis, etiam in itinere, &c. 354. 1. 2. Possunt in Societate sic absolvere etiam Magistri Novitiorum ex speciali privilegio. ibid. 1. Confessarii in Societate num possint suspensiones relaxare. 470. 2. In Societate reservatur Generali facultas dispensandi cum suis subditis in irregularitate orta ex homicidio voluntario occulto. 482. 2. Num Generalis Soc. Jesu possit cum suis subditis dispensare in omni irregularitate. 490. 2. Quid requiratur, ut quis post contractum matrimonium ratum valide profiteatur in Soc. Jesu. 433. 2. Vota simplicia Scholasticorum, & Coadjutorum formatorum Societatis Jesu non dissolvunt matrimonium ratum antecedens, utut sint impedimentum dirimens matrimonii contrahendi. 434. 1.

Reliquiæ Christi Domini, ut Spinæ, Crux, &c. B. V., & Sanctorum sunt certo adorandæ: diverso tamen adorationis genere. 71. 1. Reliquiæ Sanctorum non possunt radi, ut rasuræ dentur infirmis. ibid. Quid de Reliquiis Beatorum, vel eorum, qui nondum sunt ab ecclesia beatificati. ibid. 2.

Remedia conscientiæ scrupulosæ. V. *Scrupulus*.

Remissio debiti facta a creditore ut debitorem excuset, quid requiratur. 214. 2. Quid si debitor certo moraliter, vel probabiliter tantum putet, quod, si manifestaret creditori debitum, vel rogaret remitti, ille id liberaliter faceret. 215. 1. Si creditor remittat ex minis, metu, &c. remissio est nulla. ibid. Item, si debitor se fingat pauperiorem, quam reipsa est. ibid. Quæ sint leges remissionem irritantes. ibid.

Renunciatio hæreditatis. V. *Hæreditas*.

Rescriptum dispensationis varie appellatur. 50. 2. Aliud est rescriptum gratiæ, aliud justitiæ, & in quo different. ib. Licet regulariter concedatur in forma commissoria, concedi tamen potest in forma gratiosa. ibid. Rescriptum

S. Pœ-

S. Pœnitentiariæ, ad quem dirigatur: quis aperire possit, & quæ ejus superscriptio. 50. 2. Explicantur pro Confessariorum praxi aliquæ rescripti clausulæ. ibid. & seq. Datariæ rescriptum quomodo exequendum. 51. 1. Cui committatur, & cui præsentari debeat. ibid. 2. Explicantur quatuor hujus rescripti clausulæ. ibid.

Reservatio. *Reservata*. V. *Casus reservati*. Reservatio est *Restrictio jurisdictionis concessæ Sacerdoti inferiori in ordine ad aliquod peccatum, seu censuram*. 349. 1. Quæ peccata possint reservari, & num etiam mortalia mere interna, vel venialia ab Episcopo, vel saltem a Papa. ibid. Quis possit casus reservare. ibid. 2. Quinam incurrant reservationem, & qui ab ea excusentur. ibid. V. *Ignorantia*. *Metus*. *Pueri*. *Vagi*. *Peregrini*. *Regulares*. *Moniales*. Si Confessarios habebat facultatem in reservata, & confessio antecedens fuit invalida, itaut invaliditas orta fuerit ex defectu ipsius, eo quod noluit absolvere, num ablata sit reservatio. 3x6. 2. Num ablata censenda sit etiam censura, eo quod invaliditas fuerit ex defectu inculpabili, vel etiam culpabili pœnitentis. ibid. Si quis ab habente facultatem in reservata, vel in censuras generaliter ab iis absolvatur, manet omnino liber a reservatione, vel censura adnexa peccato oblito, cum fuerit de eo indirecte absolutus: si ergo memoriæ occurrerit, poterit de eo directe absolvi a quovis Confessario. 327. 1. V. *Moribundus*. *Religiosus*.

Residentia. Beneficiarii obligati ad residentiam (quales non videntur esse, qui curam non habent animarum. 222. 2.) si culpabiliter non resideant, peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur fructuum tali residentiæ correspondentium. 225. 1. Num fieri debeat in conscientia, & ante sententiam Judicis. ibid. Episcopi abesse possunt licite a suis Ecclesiis, si adsint justæ causæ. Quæ autem esse possint. ibid. & x. Item si per breve tempus, quod non debet excedere duos, aut ad summum tres menses. 221. 2. Quantum tempore possint manere Romæ, si promoti fiat in curia, vel alias statis temporibus ad limina Apostolorum personaliter accedant. ibid. Quid de intervenientibus Conciliis, seu Congregationibus provincialibus. ib. Num possint conjungere trimestrem absentiam a Trid. concessam cum alio tempore etiam concesso. ibid. Multa item saluberrime decrevit super Episcoporum residentia Benrd. XIV. apposita. ibid. & seq. Parochi ex causa ab Episcopo cognita possunt per duos menses a Parochia abesse. x21. 2. Num generaliter loquendo ultra duos dies absentiæ indigeant semper facultate Episcopi. ibid.

Respublica potest gabellas justas imponere. 170. 1. V. *Restitutio*. Respublica hebræorum nequit matrimonii impedimenta statuere. 384. 1.

Restitutio. Restituere est *Reparare jus læsum alterius*. 180. 1. Restitutio autem stricte sumpta definitur *Actus justitiæ commutativæ, quo quis reparat ad æqualitatem jus alterius a se læsum*. 185. 1. Differt a satisfactione, solutione, imo ab ipsa restitutione large sumpta. ibid. Restitutio in integrum quid sit, & cui competat. 127. 1. & 203. 2. Qua necessitate sit necessaria ad salutem, & num semper ad eam teneamur sub gravi. 185. 2. Qui non potest re, tenetur habere votum, seu propositum restituendi, cum poterit: differt tamen hoc votum a voto baptismi. ibid. Restituendi præceptum est affirmativum: includit tamen etiam negativum, *Non furtum facies*. ibid. Quot peccata committat, qui pluries oblata opportunitate restituendi non restituit. ibid. & seq. & 312. 1. Restitutio est actus unius justitiæ commutativæ. 186. x. & 187. 2. V. *Justitia*. Non est ergo actus, per se loquendo, justitiæ distributivæ. 186. 2. Neque legalis. 187. 2. Neque demum vindicativæ. ibid. Porro justitia distributiva aliquando etiam includit commutativam. 186. 2. Quæ restitutio facienda ex beneficiis, vel ex aliis rebus sacris simoniace acceptis &c. 76. 2. & xx0. x. V. *Beneficium*. *Simonia*. Num dans operam rei illicitæ, quæ non sit contra justitiam, ex ea tamen sequatur damnum tertii, teneatur restituere. 187. 2. Quid de actionibus omissionis etiam hujusmodi. ibid. & seq. V. *Turpe lucrum*. Num sit restituendum, quod acceptum est pro re, vel omissione actionis aliunde debita. 188. 1. An teneatur restituere, qui aliquem impedivit a consecutione boni. ibid. x. & seq. Num teneatur restituere, qui facit aliquid, quod imputabitur alteri, qui ideo damnum patiatur. 180. 1. 2. Num sit aliquando obligatio restituendi eleemosynas. ibid. 2. V. *Mutuum*. *Emptio*. Restitutionis species sunt quatuor. 216. 2. Restitutionis radices sunt 2. Injusta acceptio, & Res accepta. 190. 1. & 208. 1. Additur etiam obligatio ex contractu. ibid. & 194. 2. V. *Contractus*. *Culpa*. Qui sit, & ad quid teneatur possessor, seu damnificator bonæ, vel malæ fidei. V. *Possessor*. *Damnificator &c.* Quæ res sit restituenda. 196. 1. Num bona incerta sint restituenda. ibid. Num restituenda res habens dominum incertum. ibid. Vel res injuste accepta, cujus dominus ignoratur. ibid. V. *Eleemosyna*. Vel res inventa, cujus dominus ignoratur. ibid. 2. Vel res aliena, quam quis habet apud se ex contractu justo, puta ex deposito, cujus rei tamen dominus ignoratur. ibid. Num restituenda bona habita a Regularibus. x27. 2. Num restituenda bona adespota, e. g. feræ, quæ venatione, aucupio, piscatione accipiuntur. 197. 1. Porro nomine ferarum quid veniat. ibid. Num restituenda metalla, quæ eruuntur ex suis venis metallicis. Item lapilli pretiosi, gemmæ, corallia &c. quæ inveniuntur in littore maris, in insulis, in promontoriis. ibid. & x. V. *Thesaurus*. Num restituenda res, quæ habetur pro derelicta, & quæ hæc sit. ibid. x. & seq. Num bona vacantia. 198. 1. V. *Bonum*. *Beneficium Ecclesiasticum*. Ad quid teneantur lignantes, vel pascentes in loco ad Rempublicam spectante. ibid. Vel qui domum suam attollat in damnum alterius, vel qui flumen avertit, ne ad vicinum perveniat. ibid. 2. Restitutio alicui ex communitate facienda. V. *Communitas*. Personæ restituere debentes, præter eum, qui immediate damnum intulit, sunt 9. cooperatores duobus versibus comprehensi. ib. Sex cooperantur positive. ibid. V. *Mandans*. *Consulens*. *Consentiens*. *Palpo*. *Prabens recursum*. *Participans*. Cooperantes negative sunt 3. mutus, non obstans, non manifestans. ibid. & x01. 2. Quo ordine prædictæ personæ teneantur restituere damnum secutum, & num singulæ teneantur in solidum. 202. x. & seq. V. *Damnificatio, &c.* *Agens*. Num teneantur ad restitutionem damni secuti, qui, cum teneantur ex officio illud impedire, & possint, non impediunt. x01. 2. Num hi teneantur tale damnum impedire etiam cum periculo damni proprii. ibid. Ad quid teneantur, qui tenentur ex officio manifestare delinquentem, & non manifestant. ibid. Quid de iis, qui ex officio non tenentur, possunt tamen impedire, manifestare &c. 202. 1. 2. Num, si interrogatus quis e. g. an viderit prædones, neget, cum viderit, teneatur ad restitutionem de damno inde secuto. 20x. x. Cui personæ facienda sit restitutio. 204. 1. Num justitiæ satisfacias, si debens pecuniam Cajo illam restituas ejus creditori. ibid. Cui restituenda res Caji, quam accepisti a Titio possessore bonæ fidei, vel a fure. ibid. & 2. Cui restituendum, si rei dominus sit mortuus. 202. 2. Vel, si dato mandato a domino, hic ante ejus executionem moriatur. ibid. V. *Moneta*. *Creditor*. Num qui aliquid accipit donatum a Titio, quem scit non esse solutum suis creditoribus, pecces, & ad restitutionem teneatur. 206. 2. Restitutio quando facienda. 208. 1. V. *Debitor*. Ubi facienda a possessore bonæ, ubi a possessore malæ fidei, & num hujus expensis, etsi hæ sint magnæ. ibid. 2. V. *Contractus*. Quæ restitutio facienda sit publice, quæ privatim. 299. 2. Num qualibet possit fieri per tertiam personam. ibid. V. *Compensatio*. *Debitor*. Quantum restituere debeat pro rei valore, qui culpabiliter occidit e. g. ovem, quæ allatura erat multos fœtus, aut præcidit arborem teneram, quæ productura erat multos fructos, vel conculcavit segetem in herba &c. 193. 1. Causæ excusantes a restitutione quæ esse possint ex parte debitoris. 210. 2. Quæ ex parte creditoris. 214. 1. 2. V. *Fama*. *Infamia*. *Detractor &c.* Quæ sint bona animi restituenda. x39. 2. Ad quid teneatur, qui docuit falsam doctrinam, seminavit novitates, falsos rumores, &c. ib. Vel qui proximum induxit ad peccandum, vel a statu religioso abduxit. ibid. Quæ sunt bona corporis restituenda. 233. 1. Num, si tibi constitutus sit e. g. mensis ad solvendum sub pœna excomm. ipso facto, hanc incurras, si initio mensis potens non solvas, prævidens, te fore postea impotentem. 455. 1. 2. Restitutio ex beneficiis, V. *Simonia in materia beneficiaria*. Ex stipendiis Missæ. V. *Stipendium Missæ*. Ex distributionibus chori, V. *Distributiones Chori*. Ex aliis rebus sacris simoniace acceptis. V. *Simonia*.

Retractus gentilitius quid sit. 150. 2. Quando in hoc committatur dolus, qui dicitur *Stellionatus*. ibid.

Revalidatio matrimonii. V. *Matrimonium*.

Reviviscentia Sacramentorum. V. *Sacramentum*.

Reus morte plectendus num teneatur, si possit, fugere a carcere. 107. 2. Num possit jurare cum æquivocatione. V. *Æquivocatio*. Si a Judice non legitimo, vel non legitime interrogetur, potest negare etiam cum juramento crimen a se commissum. 88. 1. Quid si interrogetur a Judice per semiplenam tantum probationem. ibid. & 347. 2. Confessarius num debeat illum obligare ad fatendum suum crimen. ibid. Num debeat illi negare absolutio-

tionem, si neget crimen Judici, vel atiam Confessario. ibid. Reus, si ad vitanda tormenta falsum sibi crimen imposuit, num teneatur postea crimen suum revocare, præsertim si antea perjurio confirmasset. ibid. Ad quid teneatur, si coactus denunciavit alium inuocentem: vel, si sciat complices. ibid.

Rex potest fere leges. 22. 1. De quibus bonis potest disponere, donando, & qua quantitate, &c. 132. 2. Hodie sunt exempti Reges a censuris, quæ feruntur ab Episcopis, secus vero, quæ a Papa. 446. 2.

Ritus requisiti in baptismo solemni. V. *Baptismus*: In jubilæo anni sancti. V. *Jubilæum anni sancti*.

S

SAcellum. Sacellanus. Sacellum. V. *Eremita*. Sacellani approbatio minus cessat per Parochi mortem. 339. 2. Num sacellanus assistere possit matrimonio. ibid.

Sacerdos. V. *Presbyter. Sacramentum. Sacrificium Missæ. Stipendium. Eucharistiæ Sacramentum. Cappellanus. Suspensio, &c.* Sacerdos jurans, se per hebdomadam majorem confessiones audivisse, etsi per aliquem diem abfuerit, excusatur a perjurio. 87. 2. Sacerdos græcus transiens per templum latinorum num possit celebrare in azymo, & contra Latinus in fermentato, 35. 2. & 265. 2. Sacerdotes græci, & latini, diversæ figuræ hostiam consecrant. 266. 2. V. *Hostia. Vinum. Eucharistiæ Sacramentum*. Num possit Sacerdos extra Missam etiam devotionis causa Eucharistiam sibi ministrare. 269. 2. Si Eucharistiam ministret sine jurisdictione, peccat graviter. ibid. Si sit Sacerdote inferior, incurrit etiam irregularitatem. ibid. Quando teneatur Sacerdos Eucharistiam ministrare. 270. 2. Qualiter peccet celebrans discalceatus, recto capite &c. 288. 2. Num possit quilibet etiam forensis celebrare in Ecclesiis alterius Diœcesis sine Ordinarii licentia. 280. 2. Num quilibet Sacerdos teneatur saltem aliquando celebrare. 284. 1. Num possit Sacerdos anticipate sacrificare pro obligatione jam contracta celebrandi v. g. 15. Missas singulis diebus. 287. 1. V. *Cappellanus*. Num celebrans aliis, quam designatis diebus satisfaciat. ibid. Obligari potest ad celebrandum ex legato, stipendio, voto &c. ibid. Num, & quando teneatur Sacerdos celebrare tres illas Missas, quæ ei injunguntur ab Episcopo illum ordinante. ibid. Sacerdos faciens sacrum ob eleemosynam acceptam, aliter non facturus, adhuc valide celebrat. 427. 2. Sacerdos approbatus. V. *Approbatus*. Sacerdos absolvens. V. *Absolutio. Moribundus. Confessarius. Sacramentum Pœnitentiæ*. Sacerdos excommunicatus qualiter peccet, & quam pœnam incurrat exercens actum proprium Ordinis Sacri, quem habet. 465. 1. Num excusetur aliquando ratione extremæ necessitatis in moribundo, vel ratione gravis metus, infamiæ, scandali &c. ibid. V. *Extrema Unctio. Viaticum*. Sacerdos assistens moribundo num, & quando possit incurrere irregularitatem ex delicto homicidii casualis. 483. 1. Num sit irregularis baptizans moribundum, si e. g. suspicetur, ex aqua baptismi mortem ei fore accelerandam. 484. 1. V. *Baptismus*. Quando Sacerdos sit irregularis ex delicto abusus ordinum, quando vero hanc irregularitatem declinet. 487. 2. V. *Clericus*. Qui Sacerdos censendus sit irregularis ex defectu corporis. 493. 1.

Sacramentalia, quot, & quænam sint. 242. 1. Non habent vim causandi gratiam ex opere operato, & in hoc differunt a Sacramentis. ibid. Aliqua remittunt venialia per modum imperrationis: aliqua, per hoc quod excirent in nobis pios motus, & sic illa (non tamen infallibiliter) remittunt. ibid. & 306. 2.

Sacramentum. Quod ejus etymon. 241. 1. Definitur *Visibile signum gratiæ invisibilis ad populum Dei sanctificandum*. ibid. Ab uno Deo institui potest. ibid. Num signum ad rationem Sacramenti requisitum debeat esse stabile, ac practicum. ibid. 2. Differt a sacrificio. ibid. & 72. 2. Differt a Sacramentalibus. 242. 1. Sacramenta alia sunt vivorum, alia mortuorum. 246. 1. Differunt Sacramenta novæ, & veteris legis. 241. 2. Num fuerit absolute necessaria eorum institutio. 242. 2. Num, hac supposita, sint illa necessaria, & qua necessitate, ad salutem. ibid. Quot sint Sacramenta novæ legis, & quis inter ea sit ordo. ibid. & seq. Num in aliis statibus præter statum gratiæ fuerint Sacramenta. 242. 1. Sacramenta novæ legis tribus perficiuntur: rebus, verbis, & persona Ministri. 243. 1. Num eorum materiæ, & formæ sint ex Christi institutione determinatæ, & an determinatio ejusdem rationis sit in omnibus. ibid. Num possit Ecclesia mutare materias, & formas Sacramentorum. ibid. 2. Quæ mutatio dicenda sit theologice accidentalis, quæ substantialis, & quæ proinde invalidet, & quæ non, Sacramenta. ibid. 2. Octo modis ex Suar. potest mutari forma. 244. 1. 2. Qualiter peccet, qui mutat, æquivoce profert, interrumpit, repetit, omittit &c. verba in conficiendis Sacramentis. ibid. 2. Qui sit effectus primarius Sacramentorum novæ legis. 245. 1. Qui secundarius. 246. 1. Num Sacramenta gratiam causent ex opere operato. 242. 1. & 245. 2. Physicene, an moraliter. ibid. Quo tempore. 246. 1. Num causent etiam infusionem virtutum theologalium. 245. 1. Num causare possint primam gratiam. 246. 1. & 253. 2. Ex qua potestate Christus ut homo dicendus sit institutor Sacramentorum, & num possit eam alicui puræ creaturæ communicare. 246. 2. Qui sit Sacramentorum minister, & num quivis homo cujuscumque. ibid. & seq. Num, & quod Sacramentum suscipi liceat a ministro hæretico. 67. 1. Error in Ministro num invalidet Sacramentum. V. *Error*. Quæ intentio requiratur in Ministro, & in suscipiente. V. *Intentio*. Pro licita (excepto matrim.) saltem administratione Sacramentorum requiritur in Ministro jurisdictio ab Ecclesia derivata. 249. 1. Ad Pœnitentiæ Sacramentum requiritur etiam pro valida. ibid. Num servandus sit Ecclesiæ ritus. ibid. Num requiratur status gratiæ, an vero possit aliquando Sacramentum ministrari in peccato. ibid. 2. Qualiter peccet in mortali baptizans, consecrans, ministrans Eucharistiam. ibid. absolvens, contrahens matrimonium. ibid. Quid, si sic exerceat alias functiones sacras. ibid. Nequit quis uti in administratione Sacramentorum sententia probabili circa valorem (secus, si circa modum) eorundem. 250. 1. Peccat generaliter utens materia, vel forma dubia extra necessitatem. ibid. Adhuc tamen circa valorem potest quis sequi opinionem moraliter certam relicta tutiore. ibid. 2. & 17. 2. Num, & quando, si habeatur error communis de jurisdictione e. g. Confessarii, Ecclesia suppleat, vel dispenset. 250. 2. Quid, si habeatur mera opinio probabilis de jurisdictione, vel absentia impedimenti. ibid. Num in aliquo casu, etsi agatur de valore Sacramenti, uti possimus opinione probabili in tali administratione. ibid. Quandonam, & quomodo debeat Minister Sacramenta administrare, vel ea etiam reiterare. 251. 1. Num possit in aliquo saltem casu illa administrare indigno. ibid. & 2. Num pœnitenti publico vel occulto in articulo, vel extra articulum mortis possit, aut debeat publice, vel occulte negari, aut concedi Sacramentum. ibid. 2. Num liceat ob gravem metum simulare Sacramenta. V. *Metus*. Unus homo viator est subjectum capax Sacramentorum: non omnes tamen omnium. 252. 1. Quid requiratur in subjecto adulto ad licitam, & fructuosam Sacramenti susceptionem. 253. 1. In quibus Sacramentis suscipiendis requiratur status gratiæ. ibid. & 2. Peccat graviter Sacramenta suscipiens in peccato mortali: quid, si in veniali. ibid. 2. Num debeat esse liber ab omni excomm. interdicto. 464. 2. & seq. Qualiter peccet, & puniatur ministrans aliquod Sacramentum excommunicato vitando sine prævia absolutione ab excomm. 465. 1. Num Sacramenta omnia ficte suscepta, remoto obice, reviviscant ad causandam gratiam, & ad remittenda venialia. 253. 2. & seq. Num liceat petere administrationem Sacramenti a Ministro indigno, puta nominatim excommunicato &c. saltem ex necessitate, vel causa urgenti. 254. 1. 2. Num in suscepturo Sacramento sit obligatio inquirendi in probitatem, & mores ministri. ibid. 2.

Sacrificium late sumptum quid sonet. 72. 1. & 277. 2. Stricte tale definitur *Cæremonia sacra legitime instituta, per quam res sensibilis destruitur in protestationem supremi dominii Dei, & nostræ in eum subjectionis*. Utrumque Uni Deo offerri potest. 72. 1. Quo sensu offeratur etiam Sanctis. ibid. Differt a martyrio, & Sacramento. 277. 2. Dividitur in cruentum, & incruentum, in victimam, hostiam, immolationem, & libamen; in holocaustum, in hostiam pro peccato, & hostiam pacificam; in latreuticum, eucharisticum, propitiatorium, & impetratorium. ibid. & 72. 1. 2. An præcipiatur jure naturæ. ibid. In lege scripta plura fuerunt sacrificia: in lege gratiæ unum est missæ sacrificium, quod cætera veteris testamenti superat. ibid. 2. Christus Dominus interdixit, ne Ecclesia aliud ab hoc sacrificium institueret. ibid. & 278. 1. Sacrificium vespertinum incensi, hostia immaculata ante consecrationem missæ, non sunt proprie sacrificia. 72. 2.

Sacrificium missæ. Quod ejus Etymon. 277. 2. Est vere, & proprie sacrificium, ut illud in cruce oblatum. ibid. Non mere improprie, ut volebant hæretici. ibid. Ejus essentia in sola consecratione consistit. 278. 1. & 72. 2. Num possit esse sub una tantum specie, saltem ex Papæ dispen-

fatio-

fatione. ibid. Quæ res principaliter offeratur in hoc sacrificio. 278. 1. Qui vero sit principalis offerens, qui minus principalis. 73. 1. An, quoties, & num singulos Sacerdotes seorsim obliget præceptum sacrificandi. 72. 2. & 284. 1. Naturam hujus Sacramenti habes ex effectibus, quorum potissimi sunt quatuor. 278. 1. 2. Hoc sacrificium nonnisi mediate veniam causat peccatorum etiam venialium quoad culpam: quoad pœnam immediate. ibid. 1. Num habeat in actu secundo virtutem causativam simpliciter infinitam, præsertim remissionis peccatorum &c. ib. 2. Si est valoris infiniti, quomodo plus uni prosit, quam alii; & multiplicentur sacrificia relate ad eundem finem. ibid. Triplex est fructus sacrificii, specialis, generalissimus, & specialissimus. ibid. Cui autem hi fructus correspondeant. ibid. Sacrificium ut aliis a sacrificante causet effectus suos ex opere operato, non requiritur in ministro status gratiæ. ibid. Ut specialiter uni potius prosit, quam alteri, requiritur applicatio (sufficit habitualis) sacrificantis, ante tamen sacrificium. 279. 1. Quod si non applicet, remanebit fructus in thesauro Ecclesiæ. ibid. Ut causet fructum generalissimum, nulla requiritur Sacerdotis applicatio. ibid. Subjectum capax participandi fructum sacrificii debet esse viator, & baptizatus. ibid. Oblatum pro constituto in mortali num reviviscat ad causandos effectus, si ille se remittat in gratiam. ibid. Quomodo prosit, si offeratur pro conversione infidelis &c. ibid. Sacrificii fructus impetratorius, & satisfactorius unde sit major, vel minor. ibid. Pro quibus valide, & licite possit, aut non possit sacrificium offerri. ibid. 2. Quinam sit locus sacrificio aptus. 280. 1. In quo loco sit celebrandum. V. *Altare. Oratorium privatum. Ecclesia*. Num ex Episcopi concessione possit celebrari in domibus privatis, præsertim infirmi. 282. 2. Ex necessitate num in loco profano. 283. 1. Qui sit locus obligationis, & num ibi teneatur Sacerdos sub gravi celebrare. ibid. 2. Num possit ab hoc eximi ab Episcopo. ibid. Quodnam sit sacrificii tempus. 284. 1. Qui dies. 285. 1. Quæ hora. ibid. 2. Quibus diebus hebdomadæ sanctæ vetitum sit celebrare. ibid. 1. V. *Oratorium privatum*. Quoties quis eodem die celebrare possit, præsertim ob privilegium, vel necessitatem. ibid. 1. 2. V. *Sacerdos*. An liceat aliquando celebrare ante auroram & quid veniat hic sub auroræ tempore. ibid. 2. Quando, liceat in nocte Natalis Domini. ibid. Quando ex privilegio, vel necessitate. ibid. An liceat celebrare post meridiem ex privilegio, vel necessitate. 286. 1. Vel ante recitatas horas canonicas. ibid. Quid circa missam conventualem, & Parochialem statuit Bened. XIV. felic. regnans. 284. 2. An liceat missam abrumpere, seu relinquere imperfectam, vel etiam interrumpere. 286. 2. Dum ad altare redis post interruptionem ad missam finiendam, num debeas iterum inchoare, an vero pergere, ubi desieras. ibid. Quæ sint cætera requisita ad sacrificium. 287. 1. Quid de Cruce cum Crucifixo, de mappa, sacris vestibus, corporali, palla, purificatorio, bursa, paramentorum colore &c. 287. 1. & 2. Quid de patena, missali, lumine, ministro inserviente, de velo calicis, pulvinari, bursa &c. 288. 1. 2. De calice. V. *Calix*. Num prædicta ornamenta, & indumenta debeant esse, & a quo, benedicta, & quando benedictionem amittant. ibid. Celebrare sine vestibus sacris grave sacrilegium est. 287. 2. Num liceat in gravi necessitate, vel ex metu mortis. ibid. & seq. Qui ritus, & quæ rubricæ in celebrando servari debeant sub gravi, vel sub levi. 288. 2. An, & quale peccatum sit omittere aliquam partem missæ. 289. 1. Missæ partes dividuntur in ordinarias, & non ordinarias, quæ autem sint ordinariæ, quarum omissio sit graviter peccaminosa, quæ non ordinariæ, quas omittere sit veniale. V. ibid. An, & quale peccatum sit addere, commutare, vel invertere aliquid in missa. ibid. Quæ verborum expressio in ea requiratur, & qualiter peccet Sacerdos se voluntarie distrahens in legenda missa. ibid. 2. V. *Sacerdos*. Missæ auditio die festo. V. *Festorum observantia*. Nullus excommunicatus potest per se loquendo missæ interesse. 465. 2. Qualiter peccet illi assistens. ibid. Quid agendum celebranti, & adstantibus, si, dum fit Sacrum, interesse velit per vim excommunicatos vitandus. ibid. Qualiter peccet, & puniatur Sacerdos admittens illum ad sacrificium, vel cæteri fideles, si non recedant a missa, ubi est excommunicatus vitandus. ibid.

Sacrilegium stricte sumptum est *Violatio rei sacræ*. Late tamen acceptum quid sonet. 82. 1. Dividitur in reale, locale, & personale. ibid. 2. Reale multiplex est quoad Sacramenta, vasa sacra, imagines, & reliquias sanctorum, scripturas sacras &c. ibid. 2. Locale quadrupliciter committi potest. ibid. Personale vero tripliciter. ibid. Num circumstantia temporis sacri addat peccato rationem sacrilegii. ibid. & seq. Non omne peccatum contra Religionem est sacrilegium. 83. 1. Hoc committi etiam potest per omissionem. ib. Quomodo in confessione aperiendum. ibid. Cui sacrilegio pœnæ sunt impositæ. ibid. Furtum sacrilegum. V. *Furtum*. Estne sacrilegium diversum, si quis peccet contra castitatem cum Sacerdote, ac si cum Religioso. 313. 1. 2.

Sanctorum, & Beatorum cultus. V. *Beatus*. In sanctorum honorem &c. potest bene, & pie offerri missæ Sacrificium. 279. 2.

Satisfactio Sacramentalis est *Executio pœnitentiæ impositæ a Confessario*. 330. 1. Est pars integralis Sacramenti pœnitentiæ. ibid. An ex opere operato remissionem causet pœnæ temporalis. ibid. Alia est pure pœnalis, alia medicinalis. ibid. Confessarius tenetur sub gravi, vel sub levi juxta peccatorum materiam, pœnitentiam imponere. ibid. Num, & quam pœnitentiam injungere possit constitutis in mortis articulo, vel lucraturis indulgentias, præsertim in jubilæis. ibid. 2. Num debeat injungi nova pœnitentia confitenti novum peccatum post absolutionem. ibid. 2. Semper imponenda est post audita peccata. ibid. Item imponenda pœnitenti sub aliqua obligatione præcepti; & quidem proportionata peccatis non absolute, sed respective ad pœnitentem. ibid. Unde igitur prudens confessarius metiri debeat qualitatem, & quantitatem pœnitentiæ imponendæ. ibid. Quæ pœnitentia numquam imponenda. Quæ ob delictum publicum. 331. 1. Debet tamen semper esse opus pœnale. ibid. Quod autem hoc sit. ibid. Potest etiam esse opus, cujus impetratio & satisfactio applicetur pro aliis. ibid. Num possit ipse confessarius subire partem operis injungendi, ac pœnitenti applicare. ibid. Item potest illi concedere, ut per alium pœnitentiam persolvat. ibid. Nisi tamen id explicet, non intelligitur. ibid. Tenetur pœnitens (sub gravi, si pœnitentia imposita sit pro culpa gravi; sub levi, si pro levi) pœnitentiam a confessario impositam acceptare, si sit tolerabilis. ibid. 2. Quid, si evadat deinde physice, vel moraliter impossibilis. ibid. Si ejus materia sit divisibilis, nec possis partem majorem exequi, teneris saltem exequi minorem. ibid. Quæ pœnitentiæ materia censenda sit gravis, quæ levis. ibid. Quando persolvenda pœnitentia. 332. 1. Diu eam differens qualiter peccet. ibid. Num teneatur quis sub præcepto eam exequi ante communionem. 273. 1. An possit ei satisfieri eodem tempore, quo satisfit alteri præcepto. 332. 1. Num persolvenda cum intentione saltem virtuali integrandi Sacramentum, vel confessario parendi. ibid. Num peccet eam exequens in mortali; & num ea sic posita habeat effectum suum. 29. 2. & 331. 1. Pœnitens nequit in aliud opus, etsi melius, pœnitentiam sibi propria auctoritate commutare. ibid. 2. Confessarius num id possit in alia confessione; aut etiam extra confessionarium. ibid. Pœnitentia ab uno confessario imposita nequit ab alio mutari, vel minui, nisi illi repetantur peccata, ob quæ fuit imposita. ibid. Semper tamen requiritur justa causa. 333. 1. Num post commutationem liberum sit pœnitenti alteram sibi eligere. ibid. Num secundus confessarius commutare possit pœnitentiam impositam a superiore, præsertim ob reservata sibi. 333. 1.

Scandalum est *Opus minus rectum præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis*. 116. 2. V. *Inducens ad malum*. Dividitur in activum, & passivum. Activum subdividitur in directum, & indirectum. Passivum, aliud est datum, aliud acceptum. Hoc aliud est pusillorum, aliud pharisaicum. ibid. Cui virtuti opponatur scandalum directum: Cui indirectum. ibid. Quando proprie peccetur scandalo indirecto. ibid. Num sit peccatum scandali, si in videntibus nihil aliud excitaveris tuo facto e. g. quam admirationem, rumorem &c. ibid. & seq. V. *Mulier*. Num liceat permittere, vel etiam aliquod opus indifferens facere, quod sit occasio peccati proximi. 117. 1. Num sit omittendum opus bonum, vel etiam præceptum ob scandalum pusillorum, vel pharisaicum. ibid. 2.

Schema consanguinitatis appositum est. 391. V. *Linea*.

Schisma. Schismatici. Schisma est *Divisio ab Ecclesia, ejusque Capite*. 116. 1. & 359. 1. Quando includit hæresim. ibid. Ad hoc peccatum contrahendum duo requiruntur. ibid. Quæ sint schismaticorum pœnæ. 116. 1. In bulla cœnæ non excommunicantur schismatici, sed ii, qui mandato Roman. Pontificis pertinaciter, hoc est scienter, nolunt obedire, quod non satis est ad schisma. 359. 1. Num schismatici sint irregulares ex delicto. 486. 2.

Scientia Confessarii. V. *Confessarius*.

Scrupulus. *Scrupulosus*. Scrupulus est *Inanis apprehensio, & hinc ortus timor, & anxietas, alicubi esse peccatum, ubi non est*. 16. 2. An scrupuloso liceat, aut etiam teneatur aliquando agere contra suam conscientiam scrupulosam. ibid. & seq. Quatuor sunt signa conscientiæ scrupulosæ. ibid. Remedia fere sex. ibid. & seq. Privilegia autem fere duo. 17. 1. Scrupulis debemus initio contraire. 16. 2. Scrupulosus potest leviter se examinare. 312. 1. Si pœnitens sit scrupulosus, confessarius regulariter permittere illi non debet quidquam repetere de præteritis confessionibus, nisi certum sit, esse male confessum, 326. 2. & seq. Neque, ut se accuset de peccatis dubiis. 326. 1. Conscientia scrupulosa quæ sit. V. *Conscientia*. Confessarius assistens scrupuloso quomodo debeat se gerere circa illi insinuandam veniam inimico &c. 110. 1. Scrupulus de ordine suscepto. V. *Ordo*.

Secretum. Secretum naturale differt a sigillo Sacramentali. 380. 1. Quomodo servandum. ibid. 2. An peccet illud violans, & num ad restitutionem teneatur. 230. 2. Qui id ab alio extorsit, tenetur pariter ad illud servandum, & ad restitutionem &c. ibid. V. *Littera*. Num excusetur a peccato, qui compellitur revelare Secretum naturale, etiam juratum vi tormentorum &c. 231. 1. Quando taciturnitas vergit in damnum communitatis, vel innocentis, non tenemur secretum servare, etsi sit juratum. ibid. Est exceptio allata a Lessio. ibid.

Sedes Apostolica dat privilegium erigendi Oratorium privatum. 282. 1.

Semifatuus. V. *Amens*. Quibus legibus teneantur semifatui. 34. 1. Num possint licite induci a nobis ad ponendas actiones prohibitas. ibid. Num illis ministranda Eucharistia tempore Paschatis. 271. 1.

Senatus num teneatur suis legibus. 33. 2.

Sententia probabilis. V. *Opinio*.

Sepultura Ecclesiastica. V. *Ecclesia, seu Templum*. Quid veniat nomine sepulturæ Ecclesiasticæ. 466. 2. Num quivis utriusque sexus, ætatis, conditionis, &c. eligere sibi possit sepulturam Ecclesiasticam. 347. 2. Qui autem potest per se, potest etiam id alteri committere. ibid. Hic vero eligere illam potest etiam post ejus mortem. ibid. V. *Parochus*. *Regulares*. *Clericus*. Num peccetur, si cadaver occulte transferatur de uno loco in alium, non persoluta quarta funeralium illis Parochis, per quorum Parochias transit. 348. 1. Electio sepulturæ quomodo probari possit. ibid. Pro impubere, qui nequit sibi eligere sepulturam, potest illam eligere Pater. ibid. Facto tamen pubere, patris electio, nisi ratificetur a filio, non valet. ibid. Idem dic de Tutore respectu pupilli, &c. ibid. 2. Religiosus num possit sibi, saltem quando moritur extra claustra, eligere sepulturam. ibid. 1. Quid circa hoc possit Superior Regularis. Quid Novitius, ibid. 2. Ubi sepeliendus, qui moritur non electa sibi sepultura. ibid. Vel qui nec proprium sepulchrum habet. ibid. Ubi Sæcularis, si moriatur in monasterio, ubi relicto domicilio, habitabat. ibid. Vel si quis in testamento disposuit, ut sepeliatur in Parochia, in qua moriturus erit, & casu moriatur in aliena Parochia. ibid. Si quis legatum fecit Ecclesiæ sub conditione: *Si ibi sepeliatur*: Si quid accidit, per quod non possit, aut debeat ibi sepeliri, valeatne legatum. ibid. Quis concedere possit jus proprium, & perpetuum sepulturæ in certo loco, ex quo alios possit excludere. ibid. & seq. V. *Simonia*, *Regulares*. Nequit excommunicatus vitandus sepeliri in loco sacro, etsi signa dederit pœnitentiæ, sed sine absolutione ab excom. decesserit. 466. 2. Sepeliens autem illum in loco hoc sacro incurrit excomm. majorem. ibid. & 461. 1. Nomine autem sepelientium qui veniant. 466. 2. V. *Hæreticus*. *Duellum*. Si excomm. vitandus ante mortem signa det pœnitentiæ, absolvi debet: num etiam a non Sacerdote. 467. 1. Si moriatur absolutione obtenta a non Sacerdote, num adhuc possit sepeliri in loco sacro. ibid. Quando, & quomodo absolvendum ejus cadaver; & quid requiritur, ut sic saltem indirecte absolvatur. ibid. Excommunicatus toleratus, etsi in excomm. decesserit, non videtur privatus Ecclesiastica sepultura. ibid.

Sequestrum est contractus, *Quo res inter plures controversa apud aliquem, qui dicitur sequester, deponitur, ut ei postea tradatur, qui causam vicerit*. 140. 1. Refertur ad depositum. ibid.

Servitus, *Servus*. Servitus est *Jus in re alterius, ut ipsa quodammodo serviat alteri*. 182. 1. *Vel qua homo fit mancipium alterius hominis*. 238. 2. Dividitur in realem, personalem, & mixtam. 182. 1. Realis dividitur in urbanam, & rusticam. ibid. Servitus originariorum quid sit. 164. 2. Introducta est servitus ex 4. titulis, scilicet belli, nativitatis, emptionis, & condemnationis. 238. 2. & 494. 1. Qui injuste hominem liberum conjecit in servitutem, ad quid teneatur. 239. 1. Servitus, quando est impedimentum dirimens matrimonium. V. *Impedimentum conditionis*. Servus, quamdiu durat servitus, est irregularis. 494. 1. Si evadit liber, cessat per se irregularitas. ibid. Quid, si evadat libertus. ibid. 2. Libertinus omnino non est irregularis. ibid. Si velit ascendere ad ordines servus, & plures habeat Dominos, num indigeat omnium permissione. ibid. 1. Durante servitute quis possit dispensare in hac irregularitate. ibid. 2. Servus num reputetur reus, si eligat partem minus probabilem relicta probabiliore tutiore circa voluntatem Domini sui. 20. 1. Ad quid teneatur. 239. 1. Quid Domino debeat. 120. 1. Num possit, vel teneatur facere eleemosynas. 112. 2. Num possit contrahere. 126. 2. Num testari. 136. 1. Num institui hæres. 137. 2. Num possit licite fugere. 239. 1. V. *Homicidium*. *Impedimentum conditionis*. *Ecclesiastica sepultura*. *Conjux*. Quæ communicatio liceat servis, & ancillis, quæ non, cum Domino, vel Domina excommunicatis vitandis. 460. 2. Num possint communicare cum domino vitando etiam in divinis; Vel cum alio conservo vitando. ibid.

Sigillum Confessionis est *Strictissima obligatio non revelandi neque directe, neque indirecte ea omnia, quæ cognita sunt ex confessione sacramentali alterius, & quorum revelatio redderet confessionem odiosam*. 380. 1. Unde talis obligatio. ibid. Differt hoc sigillum a secreto naturali. ibid. Dupliciter peccat violator sigilli. ibid. Qualiter puniendus. ib. Num denunciandus. ibid. Oritur hoc sigillum unice ex confessione Sacramentali. ibid. 2. Num, etiamsi talis confessio fiat non approbato, nec habenti intentionem absolvendi, nolenti audire, aut laico fingenti se Sacerdotem, aut in confessionario, quando putatur falso adesse confessarium, vel, etsi confessio non finiatur, vel non sequatur absolutio, vel sit invalida, vel etsi peccata narraverit historice, dummodo addiderit pœnitens: *Me de enarratis accuso*, vel si peccata scripserit pœnitens absenti. ibid. Quid, si pœnitens dixerit confessario peccata ad habendum consilium. ibid. Num sint aliqui casus, in quibus non obligat sigillum? Puta, si pœnitens simulet confessionem &c. ibid. Materia sigilli quæ sit. ibid. Num omnia & singula mortalia, etsi dubia, vel putata cum suis speciebus, circumstantiis &c. ibid. Num singula venialia in specie, vel in genere. 381. 1. Num etiam scrupuli. ibid. Num etiam vota, virtutes, aliave bona pœnitentis. ibid. Num etiam peccata aliena, seu complicis a pœnitente dicta &c. Vel omne id, de quo dubitatur, cadat necne in materiam sigilli. ibid. V. *Confessarius*. Quos, & ad quid obliget sigillum. ibid. Quomodo obligetur Confessarius, Superior, Interpres legens chartam Confessionis, vel qui casu, aut ex industria audit pœnitentem confitentem. ibid. 2. Obligatus sigillo in nullo prorsus casu neque directe, neque indirecte potest ejus materiam ulli revelare, nec ipsi pœnitenti, nec alteri scienti etiam sub sigillo, nec etiam post mortem pœnitentis. ibid. Quid, si aliunde materiam illam sciverit. 382. 1. Vel si nullum sit periculum revelandi pœnitentem. ibid. Vel si habuerit a pœnitente expressam licentiam. ibid. Multa tamen adhuc circa id cavere debet Confessarius, & Parochus. 381. 2. Maxime, si velit pœnitentem alloqui de auditis in confessione. 382. 1. Num possit aliquando uti Confessarius scientia, seu notitia habita in confessione. ibid. & seq. Puta si negare velit indigno eleemosynam, Sacramenta, Ordines, &c. 382. 2. Vel non celebrare, si ex confessione sciat, in calice esse venenum, vel sciat domi parari sibi mortem. 383. 1. Quid agere debeat Confessarius, si nequeat aliter confiteri suum peccatum, nisi violatione sigilli. 328. 2.

Simonia est *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali adnexum*. 172. 1. Commutare spirituale cum spirituali (si excipias beneficia ecclesiastica) non est simonia. 172. 1. Bene vero temporale commutare cum spirituali, vel contra. ibid. Per temporale intelligitur quodcumque pretio æstimabile, quod dici solet munus, sive a manu, sive a lingua, sive ab obsequio. ibid. Per spirituale, vel spirituali adnexum quid veniat. ibid. 2. Simonia est sacrilegium. ibid. 1. Quando sit simonia vendere, vel locare res benedictas, consecratas &c. ibid. 2. Sitne simonia aliquid accipere pro administratione Sacramentorum, aliisque actionibus, vel omissionibus spiritualibus. 173. 1. & 365. 1. Quid pro administratione ordinum. 296. 2. Non datur in simonia juris naturalis parvitas materiæ. 173. 1. Quid in simonia juris ecclesiastici. ibid. Simonia alia est mentalis, alia conventionalis, alia realis. ibid. 2. Ad has reducitur confidentialis, quæ tamen ab his differt. 178. 1. & 365. 2. Item esse possunt hæ, vel juris naturalis, vel ecclesiastici. 173. 2. Mentalis

non est propositum mere internum eam committendi, sed prodire debet in actum externum sine ullo tamen pacto externo implicito, vel explicito. ibid. Num eam committas, si absque pacto des e. g. aliquid liberaliter, sed spe recipiendi ab altero spirituale ex mera gratitudine, &c. ibid. Vel, si habeas pro fine secundario spirituale, vel contra, ibid. Vel spirituale recipiendum, vel contra, se habeat ut motivum tantum extrinsecum, ibid. & seq. Quid, si motivum sit intrinsecum. 174. 1. Conventionalis est, quæ mentali conventionem externam addit. ibid. Ad hanc requiritur alterius promissio. ibid. Quid, si promittas temporale sub conditione, *Si alter ponat spirituale*, ibid. Realis est, cum pactio utrinque completur traditione rei temporalis, & spiritualis. ibid. & 365. 1. Quando sit completa, & proinde differat a conventionali; utrobique. Pœnæ simoniacorum sunt in sola simonia reali, & confidentiali in Ordine, Beneficio, & Professione Religiosa. 178. 2. Prima pœna est excommunicatio specialiter Papæ reservata extra Urbem intra Italiam: quando autem hæc incurratur. 179. 1. & 365. 2. Secunda pœna est nullitas actus simoniaci. 179. 1. & 365. 1. Tertia est onus restituendi. 179. 1. Cui, & quando sit restituendum. ibid. Beneficia ecclesiastica num restitui debeant in conscientia statim, & ante Judicis sententiam. 226. 2. Reliquæ res sacræ a beneficio distinctæ simoniace acceptæ non sunt in conscientia restituendæ ante Judicis sententiam; pretium autem pro his acceptum aliquando est restituendum, aliquando non. ibid. & seq.

Simonia in materia beneficiaria, alia est juris divini ac naturalis; alia mere ecclesiastici. 177. 1. 2. Est simonia juris naturalis, si des aliquid in materia beneficiaria ad redimendam vexationem justam: num etiam ad injustam. ibid. 2. Est simonia juris ecclesiastici permutatio beneficii propria auctoritate facta. Porro ad talem permutationem quæ auctoritas requiratur. 178. 1. Quando sit simoniaca Beneficii resignatio. ibid. Vel transactio. ibid. Quando committatur simonia in iis, quæ non sunt proprie beneficia. ibid. 2. Restitutio beneficii simoniace accepti, V. *Simonia* in calce.

Societas Jesu, V. *Religiosi Societatis Jesu*.

Societatis contractus est *Conventio duorum, vel plurium habilium contribuendo ad communem quæstum, vel usum & commune damnum sustinendum*. 157. 2. Quis sit finis societatis, & a quo exerceri possit. ibid. Alia est societas ad lucrum tantum, alia tantum ad usum, alia ad utrumque: alia omnium bonorum, alia absoluta, alia pro aliquibus bonis, &c. alia ad vitam, alia ad tempus determinatum, &c. ibid. Morte unius socii tota societas dissolvitur. ibid. Num, & quomodo in contributione servari debeat æqualitas. ibid. & seq. Quis sit dominus rei in societatem collatæ. 158. 1. Socius tenetur in conscientia de damno ex sua culpa secuto. ibid. 2. Quæ notem esse debeat culpa. ibid. Cujus sit damnum secutum in merce absque ullius culpa. ibid. Ad quem pertineat damnum secutum uni ex sociis, vel ejus ministro pro communi negotiatione. ibid. Quid de expensis communibus. ibid. Quæ pacta circa lucrum, vel damnum societatis sint injusta. 159. 1. Hinc contractus cum aliis confundi potest. ibid. V. *Trium contractus*. Quinque modis dissolvi potest societas. ibid. 2. & seq. Num possis hunc contractum prosequi cum excommunicato vitando. 459. 2.

Sodomia, V. *Luxuria*. In sodomia probabilius est explicanda in confessione, ut mutuans speciem, circumstantia agentis. 4. 1. & 312. 2. Similiter, an commissa sit cum mare, an cum femina, cum consanguineis, cum uxore, &c. ibid. Est peccatum reservatum in Diœcesi Neapol. 373. 1. Ut autem incurras reservationem, tria requiruntur. ibid. Qui excusantur a tali reservatione. ibid. Num patiens dicendus sit mollis potius, quam sodomita. ibid. Per copulam sodomiticam non contrahitur affinitas. 399. 1. Quotupliciter peccent conjuges, qui copulantur sodomitice. 436. 2.

Solemnitas in lege præscripta, num, si omittatur, actus evadat irritus, an vero sit in aliquo saltem casu validus. 32. 1.

Solemnitates Contractuum. V. *Contractus*: Testamenti. V. *Testamentum*.

Sollicitatio ad turpia. Confessarius sollicitans ad turpia, ut suspectus de hæresi, est denunciandus. 69. 2. & 345. 1. Incurrit casum reservatum cum excomm. in Diœc. Neapol. non tamen, si sit simplex Sacerdos fingens se Confessarium. 370. 2. Item alium casum non reservatum, si sollicitet, etiamsi, neque immediate ante, vel post confessionem, &c. 373. 1. Apponitur, & explicatur Bull. Gregor. XIV. contra Confessarios sollicitantes. 345. 1. Item alia Constitut. Bened. XIV. contra eosdem. ibid. 2. Quæ sit obligatio Confessarii sollicitantis, si ad eum accedat pœnitens. 69. 2. & 346. 1. Qualiter peccet, & puniatur ab Ecclesia, si suam hanc obligationem non exequatur. ibid. Hodie ex Bened. XIV. incurrunt Confessarii sollicitantes in actu Sacramentalis confessionis, &c. perpetuam etiam inhabilitatem ad sacrificii Missæ celebrationem. 347. 1. V. *Complex*. *Denunciatio*.

Somnium. Unde somnia possint provenire. 80. 2. Num liceat iis credere. ibid. V. *Divinatio*.

Sortes aliæ sunt divisoriæ, aliæ consultoriæ, aliæ divinatoriæ. 80. 1. & 162. 1. Quæ ex his sint superstitiosæ, adeoque illicitæ, quæ licitæ: utrobique. Ludus sortium, qui vulgo dicitur *Lotto*, dupliciter fieri potest. ibid. Sitne semper licitus. ibid.

Sortilegium, V. *Sortes*. Sortilegia conficere est reservatum in Diœcesi Neapol. 368. 2. Item reservabile in ordinibus Religiosis. 374. 2. Sacerdotes abutentes sacrificio Missæ ad sortilegia incurrunt perpetuam inhabilitatem ad ejusdem sacrificii celebrationem. 347. 1.

Species peccatorum. V. *Peccatum*; Species restitutionis. V. *Restitutio*.

Spes. V. *Virtus*. Spei præcepto affirmativo quomodo facile possit satisfieri. 65. 1. Spei præceptum negativum prohibet desperationem, præsumptionem, & tentationem Dei. 70. 1. Sperare, seu alteri desiderare beatitudinem num sit actus spei theologicæ. 65. 1. Ad spei virtutem pertinet etiam Dei timor. ibid. V. *Timor*. Per quod peccatum amittatur spes. 70. 2. Num mortaliter pecces optans hic æternum manere. ibid. 1.

Sponsalia quare sic dicta. 414. 2. Sunt *Mutua futurarum nuptiarum promissio*. ibid. Sub quo genere contractus contineantur. ibid. Matrimonio præmitti solent. ibid. Propositum contrahendi matrimonium, ac promissio sponsalium non sunt sponsalia. ibid. Neque sunt sponsalia promissio matrimonii facta Deo. ibid. Octo sunt requisita ad valorem sponsalium: Primo, Debet promissio matrimonii esse vera: quando autem talis dicatur. ibid. & seq. Quid dicendum de ficta promissione, cum scilicet quis externe promittit Bertæ matrimonium sine animo se obligandi. 415. 1. Hic talis qualiter peccet, & ad quid teneatur. ibid. V. *Juramentum*: Secundo. Debet hujusmodi promissio esse libera: quando autem dicatur talis. ibid. 2. Quid, si facta sit per errorem, & ignorantiam. ibid. Vel per vim, & metum. 416. 1. Vel per mentis turbationem tollentem usum rationis. ibid. & 2. Debet tertio promissio esse absoluta: quando autem sit talis. ibid. 2. Quarto debet promissio esse determinata, hoc est ad certam, & determinatam personam. 417. 2. & seq. Ad quid teneatur, qui promittit disjunctive, vel Bertam ducturum, vel Luciam. 418. 1. Num habeantur vera sponsalia, si Titius e. g. promittat accipere unam ex filiabus Caji. ibid. Debet quinto promissio facta homini (ad differentiam promissionis Deo factæ) esse manifestata, ut obliget. ibid. Porro, per quæ verba, & signa possit manifestari promissio matrimonii. ibid. & 2. Communissime tamen Doctores non requirunt, ut hæc manifestatio fiat necessario coram Parocho, & Testibus. ibid. 2. Pro foro tamen externo juvat adhibere testes. ibid. V. *Episcopus*. Sexto debet promissio, ut obliget, esse acceptata a promissario: hanc ergo conditionem tacite imbibit. ibid. Itaque, si Bertæ promittatur matrimonium, requiritur hujus acceptatio saltem tacita: quando autem talis tacita acceptatio præsumatur adesse. 419. 1. Num possit quis sine speciali mandato valide acceptare pro altero. ibid. Num, si ego tertio non habenti tale mandatum promittam, me ducturum Bertam, & ille acceptet, remaneam illi obligatus ad curandum tale matrimonium. ibid. Si promittas Bertæ absenti matrimonium ante ejus acceptationem, semper potes revocare: quando autem intelligatur legitima Bertæ absentis acceptatio. ibid. Debet septimo promissio esse mutua, itaut Berta e. g. etiam ipsa mutuo repromittat, ac se obliget. ibid. Quid, si Berta reponat tuæ promissioni: *Placet*: *Accepto*. ibid. Num, si Berta acceptaverit sine repromissione, oriatur in te simplex obligatio. ibid. & 2. V. *Dubium*. Num gratuita promissio jam acceptata pariat in promittente obligationem in conscientia gravem. ibid. 2. Debet ultimo promissio esse inter habiles: talis autem est, si sit in utrisque ætas requisita, sufficiens capacitas, & remotio impedimenti canonici. 419. 2. V. *Ætas*. *Impubes*. Quando intelligatur adesse sufficiens capacitas ad sponsalia. 420. 1. Carentia canonici impedimenti num esse debeat in utroque contrahente. ibid. Si matrimonium promittant Titius, & Berta sub conditione, *Si Papa dispensaverit*, quam obligationem subeant. ibid. 2. Quid præter juramentum addi possit sponsalibus. V. *Arrha*. *Sponsalitia Largitas*. *Pactum*.

ctum. Num valeat donatio, vel promissio facta tertio: v. g. dono Bertæ 100., *Si nubat Titio*. 421. 1. Vel pœna lucri non acquirendi, vel amittendi, *Si nubat*. ib. 2. Quando sponsalia sunt impedimentum dirimens matrimonium. V. *Impedimentum publicæ honestatis:* quando impedimentum mere impediens. 407. 1. Sponsalium effectus duplex est. 421. 2. Sponsi ad quid obligentur. ibid. & seq. Num contrahentes sponsalia possint ex mutuo consensu se obligare tantum sub levi. 422. 1. Quo tempore hujusmodi obligatio sit exequenda. ibid. Quomodo compellendus, qui hujusmodi obligationem injuste nolit implere. ibid. V. *Sponsus*. Sponsis de futuro non licet copula, neque tactus impudici. ibid. 2. Hodie, si habeant copulam, per hanc sponsalia non transeunt in matrimonium, ubi Trid. est receptum, nisi quando, & sponsalia, & copula habita essent coram Parocho, & testibus. ibid. Decem sunt causæ, de quibus quæri potest, an dissolvant sponsalia. 423. 1. Num dissolvantur per mutuum consensum sponsalia puberum, vel etiam impuberum. ibid. Num per Religionis ingressum. ibid. 2. V. *Ingressus in Religionem*. Num per sacros ordines, vel etiam per ordines minores, & primam tonsuram. 424. 1. V. *Ordo*. Num per votum simplex. ibid. V. *Votum*. Num per posteriora sponsalia. ibid. 2. Num per subsequens matrimonium cum alio. 425. 1. V. *Matrimonium*. Num per fornicationem cum alio. ibid. 2. V. *Fornicatio*. Num per impedimentum dirimens, quod superveniat. ibid. Dubium an, qui apposuit impedimentum, teneatur petere dispensationem, si alter innocens exigat. ibid. & seq. Num dissolvantur sponsalia per lapsum temporis. 426. 1. In sponsalibus aliquando nullum præfigitur tempus, aliquando præfigitur ad finiendam licentiam differendi nuptias, aliquando ad finiendam obligationem, ibid. Quando ergo liceat in his diversis casibus dissolvere sponsalia. ibid. Rebus demum notabiliter mutatis promissio sponsalium non obligat, etsi esset jurata. ib. Quando autem habeatur notabilis mutatio circa bona animi. ibid. Vel corporis. ib. Vel fortunarum. ib. & seq. Trid. decretum num irritet etiam sponsalia inter raptorem, & raptam. 406. 1.

Sponsalitia largitas est *Donum, quod sponsus mittit sponsæ, vel contra, animo, & spe matrimonii contrahendi, & ob ejus causam:* 420. 2. & seq. Aliis etiam nominibus appellatur. ibid. Differt ab arrha. ibid. In dubio, an aliquid sit sponsalitia largitas, an vero arrha, quomodo reputandum. ibid. Si detur ante sponsalia, est merum donum. ibid. Quid a juribus statuatur de sponsalitia largitate: & num aliquando restituenda, & cui. ibid. Post matrimonium ratum, vel etiam consummatum donum sponsalitium in quem transeat. ibid.

Sponsus, Sponsa. Qui proprie dicantur sponsi de præsenti, qui de futuro. 414. 2. In favorabilibus per sponsos intelliguntur etiam, qui sunt in matrimonio rato: secus in odiosis: ibid. Ad quid obligentur sponsi, & sponsæ. 421. 1. & seq. V. *Sponsalia*. Num sponsis prohibita specialiter sit fornicatio cum aliis, itaut peccent non solum contra temperantiam, sed etiam contra fidelitatem, & justitiam, debeantque hanc circumstantiam in confessione exprimere. 422. 1. Num liceant illis oscula, amplexus, tactus pudici in partibus honestis. ibid. 2. Quid de tactibus impudicis, de copula, &c. ibid. Num delectari de copula in futuro matrimonio habenda. ib. & seq. Sponso, & sponsæ licitum est sine consensu alterius emittere votum ingrediendi, imo ingredi, & profiteri in aliqua Religione. 423. Num liceat Sponso absque consensu Sponsæ Sacris initiari. 424. 1. Sponsis num liceant benedictiones nuptiales in loco interdicto. 478. 2. Quid, si ipsi sponsi sint interdicti. ibid. Sponsi, & Sponsæ post contracta sponsalia etiam privata inter se, & ante matrimonium legitime celebratum carnalem inter se copulam habentes, &c. excommun. reservatam incurrunt in Diœc. Neap. 372. 2. Quæ donatio inter sponsos, & conjuges sit valida. 133. 2.

Sponsio est *Contractus, quod duo de veritate, aut eventu rei certantes sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit*. 161. 2. Sitne semper licitus hic contractus, etsi sit sponsio de re illicita. ibid. Quo jure prohibeatur sponsio de futuro eventu mortis e. g., & quando in hoc incurratur excommunicatio papalis. ibid. Justæ sponsionis quatuor sunt conditiones. ibid. Num certus de rei eventu possis aliquando sponsionem facere, & licite lucrari. ibid. Si tres sint, qui sperent aliquod v. g. officium, & Titius pro 100. aureis certet seorsim cum singulis, quod non sint illud obtenturi, licitane sit hæc sponsio. 162. 1. Si alter spondeat Missam, carolenum alter, fiantne simoniæ rei. 160. 2.

Spurius. Spurii qui sint. 137. 1. Nullimode possunt esse hæredes necessarii, debentur tamen iis alimenta. ib. Num evadant legitimi per subsequens matrimonium. 492. 1.

Status. Ante legem Evangelicam triplex fuit status. 242. 1. In quo eorum fuerint Sacramenta. ibid.

Stellionatus quid sit, & num liceat. 150. 2.

Stipendium Missæ duplex est. 224. 2. Potest exigi plus caroleno pro Missa cantanda, vel legenda tempore, vel loco incommodo: at quid pro majori indigentia Sacerdotis. ibid. Stipendium Cappellaniæ num totum debeatur Cappellano celebranti. ibid. Si hic, vel Cappellanus beneficiarius, & probabiliter etiam manualis, & quivis habens legatum annuum ad vitam cum certo onere Missarum substituat alium celebrantem vice sua, possunt ei dare stipendium manuale, retinendo reliquum, nisi aliter in fundatione cautum sit. ibid. & seq. Secus, si celebrent ex stipendio manuali. 225. 2. Est contra justitiam pro eadem Missa duplex accipere stipendium. ibid. Num possit duplex accipi, si unus petat tantum fructum, seu applicationem, alter tantum officiaturam, seu præsentiam. ibid. Num etiam, si stipendia fuerint incongrua, vel celebrans sit in extrema necessitate. ib. Cappellanus, si legitime impediatur, quominus nequeat celebrare, num possit fructibus gaudere Cappellaniæ; & num teneatur alium substituere pro Missis celebrandis. ibid. 1. Obligatus quotidie celebrare num possit quinquies, vel sexies in anno celebrare pro se, suis, &c. retento Cappellaniæ stipendio. ibid. Num possit etiam aliquando vacare, & vacationis diebus celebrare pro aliis, & sacrificium offerre pro stipendio manuali. ibid. Obligatus celebrare in hac Ecclesia, Altari privilegiato, Feria, &c. si omittat ex causa, vel dispensatione, num peccet. ibid. Quid, si id faciat sine causa, & dispensatione. ibid. Si Cappellania, vel legatum sit adeo tenue, ut non sufficiat pro oneribus Missarum, cui recurrendum, ut earum numerus minuatur. ibid. Quid in hoc possit Episcopus, vel Minimi, vel Minores ex Priv. Urb. VIII. ibid. Accipiens majus stipendium pro Missis celebrandis, si tradat eas celebrandas minori stipendio, & sit laicus, præter alias pœnas ab Ordinario infligendas, ex Bened. XIV. incurrit excomm. ipso facto; si Clericus, suspensionem Papæ reservatam. ibid. 2. Hinc, si quid sibi retinet Sacerdos, peccat mortaliter: num saltem aliquando retinere juste possit. ibid. & seq. Qualiter peccet, & teneatur restituere Sacerdos, qui accepto stipendio pro Missis, eas vel non celebrat, vel differat, &c. 226. 1. Num possit celebrare pro primo a se Missam petituro cum stipendio. ibid. Obligatus ex stipendio ad celebrandum per unum mensem, hebdomadam, &c. num possit vacare aliquando ex aliqua causa, vel pro aliis celebrare. ibid.

Stuprator. Stuprum. Stuprator est, *Qui Virginem invitam corrumpit*. 237. 1. Pro ablata virginitate nihil debet restituere: bene vero pro damno temporali inde secuto ad futurum illius matrimonium. ib. Num teneatur illam ducere, vel dotare ante Judicis sententiam, ib. Ad quid teneatur, si stuprum sit occultum, & ea nupsit postea æqua bene cum alio. Vel si sine consensu patris illa injuriam illatam libere remittat, ib. 2. Num illa pretium a stupratore receptum in compensationem, &c. licite semper retineat. ib. Quid addendum est de stupratore virginis putatę, vel viduę honestæ. ib. De Meretrice. V. *Meretrix*. Num, si virgo sub potestate parentum consentiens defloretur, sit species stupri. 315. 1.

Subdiaconus. Subdiaconatus. Subdiaconatus est ordo, *Quo datur potestas assistendi Celebranti, eique ministrandi calicem cum vino, & patenam cum hostia, ac legendi Epistolas in missa*. 293. 1. Quæ ejus materia remota, quæ proxima. Quæ forma. 294. 1. Quæ ejus munera, & onera. 295. 2. Quæ ætas requiratur. V. *Ætas Tempora Ordinationum*. Num, præter intentionem suscipiendi subdiaconatum, requiratur ad ejus valorem intentio, seu votum etiam castitatis. ibid. 1. Subdiaconatus sitne Sacramentum. 292. 2. Fert secum de Ecclesiæ præcepto votum castitatis, & impedimentum dirimens matrimonii. 396. 1. V. *Ordo*. Hoc votum, vel sit explicite, vel implicite. ibid.

Subditus extra territorium existens num teneatur leges servare suæ patriæ. 35. 2. Quid, si existat intra Territorium, in locis tamen exemptis. 36. 1. Quæ sint proprie loca exempta. ibid. Num saltem teneatur præceptis suæ patriæ extra illam existens. ibid. 2. V. *Superior. Legislator*. Quomodo se gerere debeat cum superiore. 120. 1. Subditus fidelis ubique ligari potest a Papa per censuras: uti & subditus regularis a suo Superiore. 445. 1. Si statuto generali prohibitum sit sub censura, ne triticum, vel quid simile extra diœcesim feratur, quod delictum non videtur consummari, donec quis egrediatur terminos diœcesis, incurraturne ab extrahente censura. ibid. 2. Quid, si vetetur, ne Sacerdotes faciant Sacrum in aliena diœcesi. ib. Subditus, quas censuras ab Episcopo latas in-

curtat, si delinquat extra diœcesim, vel in loco exempto. 445. & seq. Subditi, Vassalli, Milites, &c. num possint cum Judicibus laicis, Principibus, aut Ducibus vitandis communicare. 460. 2. V. *Regulares*.

Substitutio est *Unius, vel plurium in alterius, vel aliorum locum in ultima voluntate facta vocatio*. 135. 1. Alia est directa, alia indirecta. Directa vel est vulgaris, vel pupillaris, vel exemplaris, vel compendiosa. ibid.

Substitutio vocis in Sacramentis. V. *Sacramentum*.

Suffragium. Dum electionibus &c. feruntur iniqua suffragia, si tu addas tuum votum, certe peccas: num tenearis etiam ad restitutionem. 200. 2. V. *Capitulum*.

Suffragia Ecclesiæ, quæ a ministris ejusdem Ecclesiæ offeruntur, quæ sint. 466. 1. Omnibus his privatur excommunicatus vitandus. ibid. Num graviter peccet minister ea offerens pro excommunicato, etiamsi in communi. ibid. Num possint licite, ac valide pro eo offerri, si sit jam contritus, & per ipsum non stet, quin absolvatur. ibid. Si tamen excommunicatus sit toleratus, probabilius non privatur publicis Ecclesiæ suffragiis, quæ proinde & valide & licite pro eo offerri possunt. ibid. 2. & 279. 2. Nullus item excommunicatus sive toleratus, sive vitandus privatur orationibus privatis fidelium, quæ non fiunt nomine Ecclesiæ. 466. 2. Quem sacrificii fructum potest Sacerdos pro excommunicato applicare. ibid. & 279. 2.

Superfluum Statui. V. *Necessitas*.

Superior. *Legislator*, *Superior* regularis potest dispensare cum suis subditis, quidquid potest Episcopus cum suis. 46. 1. Num possit dispensare in irregularitate. ibid. Superior quomodo se gerere debeat cum subditis. 120. 1. V. *Denunciatio*. *Sigillum*. Superior Regularis localis absolvere potest subditos a reservatis in suo ordine: Num etiam a papalibus. 353. 2. Num etiam suos novitios, vel volentes ingredi religionem, vel sæculares familiares monasterii, vel alumnos, & convictores, &c. ibid. & seq. Num, & quomodo delegare possit talem facultatem aliis Sacerdotibus tum intra, tum extra Religionem. 354. 1. Num teneatur eam concedere generaliter confessario domus. ibid. Num possit, & aliquando expediat illam committere generaliter. ibid. Num ei liceat confessiones subditorum audire. ibid. Debet ad minus duos in domibus parvis, in aliis plures deputare confessarios idoneos. ibid. Si neget facultatem confessario petenti pro absolutione a reservatis, pro ea vice confessarius etiam potest absolvere. ibid. V. *Religiosi Soc. Jesu*. Superiores regulares introducere præsumentes mulieres in sua monasteria, ultra alias pœnas communes aliis Regularibus, incurrunt excomm. Papæ reservatam. 473. 2.

Superstitio est *Falsa Religio*. 77. 2. Cui virtuti opponatur. ibid. Dividitur in Idololatriam, magiam, maleficium, divinationem, & vanam observantiam. ibid. Superstitio cultus indebiti quæ sit. ibid. In quo consistat cultus vanus, seu superfluus Deo exhibitus. ibid. Non est tamen semper mortalis. ibid. In quo consistat cultus falsus Deo exhibitus. ibid.

Supplicatio Solemnis. Consuetudo de supplicatione solemni non abrogatur, si per decem annos impedita fuerit ex incursione hostili: secus, si libere per decem annos omissa fuerit. 41. 2. Supplicationibus publicis, &c. interesse nequit excommunicatus vitandus, imo etiam toleratus, nisi sit requisitus. 466. 1. Supplicatio contra legem. V. *Lex*.

Surdus simul, & mutus a nativitate num possit donare mortis causa. 135. 1. Num testari. 136. 1. Num substitui hæres. 137. 1. Num teneatur missæ interesse die festo. 103. 1. 2. Num ei danda sit Eucharistia tempore paschatis. 271. 1. Quomodo confiteri debeat. 319. 1. Sitne surdus irregularis ex defectu corporis. 493. 1. 2.

Susceptio Sacramentorum. V. *Sacramentum*.

Suspensio. *Suspensus*. Suspensio est *Censura privans Clericum usu officii, aut beneficii, aut utriusque simul*. 467. 2. Alia est ab officio, alia a beneficio, alia ab utroque simul, quæ dicitur totalis. 468. 1. Alia a jure, alia ab homine. 467. 2. Alia denunciata, alia nondum denunciata: alia per modum puræ censuræ, alia per modum puræ pœnæ. 468. 1. Differt ab excommunicatione majori, & minori. 467. 2. Item ab Interdicto. ibid. Omnes, & soli Clerici suspendi possunt: non Religiosi laici, neque Abbatissæ, Priorissæ, &c. ibid. Capitulum etiam suspendi potest. ibid. V. *Capitulum*. Potestne ferri suspensio ob culpam levem. ibid. Vel ob peccatum alterius. 447. 1. Quæ sit suspensio ab officio, & sic suspensus, quibus actionibus intelligatur privatus. 468. 1. Quo ordinis usu privatur suspensus ab ordine. ibid. 2. Vel quo usu jurisdictionis, qui ab hac suspenditur. ibid. Quibus actionibus privetur suspensus ab administratione Ecclesiæ, vel a divinis officiis, vel ab ingressu Ecclesiæ, vel ab officio prædicandi. ibid. & seq. Num suspensus ab officio sit etiam suspensus a beneficio, vel nequeat eligi ad beneficium, vel amittat vocem in capitulo. 468. 1. 2. Num suspensus ab ordine inferiori sit etiam suspensus a superiori, cujus usus præstari possit absque usu illius. 468. 2. Quæ sit suspensio a beneficio. 469. 1. Ita suspensus privatur fructibus beneficii. ibid. Nomine fructuum veniantne etiam distributiones quotidianæ. ibid. Vel beneficii administratio. ibid. Vel permutatio, collatio &c. ibid. Num requiratur judicis executio, ut sic suspensus privetur fructibus beneficii. ibid. Num suspensus ad Episcopo absolute a beneficio sit etiam suspensus ab omnibus beneficiis, quæ actu ubiubi possidet. ibid. Vel sit inhabilis ad aliud suscipiendum. ibid. 2. Violare suspensionem proprie potest unus suspensus, reliqui tantum ad id dare possunt ansam. ibid. Qualiter hi, & illi peccent sic violando. ibid. Quas pœnas incurrit violans suspensionem. ibid. Violans suspensionem, quando incurrat irregularitatem, quando annullationem actus ab ipso suspenso præstiti. ibid. & seq. Semel incursa suspensio suspendi potest dupliciter, vel per appellationem, vel per dispensationem. 470. 1. Tolli autem etiam dupliciter potest, per seipsam cessando, vel per absolutionem. ib. Quæ suspensio suspendatur per appellationem. ib. Quæ per dispensationem, & a quo dari possit hujusmodi dispensatio. ibid. Quæ tollatur per seipsam cessando. ib. Quæ per absolutionem, & a quo hæc conferri possit. ibid. Quæ sint suspensiones juris communis contra clericos. ibid. Nomine autem clerici non veniunt Episcopi, nisi fiat eorum expressa mentio. ibid. Num veniant Religiosi. ibid. Quæ sint suspensiones Clerici peccantis in ordinatione. ibid. Puta recipientis Ordines Sacros ab Episcopo, qui cum acceptatione Papæ renunciavit suæ dignitati. ibid. Vel recipientis Ordines ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, simoniaco, hæretico, schismatico &c. ib. & seq. Vel ordines recipientis in excommunicatione majore etiam occulta. 471. 1. Vel Simoniace. ibid. Vel post contractum matrimonium, etsi non consummatum. ibid. Vel sine Papæ dispensatione recipientis plures ordines eodem die, vel Sabbato, & Dominica sequenti continuato jejunio ordinantis, & ordinati. ibid. Vel eos recipientis extra tempora. ibid. 2. Vel ante legitimam ætatem. ibid. Vel recipientis ordines ab alieno Episcopo sine licentia proprii ultra tres casus, in quibus id licet. ibid. & seq. Vel eos recipientis a proprio Episcopo in aliena Diœcesi sine licentia illius Episcopi. 472. 1. Vel per saltum. ibid. Vel ordines sacros absque titulo cum pacto, &c. ibid. & 2. Hæ suspensiones, quæ 12. numerantur, incurruntur ipso facto: atque adeo, si in his actum ordinis prohibitum exerceas, incurris irregularitatem. ib. 2. V. *Irregularitas*. *Ordo*. Quæ sint suspensiones Clerici peccantis in exercitio sui ordinis, vel muneris. ib. & seq. Quæ sint suspensiones Clerici celebrantis divina officia, aut celebrare facientis in loco interdicto, vel coram persona excommunicata, vel interdicta, vel eam admittentis ad Divina, aut ad Ecclesiasticam sepulturam. 472. 2. Vel omittentis sine gravi causa Missam inchoatam. 473. 1. Vel celebrantis missam, & in ea non communicantis. ibid. Vel conjungentis sponsos in matrimonium, vel benedicere eos audentis sine Parochi licentia. ibid. Vel recipientis oblationes a publico usurario, aut illum sepelientis. Vel accipientis eleemosynam a raptore, vel violatore publico Ecclesiarum, aut illum absolventis ante satisfactionem, aut assistentis ejus sepulturæ. ibid. Vel utentis publice veste sæculari partita, aut virgata contra statutum Clem. VIII. ibid. Vel gravantis Ecclesiam sibi commissam alienis debitis, aut concedentis literas, aut sigilla, quibus possit gravari. ibid Vel occupantis, consumentis, aut dissipantis bona Ecclesiæ collegiatæ, sede vacante, pertinentia ad ipsam Ecclesiam, vel ad Prælatum defunctum, vel ad successorem. ibid. Vel occupantis per se, vel per alium bona cujusvis Ecclesiæ, beneficii, montis pietatis, &c. ibid. & 2. Visitatoris recipientis ultra victualia aliquod etiam munus sponte oblatum. ibid. Dantis cultum sine debita facultate iis, qui cum fama sanctitatis mortui sunt. ibid. Defendentis, aut aliquo modo tractantis, B. V. in peccato originali conceptam fuisse. ibid. Facientis in judicio per gratiam, aut sordes aliquid contra conscientiam, & justitiam in gravamen partis. ibid. Eligentis indignum ad beneficium curatum. ibid. Concutientis in electionem per abusum potestatis sæcularis. ibid. Sunt & aliæ suspensiones, sed ferendæ sententiæ. ibid. V. *Religiosus*.

Suspecti de Hæresi quinam sint. 69. 1. De jure sunt fere 18. ibid. 2. Num, & quomodo sint denunciandi. ibid. Quando excuseris a tali denunciatione. ibid.

Suspicio de hæresi potest esse, vel solius facti, vel etiam juris.

juris. Hæc triplex potest esse, levis, vehemens, & violenta. 69. 2. Suspicio hæresis est unus ex effectibus remotis excomm. majoris. 467. 1. Ad quid obliget hæc suspicio, etsi levis. ibid.
Sustentatio congrua beneficiati. V. *Beneficiatus*.
Sutor num excusetur a jejunio. 106. 2. Num peccet, si differat culpabiliter ad diem festum vestes suere, &c. 31. 1. Qui acum furatur sutori, si in furantes lata sit excommunicatio, incurratne illam. 448. 2. Quid, si sit illius acus injustus detentor. ibid. A sutoribus ementes fragmenta pannorum, seu vestium, num peccent, & teneantur restituere. 201. 1.
Syndicus quis sit, & quod ejus munus. 168. 1.
Synodus, V. *Concilium*.

T

TAbellio, qui Judicem ex officio adjuvat ad sententiam sanguinis, evadit irregularis. 489. 1. Quamvis peccet, si tempore excomm. officium acceptet, valide tamen instituitur. 464. 2.
Tactus. Num liceant sponsis tactus pudici in partibus honestis. 422. 2.
Tempus Sacrum, quod impedit matrimonia, est a primis vesperis, vel saltem a media nocte ante primam Dominicam Adventus usque ad diem Epiphaniæ inclusive; & a media nocte ante cineres usque ad Dominicam in albis inclusive. 406. 2. Hoc tempore prohibentur nuptiæ solemnes factæ cum benedictionibus inter missarum solemnia, & cum solemni traductione sponsæ in domum sponsi. ibid. Qualiter peccent, & puniri debeant conjuges, si hoc sacro tempore a Parocho, aliove Sacerdote benedicantur. ibid. & qualiter puniendus Parochus ipse, vel alius Sacerdos. ibid. Quid, si benedicantur tempore interdicti localis generalis. ibid. Licent tamen quovis tempore sponsalia, proclamationes, & matrimonia privata. ibid. & seq. Traductio, si notabiliter sacro tempori Adventus, & Quadragesimæ adversatur, prohibetur sub gravi a Trid. si vero sit pompa moderata, prohibetur sub levi. 407. 1. Quid si sit omnino privata. ibid. Tempore autem interdicti neque solemnis traductio prohibetur. ibid.
Tempus vetitum ad matrimonium contrahendum quale sit. 407. 1. Qui intra hoc tempus contrahunt, qualiter puniendi. ibid. Num, si prohibitio non contrahendi matrimonium tali tempore e. g. fiat a Papa, se habeat ut impedimentum impediens tantum, an vero etiam dirimens. ibid. Num excommunicatio, sive major, sive minor, impediat tantum, an vero etiam invalidet matrimonium. ibid. V. *Matrimonium*.
Tempus a lege præscriptum, V. *Lex*.
Tempus præfixum sponsalibus. V. *Sponsalia*.
Tempora Ordinationum. Quæ sint Tempora ordinationum. 301. 1. Quæ pro ordinibus majoribus. ibid. Quæ pro prima Tonsura, Ordinibus Minoribus, & Episcopatu. ibid. & 2. Mortale est ordinare, vel ordinari sine dispensatione extra tempora a jure statuta. ibid. 1. Quis possit dispensare pro ordinatione extra tempora. ibid. 2.
Tempus ad restituendum. V. *Restitutio*.
Tempus ad præscribendum. V. *Præscriptio*.
Tentatio Dei quid sit. 70. 1. Quando oriatur ex hæresi. ibid. Tentari potest Deus, vel explicite, vel implicite. ibid. Num semper sit mortale, an vero admittat aliquando parvitatem materiæ. ibid. 2.
Testamentum est *Voluntatis justa sententia de eo, quod quis vult fieri post suam mortem cum directa institutione hæredis*. 135. 1. Differt ab ultimis voluntatibus. ibid. Aliud est clausum, aliud apertum, seu nuncupativum. ibid. Clausum quid requirat ad sui valorem, quid nuncupativum. ibid. Si desint aliquæ solemnitates ad valorem testamenti in foro civili, num adhuc valeat in foro conscientiæ, præsertim, si sit ad pias causas. ibid. & 2. V. *Religiosus*. Ad quid tenearis, si suadeas Titio, ne faciat testamentum, quod prævidebas facturum in favorem Caii. 183. 2. Validumne sit testamentum factum ab excommunicato vitando. 462. 2. Jure naturæ irritatur tam activa, quam passiva confectio testamenti in 4. casibus. ibid.
Testator. Nemo per se loquendo tenetur facere testamentum. 136. 1. Quinam nequeant testari jure naturali, vel positivo. ibid. V. *Eleemosyna*. *Hæreditas*.
Testimoniales pro ordinandis sunt, *Quæ testantur de natalibus, ætate, moribus, & vita ordinandi*. 299. 2. Quia circa has statuit Trid. ibid. Tonsuratus a proprio Episcopo nequit ab Episcopo beneficii promoveri sine testimonialibus proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii. ibid. Num sufficiat aliquando testimonium Parochi. ibid. Afferens dimissorias ab Episcopo originis

non indiget testimonialibus. ibid. Num, si quis certus de tonsura sibi collata, nequeat tamen id probare; possit solo juramento de tonsura accepta promoveri ad ordines. ibid. V. *Regulares*.
Testis, V. *Æquivocatio*. *Sepultura Ecclesiastica*. Testes pretium accipientes pro assistentia in matrimonio non videntur simoniam committere. 173. 1. Juridice interrogati, si taceant veritatem, num teneantur parti læsæ damna secuta resarcire. 202. 1. Falsi testes num aliquando teneantur etiam publice se retractare, &c. 211. 2. Testis contra reum testificans quando evadat irregularis. 489. 1. Quid, si testificetur pro reo. ibid. Excommunicatus toleratus, valide & licite potest esse testis in judicio. 464. 2. Potest tamen Judex, vel pars eum repellere, vel excipere. ibid. Si sit vitandus, valide, & licite etiam fert testimonium in causa fidei. ibid. Quid in aliis causis. 464. 2. Testes requisiti ad matrimonium. V. *Clandestinitas*.
Thesaurus. An sit inventoris. 197. 2. Num vi legum humanarum, si nunc inveniatur, sit, & cui restituendus. ibid. Num dictæ leges obligent in conscientia, & ante Judicis sententiam. ibid. Quid de thesauro abscondito, ne capiatur ab hostibus, ut magis custodiretur, vel causa metus, lucri, honoris, ut in sepulchris defunctorum, &c. ibid. Num emere possis fundum, quanti valet, præciso thesauro ibi abscondito, si privatim id scias. ib. & seq.
Timor, alius est serviliter servilis, alius servilis, alius filialis. 65. 1. 2. Num pertineat ad virtutem spei. ibid. 1.
Titulus pro ordinibus sacris. Ut quis licite ordinetur, qui titulus requiratur. 303. 1. V. *Pensio*. *Patrimonium*. *Paupertas Religiosa*. Qui titulus beneficii sit sufficiens ex Trid. pro ordinatione. ibid. 2. Quid tamen hic veniat nomine beneficii. ibid. Num, si beneficium sit insufficiens, suppleri possit talis defectus per adjectionem patrimonii. ibid. Num beneficium ut sit titulus sufficiens, debeat actu possideri. ibid. Num beneficium, cujus titulo es ordinatus, possis deinde resignare, &c. ibid. & seq. Num, si illud resignes contra formam Trid., revera vacet tibi tale beneficium. 304. 1. Quæ sunt pœnæ jure communi statutæ contra ordinatum absque titulo. 305. 1. Quæ jure speciali contra ordinatum absque titulo, vel titulo ficto. ibid. 2. *Episcopus*. *Novitius*, &c.
Tonsura. *Tonsuratus*. Prima Tonsura est *Deputatio ad obsequium Ecclesiæ*. 293. 1. Non est ordo, sed dispositio ad ordines. ibid. Quæ, ejus quasi materia. ibid. Tonsurati munera, & onera quæ sint. 295. 2. Prima Tonsura non est impedimentum matrimonii. 396. 1. Tonsuratus a proprio Episcopo, nequit ab Episcopo beneficii promoveri sine proprii Episcopi dimissorialibus. 299. 2. V. *Ætas*. *Tempora ordinationum*. *Testimoniales*. Num per primam Tonsuram dissolvantur sponsalia. 424. 1.
Torneamenta. V. *Ludus*.
Tortor. Tortores cur sint irregulares. 489. 1.
Transactio est *Pactio onerosa de re dubia, lite, aut controversia jam mota*. 107. 1. Quid ad ejus essentiam requiratur. ibid. Transactio cum creditore fit, cum debitum non est liquidum. 215. 1. 2. Hac quomodolibet facta num liber sit debitor ab ulteriori restitutione. ibid. 2. Sitne prohibita circa bona possessa antecedenter ab Ecclesia. 125. 1.
Trinus contractus quinam sit. 159. 2. Licitum est, sive celebretur cum tribus personis, sive cum una. ibid. Potest item iniri hic contractus in societate etiam circa greges Animalium. ibid.
Turpe lucrum num sit restituendum. 188. 1.
Tutor ex bonis pupilli quas eleemosynas facere possit, vel debeat. 112. 2. Quæ dona possit facere. 133. 1. Quomodo urgeatur præcepto baptismi relate ad pupillos infantes. 255. 2. Tutor, etsi peccet, si tempore excomm. acceptet officium, valide tamen instituitur. 464. 2. Licet possit stipulari in cæteris contractibus pro pupillo, non tamen in sponsalibus sine ejus speciali mandato. 419. 1. Qua jure nequeat Tutor, ejusque filius pupillam ducere. 394. 2.
Typographus. Huic probabiliter licet die festo characteres ordinare, seu componere, non vero torculari exprimere. 100. 1. Dum tamen torcular premit, excusatur a jejunio. 106. 1. 2. Num, & quando incurrant Typographi in hac Diœces. Neapolit. casum reservatum cum excomm. contra imprimentes libros, folia, &c. sine debita licentia. 372. 1.
Tyrannus, si peteret a Republ. caput innocentis, alioqui eam subversurus, quid ab ea agendum. 235. 2. Quidve, si ille virginem petat, ut eam violet. ibid.

V

VAgus. Vagi dicuntur, qui nullibi hic & nunc domicilium habent. 34. 2. & 546. 2. Si alibi domicilium figant,

tenentue legibus illios loei a primo die. 35. 1. Imo, etsi ibi degant abique enimo figendi ibi domicilium, adhuc tenentur legibus municipalibus illios loci, ubi actu degunt. ibid 2. Quos casus reservatos incurrant. 350. 1. 2. Qnibus legibus & censuris ligentur. 446. 2.

Venditio. V. *Emptio*.

Veneficium. V. *Maleficium*. *Magia*.

Venenum. Qualitee pecect, & ad qoid teneatur venena vendens machinanti mortem. 201. 2. Ea conficiens in hominum perniciem, vel dans, scienter eooperans, quomodocumque propinans, &c. exeomniunicatue cum reservatione in Diœc. Neapol. 372. 1. Quando autem hi omors incurrant hunc casum, & num diversimode. ibid. Si Petrus veneno inficiet ficus comedendas a suo inimico, sed casu venit amieus, & Petro videote & tacente comedit, fiatne Petrus irregularis. 484. 2.

Veniale peccatum. V. *Peccatum*. *Confessio*.

Verba legis sunt ejus forma. 23. 1. Quæ Verba significent legem, seo præeeptum. 23. 1. V. *Interpretatio*. Eorum proprietas, alia est naturalis, alia eivilis. ibid. 2. Verba consecratoria. V. *Eucharistiæ Sacramentum*. Verba eerto significantia sponsalia quænam sint. 418. 1. 2.

Viaticum. Num ezcommonicetus vitandus possit in necessitate ministrare Sacrum Viaticum moribnodo. 465. 1. V. *Moribundus*. *Eucharistiæ Sacramentum*, &c.

Vicarius Apostolicus qoid possit circa dimissoriales. 299. 1.

Vicarius Capitularis potest dispensare, sede vacante, in omnibus, in quibus potest Episcopus. 46. 1. Nequit in domo erigere Oratoeium. 282. 1. Num possit approbare ad confessiones. 339. 1. V. *Approbatus*. Quæ sit ejus facultas quoad reservata. 351. 2. & quoad ferendas censuras. 443. 2.

Vicarius Episcopi generalis num possit dispensare, in quibus potest Episcopos. 46. 1. Nom approbare ad confessiones. 336. 2. & 339. 1. V. *Approbatus*. Quæ sit ejus facultas quoad reservata. 351. 1. 2. Vel quoad in ferendas eensuras. 443. 2.

Vicarius Papæ, Sede Apostolica vacante, potest efficere, ut ordinentoe sui, aut eis etiam non *arctatis* dare dimissorias. 299. 1.

Viduus. *Vidua*. Quæ siot pœnæ impositæ viduis fornicantibus, vel intra annum luctus nubentibus. 441. 2. Qualiter peecet viduus, vel vidua, si morose delectentur de copula præterita. 436. 1. Vidua ubi sepelienda. 348. 2.

Vindicta. Num liceat vindicta privata. 187. 2.

Vinum. Num vino meliori licite misceatue vilius, vel aqua. 149. 1. Vinum de vite, & non aliud, est valida materia consecrationis calicis. 266. 1. Debet esse ex uvis expressum. ibid. Non est ergo valida materia lora, sapa, seu defrutum, acetum, liqoores expressi ex pomis, vinum, cui admisceatur aqua, vel imbibitum in offa panis, vel expressum ex nvis immaturis vulgo *Agresta*. ibid. 1. 2. Quid de expresso ex uvis maturis, sed non defæcato, vulgo *Musto*; vel de succo expresso ex uvis passis, vel de vino acido, de vino miraculose facto ez aqua, vel de vino congelato, utrobique. Dispar est ratio, eur aqua eongelata minus sufficiat ad baptismum, sufficiat tamen ad eonseerationem vinum congelatum. ibid. 2. Quod peccatum sit in materia dubia consecrote. ibid. Ez præcepto probabilius ecclesiastico (pro quo, licet possit, nunquam tamen Ecclesia dispensat) vino miscenda est aqua. 266. 2. Num & ipsa immediate convertatut in Christi sangoinem. ibid. Num possit admisceri equa non neturalis. 267. 1. Qua quantitate. ibid. Quid requiratur ad ejus consecrationem. V. *Eucharistiæ Sacramentum*. Quid de guttis vini, quæ intra calicem sunt separatæ a vino, quod est in fundo. 268. 1. V. *Hostia*.

Vir. V. *Conjux*. *Uxor*, &c.

Virginitas. *Virgo*. V. *Stuprator*. *Deflorator*. Virgo, si minus directe, potest saltem indirecte se oceidere ad servandam castitatem ab invasore. 233. 1. Num ob talem defensionem possit invasorem occidere. 234. 2. Prima fornicatio, vel pollutio tollentes virginitatem num specie distinguantur a reliquis, proindeque in eonfessioue explicandæ. 315. 1.

Virtus. Virtutes theologicæ quare sic dictæ. 62. 1. Apponuntur definitiones ex Scripturis Fidei, Spei, & Charitatis. ibid. Præcipiuntur præcepto negativo simul, & affirmativo. ibid. & 2. Hoc obligat, cum primum homini usum rationis asseeuto proponitue objectum fidei. ibid. 2. Item in fine vitæ, & pluries in decursu vitæ. ibid. An obligee intra singula quinquennia. 63. 1. Num actus harum virtutum necessarii omnibus sint necessitate non modo præcepti, sed & medii. ibid. V. *Fides*. *Spes*. *Charitas*.

Vis est *Majoris rei impetus, qui repelli non potest*. 128. 2. Quomodo hanc patiatue voluntas in actibus sois. ibid. Approbatio ex vi extorta. V. *Approbatus*. Ad qoid teneatur, qui per vim extorsit copulam. V. *Deflorator*. *Stuprator*. Vis levis non est impedimentum dirimens matrimonium. 394. 1. V. *Metus*. Sponsalia inita per vim. V. *Sponsalia*.

Visitator. Num, & qualitee suspendantur visitatores (Num etiam Regulares) recipientes nltra victualia aliquod etiam munus sponte oblatum, nisi intra meosem restituant duplum. 473. 2.

Vitium mercis, quod, & quando aperiri debeat. V. *Emptio*.

Ultimæ voluntates quæ sint. 135. 1. V. *Testamentum*. *Codicillus*. *Substitutio*. *Fideicommissum*. *Legatum*. Quid habeant specialis. ibid. Sunt revocabiles, nisi joramento non revocandi firmentur. 136. 1. Ad earum valorem non sufficit mera promissio. ibid. Quis possit eommutere pias volontates testatoris. 138. 2. Num converti possint piæ dispositiones, & a quo, in alios usus io necessitate e. g. Reipublicæ. ibid.

Voluntarium dicitur de voluntatis actu. Definitue, *Quod est a principio intrinseco cognoscente singula*. 5. 1. Ad moralitatem actus requiritur voluntarietas. ibid. Voluntarium in causa aliud est directe, aliud indirecte. ibid. 2. Quid sit volnntarium in causa remota, quid io causa proxima. ibid. An sit imputabile ad culpam, tamquam indirecte voluntarium, id, qnod prævidetur provenire ex causa, quam per accidens vitare quis non tenetur. ibid. Volontariusne sit, & in se culpabilis effectus prævisus in causa culpabiliter posita, sed secutus, quando causa tolli non potest. 6. 1. Quid sit voluntarium tacite, virtualiter, habitualiter, & interpretative. ib. & 2.

Votum est *Promissio facta Deo deliberate de bono possibili, & meliori*. 92. 2. Dividitue in reale, personale, & mixtum; in absolutum, coodítionatum, & pœnale; in simplex, & solemne. ibid. Quæ promissio requiratur. ibid. Debet fieri Deo. 93. 2. Quomodo fiat etiam Sanctis. ibid. Quæ ætas, & libertas requiratur. 92. 2. Qualiter vovens sine iotentione exequendi peccet. ibid. 2. An requiratur, ut expresse dicat: *Voveo, promitto, &c.* ibid. An valeat votum ex metu factum. 93. 1. An factum ex errore, vel ignorantia. ibid. Votum dubium. V. *Dubium*. Voti materia esse debet de re honesta, & bona, non mere indifferenti. 94. 1. Honestas in re debet esse, eum vovetue. ibid. 2. An valeat votum de re honesta ob finem malum, vel indifferentem. ibid. Qualiter peecet vovens, vel exequens rem torpem, indifferentem, vel ob talem finem. ibid. Votum esse debet de melioei bono: hoe autem quod sit. 95. 1. Num valeat votum nubendi, non ingrediendi, nisi hanc Religionem: item non admittendi Episcopatum, non promoveodi ad Sacros Ordines, non vovendi, non petendi dispensationem. ibid. & 2. Debet esse de re possibili. ibid. 2. Quid, si res partim sit possibilis, partim impossibilis, partim turpis, partim honesta. ibid. 2. Votum obligat ad soi executionem juxta intentionem voventis. 96. 1. Num possit in materia levi sub gravi se obligare, vel contra: quæ aotem sit materia levis, quæ gravis, quæ dubia. ibid. Quomodo obliget votum eei indeterminatæ quoad individuationem, qualitatem, aut quantitatem. ibid. 2. Plurima apponuntur circa votum ingrediendi Religionem in genere, & ibi perseverandi. 97. 2. Qualiter obliget votum rei indeterminatæ quoad tempus. ibid. Num votum alios obliget a vovente. ibid. Quomodo obliget votom conditionale. ibid. 2. Quomodo pœnale. ibid. Voti obligatio quomodo impleoda. 98. 1. Vovens pauperem alere non satisfacit patrem egentem alendo. ibid. Ad quid teneatur, qui aliquid vovit sub licentia Superioris. ib. Vel qui vovet materiam parvam: unde autem hæc parvitas sit desumenda. ibid. Voto adstrictus si de eo doleat, non peccet gravitee, modo impleat. ibid. Non implens votum tempore designaro ad finiendam (secus ad urgendam) obligationem, eo transacto, ad nihil tenetue. ib. Qualiter implendæ cæteræ voti obligationes. ibid. Quomodo eesset voti obligatio per irritationem. ibid. Quis potest vota irritare directe, quis indirecte. ibid. 2. Quinam possint in votis dispensare. ibid. Qui potest cum aliis dispensare, potest etiam secum. 99. 1. Causæ dispensandi quæ esse possint. ibid. & 91. 2. Qootuor modis eessat votum ex seipso. 99. 1. In concursu duotum votorum incompossibilium quodnam ezequendum. ibid. 2. Commutatio votoeum quid importet. ib. 1. Quando, & quomodo fieei debeat. ib. Quicomque habet facultatem dispensandi, habet & commutandi, non contra. ib. Num possis voto satisfacere, satisfaciendo simul & semel alteri præcepto. 30. 1. V. *Eleemosyna*. Vota facta Deo, B. V., vel Sanctis sunt ejusdem speciei. 314. 2. Proprietas contra votum pau-

paupertatis, quæ sit peccatum mortale, est inter casus Clement. VIII. reservabiles in Ordinibus Religiosis. 374. 2. Valeatne votum Deo factum ducendi e. g. Bertam. 414. 2. Votum juratum, si minus servetur, peccatur etiam contra fidelitatem. 314. 2. Qualiter confitenda voti conditionalis transgressio. ibid. Votum solemne castitatis in professione valida Religionis approbatæ a Sede Apostolica est impedimentum dirimens. 389. 1. 2. Est tamen juris mere Ecclesiastici. ibid. 1. Solemnitas voti jure etiam ecclesiastico est introducta. ibid. Alligantur hoc voto Moniales omnes, & Regulares professi, etsi evaserint apostatæ, ejecti, vel ad Cardinalatum ascenderint. 390. 1. Qui clerici, & qui equites item eo alligentur. ibid. Num etiam eramitæ, feminæ quædam Religiosæ S. Dominici, viri quidam tertii Ordinis S. Francisci, &c. ibid. Num, si Titius invalide professus post elapsum quinquennium relata causa invaliditatis contrahat, valide contrahat. 389. 2. ubi alios etiam casus hujusmodi resolutos invenies. Votum simplex non dirimit matrimonium, nisi in Religiosis Societatis Jesu non professis, & in uxore, quæ vovens in sæculo continentiam dedit marito facultatem suscipiendi Sacros Ordines. ibid. 2. Alia vota simplicia castitatis, vel cœlibatus, vel suscipiendi Sacros Ordines, vel ingrediendi Religionem reddunt tantum illicitum matrim. 407. 1. Idem dic de Professione conjugis, invito, vel inscio altero post matrimonium consummatum. 407. 1. Qui vovit virginitatem, hac amissa, possitne contrahere. ibid. 2. V. *Dubium*. Quid, si hujusmodi vota fiant sub conditione pendente, vel unice a sua voluntate, vel ab aliena. ibid. Qui cum aliquo ex his votis contrahit matrimonium, animo illud non consummandi, sed ante bimestre ingrediendi Religionem, liceitne contrahat. ibid. V. *Novitius*. Num per votum simplex, puta ingrediendi Religionem, suscipiendi Sacros Ordines, vel Castitatis perpetuæ dissolvantur sponsalia. 424. 2. Num licitum sit sponso, vel sponsæ votum ingrediendi, & profitandi in Religionem sine consensu alterius. ibid. 2. Num tale votum dissolvat sponsalia etiam ex parte voventis, itaut ad nihil amplius alteri teneatur. ibid. 2. Num sit illicitum, & sponsalia dirimat votum elicitum e. g. a sponso suscipiendi Sacros Ordines, vel Castitatis perpetuæ sine consensu sponsæ. ibid. Sitne votum vinculum fortius sponsalibus. ibid. Ex voto impeditur jus petendi debitum. 437. 2. Num etiam reddendi. ibid.

Vox. Quomodo voces sint signa conceptuum. 249. 1.

Usura. *Usurarius*. Usura est *Lucrum immediate proveniens ex mutuo*. 142. 1. Triplici jure est prohibita. ibid. Usurarius recipiens usuram non acquirit ejus dominium, etsi dans habeat voluntatem illud transferendi. ib. Quid, si per usuram acceptam aliquid lucretur. ibid. Quæ sit obligatio usurarii, & cooperantium usuris. ibid. 2. Quæ usurariorum pœnæ. ibid. Num usurarius possit donare mortis causa. 135. 1. Num mutuans pecuniam, quam ipse mutuo acceperat ab usurario, possit ratione damni emergentis tantumdem exigere a suo mutuatario, quantum ipse solvit usurario pro usura. 144. 1. Est usura aliquid exigere a mutuatario, ut debitum ex benevolentia, aut gratitudine. 245. 2. Secus, si mutues cum spe tantum, seu desiderio aliquid recipiendi. ibid. At quid, si mutuatarium moneas de hac gratuita remuneratione. ibid. V. *Restitutio*. Num sit usura mutuare cum pacto, ut mutuatarius aliquid tibi præstet, vel remittat tibi odium, vindictam, &c. 146. 1. Quando committatur usura circa alios contractus. ibid. Quid circa usuram decrevit Bened. XIV. ibid. 2. V. *Mutuum*.

Usus matrimonii, V. *Conjux*, *Copula*, *&c.*

Usus juris num possit separari ab usu facti. 182. 1.

Ususfructus, V. *Dominium*.

Usucapio, V. *Præscriptio*.

Uxor, V. *Censura*. *Sepultura Ecclesiastica*. Num teneatur facere eleemosynas. 222. 2. Num possit contrahere. 226. 1. Num vivere de bonis mariti impotentis solvere suis creditoribus. 206. 2. Quandonam marito surripiens committat furtum mortale. 220. 1. Num ei liceat semen viri receptum effundere ob vitæ conservationem. 437. 1. Num teneatur laborare pro viro. 439. 2. Liceatne ei communicatio cum suo viro excommunicato vitando, & contra. 460. 2. V. *Debitum conjugale*. *Crimen criminosum*.

Uxoricidium. Dispensatus in uxoricidio, si nubat, & denuo incidat in uxoricidium, si non faciens prioris dispensationis mentionem obtineat alteram dispensationem in novo uxoricidio, hæc eritne subreptitia. 48. 2.



CATALOGUS

NONNULLARUM RECENTIUM CONSTITUTIONUM

BENEDICTI XIV.

FELICITER REGNANTIS,

Quarum in hoc Opere Theologico-Morali fit mentio.

Prior Numerus indicat Paginam, secundus Columnam.



CONSTITUTIO adversus abusus in Jejunii Quadragesimalis observantia introductos, edita die 30. Maji 1741., cujus initium est *Non ambigimus*, Vid. pag. 105. col. 1.

CONSTITUTIO super unica comestione ab omnibus die jejunii servanda, etiam ab iis, quibus ob peculiares causas permittitur esus carnium, & ovorum, edita 22. Augusti 1741., quæque incipit *In suprema*. V. 105. 1.

CONSTITUTIO super eodem jejunio directa ad Archiepiscopum Compostellæ, edita 8. Julii 1744., & quæ incipit *Si Fraternitas*. V. 105. 1. & 106. 1.

CONSTITUTIO adversus usuræ vitium, edita die 1. Novembris 1745., cujus initium est *Vix pervenit*. V. 146. 2.

CONSTITUTIO contra illicitam Clericorum negotiationem, edita die 25. Febr. 1741., quæque incipit *Apostolicæ*. V. 151. 2.

CONSTITUTIO contra venditionem fructuum beneficii ad vitam, vel ad longum tempus, edita 29. Aug. 1741., quæque incipit *Universalis Ecclesiæ*. V. 224. 1.

CONSTITUTIO contra pacta pro extinctione pensionum inita contemporanee ad resignationem beneficii cum reservatione pensionis, edita 29. Aug. 1741., cujus initium est *In Sublimi*. V. 224. 1.

CONSTITUTIO super Episcoporum præsertim residentia, edita die 7. Septembris 1746., cujus initium est *Ad Universæ*. V. 221. 2. & seq.

CONSTITUTIO de Missæ stipendio, edita die 30. Junii 1741. incipiens *Quanta cura*. V. 225. 2.

CONSTITUTIO damnans, ac reprobans praxim nonnullorum Confessariorum Portugalliæ, necnon Algarbiorum, nomen Complicis in confessione exquirentium, edita 7. Julii 1745., quæque incipit *Suprema omnium*. V. 328. 2.

CONSTITUTIO altera vetans hujusmodi praxim sub pœnis, &c., edita die 2. Junii, ann. 1746., quæque incipit *Ubi primum*. V. in Indice generali rerum omnium notabilium sub voce *Complex* pag. 328. col. 2.

CONSTITUTIO solvens exortum dubium super Missa, quæ in Oratoriis privatis celebratur, edita 7. Januarii anno 1741., quæque incipit *Cum duo Nobiles*. V. 282. 2. & seq.

CONSTITUTIO super Missa Parochiali pro Populo; & super Conventuali pro Benefactoribus, &c., edita 19. August. ann. 1744., cujus initium est *Cum semper*. V. 284. 2.

CONSTITUTIO edita die 1. Jun. ann. 1741., quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*, quæque tria simul complectitur: Primo renovat antiqua decreta contra Sollicitantes, de quo V. 345. 2. & 346. 2. Secundo reservat sibi absolutionem eorum, qui falso Sacerdotes sollicitationis insimulant, de quo V. 349. 2. Tertio irritat absolutionem Complicis etiam in mortis articulo, si adsit alius: de quo V. 371. 1.

CONSTITUTIO explicans ultimam antecedentis Constitutionis partem, edita die 8. Febr. ann. 1745., quæque incipit *Apostolici Muneris*. V. 371. 1.

DECRETUM contra Sacerdotes sollicitantes, & abutentes Sacrificio Missæ ad sortilegia, editum die 5. August. ann. 1745., quodque incipit *In generali*. V. 347. 1.

CONSTITUTIO de Festorum dierum reductione in Regno Neapolitano citra Pharum, & in Diœcesi Messanensi, ac Panormitana, edita die 22. Decemb. ann. 1748., quæque incipit, *Cum sicut*. V. 408. 2.

CONSTITUTIO super matrimoniis in Hollandia, & in Belgio contractis, vel contrahendis, edita die 5. Nov. ann. 1741., incipiens *Matrimonia*. V. 393. 2.

CONSTITUTIO super occultis matrimoniis, edita 17. Novemb. ann. 1741., quæque initium habet *Satis vobis*. V. 409. 1.

INDICTIO universalis Jubilæi Anni sancti 1750. edita tertio Nonas Maji 1749. cujus initium: *Peregrinantes a Domino &c.* 496.



INDICULUS

Thesium omnium proscriptarum ab Alex. VII., Inn. XI., & Alex. VIII., quæ ad suas singulæ materias revocatæ hic apponuntur: in quarum fere omnium fine indicatur locus, ubi earum fit mentio.

Prior Numerus indicat Paginam, secundus Columnam.

De Deo, ac Christo Domino, 2.

EX Alex. VIII. 25. *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare*. Pag. 71. col. 1.

Ex eod. 4. *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus*.

De Beatiss. Virg. 3.

Ex Alex. VIII. 24. *Oblatio in templo, quæ fiebat a B. V. Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod eguerit purificatione & quod filius etiam esset macula matris maculatus secundum verba legis*.

Ex eod. 26. *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ; vana est*.

De Divo Augustin. 1.

Ex Alex. VIII. 30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatum, illam absolute potest tenere, & docere non respiciendo ad ullum Pontificis bullam*.

De Summo Pontifice. 2.

Ex Alex. VIII. 29. *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontif. Rom. super Concil æcumen. auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate*.

Ex eod. 31. *Bulla Urbani VIII.* In eminenti *est subreptitia*.

De Conc. Trid. 4.

Ex Alex. VII. 3. *Sententia asserens, Bullam cœnæ solam prohibere absolutionem Hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Trid. in qua de occultis criminibus sermo est, ann. 1629. 18. Julii in Consistorio S. C. Emin. Cardinalium visa, & tolerata est*. 351. 1

Ex eod. 38. *Mandatum Trid. factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate in peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum*. 311. 1.

Ex eod. 39. *Illa particula* Quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. ibid.

Ex Inn. XI. 47. *Cum dixit Conc. Trid. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur, per hoc* Digniores *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locutione minus propria ponit* Digniores, *ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus*.

De Virtutib. Theologicis in gen. 9.

Ex Alex. VII. 1. *Homo nullo umquam suæ vitæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi Præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*.

De Fide. 12.

Ex Alex. VIII. 11. *Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est*.

Ex eod. 12. *Quando in magnis Peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana*. 68. 1.

Ex Inn. XI. 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se*. 62. 2

Ex eod. 17. *Satis est, actum Fidei semel in vita elicere*. ibid.

Ex eod. 18. *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & Fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum, per se non damno*. 64. 2.

Ex eod. 19. *Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei sit in se ipso magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*. 63. 2

Ex eod. 20. *Hinc potest quis repudiare prudenter assensum, quem habebat supernaturalem*. ibid.

Ex eod. 21. *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili Revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non locutus sit Deus*. ibid.

Ex eod. 22. *Nonnisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii; non autem explicita Remuneratoris*. 64. 1

Ex eod. 23. *Fides late dicta ex testimonio Creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit*. 63. 2

Ex eod. 64. *Absolutionis capax est Homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi*. 64. 1. & 378. 2

Ex eod. 65. *Sufficit illa mysteria semel credidisse*. 63. 1

De Charitate. 5.

Ex Inn. XI. 5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*. ibid.

Ex eod. 6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum*. ibid. & 307. 2

Ex eod. 7. *Tum solum obligat, cum tenemur justificari; & non habemus aliam viam, qua justificari possimus*. 62. 2

Ex Alex. VIII. 7. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel Mundi: si Dei, Charitas Patris est; si Mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*. 65. 2

Ex eod. 13. *Quisquis etiam humanæ mercedis intuitu Deo famulatur, Charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu, licet beatitudinis, operatur*.

De Charitate proximi. 2.

Ex Inn. XI. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali*. 108. 1

Ex eod. 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*. ibid.

De Sacrificio Missæ. 3.

Ex Alex. VII. 8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimum fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decr. Urb. VIII.* 125. 2. & 279. 1

Ex eod. 9. *Post Decr. Urb. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta*. 225. 2

Ex eod. 10. *Non est contra Justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram*. ibid.

De Beneficiis Ecclesiasticis. 1.

Ex Alex. VII. 16. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*. 341. 2

De Divino Officio. 4.

Ex Alex. VII. 21. *Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet*. 74. 1

Ex eod. 34. *In die palmarum recitans officium paschale, satisfacit præcepto*. ibid. 2

Ex eod. 35. *Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino*. 76. 1

Ex Inn. XI. 54. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem*. 38. 1. 74. 1

De Sanctificatione Festorum. 2.

Ex Inn. XI. 52. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus*. 99. 2

Ex eod. 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit*. 103. 1

De Eleemosyna. 1.

Ex Inn. XI. 12. *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui*. 112. 1

Ex

De Quadragesima. 1.
Ex Alex. VII. 32. *Non est evident, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obliget.* 41. 1. & 105. 1.

De Jejunio. 4.
Ex Alex. VII. 23. *Frangens Jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.*

Ex eod. 29. *In die Jejunii, qui sæpius modicum quid comederit, non frangit Jejunium.* ibid. 2

Ex eod. 30. *Omnes officiales, qui in Republ. corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione Jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum Jejunio.* 106. 2

Ex eod. 31. *Excusantur absolute a præcepto Jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*

De Annuo Legato. 1.
Ex Alex. VII. 43. *Annuum legatum pro anima relictum non durat, plusquam per decem annos.* 138. 1.

De Regularibus, & Mendicantibus. 5.
Ex Alex. VII. 4. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab Hæresi occulta, & ab excomm. propter eam incursa.* 351. 2

Ex eod. 12. *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* 352. 2

Ex eod. 36. *Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concil. Trident.* 56. 2

Ex Alex. VIII. 20. *Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.*

Ex eod. 21. *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.*

De Divina Gratia. 2.
Ex Alex. VIII. 5. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino a Jesu Christo accipiunt influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.*

Ex eod. 6. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est; sic, ut proinde merito possimus petere:* A gratia sufficienti libera nos Domine.

De Sacramentis in genere. 2.
Ex Inn. XI. 1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* 17. 2. 250. 1. 290. 1. 319. 2. 378. 2. 385. 2. & 431. 2.

Ex eod. 29. *Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi.* 252. 1. & 395. 2.

De Baptismo. 2.
Ex Alex. VIII. 27. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus:* In nomine Patris &c. *prætermissis illis:* Ego te baptizo. 256. 2

Ex eod. 28. *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat: intus vero in corde suo apud se resolvit:* Non intendo, quod facit Ecclesia. 257. 1. 2

De Confessione, & Eucharistia. 8.
Ex Alex. VII. 11. *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.* 327. 1

Ex eod. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* 310. 1. 340. 1. 2. & 355. 1

Ex eod. 14. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* 309. 2

Ex Inn. XI. 55. *Præcepto communionis annuæ satisfit per Sacrilegam Domini manducationem.* 277. 1

Ex eod. 56. *Frequens confessio, & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.* 272. 2

Ex Alex. VIII. 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum Hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.*

Ex eod. 22. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* 273. 1

Ex eod. 23. *Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.* ibid.

De Attritione. 5.
Ex Inn. XI. 57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* 317. 1

Ex Alex. VIII. 9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.*

Ex eod. 10. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gratiam, non est recta, nec Deo placens.*

Ex eod. 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* 321. 1

Ex eod. 15. *Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, & supernaturalis.* ibid.

De Peccandi consuetudine. 2.
Ex Inn. XI. 58. *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* 325. 1

Ex eod. 60. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.* 379. 2

De Occasione proxima. 3.
Ex Inn. XI. 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* 379. 1

Ex eod. 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* ibid. 2

Ex eod. 63. *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* ibid.

De concubinario. 1.
Ex Alex. VII. 41. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* 379. 1. 2.

De satisfact. Sacr. 1.
Ex Alex. VII. 15. *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.* 331. 1

De Indulgens. 1.
Ex Alex. VII. 37. *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.*

De Pœn. 1.
Ex Alex. VIII. 19. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.* 366. 2

De Absolutione Sacramentali. 3.
Ex Alex. VIII. 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio natura rei id ipsum quodammodo dictantis.*

Ex eod. 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus.* 322. 1. & 377. 2

Ex Inn. XI. 59. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magno alicujus festivitatis, vel indulgentiæ.* 329. 1.

De sigillo Sacramentali. 2.
Ex Inn. XI. *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* 382. 2

De Matrimonio. 1.
Ex Inn. XI. 9. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* 3. 2. & 436. 1

De Legibus. 1.
Ex Alex. VII. 28. *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.* 26. 2. & 483. 1

De Restitutione. 4.
Ex Alex. VII. 20. *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.* 77. 1

Ex eod. 33. *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.* ibid. & 120. 2

Ex Inn. XI. 38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* 219. 1

Ex eod. 39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* 200. 2

Ex

De Censuris. 3.

Ex Alex. VII. 44. *Quoad forum conscientiæ reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.* 456. 1

De ignorantia. 1.

Ex Alex. VIII. 2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.* 10. 1

De Libertate. 3.

Ex Alex. VIII. 1. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & ad demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, & liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

De Judice. 3.

Ex Alex. VII, 26. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.* 169. 2. & 175. 2

Ex Inn. XI. 2. *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem,* 169. 1.

De Comestione, & potu. 3.

Ex Inn. XI. 8. *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* 3. 2

De Infidelitate. 2.

Ex Inn. XI. 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.* 66. 2

Ex Alex. VIII. 8. *Necesse est, infidelem in omni opere peccare.*

De Probabilitate. 3.

Ex Inn, XI. 3. *Generatim, dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* 17. 2

Ex eod, 44. *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat: &, si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia,* 232. 1.

Ex Alex. VIII. 3. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* 17. 2. & 318. 1

De Libris. 2.

Ex Alex. VII. 27. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, eam rejectam esse a Sede Apostolica, tanquam improbabilem.* 17. 2

Ex eod. 45. *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.* 358. 2

De Peccato Philosophico. 3.

Ex Alex. VIII. *Quod in eo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, sit grave peccatum, sed non sit offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum,* 2. 2.

De Hæresi. 1.

Ex Alex. VII, 5. *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.* 68. 2

De Simonia. 3.

Ex Alex. VII. 22. *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* 169. 2. 175. 2. & 177. 1. 2.

Ex Inn. XI. 45. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.* 173. 2. & seq.

Ex eod. 46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.* 174. 1

De Sollicitatione. 2.

Ex Alex. VII. 6. Confessarius, *qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus.* 345. 2

Ex eod. 7. *Modus evitandi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest illum absolvere absque onere denunciandi.* 346. 2

De Mendacio, & Juramento. 5.

Ex Inn. XI. 24. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* 86. 2

Ex eod. 25. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* ibid.

Ex eod. 26. *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* 88. 2

Ex eod. 27. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* ibid.

E eod. 28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandatu Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* ibid,

De Detractione. 2.

Ex Innoc. XI. 43. *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.* 232. 1

De Mutuo, & Usura. 3.

Ex Alex. VII. 42. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* 145. 1

Ex Innoc. XI. 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* ibid.

Ex eod. 42. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.* ibid. 2

De contractu Mohatra. 1.

Ex Inn. XI. 40. *Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie, inito cum intentione lucri.* 145. 2

De Duello. 1.

Ex Alex. VII. 2. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* 234. 2. & 363. 2

De Abortu. 2.

Ex Inn. XI. 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* 235. 2

Ex eod. 35. *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; & consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* ibid,

De 5. Præcepto Decalogi. Non occides. 10.

Ex Alex. VII. 17. *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni impingere prædicta publice, & coram gravissimis viris, nisi occidatur.* 234. 2

Ex eod. 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, aut etiam Judicem, a quo iniqua certa imminet sententia; si alia via non potest innocens damnum evitare.* ibid. 1

Ex eod. 19. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* ibid. 2

Ex Inn. XI. 13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* 4. 1

Ex eod. 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.* ibid. & 2

Ex eod. 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* ibid. 2

Ex eod. 30. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequeat: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.* 234. 2. & 483. 1

Ex eod. 31. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* 234. 1. & 483. 1

Ex eod. 32. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus; sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* 234. 2. & 483. 1

Ex eod. 33. *Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne, vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicuti & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.* 483. 1 & per tot.

De 6. Præcepto. Non Mœchaberis. 7.

Ex Alex. VII. 24. *Mollities, Sodomia, Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.* 312. 2

Ex eod. 25. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens,* Commisi cum

solu-

soluta grave peccatum contra castitatem, *non explicando copulam.* ibid.

Ex Eod. 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensualem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* 422. 2

Ex Inn. XI. 48. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdictam, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

Ex eod. 49. *Mollities jure naturæ prohibita non est; unde, si eam Deus non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

Ex eod. 50. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* 315. 1

Ex eod. 51. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* 118. 2. & 201. 1.

Ex Inn. XI. 36. *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* 212. 1. & 217. 2. De 7. Præcepto. Non Furaberis. 1.

Ex Eod. 37. *Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* 167. 2. & 207. 1

F I N I S.





